DISCVRSVS PRÆDICABILES,

SIVE

VIRIDARIUM SACRARUM CONCIONUM

IN DOMINICAS ET FESTA

A DOMINICA ADVENTVS VSQVE AD

Dominicam Quinquageſimæ occurrentia:

CONSITUM EX SACRÆ SCRIPTURÆ, SANCTORVM

Patrum, & Doctorum, tam Veterum, quam Recentiorum, nec non Prophanorum Authorum Plantis exquiſitiſſimis, ad virtutum mores inſerendos aptiſſimis.

OPERA ET STUDIO ADM. R. P. M.

AUGUSTINI PAOLETTI

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS EXIMII,

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Provinciæ Senenſis Prioris Provincialis, Viri communis boni promovendi ſtudioſiſſimi.

Cum quinque indicibus, I. Auctorum, II. Argumentorum Moralium. III. Concionum totius Anni, IV. Locorum S. Scripturæ, V. Rerum & Verborum copioſiſſimo.

Opus omnibus animarum Paſtoribus, Divini Verbi Præconibus, & vitæ ſpiritualis & Aſceticæ Studioſis utile & apprime neceſſarium, & ſummis votis diu deſideratum, nunc in IV. partes diviſum in hac III. editione.



E-38.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud HERMANNUM DEMEN, ſub ſigno Monocerotis, Anno M. DC. LXXVII.

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

Pro Bibliotheca Conventus Coenobiorum

SACRARVM CONCIONVM ARCHITECTIS ET FIDELIBVS.

VERBI DEI PRÆDICATORIBVS BIBLIOPOLA SALVTEM.

ADmodum Reverendus Pater Magiſter AUGUSTINUS PAOLETTI SS. Theologiæ Doctor, Eximium Cathedræ decus & Eccleſiarum hujus temporis facile Princeps, Ordinis ſui, ſive Eremi Auguſtinianæ delitium, ejuſdemque in Provincia Senenſi quondam digniſſimus Prior Provincialis, diverſorum Principum Theologus, quo quantum Montalcinenſes in Thuſcia cive, S. Auguſtinus ſpirituali filio, Scholaſtici Doctoris Collega, & primariæ Italiæ urbes Eccleſiaſte queant gloriari, notius eſt quam ut pluribus hic à me ſit opus commemorari ; hic inquam, doctiſſimis ſuis in lingua Italica habitis ſcriptiſque Concionibus univerſas totius Anni quantus quantus eſt Dominicas, Sanctorum tum maximè, tum minus ſolemnium Feſtivitates per totius Anni decurſum occurrentes, ſacra Verni ſive Quadrageſimalis jejunii tam Dominicas, quàm Ferias ſingulas, & Adventus Dominici tempora peregregiè illuſtravit; in quibus, ut à pluribus doctiſſimis viris, qui eas attento oculo pervolutarunt, frequenter audivi, ea notatur dicendi vis atque ubertas, ea divinioris doctrinæ & reconditorum conceptuum abundantia, ea quoque humanarum divinarumque ſcientiarum varietas, ea obſcuriorum Sacræ Scripturæ locorum in omni propè ſenſus genere explicatorum copia, ea denique in omnigena materia Concionum diverſitas, ut ille unus inſtar ſit omnium, nec ſit in ipſo quod quis deſiderare queat. Quem proinde inexhauſtum rerum omnium promptuarium, omnigenæ doctrinæ ſcrinium, humanæq; ſcientiæ Promum condum, denique ſacrorum theſaurorum gazophylacium non injuria appellari poſſe exiſtimant. Ex quo tanti viri elogio permotus ſum, ut iniquum eſſe duxerim tantos ab erudito ejus calamo promanantes doctrinæ ſpiritualis theſauros ſolius Italiæ anguſtiis coarctari, utpote quibus facile univerſa Europa poſſet locupletari; ac proinde tametſi nonnulli in Belgio Catholico Viri docti idem mecum ſentientes, ut divitias PAOLETTI univerſaliores efficerent, univerſaliori eas lingua, hoc eſt, ſermone Latino venditare cœperint, edito nimirum in Idiomate Latino primo Concionum ſuarum volumine quod Adventuale dicitur, & ad Quadrageſimam uſque ſe extendit, quia tamen ab Annis facile quatuor in cætera magni hujus Prædicatoris Volumina nihil attentatum fuit, ideo ad Concionatorum divinæ gloriæ & ſaluti animarum zelandæ intendentium utiliſſimum ſtudium promovendum, multorum rogatu reliqua etiam ejuſdem Authoris volumina, id eſt, Do-

minicale incipiens à Dominica in Albis, usque ad Dominicam I. Adventus; Sanctuarium sive Conciones de Sanctis ; ac denique Quadragesimale in universas totius Quadragesimæ Dominicas & Ferias in Latinam linguam, utpote cunctarum nationum Prædicatoribus minime incognitam, imo veluti vernaculam transferri curavi.

Porrò Voluminibus hisce hunc præfixi communem titulum: VIRIDARIUM SACRARUM CONCIONUM, eò quod singulæ Conciones velut rura quædam sint nunc aureis, nunc hyacinthinis diversorum sensuum floribus depicta, in quibus nunc mysteriorum rosas, nunc moralitatum purpurascentes violas, aut candida Anagogiæ lilia deprehendetis; neque in hoc horto seu Viridario omnigeni solum flores nascuntur, sed & arbores pomiferæ, aliisque omnis generis fructibus onustæ floreſcunt, & jucundum ingredienti exhibent spectaculum, ut proinde de hoc libro usurpare mihi liceat illud Ezechielis cap. 48. v. 17. *Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus, per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario* (quo nomine Volumen quo Conciones de Sanctis describuntur peculialiter intelligendum venit) *egredientur, & erunt fructus ejus in cibum, & folia ejus ad medicinam*; singuli etenim sermones arbores sunt de tramite sapientiæ uberrimæ nitentes, pomisque conceptuum aureis pubescentes. De hoc horto sive Viridario S. Hieronymus in cap. 14. Zach. ait: *Hortus, in quem sponsus descendit ad sponsam sanctarum Lectio scripturarum est: de quibus lilia & violas, & rosas, & varia decerpit aromata, ut impleat Phialas animarum credentium, & Domino ex eis liba diffundat.* In hoc igitur topiarium cum fratruele vestro ad Phialas aromatum descendite, ut *pascamini in hortis & colligatis lilia.* Cant. 6. Imitemini in hoc horto aviculam solertem Picum cognomine Martium, cujus potissimum ingenium terebrare rostri cuspide duriores arborum crustas, eviscerare arborem, rostriq; fistula nucleo infixa humorem arboris sugere, & extrahere alimenti succum, in ramisque construere nidum; de qua ave Plin. scribit l. 10. c. 8. Vos igitur Sermonibus hisce veluti totidem lignis pomiferis acutum & subtile ingenii vestri rostrum infigite, eoq; veluti fistula omnem ex iis succum eviscerate, in alimentum animarum vestrarum, omniumque illorum quos vobis Verbo Dei pascendos, saginandos, vegetandos commisit supremus animarum Dominus noster JESUS Christus. Qui vos ad Ecclesiæ suæ sanctæ decus & incrementum feliciter in hac vita, ac deinceps in immortalibus Charitum hortis in sempiternum vivere faciat. Vos interea hoc meum vobis gratificandi studium simul & opellam Interpretis æqui bonique ut consulatis obsecro, ac si quid palato vestro subtiliori minus placuerit, pro vestra benignitate ac candore æqui rerum arbitri & æstimatores ignoscatis.

Ezech. c. 48. v. 17

S. Hier. in c. 14. Zach

INDEX

INDEX AVTHORVM.

A.

Abulensis Tostatus.
Adamus de S. Victore.
Adda Babylonicus.
S. Adelelmus Episcopus.
Adamantius Origines.
Addala Saracenus.
Adrianus Finus.
S. Ælredus.

Æ.

Ægidius Columna Cardinalis.
Ægidius Viterbus Cardinalis.
Ægidius de Conimbria.
S. Augustinus Doctor Ecclesiæ.
Augustinus Bicla.
Augustinus *Mascardi*.
Augustinus Triumphus.
Augustinus Nugnez.
Aug. Moreschini Augustinian.
Augustin. *Moreschini* Dominican.
Albertus *Magnus*.
Albertus Patavinus.
Albertus de Corignola.
Alcuinus Albinus.
Alcimus Avitus Archi-Episcopus Viennensis.
Alexander ab Alexandro.
Alexander de Ales.
Alphonsus *Mendoza*.
Alphonsus Paleottus Cardin.
Alphonsus de Orosco.
Alexander Tass.
Alitgarius Episcopus Cameracensis.
Alitgarius Abbas.
Amalarius Fortunatus Episcopus Trevirensis.
S. Ambrosius Doctor Ecclesiæ.
Ambrosius Corrolanus.
Ambrosius Calepinus.
Ambrosius Spera.
Ambrosius Episcop. Lemocensis.
Ammonius.
S. Anastasius Sinaita.
Andreas Pinta Ramirez.
Andreas Alciatus.
Andreas Gelsominus.
Andronicus Constantinopolitanus.
Angelus Rocca.
Angelus Vantius.
Angelus Manriquez.
Angelomus Monachus Lesovienſis.
S. Antelmus.
S. Antiochus.
Anonimus.
Antigonus Caristlico.
S. Antonius Abbas.
Antonius Richardus.
Antonius Guilielmus.
Antonius Agellius.
S. Antonius de Padua.
S. Anselmus.
S. Antiochus Monachus Palest.
Apulejus.
Arnoldus Carnotensis.
Areta Episcopus Cæsarienſis.
Aristophanes.
Ascanius Martinengo.
S. Asterius, Episc. Amascensis.
S. Athanasius.
Aulus Gellius.
Aurelius Prudentius.
Aurelius Victorinus.

B.

Baularius Episcopus.
Balthasar de Vias.
Bartholomæus de Pisis.
Bartholomæus Barco.
Bartholomæus Cassianus.
S. Basilius Seleucienſis.
Basilius Ponce.
S. Basilius.
Benedictus Fernandius.
Benedictus Pererius,
Benedictus Mendina.
Benedictus Fidelis.
Beda.
S. Bernardus.
Bernardinus Busti.
Blasius Viega.
Biondus.
S Birgitta.
S. Bruno.
S. Bruno Episcopus Herbipol.

C.

S. Calixtus Papa *II*,
Casparus à Malo.
Catullus.
Cælestinus Bruno.
Celius Rodeginus.
Cæsar Ripa.
Cæsar Baronius.
Cherinon Abbas.
Christophorus de Avendagno.
Chrysippus Sacerdos.
Christophorus Burgensis.
Christianus Drutmarus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Jerosolymitanus.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
S. Columbanus.
Cornelius Tacitus.
Cornelius Janſenius.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Graffius.
Creoatus.
Cronica Cluniacensis.

D.

Dacrianus Abbas.
Daniel Souterius.
B. David Augustanus.
Demosthenes.
Didacus Alverus.
Didacus Pontferradienſis.
Didacus Stella.
Didacus de Celada.
Diogenes Pitagoricus.
S. Dionysius Areopagita.
Dionysius Carthusianus.
S. Dorotheus Archimandrita Abbas.
Draconitus.

E.

Echibertus Abbas.
S. Ephrem Sirus.
Egesippus.
Elianus.
Emmanuel Imperator.
Epicarmus.
S Epiphanius.
Ericus.
S. Hermetes discipulus S Pauli.
Ernandus Caratensis
Etherius Episcopus Usamensis.
S. Eucherius.
Euripides.
S. Eulogius Martyr Archi-Episcopus Toletanus.
Eusebius Emissenus.

F.

Faustus Andrelinus.
Federicus de Senis.
Felix de Prato.
Fileta.
Fortunatus Schacchius.
Franconius Abbas Affligenienſ.
Franciscus Vevardentius.
Franciscus Titelmannus.
Franciscus Toletus Cardinalis.
Franciscus Labata.
Franciscus à Christo.
Franciscus Mendoza.
Franciscus Ribera.
Franciscus Loredanus.
Fulbertus, Episc. Carnutensis.

G.

Galenus.
S. Gaudentius.
Gerardus Zutfanienſis.

Genebrardus Abbas.
Gislerus.
Gordanus de Saxonia.
Georgius Cedrenus:
Georgius Pisida Diaconus Constantinopolitanus.
Glicas.
Glossa Ordinaria.
Godefridus:
S.Gregorius Papa.
S.Gregorius Nazianzenus,
Gregorius Nissenus.
Gregorius de Rimini,
Gregorius Nugnus.
Gualfridus Abbas.
Guarricus Abbas.
Guido Cassonius:
Guisconius Abbas.
Guilielmus Durandus.
Guilielmus Parisiensis.
Guilielmus Pepinus.
Guilielmus Amerus.
Guilielmus Amatus.

H.

HAymon Episcopus Halberstatensis.
S.Hermes discipul. S. Pauli.
Herodotus Halicarnassæus.
S.Hieronymus Doctor Ecclesiæ.
S. Hilarius.
Hieronymus Seripando Card.
Hieronymus Arconatus.
Hieronymus Osorius.
Hieronymus Oleaster.
S.Hildegardis Abbatissa.
S.Hildegardus Episcopus.
Hippolitus Martyr.
Hippocrates.
Historia Lombardica.
Homerus.
Hugo Victorinus.
Hugo Cardinalis.

I.

JAcobus Veldius.
Jacobus Philippus.
Jacobus de Valentia.
Jacobus de Voragine.
Jacobus Zevecotius,
Joachimus Abbas.
Josephus Hebræus.
S.Joannes Chrysostomus.
Joannes Serisberiensis.
Joannes Jacobus Riccius.
Joannes de la Haye.
Joannes Viterbiensis.
Joannes Suarez Episcopus.
Joaunes Cassianus.
Joannes Lorinus.
Joannes Eckius.
Joannes de Vio Cajetano.
Joannes Lanspergius.
Joannes Baptista Marinus.
Joannes Fabri.
Joannes Duns Scotus.
Joannes de S.Geminiano.
Joannes Climachus.
Joannes Osorius.
Joannes Pinna Madridensis.
Joannes Bapt. Gorus.
Joannes Drudonius.
Joannes Ravisius.
Joannes Lopes Episc. Crotonensis.
Joannes Maria Verato.
Joannes Ferus.
Joannes Antonius Abulensis.
Joannes Episc. Montopolitan.
Joannes de Solorzano.
Joannes Viguerius.
Joannes Bapt. Novatus.
Joannes Galandorpius.
Joannes Cartagena.
Joannes Hoffmeisterus.
S. Joannes Damascenus.
Joannes Puteanus.
Juvencus Sacerdos Hispanus.
Job Monachus.
Juvenalis.
Justinus Martyr.
Idelbertus Episc. Turonensis.
S.Ignatius Loyola.
Ignatius Dyckerus.
Incognitus.
Innocentius Cibo.
Innocentius Papa III.
Isaac Sacerdos.
B.Isaac Abbas.
S. Isidorus.
S.Ivo Carnotensis.

L.

LAertius.
Leonardus Aurelius.
S. Leo Papa.
Libanius.
Licurgus.
B.Linus.
S.Linus Papa.
Livius.
Ludovicus Guicciardinus.
B.Laurentius Justinianus.
Laurentius de Aponte.
Laurentius Zamovia.
Lucanus.
Lucas Burgensis.
Ludovicus Lippomannus.
Ludovicus Leonensis.
Ludovicus Novarrinus.
Ludolphus Carthusianus.

M.

MAffæus Vegius.
Marcellus Pellingerius.
Marcellus Ferdinandi.
Marcus Varro.
Marcus Vigerius Cardinalis.
Martialis.
Marius Bettinus.
Martyrologium Romanum.
Martinus del Rio.
M. T. Cicero.
S.Maximus.
Matthæus Tympius.
Meander.
Mercurius Trismegistus.
S Metodius Episc. Patarensis.
Michael de Palatio.
Michael de Ayguanus.
Michael Empolitanus,
Michael Mediolanensis.
Milesius.
Moyses Barceva.
S.Monica.

N.

NAtalis Comes.
Nemesius.
Nesterotius Abbas.
Nicena Coniates.
Nicephorus Calixtus.
Nicolaus Lyranus.
Nicolaus Reusnerus.
S.Nilus.
Nonus Panopolitanus.

O.

S.ODilo Abbas.
S.Odilo Abbas Cluniacensis.
Olympidorus Monachus.
Onuphrius Osteutus Archiepiscopus Florentinus.
S.Oresiesius.
Oratio Petrobelli.
Ovidius.

P.

S.PAcianus Episcopus.
Pacomius Abbas.
Panuphius Abbas.
Paulus de Palatio.
Paulus Aresius.
Paulus Burgensis.
Paulus Seilogus.
Paraphrasis Chaldæa.
S.Paschasius.
Pelbartus.
Pericles.
Pica Mirandolanus.
Pythagoras.

S. Petri

S.Petrus Chryſologus.
S.Petrus Cellenſis.
S.Petrus Damiani Cardinalis.
Petrus Ribadeneira.
Petrus Canomerius.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Michaelis.
Petrus Valderama.
Petrus Berchorius.
Petrus Crinitus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Herodotus.
Petrus Ramerus.
Petrus Lumbardus.
Petrus de Aragonia.
Petrus Galatinus.
Petrus de Vega.
Petrus Valerianus.
Petrus Gregorii.
Pinuſius Abbas.
Platina.
Plato.
Plaeius Nigidius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polibius.
Primaſius.
Proba Falconia.
Procopius Gazæus.
Propertius.
S.Proſper.
Publius Mimus.
Publius Siro.

Q.

Quintilianus.
Quintus Curtius.

R.

Rabbanus Maurus.
Rabbi Simeon.
S.Remigius.
Richardus de S.Laurentio.
Rupertus Abbas.
Rupertus Epiſc. Aquinenſis.

S.

Salaſar.
Salmeron.
Salvianus.
Sanctus Pagninus.
Scaliger.
Scipio Bargalius.
Sedulius.
Sebaſtianus Barradas.
Seneca.
Seraphinus Cumerarius.
Servius.
Septuaginta Interpretes.
Sicophanta.
Simon Junior.
Simon Caſſianus.
Simon Cirallus.
Sophocles.
Sozomenes.
Stobæus.
Strabo Fulgenſis.
Suetonius Tranquillus.
Suido.

T.

Thadæus Peruſinus.
Thalaſſus Abbas.
Teanus.
Theophylactus.
Theodorus Abbas.
Theodulphus Epiſcopus.
Tertullianus.
Theon Abbas.
Thimothæus Epiſcopus Hieroſolymitanus.
Titius Strozzius.
Titus Petronius Arbiter.
Titus Livius.
Tobias Magyrus.
S.Thomas de Aquino Doctor Angelicus.
B.Thomas de Villanova Archi-Epiſcopus.
Thomas de Argentina.
Thomas de Kempis.
Thomas de Trugillo.
Thomas Beauxamis.
Thomas Spinoxola.
Tarquatus Taſſis.
Trajanes Boccalinus.
Turcius Ruſus Aſterius.

V.

Valafridus Strabo.
S.Valerianus Epiſcopus Clemenienſis.
Valerius Maximus.
Vincentius Gilibertus.
S.Vincentius Ferrerius.
S.Victor Antiochenus.
Vincentius Lirinenſis
Virgilius Maro.
Urbanus IV.
S.Umbertus

Z.

Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus.
Zenephon.
S.Zenon Epiſcopus.

FINIS INDICIS AUTHORUM.

Reliquos vero Indices reperies conſequenter in fine poſt Materiam & ita in Dominicali.

SUMMA

SUMMA
PRIVILEGII CÆSAREI.

LEopoldus, Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmaciæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c Rex: Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ Carniolæ & Wittembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis; quod cum nobis noster, ac Sacri Romani Imperii fidelis dilectus, Joannes Georgius Hertz Bibliopola Viennensis humillime exposuerit, quem in modum opera quædam Patris Augustini Paoletti de Mont. Alcino Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Doctis omnibus viris præsertim Ecclesiasticis magnopere desiderata ac usui futura, utpote & primo quidem Quadragesimale ejusdem de magno Patriarcha S. Augustino cum copiosissimis iconibus, secundo Discursus Prædicabiles, tertio Discursus item Prædicabiles Dominicis & festis diebus de prima Adventus usque ad Quadragesimam, quarto Sanctuarium, ac quinto denique Annuale & Mariale ejusdem ex Italica in latinam linguam sumptu suo traduci curare, ac typis excudenda dare constituerit, vereri autem debeat, (ne quod fieri assolet) Typographi alii quæstus causa eadem opera fraudulenter ac magno suo dispendio imitentur, prælo committant, distrahant atque venundent, nosque proinde supplex orarit, ut indemnitati ipsius consulere ac super dictis operibus privilegio nostro Cæsareo ipsum præmunire clementer dignaremur, nos submissæ pariter & æquæ ipsius petitioni clementer annuendum censuimus, idcirco ex certa scientia, animo bene deliberato, pro Authoritate nostra Cæsarea, omnibus & singulis Bibliopolis, Typographis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, serio interdicimus ac vetamus, ne quis supra nominata opera ita ex Italica in Latinam linguam translata, intra decennium proximum à die quo nostræ hæ litteræ datæ sunt computandum, intra Sacri Romani Imperii, aut quorumcumque regnorum ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines simili aut quovis alio typo, forma aut modo, imitari, recudere, aut recudenda dare, aut etiam alibi excusa apportare, venundare aut distrahere, sine ipsius Joannis Georgii Hertz hæredumve ejusdem consensu, palam vel occultè ausit, si quis autem secus faciendo, interdictum hoc nostrum neglexerit aut violaverit, is non solum ejusmodi libris aut exemplaribus dicto Joanni Georgio Hertz ejusve hæredibus auxilio magistratus locorum ubi reperientur, vindicandis privari, sed etiam pro quavis supradictorum operum ita recusorum aut alibi unde apportatorum specie decem Marcharum auri mulctam ærario seu fisco nostro Cæsareo, atque injuriam passo seu passis ex æquo pendendam dare damnas esto, dum modo præfata tamen opera, bonis moribus, fidei orthodoxæ, Cæsareæ nostræ Authoritati, sacrisve Imperii Constitutionibus, nihil contrarium adversumque in se contineant, & quaterna nimirum singulorum exemplaria ad Cancellariam nostram Imperialem Aulicam transmittantur, mandamus itaque universis ac singulis, nostris & Sacri Imperii Regnorum ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis aut ordinis extiterint, præsertim vero iis, qui in magistratu constituti, vel suo vel suorum Superiorum loco aut nomine jus dicunt, justitiamve administrant, ne quenquam hoc Privilegium nostrum Cæsareum, impune violare, spernere aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constituta à nobis mulcta eos puniri & quibuscunque modis coerceri curent, ni & ipsimet gravissimam nostram indignationem in se lacessere velint, harum Testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in civitate nostra Vienna die quarta mensis Martii, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo primo, Regnorum nostrorum Romani Tertio, Hungariæ sexto, Bohemiæ verò quarto.

LEOPOLDUS.

(L.S.)

Ut Wildericus Baro de Walderdorff.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis Proprium.

J. WALDERODE.

Prædictus D. Joannes Georgius Hertz civis & Biblopola Viennensis cessit jus suum supradicti Privilegii Joanni Busæo Civi & Bibliopolæ Coloniensi.

INDEX

INDEX

DISCURSUUM PRÆDICABILIUM, QUI HOC TOMO ADVENTUALI CONTINENTUR.

DOMINICA PRIMA Adventus.

Divini Judicii rigor & terror expenditur. fol. 1.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ Apostoli.

Dominus Andream vocat & exaltat, utpote qui solitus infirma mundi eligere, ut confundat fortia. *fol.* 11.

DOMINICA SECUNDA Adventus.

Veritas odio est apud omnes; & jam commune mendacium. *fol.* 21.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

Immaculata Dei Matris Conceptio proponitur. 29

DOMINICA TERTIA Adventus.

Effrœnata habendi cupiditas hominibus innata ostenditur. 37

IN FESTO SANCTI THOMÆ Apostoli.

Miserrima Peccatoris conditio est, & maxima Salvatoris nostri benignitas, cùm vulnera ostenait. 47

DOMINICA QUARTA Adventus.

Mira virtus pœnitentiæ est; atque hæc non differenda. 58

IN FESTO NATIVITATIS Domini.

Amor Dei erga homines singularis ex Verbi Incarnatione monstratur, unde gaudium magnum. 81

IN FESTO SANCTI STEPHANI Proto-Martyris.

Lapides illi dulces, dum apparuit JESUS: neque jam grave tormentum, ubi apertum est cœlum. 92

IN FESTO SANCTI JOANNIS Apostoli & Evangelistæ.

Hic est Discipulus ille, qui Privilegio amoris præcipui cæteris altiùs à Domino meruit honorari. 104

IN FESTO SANCTORUM Innocentum.

Sub amara Martyrii cortice cœlestis gloria invenitur, & insatiabilis apparet Herodis Regis impiissimi ambitio. 116

INDEX DISCURSUUM PRÆDICABILIUM.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Nativitatis Domini.

Filiorum erga parentes debitum proponitur; & horum quanta esse debeat in illis honestè educandis cura. 128

IN FESTO CIRCUMCISIONIS Domini.

Christus desiderium patiendi pro genere humano ostendit, ad circumcisionem spiritualem invitat, & nomine JESU se omnium Salvatorem demonstrat. 146

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Opera bona indefesso studio peragenda; nec deflectandum est facilè ad humana subsidia, quamdiu cœlestia adesse videmus. 152

DOMINICA INFRA OCTAVAM Epiphaniæ.

Exemplo Christi declinandum à vana gloria. Contrà faciunt homines, virtutes, etsi falsas, ostentant; & vitia apertissima palliant. 163

DOMINICA SECUNDA POST Epiphaniam.

Matrimonii labor & dolor perpenditur, atque salutaria monita conjugibus adferuntur. 173

DOMINICA TERTIA POST Epiphaniam.

Tanta Dei in homines beneficentia est, ut prodigalitas videatur, si aliqua sine defectu haberi possit. 183

DOMINICA QUARTA POST Epiphaniam.

Malorum consortium vitandum est; quia non rarò propter malum unum patiuntur multi boni. 194

DOMINICA QUINTA POST Epiphaniam.

Nihil in mundo ex omni parte beatum, nihil stabile, sed omnia vicissitudini continuæ obnoxia. 205

DOMINICA SEXTA POST Epiphaniam.

Cavendum etiam à minimis, puta venialibus, ne paulatim ad magna & mortalia prolabamur. 215

IN FESTO PURIFICATIONIS Beatissimæ Virginis MARIÆ.

Sanctissima Virgo MARIA perfectam obedientiam docet, opera supererogationis Deo esse grata, & quid Divinæ Majestati offerendum. 223

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Sine labore non pervenitur ad quietem æternam. Otium vitiorum omnium origo. 232

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Verbum Dei efficax est, & fructum multum adfert, si modò debitè & reverenter audiatur. 141

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Quid facto opus, ut Deum habeamus ad placitum. Talis erga nos Deus, quales nos ipsi exhibemus. 251

R. A. P.

R. A. P.

AUGUSTINI PAOLETTI
ORDINIS EREMITARVM
S. AUGUSTINI
DISCURSUS PRÆDICABILES
IN DOMINICAS ET FESTA OCCURRENTIA
Ab Adventu usque ad Quadrageſimam.

DOMINICA PRIMA
ADVENTUS.
ARGUMENTUM.

Judicii magni dies proponitur, tremendus & horribilis ex triplici conſideratione. 1. Quia ſtrictiſſima à peccatoribus reddenda ratio. 2. Conſcientiæ remorſus erit intolerabilis. 3. Et hoc ſuppliciorum omnium longè graviſſimum, à Chriſto Salvatore ad æternas flammas condemnari.

THEMA.

Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium. S. Luc. cap. 21.

IONAS accepto præcepto Domini, ut acceleraret in civitatem Niniven, tergiverſatus eſt, & jam Divinæ voluntati factus rebellis, aufugit in Tharſis. Sed quid? vix à littore ſoluta eſt navis, vix vela extenſa ventis, conturbatur aer: & ecce ſubitò fulgur è cælo terribile, tonitru horrendum, quid niſi formidandæ tempeſtatis certò ſecuturæ præambula? Cæli ſerena facies & ridens muratur, atris nubibus obducitur, conſpirant venti, & concitatis fluctibus iratum mare: Armantur omnia in fugitivum, in miſerum Jonam Mari ſic agitato ceu furiis, ventorum impetu vela confringuntur, quaſſatur navis, jamjam in profundum abyſſi projicienda. Nautæ deſperantes, abjectis animis plus mortui præ timore quàm vivi, adhuc tamen vivi expectant ſingulis momentis ad ſepulchrum ſub undas præcipitari. Solus Jonas, orantibus, reliquis, & in cælum vociferantibus, *dormiebat ſopore gravi.* Quaſi periculi foret expers, & de ſalute ſecurus: & admoto ſtimulo opus ad excitandum, atque clamore valido. *Quid tu ſopore deprimeris?* Submerſionis periculum imminet omnibus, & tu, quaſi non in eâdem ſis nobiſcum perditione, placidè obdormis, nil curans? *Ion. 1.*

O quàm horrenda tempeſtas! quàm inſolita, quàm terribilis vertici noſtro procella ſuboritur hoc matutino tempore, cùm adhuc in naviculâ corporis, ſupra mare vitæ præſentis fluctuat ani-

ma noſtra ! Fremunt venti Divinæ iracundiæ, ſtrepunt undæ ſupremæ juſtitiæ, Sol obſcuratur ad terrorem peccatoris, Luna obtenebratur ad horrorem hominis perverſi, cadunt Stellæ de cælo, ut de cælo vultus veſtri, & de ſtellis oculorum veſtrorum defluant ſtillæ lachrymarum. *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de cælo.* Et tu ô N. Civitas perverſa, ſtertis adhuc immerſa ſæculi voluptatibus, quæ ſenſus illaqueant, & ad vitia pertrahunt ? *In ſomno quippe ſumus, dum in carnis voluptate torpemus* (verbis utor S. Calixti Papæ) *& in peccandi conſuetudine manemus, ſicut enim corpus per ſomnum aggravatur, ita per carnis voluptatem, & peccandi conſuetudinem animus deprimitur.* Expergiſcimini ſomnolentæ animæ, &, ut monet B. Archiepiſcopus Th. à Villâ novâ *excutite ſomnum, pellite ſoporem. Hæc auditis in Evangelio & dormitis ? Hora eſt corrigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia: ne nos incautos inveniat tantum malum.* Intereà vobis gravem vitiorum lethargum excutientibus, hoc diſcurſu ob oculos ponam judicii magni diem, quem tremendum & horribilem reddent hæc tria. 1. Strictiſſimum examen à peccatoribus ſuſtinendum, quando *videbunt Filium hominis venientem in nube.* 2. Conſcientiæ remorſus intolerabilis, *Areſcentibus hominibus præ timore & expectatione.* 3. Sententia damnationis æternæ à Chriſto Salvatore pronuntiata : *Erit enim preſſura magna, & ira populo huic* (id eſt vindicta Divina) *in ore gladii*, inquit Cajetanus. Argumentum profectò, non ad mulcendum aures, ſed ad pungendum corda. Et cùm de judicio ſit ſermo, judicium hîc veſtrum applicate, & in ſilentio attendite.

Matth. 24

S. Calixtus Papa II. ſer. 1. de S. Jacobo.

B. Thom. à Villâ novâ conc. 1. de judicio.

Luc. 21.

Cajet. in c. 21. Luc.

PARS PRIMA.

Fient ſigna in Sole, Luna & Stellis. Hæreo ſtupens, quando miſeri, & infelicis peccatoris indignas actiones conſidero, & ſic anxiâ mente diſcurro : hoccinè poſſibile eſt, & fieri credam, quòd inſtar equi indomiti curiat præceps per vias aſperas, quæ tandem ad interitum ducunt, & perditionem ? Itanè ſuæ ſalutis incurius, in mundi vanitatibus dies conſumit, & inſtar beſtiæ abominabilis continuò jacet in ſordibus carnis, animam fœtidâ ſcelerum colluvie deformando ? Unde accidit, quòd cœleſtibus beneficiis abutendo, cæco rapitur impetu, per fas & nefas diſcurrit, ſenſualitatibus ſuis vivit, Deum offendendo : nec videtur pro libitu umquam ſatis aggravare miſeram poſſe animam duriſſimâ peccatorum ſarcinâ ? O Deus ! utinam aliquando recogitet corde ! *Quantus tremor eſt futurus, quando Judex eſt venturus, cuncta ſtrictè diſcuſſurus.* Ad cujus citabitur Tribunal, redditurus rationem, non de gravibus ſolùm delictis, ſed & de leviſſimis defectibus ; quandoquidem *capillus de capite veſtro non peribit.* Aliter, non dubito, cogitaret, aliter faceret. Audite S. Oreſium, *Oportet nos ſtare ante Tribunal Chriſti, & de ſingulis, non ſolùm operibus, ſed & cogitationibus judicari.* Sitd quotidie, ô Chriſtiane, perpenderes, crediderim, vitam ſeriò emendares, peccata deſieres, & ita animam ab æterna damnatione præſervares. Crede, non mihi, ſed B. Archiepiſcopo Thomæ de Villa nova ; O ! *ſi hanc rationem ſapiùs tecum faceres, & teipſum tibi ſæpè præſentares, & hiſtoriam vitæ tuæ plenè recenſeres ; quot fructus in hac conſideratione eliceres ? utique humiliares te, tuos defectus agnoſceres, deplorares, corrigeres, vulnera animæ tuæ ſanares, damnationem evaderes : ſed tu velut beſtia, degis vitam ſine conſideratione.*

Luc. 21.

S. Oreſius Inſt. monach. in Biblioth. vet. PP. Tom. 4.

B. Thom. à Villa N. in Concion Dom. 3. Adv.

Regem fuiſſe, refert Ambroſius Coriolanus, qui adeò melancholicus, & ſemper triſtis, ut in ſolemnitate etiam regali, quando per totum Regnum feſtiva diffundebãtur gaudia, & aula tota in recreationem erat effuſa, ſolus ipſe mente abſtractus aſſiduò gemeret, alta emittens cordis ſuſpiria, & oris lamenta. Nihil, quod ad exhilarationem vultus ejus ſufficeret, aut ad provocandum vel ſemel riſum. Occaſione hinc habitâ, frater exſciſcitatur, quænam eſſet tantæ cauſa triſtitiæ. Reſpondit Rex : Hæc eſt, & unica, mi frater, quod in mentem incidat, ſemper adſtare me in præſentia ſeveri Judicis, ut peccatorum meorum, & cogitationum omnium illi exponam rationem. Et hæc ſola cogitatio ita cor meum lancinat, ut anxius ſemper hæream & deſolatus. *Quid miraris, ſi mœſtus, & triſtis coram Deo cæli, coram tanta celſitudine, coram omniũ rerum opifice, ſemper maneo, quem innumeris peccatis infinities offendi, cujus examen ſtrictiſſimum, cujus judicium infallibile, cujus tormenta æterna, cujus mors abſque morte, cujus affectu univerſa contremiſcunt poteſtates ?*

Ambroſ. Coriol. in Reg. S. P. Auguſtini Text. 36.

Pro certo crediderim, ô N. civitas, ſi hæ meæ voces, *Surgite mortui, venite ad judicium*, abditiſſima ſepulchra mortuorum, quorum ibi corpora in pulverem jam redacta, penetrare valeant, aut ad profundum abyſſi infernalis pertingere, ſpeluncæ illæ horridæ concuterentur, & quot-

quot

quot inibi, aut quæcumque latentis animæ, terrerentur, ac timore colliderentur, quemadmodum Scriptura sacra manifestè testatur. Vitam trahebat Saul à desperatis, ob mortem consiliarii sui Samuelis, cui omnem regni statum crediderat. Bellum Philistæis indixerat, magnoque tenebatur desiderio, ut sciret exitum felicem sibi? an infelicem. Tristis itaque in aulâ obambulans, altum sæpè suspirabat, in has voces erumpens: O Propheta millies à me desiderate! quàm etiam securus, tuis me confidens consiliis, atque iis quoties è labyrintho hujusmodi dubiorum eductus! Tu solus mihi adjutor in gravissimis regni mei negotiis, teque dirigente difficultates omnes victor semper evasi. Quando morti occubuisti, fatebor verè, regno meo occidisse solem illum, qui radiis Prophetiæ suæ solitus dissipare tenebras mentis meæ. Quærere quidem, ac verò alterum Samuelem repeeire similem, numquam dabitur. Aulicorum aliqui suggesserunt de Pythonissâ, quæ arte magicâ ad motum virgæ, Samuelem reducem sisteret; Propositum non displicuit, subitò illam accessit incognitus, & desiderata exposuit: at illa proniſſima in omnibus obsequi, ait: *Quem suscitabo tibi?* Cui respondit ille: *Suscita mihi Samuelem.* Et plenâ jam nocte, cùm in quiete essent omnia, recessit illa in locum obscurum valdè & secretum, ibique se magico operi dedit infernalis illa Proserpina. Hic dissolvere comas corvo nigriores, humeros atro cooperire velo, sinistrum pedem nudare, & brachium dextrum, tunc virgam magicam extendere, modò mille gressus, mille facere circulos, & horrisonis incantationibus ministros tartareos advocare. Ecce tandem illâ horrendum in modum clamante, *Samuel, Samuel.* Tremebant vicina omnia: & ibi ex improviso comparuerunt (non vi incantationum, sed operante & volente sic Deo, ad confusionem Regis) duo venerandi senes; tantaque illiâ inerat majestas, ut numina cœlestia viderentur: unde mulier illa dixit: *Deos video ascendentes de terrâ.* At verò, si solùm Samuelem vocarit, quomodò cum eo suscitatus est comes, adeò ut meritò dixerit illa, in plurali *Deos*, & non *Deum* in singulari? Et quis ille alius, qui comparuit? Fert multorum Rabinorum opinio, vocem illam Pythonissæ ad limbum usque pertigisse; adeoque sanctum Prophetam credidisse, quòd judicii universalis dies jam advenisset, & eâ voce citaretur ipse, deberetque comparere primus ante Dei Tribunal, ut de omnibus gestis in vitâ, redderet rationem. Ideò tremebundus ille, & stupens, Moysem precatus est, ut comitaretur, & de eo testaretur, quàm exactè Dei legem à se promulgatam observasset. Itaque *Deos video ascendentes*, id est, *Samuelem & Moysen* Loci hujus confirmationem habemus ex Adriano Fin. his verbis: *Samuel non surrexit solus, sed Moyses cum eo: dicunt enim Hebræi Interpretes, quod Samuel surrexit tunc, non virtute magica, sed Divina: nam Samuel timuit, ne ad divinum judicium vocaretur, ex quo Moysen vocavit, ut secum veniret.* Quasi dixisset: Timeo & contremisco, (ô Moyses!) præ metu; & pudore morior? adesdum, precor & comitare: *Ut si in ipso sibi oponeretur, quod legem Dei non servasset, Moyses eam ipsum servasse testaretur.* Neque est equidem aliquis vestrûm, qui nesciat, quàm fuerit Samuel vir sanctus, & Deo familiaris amicus. Quid ergò erit de nobis, qui in multis offendimus, & omninò perversi sumus.

Adrian. Fin. in Flag. Iudæ lib. 3. c. 3.

Item Horat. Petrob. in spec. verit. tract. 1. c. 4

1 Reg. 28.

Argumentum fortius erit, cùm id probavero ab Apostolis Christi, qui Samuele Sanctiores erant, & sine comparatione: quales erant Petrus, Jacobus & Joannes, cum in monte Thabor gaudentes illi gloria perfruerentur, ex inexpectato conterriti sunt, & consternati, *timuerunt valde, & ceciderunt in faciem suam.* Terror erat adeò vehemens, ut in terram corruentes, nisi Christus succurrisset, dicendo, *Surgite & nolite timere*, præ timore expirassent. Sed in splendoribus cælicis constituti, quid metuebant? Quid tam amarum & violentum, quod tantam eorum turbaret dulcedinem? An fortassis viderunt spectrum insolitum, aut mortem approximantem, an Infernum patentem? Unde ergo ad gaudia & gloriam accessit pavor & tremor? Respondet S. Basilius Seleuc. secutus D. Hieron. Ideò timuerunt, quia apparuit illis nubes, de qua locutus est S. Evangelista Matthæus citato capite: *Ecce nubes lucida obumbravit eos*: Et illam ipsam existimabant apparere, non ad alium finem, quàm ut modò thronus fieret Christi, vivorum & mortuorum Judicis, ut ipsemet alibi in Evangelio testatur: *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Et jam reddendam esse rationem de gestis in vitâ, certo certius apprehendebant. Atque hinc tantus timor, ut propè mortui & exanimes in terram corruerint. *Iudicem futurum Orbis se tunc repræsentabat*, scribit Basilius. Nec aliter S. Hieronymus: *Qualis futurus est tempore judicii, talis apparuit.*

Matth. 17.

S. Basil. Seleuc. D. Hieron. in Cat. D. Thom & in 3. Sent. q. 45. a. 2.

D. Hieron. supra.

Postquam Salvator nostet mulierem illam, quæ in adulterio comprehensa & accusata ab Hebræis, clementer absolvit; in pace dimisit, sed
Ioan. 8. seriò monitam his verbis: *Vade, & jam noli amplius peccare.* Divus Fulgentius salutare hoc monitum ponderat, & Christum inducit, quasi sic loquentem: O mulier! quid feci sti? Peccasti? Fragilitati tuæ compatior, utpotè humanæ: nihil est quod formides in mea præsentia: Judex quidem ego fui, sed pius semper & misericors, non severus, non rigidus. Officio functus sum Advocati, te absolvendo: non Judicis, condemnando. Hoc tamen imposterum altâ semper mente retine: id moneo tu cave. *Noli amplius peccare.* Cùm enim Judicii magni dies advenerit, & ante Tribunal meum compellêris, ut exactissimam vitæ tuæ reddas rationem; quantùm à luce differunt tenebræ, tantùm ego tunc mutatus ab illo, quem modo experta es: si in culpam reincidas, strictissimam exigam de omnibus & singulis præteritis rationem; & pœna illa, quam tibi misericorditer nunc remitto, duplo severiùs à me sine misericordia extorquebitur. *Fugerunt à*
S. Fulg. serm. 9. de muliere adult. *te calumniatores,* (verba sunt D. Fulgentii) *fugiat & peccatum. Fugisti Iudæos accusantes, time Angelos ad meum judicium te trahentes. Mulier non sic sedebo in judicii Throno, quomodo nunc inclinatus ad terram sedeo. Alius ille terror erit: non erunt accusatores Iudæi; ipsi se accusant, qui sic ad judicium veniunt, ubi ignis non extinguetur, & vermis non morietur.*

Et verè (Auditores) nihil fuerit in mundo terribilius unquam, nil tremendum magis. Quòd si ulteriori informatione est opus, bonus Latro dabit, & sub finem vitæ in se expertus, testabitur. Pendebat in cruce languens ille & moriens; jam frigus mortis occupârat artus, vultum & labia pallor, lingua deficiebat, undique ex facie & reliquo corporis erumpebat (ut in moribundis solet) ultimus sudor. Quid facit agonizans latro? Quid petit, antequam exhalet animam? An à Filio Dei auxilium, aut in tormentis solatium? Nihil horum: nec enim postulat ab angustiis eripi, aut à morte liberari, sed hoc unicum anxiè cupit, neque minùs reverenter, quàm solicitè supplicat:
Luc. 23. *Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Quid sibi vult hæc supplicatio? Quam petit gratiam? Paradisum non postulat: temerè enim pro demeritis præmium prætenderet.

Advertite hîc mecum, pro faciliori intelligentia, Regnum cæli esse Regnum Patris æterni; adeoque dixit Salvator: *Non bibam amodò de*
Matth. 26. *hoc genimine vitis, usq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Deinde si de Paradiso loqui intendisset bonus Latro, potiùs dixisset: *Dum ascenderis,* aut, *dum perveneris.* Sed dicendo, *Cum veneris in Regnum tuum,* inferre quasi sic voluit: Domine, cùm de cælo ad Regnum tuum, quod in terra est, veneris, ut in Tribunali tuo sedeas in die judicii; *memento mei,* dum coram te adstabo tremens, judicandus de actionibus. Non mihi tam gravis hæc crux est, quàm judicii illius recordatio. Magis me examinis istius memoria cruciat, quam horum tormentorum acerbitas: malimque mori millies, quàm vel semel comparere ante tuum Tribunal, ut pro gravitate delictorum meorum, judicium sustineam. *Non timuit de præsenti supplicio* S. Aug. serm. 119. de temp. Euseb. Gallic. hom. de Laurent. (inquit S. Augustinus) *sed de futuro judicio* Intentum hoc confirmat Eusebius Gallican. *Non dixit; Si Deus es, de præsenti supplicio eripe me; sed magis. Quia Deus es, de futuro judicio eripe me, quàm citò eum replevit Spiritûs sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, intolerabile probat esse, quod metuit, prædicat sæculis judicem, Regemque sæculorum.*

S. Paulinus loquens de peccatoribus ait, quòd in medio flammarum infernalium habebunt gloriam. *Aut impietate duri, aut lasciviâ molles, quorum divitiæ peccatum, itinera lubricum, finis interitus gloria in inferno.* Sed quomodo? Damnati habebunt gloriam in Inferno? an non iste est atrocissimorum tormentorum locus? cessabit ergo tortura Dæmonum? aut ignis in æternum non ardebit? Ambigere hîc nefas, quia in damnatorum abyssо æterna confusio, æterna tormenta, æterni ardores: procul inde omnis gloria, procul omne solatium. Quomodo ergo dictum. *Quorum gloria in inferno?* Intelligendum hoc est *comparativè non absolutè.* Voluit ergo dicere S. Paulinus, quòd Inferni pœnæ, tametsi *secundùm se* sint acerbissimæ; *comparativè* tamen, & respectu horroris, & confusionis ante Dei Tribunal, ceu flores erunt, voluptas & gloria. *Reprobi*
Celada in Iudith c. 16. §. 19. *tantâ suffundentur ignominiâ in judicii loco, tam acerbis tormentis à Iudicis vultu, ut ipsi ultrò eant ad Inferni supplicium æternum, ipsum Infernum quasi gloriam reputantes, ut acerbitatem divini vultûs declinent.*

Observatu dignum est, quod de separatione reproborum notat Evangelista. *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Ibunt: sponte igitur ibunt? Crediderat ego, illos in Infernum à Deo cogendos, à dæmonibus pellendos ad æterna supplicia.
Matt. 25.

plicæ. Quis mortis sententiâ damnatus ultrò & lubens eat ad locum supplicii? ad consolationem sponte currimus; ad vincula, ad pœnas trahendi. Quomodo ergò dicitur, quòd *ibunt in supplicium æternum?* Mirum sanè non est; quia tantus erit pavor & terror à facie Divini Judicis, ut minùs existiment tormentum, & eligant potiùs sponte ire in Infernum, quàm irati Judicis diutius sustinere præsentiam. *Ibunt,* (prosequitur idem Celada loco citato suprà) *non rapientur, non vi trahentur; sed quasi sponte ibunt pedibus suis. Quis reus ultrò it ad supplicium, & non violenter raptatur? Voluntas trahit ad delicias, imus sponte ad consolationes: supplicia homines abigunt, & terrent, & ad fugam compellunt.* Et respondet: *Puto minacem judicis vultum, minitantem iras, fulgurantem ignes, fulminantem incendia, ipsis feralibus flammis acriora.*

Scribit Aurelius Victor, quòd Cæsar Augustus oculis seu fulgure terreret intuentes. Undè quidam alloquens, ac toto corpore tremens, oculos in terram demisit, & Imperatori minanti, ac rationem quærenti, respondit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* Si terret ita visus hominis clementis; quid faciet vultus Dei irascentis, & Judicis non miserentis?

Aurel. Victor lib. de vita & morte Imper.

Exibat à cœna Judas, initium daturus perfidiæ ac Dominum suum traditurus. Pergebat itaque versus Synagogam Hebræorum. & inter eundũ credo, spiritus omnes recolligebat, cogitationesq; singulas ad internecionem Salvatoris excitabat. Et cùm ad Hebræos jam perveniisset, cordis secreta pessima pandit, paratum scillis exhibens, ad tradendum illorum manibus magistrum suum Christum. Conventione factâ, & acceptis denariis abiit ad hortum Gethsemani, iniquissimum intentum executurus, comparet eum turba militum, & illis obviam Christus perens: *Quem quæritis?* responderunt. *IESVM Nazarenum.* Mirum est NN. vix hoc locutus, *Ego sum*: ecce consternati subitò *ceciderunt retrorsum*: Verba Dei non erant fulmina, nec millies levissima arborum folia. Quis audivit unquam, quòd agnus simplici balatu lupum voracem terreat, aut ferocissimum leonem? A simplice columba nunquam visus fugere accipiter. Dicit hîc Dionysius Carthus. Christum eis illic repræsentatum ut Judicem, sicut in extremo erit judicio: *Christus vultum suum ostendit Iudæis in terrore, & majestate, egredientibus ex oculis ejus igneis radiis, atque Divino quodam fulgore in eis mirabiliter irradiante, & apparatu sui vultus exterruit & prostravit.*

Ioan. 18.

Dionys. Carthus. Tract. 48. in Lucam.

Mea est hæc imaginatio (ô N. civitas!) quòd ubi Christus hæc protulit verba, *Ego sum*, formatus sit, & insonuerit in auribus militum, & in cordibus hic sensus: *Iudicaturus vivos & mortuos.* Quid mirum ergò, si *ceciderunt retrorsum*? Adstabant improvisò in præsentia Judicis, cui de facto sacrilego, quod patrabant, cogerentur aliquando strictissimam ponere rationem. Unde S. Augustinus ait: *Vbi cohors armata, ubi Sacerdotes & ministri? Namque una vox dicentis, Ego sum, sine ullo telo, tantam turbam percussit, repulit, stravit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus potuit, qui moriturus hoc potuit?* Quàm piè ad rem nostram disserit B. Thomas à Villa nova. *Tantæ enim majestatis Tribunali assistere quis auderet? Apparere coram eo quis sustineret? Columnæ cœli contremiscunt ad nutum ejus: respicit terram, & facit eam tremere; montes & rupes, sicut cera liquescunt à facie ejus; & poterit stare coram eo, debilis & putrida caro.*

S. Aug. in c. 1. S. Ioan.

B. Thom. à Villa Nova con. 1.

Mirum hoc habetur in libro Judicum, quòd transeunte Domino per terram Seir, & per regiogionem Edom, tremuerit terra, & sudarint cœli. Rationem apponit Rupertus Abbas: *Cœli ac nubes distillaverunt aquis ad præsentiam Domini. Cœli quodam pavore sudorem emittentes, aquis distillasse dicuntur. Terra mota est, cœli ac nubes distillaverunt aquis.* Verba sunt Spiritus sancti, falsum subesse non potest.

Iudic. 8. Rupert. Abbas.

Quid, si saxa durissima concuti dixero, tametsi insensibilia sint, neq; Divino subjecta judicio, aut æternis pœnis? Attestatur Ludolphus Carthusian. cùm ait. *Petræ adinvicem collidentur*: Et erunt corda vestra duriora petris adamantinis? *O cor nequam! si ad hæc audita non expaveſcis, nec ad pœnitentiam provocaris, durius es lapide, durius adamante.*

Ludolph. Carthus. part. 2. c. 42.

Cùm attentè meditor, quod de S. Hilarione refertur in vita, attonitus hæreo, & toto corpore contremisco. Audite vos & confundimini; formidate miseri, & infelices peccatores. Erat jam fidelis Dei servus senio gravis, cùm obtutus, nescio an ab ætate deficiente, an à febri lethifera, sensit deliquium animi & virium. Heu mihi! (suspirans ajebat) de vita mea actum est modò, mors invadit, exhaustus & victus occumbo. De corporis hujus ergastulo languens eripietur anima; ad te Creatorem meum reversura se præparat. Agedum anima, saccum hunc vermium desere: nec ita statim mors ex obscuro hoc te carcere eduxerit, quin Dominus cœli portam aperiet, ut te extollat de dolore ad gaudium, de labore ad requi-

em, de bello ad triumphum, de certamine ad coronam, de servitute mundi hujus ad paradisi dominium, & de morte hac brevi ad vitam immortalem? Proh dolor! Quid? Timor aliquis retinet, aut terror te retardat? Quid trepidas? Quid trepidas? De cœlo secura es; de præmio æternæ gloriæ obtinendo non est quod reformides. Pro vestitu elegisti cilicium, pro cibo jejunium, pro potu lachrymas, pro obsonio abstinentiam, pro requie vigilias, pro restauratione virium disciplinam: Servisti Domino septuaginta annis continuis, & mortem times? Et mori perhorrescis? *Egredere anima mea quid times? Egredere: quid dubitas? Septuginta propè annis servisti Christo, & mortem times?* Hæc & alia dicens, ac si terrenis omnibus, & corpori isti ultimùm valedicens, expiravit. & quasi placidè obdormivit. *In vita.*

Dic, ô benedicta Anima, unde tanta erat separationis à corpore difficultas? Forsitan, quia de salute premebat solicitudo? sed quomodo? An non fideliter Deo obsequendo, hoc tibi præmium meruisti? Causam percipite, ô peccatores, & si non vos tangat, aut moveat, certè vel cor non habetis, vel illud adamante durius à separatione, comparendum ei erat ante Dei Tribunal, ad reddendam se singulis operibus rationem, & inde omnis anxietas & trepidatio? Quid igitur fiet de vobis, ô peccatores obstinati & perversi, qui vitam vestram Dœmoni, mundo, & carni semper indulsistis?

Si Sanctus ille, abstinentiâ omninò extenuatus, in solitudine inveteratus formidavit, quomodo non timebitis vos in peccatis inveterati, qui vitam diabolicam transegistis, qui de emendatiori vitâ instituendâ non cogitastis, adeò in malo fuistis obdurati & excæcati, ut videri possit character Christiani hominis in vobis extinctus, qui totam vitam servituti diaboli impendistis?

Quam poteritis dare excusationem de mala vestra vita & operibus pessimis, ne vos eò momento redarguat iniquitas vestra, confundat pudor, & convincat remordens conscientia? Intellexistis aliquando de eo, qui *obmutuit*, cùm nescitet id excusare, quomodo ingressus esset ad nuptias sine ornatu vestis nuptialis? *Propter timorem accu ationis,* (ait Ludolphus Carthus.) *preter erubescentiam iniquitatis, propter ignor.ntiam excusationis, pra confusione non habens quid responderet; sed propriâ arguente conscientiâ convincitur, & mutus efficitur. Per hoc quòd ille obmutuit, monstratur, quòd in ultimo illo examine, omne genus excusationis cessabit. Obmutuit.* Audite quid in hunc locum S. Evangelistæ dicat Paulus de Palatio. *Verùm si ad tempus judicii extremi, & mortuis cujusque verba hac referantur, jam tempus non est pœnitendi, sed obmutescendi: quid enim dicet, cui tot monstrantur Dei beneficia, tot ab eo impensa auxilia, tot instituta remedia, toties Deus contemptus, toties violata Sacramenta?* *Matt. 22.* *Ludolph. Carthus. p. 2. c. 43.* *Paul de Pal. in Matt 22.*

Sperat forsan peccator Deum movere planctu ad misericordiam? Frustra Non proderunt ibi lachrymæ, nisi ad augendum dolorem. Non dabitur precibus locus, ut in integro restet Dei Justitia. Magna erit illic indignatio, quia non poterit respondere pro delictis Ah! quàm in vanum miscebit consilia impius, aut volet contra Dominum protestari; Armabitur adversus peccatorem omnis creatura. Verbis loquor Ludolphi Carthusiani. *Iudicio imminente, cœlum tonitruis & fulguribus repellet impium, aer depellet per turbinem: mare per tempestatem, terra eum excutiet per communionem, & in toto mundo locum non inveniens sepelietur in flamma ignis in Inferno.* Ego hic confundor & stupens hæreo; neque pro primo hoc puncto aliud addo, quàm hoc tibi, Peccator, minatorium. Væ tibi! væ, si non mihi credis modò, hoc retine à me dictũ, tunc experieris (sed serò nimis) quando *videbitis filiũ hominis venientẽ in nube, cũ potestate magna & majestate.* *Ludolph. Carthus. p 2. c. 42.* *Luc. 21.*

Primo terrori alter superveniet, scil. remorsus conscientiæ, eritque maximum inde peccatori tormentum. Ab hac seu ignitâ sagittâ transfodietur continuis plagis, non erit curationis, aut mitigationis remedium.

Seneca, tametsi fidei lumine destitutus, conscientiæ tamen flagellum agnovit. *Facinorum mala flagellantur à conscientia, cui plurimùm tormentorum est* *Seneca.*

Non poterant Poëtæ majus excogitare tormentum, quàm quod à conscientia. Unde habet Juvenalis:

Pœna autem vehemens, & multò savior illis
Quas & Cæditi gravis invenit, & Rhadamãtus,
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.
Occultum quatiente animo tortore flagellum. *Iuvenal. Satyr. 13.*

Sed à profanis ista sunt; à sactis Scriptoribus audiamus. *Nulla pœna major est malâ conscientiâ: ipsa est testis, ipsa judex ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa condemnat.* D. Bernardo consentit & D. Anselmus. ubi sic ait: *Conscientia impiorum magna pœna est.* Ita S. Isidorus: *Nulla pœna gravior pœnâ conscientia.* Accedit S. Petrus Chrysologus, *Confusionem futuri judicii pertimescit;* *D. Bern. lib. de conscient.* *D. Ansel. lib. 3. de summo bono.*

S. Isidor. Chrysol. serm. 135. de villico iniq. D. Ambr. in sentt. 191.

eit; in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum: & ibi reus plus de conscientia quàm de gehenna pertimescit incendio, Confirmat S. Augustinus. *Nulla pœna graviores sunt, quàm mala conscientia, in qua, cùm non habetur Deus, consolatio non invenitur.*

Dion. in Neron.

Fateatur crudelissimus Nero, quodnam, post occisam à se matrem Agrippinam, gravissimum expertus sit tormentum. Sic de eo testantur Annales: *Occisâ matre Agrippinâ, sceleris conscientiam aut statim, aut nunquam posteà ferre potuit, sæpè confessus, agitari se maternâ specie, verberibus furiarum, ac telis ardentibus.*

Ab Imperio Neronis transeamus ad Regnum Balthasaris. Rex iste, majestatis erat adeò tremendæ, ut in exercitu præsens ad fugam impelleret, & pacis etiam tempore toti Regno esset formidabilis. Aspectu solo timorem incutiebat & tremorem; ex facili tamen fuit convictus, manus unica, in aere sola apparens, conturbavit & consternavit. Quomodo? Manum jam timet, qui statim antè, solo visu integrum exercitum terrebat intrepidus? Cùm nondum intelligeret portẽtum; nec erat quod inde statim ruinam vereretur. Crederim ego, sic eum turbari & terreri à remordente conscientia: perpendebat enormitateẽ suorum scelerũ ideoque, *facies Regis commutata est, & cogitationes conturbabant eum* Daniel. c. 5. Jacobus Veldius Burgens. hunc locum exponit, additq; rationem. *Nec mirum profectò, quòd hic blasphemicus tantoperè concutiatur Scriptura Divina aspectu, quam, ex proprio cõscientiæ testimonio, conjiciebat, comminationem aliquam Divinam in se continere: nam omnia timet, etiam tutissima, mens sibi conscia.* Manum itaq; pectori apponebat, & subitò conscientiæ sentiebat remorsum.

Dan. 5. Jac. Veldius.

Quid Judam eò miseriarum adegit, ut in semetipsum sæviret, tam crudeliter vitam sibi adimendo? Ne quis putet, fuisse gravitatem delicti, major enim erat Dei gratia, & prona misericordia. Agitabatur ergò stimulis remordentis conscientiæ: & quia hos diutiùs tolerare non poterat, eum vita finire credebat, per mortem tam violentam. Sic quasi in se cogitabat: Alterutram, ex duabus his pœnis vitare non potero: ad hæc extrema compellor, aut inquietè semper vivere, & gehennam intùs conferre, aut laqueo vitam perdere. *Ex duobus malis eligendum est minùs.* Si manfero in vita, millies morte transfigar momentis singulis: si moriar, tantis malis mors me eripiet. Quid nî ergò potiùs moriar? *Suspensus crepuit medius & diffusa sunt omnia viscera ejus*

L. Quoties, cum ibi alleg. ff. de reg. jur. Act. 5.

Subsistit hîc attonitus D. Ambrosius, & triste hoc spectaculum intuitus, tandem ita de Juda concludit: *Non poterat ferre conscientia dolorem, ideò, adoptato sibi laqueo, vitam finivit.* S. Ambrosius.

Conscientiæ Symbolum est gallus, qui Petro Christum negante cantavit. *Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem. Et continuò gallus cantavit.* Hinc innuit Spiritus sanctus, quòd, vixdum commissum est peccatum, & conscientia incipit mordere & redarguere. *Vix cœpit Petrus blasphemare, quin statim gallus cantavit; Petrus verò ubi gallum audivit, lachrymari, gemere & suspirare cœpit. Quid designas nobis galle? Forsitan conscientiam, quæ semper, post admissum facinus, occinit, inclamat, excitat quãmodo dormientes, & intùs instar vermis corrodit.* Hæc Besseus. Matt. 26. Besseus.

Et verè: *Post admissum facinus conscientia occinit, inclamat, excitat* homo, patre à se occiso, cùm adsedisset in convivio, hirundines aliquot è nido fenestræ adhærente cantitare cœperunt: indignatus ille, & ab audito cantu factus impatiens, in rabiem verti, de mensa surgere, hirundines abigere, & nido exturbatas, pede conculcare & occidere. Causam rogatus, ad convivas dixit: *Nonne jam diu, falsum adversum me ferunt testimonium, clamantq;, proprium me occidisse patrem?* Hoc dicto captus est, & morti adjudicatus, paricidii pœnas luit. Petr. Herod. lib. 4. Plutarchus.

Christum misit Pilatus ad Herodem, qui eum videns, dixit: *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eò* Appositè hîc Herodes non loquitur, *Stulta prorsus cogitatio hæc Herodis fuit; quia nec faciem, nec habitum, nec vivendi modum Ioannis referebat Christus, imò nec miracula ipsa, quo ad verba hæc proferenda, provocabant Herodem, id probabant: nam Ioannes signum nullum fecit. Unde igitur deduxit Herodes, patratorem illorum miraculorum esse Ioannem?* Rex Theodoricus, capitis injustè damnârat Symmachum, & jusserat decollari. *Paucis post diebus cœnanti sibi, cùm mira magnitudinis piscis decoctum caput appositum vidisset,* illicò expavescere, oculos extorquere & avertere Theodoricus, extensâq; manu famulis mandare: Auferte (inquit) caput hoc Symmachi: tollite, inquam, ne diutius videam. Audistis? Tollite citò; crux mihi est & horror, videre. *Symmachi nuper occisi caput illi est visum,* ait Procop. At verò si caput erat piscis, quomodo illi visum est caput Symmachi? Fatebatur David: *Peccatum meum contra me est semper.* Genebrardus hîc: *Peccatum meum assiduè video, mihi semper obversatur ob o-* Matt. 14. Labata tom. 3. verb. peccatum prop. 16. Procop. lib. 1. belli Goth. Procop. Psal. 50. Genebr.

ob oculos. Aperire oculos nequeo, quin illud mihi se objiciat, illud perpetuò fero in mea conscientia. Theodoricum lancinat conscientia, & quò torqueat magis, in abscisso piscis capite, Symmachi innocentis caput detruncatum repræsentat. Sed ad Herodem redeamus. Videns itaque ille vultum Christi, Joannem cogitavit, suggerente cõscientiâ & terrente. Visa illi est effigies Joannis, quem morte iniquissimâ trucidârat, ut recordaretur sceleris perpetrati, dum conscientiæ assiduò sentiret remorsum, semperq; sibi repræsentaret Joannem iteratò monentem. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Hæc tibi ego dicebam; tu verò me propterea occidisti: lues meritas pœnas ô sceleste, neque cessabit urgere conscientia. Timebat Herodes & trepidabat, Joannes recogitans. *Quia usq; adeò vigentem in se metum, & perpetuam trepidationem habebat* (ait Chrysostomus) *nec quisquam erat, qui conscientiæ terrorem ab eo eximere posset. Verùm incorruptus ille conscientiæ judex continuò eum præfocabat, singulisq; diebus, perpetratæ cædis pœnas ab eo repetebat.*

Chrysost. hom 28. in 2. ad Corinth.

Deliberabat Susanna, utrum è duobus his malis foret gravius, aut senibus illis negare consensum, sicq; honorem prodigere & vitam; aut verò, eorum pravis desideriis consentiendo, assiduum conscientiæ sustinere remorsum. Ingemuit ergò, & ait: Si carnali illorum concupiscentiæ non assentiar, honorem perdidero & vitam; si autem non assentiar, tot mortibus me exposuero, quot cordis stimulis & conscientiæ aculeis. Agedùm, hoc mihi deliberatum & firmatum manet; mori malim, lapidibus obrui, & ex impositione falsa, honoris mei jacturam facere, quàm intus in anima tolerare conscientiæ vermem rodentem. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Ubi D. Ambrosius: *Non timore mortis perculsa fuit, sed arguentis censuræ potestate perculsa.* Dolor ille, & conscientiæ remorsus quasvis pœnas illi faciebat leves; ut sententia fert Hippocratis. *Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.*

Dan. 13.

D. Amb. lib. de fuga sæculi cap. 9.

Hippocr. lib. 2. Aphoris. aphor 46.

Notatu digna sunt verba, quæ locutus est Cain *Omnis qui inveniet me, occidet me.* Sed quis occidisset? Non Adam, non Eva: erant enim parentes, tantamque in prolem crudelitatem impedivisset tam arctus amor. Dilucidat hunc locum Cajetanus & Abulensis, legendo sic: *Omnis qui inveniet me, occidet me,* deprecando scilicet & optando, locutum fuisse Cain existimant, Deumq; rogasse, ut acceleratâ morte desineret conscientiæ remorsus ex commisso fratricidio. Sed noluit Rex cœlestis hanc gratiam concedere. *Qui occiderit Cain, punietur septuplũ.* Non volo ut moriatur, sed in vivis maneat: foret enim mori leve nimis, pro culpa tam gravi, supplicium. Vivat ergò, & conscientiæ stimulis exerceatur ac torqueatur, eritq; pœna hæc crudelior morte, tametsi *Ultimum terribilium* dicatur à D. Eucherio. Audiamus sententiam S. Hieronymi. *Noluit Deus compendio mortis finire cruciatus; unde ait: Non sic, id est, non, ut existimas, morieris, & mortem pro remedio accipies, sed vivens usque ad septimam generationem conscientiæ tuæ igne torqueberis.* Ideò existimat B. Matialis, magnam fore justo, in die judicii, consolationem ab illæsa conscientia. *Beati autem eritis, Fratres mei, in illo die, si conscientiam vestram puram coram Deo exhibueritis.*

Cajetan. Abulens.

D. Eucherius Lugd. lib 1. in Gen. Biblioth. vet. PP. Tom. 5 S. Hieron. ad Damas. q 2 D. Martial. epist 1 ad Burdegal. c. 6.

Dixerit fortassis aliquis: Mi pater, conscientiam quidem habeo, sed tamen patrato delicto, non sentio remordentem. Scis quare? quia jam in te est ad malum habitus. Neque etiam Nili, fluctu rapidissimi, strepitus percipiunt accolæ, eò quòd assuefacti. Vel responsum, si mavis, à S. Patre Augustino audi. *Licèt peccator quandoque foris hilaris videatur, intus tamen sagittatur stimulo conscientiæ;* non secus ac ille, qui ut luctum dissimulet, risum provocat, sed dolore cordis intrinsecus premitur. Non modò sentis, quia, ut dicit Hippocrates. *Quicumque dolent in aliqua parte corporis, & dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.* Senties autem ad vivum in extremo illo die. Serpentem fortassis videris, hyemali tempore in specu, aut timâ parietis latitantem: sopitus tunc jacet, & quasi mortuum diceres: non enim horrorem incutit, aut terrorem pueris, etiam irritantibus non insultat, & vix eum à loco moveas, quantumcumq; percusseris. Sed æstatem exspecta & eundem apricantem revise; ad Solis radios vigorem colligit, & vitales spiritus, etumpit e latebris, repit, saleat, mille facit circulos, oculis & sibilo terret solùm videntem, quid si irritantem? Dirum in modum irrueret, virulentis ligaret complexibus, inficeret & necaret. In præsenti, quamdiu mundi hujus durat hyems, serpens conscientiæ sopitus videtur quasi sit absque viribus, nec percipitur: sed futurum exspecta, cùm in judicii magni die Sol justitiæ vibrabit radios furoris & vindictæ Divinæ: tunc serpens ille conscientiæ terribiliter sibilate, crudeliter animam invadere, rodere & vorare, eritque tormentum istud infernali cruciatu gravius. *Et ibi plus de conscientia, quàm de gehenna pertimescet incendio.*

S. Augustinus.

Hippocrates Aphoris.

S. Chry-

S. Chrysol. Accedit D. Alredus: *Et si modò exultent, cum male fecerint, & lætentur in rebus pessimis, imminente jam morte, sicut parturiens dolebunt. Ita profectò anima voluptatibus, vitiisque corrupta, cum ipsius corruptionis cœperit morienti apparere stipendium, tristitia, doloribusq; conteritur, & sera pœnitentia reversa in se, incipit sentire quod scriptum est: Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam succendistis.*

Chrysol. serm. 125. D. Alredus in l. sa. 13. in Bibl. vet. PP. To. 13.

Et meritò: quia pœnæ sunt peccatorum stipendia. Quisquis virtute pessumdatâ, ruptâque prudentiæ lineâ, in scelus it præceps, ad severæ vindictæ scopulos allidit. Qui se culparum inundationibus immerserit, absorbebitur in profundum. *relinquentur destituti spe venia, nullum invenientes auxilium misericordiæ* scribit Joann. Driedo.

Io. Driedo, de Reg & dogm. S. Scrip. lib. 3.

Prosequitur S. Fulgentius. *Iniqui nunquam carebunt supplicio, quorum voluntas in hac vita noluit carere peccato: tales enim magis delectantur peccare, quam vivere; nec ab hoc peccant, ut semper vivant; sed ideo hic semper vivere cupiunt, ut numquam desinant peccare, dum vivunt.*

D. Fulg. demiss pecc. lib. 2. c. 21.

Terribilia loquitur S. Asterius: *Non illic parata virga & flagra, non obscurum pistrinum, non compedes ferreæ, sed ignis inextinguibilis, tenebræ perpetuæ, sed stridor dentium, ipsius Evangelii testimonio designatus.* Si modò non credis, tunc verè experietis.

S. Asterius hom. de Oecon. iniquit.

Sed qui ad dexteram, erunt electi, qui verò ad sinistram statuentur, reprobi. Quare reprobi? Quid mali fecerunt? & isti, qui boni? Damnabuntur illi ad æternas flammas, qui eleëmosynas non dederunt: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi & non dedistis mihi bibere, &c.* At isti, cur beati? An quia Virgines, aut Religiosi fuerint, aut abstinentiæ & mortificationibus dediti? Non; sed quia opera fecerunt misericordiæ. *Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere, &c.* Signum æternæ prædestinationis hodie vultis in vobis? Eleemosynam facite. Ad dexteram erit, æternâ felicitate remunerandus, quisquis pauperi Christianæ charitatis opera exhibuerit, ut commendo & subsisto.

Matt. 25.

PARS SECUNDA.

GRavissimas peccatori deberi pœnas, non est qui neget, non qui dubitet. Videndum tamen, in quo consistat illa punitionis gravitas, & unde dolor reproborum acutissimus. Nil moror, imò ridendum potiùs, quod de Catonis filia, quæ, intellecto Pompejanorum excidio, id tantùm doluit, ut in se ipsam facta crudelis, cùm deesset gladius, quo se perimeret, ori patulo ardentes injecerit pruinas, sicque miserè suffocata. Homerus laqueo se interemit, quòd non posset ænigma solvere objectum à Piscatoribus. Terentius, ob deperditas 108. Comœdias, quas multo suo labore, & studio habuerat digestas, afflictione nimiâ superatus, in mare se demerserit. Saul ad montes Gelboe, cruentas sibi manus injecerit, quia profligatus erat ejus exercitus; quod audito nuncio de capta arca corruerit Heli *& fractis cervicibus mortuus.* Nil, inquam, ista miror; sed quòd Cæsar tam inhumaniter habitus à sanguine proximo, quòd propriis filii sui Bruti occisus sit manibus, hoc illi tormentum, quovis dolore, quovis vulnere gravius, hinc triste Patris lamentum, *Et tu quoq; Brute fili mi!* Suetonius de morte Cæsaris commemorat.

lib. 7. Martial. lib. 1. Epigr. Arcsius Ioan. Ravis, text. in Offic. c. 1.

1. Reg. 4.

Sueton. Tranq. de morte Cæsar. n. 82.

Permisit quidem Deus, ut fugerit impius Assyriorum Rex Sennacherib Angeli ultoris gladium, vitamque servarit, sed quod postmodùm fugiens in civitatem Niniven, interemptus sit à propriis filiis Adramelech & Sarasare, à quibus speraverat subsidium & defensionem, inde maximus illi cruciatus & dolor. *Hoc fuit, ad inferendum ei majorem pœnam,* (Abulensis ita testatur) eò quòd *occisus est à filiis suis, à quibus maxime diligi debuisset.* Quòd pientissimus Dei Filius, pastor ille optimus, qui, propter nimiam suam charitatem, venit in mundum, ut nos quærat, & oviculas errantes in paradisi pascua reducat; quòd ille, inquam, bonitatis infinitæ Servator perturbet nos, & ad infernalium luporum fauces detrudat, quantum hoc NN. putatis fore tormentum? Quod vox illa dulcis, quæ toties olim ad cœlum invitavit; illa, illa ipsa ad æternas flammas modò abigat? ô Deus! *Vbi videbunt homines unigenitum Dei, qui pro nobis indignis & ingratis tot pœnas & injurias passus est, tum amore, tum timore compungentur ad fletum, plangentes semetipsos super ingratitudine sua, eo quòd ausi fuerint aliquando resistere tantæ Majestati, & non cognoverint tempus visitationis suæ.*

Isa. 37.

Abulens.

Ioach. Abb. in 1. Apoc. tex. 10.

Quantum sit hoc tormentum expertus est Regis Davidis ingratus filius, cùm debellato exercitu, ad fugam coactus est, & extremas miserias. Mulo itaque insidens, calcar admovit, & cursu rapidissimo accelerans ad quercum impegit, ubi dissolutis crinibus, ramoque intricatis, adhæsit inter cælum & terram pensilis. Supervenit Joab, & tribus lanceæ ictibus cor Absalonis transfodit; & sic miserè periit. *Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu*

Iac. Philip. Bergens.

2. Reg. 18.

manu sua, & infixit eum in corde Absalon. An non poterat alius esse tantæ crudelitatis minister: Omninò: voluit tamen ita Deus, quò foret acerbior Absalonis punitio, ut qui toties pro eo patrem iratum placasset, ille ipse contra eum animaretur, & tam crudeliter trucidaret. Undè crediderim, majorem fuisse Absaloni cruciatum ab agente, quàm ab ipsamet actione pœnali. *Hoc est admirabilius* (inquit S. Chrysostomus) *Qui Patrem ei reconciliavit, is ipsum interfecit.*

D. Chrysost.

Mirò & insolito modo procedet Deus in ultione peccatorum. De eo loquitur Joo, cùm ait: *Vidi impios flante Deo periisse.* Erit fortassis flatus ille ut crocodyli vel basiliski, interficiens? Testatur S. Paulus ita interficiendum Antichristum. *Quem interficiet Dominus Iesus in spiritu oris sui.* Huc Sacri Interpretes, edicite; Quid efficit spiritus oris Dei? Effectus ejus est, dare vitam. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Sed & Spiritus est conservare vitam. *Nos conflamus aerem, dum ab extra intus trahimus, & ab intus extra reddimus.* Glos. Ordin. Voluit ergo Deus peccatorem interimere flatu illo, quo dat aliis vitam, ut sic mors sit acerbior. Perpendite igitur, quantus futurus sit dolor homini isti, quem sua iniquitas fecerit reum, dum æterni supplicii sententiam dicet ille, qui in mundum venit, ut æternâ pensaret gloriâ! dum infernalibus eum objiciet tenebris ille, à quo lucis æternæ sperabat gloriam!

Iob. 4.

2. Thess. 2.

Gen. 2.

Glossa Ord.

Non tam doluit Tobias excæcatum se esse, quàm quòd inflictum hoc malum ab hirundine, quæ solita succo chelidoniæ visum pullis dare, ex naturali instinctu *Quærit herbam chelidoniam, cujus succo illinit oculos filiorum, & sic visum recipiunt iterato.* Ah! quòd Christus ipse, qui crucifixus est, ut splendorem det gloriæ, ad perpetuas damnabit tenebras. Prô, quantus hic cruciatus! Quòd plagæ illæ sacratissimæ, per quas ad cœlum alioquin daretur accessus, ceu totidem ora tonabunt, *Ite maledicti in ignem æternum.* Quòd Sanguis ille benedictus, magnum redemptionis nostræ pretium, pro atramento erit, ad scribendam æternæ damnationis sententiam. Horreo ad solam hanc cogitationem, & in mentis excessu cum S. Leone exclamo: *Quis igitur istam sortem æternorum cruciatuum non paveseat? Quis mala, numquam finienda, non timeat?*

Petr. Berchor. lib. 1. reductor. moral. c. 41.

D. Leo serm. 4 decollat.

Exprobrabit tunc Judex iratus omnia beneficia nobis impensa, quibus abusi sumus: Audite quomodo loquentem inducit S. Chrysostomus: *Ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus & ligatus, casus & crucifixus; ubi est tantarum injuriarum mearum fructus? ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum vestrarum, ubi est servitus vestra, quam mihi pro pretio Sanguinis mei debetis? Omnem rem vilissimam terra amplius dilexistis, quam justam meam fidem.*

S. Chrysost.

Tunc objiciet Salvator (ait S. Ephrem Syrus) in hæc terrena se descendisse, ut paradisum aperiret, eoque perduceret; at nos, ex meta nostra malitia, infernum petisse; æternis cruciatibus addixisse, *Paradisum vobis aperui, regnum cœlorum vobis obtuli, Spiritum sanctum vobis misi, quid ultra debui facere, & non feci? Humilem voluntatem vestram solummodo quæsivi, non vos coegi. Dicite, mihi peccatores secundum carnem passibiles, ac mortales, quid passi estis, propter me Damnatorem vestrum, qui etiam impassibilis pro vobis passus sum?*

D. Ephr. Syrus.

Tunc improperabit redemptor (dicit S. Augustinus) quanta pro nobis passus: ibi vulnera ostendet, & dilaniata membra. *Dominus noster, in die judicii, vulnera demonstraturus est sua, ut, convincens peccatores dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis; videte vulnera, quæ inflixistis; agnoscite latus, quod pupugistis; per vos apertum est, & propter vos, & tamen intrare noluistis.* Salutifera hæc vulnera contra nos.

D. Aug. c. 20. in Ioan. & in catena D. Tho. ibid.

Dixerit hîc fortassis Legis peritus: *Illud quod favore aliquorum introductum est, non debet ad eorum lasionem retorqueri.* Sed quis nescit, quòd Lex Divina supra omnem legem humanam sit, semper erit?

L. Quod favore, C. de Legib.

Mala hæc omnia ut evitemus, amplectamur salutare hoc monitum B. Thomæ à Villa nova. *Præoccupemus, Fratres, tantum Iudicem, & præoccupemus faciem ejus in delictorum nostrorum confessione: præoccupemus manus ejus condignâ pœnitentiâ, jejuniis & flagellis, & sententiam ejus, fletibus leniamus. Ploremus coram Domino, qui fecit nos, ne perdat nos, cordisque nostri maculas diluamus, gemamus pro delictis assidue: gemamus modicum, ne semper gemamus: ploremus modicum, ne in æternum ploremus; non parcamus nobis, ut parcat ipse nobis.* Peccator, hæc audi & vitam emenda, alioquin sanctè polliceor, hæc expetieris & plura & graviora, quàm dixi. Non credis modo? Credes cum serius; nec erit pœnitendi tempus, nec veniæ locus.

D. Thom. à Villa Nova Conc. 3.

IN

IN FESTO
S. ANDREÆ APOSTOLI.

ARGUMENTUM.

Glorioſus Apoſtolus Andreas, Domini noſtri in juriſdictione temporali Vicarius, Principatum adauxit Eccleſiæ & Chriſti: Et ſolet Deus ad facta illuſtria & glorioſa, abjectis uti mediis, quæ infirma ſunt mundi, eligens, ut confundat fortia.

THEMA.

Ambulans Jeſus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres Simonem & Andream & vocavit eos. S. Matth. cap. 4.

CUm duo pauperes, ſed verè felices & beati Piſcatores, Simon & Andreas extenderent retia capiendis piſcibus, ſupervenit Clementiſſimus Dei Filius gravi incedens paſſu: *Ambulans Ieſus juxta mare Galilea.* Ad præſentiam Solis tam ſereni illicò quieſcere venti, procellæ concidere, ſedari fluctus & pacatum jam mare. Et ſtatim ac vidit ibi duos fratres piſcationi inſudantes, voce elatâ & ſignis, ad ſe venire jubet. *Vidit duos fratres & vocavit eos.* Et quando putabant, capturos ſe piſces, capiuntur ipſi in verbo Dei. *Vidit, non ad facies eorum, ſed ad corda reſpiciens* (notat hic S. Joan. Chryſoſt.) *duos fratres. Ideo, ſuper fraternitatem charitatis, Eccleſia compoſuit fundamenta, ut radicibus charitatis exuberans quaſi humor aſcendat in ramos, ut per naturam & gratiam, ipſa charitas firmior habeatur.* Venetab. Beda ſic habet: *Vocavit eos. Quia voluit ſua prædicationis habere miniſtros.* S. Thomas hic ita ſentit: *Venite poſt me; non tam pedibus corporis, quam imitatione & affectu.* Subſcribit Hugo Card. *Faciam vos fieri piſcatores hominum, id eſt, faciam vos Doctores, ut reti Verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falſo & fluctuabundo, tempeſtuoſo, inſtabili, perfido & ſemper periculoſo, & nemini umquam tuto.*

S. Ioann. Chryſoſt. in Matth. c. 4.

Beda hom. de Sanctis Conc. 4.

D. Thom. in Matth. c. 4.

Hugo Card.

Summatim, ab imo piſcatorum ſtatu ad Principatum S. Eccleſiæ vocavit: à mari Galileæ ad ſpatioſum mundi oceanum: à reti lacero ad Evangelium æternum; à naviculâ agitatâ ventis & fluctibus ad navim S. M. Eccleſiæ, nullis umquam mundi adverſitatibus ſubmergendam. *Et porta inferi non prævalebunt adverſus eam. Vocavit*; ut duo forent duces militiæ Chriſtianæ, duæ columnæ ædificii Eccleſiæ Catholicæ, fundatores Divinæ Religionis, clavigeri regni cœlorum, cives paradiſi, cœleſtium bonorum theſaurarii, ſupremi Sanctiſſimæ Trinitatis Conſilii Secretarii. At ſi verè hoc, quod vetus eſt dictum, *Nec Hercules contra duos* quomodo auſim ego Apoſtolorum Petri & Andreæ, vel leviter laudes perſtringere? S. Eccleſia glorioſo Apoſtolo Andreæ feſtum hoc inſtituit ſingulare, & præſentem diſcurſum, inibi exhibens paucis, quàm mirabilis Salvator in vocatione S. Andreæ & electione.

Matth. 16.

Adag.

Hoc tamen, Auditores, monitum velim. Mundus eſt mare: *Hoc mare magnum & ſpatioſum.* Homines ſunt piſces: *Facies homines velut piſces maris.* Et cùm ego piſcator Apoſtolicus rete Evangelii, & hamum verbi Dei extendero, vos interim recordemini, eſſe Symbolum ſilentii piſces, adeòque piſces ſitis, ſilentio ac attentione favendo; exordior.

Pſal. 103. Hab. 1.

PARS PRIMA.

VIdit duos fratres & vocavit eos. Voluit Chriſtus ut ponerent hi duo fratres Simon & Andreas prima Eccleſiaſtici ædificii fundamenta, eaque fuſo ſanguine conſolidarent, non ſecus ac factum Romæ à duobus fratribus Romulo & Remo: erectos enim Civitatis almæ muros proprio ſanguine etiam tinxerunt. Lucanus ita canit.

Lucan. lib. 1.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

D. Greg. hom. 17. In Evang. D. Thom. in Matth. c. 4.

Elegit duos, ut benè scribit D. Gregorius, dictante Spiritu Sancto; *quia charitas minus, quam inter duos, haberi non potest.* Subdit Angelicus Doctor in c. 4. Matth. *Binos elegit, quia voluit, ut significaretur per hoc charitas spiritualis.*

Ad erectionem Synagogæ antiquæ duo fratres electi Moyses & Aaron: adeoque congruum erat, ad ædificium Ecclesiæ novæ seligi fratres duos, Simonem & Andream, ut scitet mundus, quod fidei nostræ Christianæ sit fraterna charitas fundamentum; & hoc certum, quod habet S. Gregorius. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice charitatis.*

D. Greg. supra cit.

Neque voluit illos dividi, ut naturâ conjunctos, etiam uniret divinâ gratiâ. *Iungat liberos aqualis gratia, quos junxit aqualis natura*, scribit S. Ambros.

S. Ambr. lib. de Ioseph. patr. c. 2.

Venite post me, ut sitis paupertatis meæ, humilitatis, austeritatis imitatores. Hoc adimpleviſſe videtur Apostolus; siquidem *Andreas perfectè Christum secutus est in paupertate, quia omnia reliquit terrena per Christum, & contempsit: in humilitate, quia despectissimum mortis genus elegit: in mortis acerbitate, quia per triduum in cruce pependit, & acerbitatem pœnarum alacriter sustinuit.* Ita B. Jordanus.

B. Iordan. de Sax. serm. 3. de S. Andr.

Venite post me. Andreas Christum secutus est mente & affectu, insistens vestigiis ejus. *Post Christum namque ire, est ejus vestigia sequi* (ait Eusebius Emissen.) *ejus opera imitari, ejusq; patientiam, & humilitatem tenere: neq; enim sufficit nobis, pedibus tantum ire post Iesum, nisi & mente & dilectione sequamur.*

Euseb. Emiss. in Matt. c. 4.

Gen. 2.

Non fuit sic Deo visum expediens, ut maneret homo solus in paradiso terrestri. *Non est bonum, hominem esse solum*; ideò dedit Evam sociam. *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Pariter judicavit non fore conveniens, Andream manere solum in mystico Paradiso S. Ecclesiæ, ideoque Petrum adjunxit socium & adjutorem. *Et vocavit eos. Sicut enim in Paradiso, primo parente condito, dixit Deus: Non est bonum hominem esse solum: ita qui novum condebat paradisum in terra, novosque homines in eo constituere decreverat: prioribus longè excellentiores, vocato Andreâ, ei sociare voluit Petrum.* Ita S. Chrysostomus

S. Ioan. Chrysost. apud Lopez. in Festo S. And.

Vocavit eos. Prævidebat enim Dei Filius, obtemperaturos illos & statim omnia relicturos, ut vocantem sequerentur. *At illi continuò, nihil judicantes, aut hæsitantes, non solliciti, unde vivent, non considerantes, quonam modo rudes homines, & sine litteris, prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni mora, relictis retibus & navi, secuti sunt eum.* Hæc S. Bernardus, B. Laurentius Justinianus satis mirari non potest, quàm promptè fuerit obediens S. Andreas, ut, superatâ protinus omni difficultate, sequeretur magistrum Dominum. De eo sic loquitur: *Nondum miracula viderat. Scripturarum minimè intellectum acceperat, & tamen promptus, & alacriter totum quod habuit, dereliquit.* S. Basilius concludit. *Longum vale retibus dixerunt, seque à mari expediverunt, Salvatoris nutibus obsequentes.*

S. Bern. serm. de S. Andr.

B. Laur. Iustin. ib.

D. Basil. Seleuc. Orat 30.

Vocavit eos. Miranda coralii natura, & proprietates uti testantur, quorum est studium id scrutari. Nascitur in sinu matris, nutritur & crescit; non fit tamen valoris, nisi prius à piscatore aquis extractum, cui tunc accedit valor, color & vigor: valor quidem, quia in mari algâ vilius, eductum verò fit coralium: in mari albescit, at expositum aëri fit purpureum: in aquis est fragile, ubi extraxeris, adamantinum. In mari Andreas herba vilissima, pauper & abjectus piscator, albens quidem integritate animi, & conscientiæ nitore; fragilis & flexilis jam ad bonum, & modo ad malum, sed reti Divinæ vocis, *Venite post me*, eductus mari, pro coralio est, valorem accipit, dum fit ex piscatore Apostolus. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Colorem habet purpureum in martyrio. *Innocens ejus sanguis sine causa damnatur. Dignum sibi computavit martyrem quem vocavit Apostolum, dum esset in mari.* Vigorem acquirit, ubi fit contra Ægeæ minas intrepidus & animo quasi adamantino invincibilis, terrori resistit (Commendatur B Andreas à constantiâ, & fortitudine in adversis (*verba sunt D. Dionysii Carthus.*) quia pro Deo & fidei veritate ad mortem paratissimus fuit; imò cum inæstimabili mentis fervore anhelabat ad salutare martyrium. Cùm enim Proconsul ei supplicium minaretur, respondit: Si crucis patibulum formidarem, gloriam crucis non prædicarem: quidquid tibi videtur in suppliciis majus, excogita; tantò namque Regi meo ero acceptior, quantò pro ipso duriora pertulero, & quantò in pœnis constantior fuero.) O Coralium durissimum! O constantiam Andreæ admirabilem! Andreas itaque ex herbâ coralium, ex piscatore factus est Apostolus. *Vocavit eum.*

In vita. S. Dionys. Carthus. Serm. 2. de S. Andrea.

Salvator Noster piscatorem agit, arundinem dri-

dirigit, & hamum extendit, ut caperet animas; piſces enim ſunt Deo gratiſſimi. (Tales piſces digni ſunt convivio Dei: tales piſces in baptiſmatis fluvio natant: tales piſces hamo fidei, & ſanctæ prædicationis retibus capiuntur.) Sed quia non niſi ſingulos viciſſim piſces extraxit, Matthæum nunc ex profundo telonei, tunc Magdalenam ex lachrymarum oceano, hic Nicodemum ex negotiorum abyſſo, ibi Zachæum ex divitiarum torrente, in ſubſidium accivit Andream, qui ut cooperator ſtrenuus, non unam viciſſim aut alteram, ſed animarum millia ad fidem Catholicam verbo prædicationis attraheret. *Biduo vivens in cruce, viginti millibus adſtantium prædicavit.* At ſi prævidit Salvator tam felicem Andreæ piſcationem, non mirum, quòd advocaverit futurum coadjutorem. *Omnibus iis actibus per Chriſtum, & circa Chriſtum geſtis, ipſe Andreas perſonaliter interfuit, & cooperabatur, ſicut Chriſto placuit.* Itaque *vocavit eos.* q. d. Opus mihi veſtro labore, piſcatores: adeſdum, Andreas, & piſcationi te accinge, animas cœleſti regno acquiſiturus. (Ecce primos Diſcipulos ſuos de mari Dominus vocat; quoniam multos, per eos, de hujuſmodi fluctuosâ amaritudine ad fidem vocare diſpoſuit; ut, quia de mari à Domino vocantur, ipſi quoque periclitantium animas de mundi hujus naufragio, & de vitiorum inſurgentibus procellis liberare diſcant.)

Cum eſſet S. Eccleſiæ principatus anguſtus valdè initio, & exilis, Apoſtoli vocati, ut iis cooperantibus amplificaretur, & quaquaverſum propagaretur. Hoc ipſum videtur Chriſtus innuere, ubi per S. Evangeliſtam Matthæum ita loquitur: *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum eſt ex omnibus ſeminibus, cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, ita ut Volucres cæli habitent in ramis ejus.* (Ita & regnum cælorum (*Driedonis ſunt Verba*) crevit in arborem magnam, extendens propagines, ceu palmites ſuos in omnes gentes; ita ut volucres cæli, ſcilicet Sancti, per univerſum orbem pennis virtutum volantes in cælum, habitent in eo, adhærentes Societati Apoſtolorum & doctrinæ, ceu profeſſioni fidei illorum.

Videns ergò Dei Filius, quòd foret glorioſus hic Apoſtolus Divinæ ejus mentis cooperatione executor, ideò *Vocavit eos.*

Siquidem, ex ſententia D. Dionyſii Carthuſ. eruditiſſimi, qui operam in ſalutem animarum impendit; meritò vocatur cooperator Chriſti: *Nihil dignius in officio hominum, quam Dei cooperatorem fieri.* Potiori ſanè jure debetur hic titulus glorioſo Apoſtolo, qui reti prædicationis Evangelicæ, & eſcâ verbi Dei millia animarum aliquando ad fidem attraxit.

Vocavit eum, vicarium ſuum conſtituit, & pro-regem in temporalibus, ut principatum ejus in terris propagaret, *quantum ad multitudinem gentium, & quantum ad extenſionem terminorum.* Audite, quomodò id factum. Sapientiæ increatæ competebat mundi Dominium, ſed diabolus arripuerat poſſeſſionem, quando Gentiles Idola impiè ut Deum colebant, ſacrificia offerentes & victimas. Quia tamen Imperialis ea lex eſt. *Duorum in ſolidum non poteſt eſſe dominium, vel poſſeſſio.* Et, *duo ſpecialia non poſſunt concurrere circa idem.* Unde quia dæmon *erat poſſeſſor mala fidei,* oportuit eum cedere, ut teſtatur Evangeliſta: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Ejecto uno, ſuccedit alter, fit poſſeſſor & Dominus, ſed non habet fideles, & obedientes ſubditos, qui ut Principem & Dominum agnoſcant, ac revereantur; dicebat ideò Chriſtus, quòd magnam eſſet acquiſiturus gentium multitudinem, quando in throno crucis exaltatus à terrâ. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Et meritò; quia, *Principale* (id eſt Princeps) *trahit ad ſe acceſſorium,* id eſt, Subditos. Et quòd exaltatio iſta facienda in throno crucis, deducitur ex verbis ſubſequentibus: *Hoc enim dicebat, ſignificans, quâ morte eſſet moriturus.* Tunc (volebat dicere) milites inſcribam ſub vexillo S. Crucis. (Si exaltatus fuero à terra, id eſt, in cruce levatus, omnia genera hominum, ſc. Juvenes & Virgines, Judæos & Paganos, doctos & ſimplices, pauperes & divites traham ad me ipſum, non violenter, ſed amoroſè, id eſt, per fidem & charitatem convertam eos ad me.) Sed (pace tuâ, Domine, dixerim] non reperio ego, quòd, poſtquam ita exaltatus, omnia traxeris, Fatebor quidem, aliquos attraxiſſe, ſed tres ſolùm, Longinum ſcilicet, Latronem, & Centurionem, eò quòd hi verum te Principem crederent & filium Dei. Hoccinè *Omnia traham*? Dixiſſes, *Aliquos traham*? Proinde hic verificata eſt Prophetia Michææ: *Va mihi, quia factus ſum ſicut ille, qui in autumno colligit racemos.* Quomodò ergò gloriaris de multiplicatione gentium, & aucto Principatu?

Ah! ſic intendit Salvator. Poſtquam fuero ego exaltatus à terrâ & in cruce pendens, ſuccedet in locum meum Andreas, & meus ipſe Vicarius, prædicatione ſuâ, per gratiam, quam illi dedero, trahet Infideles, convertet gentes; ſic ut non

Euſeb. Emiſſ. in Matth. c. 4.

Petr. de Natalib.

B. Iord. de Sax. ſerm. de S. Andr.

Euſeb. Emiſſ. Serm. de S. Andr.

Matth. 13.

Driedo.

Dionyſ.

Carth. in Matth. n. 4.

L. Si ut certo ff. ſi duobus. L. 1. c. de dat promiſſ. c. ſing. 189. diſtinct.

Ioan. 12.

Ioan. ib.

L. cum princip. ff. de reg. jur. acceſſor. de reg. jur. 12. 6. Dionyſ.

Carth. in Ioan. c. 12. art. 31.

Mich. 8.

non per me, & immediatè, sed *per Andream, & mediante eo omnia traham ad me ipsum.* Omninò sic fiet. *Vocavit eum*, ut honorificum munus imponeret, locum teneret, foretque Vicarius ejus & Coadjutor in salutem animarum: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Undè D. Gregorius S. Andreæ conversionem multitudinis gentium meritò adscribit: *Iam jugo fidei colla gentium subdit, jam mundi gloriam stravit.*

D. Greg. hom. 5. in Evang.

Crucifixus est S. Andreas non eâ pedum junctură, quâ Christus, quâ S. Petrus & alii; apertis enim ille, & distentis in ligno seorsim pedibus. Mysterium ex Psalmis Davidicis lubet indagare. *In Idumæam* (ait Propheta regius) *extendam calceamentum meum.* Quid autem per hoc intendat, ostenditur in Deuteronomio. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Undè deducitur, idem esse, *extendere calceamentum, & possessionem acquirere.* Siquidem: *possessio accipitur per pedum positionem.* Idque verum esse, subdit, cum ait: *Mihi alienigenæ subditi sunt.* Ubi Genebrardus sic elucidat. *Quæ sequuntur, pertinent ad externas nationes subjiciendas Ecclesiæ & Regno ejus.* Quòd si ita est (inquit Andreas Apostolus) crucifigar divulsis pedibus. *Extendam non calceamenta, sed pedes meos*, unum versus Occidentem, alterum versus Orientem, ut sic *alienigenæ subditi sint*, scilicet (interpretatur B Bruno Episc. Herbipolensis] *Palestina fœderata est Christo, & Ecclesiæ.* Subdam fidei Catholicæ suavi jugo fidelem populum & gentes, atque adeò S. Ecclesiæ Dominium extendam ab Oriente usque ad Occidentem: & quod mente conceptum, effectu impletum est, quandò *plurimos ad Veritatem Evangelicam perduxit.*

Psal. 59.

Deut. 10.

Genebrardus in ps. 59.

B. Bruno in Ps. 59. in Bibl. Vet. PP. Tom. 2.

In Vita.

Quid intentatum reliquit? Quò non peregrinatus est? in quas mundi non excurrit plagas? Quò terrarum non extendit prædicationis retia? Quæ non passus est itineris incommoda? Nil curavit blandicias: risit tortorum minas & supplicia; atque eò omnia molitus est, ut Populos, Provincias & Regna integra ad fidei Catholicæ converteret insignia: ut meritò de illo dixerim, quod de S. Paulo D. Chrysostomus: *Omnes in Regnum Dei festinabat inducere.*

D. Chrysost. in Convers. S. Pauli.

Audistis, ni fallor, quàm mysteriosâ usus sit inventione Patriarcha Jacob benedicturus nepotes suos, filios Joseph Proregis Ægypti, Manassen & Ephraim: hic erat natu minor, alter major. Manasses ergo ad dexteram avi, Ephraim ad sinistram genuflectit. Quid egit bonus senex? Manus posuit in formam crucis, & dexterâ benedixit Ephraim, sinistrâ verò Manassen. *Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat.* Stetit hic indubiè attonitus Joseph, & ægrè id ferens, erroris admonuit: sed compescuit Jacob indicto silentio, & ait: *Scio fili mi, scio.* Exponit hunc locum Guilelmus Hamer *Agebantur hæc omnia ob futurorum significationem quandam, & ob mysteria quædam delineanda.* Sed quid mysterii hic? *Erat hic populus Iudaicus & Christianus, major & primogenitus fuit Iudaicus, minor Christianus.* Voluit ergo dicere Jacob: Scio fili mi Joseph, scio, cur sic faciam: filios tuos benedixi decussatis manibus, eò quod Manasses primogenitus ad dextram locatus, figura mihi sit Synagogæ Hebræorum & populi Israelitici: Ephraim secundo genitus, ad sinistram flectens, figura sit futuræ Ecclesiæ venturi Messiæ, & multitudinis fidelium. Scias igitur velim, cælestes benedictiones esse transferendas de Synagogâ ad Ecclesiam Christi venturi. S. Andreas passus est martyrium in cruce non ordinariâ, qualis erat Christi, vel S. Petri, sed facta in transversum, ad modum quo distenderat Jacob brachia benedicturus nepotes, X hâc formâ volens ostendere, quòd ab infidelitate gentes ad fidem convertisset, & pleroſque Hebræorum à Synagogâ ad Ecclesiam, ut sic Christi Domini Principatus esset per ipsum amplificatus; *quantum ad multiplicationem gentium.*

Gen. 48.

Guil. Hamer. in Genes. 48.

Opinio Cardinalis Baronii & S. Hippolyti martyris est, crucem, in qua mortuus S. Andreas, esse fabricatam ex lignis olivæ *Ad arborem olivæ crucifixus est* Et hinc, credo ego, voluisse innuere, quòd, *sicut oliva fructifera*, tot protulerit fructus, quot gentiles ad fidem convertit, possitque de illo dici: *Filii tui, sicut novellæ olivarum*, Genebrardus in hunc locum, addit: *Sicut germina, sicut plantulæ pullulantes, semperque florentes tamquam farculi olivarum.*

Baronius, S. Hippol. martyr.

Psal. 127. Genebrardus.

Duces olim victores è prælio coronas referebant ex olivarum foliis, adjectâ notulâ, *Salus & Victoria.* Quid per crucem ex oliva significare voluit noster S. Apostolus, quàm quòd rediret ad cælestem patriam obtentâ victoriâ, tot animarum onustus spoliis, tot populis acquisitis & Provinciis subjugatis ad augendum Principatum Christi?

Cruci olivæ insita martyrii palma. O verè pulchra in morte Andreæ reperitur Olivæ & Palmæ conjunctio: Olivæ, quia *viridis semper:*

Cæsar. Ripa.

Palmæ,

Palmæ, quia *inclinata resurgit*: Oliva, quia *moriens reviviscit*, palmæ, quia *quò annosior, eò fruituosior*. Videtur aliquando vetustate cadere, sed repullulascit in vitidi propagine, ut egregio exprimitur emblemate additâ voce, *Pereo & spero*. Pereo (dicebat Andreas) ob tormenta, quæ in hac oliva patior: spero tamen quod hæc gentilitatis germina, novellæ hæ plantulæ Catholicæ fidei pullulabunt quantocyùs & crescent in sanctitate ac meritis, fructusque dabunt dignos cœlesti præmio, *tantò uberius*. Ecce adaucti Populi, ecce multiplicata gens est.

Ioan. Fetus.

Simon Birallus.

Neque minorem tulit fructum ex Terris, Civitatibus & Provinciis, quas peragavit, ubique fidem seminando ac Evangelium prædicando, quàm in terminis gentilium, rete Verbi Dei quaquaversùm extendendo. Clarum hoc fiet, si reflectamus ad modum, quo crucifixus est Christus, & eum, quo S. Andreas. Crucifixus est Salvator expansis manibus & brachiis versus cœlum, sed restrictis pedibus & superimpositis versus terram. Quid per extensionem brachiorum innuit, nisi dilationem dominii sui in cœlo, & auctionem possessionis in Paradiso? At verò Dominium in terris ita restrictum & augustum, ut ne quidem duos pedes caperet, ideoque in cruce compressis pendet, & superimpositis. Ex duorum Latronum eventibus confirmata hæc veritas. Bonus Latro, cui nomen Dismas, extensa videns Salvatoris brachia, ampliatum in cœlo Regnum credidit, adeoque rogavit ingressum; *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*: & sic facillimè exoravit. *Hodie mecum eris in Paradiso*. At impius Latro tacitè in se dicebat: Socius ille meus petiit esse cum Christo in Regno cœli, & obtinuit: ego quid postulabo? Malim cum Christo manere in Regno mundi hujus, & hoc supplicabo: *Si Filius Dei es, descende de cruce, & salva temetipsum, & nos*. Nil tamen obtinuit, & crediderim ego, hoc illi tacitè responsum à Domino: Quod non est in potestate mea, hoc rogas. An non vides meum in terris Regnum adeò angustum, ut ne liberè duos ponam pedes; ideoque unum alteri superimpositum? Amplificatum est posteà, fatebor, sed operâ, incredibili zelo, & assidua solicitudine S. Apostoli Andreæ, qui crucifixus expansis quatuor corporis partibus; extensis, inquam, brachiis, & pedibus: eò fortassis, quia sunt quatuor mundi plagæ; scilicet Asia, Africa, America & Europa; quemadmodum de cruce Salvatoris canit Sedulius:

Luc. 23.

Sedulius in carm. paschi. in Biblioth. Vet. PP. Tom. 9.

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Ejus:
Occiduo sacra lambuntur sidera plantæo:
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Andreas dextram extendit versus Africam, & sinistram versus Asiam: dextrũ pedem versus Europam, & sinistrum versus Americam. Indicium profectò evidens, quòd in omnes mundi partes Imperium Christi promovisset.

Rex Agesilaus interrogatus de amplitudine Regni sui & extensione Imperii, respondit, eò usque extendi, quò posset pertingere lanceâ; & quò non, ibi fines esse Regni, & imperii limites. Si quis vestrûm, Auditores, me interroget, quò usque progagatum sit Christi Regnum; eò usque etiam dicam, quò pervenire S. Andreas & acuto gladio Verbi Dei potuit penetrare.

Stupenda opera & miracula patrata ab Apostolo nostro loquantur, & eorum, quæ hactenus dixi, testimonium dabunt. Quot, & quanta fecit mirabilia in terris? Aliqua adferam ex Jacobo de Voragine in vita. In Mirgundia, S. Matthæo, ac Infidelibus, quibus prædicabat, excæcato, visum restituit, fusis orationibus. In platea, septem infestos transeuntibus dæmones, expresso mandato, repressit & cohibuit. Eodem tempore & ab iisdem dæmonibus occisum hominem resuscitavit. Homines 39 auditâ Andreæ famâ accensi, navi se dederant, ab eo doctrinam fidei accepturi: sed invidit Diabolus, & excitatâ tempestate omnes submersit. Cum ecce corpora undarum fluctibus propelluntur ad litus, ubi ad imitationem Magistri sui ambulabat Andreas, & fortè casu unum ad ejus pedes ejectum, & vix tactum, revixit ilicò: & pòst alia etiam corpora ad eum delata, continuò suscitantur omnia. Non mirum, quòd in mari, quòd in terris mirabilia operatus sit.

Iacob de Voragine in Vita.

Vidit S. Joannes Angelum, & hic habebat pedem unum super terram, alterum super mare. *Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*. Rupertus Abbas ita explicat: (Plerumque nomine terræ Judæa, maris autem vocabulo gentes significantur:) Et Areta:) Pedum altero quidem inniti humidæ aquarum congregationi; altero verò terræ, designat ejus magnitudinem, qui utrumque complectebantur) Blasius Vigeas: (Universum terrarum orbem; qui terræ marisque appellatione comprehendi solet, Christi Domini imperio potestatique subjiciendum) Liranus denique in Glossa: (Per mare, quod est locus aquarum, intel-

Apoc. 10. Rupert. Abb.

Areta in Apoc 10.

Blasius Vig. in Gen. 10. comm. 4. sect. 4.

Lira. in Glossa.

intelligitur populus Christianus, per aquam baptismi regeneratus; per terram verò Pagani in terris desideriis defixi.) Concludunt Authores isti, quòd per Angelum illum tenentem pedem unum super terram, alterum super mare, denotetur Dei Dominium unius, & alterius populi; aut verò illud ad partes extendi duas præcipuas, exquibus constat mundus. Hinc à nobilissimâ civitate Venetâ depictus exhibetur generosus leo pedes duos habens in terrâ, in mari alios, ut sic indicatum sit, quòd habuerit S. Marcus Evangelista Dominium in terra, & in mari, & ubique habitus ut Dominus, quem timerent omnes & revererentur. Andreas miracula faciens in mari, & in terrâ, juris dictionem ostendit, & *Ius acquisitum* in duo elementa, *quantum ad extensionem terminorum*. Ad augendum & exaltandum Christi Principatum, ubi mors illi subdita est, & vita reveretur. An non ergo jure meritò vocavit Andream Christus? *Vidit & vocavit.*

Et justo titulo Andreas cooperator Christi vocatur; quia cum eo ad exequendum opus redemptionis nostræ concurrit, *quantum ad effectus, & applicationem* Piè sic loquor, quod in rigore non ausim. Satisfaceret Dei Filius monetâ passionis & pretio sanguinis in trunco crucis, solveret, inquam, duobus attributis Divinis læsis debitum ex rebellione & transgressione Protoparentis Adami. Verbis utor Dionysii Carthus. Adam inobedienter manus suas ad prohibitum cibum extendit: congruum fuit, ut Christus immaculatas manus in cruce extendendo satisfaceret. Læserat Adamus Divinam Justitiam; non solùm, quia *usurpavit illicitè rem alienam*, pomum scilicet vetitum comedendo; sed insuper etiam (ait S. Thomas) quia *appetiit inordinatè similitudinem Dei, quantum ad scientiam boni & mali, sicut serpens ei suggessit.* Adeoque commisit actum Divinæ justitiæ contrarium. Præterea & in attributum Divini amoris impegit, quandoquidem *per peccatum aversus est à bono incommutabili, & conversus est ad bonum commutabile.* Plus creaturam amavit, quàm Creatorem, & inde omnis miseriæ nostræ origo. Venit Christus in mundum, ut liberaret & redimeret, per mortem quidem satisfaciendo justitiæ, per acerbissimam passionem amori. Quæstio est modò, an satisfecerit utrique debito? Justitiæ satisfecit *ad æqualitatem per mortem suam*, docet S. Thom. *Imo satisfactio Christi fuit superabundans.* Et amori satisfactum, sed non ita plenè pro desiderio Christi; ideoque ad Patrem clamat lamentans: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? Conqueritur Christus* (dicit Beda in hunc locum) *quia Pater ei non cedit longiorem vitam, ut plura pati possit.* Quis ergò plenè pro amoris debito persolvit?

Dionys. Carth. Serm. 2. de S. Andrea. Alex. de Ales 3. p. q. 36.

D. Thom. 2. 2. q. 46. art. 7.

D. Thom. 2. 2. q. 163. a. 2.

D. Thom. 3. p. q. 46. & 48.

Matth. 27. Beda.

Dubium occurrit pulchrum valdè, & unde propositæ nostræ quæstionis erit resolutio. Dicite, Auditores, quare *biduo pendebat in cruce beatus Andreas*, ut habetur in ejus vitâ; & Christus solùm *ab hora sexta usque ad horam nonam?* econtrà tamen fieri debuisset: Andreas quippe purus erat homo, decrepitus valdè & senio gravis; Christus, homo quidem, sed & Deus, atque in ætate florida, 33 annorum homo. Unde Pilatus *mirabatur, si jam obiisset.* Agedum, dubii nodum dissolvamus. Tantulum vixit Christus in cruce, eratque moræ longioris impatiens, quia insatiabili urgebatur desiderio, ut morte solveret Justitiæ creditum. An non ergo & mihi (ita Divinus amor) fiet satis? Et mihi non debetur? Si quid solutum, non pro debito satis, saltem quantum ad extensionem mortuus est jam Christus: *Consummatum est. Et inclinato capite emisit Spiritum.* Non modò passibilis, neque erit unquam, qui satisfaciat: cùm glorioſus resurget Quid igitur fiet? Mortuo patrefamilias, relictâ hæreditate cum debitis, tenetur ad solutionem primogenitus qui bonorum factus hæres. Leges ita decernunt: (Hæres tenetur creditoribus hæreditariis. Hæres adeundo hæreditatem, dicitur quasi contrahere cum defuncto, & ideò tenetur ad omnia dispositа à defuncto, & ad debita illius, *Et* Filius hæres tenetur solvere debita Patris.] Quando moriebatur Christus, de Principatu crucis disposuit, atque hæredem reliquit Andream. *Factus est Principatus super humerum ejus.* Et illi, utpotè primo genito & Apostolo Christi, vocatione primo, competebat patiendo solvere residuum amori debitum, & hoc per biduum pendens in cruce persolvit.

Matth. 27.

Marc. 15.

Ioan. 19.

L. Nihil autem ff. de reg jur. § necessar. Authen. de Hared.

Isa. 9.

Proindè non immeritò hæc Apostolo nostro accommodem verba: *Adimples ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus.* Quis enim neget, S. Andream à Magistro vocatum, ut esset quasi Condemptor (pie loquor) & in opera Salutis hominum Coadjutor? *Vidit, & vocavit eum.*

Coloss 1.

Constans hæc est veritas, (Auditores:] Hæreditatem promptè, & libenter adimus: si verò reflent debita; & solvendum est, ordinariè tergiversamur, quasi cogendi. S. Andreas promptissimum

mum utrobique se exhibuit, plenè & jucundissimè persolvit, neque eò rogandus.

Altera supereſt differentia crucifixionis Magistri & Discipuli, & illa examinanda. Christus in horto Gethsemani, ubi vidit crucem, *cæpit tædere, pavere, & mœstus esse. Tristis est anima mea usque ad mortem* S. Andreas ad crucem ibat *securus, & gaudens.* Desiderabat: *O bona crux diu desiderata!* & crucem eminus videns, clamabat: *Salve crux pretiosa: suscipe Discipulum ejus* Obstupescit hic D. Dionysius Carthus. & sic loquitur: *Videns ergo paratam crucem, nequaquam (ut exigere videtur mortalis infirmitas) facies ejus expalluit, nequaquam sanguis ejus gelatus est, non steterunt capilli, aut vox faucibus hæsit, non contremit corpus, non mens ejus turbata est, non recessit (ut assolet) intellectus; sed ex abundantiâ cordis os ejus locutum est: Salve crux pretiosa.* Quid hoc? Timebit ergo dux nec constabit animo: & pugnabit intrepidè miles? Pro responsione, advertendum. Salvatorem dixisse Hebræis sæpiùs: *Ego sum panis vivus.* Ideo ab Hebræis cogitatum & dictum: *Mittamus lignum in panem ejus.* Lyranus ex textu Hebraico legit: *Mittamus lignum in taxum ejus.* Taxus arbor lignum habet venenosum, ac si clavis penetretur? venenum amittit fitque salutiferum. Antequam crucifixus esset Christus, venenata erat taxus crucis, inficiebat & mortem dabat? ideoque Christus *cæpit pavere, tædere & mœstus esse,* cum illam Angelus repræsentaret? sed ubi clavis perforata in morte Redemptoris, dulcorata est Andreæ, & facta salutifera. Non mirum igitur quòd sit ipse *securus & gaudens,* lætâque voce salutet: *O bona crux! Antequam te ascenderet Dominus,* (Dionisii Carthus. pono verba) *timorem terrenum habuisti: nunc verò cælestem habes lætitiam & cum desiderio susciperis.*

Neque displicet altera expositio magis litteralis. Quandò Deus mulierem formavit, ex ossibus Adami accepit: *Tulit unam de costis ejus. & replevit carnem pro ea.* Ossa solida sunt, & fortia? caro autem debilis & fragilis sic ut mulier, si quâ pollet fortitudine, à viro habeat, & debeat acceptam referre: & si quæ in viro fragilitas, à carne illa est, quam in locum costæ ablatæ Deus supplevit. Simili planè modo Filius Dei carnem assumpsit ex homine: *Verbum caro factum est.* & tunc *languores nostros ipse tulit.* Undè, quia caro *erat infirma,* inde factum, quòd in naturâ humanâ obortus sit timor. *Cæpit pavere, tædere & mœstus esse.* Deus autem ossa replevit, id est, fortitudine. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* In virtute hujus, S. Andreas animo constans & viribus, nil timuit crucis duritiam, ad illam anhelabat: *Securus & gaudens* solvit amori debitum à Christo commissum. *O rem admirabilem! Christus Redemptor noster crucis meditatione cohorruit? Andreas ad crucis aspectum exiluit: quia nimirum Christus, cùm timebat, Andreæ erat humanitate vestitus: cum gaudebat Andreas, Christi erat fortitudine vestitus.* Confirmat & concludit S. P. Augustinus: *Poterat pro osse os reddere; sed in locum ossis, caro adimpleta est. Quid igitur significavit Facta est mulier in costâ tamquam fortis, factus est Adam in carne tamquam infirmus: Christus & Ecclesia: illius infirmitas nostra est fortitudo.*

Mentem Christi vocantis perfectè adimplevit Andreas, & verum se Magistri cælestis discipulum & Vicarium fideli cooperatione probavit. Arithmeticis crux Andreæ X. numerum facit denarium? qui perfectionem designat, si Divo Ambrosio credimus. *Denarius numerus perfectus est.* Unde Romulus Imperator, *confirmatis jam rebus, Regnoque jam constituto, quacumque fecit & instituit, denario numero finivit.* Hoc modo innuens opera sua jam omninò esse perfecta. Cruce ad modum denarii dispositâ opus sibi commissum Andreas implevit, sic indicans, assecutum esse intentum Christi, exhibendo se Corredemptorem in animarum salute, & Coadjutorem in amplificatione principatus ejus, *quantum ad multiplicationem gentium, & extensionem terminorum.*

Observatu dignum, quod notant Abdias Babylonicus, Petr. de Natalibus, & Dionys. Carthus. factum in morte Apostoli, dum penderet in cruce, *statim splendor nimius* (qui cœli favor est) *ad instar fulgoris, per horam & dimidiam ipsum obtexit, cum quo lumine ascendens Apostolus Dei, spiritum emisit.* Ita ille. *Tunc copiosissimus splendor de cœlo descendens sic per mediam horam eum circumdedit, quòd nullus videre valebat: simul cum lumine spiritum tradit, & Regnum cæleste introivit gloriosus* In creatione mundi etiam orta est lux: *Fiat lux. Et facta est lux.* Rationem addit Magister sententiarum: *Congruè mundi ornatus cœpit à luce, ut cætera, quæ creanda erãt, viderẽtur.* Ortâ luce moritur Andreas, ne facta ejus heroica tenebris supprimãtur, sed ut videat totus mũdus & admiretur.

Et si ex splendore orto Isabella Valeria Regina Hispaniarum, subjugationem totius mundi & Principatum augurabatur, addito, *Iam feliciter omnia.* Ut quid non potiori jure nobis idipsum de S. Andrea Apostolo sit licitum ominari?

Marc. 14. — *Dionys. Carthus. serm. de S. Andrea.* — *Ioann. 6.* — *Ierem. 2.* — *Lyranus.* — *Plinius.* — *Isidorus lib. Etymolog.* — *Dionys. Carthus. ubi suprà.* — *Gen. 2.* — *Ioann. 1.* — *Ibid.* — *Diex. ser. 4. de S. Andrea.* — *S. August. tr. 5. in Ioann.* — *D. Ambrosius.* — *Pier. Valer. l. 39.* — *Abdias Babylon.* — *Petr. de Natal.* — *Dionys. Carthus.* — *Gen. 1.* — *Petr. Lombard.* — *Hieron. Ruscell.*

Merita S. Andreæ quot & quanta, quis explicet? Virtus ejus tanta & potentia, ut mereatur præconium Sancti, qui Sanctorum omnium ferè in se perfectiones complectatur. Ad martyrii instrumentum revertamur, ad crucem, forma X. denarium numerum exhibentem, qui ceterorum numerorum perfectiones omnes & valorem comprehendit. *Denarius siquidem omnes numeros claudit: & ultra denarium, nulla novit ratio numerare.* Et quis certò sciat, an non voluerit Deus hoc crucifixionis modo Andream cælo insertum, declarare mundo Sanctum talem, qui Sanctorum reliquorum virtutes in se contineat?

Paul. de Palat. in Matth. 20. Anastasius Sinaita in Hexam. l. 7. in Biblioth vet. PP. Tom. 6.

Ordinavit S.M. Ecclesia, ut Novembris prima dies sacra sit omnibus Sanctis, ultima verò particulariter S. Andreæ. Mensis facit pro bilance, cujus unâ in parte, primâ videlicet die Ecclesia omnium Dei electorum posuit merita? in alterâ verò, id est, ultima die, solùm S. Andreæ: hoc ipso demonstrans, tot reperiri virtutes & perfectiones in Andrea solo, quot in reliquis simul Sanctis. Mensis ergò bilancem expendite, & in æquilibrio deprehendetis.

Nisi fortassis malint aliqui ita explicari: *Finis debet respondere principio.* Omnes Sancti in principio mensis ponuntur, at verò Andreas in ipso fine, ut correspondeat, *si non extensivè*, quantum ad Sanctorum multitudinem? saltem *intensivè*, quantum ad sanctitatis intensionem.

O Andrea! patere, ut felicissimum te prædicem, utpote qui meritus sis vocari à Filio Dei, Discipulorum adscribi consortio, ad Vicariatum à Christo eligi, ut Personam ejus repræsentares, essesque Pro-rex Principatus temporalis hujus mundi, & in opere Salutis humanæ Coadjutor. Spreviſti incunctanter prædam piscium, ut lucrum faceres animarum. Vix auditâ voce, *Venite post me*, retia deseruisti & naviculam? Dominum vocantem secutus es promptissimè? atque in ictu oculi ferè hæc omnia *Et continuò relictis retibus, secuti sunt Dominum.* Ludolphus de Saxon. Carthus. ibi sic meditatur: *Considera nunc quanta fuerit horum quatuor beatorum Discipulorum obedientia, qui ad unius jussionis vocem, statim relictis omnibus, etiam voluntate, & proposito habendi, Christum Dominum sunt secuti.*

Ludolph. de Sax. Carthus. to. 1. c. 29.

O quoties vocat nos Deus, & sanctis inspirationibus invitat ad bene operandum! Vocat quidem, sed non audimus: vocat mundus, & currimus, voluptatibus sensuum allecti. Hanc nostram ex citatem deplorat D. Greg. *Quanta nos Dei mira? la videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur, & tandem vocantem sequi contemnimus? & ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus, emendamur?* Lubet hîc addere planctum S. P. Augustini in Oratione paulò ante obitum in obsidione Hipponensi compositâ, operibus ejus non contentâ, à Cardinali Seripando Patribus Concil. Trident. datâ. *Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, & plagas, quas accepimus, circumferimus: minus est quod patimur, majus est quod meremur? peccati pœnas sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus, In flagellis tuis infirmitas nostra vertitur, iniquitas non mutatur: mens ægra torquetur, & cervix dura non flectitur? vita in dolore suspirat, & in opere non se emendat. Si expectas non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur in correptione quod egimus, obliviscimur, post visitationem quod flevimus. Si extenderis manum, facienda promittimus? si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas? si peperceris, iterum provocamus ut ferias.* Ita plangebat Sanctus ille Præsul. Quis verba hæc legat, nec moveatur ad lachrymas & compunctionem?

Evangelica.

S. August. in oratione ante obitum.

Surgite peccatores, surgite, & mementote quia redempti estis pretiosissimo Christi Sanguine? audite vocem Domini, operibus bonis correspondete, & vocantem sequamini. Navim veterem laxioris vitæ relinquite? è procelloso scelerum mari egrediamini, & retibus, malis iniquam habitibus vos extricate? atque sic expediti sequamini Christum, dum benignè invitat, *Venite post me*, Incunctanter facite, exemplo Apostolorum, qui *continuò relictis retibus secuti sunt eum*, promptè sine dilatione aut discussione obedientes. Audite S. Chrysostomum perorantem: *In his autem datur forma omnibus Christum sequi volentibus: per hoc enim quod Petrus & Andreas, relictis retibus & navi, vocantem Dominum statim sunt secuti, ostenditur nobis, quod non voluntas carnalis, non cupiditas temporalis, nec affectio sanguinis nos retrahere debet à sequela Christi.*

D. Chrysostomus.

Antequam progrediar, monitum esto & commendatum. Ceperat indubie Petrus facilè piscem, ex quo haberet nummum ad solvendum vectigal. Ego piscator Evangelicus, ut dixi, vos pisces, credideritis omnes Verbi Dei retibus inclusisse? nolim tamen aperire & vos exenterare (quod fecit Petrus) ut videam, & nummos repetiam; sed pauperibus compatior, corpori debent vectigal quotidiani victus, & nisi solvant citò, urgebit fames & vim faciet, Rogo & obtes-

D. Gregor. homil. 3. in

ſtor, burſam aperite & eleemoſynam fate Chriſti pauperibus, ut refocillentur.

PARS SECUNDA.

Erant enim piſcatores. Quis umquam Pigmæos diligat milites adverſus Gigantes? Formica camelo bellum faciet? Puſillanimitas fortitudini reſiſtet? A lepore timidiſſimo fugiet ferociſſimus leo? Filius Dei abjectos eliget piſcatores ad facta heroica? Reſpondet S. Gregorius Papa & rationem adfert: *Relictis ſapientibus, inſipientes, relictis fortibus, debiles relictis divitibus, pauperes elegit, & prædicatores infirmos, abjectoſque, qui potentes quoſque, & fideles populos colligerent, habere ſtuduit.* Subdunt alii, quòd *voluit Dominus, ut mirabilem converſionem orbis, homines piſcatores idiota, ignobiles & vulgares efficerent, & feliciſſimum bellum contra mundum & mundanos homines, duodecim inermes ſimplici induti tunicâ ſine calceamentis nudi gererent, deorum cultum abdicarent, & Ieſum crucifixum verum Deum confiterentur:* Joannes Epiſc. Montop.

D. Gregorius.

Ioann. Epiſcop. Montop. in conc. S. Andreæ t. 5.

Sed reſponſio illa dubium noſtrum plenè non ſolvit: nunquid enim potuiſſet tantum efficere Salvator per divites, nobiles & ſapientes? S. Chryſoſtomus meliùs reſpondet: *Non nobiles mundi, aut divites elegit, ne ſuſpecta fieret prædicatio, non ſapientes ſæculi, qui per ſapientiam mundi perſuaſiſſe humano generi crederentur, ſed elegit piſcatores illiteratos, imperitos, & indoctos, ut aperta eſſet gratia Salvatoris* Et B Petrus Damianus: *Non eligebat in adjutorium ſibi triumphalibus titulis claros, non ſtrenuos bellatores, non frementium aſcenſores equorum, non denique Philoſophos & eloquentes, ſed retium vectores, perexilis navicula remiges, ut victoria ſoli Divinæ potentiæ, non humanis viribus adſcriberetur.*

D. Chryſoſt.

B Petr. Damianus ſerm. 5. 7. de S. Andr.

Necdum intelligitis? Apertiùs ediſſeram. Pro more Dei ita factum eſt: ſolet enim abjectis uti mediis ad actiones heroicas: paleâ, etſi leviſſimâ, turres evertit, & flatu minimo civitates fortiſſimas: crine taurum ligat indomitum: ut ſuperbiſſimorum hoſtium vincat feritatem, armat muſſimorum hoſtium vincat feritatem, armat muſcas, locuſtas, aut ſolùm culices, *Ecce quales inſtruxit acies* (ſcribit Rupertus) *pugnando pro Iſrael ex hujuſmodi cohortibus, totas in fortes Ægyptios compoſuit legiones.*

Rupertus Abb. in Exod. 38.

Magno tenebatur deſiderio Nathanael, ut Apoſtolorum numero poſſet inſcribi, & merebatur ob ſingularem probitatem, ipſomet Salvatore approbante, cùm de illo ait: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Mediatores adhibet Philippum & Andream, ut apud Chriſtum intercedant? ſed non exorant. Mattheum admiſiſti, (Deus bone! etiam Judam? ut quid Nathanaelem repudias? S. P. Auguſtinus exiſtimat eum fuiſſe legis Doctorem, hominem doctum & Scripturæ peritiſſimum. Non potes eſſe meorum hominum, inquit Deus? Ego ſapientes non quæro, ſed idiotas volo & ignaros, utpotè qui ſimplicium ignorantiâ, mundi ſapientiam confundo. *Intelligere debemus* (loquitur S. Auguſtinus) *ipſum Nathanaelem eruditum, & peritum legis fuiſſe, propterea noluit illum Dominus inter diſcipulos ponere, quia idiotas elegit, ut confunderet mundum. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, volens ſuperborum frangere cervicem, noluit per oratorem quærere piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem.*

S. Auguſt. in Ioan. 1. tr. 7.

Primus ex hominibus prædicator fuit Enos filius Seth. *Hic cœpit invocare nomen Domini.* Vel, ut legitur ex Hebraico, *Ab ipſo factum eſt, ut invocaretur nomen Domini.* Et primus ipſe cultum Divinum docuit, ritus & cæremonias in Sacrificiis obſervandas annotavit. Ut quid res tam ſeria committitur Enos? Cur non æquè aliis filiis Seth? Myſterium latet, quod advertit Fortunatus Scachius. Enos idem eſt quod homo. Notandum, quòd in S. Scriptura tribus diverſis vocibus ex textu Hebraico ſignificetur homo, ſcil. Adam Hiſch, Henos: eâ tamen differentiâ, ut per Hiſch denotetur homo inſignioris notæ, & valoris; per Adam homo terrenus; per Henos homo viliſſimus & ignarus. Putem ego Enos abjectiorem fuiſſe, & rudiorem ceteris fratribus, adeoque Deũ elegiſſe hunc ad munus tam arduum & ſerium: quia nemo apud Deum aptior quàm ſic abjectus & inutilis? nemo doctior quàm indoctus: eſtque facundiſſimus ille Orator, qui ad inſtar pueri, ad ſingula balbutit.

David In conſideratione Divinæ magnificẽtiæ attonitus, exclamabat: *Domine Dominus noſter, quã admirabile eſt nomen tuũ in univerſa terra!* q. d. Quando contemplor Divini tui nominis excellentiã, hæreo ſine voce, & cõfundor: utpotè quòd à Solis ortu uſque ad occaſum ſemper laudabile, cælis ipſis ſublimius eſt. Neque, ſi confluant Oratores omnes diſertiſſimi ad dignè celebrandum, etiam in minimo ſuffecerint. Et vere ut dicam, nemo laudaverit melius, quàm admiratione & ſilentio: ſiquidem. *Magnificentia tua elevata eſt ſuper cœlos.* Vana hîc facundia Demoſthenis, ingrata Tullii eloquentia, & omnis mundi Rethorica eſt deficiẽs. Quis igitur laudet? Audite. *Ex ore infantiũ, & lactentiũ perfeciſti laudẽ.* Prævalet hîc parvulorũ balbuties. *Quomodò vel ab his laudũ præconia,*

Pſalm. 8.

Paul. Manap.

vestig. 23. §. 1.

conia; cum sermonibus imperiti sint? Quæ prudentia est, talibus uti declamatoribus? intelligite consilium Dei: elegit Deus stulta mundi, quibus crederet nominis sui, & gloriæ celebrationem Non petit viros facundos, qualis erat Demosthenes, qualis Nathael, qui nomen ejus por omnem terram extollant: non cupit Oratores, sed idiotas; *Narrat simpliciter in quibus appareat Dei magnificentia, & virtus, non certè in potentibus, non in nobilibus, non in fortibus: sed infirmis, ignobilibus, contemptibilibus: nam fortitudo Dei fundatur & stabilitur per infantes, infirmos, idiotas & simplices.* Nolim Evangelium meum Rethoricis adumbrari coloribus, sed stilo simplici prædicari. Vos, vos piscatores estis idonei, vos volo, adeste: *Venite, venite post me.*

Ignorantiam peto tantùm, ut elatorum sapientiam confundam. *Exitus acta probavit.* In Concilio Niceno Philosophus aderat argutus valdè, & in malitia pertinax. Sophismatibus ille *multos irretiebat, & à nemine irretiri poterat.* Neque erat aliquis refutare ausus, aut redarguere, Vir simplex & idiota aliquis licentiam petiit, ut posset cum Philosopho conferre & disputare de articulis fidei? atque potuit. O quanta est Dei virtus! Philosophus subtilissimus ab homine ignaro ita statim confunditur, ut abjuratis ilicò falsis dogmatibus, liberè exclamciârit: *Credo, & Christianus esse volo Simplicissimus Christianus in certamen descendit cum eo & articulis fidei vicit, & tandem fidem Christianam confessus est.*

Sozomenus lib. 1. hist. Eccl. c. 17.

Idiota ille vicit Philosophiam hominis: at S. Andreas argutiam dæmonis confudit. Mirabilis est casus qui refertur in vita ejus. Episcopus exemplaris & sanctioris vitæ, qui speciali cultu & devotione Sancto Andreæ adeò erat addictus, ut in cunctis agendis hunc semper præmitteret titulum, *Ad honorem Dei & sancti Andreæ.* Invidens Viro sancto antiquus hostis, callide struit insidias, & quò faciliùs tentet ac fallat, formam puellæ venustissimæ assumpsit, seque finxit filiam Regis, & à patris facie declinare, eò quòd vellet desponsare invitam, quia Deo Virginitatem perpetuam consecrasset. Ad Episcopum pergit mentito illo habitu, statimque pedibus ejus provoluta, asylum implorat, & protectionem. Miratur Præsul nobilitatem sanguinis, majestatem & pulchritudinem corporis, tantum in virgine fervorem & constans virginasis castitatis votum: auxilium pollicetur & favorem, ad palatium intromittit & ad mensam. Cum mensæ jam assiderent omnes & illa ex opposito Episcopi, intendit in eam crebrò, & quò magis respiciebat, eò formosior ficta Domicella apparebat, ita ut convivæ plus recrearentur pulchritudinem falsam intuendo, quàm appositis ferculis reficiendo. Ecce subitò aderat ad portam palatii aliquis, iteratis ictibus pulsabat, petentique Episcopo an permitteretur ingressus, respondit mulier: Famulus præmittatur & proponat hoc dubium; Quid maximum, & mirandum fecit Deus in spatio angusto: Quod si resolverit, licebit ingredi. Respondit peregrinus: Sic à me dices ei, qui te misit, nil majus aut mirabilius fecisse Deum in spatio exiguo, quam diversitatem facierum & venustatem. Applausit Domicella, additque alterum dubium: Ubi terra omni cœlo altior; Et hoc quæsitum resolvit ipse, dicens: In cœlo empyreo, ubi residentia Corporis Christi, quod è terra formatum, ut nostra sunt. Et hoc approbavit. Tertiò denique interrogavit: Quantum à terra cœlum distat; Vade, inquit peregrinus, & dic mulieri, hoc ipsi notissimum, utpote quæ spatium illud mensuravit à cœlo in abyssum delapsa. Larva infernalis ubi detectam se vidit, & in diabolicis sophismatibus confusam à simplici peregrino, disparuit relicto fœtore intolerabili. Accurrunt ad portam omnes ut peregrinum videant, sed non compatet. Tristantur non esse inventum & agnitum, quare procumbunt in genua & humiliter rogant Deum, ut revelet? & ita factum, quia cognovit Episcopus fuisse S. Andream Apostolum, quo patrocinante insidias diaboli evaserat.

Iacob. de Vorag.

Tympius in mensa Theos. c. 1. de terra.

Hæc vobis, Auditores, sit commendata pietas & erga gloriosum Apostolum fervens devotio, ut ab insidiis diaboli in vita & in morte vos protegat. Et peroro verbis Pelbart: *Ecce ergo, charissimi, quàm bonum est, beati Andreæ patrocinium invocare, ut liberetur homo ab insidiis & periculis Diaboli. Rogemus ergo Christum Iesum, ut beati Andreæ meritis det nobis gratiam & gloriam.*

Pelbart. serm. de S. Andreæ.

* * *

DOMI-

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

ARGUMENTUM.

Veritas in mundo locum non habet, ubique ingratis excipitur auribus, torvo aspicitur vultu & aversantur omnes. Mendacium quæritur & promiscuè in patrocinium vocatur, præsertim à mulieribus, quibus innatus mentiendi & fallendi affectus.

THEMA.

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? S. Matth. cap. 11.

SUbtiliter à Darii Regis Aulicis disputatum est & curiosè indagatum: quid in mundo fortissimum censeatur: & ex ingeniorum diversitate orta est judiciorum discordia. Dixerunt aliqui: *Forte vinum*, Vino cedit fortitudo omnis & potentia & merito: quisquis enim eo captus, mentis fit impos, dispersis sensibus, turbato vaporibus fumantibus cerebro, phrenetico similis, mira videt, nihil videns: mediâ nocte soles duos, pleno die tres lunas, cœlum immobile, terram video vacillantem, diceret, si modò rectè loqui posset: loquitur tamen, sed somnia, sed vana omnia & delitamenta. *Forte vinum.* Aliorum hæc sententia fuit: *Fortior est Rex:* ipse enim vel nictans solum, aut manum movens, imo ad voculam terret integrum Regnum, facitque trepidare. *Fortior est Rex.* Plerique aliter opinati resolverunt: *Fortiores sunt mulieres.* Mulier enim solo visu lædit, lachrymis mollit & flectit, verbis & lenocinio capit, suspiriis ligat, precibus & blanditiis prosternit, vincit & triumphat. *Fortiores sunt mulieres.* Dissentientibus itaque Aulicis ultima præ cæteris sententia placuit, illaque in favorem mulierum tenenda, nisi alteram hanc Zorobabel acutioris ingenii opposuisset, dum sic concludit: *Sed super omnia vincit veritas.* Fortis quidem & valdè est mulier, sed superat longè & vincit veritas. Hinc indignata & exacerbata mulier, odium concepit mortale adversus veritatem, & inimicitias indicavit non nisi cum morte finiendas. *Exitus acta probavit.* In Evangelio præsentis Dominicæ pergit ad Aulam Joannes, zelo accensus ad Herodem penetrat, de libidine arguit, voce minatur & gestibus, eique in faciem prædicat veritatem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Jam, jam tempus est, inquit mulier, injuriam ulciscar illatam in atrio Darii Regis. Huccine comparet veritas? Audebit in palatio Regis? Hanc perdite ego mulier prosequar: neque Joannes has manus evadet impunis, carcere facinus hoc luet & capite. Herodes instigatus vinctum catenis in carcerem detrudit: *Cum audisset Ioannes in vincula opera Christi, &c.* capitis sententiâ plecti jubet: *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Et potissimum ideo, dicit Haymon. Episc. Hardstat. *Propter veritatem, quam prædicabat, missus est in carcerem ab Herode Tetrarcha, veluti latro & sacrilegus. Dicebat enim illi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Ob nullam aliam causam missus est in carcerem, nisi quia veritatem prædicabat: & qui veritatem jugulare non potuit, præconem jugulat veritatis.* Quid faceret, vel quid crudelius rabida auderet mulier? Persecuta est veritatem, eoque redegit, ut illam oderint omnes cane pejus & angue, falsitatem verò diligant & foveant, quod modò videbitis.

3. Esd. cap. 3.

Haymon, Episc. Hardstat.

Marc. 6.

Dicit Ecclesiasticus NN. *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Dicerem ego jam tempus esse loquendi? siquidem Joannes instar vocis, *Ego vox*, locutus est & ait: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Existimabitis nihilominus tempus tacendi, utpote cum Joannes in carcerem detrusus, perdiderit vitam. Quid igitur fiet? loquemur? aut tacebimus? Utrumque licebit loquar ego prædicando, attendite vos tacendo. Aggredior.

Eccl. c. 3.

PARS PRIMA.

MAgno fuit in pretio & amore veritas antè actis sæculis, Domina & sine hoste regnabat,

Emanuel Imperat. Orat. 7.

non rationibus opus erit mihi (dixit Imperator aliquis) *nec priscorum, nec recentium quibus hanc sententiam ceu veram probare liceret. Non exemplis utar, non syllogismis, nam ubi veritas ipsa velut oraculo quid dixerit, mera blasphemia est orationem ejus tueri non velle.* Quò miseriarum devoluta est modo. Salvianus ita deplorat: *Exeritam veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum sustinere non possunt: nec solum refugiunt sed etiam oderunt & execrantur: & non modò auditam non reverentur aut metuunt, sed etiam majore superbientes pervicaciâ, perduellionem contemnunt.* Et Galenus: *Omnibus hominibus hic mos est, ut eos oderint, qui vera loquuntur.*

Salvian. l. 5. de guber.

Galen. l. de cogn. & cur. animi morbis q. 3.

Si superstes esset modò Romanæ facundiæ Princeps Tullius, & contemptam videret veritatem atque abjectam, verè aliter loqueretur, neque jam diceret. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facilè se per se ipsam defendat!* Non sic eam laudaret S. Basilius, mutatetque Sententiam: *Nuda est veritas, patrono non indiget, ipsa se ipsam defendens, ac splendido præconio humilitatem evehens, ac ostendens.* Ammonio potius jam consentiret, ubi sic ait: *Pericula veritati sæpè contigua sunt.* Verissimè Seneca.

Cicero pro Cæc.

Ammon. l. 26. c. 1.

Seneca in œdip. ver. 827.

Sæpe cruentis veritas patuit malis.

Proinde meritò insigniori notâ donandi, si quos dicta veritas dignos effecit & gratos, ut scribit Scaliger.

Scaliger in Æn. 7.

Hæc mensura rei est, in mente vel ore loquentis,
Esse ulla in toto si tamen ore potest.

Adeò ut S. Hieronymus veritatem è mundo eliminatam esse credidit: *Cogitans humanam vitam, & considerans diversos errores, non invenio veritatem in hoc mundo. Omne quod videmus & omne quod intelligimus, mendacium est.*

D. Hier. in ps. 115.

Solatium hoc Charidemo, qui mortis sententiâ punitus, quod Dario veritatem indicasset: *Veritatis impatiens hospitem Charidemum, ac supplicem, tunc maximè utilia suadentem, abstrahi jussit ad capitale supplicium.* Quippè ante ipsum Præcursor Christi Joannes Baptista reclusus in carcerem, caput perdidit & vitam pro illa ipsa veritate. Unde Sanct. Eulogius Martyr. *ille Angelus veritatis,* (inquit) *Redemptoris Præcursor, & nuncius pacis Ioannes Baptista, cum regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret, ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibiq; capite truncatur.*

Apud. Tob. Magir. verbo Veritas. n. 35.

S. Eulog. mart. lib. 1. men. Sanc. in Tom. 9. Biblioth.

Infortunia veritatis ita Isaias Propheta enarrat: *Corruit veritas.* Prodibat in publicum, videndâ ab omnibus, obruta est & suffocata. Transferunt alii ex Hebraico: *Et facta est veritas in aversionem.* Joannes Cluniacensis explicat: Si per plateam transiens nauseosum quid videris, an non pedem retrahis, & oculos statim avertis ne diutius videas? *Desumpta est parabola à cane mortuo in platea quem omnes ut rem fœtidam aversantur.* Pilatus Salvatorem interrogabat de multis quæ objiciebant Hebræi, sed de hoc specialiter, an scilicet esset ipse Rex Judæorum, ut jam aliquoties de se confessus dicebatur. Verè dicas & sincerè, non jam ut judici, sed ut amico candido, & omni ego modo te defendere conabor, & liberare. Tibine debitus hic titulus? *Tu es Rex Iudæorum? Ergo Rex es tu?* Salvator benignè respondit: *Tu dicis quia Rex sum ego.* Quomodò id verum sit? Subditos non habes, nec divitias, nec Regnum. Audi Pilate & crede: nescit enim mentiri, qui non est mendax. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Ne falsam, & mentitam rem dixisse videretur, dum se Regem verum esse, & Regnum habere confiteretur.* Quid ad hæc Pilatus? Surgit & iratus valdè, Videte (inquit) quis hic prædicatorem veritatis agere præsumit: pateret, si canitie venerandus aliquis diceret & qui longâ expetientiâ celebris. Sciat, quid inquirendum & si possit, responsum dabit. *Quid est veritas?* Subdit S. textus, Pilatum, factâ hâc interrogatione, statim vertisse terga & ad Hebræos conversum. *Cum hæc dixisset, exivit ad Iudæos.* Factum à Pilato inciviliter: Interrogat, & illicò faciem avertit. Nemini mirum videatur, quia *facta est veritas in aversionem, quam omnes ut rem fœtidam aversantur.* Se avertit, ne audiat, quasi veritatem audire nefas sit & ignominiosum. *Exiit, non expectato veritatis responso.* Toleti sunt sequentia verba: *Non expectatâ responsione suæ interrogationis abiit.*

vet. Pr. fol. 6. 2. Isa. 59.

Ioann. Clun.

Ioan. 18.

Card. Tolet. in Ioan. 18.

S. August. tract. 105. Labata to. 3. Verbo Veritas. prop. 1.

Salmeron.

Sanctus Stephanus Cyrenensibus, Alexandrinis, aliisque nationibus prædicabat, & sancti Pauli secutus monitum, *Argue obsecra, increpa,* acriter reprehendebat, iniquitatem sic exprobrando: *Durâ cervice & incircumcisis cordibus vos Spiritui Sancto resistitis: sicut & Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri?* Quid facerent veritatem intelligentes? *Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis & stridebant dentibus in eum.* Audacter nimis loquitur, (inquiunt) multa nimis effundit, & quem libet carpit: aut continebit, vel certè non audie-

Tolet. supra.

2. Tim. 4.

Act. 7.

mus

mus impoſterum, ſed expellemus. Syriacus textus habet, *Obturaverunt aures ſuas*, cum audirent à Stephano veritatem. Nec aliud voluit Prophera innuere, ubi ait: *Corruit veritas in plateis, & facta eſt veritas in averſionem.* Et S. P. Auguſtinus: *Obturaverunt aures ſuas, malè ferentes, quia veritatem prædicabat.* B. Petrus Damian. *Exclamant ſtatim clamore horribili, continent aures ſuas, & eas obſtruunt veritati.*

S. P. Aug. Petr. Damian. ſer. 92. l. E.

Andr. Ebor. Petr. Crinitus lib. 6. c. 2. & alii.

Memorant Scriptores varii de Rege Cambyſe. Habebat ille nobilem in aulâ charum valde & familiarem, cui nomen Præſaſpus. Quadam die ſevocat & in conclave pertrahit, & aſſidentem ſecretò interrogat: Ediſſere, amice vir? quis de me in civitate rumor eſt, quid dicit, quid ſentit vulgus de meo præſertim regimine? Abſit Rex potentiſſime, ut conqueratur aliquis? econtrà gaudent, ſeque beatos ſub Sceptro tuo omnes exiſtimant: & merito. Juſtitia in te integra eſt & incorrupta, regimen tuum irreprehenſibile eſt & mores laudandi. Scio, ait Rex, ſcio equidem, ubi diverſus eſt populus, difficile utrobique regentem placere: arridebit uni, diſplicebit alteri, adeoque fatearis, amabo te, ſic volo, ſic jubeo, idque in eum finem, ut corrigam cum potero & opportunum videro. Credat Tua Majeſtas & acquieſcat, omnes bene loquuntur & laudant. Placere fortaſſis intendis, mi Præſaſpe, veritatem ſubticendo? Falleris: non enim placebis, niſi priùs dicta ſit à te veritas. Fideliſſimus ego ſemper tuus cliens Præſaſpus non mentiar: Gratiam fatentur omnes pro tam benigno principe, cæloque acceptam referunt, benedicunt, cupiuntque perpetuò ſubeſſe. Equidem, qui defectum in veſtra perſona, quid aliud quam in ſole umbram quæreret? Juſſus tamen obediam, ut & fide promiſsâ me liberem, atque quod verum, ſyncerè dicam: Nuper inter Nobiles aulicos de Majeſtate veſtrâ ſermo eſt inſtitutus, ſed modeſtè & reverenter extollebant omnes: quia tamen ſolus Deus ſine peccato eſt, bonum judicarunt ac expediens, ut Regia Majeſtas à prandio & cœna immediate ſolitudinem quæreret, ne diutiùs inter Aulicos hærendo, vino turbante cerebrum, quid effutiat vilius & tanto indignum Principe. Cui Rex. Intellexi, ait jam, & ſatis eſt. Scis, quid ampliùs à te velim? Cras ad prandium cum filio veni, atque hæc eſt voluntas & intentio Regis. Poſtridie mane comparent ambo ad regale convivium. Expleto convivio Rex in hortum abduxit, præcipitque famulis Filium Præſaſpi ad arborem ligare, arcum adferre & ſagittam, atque ſic loquitur: Recordaris Præſaſpe, quid heri ſuggeſſeris? jam vide, an trepidante pulſu & manu, aberret oculus? & ejaculatus, cor filii ejus transfixit: extenſoque digito ſic Præſaſpo minatus, Diſce (inquit) veritatem Principibus aliàs loqui: quod filio tuo nunc factum vides idipſum tibi continget, ſi veritatem denuo proferre ſis auſus. Vade & lucrum tuum perpende. *Cum audiendi veritatem patiens non eſſet, in amicum adeò crudeliter ſævit.*

Andreas Ebor. de verit. dicend.

Sed quid Cambyſem memoro, aut Præſaſpū? Herodem habetis & Joannem, atque hic quidem dixit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Sed quomodo? non impune: ab impio Rege in carcerē pellitur: *Ioannes in vinculis:* & ſentētiâ mortis damnatur: *Præcepit amputari caput Ioannis in carcere.*

Matth. 6.

De ſervo Dei referunt, qui Martyrii accenſus deſiderio, ex Italia Syriam petit, ibique occurrens Sultano ſciſcitanti cur eò adveniſſet, & derelicta amœniori Italiâ tot viæ incommodis, tot periculis ſe objeciſſet? reſpondet: In Syriam veni, Sultane, ut mortem quæram & martyrii coronam merear, veritatem Evangelicam hic promulgando. Subriſit Sultanus & ait: Inconſideratè à te factum: neque enim tot ſubiiſſe labores oportuit, ſi modò Principibus tuis veritatem prædicaſſes, mortem & martyrium inveniſſes. Redi igitur in patriam, ibique veritatem ſerendo, mortem metes. *Ito ad principes tuos & mortem, quam apud me quæris, apud illos invenies.* Accelera & citiſſimè exorabis. Quàm bene ab infideli reſponſum! nec poſſet ab homine Chriſtiano melius. Ut proinde vere dixerit venerabilis Guigon. *Inſaniunt multi protinus, & veritatem in ſuo prædicatore perſequuntur, & occidunt.* Et paulò inferiùs: *Vide quantum honoratur mendacium.*

Mart. Delrio p. 2. Adag. c. 9. Eccleſ. c. 5. ver. 20. Adag 383. Guigon. Abbas Carthuſ. de Verit. c. 1. in Biblioth. veterum. PP. Tom. 12. p. 2.

Verè ut loquar, Auditores, adeò hominibus exoſa eſt veritas & depreſſa in opinione vulgi, ut nemo jam fidem præſtet, nemo credat, etiamſi manifeſtior luce appareat aut ſole clarior. Quorſum putatis, voluit Deus, ut Joannes Baptiſta veniret in mundum? Quid urgebat? Ut quid, non ſine miraculo fœcunda ſit Elizabeth cum Zacharia? Commune dictum eſt. *Non ſunt facienda miracula ſine neceſſitate.* S. Joannes Evangeliſta rationem dabit: *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Sed quid opus eſt teſtimoniis ad probandam claritatem lucis, aut ſplendorem ſolis? *Oculis magis quam auribus credendum.* Lex habet & quis dubitat? *Certior aure, arbiter eſt oculus.* Hoc eſt, quod ad oculum evidenter patet, fruſtrà teſtimoniis probatur. Hinc ait S. Auguſtinus:

Ioann. 1. §. fin inſtit. de gradib. cogn. gl. in lin. ſum. §. idem Lan-

Nun-

Leo 2. ff. de aqua pluvia, arc. S. Auguſt. in Ioan. c. 1. Franc. Card. Tolet. in Ioann. c. 1. Dionyſ. Carth.

Nunquid opus erat, ut Ioannes tanquam lucerna perhiberet teſtimonium diei? Non mirum, quia, ut ait S. Evangeliſta, hîc erat perſuadenda veritas, Chriſtum ſcilicet verum eſſe Meſſiam, verum Dei Filium. *De hâc enim luce Ioannes teſtimonium perhibuit, nimirum de Chriſto Meſſia, vero Deo & homine: ut omnes crederent per illum.* Ut ſic eſſe crederent, dum S. Joannes teſtimonium ferret. At verò, quia neque verum creditur, licet meridianâ luce ſit clarius, teſtimonium requirebatur. *Hic venit in teſtimonium* (inquit D. Dionyſ. Carthuſianus) *ut veritatem annunciaret de Chriſto.*

Minus adhuc malum eſſet, ſi vel teſtimonia ad veritatem adſtruendam ſufficerent: neceſſe eſt inſuper, Deum miracula facere, ut credatur, Filium Dei benedictum modico pane & duobus piſcibus ſatiaſſe quinque hominum milia. S. Joannes Evangeliſta affirmat: *Ex quinque panibus & duobus piſcibus ſatiavit Dominus quinque millia hominum.* Hoc non miror: ſcio enim creaturas omnes ejus ſubdi imperio, *Et non eſt qui poſſit reſiſtere ejus voluntati*: ſed quod modico pane cibârit mitiades hominum, eoſque, famelicos quidem, ſatiârit omnes: atque hoc magis adhuc mirum eſt, neque poſſum concipere, quod analectis impleti ſint duodecim cophini. *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant, Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Quò exceſſus ille? nunquid ſuperfluus? Ab hoc tamen natura abhorret? ut meritò dixerit Hippocrates. *Satietas, quæ modum naturæ excedit, non eſt bona.* Neque minùs iſta refugit Deus quàm natura, utpote, quæ plus vitii quàm virtutis participavit: quocirca Redemptor nos Patrem pro ſolo pane tamquam victui noſtro neceſſario, rogare docuit, non ſuperfluo. *Cum oratis, dicite Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi bene interpretatur B. Jordanus de Saxonia verbis: *Reſecatur ſuperfluitas per hoc quod dicitur, Panem. Non dicit, carnes, vel piſces, vel aliquid ſuperfluum, ſed ſolum, quod neceſſarium eſt naturæ, quod ſignificatur per panem.* Ægidius Romanus idem confirmat, ubi ſic breviter ait: *In hoc, quod dicitur, Panem, excluditur ſuperfluitas.* Senatus laconicus obſervat & ſeverius corripit litteratum illum, qui vel tribus verbis conceptum exponit, cùm tamen duobus poſſet. Pittaci dictum eſt: *Domus illa eſt optima & beatiſſima, in quâ non requiruntur ſupervacanea.* Quomodo igitur hic ſuperflua Redemptor admittit: Reſpondet S. Baſilius Seleucus, nil ibi ſuperfluum, quin potius neceſſarium ad Omnipotentiæ defenſionem. *Ideo nunc Dominus panem multiplicat, in potentiæ defenſionem.* Non enim Hebræi tantum per Chriſti Omnipotentiam factum miraculum credidiſſent: propterea miraculosè ſupereſſe duodecim cophinos fragmentorum voluit, ut quilibet Divinam Omnipotentiam prædicaret, & teſtaretur miraculi veritatem: quaſi pro veritate perſuadenda duo vel tres teſtes non ſufficerent, ſed duodecim requirerentur. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.*

Loan. 6.

Hippocrat. Aphor. 4. l. 2.

Luc. 2.

B. Iordan. de Saxon. in Expoſ. Orat. Dom. 294 Ægid. Rom. in Orat. Dom. traja Boccal. Reg. 6. Plutarch. in con-

Sapientiæ.

S. Baſil. Seleuc. Orat. 33.

Veritatem opprimitis & terræ latebris occultate tentatis? Facite, ſed ſcitote quòd tandem aliquando renitentibus vobis, ſe prodet & malo veſtro manifeſtabitur. Quid Midæ acciderit, D. Fulgentius memorat, quòd in controverſiâ gravi propoſitâ inſenſatè locutus ſit, temerè judicium ferens? unde Diis diſplicuit, neque evaſit impunis, cum ſtatim ſenſit accreſcere auriculas Aſini? ut omnibus pateret ea veritas, Aſinum illum eſſe, non hominem, qui tam evidenter contra rationem, ſententiam edixiſſet. Quid hic Midas ageret, præ confuſione vix ſciebat: Barbi-tonſorem accerſit, & in ſecretiori cubiculo aures ab illo præcidi jubet, eâ tamen lege, ne, ſub pœna capitis, ulli mortalium umquam factum revelet. Et ut omnem deleret memoriam, auriculas in terram projecit & ſepelivit. Accidit, ut inde germinaret arundo, quam caſu opilio videns, abſcidit, quæ pro fiſtula paſtoritia fieret, aptavit ad luſum: ſed (quod mirum eſt) quoties inflabat, hunc ſemper ſonum reddebat, *Auriculas Aſini Rex Midas habet.* Unde alluſit Petron.

D. Fulgent. in Myth.

Sic commiſſa ferens avidus reſerare miniſter,
Fodit humum, Regiſque latentes prodidit aures.
Excepit nam terra ſonos, calamique loquentes.
Invenere Midam qualem narraverat index.

Petronius.

Veritatem igitur extinctam putatis. Sic ſepelire, ne apud homines ulla ſuperſit memoria, ne proditionis periculum reſtet?

Memoratu dignum eſt quod Carolo V. contigiſſe ferunt. Habebat Imperator in aula horologium rotatum magni pretii, quod rarum valde & induſtriè elaboratum Famulorum unus videns concupivit, attipuit & in ſaccum abſcondit. Advertit Imperator, & ablatum repetiit: at ſervus veritatem facti conſtanter negavit, quantumvis urgeretur, & cum magis magiſque abdere pertinaciter tentat, horologium ſonare cœpit, confunditur miſer; & veritas, diu latere impatiens, erumpit, & per ſe manifeſtatur.

Apud Baſilium Ponce Sabbath. 4. Quadr. §. 4.

Et ſi veritas per ſe manifeſta non fieret, Deus ipſe

ipse faceret. Christus apud S. Matthæum, duorum vel trium testimonio veritatem fundari dixit. *In ore duorum vel trium stat omne verbum.* Si duorum sufficiat testimonium, quid opus tertii? Intelligo quid velit: intentum est, quod, si in aliquo eventu duo veritati testes contradicerent, ut factum Susannæ legimus à duobus calumniantibus & falso illam accusantibus: aut etiam tempore Passionis Christi, quando *venerunt duo falsi testes*, tunc *in ore trium*, (id est) *Divinarum Personarum stabit veritas. Per hoc mysterium Trinitatis commendata est veritas. Vis habere bonam causam, habeto tres vel duos testes, Patrem, Filium & Spiritum sanctum*, inquit S. P. Augustinus.

Matth. 18.

Matth. 26

S. August. tract. 36. in Ioann. c. 8.

Quis scire possit, an veritas mulieribus grata non sit, utpote quæ fœminini etiam generis, tametsi viris exosa & repudiata. At major est in mulieribus antipathia, & in tantum sunt veritati contrariæ, ut ne vel dragmam unam venumdarent, quamvis in pretium illis omnes mundi divitias quis offerret. Quinimò extirpatam potiùs eam vellent radicitùs, ne umquam deinceps repullularet. Anxia erat Herodias & verebatur ne Joannes à morte resurgeret, ac denuò veritatem intimaret? ideoque caput separatim à corpore voluit sepeliri. *Corpus Ioannis sublatum, à Discipulis ejus sepultum fuit Sebaste. Caput vero nequaquam cum corpore concessum ad sepeliendum fuit, id prohibente Herodiade.*

Baron. ad Annum Christi 33.

Ægrè ferebat Deus, præceptum quod posuerat, ab Adam & Eva non curari: iratus ad paradisum accedit, ut, quomodò factum, indagaret. Adamum vocat & interrogat: *Adam ubi es?* Quid ab Adamo petis, quid, Deus bone? prætendis? Indignor (ait) valde: video enim legem meam vilipendi: ab Adamo inquiram, quomodò tam facilè ad transgressionem mandati sit inductus, & omnium veritatem scire lubet. Parcat mihi tua Majestas, si verbulo interpellem. Præstaret Evam interrogari. Interfuit illa, cum factum? Adam non attendit, quomodò serpens ad transgressionem tentarit Evam, neque ad interrogata poterit respondere; à muliere potius factum inquiratur, fiatque legitima informatio, conscia non tacebit, plenè satisfaciet, veritatem revelando. Falleris & aberras, quisquis tibi persuades, à muliere veritatem posse extorqueri: è mulieribus indagare veritatem, stultum est & vanum. Unde solebat dicere de illis Aristophanes:

Genes 3.

Aristoph. conc. se hera eundi

Ipsa enim sunt decipere consueta.

Et Romanæ facundiæ Princeps Tullius:

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis?
Namque est faminea tutior unda fide.

v. 209. cicero apud Petron p. 233.

Inimica est mulier & adeò veritati contraria, ut ne ferat quidem de illâ fieri mentionem. Mulieri Samaritanæ Christus ad puteum Sichem loquebatur, aquæ potum requirens ad sitim levandam. *Mulier, da mihi bibere.* Illa inhumaniter recusavit. *Quomodò tu, Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* At ubi de aqua cælesti dicentem audivit, illicò haustum rogavit. *Domine da mihi hanc aquam.* Faciam lubens (inquit Salvator) prius domum redi, maritum huc conducito, & aquam desideratam gustare tunc poteris. *Vade, & voca virum tuum.* Egonè virum quæram? quem vocabo, aut cujus maritum putas? Tot ego miseriis in hoc mundo & clamitatibus obruor, ut nil minus quàm de vito cogitem, neque egeo, qui malum meum adaugeat. Virum non habeo, benedictus sit Deus, oroque frequenter, ut vitam potius auferat, quam virum donet. Scio (ait Christus) maritum non habes unum solum, *quinque enim viros habuisti & nunc quem habes, non est tuus vir.* Attendite NN. & mulieris Ulyssæum commentum mecum admiramini: Pergit in colloquio mulier? Video inquit, quod sis Propheta: quare, rogo, adverte? Vides hunc montem excelsum valde? Patres nostri illic conversati sunt & orare soliti. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt.*

Ioann. 4.

A proposito hæc mulier deflectit & (ut proverbium est) à bove ad asinum transilit. Dicit Christus: *Quinque viros habuisti.* Respondet illa *Patres nostri in monte hoc adoraverunt.* Quò pergis mulier? Totâ erras viâ. Observate NN. Christus de quinque viris loquitur, & de eo quem jam habet. Illa propositum mutat, cum de adoratione, de monte, de Prophetis discursum inchoavit. Dicam quare. Christus veritatem objiciebat, illa molestè tulit vel etiam fieri mentionem, quasi dicendo. In alium nos campum conferamus, & nova dicamus, *ut colloquium de sua incontinentia inceptum interrumperet. Sæpe enim accidit, quando aliquid non admodum libenter auditur, aliquam solemus excitare diversam quæstionem, de qua dum fit sermo, quod erat auditui minus gratum, relinquitur.* Sic veritas jacet, & ubique contempta.

Franc. Card. Turlet. in c. 4. Ioann.

De vetulâ narrant, quæ cum per plateam incederet, in luto speculum vidit, excepit & detersis sordibus, faciei admovit seipsam intuitura: at quia in speculo objecta mulieri veritas, ubi vidit in crine canitiem, in fronte rugas, in maxillis squalorem,

lorum, infumatam cutem, naſum diſtillatorio tubo non diſſimilem, & in toto vultu non niſi maximam deformitatem, potuiſſet putum cadaver aut monſtrum videri! adeò indignata eſt, ut uno iræ impetu in terram illud alliſerit, & in mille contriverit partes, hæc adjiciens verba: *Meritò ab omnibus abjectum, in ſterquilinio jaces, quod ſic apertè deformitatem manifeſtas,* Dicat quis mulieri, abſurdam eſſe, deformem aut decrepitam, & quid pro reſponſo habiturus ſit, videat, neque putem maledictum effugiet.

Labata t. 3. Verbo veritas prop. c.

S. Joannes ſpeculum erat veritatis. *Quid aliud eſt, qui vera dicit, quam ſpeculum mundum, verè res repræſentans ſecundum earum exigentiam: ſicut enim ſpeculum ſpecioſum vultum, ſpecioſum reddit, deformem vero, deformem: ſic ille, qua pulchra ſunt & bona, pulchra & bona refert: qua vero fada & mala, fada & mala dicit* Videbat Joannes fœditatem Herodis cum Herodiade, & non ſecus ac ſpeculum cryſtallinum, voce ſuâ fœdos repræſentabat, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Et hinc uterque in ejus perditionem conſpirant, non curantes, quid contentum in Lege: *Sine culpa non eſt aliquis puniendus,* plus odio ſævientes quàm ferro, caput abſtulerunt & vitam. *Et qui veritatem jugulare non poterant, præconem jugulant veritatis.* Prætereâ (quis crudeliora excogitet) S. Hieronymus ſcribit, poſitum eſſe caput in menſa Herodis, ad cujus aſpectum exiliens Herodias furibunda, acu capillitii linguam ejus crebris punctùris transfixit, impiè ſic locuta: Lingua iſta veritatem dicere non abhorruit, ideoque ſic pungi merita & laniari. *Inſultavit Herodiades præciſo capiti, atque acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguam perforavit: quia veritatem non potuit audire.*

C. ſine culpa, de Reg. jur. in 6. ſi, putat. ff. ad l. Aquil.

D. Hier. in Ruf. apol. apud Baron. T. 1. Anno Chriſti 33

Quicumque veritatem prædicat (inquit S. Antonius de Padua) odium promiſcuè omnium incurrit. *Si veritatem, ut res ſe habet & ipſa veritas requirit, & divina Scriptura apertè præcipit, quisquis prædicaret, ni fallor, odium carnalium incurreret.* Utut ſit, veritatem ego non ſubticebo. *Qui veritatem prædicat, Chriſtum confitetur, qui verò eam in prædicatione tacet, Chriſtum negat.* Homines veritatem oderunt & ut mortem abhorrent: ſingula verba retractant, aut dixiſſe pudet, eaque loquuntur, cum minùs cogitant.

D. Anton. de Pad. in Dom. 6. poſt Paſcha.

Idem qui ſupra.

Sub umbrâ veritatis mendacium palliare ſolent. Ab aulâ jam pridem exulat, illique ſemper negatur acceſſus. Aulicorum nemo ſyncerè loquitur, omnes jucunda architectantur mendacia! ore proponunt ſplendide, vitrum flavens pro auro venditant, lunam in puteo monſtrant, atque alieni ſemper à vero, Rachelem pollicentur, & Liam tradunt. Artifices prius verbis plus dolo efficiunt, quàm ſi pro veritate loquantur, altè retinentes quod effertur communi proverbio, *Coll' arte, è coll' inganno ſi vive mezzo l' anno coll' inganno, è coll' arte ſi vive l' altra parte.* Arte & dolo per medium annum vivitur, neque reliquo tempore fit minus. Veritatem repudiant omnes & perſequuntur? nemo admittit, nemo defendit. O veritas, ſervet te Deus! quia ſi infirmaris non erit qui confortet, & ultimas querelas excipiet, ſi moreris, in cœmeterio oblivionis ſepultura erit. Audite illam ipſam plangentem.

Inviſa tota diu agor mundo, undique:
Me ceu canem pellunt procul;
Nullus latendi uſquam locus: dicam mihi
Minantur omnes, heu! necem.

Cornel. Graph. in Biblioth. vet. PP. T. 15.

Perſiani curant, & tria filios ab anno ætatis quinto ad uſque vigeſimum docent: *Equitare, ſagittas jacere & veritatem dicere.* Et Chriſtianorum pueri, vixdum ſoli poſſunt incedere, mendaciorum fiunt magiſtri.

Herodot. in de Lege Perſar.

Quantumvis tamen homines perſequantur & conentur opprimere, *hujuſmodi eſt veritas natura,* (ait S. Chryſoſt.) *ut undequaque oppugnatur, inde magis confirmetur, & quò magis obtegitur, eò clarior evadat.* Nec aliter ſentit D. Hieronymus, ubi ſic loquitur: *Veritas claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt, qua & ſuorum paucitate contenta eſt & multitudine hoſtium non terretur.*

D. Chryſ. hom. 57.

D. Hier. Tom. 9. in Reg. Monach.

Noſtis NN. verum & veritatem eſſe cognata: veritas eſt veri ſoror, ſed tot ſunt pauperes per plateam mendici, laceri & nudi non habentes quibus tegantur: vos viri oſtendite quod veri amantes ſitis, voſque mulieres quod veritati addictæ, credite dico, liberaliter eleëmoſynam largiendo: opus charitatis facite, atque alterum ego diſcurſus mei partem aſſumam.

PARS SECUNDA.

QUanto in odio veritas, tanto eſt in amore mendacium. Hoc fidem promiſcuè meretur, non illa: *Neſcio, quis contra nos mentitus eſt* (diſſerit S. Hieronymus) *& magis illi creditur mentienti, quàm nobis verum dicentibus. Non debemus deſperare: cuſtodit Dominus veritatem in ſæculum,* ſic ut dictum mendacium per fas & nefas ſuſtineatur: neque retractent, etiamſi mundus periret. Et ſolent hujuſmodi eſſe plerumque mulieres.

res. Si tamen huic meæ assertioni pertinaciter ab aliquibus contradiceretur, à me probatio debetur: cum dicat Lex: *Affirmanti incumbit probatio, non neganti.* Mulieres duæ abjectioris fortunæ in eadem domo convivebant, una & altera habebat prolem recens natam. Contigit unius prolem mori. Illa quid ageret? Ad alterius lectum accessit, & prolem vivam abstulit, mortuam ejus loco reponens. Expergiscitur manè bona mulier, & prolem mortuam deprehendens, lachrymari cæpit, altum suspirans: Heu me miseram quid feci? Puerulus meus expiravit. O me infelicem! Sed, quid adverto? non ille meus puer, sed convictricis meæ est. Irata sociam aggreditur, Redde, ait, redde illicò filium meum, ne alioquin in caput tuum involem. Ecce tuum, meum repone. Replicat altera: Quid tibi est, aut cui loqueris? Filium repetis? Quem putas? Somnias, aut certè deliras, Scio, inquit altera scio, quid dicam? redde citò filium meum, ne tibi majus eveniat malum. Respondit illa: Jam dixi quia tuus ille mortuus est, meus ille qui vivit, quapropter garrula quiescas, velim, & linguam contineas. Tandem pervenitur ad Salomonis Tribunal, ne aliàs ad pugnam. Vera mater prolis vivæ, querelas deponit: *Mortuus est filius mulieris hujus nocte, dormiens oppressit eum, & consurgens tulit filium meum de latere meo & collocavit in sinu suo.* Et hæc veritatem dixit. Altera superbè respondit: Mentiris, est falsum, mortuus ille tuus est, meus qui vivit. (O mendacium splendidū) Judici adstamus, justitia fiat: *Non est ita ut dicis: sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.* Hic subsistamus NN. si filium ego habeam, & vobis eum tradam, ut meo commodo illum educaretis, in ædibus vestris vestiretis, instrueretis: peto, an reciperetis? Non Pater, nullo modo sic fiet, diceretis: Quid nobis cum prole extranea? Qui genuit, ille curet & gubernet. Ut quid igitur ista mulier prolem alterius accipit, nec semel attendit quantæ futurum sit molestiæ, educare, alere & vestire? an non insipienter id factum? omninò: sed aliud latet, & hoc movet. Mater ista falsa mendacium protulerat, dicendo. *Filius meus vivit, filius tuus mortuus est:* & hoc tueri intendit per fas & nefas. Et si verū est quod *approbatum semel, non potest modo reprobari:* è contra pro axiomate infallibili tenebat, quod *negatum semel, non potest amodò affirmari.*

Scimus, diabolum inventorem esse mendacii *Ipse est author mendacii, qui genuit mendacium: & quia mendacium genuit, pater mendacii est.* Ita Æterius Episcopus.

Ille ipse mendacii author mulieres instruit, & in tantum statim proficiunt discipulæ, ut fiant magistræ & magistro (si dici possit) in fingendis mendaciis falsiores. In principio mundi concertasse videntur mulier & diabolus, uter in mentiendo magis excederet: diabolus duo tantum mēdacia potuit excogitare, alioquin astutissimus scilicet: *Nequaquam moriemini & eritis sicut Dii.* Eva statim tria effutivit *Præcepit nobis Deus.* Ecce primum: quia soli Adamo præceperat Deus? nondum enim formaverat Evam. Dixerat Deus: *Ne comedas* Et illa asseruit, dixisse, ne tangerent: *Præcepit nobis Deus ne tangeremus.* Ecce secundum. Diabolum superavit, tertium hoc addendo. *Ne fortè moriamur.* Dicit illa conditionatè aut fortuitò, ubi tamen Deus absolutè locutus est. Quis igitur neget, mulierem in mentiendo superasse ipsumimet mendacii inventorem?

O tempora! O mores! Maluissent olim homines perdere vitam, quam vel minimam de se falsitatis dare suspicionem. Ideirco dicebat Sophocles: *Quid miserius est homini libero, quàm vocari mendacem?* Quia ea Platonis sententia est: *Mendacium non solum Diis; sed etiam hominibus odiosum.*

Afflictus est Ionas afflictione magnâ. Quid tibi est, Jona? Quid ita affligeris? Actum est, inquit, nil restat, nisi ut desperem. O utinam quis mortem mihi acceleret, & è mundo tollat: Prædicavi in Ninive, Civitatem post quadraginta dies certo certius evertendam dixi: & ecce jam tot dies elapsi, neque facta executio. Antea habebar Propheta verax: quid modò dicent; Fallacem esse credent, & meritò. Pudet deinceps prodire in publicum: quia digito monstrabunt, & ipsimet pueri in plateis acclamabunt: Ecce mendacem Jonā. Moriar lubentiùs, quàm ut sic infamis diutiùs vivam. *Domine tolle animam meam, melius mihi est mori, quàm vivere Nunquam verum locutus sum verbum in vitâ meâ, sed semper in simulatione vixi, & mendacium pro veritate affirmavi Quomodò ergo potero vivere:* Ecce quàm S. Scripturæ conforme dictum Sophoclis: *Quid miserius est homini, quàm vocari mendacem?* Hisce temporibus familiarissimum viris est & mulieribus mendacium: ut sic dici possint frater & soror.

Observo, mulieribus lege prohibitum testari, veluti commentatus est Moyses. *Mulieri testimonium deponere non licet.* Quod ipsum legibus nostris præscribitur: *Testis in testamento mulier esse non potest.* Moris erat inquirere, non solum nomen, sed & tempus & annos seu ætatem

L. 2. C. de prob. l. qui accusan. C. de ed. l. fin. ff. de rei vendit.

3. Reg. 3.

3. Reg. 3.

C. in ist. 4. dist. b. pom. de neg. gest. l. cum mulier. ff. solut. mat.

Æterius Episc. exam. l. 2. de Christo. ejusq; corpore in Bi-

blioth. vet. PP. T. 8.

D. Antioch. hom. 66. de veritate in Biblioth. vet. PP. Tom. 7.

Gen. 4.

Gen. 3. D. Martialis ad Tholos. Epist. 2. c. 14.

Sophocles Trach. v. 457. Plato

Ioan. 2.

Hermes. 2. mana in Biblioth. vet. PP. Tom. 1.

Sophocles

Ioseph. l. 4. c. Ant. quit. c. L. qui t. stam §. mulier. ibi licet de test. §

Festus Forus de verbis sign.

tem testantium. Unde si à muliere quinquagintà annorum Notarius petivisset, quot annorum esset, respondisset statim, esse annorum viginti. Aut quia *testimonium mulieris est mutabile, & ideo non testificatur*. Sed verosimilius ego respondérim: Testes oportet esse veraces? mulieres vero plerumque sunt mendaces, adeoque contractus fuissent invalidi, cum testes fidem non meterentur.

Princeps aliquis multa imposuetat vectigalia panibus, granis, vino, oleo & sali, quod egeret nummis: neque restabat alia via, quâ impetrare amplius posset. Quid ageret? consilium illi datur, ut tributum hoc exigeret: pro quolibet mendacio subditi denarium solverent, sicque brevi tempore fieret ditissimus, & adeò potens, ut valeret etiam Turcis bellum indicere, idque ex solis denariis, quos soluturæ essent mulieres, mendacia ietando.

Psal. 115. *Omnis homo mendax*, ait Propheta Regius. Quid te, David, obsecro, movit, ut homines omnes mendacii culpares? Mentiti, homini accidens est inseparabile, & quasi proprium quatto modo sumptum. Et quamvis Psaltes quatenus homo, esset mendax, verissimè tamen hic locutus, quod sic ostendo. Quandoquidem homo creatus sit in ea rectitudine, quam Theologi justitiam originalem vocant, & ab illo statu in quo illum acceperat, peccando declinarit: sic ut ista declinatio à vero esse & recto, sit quoddam mendacium; rectè hinc sequitur, quod, cum omnis homo deviarit à vero & recto esse, per lapsum Adami, habeat pro accidente inseparabili, esse mendacem. Et postquam David hunc formatat discursum, scripsit (ni fallor) hanc veritatem: *Omnis homo mendax*. Doctus Interpres ita discurrit: *Homine peccante, & ab hac rectitudine obliquato, ex hac obliquatione de facili mentitur, & est ad mendacium pronus: quia est obliquatus ab illo esse naturæ, in quo accipit originalem justitiam, Cum enim obliquatio à vero esse, ac recto, sit quoddam mendacium, omnis homo dicitur mendax, nisi sit per gratiam confirmatus.*

O utinam & nostro hoc sæculo Persarum lex vigeret! Ad unum & alterum mendacium connivebatur, sed tertium silentio perpetuo usque ad mortem mulctabatur, & ad quosvis magistratuum honores, sic mentitus, inhabilis publicè denunciabatur. Artaxerxes rigidiorem legem ordinavit. Si quis mendacii accusaretur & convinceretur, ei lingua tribus clavis perforabatur. Quis tandem restet in mundo, si hujusmodi lex hodie servetur? Non posset fortassis eradicari quoad habitum: quoad actum saltem impediretur. *Alex. l. 6. c. 10.*

Si mihi jam licitum sit & liberum imponere mulieribus nomen conveniens (credite tamen, quotquot hic estis, me de vobis non loqui, quia veraces esse credo) hoc à me esset. *Mulier mendaciloqua*, aut mendacii artifex. Quid hoc enim nisi fictum aliquid mentitum & falsum? sic est mulier à capite ad calcem, si bene inspiciatur. Capillos habet, sed mutuatos: colorem vides, artificiatum crede: ut formosæ appareant quales non sunt, vultum coloribus pingunt & fucant. Mendacium omninò contrarium illi, quod apparenter exhibet. Nobiles Domicellæ Venetæ elatæ instar gigantum videntur. Scitis, quare? Crepidas altas valde habent, sic ut media ex parte dici ligneæ possent. Et si per plateam incedens ego uni illarum occurrerem, cui salutem vellem, nonnisi mendacii vocabulo salutarem. Non enim aberravit ille, qui artificem falsitatis & mendaciorum antistitem mulierem dixit.

Si longioti hoc discursu forte displicui, Herodiadi imputandum est? illa enim ad itacundiam movit, quod persecuta sit veritatem, & quotquot amantes veritatis, in Joanne Baptista Coryphæo exterminare conata. Illam, inquam, illam impietatis & crudelitatis arguite, me excusatum habete, atque ita abite in pace.

IN

IN FESTO CONCEPTIONIS SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS ET VIRGINIS MARIÆ.

ARGUMENTUM.

Sanctissimæ Virginis & Matris Mariæ immaculata Conceptio, multis & gravibus argumentis ostenditur: nec non variis Sententiis & S. Scripturæ congruentibus comprobatur. Si quid in contrariam partem disseritur, breviter expenditur & evertitur.

THEMA.

Liber Generationis Iesu Christi Filii David, Filii Abraham.
S. Matth. c. 1.

TOt sunt prærogativæ, tantaque excellentia Mariæ Virginis Sponsæ Spiritus sancti, & Matris veri Dei, ut numquam sufficerint Sancti Patres, Patriarchæ & Prophetæ: tametsi plurimum conati, conceptu adæquato exprimere. *Propterea* (inquit S. Bernardin. Senensis) *Maria non unam tantum, sed multiplicem interpretationem habet, ut sic ad sublimitatem ejus cognoscendam aliquantulum pertingamus. Immensitas quidem gloriæ ejus, omnis humani sermonis excedit inopiam.* Breviter Andreas Cretens. *Dei tantum est, Mariam laudare pro dignitate.* Ea fuit sententia B. Thomæ de Villa Nova, quod *Virginis gloria magis cogitari possit, quam describi.* Hinc variis adumbrata est Hieroglyphicis v. g. Civitatis, Cypressi. Cedri, Olivæ, Fontis, Speculi, Rosæ, Solis, Lunæ, Stellæ, Lilii, Templi, Palmæ, Horti, Balsami, Exercitus, Navis, Throni, Tabernaculi, Turris, Aurorae, Cæli, Montis & Libri.

D. Bernardin. Senen. T. 3. tract. de B. Virg. serm. 1.

Andreas: Cretens. Orat. 1. de Dorm. Mariæ. B. Th. Vil. N. T. 2. ser. 2.

Libri quidem *Liber generationis Iesu Christi.* Montis: *Et erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Cœli: *Cælum mihi sedes est.* Aurorae: *Quasi aurora consurgens.* Turris: *Turris David quæ ædificata est cum propugnaculis.* Tabernaculi: *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum.* Throni: *Thronus ejus in columna nubis.* Navis: *Quasi Navis institoris de longè portans panem suum.* Exercitus: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Balsami: *Sicut Cinnamomum & Balsamum.* Horti: *Hortus conclusus.* Palmæ: *Sicut Palma exaltata sum in Cades.* Templi: *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Putei: *Puteus aquarum* Lilii: *Sicut Lilia, quæ sunt in transitu aquæ.* Stellæ: *Quasi Stella matutina in medio nebulæ.* Lunæ: *Quasi luna plena in diebus suis lucet.* Solis: *Electa ut Sol.* Rosæ: *Sicut plantatio Rosæ in Hierico.* Speculi: *Speculum sine macula* Fontis: *Fons signatus.* Olivæ: *Quasi Oliva pullulans* Cedri: *Sicut Cedrus exaltata sum in Libano.* Cypressi: *Sicut Cypressus in monte Sion.* Civitatis: *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.* Sed hisce relictis, solius libri te Maria, similitudine deprædicare sufficiet: *Liber generationis Iesu Christi.* S. Gregorius Nazianz. sensum exponit. *Sola Virgo Maria Liber est generationis Iesu Christi.* Ostendam igitur non contractum hoc in libro errorem culpæ, non peccati originalis maculam sub prælo conceptionis impressam. Doctrinam sequor Hugonis, cùm ait: *Beata virgo est Liber vitæ, Liber grandis, Liber generationis Matthæi, apotheca gratiarum: pelles verò de quibus liber iste factus est, sunt antiqui Patres Abraham, Iesse, David, quos computat Matthæus. In hoc libro tot sunt litteræ, quot virtutes.*

Hugo Cardin. c. 23. Ecclesiast.

Interea cùm Libri hujus contentum breviter prælegam, attentos vos velim? exordior.

PARS PRIMA.

QUandoquidem de peccato originali incidat ſermo, dicere lubet, unde ortum, & quomodò in poſteros omnes derivatum ſit malignum hoc ſemen. A Deo conſtitutus eſt Adam totius humani generis caput naturale & morale: naturale quidem, quia ab eo originem trahimus omnes: morale verò, quia in voluntate Adami Deus moraliter omnium Poſterorum voluntatem conſtituit. Unde cùm peccavit ipſe perſonaliter, & nobis culpa imputata eſt, quæ licet in nobis non fuerit voluntatia, *actu proprio, & formali*, utpote cùm nondum eſſemus nati: dicitur tamen propria virtualiter, *& interpretativè, in actu primi parentis*, quatenus in voluntate ejus, *tamquam in capite morali*, voluntas omnium noſtrum continebatur. Suppoſitâ igitur hâc veritate certiſſimâ de peccato Originali, quod reſpectu Adami perſonale dicitur, reſpectu vero noſtri, originale: tametſi cujuſque noſtrûm ſit macula conceptio, manſit illa Mariæ licet ab Adamo oriundæ, pura ſemper, ſancta & immaculata: eaque eſt ratio, quia Dei Filius, matrem ſore ſuam prævidens, per gratiam ſingularem præſervavit. *Ipſa ſola ſpeciali gratiâ præventa fuit, & præſervata! eò quod fuit prævisa eſſe Mater Dei.*

10. Vigu. lib. Inſtit. 18. §. 5. & L. D.

Nec alienum videatur (NN) Nunquid & hoc naturæ privilegium cenſemus, ſolem ſplendere in luto, & non contaminari? penetrare cryſtallum radiis, & non forare? ſalamandram vivere in igne, & non comburi? adamantem conſtare ex corpore, & non facere umbram? Cœlum, quia non habet annexam privationem, peregrinas impreſſiones non admittit. Et quomodò! Difficilius credemus Dei Matrem, Librum illum myſticum immunem à contractione originalis maculæ, ex gratia ſpeciali? *Quotquot ex ipſa nati ſunt progenie* (B. Laurentii Juſtiniani ut verbis utar) [exceptis dumtaxat mediatore Dei & hominum, homine Chriſto Jeſu, & ejus matre, ſub hac peccati lege ſunt conditi. Et nemo, ab ipſo mundi initio uſque ad temporis plenitudinem, dumtaxat Mediatore, ejuſque Genitrice exceptis, jugum damnationis ſuæ evaſit.

Laur. in Tract. caſte nasc. c. in fin. Amo-

Ædes Rahab Deus in civitate Jericho ab incendio defendit. Quomodò? Sanctiſſimam Matrem ab originali peccato non præſervaſſet? Siſtebant aquæ Jordanis, impetum continentes, cùm tranſiret Arca Domini, quaſi reverendo, ne fluxu contingerent: & non ceſſiſſet culpæ originalis inundatio, reverentialiter parcendo Virgini Matri, quæ vera Dei, Arca eſt, ne in Conceptionis tranſitu pateretur naufragium?

Fuerunt Jonas & Daniel à morte illæſi, præter ordinem naturæ, unus in ventre ceti, alter in lacu leonum. An non ſervârit Deus matrem illæſam in utero Annæ à morte ſpirituali, & à monſtro terribili originalis noxæ? S. Auguſtinus loquatur: *Ionam ſervare in ventre ceti præter naturalem uſum voluit incorruptum: Mariam incorruptam non ſervavit gratia? Servatus eſt Daniel ab intemperatiſſima fame? non ſervanda eſt Mater, tantis dotata meritis dignitatum?* S. Aug. Orat de Aſſumpt. Virg. T. 9.

Serpens invenitur in India, qui Arboris odoriferæ fructus dulciſſimos ferre non valens, ut flores & fructus deſtruat, & odorem, quem odit, impediat, ad radicem arboris penetrat, venenoſo flatu intoxicat, ſicque aridam & ſterilem reddit. Sed contra veneni infectionem repertum eſt ab hortulanis antidotum. (Mirabili, & ſalutifera illa confectione aquæ, & ſanguinis ex latere ejus in cruce fluentis, velut probatiſſima theriaca ab æterno prævisam, futuram matrem ſuam inunxit: atque hac ratione illam præſervavit, non à debito contrahendi maculam Originalem, ſed ab actuali hujus maculæ contractione. Ioann. Raulin. ſerm. 3. de Concep. B. V. M. Ioan. Carthagen. lib. 1. de Conceps. B. M. V.

In civitate quadam fuit lege receptum, quòd mulier, quæ primò omnium novos adferret fructus, exempta foret illo anno à ſolutione vectigalium. Maria prima fuit, quæ in hujus mundi civitatem vaſtiſſimam fructum tulit novum: *Benedictus fructus ventris tui IESVS.* Novum dico? quia anteà numquam viſus homo, qui foret & Deus. Potiori ergo Jure, Mariæ debebatur hoc Privilegium, nè vectigal ſolveret culpæ Originalis, portam Conceptionis ingrediens, cum intraret civitatem hujus mundi. Dimiſſorias ei ſcribit ampliſſimas S. Theſiphon Diſcipulus S. Jacobi Majoris, & hic eſt tenor: *Illa virgo, illa Maria, illa Sancta præſervata fuit à peccato Originali in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, & libera ab omni culpa.* Gelibertus de Civit. Dei. lect. 14. §. 44. Luc. 1. Apud Novarin. in Vmbra Virgin. l. 4. Elect. exc. 17. n. 201.

Scribit Suetonius, Julium Cæſarem proſiliſſe in mare, cùm eum hoſtes perſequerentur: dextra autem natabat, ſiniſtra librum Commentariorum extra aquas tenebat, ne madefieret. Dexterâ gratiæ Omnipotentis extulit Deus librum hunc Noſtrum Virginalem, nè per aquas turbidas peccati Originalis contaminaretur. Suetonius.

Maculam peccati Virgo non habuit, per quam mundus emaculandus.

Sordibus illa caruit, cui juſtitiæ noſtræ comparata ſunt ſordes. Aloyſ. Novarin ubi ſupra exc. 18. n. 214. lib. 5. c. 4.

Et

Et, si (quod refert Valerius Maximus) fratres duo patrem liberarint ab incendio montis Ætnæ, humeris efferendo, uti Æneæ factum ab Anchise, canit Poeta.

Virgil. lib. 6. Aeneid. *Illum ego per flammas, & mille sequentia tela*
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Nec tantum filius præstitisset Matri, ut eam à culpæ liberaret incendio? *Quid igitur? Dei filius, quem in hac pietate infinitè quibusvis, & quam maximè piissimis filiis superiorem esse certo certius constat, Matrem, quam nullo suo incommodo, nullo negotio, solo nutu eripere, ac salvare posset, in diaboli ditionem, ac potestatem redigi, spirituali morte affici, maximis malis premi, & onerari permitteret?*

10. Mar Vt in lib. 2 c. 23. n. 43.

Beneficia concedi solent cum annexâ pensione. Non tamen ita filiis Principum, asserente Christo: *Tributum non exigitur à filiis propriis, sed ab alienis.* Multa Deus beneficia contulit: Rachelì pulchritudinem dedit, sed cum pensione sterilitatis: Liæ fœcunditatem, sed non sine onere deformitatis: mulieribus concessit ut pariant, sed non sine dolore: multos in gratia confirmavit, sed cum debito, quòd possint cadere in peccata venialia ex fragilitate humana: Deus esse dedit omnibus qui ab Adamo sunt geniti,] magnum sanè beneficium) sed non sine pensione quod obnoxii essent peccato Originali: Mariæ reservabatur beneficium sine pensione: pulchra hęc ut esset & fœcunda, Virgo & Mater, pariens sine dolore, confirmata in gratia sine annexo culpæ venialis, haberet esse sine pensione maculæ originalis. Nec minus requirebat ea illius dignitas quâ Principis cælestis filia esse meteretur. Salomon hoc illam titulo decorat, *Filia Principis!*

Matth. 17.

Carthagena lib. 1. hom. 9. *Deus optimus maximus prævidens beatam Virginem futuram esse ejus Genitricem, contulit omnia beneficia, ac cælestia charismata absque ulla pensione, aut onere! quia filia Principis erat.*

Aristotelis est monitum: *Largiri, & opem ferre amicis, & hospitibus, & familiaribus, dulcissimum est.* Quis ergo dubitet, Deum succurrisse Dilectissimæ suæ Matri, in Originale peccatum, & per consequens in servitutem diaboli ne laberetur? *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æterna conversa est.*

Petr. Damian. ser. de Assumpt. Virg.

Diabolus tentavit Evam in forma serpentis terribilis: cur non æquè sub specie columbæ mansuetæ? An fortassis quia diabolus, utpotè malignus & vafer, simplicitatis habitum aversatur? Magister Sententiarum ita respondet: *Venit ad hominem in Serpentis specie, quia fortè, si permitteretur, in columbæ specie venire maluisset. sed non erat dignum, ut spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in quâ Spiritus sanctus apparituras erat.* Quomodo igitur Verbum permisisset, diabolum fieri incolam castissimi Virginis uteri, unde carnem humanam decreverat assumere, novem mensibus inhabitando?

Petr. Lombard. Sent lib. 2. dist. 21.

Prohibuerat Deus, ne sacra templi vasa ex auro illo formarentur, ex quo aliquando fuissent illa Idola, quibus diabolo assistenti cultus impii & sacrificia adolebantur, Argumentum hinc evidens est, quòd Sapientia increata in matrem numquam elegisset mulierem illam, quam anteà sub jugo diabolus per lapsum Adæ possedisset.

In Canticis Spiritus sanctus Mariæ Virginis eximiam pulchritudinem his verbis deprædicat: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis!* Incedentem cum video, cum gressus & pedes nitidissimos considero, amore rapior. Mirari hic meritò quis posset, quid inter decores tam innumeros & varios, qui in Mariæ corpore ornatissimo, ceu totidem in cælo stellæ fulgentissimæ coruscant, solos pedes contempletur & extollat. Laudasset potiùs crines aureos, frontem serenam, cincinnos artificiosè laboratos, oculos splendentes, genas purpureas, labia rubicunda, dentes niveos, collum eburneum, gratiam incessus, aut verbi, vel denique qualitatem aliquam eminentiorem. Videamus, an non possit ex textu Hebraico difficultas hæc enodari. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Nadab*, aut *Animadab*! Quare pro *Filia Principis* legitur *Filia Aminadab*? Non quidem proprie filia fuit Aminadab, sed hoc illi nomen inditum est per aliquam analogiam proportionis & similitudinis: quia Aminadab fuit generosus ille Dux qui primus mare rubrum ingreditur, siccis pedibus per lutum transit & aquam, cùm populum Israeliticum Pharao persequeretur. *Mari rubro diviso, & Moyse illud ingresso, cùm cetera tribus eum sequi metuerent, Aminadab cum tribu Iuda, in quâ principaliter erat, primo secutus est Moysen.* Ita Dionysius Carthus. Maria itaque filia Aminadab dicitur: quia inter creaturas omnes, quæ mare procellosum humanæ conceptionis pertransierunt, culpæ luto non est contaminata, neque stagno peccati originalis immersa. Credamus Prophetæ, cum ait: *Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam. Etenim neque feminarum aliqua, neque*

Cant. 7.

Septem. Interp. D. Ambros. in erat. de obitu Valent. Item lib. de instit. virg. c. 14. D. Hieron. lib. 1. contra Iovin. & Cassiodorum. Pelbart. serm. 2. de S. Andrea.

Dionysius Carthus.

serm. de Concept. B. V. M. Thomas Beauxamis in Cap. 2. Matth. Psal. 140. Michael de Pal. T. 1. lib. 4. in Isa.

neque virorum aliquis, qui ex naturali concubitu in lucem hanc prodierunt, immunem habuerunt ab hâc labe originali conceptionem. Beata autem hac Virgo à retiaculo hoc criminum tam largè sublata est, ut verè dixerit, singularem esse in toto terrarum orbe.

Ad majorem elucidationem, Cantici Canticorum verba resumo, & cum Chaldæo jam legam, *Quàm pulchri sunt pedes tui!* Atque hujus lectionis veram interpretationem dabo per alium S. Scripturæ locum, S. Joannis 12. capite. In cœna S. Petrus sibi à Christo lavari pedes recusat: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Hoc ergo permittam? Imprudens sim nimium, aut inhumanus: absit à me, ut sic in honesti leges impingam. *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Magister cælestis non acquiescit, instanter urget, etiam minando: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Sed quid Petro erat opus lotione? Quid sordidum in pedibus? S. Ambrosius per sordes & immunditiam pedum intelligit peccatum originale. *Mundus erat Petrus? sed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de successione peccatum? ideò planta ejus abluitur, ut peccata originalia & hereditaria tollantur.* Et alibi subdit: *Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis.* Unde quòd Maria pedes habeat mundos & pulchros, revelante id Spiritu sancto, quid aliud indicat, quàm quòd pedum lotione non egeat, quæ pura semper & immaculata permansit. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis, Filia Aminadab!* Et quomodò nitidos non haberet pedes, & cur non esset purissima conceptio illius, quæ

Joan. 13.

D. Ambrosius.

Idem lib. 3. de Sacr. c. 1. ad fingm.

Novarin. lib. 4. Vmbr. Virgin.

Originis peccatum non habuit, quæ omnibus bonis fons, & origo?

Culpa Virgini non debetur, cui omnis debet, quòd liberetur à culpa?

Prosequamur NN. & profundiùs investigemus. In Canticis mirum in modum S. M. Ecclesia extollit decorem Reginæ cæli, eamque in corpore & animâ formosissimam prædicat *Tota pulchra es (Maria) & macula non est in te*) Id est) *originalis peccati* Nulla mihi difficultas hoc in loco, nisi quod legat Hebræus: *Et macula non in te?* neque ponit Verbum *est*. Attamen mihi videtur sine verbo imperfecta locutio, quia non generat perfectum sensum in animo auditoris. Pro facili intellectu ad S. Evangelistam Lucam recurramus. Archangelus Gabriel Beatissimæ Virgini incarnationem Verbi annunciat: sed antequam legationem exponat, ita salutat: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* Non parum, Archangele, admiror imperfectum salutandi sensum: Dicendum potiùs: *Dominus est tecum.*

Cantic. 4.

Luc. 1.

Non facilè crediderim, in salutatione commisisse defectum, cum simili etiam modo Apostolos suos Christus salutarit, quando *stetit in medio & dixit eis: Pax vobis* Cur potiùs non ait: *Pax est*, aut *sit vobis*? Appositissimè hic à Guilielmo Parisiensi responsum est, cùm ait: *Non addit verbum alicujus temporis ad denotandum, quod paratus est omni tempore vobis pacem suam dare, quam semper nobis offert: & ideò sine quocumque verbo dixit: Pax vobis, ut ostenderet pacem omni tempore nobis necessariam* Quapropter nil erravit Archangelus, sed & advertenter & expressè dixit sine verbo, *Dominus tecum*? ut innueret (quod notat Seraphicus Doctor S. Bonaventura) Deum in quacumque temporis differentia fuisse cum Virgine, in præsenti, præterito, & futuro. *Dominus tecum* (verba sunt Sancti Doctoris) *& non, Est, fuit, erit tecum: semper fuit, semper est, & semper erit cum Virgine, Dominus tecum: ut eam ab omni labe peccati tam originalis quàm actualis præservarit: ut, nè per momentum quidem sub potestate Sathanæ fuerit.* Eadem est paritas suprà, cùm legitur *macula non in te.* Si enim dictum fuisset *non est in te* quandoquidem ly *est* notet tempus præsens, indicaretur quidem quòd nunc & in præsenti reperiretur sine maculâ Originali, sed de præterito dubium & indecisum relinqueretur, scilicet quando in utero Matris concipiebatur. Undè ut omnis dubitandi occasio tolleretur, &, ut manifestum sit, quòd neque de præsenti, neque de futuro, neque de præterito fuerit macula Originalis, textus Hebræus sic habet, *Et macula non in te.* Ubi doctè commentatus est. Abulensis his verbis: *Opportunissimam verbi omissionem, ut intelligatur, nullum unquam extitisse tempus, in quo Virgo Maria maculam contraxerit: nec de præsenti, aut de futuro, aut de præterito aliquo modo posse affirmari, originalis peccati navum illi fuisse.* Etiam disertè locutus est Idiota: *Macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit.* Maria itaque liber est, verùm sine errore, sine maculâ, *Liber generationis Iesu Christi.*

Luc. 24.

Guilielm. Paris. feria 3. Pasch.

Joan. Hofmeist. in Luc. 1.

Abulensis in Epist. ad Philipp. Tom. 1. 6. 2. §. 14.

Idiota.

Nova superest difficultas in verbis salutationis Angelicæ, *Dominus tecum*, Cùm Archangelum Deus ipse misisset, *Missus à Deo*, meliùs dixisset: *Deus tecum*, Scio quidem quantum ad rem

Luc. 1.

signifi-

significatam, *Deus & Dominus* sint, synonyma sunt: Idem namque significat *Deus*, quod *Dominus*; quia esse terminos convertibiles, diceret Logicus. Differunt tamen, quantùm ad modum significandi, quia *Deus* propriè significat Deum conditorem universi, juxta illud, *In principio creavit Deus cælum & terram.* At verò *Dominus* in rigore significat Deum universi, moderatorem juxta impetium voluntatis suæ. Sit, per modum exempli: *Vt Deus* creavit ignem cum suis proprietatibus naturaliter inseparabilibus, ut est calefactio, illuminatio: potest tamen, *ut Dominus, secundum imperium suæ Divinæ voluntatis*, impedire, ne comburat, uti factum esse, in fornace Babilonicâ constat: etiam ne illuminet, uti de igne infernali verificatur, concursum suum videlicet suspendendo. Hoc, ni fallor, inferre voluit Propheta, dicendo: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Ut Deus fecit cælos moveri & planetas. *Ordinatione tuâ perseverat dies.* Sed, *ut Dominus* præcepit soli in medio cursus velocissimi, ut sisteret temporibus Josue.

Gen. 1. Dan. 3. Psal. 28. Psal. 11. Ios. 10.

Intelligemus modò, cur cælestis Paranymphus salutando Mariam, dixerit, *Dominus* & non *Deus*. Legem hanc statuit *ut Deus*, ut scil. Adami omnes posteri originalis culpæ macula contaminarentur. *Omnes in Adam moriuntur. Omnes nascimur filii iræ. Vt Dominus*, in lege dispensavit, *secundum imperium suæ voluntatis*, nè Maria macularetur: ideò dixit Archangelus: *Dominus tecum* & non *Deus*: quasi inferre voluisset Rector universi tecum, Virgo, ait, non *ut* Deus, sed *ut* Dominus. *Dominus tecum. Quamvis, secundum quod filia Adæ, in peccatum originale incidere debuisset, secundum quod Dominus est, eam à peccato originali præservavit.*

1. Cor. 15. Ephes 2.

Franc. Labata Tom. 2. verb. Maria prop. 38.

Videamus ergo, an supremus Author Mariam curet, ut *Dominus*? cùm sic quasi visus est loqui: Volo, ut Maria priùs sit filia gratiæ, quam partus naturæ. Quærunt Patres Theologi cur natura humana Christi à suppositoDivino terminata sit, & non à proprio? Opinantur aliqui, quòd unum sine altero prætendisset litigando, sacratissimam humanitatem sustentare. Hoc sibi muneris suppositum finitum præsumebat, eò quòd natura finita esset. Infinitum sibi attrahebat, quia omne id supra naturam fiebat, & virtute Spiritus sancti, tandem (piè speculari sic mihi liceat) concorditer convenisse, meditor, eo pacto, ut velociori honor naturam dictam sustentandi deberetur: sed humanum suppositum à Divino præventum: hoc ideò terminavit, excluso altero.

Paoletti Adventuale.

Hanc & ipsam gratiæ & naturæ in Conceptione B. V. Mariæ contentionem S. Joannes Damascenus examinat. Natura præcedere Gratiam contendebat hâc ratione, quòd S. Virginis Conceptio humanitatis ordinem non transcenderet. Non sic (subdidit Gratia) meum hoc est, & me concernit: præcedam ego, quia Virgo hæc superioris erit ordinis, utpote in Dei Matrem elevanda. A cujus igitur parte stabit? Vires nostras tentemus, & fortior prævalebit. Initur certamen, & naturam gratia superat, adeoque jure prævenit: ut merito Maria possit gloriari se priùs esse sanctificatam à gratia, quàm conceptam à naturâ? sic ut gratia prævenerit, eaque ceu antidoto munita sit Virgo, nè natura deinde superveniens maculâ originali contaminaret. Hinc à S. Paulo dictum: *In nobis prius est esse animale, quam spirituale! prius qua carnus, deinde qua Spiritus. Et in Maria* (ut benè ad mentem nostram Michaël de Palatio insinuat) *non priùs carnis conceptio, quàm Spiritus generatio: non priùs animalis, quàm spiritualis vita, ut simul hæc. Nam simul atque anima corpusculo indita est, gratia plenitudine donatur.* Sed expressiùs intentum nostrum S. Joannes Damascenus prosequitur, naturam à gratiâ præventam, clarissimè indicans his verbis: *Quoniam futurum erat, ut Dei Genitrix, & Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fœtum antevertere minimè ausa est: verùm tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.*

1. Cor. 15. Michael de Palat. in Isa. c. 9. l. 14. T. 1. Io. Damascenus orat. 1. de Nat. B. V. M.

Ad Evangelium hodiernum revertamur, ut ipsimet veritati insistamus. Mariam esse Librum S. Matthæus testatur: itaque ad argumentum hoc formo enthymema: *Maria Liber est generationis Iesu Christi: Ergo impossibile fuit ex gratia speciali ipsam contraxisse peccatum originale.* Antecedens nemo rectè neget, qui est S. Matthæi: *Liber generationis.* Isaiæ, *Liber grandis scriptus stilo hominis.* De quo SS. Patres Epiphanius & Gregorius Nazianz. B. Virg. Mariam intelligunt. *Sola Virgo Maria liber est generationis Iesu Christi.* Et Hugo Cardinalis: *Beata Virgo est liber vitæ, liber grandis, liber generationis Matthæi.* Ad consequentiæ probationem, suppositum esto & hoc certum, quòd à Deo sint compositi libri duo? Vitæ unus, in quo scripta sunt prædestinatorum nomina! de quo in Prima Parte tractat Angelicus Doctor. Alter liber est Maria, ut dictum est: his positis consequentiam probo ex S. Scriptura in Exodo. Idolis in deserto populus Israeliticus serviebat, indeque iratus Dominus castigare intendebat. *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Nisi puniatur, non

Isa. 8. S. Greg. Nazianz. Hugo Card. in c. 23. Eccles. D. Thom. 1. p. q. 24. art. 3. Et B. Thom. à Villa. N.

emendabitur hic populus *duræ cervicis*, sed indies magis in malo obdurabitur. Videns hoc Moyses, ad Deum accedit & propositio dilemmate sic alloquitur: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro in quo scripsisti.* Aut parce Domine, aut de libro vitæ nomen meum expunge. Hîc S.P. Augustinus subintrat, & Moysen jam Deo ita resolutè loquentem miratur. Hoccinè fieri possit, quòd, ù populo Deus parcere nollet, deleri se pateretur Moyses de libro vitæ? reproborum numero se asscribi pateretur? Quæ esset illa insania? *Nemo tenetur*, (ait D. Thomas) *nec debet, pro salute speciali totius mundi, velle carere gratiâ, & amicitiâ Dei*, Mirum non est (respondet S. ille Doctor) quia Moyses impossibile credebat, quòd de libro vitæ Deus deleviset. *Securus hoc dicit: quia Deus non deleret hominem de libro vitæ.* Ratio quidem Theologica est, quia scriptus erat in libro vitæ, *non ex gratia, sed ex prædestinatione.* Et qui sic inscripti sunt, deleri non possunt, nè alioquin jam prædestinatio fallibilis redderetur. Attamen rationem pono moralem, eritque eorum, quæ suprà confusè dicta, conclusio. Sciebat, credebatque Moyses esse impossibile, quòd Deus ipsum delere voluisset de libro vitæ, cùm omninò putaret inconveniens librum illum à Deo ipso compositum, obliterationis, (ut ita metaphoricè loquar) aut atramenti maculâ deturpari. Et ecce conclusio. Ut quid igitur non liceat pariformiter de altero libro? de Maria, inquam, pariformiter loqui? Ille sine macula, iste sine culpa: ille sine turpitudine, iste sine labe Originali: iste sine mendis, ille omnino purus. *Ergo ex gratia speciali ipsius Dei, Maria non contraxit maculam peccati Originalis.* Neque desunt Authores qui hanc opinionem confirmant. *Aut dele me de libro in quo scripsisti, existimans lituram aliquam in eum minimè posse cadere: novit enim ipse librum Dei nullis erratis, aut lituris esse obnoxium. Maria liber est Dei, spiritu Dei vivi conscriptus: Quid igitur mirum, si erratis careat? Nullum ergo in isto libro erratum, nullam labem, nihil omissum, nihil prætermissum reperies.* Etiam subscribit alius Author pio erga B. V. Mariam affectu, veritatis studiosus indagator: *Non incongruè puto mysticè significari, beatissimam Virginem Librum fuisse, omnis peccati adeò expertem, ut nec in prima ejus impressione ullus irrepserit error.*

in Conc. 1. de Nativit. B. V. M.

Exod. 19.

D. Thom & Cajet. apud Petr. de Arrag. in 2.2. q. 26. ar. 4.

S. August. quæst. 147 in Exod. c. 32 D. Thomas loco citato suprà.

Io. An. de Abula in Epist. ad Philippens. T. 1. sc. 2. § 14.

Ioan. Carthag. lib. 1. hom. 4.

Tam verè B.V. Mariæ Matris Dei Conceptio pura est & immaculata, quàm est verum Evangelium: quia à S. Matthæo scriptum lego, quod ipsemet Christus proprio ore sanctam prædicavit & puram. Loquens enim de Præcursore ait, *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ* Erit ergò Joannes major Christo? Nunquid enim etiam hic à muliere natus est? Absit illud: intelligendus est namque loqui de iis qui de muliere, non qui de virgine nati sunt, & ex virili semine: at vero Christus de Virgine, & virtute Spiritus Sancti: *Quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Ita loquitur S. Ecclesiæ Doctor D. Hieron *Hus igitur præfertur hominibus, qui de mulieribus nati sunt, & de concubitu viri, & non ei, qui natus est ex Virgine, & Spiritu Sancto.* Id ipsum Christianus Drutmarus confirmat: *Non est putandum, Domino Iesu Christo illum esse comparatum, quia Dominus noster non de muliere, sed de Virgine natus est.* Dicatur saltem, Joannem esse B. V. Mariâ majorem, eò quod sit natus de muliere non virgine, & virtute humanâ. Sine errore nemo sic possit vel assertivè loqui, cùm fuerit illa Joanne, & simul omnibus sanctis merito & sanctitate major. Quomodò jam Sapientiæ increatæ verificabimus verba, quibus falsum subesse non potest? *Inter natos mulierum, &c.* Ego, ut certum mihi persuadeo, voluisse hoc ipso encomio. B. V. Mariæ Conceptionem immaculatam deprædicare potiùs, quàm S. Joannis celebrare laudes. Dicite, ut quid ponit hunc terminum, *Surrexit*? Cur non dixit: *Non natus, non ortus est*, vel *non venit in mundum*? Hîc nodus est.

Matth. 11.

Luc. 1.

D. Hier. in Matth.

Drutmar c. 29. in Matth.

Sciendum est quod *surgere* præsupponat *cadere.* Neque de terra aliquis surgit quin priùs ceciderit. Si igitur Virgo cecidisset, quandoquidem prædicetur Joannes major omnibus, qui in peccatum originale ceciderunt, esset per consequens etiam ipsamet Virgine Maria major. Conceptus est subtilis valdè Petri Galatini in hæc verba: (Inter natos mulierum, &c. Hoc dici non potest, nisi de eo qui prius cecidit, ac postea surgit ac si diceret: Inter eos qui in peccato originali concepti sunt, non surrexit major Joanne Baptistâ, Christus autem in peccatum non cecidit, ergo ipso Joannes major non est. Cùm ergo Beatissima Virgo major quoque sit, ipsam in peccatum originale non ceeidisse necessario consequens est: quod si non concederetur, sequeretur planè, Joannem Baptistam majorem eâ extitisse? quod omninò falsum est. Ex Evangelio igitur, & Salvatoris nostri Sententia, ipsam absque originali peccato conceptam fuisse, necessariò concluditur.) Si dictum sit à Christo, & in Evangelio confirmatum, negare quis audeat? Rationem hanc existimo evidentissimam.

Petr. Galatin. l. 7. de arc. fidei c. 5. Item Thom. Beauxamis Tom. 2 Harmon. Evang. fol 218. c. 2. l. D.

Dici-

Dicite, vos Juristæ, si vestrum foret hanc controversiam decidere, & separatâ omni passione, aut vestro erga Deiparam affectu Sententiam diceretis, illane favorabilis illi foret, vel non? *In rebus dubiis, benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius.* Si ergò dubia lis esset, in favorem Mariæ decideretis. *Benignior sententia in dubio est præferenda.* Nunquid igitur benignius est & magis pium, in Mariæ favorem resolvere, quod scil. in instanti Conceptionis fuerit immaculata, quàm contrarium asserere? Non est dubium: & leges omninò favent. *In ambiguis sensibus melius est humaniorem amplecti sententiam. Proniores debemus esse ad absolvendũ, quàm ad condemnandum.* Nonne Imperator Trajanus hoc reliquit decretum: *Satius est, impunitum relinqui facinus nocentis quàm innocentem damnare.* Senatoribus & quibusvis aliis in dignitate constitutis, decretis est vetitum, in uxores accipere puellas abjectioris fortunæ ut sunt ancillæ, & aliæ hujusmodi vilioris conditionis mulierculæ, ne alioqui dignitati, quam adepti sunt, derogaretur. *Senatores, perfecti & alii quidem in dignitate constituti, ducere non debent in uxores ancillas & alias obscuras mulieres.* Quomodò ergò Deus, qui est *Princeps Regum terræ, & non venit solvere legem, sed adimplere*, Matrem vellet illam, quæ per peccatum originale fuisset aliquando in servitute diaboli, & per culpæ maculam vilis effecta? Ecquis nesciat quod *Princeps legi subditus non est? Augusta autem, etsi sit subdita, Princeps tamen ei concedit privilegia, quæ ipse habet:* Deus hanc statuit legem, quod in peccato originali omnes conciperemur: sed Princeps Filius Dei ex natura est ab illa lege exemptus. Augusta, quæ est Maria Mater ejus, à principe habet quod sit exempta ex privilegio, ex gratia speciali.

L. ea quæ § in re dub ff. de reg. jur.
L. semper ff. de reg. jur.
L. si pars ff. de inoff. test.
L. in dubiis ff. de reg. juris.
L. circa intervet. §. si aut.
L. Art. ff. de act. & obli L. obs. de pan.
L. de nat. lib. & Matribus eorum.
Matth. 5.
L. prin. §. de leg.

Quid amplius? Nunquid in Concilio Hierosolymitano celebrato anno Christi 44. interventu Apostolorum decisa est hæc veritas? *illa Virgo, illa Maria, illa Sancta in instanti suæ Conceptionis fuit ab originali peccato præservata.* Nonnè & Concilium Tridentinum decreto de peccato originali, clarè definit? Hìc est tenor: *Non esse intentionis suæ, comprehendere in decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem.*

Apud Io. Bap. Nov. de Conc. c. 2. p. 53.
Concil. Trident. sess. 1. de peccato originali.

Felicis memoriæ Paulus V. anno 1617. diplomate sic statuit: Decrevit & præcepit omnibus, & singulis cujuscumque Ordinis, & instituti: ne audeant in publicis concionibus, conclusionibus, lectionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod beatissima Virgo fuerit concepta in peccato originali.

Paulus V.

Anno 1622. Gregorius XV. idem decretum cõfirmavit, *mandans & præcipiens omnibus, & singulis ne de cætero audeant disserere, quod B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali* Diabolus ipse à Sancto Patre quodam exorcizatus, & coactus ut verè diceret, quid sentiret de Conceptione Beatæ Virginis: respondit tribus distinctis vicibus: *Sine macula, sine macula, sine macula.*

Gregorius XV.

Mirum casum Dionysius Carthusianus memorat, de navi, quæ in medio maris agitata ventis & fluctibus in tempestate maxima, neque spes erat evasionis, sed periculum evidentissimum submersionis. Quotquot in navi aderant, voces levabant ad cælum & suspiria, auxilium cælitus implorando. Ecce comparet ex improviso venerandus senex in habitu pontificali, & calcatis fluctibus ad navim accelerans, Abbatem in navi præsentem vocat, eique hæc dicit verba: *Vis periculum istud evadere? Scias me à Dei Genitrice directum, & si dictis meis obtemperare volueris, periculum istud evades.* Facturum promisit Abbas. *Tunc ille præcepit: Diem Conceptionis Virginis gloriosæ solemniter sexto idus Decembris celebrabis, & celebrandum prædicabis. His dictis disparuit, moxque cessavit tempestas.*

Dionys. Carthus. serm. 1. de Concept. B. V. M.

Conclusio ergo ista sit & litteris aureis in libro illo Virginali *ad perpetuam rei memoriam* inscripta maneat: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur* Maculam in Sole, qui culpam in Maria, quæreret. Quia (ut testatur Angelicus Doctor) *talis fuit puritas Mariæ, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.*

Psal. 9.
D. Thom. 1. dist. 41. q. 1 ar. 3. ad 3.

Pro coronide sit Elogium S. Antiochi: *Deipara, omni laudum genere celeberrima, nulli obnoxia vitio, sed gloriâ omni dignissima.*

Et in 1. dist. 17. q. 2. ar. 4. S. Antioch. in Pond. seri. hom. 21. de Virg.

Salutemus hanc omnes & devotissimo concentu acclamemus:

Salve Christi sacra parens.
Flos de spinis spinâ carens,
Flos spineti gloria
Nos spinetum, nos peccati
Spinâ sumus cruentati,
Sed tu spina nescia.

Hoc interim NN. monitum velim, Nemo vestrum sit, qui non ardenter cupiat à Maria, libro Patronatus inscribi: indicium desiderii vestri esto eleemosyna, quam ad gloriam & honorem purissimæ Conceptionis commendo erogari, ut pauperum extrema necessitas charitate vestrâ maximâ sublevetur: interea respirabo.

Adam de S. Victore.

PARS SECUNDA.

SOlum difficultas ex Epistolâ D. Pauli allegari jam posset, cui firmiter ceu Evangelio credendum minimè dubitamus. Dicit ille: *Omnes in Adam moriuntur? & omnes nascimur filii iræ.* Ubi ex collectivo *Omnes*, quod apud Logicos signum est universale, videtur, etiam Mariam debere comprehendi. *Qui dicit omne, nihil excludit.* Et in lege, *Generale dictum, generaliter est intelligendum.* Ergo nec Maria ab isto debito est immunis.

1. Cor. 15.

Ephes.

L. de pretio ff. de pub. in rē est. L. Præses de offic. præs.

Respondeo primò, quod *omnes in Adam moriuntur & omnes nascimur filii iræ*, possit intelligi vel quantum ad actum contractionis, vel quantum ad debitum contrahendi. Quod dixit S. Paulus, respectu nostri verificatur quantum ad actum contractionis? sed respectu Mariæ, quantum ad debitum contrahendi. Quo posito, habuit debitum: sed effectivè non contraxit, ex gratiâ Dei speciali præservata.

Si dicatis, Propositionem Pauli esse universalem, & *quod universaliter profertur, universaliter esse intelligendum*: nihil refert, quia Propositio universalis duplex est, alia *politicè*, alia *logicè*. Propositio universalis *logicè*, illa est, quæ absolutè & simpliciter debet verificari de omnibus V. g. *Omnis homo est animal rationale.* Propositio universalis *politicè* illa est, ad cujus verificationem non est necesse, omnia individua concurrere? ut si dicerem: Hoc manè Civitas Venetiana ad concionem tota confluxit: de facto quidem incolæ omnes non interfuerint, sed, ut ostendatur ingentem fuisse multitudinem? sic *politicè* dicitur & verè. Eodem omninò modo, tot sunt creaturæ, quos originalis macula contaminavit, tot nascuntur homines filii iræ, ut à S. Paulo exprimantur propositione universali *politicè*, sed non *logicè*.

Contrà replicabit aliquis: Si nec actualem nec originalem culpam contraxerit, ergò neque meritis Christi fuerit redempta! quia illi soli redempti sunt, qui ceciderunt. Et consequenter omnibus nobis concessum esset tantum beneficium, solâ Virgine Mariâ exceptâ. Idcirco D. Thom. ita scripsit: *nunquam anima B. Mariæ fuisset peccati contagio maculata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis Salvator & Redemptor: tunc enim esset aliqua persona quam non redemisset, scilicet ipsa Virgo. Nec debet tantum honorari Mater, quòd dehonoraretur Filius derogando suæ dignitati: quia nec Virgini placet talis honor.* Ad propositam difficultatem respondeo, creaturam aliquam posse redimi, vel *ante lapsum*, vel *post lapsum*. Similitudine clarius demonstrabo. Per viam peregrinus incedit & transiens ad fossam, certo certius incidisset, nisi ab aliquo opportunè superveniente esset monitus & retentus: atque iste redemptus est *ante lapsum*, antequam caderet. Alius similiter per viam progrediens, in barathrum labitur, sed lapsus à succurrente amico eripitur, Ille redemptus est *post lapsum*. Itaque explicatis his terminis, dico Mariam fuisse meritis Christi redemptam *ante lapsum*, quemadmodum & nos omnes sumus redempti *post lapsum*, Ipsammet Deiparam audiamus testantem.

D. Th. 3. p. 27 & in 3. sent. ap. D. Anton. in 1. p. tot. tit. 6. c. 2. de peccato originali.

Loquens cum Elizabetha uxore Zachariæ de Deo, qui illam elegerat in matrem, & donis cœlestibus atque favoribus innumeris dotaverat, grato animo memorat: *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quomodò poterat gloriari Deum esse suum Salvatorem, *in Deo salutari meo*? Si fuerit Salvator omnium, *vel sufficienter, vel efficaciter.* Dixisset igitur *in Deo salutari nostro. Quod est commune multorum, non est proprium alicujus* Dicere Maria voluit: Cæteri omnes Adami posteri generaliter salvati sunt *post lapsum*: at ego specialiter *ante lapsum*: & cum neminem alterum particulariter hoc modo salvarit, meritò dixerim: *in Deo salutari meo, & nostro.* Hugo Victorinus ait: *Merito igitur Beata Virgo Maria, quæ se singulariter electam videbat, quia singulariter gratiam acceperat: quare privilegio quodam electionis Divina confirmata fiducialiter ipsum, quem pro salute mundi ipsa conceperat, suum etiam, cum lætitia & exultatione, salutarem vocat.* Redempta igitur fuit *præservativè non liberativè.*

Hugo Victorin in c. 1. Luc T. 1.

Et verè *ante lapsum* redimi à Verbo incarnato debuerat: quia, ut Sanctus Archiepiscopus Florentinus loquitur, *Nobilius & melius liberatur, & redimitur, cui providetur ne cadat, & in servitutem incurrat, quam ut lapsus erigatur, & factus servus redimatur.*

D. Anton. Arch. Flor. 1. p. sum. T. 8 c. 2. de pec. orig.

Et certè omninò erat conveniens, hanc à Deo gratiam Matiæ concedi: sic bonitas ejus, sic infinita misericordia exigebat. *Cum Deo haud fuerit impossibile Beatam Virginem ab originali culpa præservasse, congruit bonitati ejus, & maximè decuit hoc ipsum peregisse.* Thomas ab Argentina.

Thom. ab Argent. 3. d. 3. a. 1. in resolut.

Habet lex Imperialis & præcipit, quod *plures eandem rem in solidum possidere non possunt: contra naturam quippe est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris.* Et quis nesciebat, quod Deus ab instanti Conceptionis Virgi-

L. Posid. §. ex cont. ff. acquir. vel am. possess.

Virginem possederit? *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Ergo ab hoste infernali non poterat possideri.

Prov. 8.

S. Anselmus asserit, quod *decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Quod verificari non poterat, si hujusmodi maculam aliquam contraxisset.

D. Ansel. de Concept. Virg. 18.

Si (quod scripsit Angelicus Doctor) Adam & Eva fuerint creati in gratiâ, & sine aliquâ macula peccati, decuit ergo Deiparam, cui majora privilegia concessa sunt, plus gratiæ, quam omnibus simul creaturis, non privari eo, quod aliis à Deo gratiosè est concessum.

D. Th. 1. p. q. 95. art. 1.

Et si, uti ipsemet judicat, *in Beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit:* si imperfectionem hujusmodi contraxisset & defectum, qui ex se abominabilis est & deformis valde, quomodò nam verificabit, quod *omne illud quod perfectionis fuit, in ea debuit apparere?*

D. Th. in 4. dist. 30. q. 2. art. 1.

Nemò igitur vestrum NN. dubitet, sed ut certissimum teneat, quod *omnem nævum tam originalis quâ actualis culpæ, in ea Dominus delevit.*

Ivo Carnot. ser. de Nat. Dom.

Et hæc est gratia singularis soli Mariæ concessa. *Si dicatur quod Diva Virgo non habuit peccatum originale, licet processerit ab Adam secundum rationem seminalem, dicendum est, quod ipsa sola speciali gratiâ præventa fuit, & præservata, eò quòd fuit prævisa esse Mater, & Domus Dei.*

Io. Vig. lib. instit. c. 18. §. 6.

Unde Fulbertus Episcopus illam quotidiè salutabat. *Ave Maria electa, & insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ Conceptionis, quia paritura eras Creatorem totius Sanctitatis.*

Fulbert. Ep. apud Carthag. l. 2. hom. 19.

Et quomodo talis non esset ea, de qua aliquorum tam pia est opinio? *Beata Virgo elegisset potius esse In inferno, quàm offensam Dei incurrere per peccatum originale.*

D. Th. in 1. dist. 449. Ia. 3. apud Ægid. Lusitan. l. 3. de præs. B V. M q; Ia 1. §. 2. & apud and. Pont. Ramire de Concept. B. V M. fol. 89. n. 41. exam. text. D. Thom. Apud Bernard. de Bust serm. 7 de Conc. B V. M.

Cum jam ad finem pertigerim, pro conclusione discursus mei erit doctrina Sancti Thomæ. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit.* Observandum quod sequitur: *Et talis fuit puritas Beatæ Virginis quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

Fantinus Episcopus Paduanus, mirati non desinens quomodo D. Thomas, Conceptionem D. Virginis non fuisse immaculatam, docere potuisset, ab ipsomet S. Doctore apparente informatur, veram opinionem intelligendo. *Scias Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad Divinum statutum quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset præservata. Sed Dei Filius Matrem suam ab originali macula præservavit.*

Denique ipsamet Virgo S. Brigitæ dignata est revelare: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali.*

3. Brig. l. 6. c. 49. in revelat.

Neque aliud dicendum restat, quàm ut suppliciter obsecremus Advocatam nostram & protectricem Mariam, ut, sicut illam Deus ab originali macula præservavit, ita ab omni peccato actuali nos liberet, ut in puritate cordis & fervore spiritûs, illi serviamus in terris, ac tandem perfruamur in cœlis.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

ARGUMENTUM.

Misera est & calamitosa avari hominis conditio: Effrænata habendi cupiditas pestiferum malum. Alia vitia plurimos, insana divitiarum vota subjugavêre universos.

THEMA.

Miserunt ab Ierosolymis Sacerdotes, & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum. S. Joann. cap. 1.

NOn est, Auditores, in amplissimo vitæ hujus mortalis theatro infensior animæ hostis, neque monstrum hominibus insidians terribilius eo, quod in Evangelio hodierno figuratur,

Aquilo est impetuosissimus, qui ex inferni intimis prorumpens meatibus, virtutum ædificia, etiam solidissima evertit: mare procellosum, voluntatis humanæ flectens armatam navim, & submergens: hydra formidabilis, quot habens capita, tot pravas excitans concupiscentias: Siren, dulcissimâ vocis modulatione homines & ditissimos & sapientissimos incantans ac perdens: Lupa vorax, semper famelica, mille stimulata cupiditatibus, nunquam satiabilis: Tigris ferissima, quot in pelle notata maculis, tot in corde mota libidinibus: profunda vorago divitias sæculi incessanter absorbens: ignis rapidissimus, qui in fornace cordis accenditur non alio combustibili, quàm bonis alienis: Harpyia edacissima, tentans aviditate insatiabili deglutire etiam illa, quæ à fortuna aliis sunt concessa. Capitis (NN) quid velim? De effrænata cupiditate, de avaritia loquor. Illa, illa est omnium scelerum origo, seminarium discordiæ, infernus animæ & (ut cum D. Gregor. loquar) *cui cupiditas dominari dicitur, subjectus malis omnibus demonstratur.* Sic illam S Petrus Chrysologus depinxit: *Omnium malorum radix est cupiditas, trangressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum.* Equidem ex inferno nunquam horribilius monstrum, numquam graviorem furiam & pestem animæ excitavit Lucifer: siquidem, testante S. Valeriano, [nihil est malorum, quod non cupiditas aut concipiat aut pariat, aut pascat, aut nutriat) Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum causas, hinc evenire pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari. Hâc cupiditate allecti Sacerdotes & Levitæ, ad Joannem accesserunt, mercedem sperantes, quia Prophetam esse credebant, aut Eliam, aut Messiam quasi sic alloquendo: *Dic nobis, quæ sumus, an sis Messias? nam te magna cum pompa ad urbem adducemus. Quid ita? sperabant enim fore ut eos Rabbinos crearet. At statim ac eum non esse Messiam audiunt, & nihil se sperare posse intelligunt*, observate cupiditatis malum) *iracundè, & asperè dicunt: Si tu non es Elias, neque Propheta, neque Messias, quare ergo baptizas?* O malecta cupiditas! Nihil tam detestabile, tamque pestiferum, quàm illi, quos hoc malum gravat: communis tamen hic omnibus dolor est, ut ex discursu patebit.

D. Greg. Papa l. 15. moral.

D. Petr. Chrysolog.

D. Valet. Episc. hom. 20. de avar.

Bier. in Dom. 3. Advent. con. 2.

Interim si non displiceat de gravissimâ hâc lue audire dicentem, gratis auribus accipite non prolixè, sed breviter faciam.

PARS PRIMA.

IN cupiditatis schola, tritum est, neque aliud conjugatur quàm *Accipio, accipis* In cupidorum sacello communis hæc est mutica. *Rapio, rapis.* neque ibi resonat, nisi argentea fides. In tribunalibus jam scriptum non legitur, nisi litteris sit aureis, & quidem non nisi cupiditatis perspicilio vel semel videant. Verè ab Italis dictum, *Un martello d'oro spezza una porta di ferro.* Portam etiam ferream malleus ex auro perfregerit.

Omnem aperit portam, qui semper munera portat.

Nihil clausum constat, quod auro argentoque non pateat: nihil est occultum, quod non pecuniâ indagante, sit cognitum. Cupidis hominibus, avatis, inquam, paratâ pecuniâ nihil est gratius: Mercurii instar volantis, semper inquieti sunt, mira in aere fabricant nil nisi de lucro somniantes. In primis Grammaticæ rudimentis nihil didicerunt Ablativo charius, à Dativo maximè abhorrentes. A Mercurii fistulâ dormitabat Argus: at verò argenti & auri sono cupiditas excitat, tenetque solicitos, non secus ac saxum vigiles grues. Eò trahit omne illorum studium & in aurifodinis cor sepultum jacet.

D. Valer. Episc. Clemel. hom. 29.

Ubi cupiditas regnat, corrupta est integritas, perdita fides, pax turbata, & silent leges.

Pudor per aurum solvitur:
Violantur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipsa intercidunt

Prudens. hym. 3 peris. v. 179.

Neque aliter de Cupiditate sensit in suo itinerario Rutilius, cum ait.

Aurea legitimas expugnant munera tadas,
Virgineosque sinus aureus imber emit.
Auro victa fides munitas deciput urbes;
Auri flagitiis ambitus ipse perit.

Rutil. Itiner. l. v. 356.

In Græciâ (si Polybio narranti credimus) discordiarum origo cupiditas fuit & fomes: at verò hâc à Lycurgo eradicatâ nulla restitit dissensio. Tarpeia Spurii filia stimulatâ cupiditate monilis aurei, quod in sinistra Sabini gerebant, Capitolium prodidit. *Auri & argenti cupiditate, Sabinis tradidit Capitolium.*

Polyb. l. 6. hist. c. 44.

Ovid. Metam. 14.

Livius l. 1. c. 11. & Plutarch. in vita Romuli.

Tanta Pausaniæ cupiditas fuit, ut pro decem talentis ex pacto & convento Spartas Xerxi tradere non puderet. Quare indignatus pater, odio concepto sævire cœpit, fame extinguens filium quem & ob eam perfidiam sepulturâ indignum mater æstimavit.

Num-

Numquid Darium aviditas eò adegit, ut etiam in defunctorum monumentis thesauros quæreret? Meritò proinde in inscriptione detecta irrisus est & confusus: *Nisi malus fuisses homo, & pecuniæ insatiabilis, numquam sanè loculos mortuorum invasisses.*

Plutarch. in Apophthegm. p 373. Plutarch. ibid.

Antipater olim gloriabatur amicos habere, quorum unus oblata munera recusaret, & alter muneribus assiduò cumularet. An non Pygmalion Rex Tyri, cum animum ad Sichæi patruelis sui opes appulit, illum spe potiundi auri clam & dolo interemit? Quare cadaver Hectoris Priamo Achilles vendidit? Et Arimaspi Scythiæ Europeæ Populi cum Gryphis auri custodibus continuò prælïantur, vitam pro auro acquirendo exponentes. Numquid auri cupiditas Valerium Roscium instigavit, ut Soceri filium occideret propriis manibus ipse, cujus erat curæ commissus? De Flavio Vespasiano quid dicam? Sola est, in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas: non enim contentus omissâ sub Galbo vectigalia revocasse, nova & gravia addidisse, auxisse tributa Provinciis nonnullis & duplicasse: negotiationes quoque vel privato pudendas propalàm exercuit, coemendo quædam tantum, ut plutis posteà distraheret; nec candidatis quidem honores, reisque tam innoxiis quàm nocentibus absolutiones venditare cunctatus est: creditur etiam procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quò locupletiores mox condemnaret; *nec* (ut verbis utar Suetonii) *eum puduit vectigalia ex urina colligere.*

Virgil. l. 2. Æneid. Ioann. Ravis. de illiber. avar. Plutarch. Suetonius de Cæsar. l. 8. n. 18.

Saletanus aliquis (Martialis refert) maximo perfundebatur interiùs gaudio, quod uxor demortua esset, ipseque jam solus dotis possessor. O quot hodie reperiuntur hujusmodi viri, qui defunctas conjuges oculo lugent, corde rident & jubilant! exteriùs lachrymas profundunt, interiùs lætitiâ abundant!

Martialis.

Isti, quid aliud intendunt, præter opes, & in his quietem? Falluntur, si aliud, quam, quod à naturâ, centrum exquirunt: solicitudinem invenient, non requiem. Unde à D. Chrysostomo audiant: *Omni Tyranno gravior est pecuniarum cupiditas: nullam enim voluptatem habet, sed curam, invidiam, insidias, odia, calumnias & innumera virtutis impedimenta.*

D. Chrys. in Ioan. 10. hom. 59.

Commodis student quâcunque possunt viâ etiam contrà quam fas sit: non illos pudor, non verecundia à cupiditate revocârit: hanc enim ad legem se dirigunt: *Modus non curatur, dummodo effectus habeatur.* More cameli agunt, inclinantis & procumbentis donec accipiat: humiliant se, & quasi idololatræ fierent donec accipiant: Honores tibi exhibent. Scis quare? *Honora ut medicum propter necessitatem.* Filii Jacob in Ægyptum ibant, & ingressi Pharaonis aulam, ubi erat Joseph Pro-Rex, quem antè vendiderant Ismaelitis, obtentâ veniâ accesserunt supplices, *incurvaverunt se, adoraverunt proni in terram*, & verbis obsequia addixerunt. *Servi tui sumus.* Quorsum tandem (NN) aut cur ita humilis & supplex precatio? dixissent, filios esse Jacob, qui in tertiâ Canaan cum primis notus, honore & nomine illustris; altiore eos animo esse oportuit, nec ita statim submisso atque humili coram extraneis. O maledicta cupiditas! annonâ jam ingravescente, inopia rei frumentariæ & fames premebat: Saccis venerant vacuis, repleri cupiebant, adeoque lubenter hæc, etiam plura fecissent *donec accipiant: quoniam videbant se illius ope indigere.*

juss. & subsist. *Gen. 43.* *Hieron. ab Oleastr. ibid.*

In Paginâ sacrâ observatum est: quos cupiditas ista inordinata accendit, cæcos & surdos reddit, sic ut sub jugo ejus sudantes non audiant neque videant. Rex Balac, animadvertens quod Dei exercitum subjugare armis non posset, subdolè maledictis tentat. Quamobrem legatos duos ad Prophetam Balaam destinat, ut ex parte Regis ille ad exercitum pergat & acriter maledicat: si verò recusat, muneribus, inquit, allicite, atque ita movete. *Paratus est Rex noster honorare te*, vel, quod legit Oleaster, *ditare te.* Illic, dum fictè & simulatè multoties abnuisset, iturum promittit: posttridiè manè ingressurus iter, jumentum sternit, ascendit, & civitatem egreditur, cùm ecce obviam Angelus in platea stricto gladio jumentum absterret nè quaquaversùm progrediatur. Atque ego hîc miror, inquiramus, si placet, quomodò asina potuerit spiritum intueri, aut quomodò Balaam formâ humanâ occurrentem potuerit ignorare. Si Angelus speciem assumpsit humanam, quomodò Propheta non vidit? aut si non assumpsit, quomodò respexit asina? huic rei responsum dedit, ubi sic ait. *Asina Angelum Dei vidit, quem homo videre non potuit.* Muneris promissi desiderio æstuabat, neque aliquid cogitabat magis quàm ut Regale donum consequeretur; quod voluntas non advertit, oculus id non videt: non igitur mirum; *Angelum non videt, quia Regio muneri intentus erat.*

Num. 22. Oleastr. ibid. D. Ambr. l. 9. in Luc. 19.

Si mater c. de

Quid

Quid præterea? Prophetam orbaverat visu, & spoliat auditu. Quis mecum hic (NN) non obstupescat? asinam iteratò percutit Balaam, ad semitam reducturus: at illa percussionis impatiens recalcitravit, atque ingemiscens more humano locuta est: *Cur me percutis*? Quid ergo? Cæcus es, neque Angelum vides impedientem, ne progrediar; ad asinæ vocem quasi humanam Balaam non movetur, ne vel signum admirationis dat, vel stuporis. Verùm fatebor (NN) si per urbem venienti obviam fieret asina & me ita alloqueretur: Salve, mi Pater Concionator, Deus tecum sit, non solùm stupore consternarer, sed refugeret sanguis metu, & exanimarer: nec tamen plus Propheta movetur, quàm si ita loqui proprium asinæ foret, ac homini.

Num. 22.

Nil mirum est, inquit S. Augustinus, Legatorum namque verba, *Paratus est Rex noster honorare te*, aures ipsi obturarant: surdus erat, nec asinam audire loquentem poterat. S. P. Augustini Doctrinam audiamus. *Balaam nullum signum admirationis ostendit videns asinam loquentem. Cur non obstupuit, & de facultate loquendi, asinam non interrogavit*? Ut quid non dixit? Ex quo tempore asini loquuntur? Undè hoc habent, aut didicerunt? S. Augustinus respondet: *Tantâ cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur. Hinc igitur constat quanta sit vis avaritiæ ad obcæcandam mentem: siquidem nec miraculum tantum, & prodigium potuit oculos aperire, quos clauserat avaritia.*

S. August. in quæst. super Num.

Aliud hîc notatu dignum observo. Vidit Balaam, quòd jumentum non pergeret: iratus baculo adegit. Asina ad herum convertens, lamentata est: *Cur me percutis*? Balaam magis iratus, in caput involat pugnis & minis. O quòd mihi ensis ad manum non est! (inquit) aliter tibi cederet, jamjam hisce manibus te occiderem. *Vtinam haberem gladium, ut interficerem te!* Ubi verò asina advertit de pelle nunc agi, neque verbis posse averti malum: aliâ (intra se ait) tentandum est viâ, & Rethoricâ hîc opus, video, ne pelli malè cedat, adeoque cùm dixerat: *Cur me percutis*? & frustrà dixisse perciperet, addidit: *Animal tuum sum*. q. d. Domine mi, attende, quid agis? Excoriari me, nec tibi, nec mihi proderit, imò damnum tuum erit: quia si pellem ego, tu asinam perdes, undè commodum tuum & utilitas esse solebat, atque sic lucrum tibi cessabit, quia interficiar ego, & damnum emerget, adeoque tum nummi exponendi erunt, ut de alio jumento tibi provisum sit, ne alioquin pedes ire cogereris. Balaam de damno incurrendo intelligens, statim propositum mutat, sic ut de occisione nedum non cogitet, sed deinceps & à verberibus cessat. Agedum mea bestia industriè à te factum & ingeniosè hoc adinventum est, pareo lubens, neque imposterum lacessam. O maledicta cupiditas! O avare nimis Balaam! quò dementiæ aviditas te propellit? Allisionibus non moveris, scopulos non curas, neque Divini furoris imminentem tempestatem formidas, dummodò ad cupiditatis portum attingas, & promissa munera consequaris.

Num. 22.

Lego non absimile, quod Cyro evenit. Vicerat ille Crœsum Lydorum Regem, & civitate jam captâ, interrogatus quid facerent milites, arroganter Cyrus respondit: Civitatem tuam depopulabuntur & destruent: quinimò tuam potiùs, ait Crœsus: non enim amplius meam reputo, quam armis tuam fecisti. Tunc Cyrus videns suum esse, quod dispertiebant, ilicò jussit ut desisterent. *Reparò el barbaro, y mandò cessar el de ſtraco, y parar, el ſaco, luego que miro la Ciudad conojo de ſuya.* Ita Pater Vega.

Vega in Ps 6. v. 2. dis. 1. n. 14.

Adeò hominem excæcavit cupiditas, ut nec proprii sanguinis damnum videat avertendum. Filii Jacob odium diuturnum saturare cupientes, quod in fratrem suum Joseph jam inveteratum habebant, ideò solùm, quòd somnium vidisse, illis præsentibus, diceret: *Vidi per somnium Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me*, in agris solitarium aggrediuntur. *Ecce somniator venit*? *venite, occidamus eum*. Ruben aderat, & fraterno affectu commotus, consilium divertit. *Manus vestras servate innoxias*. Cisternam vident, & fratrem injicere cogitant, ut fame illic periret. *Projicite eum in cisternam hanc*. Judas viscerum teneritudinem pariter sentiens, etiam de cisterna liberare conatur *Quid nobis proderit, si occiderimus fratrem nostrum*? Meo quidem consilio, nil expedit magis. Ecce jam aderunt Ismaelitæ? num velint emere videamus. *Melius est ut venumdetur Ismaelitis*. Dicit hic sacer Textus, ne vel unum Judæ contradixisse. *Acquieverunt omnes sermonibus istis*. Mirum est: cum de occidendo agebatur, aut mittendo in cisternam, patronos habet qui defendant: at cùm de vendendo concluditur, nemo mussitat, tacent omnes & consentiunt. Incredibile est, quantum à verbis Judæ pondus accesserit ad tollendam dubitationem. Si occiderimus, aut si in cisternam projecerimus, *quid nobis proderit*? Quæ erit inde utilitas aut commodum? Non, non fiat hoc: Ismaelitis

Gen. 37.

Ismaelitis venumdari præstat: denarios inter nos partiemur, & quilibet partem accipiet. *Acquieverunt omnes sermonibus istis.* Si ita erit, per nos licet. Qui hic contradixisset, commodo suo & lucro detraxisset. Ah fratres insensati! itanè vos invidia stimulat & turbat, ut non recordemini quia sic facientes, patrem vestrum contristabitis, Deum Optimum Maximum offendetis? Fratrem vendere, proprio sanguine nummos mercari, inveniri quid possit, aut enormius excogitari? Quid? ergò delicti gravitatem non apprehenditis? nihil hic minus, nec mirum, cæcati enim sunt, testatur Sanctus Author. *Sic proprii lucri cupiditas cæcavit mentes eorum, sic corda depressit, ut non offensam Dei, non sancti Patris dolorē, non proprii sanguinis sensum meminisse permiserit.*

D. Petr. Chrysol. Serm. 29.

Cavete, fratres, ne hujusmodi homines, qui omnia in lucris cumulandis ponunt, vel leviter quidem lædatis, injuriam etiamsi minimam inferendo, quia noxam hanc numquam ignoscent, neque reparabitis, quamvis etiam sanguinem & vitam profunderetis. Judas erroris conmissi & proditionis Domini sui memor, bursam cum denariis accepit, & priusquam laqueo se suspenderet, *projecit pecuniam in templo.* Possitne (NN.) dicere vestrum aliquis, quot fuerint denarii? etiam Pater: erant triginta: *Reliquit triginta argenteos.* Pulcherrimè hic D. Chrysostomus proponit, & rem præsentem ponderat. Ut quid Dominum Judas vendidit triginta argenteis? Cur non quadraginta petivit, aut certè etiam plus vel minus? Judam sic casu fecisse, nemo credat.

Matth. 27.

Ad Evangelium Marci transitum faciamus, ubi Christum reperiemus *in domo Simonis leprosi.* Cum ad mensam consisteret, & Maria Magdalena adest, vas habens ex alabastro plenum unguento pretioso, at Judas, ubi illam Magistri cælestis caput ungentem vidit, oblocutus est: *Vt quid perditio hæc? Poterat unguentum istud venumdari plus quàm trecentis denariis, & dari pauperibus.* q. d. Quis non moveatur animo hoc videns? non peccato eum liberem, qui sic ungentum pessumdat: vendidisset potiùs, & denarios accepisset; si Magister ita mihi, utpotè procuratori ac œconomo præcepisset, industriè egissem, & vel trecentis denariis vendidissem. Audite quid Chrysost. hic observet, & quàm bene. Hoc inter cætera unum maximè Judas curabat: eorum omnium quæ pro Christo recipiebat, emebat, aut distrahebat, decimum sibi denarium retinebat. *De quolibet numero centenario decimam partem sibi erogabat.* Quod & Jacobus de Voragine declarat his verbis: *Omnium quæ Christo dabantur, decimam partem furabatur.* Centesimum observabat, & pro singulis centenis decem denarios continuo fœnore subtrahebat. Undè existimans, quia unguentum trecentis denariis esset valiturum, ex illo vendito triginta se habiturum sperabat. Hoc ergo sibi à Salvatore damnum illatum credebat, adeoque triginta denarios recuperandos, quâcumque etiam viâ. Quid faceret? Mira quædam excogitabat genera furandi, & tandem prodendo Dominum, fore compensatum persuadebat. * Dolens Judas, tempore Dominicæ Passionis quòd unguentum, quod trecentos denarios valebat, non fuerat venditum, ut illos etiam denarios furaretur, abiit, & Dominum triginta argenteis vendidit, quorum unusquisque valebat decem denarios usuales: & ita damnum trecentorum denariorum recompensavit. Apud Authores, triginta illi denarii nostro hoc ævo triginta ducatos conficerent: & triginta isti, quibus unguentum venumdari voluisset, triginta juliis jam valerent. Judas itaque videns, quod trecentos perdidisset, causâ quidem Salvatoris, illum triginta ducatis seu juliis vendidit, *& ita damnum trecentorum denariorum recompensavit.* Rem omnem D. Chrysost. ita confirmat: *Præmissa est causa, quæ compulit Iudam ad vendendum Dominum: cùm enim fur esset, & vidisset unguentum super caput & super pedes Domini effusum quod putaverat esse vendendum, & pretium sibi esse tradendum, ut aliquid inde furaretur, quod perdiderat in effusione unguenti.* Quid igitur? *Voluit recompensare in venditione Magistri.* Nil dici possit meliùs. Unde etiā sic Cajetanus: *Inde occasionem sumpsit vendendi Iesū.*

Marc. 14.

Marc. ibid.

D. Chrys. Iacob. de Vorag in vita S. Matthiæ.

* Iacob. de Vorag. ubi supra.

D. Chrysost. quem citat. Lyranus in Glossa ord. ibid.

Cajetanus in Ioan. 11.

Audite, quod mirandum sit magis. Aliquem scio qui fuit avaritiâ tam ardenti, tam effrænatis cupiditatibus, ut propterea Christianus esse desierit, fidem negarit & ipsummet Deum. Testis mihi est Tertullianus doctissimus Author & fide dignus, qui asserit: *Pilatus pro sua conscientia Christianus.* Non enim solùm intendit baptizatum fuisse, quemadmodū omnes nos, sed & in professione veræ fidei observatorem legis Christi, cujus sanctitatem venerabatur, & miraculis fidem habebat. Sunt qui dicant quod & ipse *erat discipulus occultus* sicut Necodemus, Joseph ab Arimathia, atque alii plures. Et nos scimus, quibus illum mediis à morte conatus sit liberare. *Non invenio* (inquit) *causam in hoc homine.* Et cum instante jam Paschate, absolvendi

Tertull. citatus à Christophoro Avend.

Idem ubi supra.

Luc. 13.

reum unum occasio daretur & electio, Christum Hebræis proponit, ut commiserationem promereatur, *quem vultis vobis de duobus dimitti?* Videns autem, quia ad misericordiam commovere non posset, sic concluſit. *Emendatum ergo illum dimittam*, Obſtinatiores fiunt & ad mortem urgent. *Crucifigatur.* Econtrà Pilatus: Non facilè ſententiam dixero, quia ſine maxima mea culpa non fieret. Deus in me ulciſceretur, & homines: ad alium veniatis, alioquin non condeſcendam neque etiam poſſim aut velim. Satis ſigni habetis, me nil facturum: manus lavo, & vos, quotquot hic præſentes, obteſtor, quia *innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Cum jam ab Hebræis deſperata res eſſet, neque viderent modum quo Pilatum flecterent, denuò maligni ſatrapæ conveniunt? ſed Pilatus audire negat: Scio, inquit, ſcio quid prætendatis: non eſt quod ſperetis, numquam faciam, aut certè potius aliud à me petatis *Inſtitit enim* (loquitur S. Auguſtin) *quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret.* Tandem illorum convictus precibus & moleſtiis, iterum acceſſum permittit & alloquium. Quid de novo adfertis. Uno verbo dicemus, ſed in aurem. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Perdam ego amicitiam Cæſaris: (ſuſpirat Pilatus, grave hoc punctum eſt & maximæ conſiderationis. *Timorem Pilato gravem incutiunt.* Si mecum Cæſar non eſt in gratia, maximo meo incommodo detrimentoque erit, Gratiam perdidero? Heu me, Pilate, miſerum! Dignitatem auferet & officium, atque (quod maximi ponderis eſt) non accipiam deinceps munera illa regalia, quæ indies hactenus ſolebam. Verbo dictum, mihi commodum nullum erit. Quid facio? Patiendum hoc, Chriſte, tibi eſt, conatus ſum abſolvere omni quo poteram modo, condemnare jam cogor. Pereat anima, pereat fides, pereant omnia: imò etiamſi dereliquendus ſit Deus, nil horum curo, ſi modò ſalvum mihi ſit commodum. O vos viri, quàm benè commodo meo conſulitis! gratum eſt. *Cum audiſſet Pilatus hos ſermones* Quando de commodo agebatur, & cupiditatis ſtimulos ſenſit, *tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* O Pilate, quanta eſt illa iniquitas! Quid? Juſtitiam iniquiſſimus ipſe condemnas? an non ſine cauſa? ita faſſus es ſtatim, cum innocentem dixiſti, & verè. Nunquid ergo ejus Diſcipulus occultus es? Nunquid miracula vidiſti & credebas? Ubi jam Fides, & Chriſtiani nomen? *Succumbit Pilatus huic oppoſitioni:* (dicit Toletus) *plus potuerunt ſermones hi de Cæſare apud illum, quam illi quos etiam audierat, & timuerat, quod Filius Dei eſſet.* O maledicta cupiditas! quò non hominem cogis? Sanctus Gregorius ſubſcribit: *Idcirco in Redemptoris mortem conſentit, quia oblationum lucra amittere formidabat.* Lege quidem expreſſa decretum eſt: *Nemo poteſt mutare ſententiam in alterius injuriam.* Aliter tamen cupiditatis præceptum exegit, & fortius obligavit.

Matt. 27. Luc. 23. Marc. 15. Matt. 27. S. Auguſt. in pſ. 36. Ioan. 19. Pr. Toletus hic. Ioan. 19. Toletus. Card. ubi ſupra. L. Nemo ff. de reg. juris.

Ac mecum ipſe jam cogito, an mulieres etiam, ut viros dixi, cupiditatis fitis incendat & excitet. Verum quidem, non ſic adverti: ſi tamen auditionibus credam, hoc vitio æquè mulieres ac viri laborant. Sed quia *facta non præſumuntur niſi probentur*, ex multis eventibus demonſtrabo. Sophia Juſtiniani Imperatoris conjux *in aſpiciendis nummis à ſe conſervatis vehementer delectabatur, in expendendis tamen pecuniis nimium contriſtabatur.* Etiphyle eâ fuit cupiditate, ut cùm monile vidiſſet ex auro (ut opinor) & gemmis à collo Adraſti Regis Argivorum dependens, pulchritudine ejus accenſa, Amphiaraum maritum latentem, ne ad bellum Thebanum, ubi ſe moriturum ab Oraculo ſciebat, proficiſceretur, Polynici prodidit.

C. cum in jure de off. del. c. cum ro. de fide inſtru Ioſeph paſſ. de defectibus femin Ioan Raviſ. in officin ſ. 265.

Hanc legem populus Romanus ſancivit, ut, cùm cives deſtinabantur ad quaſdam regendas Provincias, uxores minimè ad eas proficiſci poſſent (Obſervate rationem) *ne inſatiabili ſua argenti cupiditate illis ſuis divitiis expoliantes depauperaſcerent.* Demonica Epheſia mulier eo tempore quo Galli Senones omnem Europam infeſtabant, cupiditate auri oblati capta, Brenno hoſtium Duci Epheſum nonne prodidit?

L. Obſervare §. proficiſci de offic pro Plutar. in Paral.

Ad ſacra & noſtra exempla rutius tranſeo. Lazarus in febrim inciderat aſſiduam & ſatis moleſtam: Medicus adducitur & ex tactu pulſûs, gravitatem morbi indicat: ſperare tamen facit, & ſolatur his verbis: animo bono ſis, mi Lazare, à catarrho infirmitas tua & ab alteratione febris erit, nec aliud malum. *His qui ob juſtam cauſam non leviùs ſe habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt, talium enim multa ſtabilia non ſunt, neque multum durare, & permanere conſuevêre.* Alacrem eſſe oportet & erectum, veſperi reviſam. Et vos puellæ, nonne infirmi Sorores eſtis? Infirmitas gravis eſt, periculoſa, ut video, & anceps curatio, certa mortis indicia, labra ſunt livida, ungues nigri, & frigidi pedes. *Facies eſt Hippocratica & terribilis, mortem proximam eſſe portendunt.*

Hippocr. Aphor. 27. lib 7. Hippocr. Aphor. 12. & 14. l. 8.

Quanto,

Quanto, putatis, in dolore sorores sunt vel mœrore potius, quem accipiunt ex infirmitate intolerabili Fratris sui charissimi, De mutando Medico cogitant, litteras ad Salvatorem expediunt, supplicando, ut in Bethaniam dignaretur accedere, Fratrem infirmum curaturus. Cum autem ambæ sorores ægrotantis (ait Nonnus Panopolitanus) vidissent Fratrem membrivoro flagello tabefactum, vicinum morti, commune verbum præmiserunt ad Regem depulsorem malorum: Lazarus, quem amas, torquetur ardenti morbo: quem amas, visita. Literas Salvator accepit, Lazarum gravitet ægrotare intellexit, & licet in morâ fore periculum nosset, non tamen ideò festinavit, sic ut interèa mortuus sit Lazarus & sepultus. Cum in Bethaniam veniret jam Christus, lugebant sorores & gemebant, dolentes valdè fratrem extinctum, quòd Christus tempore opportuno non advenisset. At ille addens animos, nil est, inquit, quod formidetis: dicite modò *ubi posuistis eum? Veni* (inquiunt) *& vide:* non enim resuscitaturum credebant. Ubi verò audiunt dicentem: *Tollite lapidem,* mussare cœperunt: Lazarum hac vice, nisi obstemus resuscitabit. *Domine jam fetet, quadriduanus est.* A sepulchro hoc Domine cavendum est: putridus & malus odor est. Et quid mirum? jam à quatriduo vitam naturæ reddidit, Et ita mille injiciebant remoras, ne vivis iterum daret. Hic hærendum est & attentiùs factum hoc expendendum. Quando Lazarus infirmabatur, sorores omni modo conatæ sunt à morbo revelare: dolebant, plangebant & ejulabant, nil nisi fratris convalescentiam avidissimè expetentes. Et modò, cum Christus adest, majorem gratiam præstiturus, nempe mortuum restituendo, omnem movent lapidem miraculum impedire conantes. Ut quid ita?

Nonnus Panop. T. 6. Biblioth. vet. PP.

Huc Juriseperiti, adeste, vestrum consilium est, ut sententiam hic dicamus. Casum sic ponimus. Testamento facto quispiam moritur, ad consanguineos hæreditas venit, tribus post diebus aut quatuor reviviscit: Testamentum valebit, an non? Redivivo liberum erit redire ad hæreditatem suis relictam?

Responsio communis ea est, testamenti factionem nullam esse, adeoque ab hæredibus restituenda bona testamento relicta. Terminis utar Consultissimi Juli Clari: *Pulchra quæstio, sed de rarò contingentibus. Si tamen contingeret, prout in Lazaro, quem Dominus à mortuis suscitavit, tenendum est quod Lazarus à mortuis rejurgens, hæreditatem suam de jure recuperaverit & ruperit testamentum: non enim videtur mortuus qui tam cito revixit.* Lazarus testamentum fecit, jure quidem legitimo & usu recepto: Magdalenæ Dominium Castelli, Marthæ vero etiam, bonorum reliquorum hæreditatem consignavit. Jam nunc delectari lubet (ita eas loquentes audire videor:) Dominæ rerum sumus, possessio nobis integra manet, nec ab ullo dependens: at si frater ad vitam revocatur, testamentum lege fit irritum, & nos iterum exhæredes Expedit omnino Domine, & melius nobis erit, mortuum manere, non ad vitam redire: plus namque hæreditaria bona cordi habemus quam fratrem. *Iam fœtet, quadriduanus est. Martha fratrem suum Lazarum non mediocriter diligebat: unde una cum sorore sua Magdalena nuncium misit ad Christum, ut infirmitati fratris remedium adhiberet. Cum autem audiret Dominum dicentem: Tolle lapidem? dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat: Domine jam fœtet.* Verebantur enim, ne hæreditatem perderent & dominium.

Iulius Clar. § testam q. 98. *tit. an rump. test. resur.*

Fr. Labata Tom. 3. verbo Avar. prop 1.

Et quid non ausit mulier etiam pudendum, quam semel abominanda cupiditas accendit? Scio tamen alias esse continentes valde, & in quas non cadit ista passio, neque deistis jam loquor. *Frequenter conjugalis pudor pecunia taxatione vilescit,* (verbis dico S. Valeriani Clemeliensis Antistitis) *& diu incontaminata Virginitas, sub parvo auri pondere prostituta, fidem integritatis amisit. Tanta est apud aliquos cupiditas, ut venalis pudor pretium fœditatis inveniat. Infelix profecto est qui plus cupiditati consulit, quam pudori. Hic pecuniam dedit ut corruptionem emeret. Illa pudorem perdidit, ut pecuniam compararet.* Supersedebo. Intelligenti pauca. Et quidni satis sint ista cupiditati execrandæ?

D. Valer. Episc. clemel.

O Deus bone! quot in hominibus mala excitat maledicta cupiditas! Ubi hæc dominatur, fama existimatioque negligitur, animæ salus non curatur & honor divinus contemnitur. Tot scelera fiunt & flagitia, ut dictu difficile, quanto in odio sint apud Deum & homines. *Cupidus multa audet* (scribit S. Chrysostomus) *qua neque Deo, neque hominibus placent veritus; ne quis hanc sibi auferat servitutem. O amarum servitium! O diabolicam potestatem.*

Cupiditas limites nescit, & sic lucris inhiat, ut numquam satis: velit ex argento conflari, aut potius transformari in aurum: neque tum sufficerit. Verbis utor Beati Simonis de Cassia, quam bene, quam vere depingit, *Avarus quærit,*

B. Simon de Cassia l.2. c. 50. *argentari vult. Agrum copulat agro, domui connectit & domum. Non est terminus ejus, nisi cum pervenerit ad terminum, ultra quem non est terminus alius. Non contentatur habitis, inhiat acquirendis, nec quiescit in acquisitis : nam aut vellet DEVM plura creasse, aut alium constituere Creatorem plura creantem.*

Amicos non agnoscit, inopes aversatur, velletque eos carere linguâ, ne exponere necessitatem valeant, ex charitate requisituti, quod ipsa indebitè retinere dispositi. Dies noctesque torquetur: arctatur enim doloribus ut viam inveniat, ubi *Idem. sup.* acquirat: perforatur timoribus, ne acquisita perdat. *Amicum non quarit, faciem avertit à proximo, linguas loquendi beneficio vellet esse privatas. Æstimat omne perdidisse penitùs, quod aliis, & non sibi cedit in lucrum. Cum pax sit ubique, semper ad suas pecunias suspicatur insidias : latrones æstimat, qui non sunt: fures constituit, qui furari odiunt: non habet æs, sed habetur ab ære, & hæres est æris, inhærens in ære, custos est æris, ligatus in ære.*

Cupiditatis unguibus substantiam proximi deprædari avarus laborat, pecunias in quæstum & fœnerationem transferendo. Summoperè dolet cum peculii deest occasio, & quod à naturâ terminatum, vellet per additionem quantitatis ad quantitatem in infinitum extendi: eò studium omne intendit & industriam; optaretque nummos habere infinitos ideò, quia infinitum est illud, cui nulla potest fieri additio. An non sic in- *B. Simon ibidem.* ferre voluit præfatus Author? Crediderim. Verba repono. *Cum sibi nummus aut moneta fuerit separ, quarit addere par? cum fuerit par, non vult facere dispar, sed quarit ut expendat aliud separ: cum autem adfuerit, voluit sibi conjungere par: unde ne paria fiant disparia, & ut separia fiant paria, crescit in immensum per avaritiam noxia cura.* Cui pro mobili facit cupiditas, ad centrum proprii commodi & lucri velocissimè rapitur.

Equidem sive de principio agatur, aut medio, aut fine, ad quæstum proprii omnia tendunt. *Idem Author.* Initium ejus est amor sui sine respectu proximi, medium ejus superflua coacervatio, rerum finis verò negatio Dei. Ecce quò potest ista pervenire maledicta, ut Deum neget in suarum creaturarum professione jurata

Quid ergo? (Chrysostomus ait) Ideonè fortassis in mundo es, ut divitias accumules? An propterea Deus hominem fecit, & vitam indul- *D. Chrys. hom. 59 in Ioan. c. 10.* sit, ut dissipando cælestem substantiam, terrenis & fugacibus bonis totus incumbat? *Nunquid propterea in hunc mundum venisti? num propterea homo factus es, ut æs & aurum accumules?* Ut proinde verè de te dictum sit illud Poëticum.

Infinitivo prope par modus optativus :
Optandi finem nam sibi nemo facit. *Ouvenus l. 1. n. 29.*

Quid tandem divitiis fier tam avidè congregatis? Cui inservient? ad salutem animæ, aut cælum acquirendum? Ah miser attende! Ad interitum pertrahunt & æternam damnationem. Semper duraturas credidisti, aut te numquam moriturum? Falleris, inquit S. Gregorius, *quia aut nos* D. *Greg. illas moriendo deserimus, aut illæ nos vivendo deserunt pereundo.* *in Iob. 9.*

Absit (NN.) absit ut vobis dominetur hoc malum: uti, de quibus suprà audistis, & iis qui missi Hierosolymam ad Joannem, acturi quidem de communi bono, sed tamen privato magis intendentes, etiam præferentes. At Joannes, ut agnovit cujusmodi essent, quid prætenderent, illos non fodit, neque honores oblatos admisit: *Non sum ego Christus, non sum Elias, non sum, non.* Hanc Deus à vobis pestem avertat, quam nec inimicis vellem imprecari.

Commune hoc vitium, parcos adeò & tenaces aliquos esse, ut ne vel aliorum illos misereat sed & depauperari reliquos vellent, ut etiam sic alienis bonis ditiores semper fierent. Unde dicebat S. Abbas Antonius: *Divitias Deus nobis tri-* D. *Anton. buit ut ipsas his, qui indigent, ministremus: at nos, Abb. serm. qui divitias possidemus, pauperes è contrario spolia- de vanimus.* Si & vos hoc vitio non laboretis, contrario *tate mundi in Biblioth. vet. PP. Tom. 4* id opere comprobate, eleëmosynam pauperibus erogando. Lubenter facite, & sic non esse avaritiæ deditos ostendetis. Et si qua vos cupiditas tenet, sit acquirendi meriti, quod eleëmosynæ merces.

Quas Christi causa miseris donabis egenis,
In cœlo æternas conciliabis opes. *Ouvenus in monast. ethic. n. 16.*

PARS SECUNDA.

QUandoque personas vidi pauperes, abjectas & quas à veste lacera mendicas putassem post annos quatuor fortunam amplificasse in tantum, ut millia aureorum compararint, famulos, equos, rhedam, domum amplissimam & possessionem ingentem. Petite, undè tam subitò divites. Dei gratiæ est, (respondebunt) tum mercaturæ & industriæ attribuendum, divitias nos accumulasse: ita Deus juvit, ita voluit.

Miratur moribundus Jacob tam brevi spatio à filio Isaac captam esse sylvestrem feram.

Hæreo

Hæreo fili mi, quid cogitem? *Quomodo tam cito invenire potuisti?* Observate responsum: *Voluntas DEI hoc fuit.* Fraudem quidem jam admiserat, palliare tamen audet, in Dei voluntatem refundendo, Pete, sit ita lubet, à divitibus sæculi, *Quomodo tam citò invenire potuistu?* Quomodò inquam tam brevi temporis spatio tot divitias accumulastis, tot prædia, tot facultates conquisiviſtis? Liberè pronunciabunt, Deo volente sic factum: *Voluntas Dei hæc fuit.* Sub mentito Divinæ voluntatis pallio latrocinia, fraudes & furta abscondunt.

Gen. 27.

Si quis hoc illis objiciat ex legibus: *Aliquis non debet locupletari cum alterius jactura*, ita statim interpretantur hanc legem: *Procedit regulariter.* Et, si verum hoc, *Nemo tenetur cum suo damno alteri subvenire*, quantò magis *tenetur quilibet cum suo lucro nulli obesse*? Sed modò leges observant, ubicumque lucri oblata occasio, non quando bursæ vel in minimo detraheretur.

L. natura hoc ff. de condit. indeb. reg. locupl. de reg. jur. n. 6. L. servand. ff. de præscr. ver.

Antiquâ lege prohibitum Hebræis nedum commercium, sed omnis familiaritas & conversatio cum Samaritanis: *Iussit quoque Dominus filiis Israel vitare familiaritatem & societatem cum alienigenis.* Erat inter nationes illas duas antipathia, quam modò reperire est hæreticos inter & Catholicos, aut Christianos & Hebræos. *Samaritani, sicuti inter nos hæretici, reputabantur à Iudæis.* Samaritani namque idololatræ erant. Unde *Iudæi in aliquem convicium jactare volentes, Samaritanum appellare soliti erant.* Ea propter mulier Samaritana ad puteum Sichem, cum peteret aquam Salvator, *Mulier, da mihi bibere*, indignata est, & torvo vultu intuita ait: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Mulier ergo, ne contra legem faceret, aquæ potum Christo recusat. Hoc esto, sed mente retinendum.

Dionys. Carthus. in Ioan. 4. a. 2.

Fr. Card. Tolet. in Ioan. 4.

Idem ubi supra.

Ioan. 4.

A Christo Discipuli abiverunt in civitatem Samariæ: quid facturi? Ut panem, & quod victui necessarium, curarent. *Discipuli autem ejus abierunt in civitatem, ut cibos emerent.* Sed quomodò victum inde sperent Apostoli? an ignorant, quid ibi lex præcipit? an non viderunt, quid à muliere factum? nempè aquæ potum Magistro denegasse? Undè nec panem & quæ victui necessaria impetraturos sperent. (Discipuli abierunt (*Interprete Cardinale Toleto*) in civitatem, ut emerent cibos: nec illi vendere, nec isti emere renuerunt: nam lex adhuc non cessaverat. Si ergo lege id erat prohibitum, referebat profectò non prævaricari eam. Si venissent ut panem gratis peterent, ex charitate aut amore Dei lege permissum non fuisset: sed quia jam aderant *ut emerent*, paratâ, nulla lex obligat, sed cupiditate dispensante, omnis jam cessat.

Card. Tolet. in Ioan. 4. annot. 6.

Vitium hoc regnare solitum in Curiis, ubi justitia administranda, quia ministri illius connivendo dissimulant, suntque, ut Isaias prædicit, *canes muti non valentes latrare.* Furunculum videas nocte, officinam infringit, sed intus canem reperit latrare & mordere parantem: quomodò impediet? è facco bolum panis educit, projicit, & ita cani os obstruit, habetque placatum sibi, & latrocinii sapertum campum. In loco isto aliquo commissum est scelus, subitò canes, administri, dico, justitiæ, audiri faciunt, de facto inquirunt & testibus: verbo dicam, quidquid justitiæ debitum, rigidissimè curant. Vult quis placatos illos? litem & negotium omne sopitum? Ministro panem objiciat, aurum donet & munera, statimque absolvent, virum bonum & innocentem declarando, *Sic donum datum pro subversione justitiæ* (notat Liranus) *Iudicem tacere & à punitione malè cessare.*

Isa. 56.

Liranus in Glossa ordin. ad lit.

Quisquis ad cupiditatis recurrit patrocinium, litem ipse lucratus est, nummis utitur pro ratione, quæ contra sit, etsi nullam habet. Ubi aurum loquitur, reliqua in silentio, & obmutescet justitia, ubi argentum dicet. Bene alluſit Poëta:

Barthol. Cass. de gloria mundi.

Nummus honoratur, sine nummis nullus amatur:
Nummus ubi loquitur, Tullius ipse tacet.

Ad penetrandas aurifodinas Astrææ gladius prævalet, argento legibus ferreis imperant, & innocens ab eis habetur qui divitias habet, quibus illorum cupiditas satietur. Ferro justitiæ sanguinem exprimunt, à quibus non è bursa nummos, & ita innocentis rationem, adversæ partis auro supprimere satagunt. Illorum cupiditas nebula est, rationis objecta radiis, impedit justitiæ splendorem: caligo est, quæ lucem æquitatis obtenebrat. Unum *Ita* fiet *Non* (denariis ea virtus est) & *Non* in *Ita*, cùm voles mediantibus illis, erit mutatum. Hinc Lycurgus, justitiam à Republica Spartarum propulsatam & abjectam ut revocet & erigat, monetam auri & argenti prius eliminat.

Plutarch.

Ministros illos justitiæ, cupidos semper & appetentes, meritò comparem plantis, eò plerumque vergentibus ubi fructus abundantior: aut verò stateræ, quæ in partem semper propendet, ubi gravius est pondus. Alluſit doctissimus Au-

thor? quod ex hoc metro retrogrado intelligendum.

Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva.

Corn. à lapide in Exod. 23. fol. 495.

Leges jam nummis explicantur & instar pellis extenduntur (quod utinam non hoc nostro ævo sit verum!) æquitas rejicitur & ratio nulla curatur. O factum malè! O misera pupillorum conditio, quos necessitas in Advocatorum hujusmodi manus impellit! Quis est qui pro rerum atrocitate deplorare tantas miserias queat? De injuriis quas derelicti vos ab omnibus sustinetis. S. Lucas justè conqueritur, dum statum vestrum calamitosum mundo exhibet in persona ejus qui *incidit in latrones, & spoliaverunt eum.* Quid? an non bonis omnibus spoliant litem dum protrahunt, & tandem iniquissimam Sententiam ferunt? *Et abierunt semivivo relicto.* Ad mendicitatem miseros redigunt, ut diutius vitam sustinere non valeant, & sic exsugunt sanguinem, imò eviscerant, ut mortuos potius, quàm vivos relinquant. *Sed quod cum maximo animi dolore proferimus* (Titelmani verbis deploro) *ita sunt plerique auribus corrupti, ut libentius nummuli unius tinnientis sonitum exaudiant, quam cælestium retributionum suavissimas promissiones, suam quoque operam & studium libentiùs vilissimo obolo divendant, quàm pro amplissimo æternæ hæreditatis præmio collocent.*

Luc. 10.

Franc. Titelman. in Psalm. 81. v. 3. & 4.

Omne vitium sphæram habet activitatis: at verò cupiditas ens est transcendentale, ubique est mortis imitatrix & nullo discrimine ferit, & invadit omnes. Si ad portas singulorum, quos vexat iste stimulus, plantata sit arbor, sylvam faciet civitas. Si avaritia febris sit, eâ jam laborabunt omnes: *nemini parcit.* Credite, Cives Veneti, credite: quærere poteritis, sed neminem reperietis qui beneficus sit, & gratis absque ulla prætensione diu obsequatur. Verùm hoc puto:

Munera qui mittit, sperat majora remitti.
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

Ovvenus in Eth. n. 58.

Ingressus est Christus in atrium Pontificis, & Petro, quia *sequebatur eum à longe*, non datur accessus, quia seriùs venit cum clausa esset janua, adeoque foris manendum. *Petrus autem stabat ad ostium foris.* Serius venisse doluit: nam quia Magistrum amabat, diu abesse durum illi erat. Audacter pulsat fores: sed per fenestrellam ancilla respiciens, januam aperire negavit, acriter alloquendo: nemini jam accessus permittitur, vade, servet te Deus, & conducat. Cui iterum Petrus: Obsecro, id facias gratiâ, aperi, vel certè hic frigore moriar. Vade (reddit illa) frustrà petis ingressum non aperiam, dixi. Aderat casu Joannes, altercantes audivit, & ab ancilla ingressum illi impetravit. *Exivit ergo discipulus alius, & dixit Ostiariæ, & introduxit Petrum.* Cur ad prima Joannis verba statim ancilla aperuit, cum tamen anteà multis precibus Petrus institerat, nec potuisset? Non videatur id mirum, dicit S. Vincentius Ferrerius. Observastis de Joanne, quid dictum? *Erat notus Pontifici.* Et unde sic notus? sæpè sæpius pater ad palatium miserat Joannem, qui gratis & pro munere pisces offerret. *Causa fuit notitiæ cum Pontifice, qui fortè missus à patre suo, plures portaverat pisces ad domum Annæ.* Ita Liranus, cui D. Dionysius Carthusianus adstipulatur, ubi sic loquitur: *Causam notitiæ diversi diversimodè tradunt: quidam quod frequenter portavit pisces ad domum Annæ.* Nil Joanni facilè recusandum, quia multoties visus est cum muneribus venire ad aulam. Petrus non erat notus? munera, dico, non adferebat, adeoque non intromittitur ab ancilla. *Petrus, cum non esset familiaris Pontifici* (inquit Toletus) *non est permissus intrare, sed mansit foris prope ostium. Aperto igitur ostio ad preces Ioannis, Petrus ingressus est atrium Pontificis.* S. Vincentius Ferrerius hanc rationem allegat: *Erat sibi (id est Pontifici) notus, quia portaverat sibi encænia piscium, quæ pater Ioannis sibi mittebat: quia tamquam malus judex libenter recipiebat illa.*

Luc. 22. Ioan. 18.

Ioan. 18.

Liranus in Glossa ibid.

Dionys. Carthus. in Ioan. 18. art. 43.

Supponamus tamen (etsi non sit concessum) reperiri, qui gratis obsequium præstet, nil omninò sperando: concludendum, hunc non fore hominem, sed è cælo Angelum in specie humana. Cum è carcere Petrus educitur, liberatorem suum agnoscere non potuit, cui tamen *lumen refulsit in tabernaculo* Aperitur carcer, dirumpuntur vincula ferrea quasi cerea fuissent, nec tamen in mentem semel incidit, ut Angelum crederet, sed *existimabat se visum videre.* Egressus è carcere, cùm jam ab Angelo esset recessurus, Petrus non hominem fuisse, sed Angelum conclusit, *Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de manu Herodis.* q. d. v. Agnoscere numquam antè poteram, dubius utique semper hæsi: at ubi jam discederet, nunc, nunc, & non anteà Angelum agnovit. Dic modò, Petre, unde tandem eum nosti? Quid signi vidisti? Quid signi? Gratiam præstitit, & maximam fatebor. Quid? vinctum catenis ferreis è carce-

Act. 12.

+110

carcere liberavit, gratis quidem ne vel obolum requirendo, obsequii collati mercedem: & illicò inde collegi Angelum eum esse: si enim homo id obsequii exhibuisset, vendenda hæc mea tunica, neque compensando satis fuisset. Ita speculatus est modernus Author. (Persona que me libra de la carcel, y se va sin pedirme algo, Angel de Dios es, que si fuera ombre, el vendiera caros sus passos.) Delgad. ser. 7. ser. 3. Dom.

Aug. Nunnez

Angelus qui Petrum eripuit & catenas solvit, (ita Deum obtestor,) à cupiditatis pessimæ nexibus ille ipse vos liberet, ut verâ animæ libertate potiti mereamini in cælis. Faveat & faxit Deus.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

ARGUMENTUM.

Miserrima est peccatoris conditio, eaque sanguineis lachrymis deploranda. Christus omni modo liberare conatur: & quàm solicito & anxio amore curet, in Apostolo Thoma evidenter ostensum est.

THEMA.

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit. JESUS. S. Joan. cap. 20.

HIc status est totius mundi atque naturæ ut homines, in quocumque etiam ordine, miseriis & ærumnis premantur: atque hoc ipsum Solis videatur luce clarius. *Semper malum aliquod viget, alterum verò præterit, & quod novum secuturum est deinceps, nondum apparet.* Ita dixit Euripides: & conformiter Publius: *Bona memini hora est quæ non alicui sit mala.* Subditque alibi: *Fortuna obesse nulli contenta est semel.* Seneca sic loqui solebat: *Quemcumque miserum videris, hominem scito.* Aliquis propriam calamitatem ita deploravit:

Euripides. Publius. Seneca Herc. furent. v. 463.

Hei mihi misero! quam misere perii, nunc miser!
O ter me miserè miserum, & quater, & quinquies!
Men' obruit tam multiplici infortunio!

Sycophanatus.

Et, quod longè pessimum est, vix cum malum desinit, accedit majus. *Nec mihi Parca malorum finem adfert,* (inquit Stobæus) *sed manent constanter, & præsentibus accrescunt alia.* Nec aliter Seneca: *Exoritur aliquod majus è magno malum.* Euripides concludit: *Alia post alia succedunt mala in longo tempore.*

Stobæus. Seneca in Troade v. 415. Eurip.

Ixionis statum considera, quàm est rotæ cruciatu perpetuò miser!

Impius Ixion fatali volvitur orbe.

Prometheum videas in monte Caucaso adstrictum religatum: quantus ei dolor est, cùm adhibita aquila cor semper exedit!

Titus Strozz.

Hic miserum Scythica sub rupe Promethea rodat.

Martial. l. 11. Epigr. 45.

Carnificem nudo pectore pascat avem.

Sisyphi maximus labor est, dum ad montis verticem saxum ingens provolvere cogitur, quod, ubi ad summum extulerit, ad ima dilabitur, relevandum.

nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit.

Quis non Tityi acerbissimam sortem deploret, cujus jecur vulturibus appositum, crudelissimè lancinandum?

Idem. l. 5. Epigr. 77.

Incontinentis nec Tityi jecur.
Relinquit ales.

Neque hîc silentio prætereunda infelix conditio Tantali: in aquis est, & siti perit: fructus habet appositos, & fame enecatur. O fata aspera!

Heu! miser in mediis sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.

Ovidius. Alciat. Emb. 84.

Nihilò

Nihilo feliciores Belides, quæ perforatis urnis aquas haurire numquam cessant, sibiipsis desperando.

Ovid. in Ibin. *Quæque parare suis lethum patruelibus ausæ,*
Belides assiduâ colla premuntur aquâ.

Mihi credite (NN.) nemo de iis omnibus, quos infelicissimos dixi, anteponendus est Peccatori, qui hodiè nobis exhibitus in persona Apostoli Increduli, qui *non erat cum eis quando venit Iesus*, ille, ille miserrimus est: Status omnes percurrite, dum lubet, neque magis deplorandum umquàm deprehendetis. Mali sunt reliqui omnes, at verò iste pessimus. Non mihi, sed Augustino credendum istud. *Nihil infelicius infelicitate peccantium, quâ pœnalis punitur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.* O verè summas peccatoris ærumnas! De misero hoc peccantium statu loquendum, in quo etiam Thomas reperitur, cùm *non erat cum eis, quando venit Iesus.* Et quantum laboret Deus ut peccatorem eripiat! *Infer digitum tuum huc, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Dum breviter dicam, quæso, diligenter attendite.

S. Aug. epist. 5. p. 25. Tom. 2.

Ioan. 20.

PARS PRIMA.

THomas *non erat cum eis quando venit Iesus.* Quot & quanta orta sint mala ex equo Diomedis, plures expertos refert Gellius. Eo enim fato is equus fuit, ut quisquis eum possideret, cum omni familia interiret: primus namque hujus equi Dominus à Marco Antonio damnatus, miserando affectus fuit supplicio. Deinde emit Cornelius Dolabella, qui & ipse à Cassio victus in prælio occubuit. Ab hoc ad Cassium victorem equus pervenit, qui ab Antonio victus sibi manus intulit. Nec multò pòst Antonius victor, qui equum abstulerat, ab Augusto victus simili mortis genere periit. Idem anteà Cneio Seio evenerat, & inde dicitur Equus Seianus, & apud Græcos proverbium est in calamitosum quemcunque. *Equum habet Seianum.* Major tamen est peccatoris calamitas, & longè plura, ex caballo peccati exorta sunt mala. Hinc illæ lachrymæ, & omnis infelicitatis origo. Non ignorabat id Urbanus IV. cùm suspirans exclamavit: *Heu! quàm misera possessio peccati, qua suum facit miserum possessorem!* Distinctiùs dixit S. Archiepiscopus à Villa Nova: *Si quis à Tyranno quantumvis sævo & crudeli deserviat, & diebus ac noctibus, catenis & ferro ligetur, quantum est hoc? Manus & pedes ligare potest, sed mens & voluntas libera sunt. In peccatorum mancipio non sic: sed mens, sensus, ratio, voluntas, judicium, affectus, desiderium, & quicquid in homine præcellit, ligatum est. Amisit quod est hominis, & ferè totus obbrutuit.*

Aul. Gellius lib. 3. cap. 9.

Vrban. IV. in Ps 50. in Bibliot. vet. PP. Tom. 13. D. Th. à Villa N.

Conc. 2. Dom. Quadr.

Quisquis in eo statu versatur, sensu caret, ratione ac intellectu. Jurisperitis consuetudine id quasi innatum: *Erubescunt quando sine lege loquuntur.* Nec ausim ego, quod paradoxum est, loqui, nisi ex Sacro Codice probem. Regem propono, quo sapientiorem mundus numquam habuit, & in quem statum à peccato redactus sit, vos, obsecro, contemplamini, tandem pœnitentiâ ductum videte ad Deum revertentem, & corde contrito clamantem audite: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Quomodò David? An ergo antea non cognovisti? Nunquid sciviśti priùs superbiam, adulterium & homicidium ea esse, quæ occidunt animam? Peccatum de mente Regem deturbârat. Unde Agellius: Potest (cognosco) sic accipi, id est, non advertì, nescivi: nam eo tempore quo tantum crimen admisit, impetu quodam & æstu concupiscentiæ raptus animus, quantùm mali perpetraret, non cognoscebat, & velut fascino quodam voluptatis consopitus erat. A peccato intellectus obscurabatur & ceu tenebris offundebatur. *Vbi verò Nathan Propheta verbis admonitus quasi verbere quodam reprehensionis excitatus est, tum tandem magnitudinem peccati sui advertit, atque cognovit.*

L. Illam C. de col. l. fin. ff. de pœnit.

Psal. 50.

Anton. Agell.

Quis Regem tam sapientem, qualis fuit David, à peccato ita obcæcatum & dementatum credidisset, prout ipsemet ore proprio fatebatur, nisi actionibus suis comprobasset? Accessit ad aulam Propheta Nathan, ut post officia venerationis plena, de casu cum Rege expostularet & ita affatur: Crede mihi, Rex magnanime, si non in Regno puniantur delicta, quis illud ab excursionibus tueatur & latrociniis? quis tutus incedat? cùm hujusmodi hominibus dum connives, emendandi occasionem aufers, & indies pejus faciunt, ubi tam facilè se indulgentiam obtenturos sperant. Liberè dico, quia honor divinus impellit ut audeam: nec aliud movet, quàm ut sub sceptro tuo inclyto justitiam, in qua virtutis splendor est maximus, vigentem omnes intueantur. Insolitum eventum refero. Duo homines erant, copiosus unus & dives, alter inops & pauper adeò, ut possessiuncula ejus ovicula unica, eamque ceu pupillam oculi conservabat, mensa eadem utrumque pascebat & idem fovebat lectus. *De pane illius comedens & de calice illius bibens, & in sinu illius dormiebat.* Dives aggressus

2. Reg. 12.

est

est & abstulit: an non hic supplicio dignus? Si hoc in Regno meo scelus sit factum a subdito, per coronam meam & sceptrum hoc juro. *Ovem reddet in quadruplum.* Hic mecum (NN) tantisper hærete. Credat è vobis aliquis hominem hunc reperiri, qui oviculam ad mensam admittat ut comedat, & ex eodem scypho bibat, atque noctu in amplexu obdormiat: mihi perquam mirum videtur, eoque magis, Regem sapientiâ præditum probè singulari, tam facilè adduci, ut credat, & nugas sibi veras persuadeat. Non jam miror stultos & credulos, qui in flumine imaginem lunæ intuendo, quam ex improviso nubes densas ab oculis removeat, à jumento simul cum aqua absorberi existimabant, & quo certiùs appareat, aquas dividunt, in corpore detecturi illud, quod tam fortiter imaginati. Sultitia hæc indubiè & insipientia est maxima, errare tamen cum excusatione hi possunt, simplices enim sunt & rusticè faciunt: at verò David sapientiorem in Regno aut certè patrem dari non putabat, adeoque de se dixit: *super senes,* (aut potiùs) *super omnes docentes me intellexi.* Et persuasum habere potuit: verum ille inquam & evidens credidit, quod fictum esset & adumbratum. Dicam quod res est: Ubi peccare ausus cum Bethsabee, miser esse cœpit, & sensu privari: quid verum aut falsum, ignorabat, neque jam atra & alba discernere poterat: lunam esse in flumine, imò Asinos volare facilè Nathan persuasisset: Non tamen id fictum aut adumbratum: veritas Catholica est, ubi cum S. Ambrosio loquor: *Sciebat Nathan, quod David nesciebat, adeò caligat animus obumbratus quâdam nube vitiorum.* Sententia hæc D. Chrysostomi: *Peccatum insipientes facit eos, qui anteà intellectu & sapientiâ multâ præditi erant.*

Psal. 118. *D. Ambr. in Apolog. David. D. Chrys. hom. 17. in Genes.*

Petrus ad littus maris Dominum vidit & elatâ voce exclamavit, ne appropinquaret: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Alii quærunt, Petrus Deum repellit, cùm tamen peccati infirmitate gravatum se sentiat & fateatur. *Homo peccator sum.* Medicum videt, & non accedit: Infirmus ille qui medicum abhorret, delirus est & mente captus. Delirabat Petrus, & mens ei per peccatum emota. (Imò quia peccator es, debebas petere ut tibi Agnus appropinquaret, qui tollit peccata mundi. Infirmum te fateris, & medicum ablegas? Quid times in medico, quando ab ipso solo potes salutem adipisci?

Luc. 5. *Didac Penser. Tom.* 2. *c.* 4. §. 9.

S. Lucas de Filio prodigo scribit, cùm extrema jam ei necessitas esset, tandem deliberavit & statuit ad patrem reverti: ideoque observat S. Evangelista: *In se reversus dixit: Vadam ad patrem meum.* Ubi subtiliter, ut solet, S. Petrus Chrysologus reflectit ad dictum, *in se reversus,* propriumque significatum exponit, quod aliud non sit, quàm redire ad se. Erat igitur extrà ex se. Nemo domum redit, quin priùs egressus. Et quis nescit extra se idem ac extra mentem esse? synonyma enim sunt & termini convertibiles: & redire in se, aliud non est quàm recuperare sensus anteà perditos. *In se reversus.* q. v. d. Insolentiæ meæ & peccata extra me rapuerunt. *In se reversus,* (ait ille Sanctus) *qui priùs per peccatum recesserat à se.*

Luc. 15. *D. Petr. Chrysol. serm.* 2.

Ordinariè peccatores in circulum aguntur, ut Propheta testatur: *In circuitu impii ambulant.* Vertendo in circum & revertendo, delirium oritur. Qui in circuitu ambulant, facilè capite turbato in terram cadunt: sic peccator, ac si in circuitu diu ambulasset, capite turbato insensatus remanet. Unde Cain cùm fugitivus esset, neque unquam securus, terram meditatur, ubi sedem figat, & abit in Edeu, quod stabilitatem significat, illic constantiâ sperans & firmitatem, cùm tamen ibi nihil stabilitatis aut securitatis invenerit.

Psalm. 11. *Labata Tom.* 1. *prop.* 6.

An desiperet ille & mentis inops censeretur, qui Principem volens placare, verbis asperis & odiosis tentaret, & quasi pugnis contenderet? Abs dubiè magis iram accenderet, & ad ultionem proritaret. Quid minùs ille servus in figura peccatoris, sub diaboli jugo? Domino citante comparet, negligentiæ admissæ excusationem allaturus, & quem benignitate vincere oportebat, duro & insolenti verbo offendit. *Scio quia homo austerus es.* Artem Rethoricam non curat, imò omnino invertit. Dixisset, *Scio quia homo pius, benignus, placabilis & mansuetus es.* Excusandus est, inquit Eucherius, a mente desertitur, peccato deturbante. Peccatores, amisso intellectu, quo malè usi fuerant, dum se excusare poterant, dicunt: Scio quia homo durus es: si enim intellectum habuissent, nequaquam durum & invisum vocarent, cujus benevolentiam captabant. Benevolentiam velle mereri ab aliquo, durius alloquendo, motis Rethorici non est, sed rusticitatis. O quanta est peccatoris vesania! Nil nisi absonum loquitur & absurdum.

Luc. 19. *D. Euch. hom. de Nat. Coss.*

Timebant Hebræi ne Apostoli ex sepulchro, Magistri corpus efferrent, & resuscitatum nunciarent, ideoque statutum est, ut custodiretur, lapide super impositio ac sigillato. *Ite custodite, sicut scitis, signantes lapidem, cum custodibus.*

Matt. 27.

At tertiâ die resurrexit gloriosus & immortalis,

talis, ut jam toties Apostolis prædixerat & Hebræis, *Resurrexit sicut dixit.* Ex subito & improviso hoc eventu attoniti ac territi ad Synagogam properant, rem omnem, prout acciderat, narraturi. Stupebant Pharisæi & statim congregato concilio, quid agendum, deliberant, atque unanimi consensu statuunt, spargendum esse in vulgus, Apostolos venisse, & abstulisse, atque hoc dormientes vidisse. *Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.* Locum hunc versibus sic Juvencus Presbyter expendit, & Synagogæ Hebræorum consilium.

Matt. 28.

Juvencus Presb. in Histor. Evang. l. 4. in Bibl. vet. PP. Tom. 4.

Præmia miktibus certatim magna rependit,
Et famam argento redimit, quod lumine rupto
Furtim sustulerit corpus defensa tenebris
Occultò rapiens audacia Discipulorum.

O quàm stulti vos & vecordes! facilè est videre, sensibus destitui & ratione, ait S. Augustinus. Dicite verum: Dormivistis, & oculis clausis? Quomodo ergo Apostolos vidistis, & oculis clausis? Si non vidistis, quod testimonium allegatis? Et tu Pilate, magni utique consilii cùm sis & justitiæ administer, quid ad hæc? *Testes debent esse de visu.* Et *Testis probat, quando dicit. Scio, quia vidi.* Testes illos admittis qui dormiebant, cùm factum est illud de quo testantur? *Dormientes testes adhibes? Si dormiebant, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt?* Excusare, (inquit Augustinus) peccato imputandum est, illud turbavit, & intellectum fascinavit. *Verè tu obdormisti, qui talia scrutando defecisti.* Fictum à Poëtis, aqua Lethes fluminis memoriam perdi: hoc certum, in peccato existentes intellectum perdere & usum rationis.

S. Aug. in Ps. 63. v. 7.

Videor mihi Jonam tristem videre hederæ sub umbra languentem, accedentem nautas, qui eum secum in navim admittant. Dabis veniam, mi Propheta, quòd curiosè nimis & impudenter interrogem: ad iter maritimum dispositum credo, & de hoc petere intendebam. Dicam tibi, sed verbo unico quia tempus non patitur, ait Propheta. Fugam meditor, ne Deus assequatur, videat, aut fugitivum me deprehendat. *Fugio à facie Domini.* Iterum veniâ tuâ dixerim, mi Jona, falleris. Quomodo enim à Deo declines cùm sit in omni loco semper præsens? Quomodo abscondas ut te non videat, si omnia aperta sunt oculis ejus? Quid facias ne te reperiat? immensus enim est Deus & infinitus. Quòcumque aufugeris, aut occultaveris, aderit. Crede mihi, insania illa est. Hoccinè tibi persuasum sit, ut Deum ignorare aliquid cogites, & nescire ubi degas? cæcum esse & non videre ubi lateas? impotentem esse, neque assequi posse quò fugeris? ausim jurare; peccatum commisisti. Nunquid ita est, ut dixi? Rectè conjecisti: transgressus sum præceptum Domini. Itanè? non ergo mirum est, quod insensatè nunc loqueris & desipis: peccatum hoc facit, turbatum est cerebrum, neque intellectus liber, sed intricatus & fascinatus. Nolo mihi id credas, Chrysostomum audi affirmantem: *Quò fugis ô Iona? Nunquid non alium Prophetam audis dicentem? Quò vadam à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Qui corruunt in peccatum, veluti pravâ ebrietate, actionis desiderio detenti, nesciunt quid faciunt.* Unde meritò tibi hoc applicetur:

Ion. 1.

D. *Chrys. Tom. 5. hom. 1. de pœnit.*

Quò fugis Encelade? quascumq; ascenderis oras,
Sub Iove semper eris.

Recordor verbi quod primis parentibus dixit diabolus, ut ad peccandum alliceret. *In quocumq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Nescio quid prætendit infernalis hæc larva. Oculis erant apertis, & videntes: ut quid ergo dicit, *Aperientur oculi vestri?* Si plenum habebant intellectum & cognitionem in genere suo perfectam, cur tamen ait, *Scientes bonum & malum?* Quasi verò antehac nescivissent? *Institutus est in statu perfecto quantum ad corpus:* (Angelici Doctoris est sententia) *sed etiam in statu perfecto quantum ad animam, ut haberet omnem scientiam, in quibus homo natus est, instrui.* Itaque sciebat quid malum, quid bonum. Etiam cognitionem habuit rerum supernaturalium, quanta ad præsentem vitam rectè instituendum secundùm illum statum sufficeret. Et tandem sic concludit: *Rectitudo primi status exigebat, ut homo aliqualiter omnes virtutes haberet.* Unde concipere non possum, quid Serpens somniet, aut quid velit his. *Aperientur oculi vestri: eritis scientes bonum & malum.*

Gen. 3.

D. *Thom. in Sum. q. 94. a. 3.*

Idem ib. q. 9. a. 3.

Scitis, ut dixi alias (N N.) diabolum mendacem esse & mendaciorum inventorem. Quid verò mendacem esse aliud indicat, quam hoc proferre quod directè est veritati contrarium? Ah quam fallax est diabolus & vafer? Ex verbis ejus semper contrarium intelligendum est, idque verum. Ubi dicit *aperientur oculi vestri*, mentitus est, adeoque contrarium erat verum, *claudentur, excæcabuntur oculi vestri.* Ubi ait, *scientes*, id est, *nescientes & non cognoscentes bonum & malum.* Itaque interpretativè idiomate suo sic voluit dictum: Si peccaveritis, excæcabimini & delirabi-

tis

tis in tantum ut inter bonum & malum discernere non possitis. Eusebii Gallicani est meditatio: Cùm enim primo homini lignum vetitum comedere diabolus suaderet, dicens: Comedite & aperientur oculi vestri: nònne eum cæcum esse monstrabat? cæcus tamen adhuc non erat, sed comedendo cæcus factus est. *Euſ. Gallica hom. de cæco.*

Sed quomodo factus cæcus, si numquam oculos perdidit? De cæcitate corporali diabolus non intellexit, ut quòd oculos corporis, sed quòd lumen intellectûs essent perdituri, fierentque adeò rerum omnium ignorantes, ut bonum non cognoscerent aut malum: *Nescientes bonum & malum* Hoc est nimirùm, quod Deus volebat, cùm in Paradiso occurrens Adamo, dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum & malum.* Quæ verba ironicè à Deo prolata, docent Interpretes. Quis non videat hæc Dei verba per ironiam intelligenda, & irridendo magis dicta esse, quàm ridendo. Et Pierius: Hoc ferè Interpretes censent dictum esse à Deo per ironiam, ut intelligatur quantâ irrisione & ludibrio dignus sit peccator. *Gen. 3.* *Moyſ. Barcoph. de Parad. p. 1. c. 27. in Bibl. v. PP. Tom. 10.* *Guil. Hamer. in Gen. 3.* *Bened. Piere. in Gen. v. 22* *Calepinus.*

Quid autem propriè Ironia significat? Figura est in pronunciatione vim omnem habens, quam potiùs *dissimulationem* dixerimus vel irrisionem: cum scil. pronunciatione ipsâ nos diversum ostendimus significare ab eo, quod ipsa verba sonare videntur. Aliud dicimus atque sentimus, ut si per ironiam loquar: Vir ille probus est, magni nominis & virtutis, hoc dico: Improbus ille est, abjecti nominis & malæ vitæ. Si itaque Adamo per ironiam dixit Deus: *Factus est sciens bonum & malum*, sic intendit: Mente turbatus est ex peccato, ita ut jam vecors & amens nesciret bonum & malum. Eò cæcitatis, & amentiæ præceps ruit, quisquis se peccato obstringit. Ex tunc crassa quædam & pellicea fortassis tunica effusa est super mentis nostræ oculos. *Theophil. de nat. cæci miseria.*

Thomas in infidelitate dicebat: *Nisi videro & tetigero, non credam.* Si videre detur, Thoma, an tunc credes? Omninò, ait: firmiter credam. Quâ ratione? Credere enim & videre simul esse non possunt, eò quòd unum excludat alterum. Fides auditum patitur, non visum vel tactum. *Fides est de non visis. Fides ex auditu Quid est Fides aliud, nisi credere quod non vides?* Credituram dicis, cùm videbis: fidelem fore, quando tanges. Inconsideratissima ac dementissima hæc locutio est: attamen compatior Thomæ, quia peccato intricatus intellectum perdidisti, in infidelitatis profundo incurrendo naufragium. *D. Aug.*

Plura dicam (NN.) & pejora. Intellectu extincto homines in bruta peccatum transformat; ut propterea S. Thomas à Villa Nova prædicaret: *Peccatores humanitatem exuentes in brutales versi sunt: longâ enim peccandi consuetudine ratio in eis depravata & corrupta, lumine judicii amisso, ferè totaliter obbrutuit, & in aliam naturam degeneravit.* Simul atque in peccatum lapsi sunt Adam & Eva, recordati sunt, quia nudi essent, ac ad tegendum *consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* Vidit Deus & miratus ait: Quid hîc video? Vestes induistis insolitas? exuite: non enim statui vestro conveniunt, neque decentes sunt: exuite statim & hanc ipsam, quam vobis contuli, induite: videte an corpori vestro proportionata sit: mensuram justam accepisse arbitror, probate. Quid est? Materiam hanc non nôstis? duæ pelles animalium sunt. *Fecit quoque Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas.* Scio Domine, nil casu à te factum, sed in ordine ad finem omnia: nec sine mysterio. Ut quid igitur Protoparentum hanc è pellibus fieri curas tunicam? Cur non æquè aut potiùs ex tela, panno vel certè ex palmæ foliis, ut Anachoretæ olim gestare sunt soliti? Non, inquit Deus, per peccatum enim intrinsecùs in bestias mutati sunt, utque tales in omnibus & per omnia sint, solùm deest extrinsecùs pellis. Quare, ne ad esse bestiæ pelles deficiant, ecce contuli. *Fecit eis tunicas pelliceas.* Ita hîc observat D. Gregorius. *Ut foris pelle belluinâ uterentur, qui intus belluinâ cupiditate animum transformarunt: & qui aspirârant ad Divinam naturam superbiendo, intelligerent se peccando degenerasse in belluinam.* Item Arnoldus Carnotensis: *Intelligebat Adam pellem suam pelli belluinæ consimilem, imò pellibus nudo corpori superindutus homo bestia videbatur.* *B. Thom. à Vill. N. tr. 6. post t. Dom. Quadr.* *Gen. 1.* *Ibid.* *S. Greg. Nyſſenus in vita Moyſis:* *Arnold. Carnot. de oper. ſex dier.*

Et qua de causa in statu innocentiæ bestias homini obedisse existimatis, prout à Domino erat præceptum? at verò post lapsum, non solùm non paruisse, sed nec ut Dominum agnovisse, quinimò cœpisse abalienari & feraliter inimicari? Cum ecce erigere pilos, stridere dentibus, rugire Leo, ululare lupus, insultare ursus, sævire tigris, mugire taurus & elatis terrere cornibus, horrendum in modum sibilare serpens & venenum spargere: verbo uno, quotquot animalia silvestria, rebellare omnia, & homini jam misertimo indicere lethalem pugnam. Sed unde ista in bestiis mutatio tam subita? domitæ erant & mansuetæ omnes: at jam ferissimæ singulæ, neque facilè aliquis domet.

Fabulosus Actæon curiositatis pœnas dedit, à Diana in cervum conversus: & cùm puderet in publicum venire, latebras quærit, sed in silvis à propriis canibus deprehenditur, qui non dominum, sed feram agnoscentes, submissionis obliti & fidelitatis, latrando ferociter invaserunt & dentibus discerpserunt, nil curantes aut attendentes Heri lamenta & clamores:

Ovid. lib. 3. Metam.

Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.
Prima Melanchates in tergo vulnera fecit:
Cætera turba coit, confertque in corpore dentes.

Postquam lapsus est Adam in peccatum, videntes humanam effigiem in belluiam degenerasse, feram aliquam esse silvaticam æstimantes, concitatæ sunt bestiæ & proritatæ in illum non secus ac in Actæonem canes. Ex quo jam liquet, in statu peccati non hominem esse, sed bestiam. Chrysostomum asserentem audiamus. *Vide Adam, cùm nondum peccasset, bestias tamquam servos & obedientes habebat: postquam autem aspectum peccato commaculavit, tunc bestiæ eum non cognoscebant: & quæ serva erant, ei hostes evaserunt.*

D. Chrys. Tom. 1. in Psal.

Dedecori id fuit Patri Noëmo, à filio Cham verenda nudari, impudenter quidem, sed non impunè, dum pœnas Chanaan filius tulit. *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Sit Chanaan servus Sem.* Justè quidem multis de causis ea impudentia punitur. Neque hìc jam inquiro, cur filius innocens luat, & non, qui deliquerat, Cham pater ejus, in alium id locum reservo expendendum. Hoc solùm inquiro, cur Noë maledixit tantùm, neque aliud supplicium exegit. Cur non ædibus expulit, ne sub aspectum rediret, in exilium relegando? Cur non paternam hæreditatem abstulit, aut simile majus malum inflixit? Nihil horum voluit, sed hoc solùm, ut servus fratribus suis esset. Certum est: *Pœna debet commensurari ad delictum:* ita ut *ubi majus delictum, ibi major pœna requiritur.* Et quid supplicio servitutis cum irreverentia patri facta? Respondet sanctus Chrysostomus: dominari esse homini proprium, illique soli convenire dictum in S. Scriptura, *Dominamini*, juxta illud, *Præsit piscibus maris & volatilibus cæli & bestiis, universaque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Servire enim proprium tunc erat brutis: ideoque Noë, dum filii delictum servitute castigat, bestiæ naturam peccando induisse declarat. *Peccatum autem* (verba sunt D. Chrysostomi) *ubi intravit in hominem, homo libertatem perdidit, & corrupit potestatem naturæ datam. Peccando filius Noe in brutorum ordinem transivit, & hominis dignitatem amisit.*

Gen. 9.

C. Non asseramus, 24. 1. P. sanc. c. de pœn. D. 5. non asser. & ibi. not. gloss. Gen. 1.

D. Chrys.

Cain, ubi fratrem occidisset, proprio ore sic mentem expressit: *Ero vagus & profugus in terra.* Cur silvas meditatur & deserta in quibus habiter, ædes patrias derelinquendo? Quid ergo Cain? Aëris intemperiem non curas, aut noctis horrorem non times, ut ferarum more deinceps in nemoribus vivas? Quid faciam (ait) dum cogor? Peccato deformatus sum, non jam homo, sed bestia, adeoque ut locato conveniens sit locus, silvas quæro, non domum: deserta jam volo, non ædes paternas: in nemore vepribus abscondar, cum bestiis imposterum conversabor, in spelæis ferarum anxius ero, & inquietè illic obdormiam, si tamen potero. *Repulit eum à facie & à parentibus abdicatum separatæ habitationis quodam relegavit exilio, eò quòd ab humana mansuetudine transisset ad savitiam bestiarum.*

Gen. 4.

D. Ambr. l. 2. de Cain. & Ab. c. 10.

Quis hoc nesciat, etiam extrinsecùs membra concurrere, quò à brutis homo distinguatur. Cain igitur cùm jam ab homine situatione loci differret, voluit etiam externâ personæ apparentiâ, & membrorum transformatione, utique totus ipse ex homine in belluam mutatus. Occurrit illi Deus, & ait: O quantùm mutatus es Cain! Facies in te non eadem, quæ priùs serena erat & elata. *Cur concidit facies tua?* Fortassis vultum attollere pudet? Aut iratus, quòd Sacrificium despexerim, oculos avertis, & vindictam ruminas? Hoc è cæteris unum, quo à brutis homo discerni queat, Ovidius adfert, hominem creatum esse capite ad cælum erecto, feras vero in terram demisso.

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ovid. 1. Metam.

Undè Cain vultu in terram depresso demonstrat membra illa, quæ humana acceperat à natura, per peccatum belluina jam facta *Quoniam igitur per iracundiæ atque livoris peccatum Cain ex homine in brutum transierat, idcirco deinceps, quod brutorum proprium erat, os atque lumina ad terram convertebat.*

Paulus Manap. T. 1. Antiloq. 6. sec. 11.

De Goliath aliquando audistis, ô Deus bone! quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribilis aspectu! fortissimos quosque exercitûs Israëlitici duces terrebat, & sese in fugam generosissimi milites dabant. Neque hoc mirum;

mirum: fulgurare oculis, tonare voce, solâ manu permiscere totam Israelis terram poterat. Et quis fulgura & fulminum ictus non metuat atque declinet? militem armatum turris hæc animata timidum ac trementem reddebat, vel semel etiam intuendo, & certamen hic quilibet abhorrebat. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugiebat & formidabat audacia. Pastorculus ille, & quia statutâ parvâ erat ac juvenis, maximam omnibus admirationem movit. Ad lusum fistulæ maximè natum aptumque putassent, ad dirigendos ovium greges in campis Bethlehemiticis, ubi non auditur tympanorum murmur, aut turbarum strepitus. Quid? audebit ille, qui nunquam castrorum aciem, vix arma vidit, audebit inquam, ubi robustissimus quisque & inter milites Saulis expertissimus trepidat & fugit? At illi omnes unâ voce quantumcumque dissuadeant, animis constat, & magis magisque accensus ad certamen anhelat, dicitque nil videre, quod timeat *Leonem* (inquit) *& ursum interfeci.* Quid tamen animalibus illis crudelius dari queat? Adest hic D. Chrysostomus, & Davidis juvenculi expendit audaciam, ubi leonem occidisse & ursum, memorat: *Erit igitur Philistæus hic quasi unus ex eis?* Si cum bestia iterum pugnandum illi sit, bene concluderet, essetque pariformitas: Illas discerpsi & interfeci, neque huic faciam minùs. Non tamen potuisset aptior inveniri similitudo: Gigas ille idololatra, & homo sceleratus ac pessimus, virtutibus atque Deo hostis infensissimus, adeoque non cum homine, sed cum immanissima bestia certaturum considerat. Chrysostomi addo verba *Nocentes bestias interfeci, hoc exemplo etiam istam immanem belluam provocem, pugnâ aggrediar, Dei populum de ejus manu eripiam & ipsum ut nocentissimam belluam Dei virtute percutiam.*

1. Reg. 17.

D. Chrys.

In Metropoli Judeæ Isaias prædicabat, & peccatoribus iniquitates exaggerabat: *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisit matrem vestram, quia veni & non erat vir, vocavi & non erat, qui audiret.* Obstupescit hic iterum Chrysostomus. Quomodò non erat vir? Millia hominum dicentem audiebant, & virum non fuisse quis credat? Non est (ait) mirum: erant peccatores omnes & scelestissimi neque jam homines, sed truculentæ feræ apparebant. *Audi Prophetam clamantem & dicentem in media Ierosolymitarum Metropoli, ubi tot millia millium & tot multitudines innumeræ: Veni & non erat homo; vocavi & non erat qui audiret. Non dixit, qui non aderant, sed quia præsentes nihil meliores erant, quàm si non fuissent præsentes.*

Isai. 50.

D. Chrys. in Isa. 50.

Quærunt sancti Scriptores, cur Verbum caro factum sit, non Pater, non Spiritus sanctus. Respondent iidem. Cùm Pater improductus sit & innascibilis in Divinis, & Spiritus sanctus procedat non ut genitus, sed spiratus, non ut Filius, sed ut Amor, neque productio ejus generatio sit, sed simplex emanatio, nec Patri, nec Spiritui sancto incarnatio conveniebat. Unde Verbum, cùm procederet à Patre ut Filius & genitus, convenientiùs caro factum est.

Opinionem hanc veneror, sed salvâ illorum pace, cum Job Monacho sentiam, & rationem hanc sequar: *Quia verbum est essentialiter imago,* ut homini imaginem Divinam imprimeret, *Verbum quod est imago Patris, caro factum est.* Maneamus: Deus homini imaginem impressit quando creavit. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Non ergo necesse erat incarnari, ut imaginem homini daret: jam enim acceperat. Verum hoc fateor, sed per peccatum amiserat, & similitudinem bestiæ induerat, *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.* Quapropter in Sanctissimæ Trinitatis Concilio decretum est, ut Verbum, *quod est imago Patris,* carnem assumere, ut deletâ similitudine belluinâ, imaginem Dei reimprimeret *Homo imaginis Dei honore olim cohonestatus, à felicissimo excidens statu, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis. Ideò nimirùm Verbum & imago ad eos, qui in irrationabilitatem lapsi erant, accessit, ruinam nostram reparans, & nos in pristinam libertatem postliminio jure revocans.* Ita Monachus ille. Conformiter modernus aliquis Doctor: *Brutorum cum moribus brutam etiam quodammodò faciem induerat anima, Dei, ad quam creata fuerat, imagine deletâ. Accedat ergo potiùs Filius, qui inter ceteras personas, quia Verbum est, essentialiter est etiam imago, & evertens brutam effigiem, illam primam refingat iterũ, quasi obscurata jam cera denuò sigillũ reimprimatur.*

Gen. 1.

Psalm. 48.

Iob. Monachus.

Andr. Pont. Ramir in Cant. l. 3. c. 4. v. 8. §. 5 num. 13. 37.

Unde sanctus Joannes Evangelista de mysterio hoc ineffabili scribens, his utitur terminis, *Et Verbum caro factum est.* Si à Verbo assumpta est caro, anima & corpus, ex quibus constituitur homo, & in quibus natura humana consistit, cur potius non dicit, *Verbum homo factum est? Ex anima enim & corpore constituitur homo,* ait sanctus Athanasius. Respondet & resolvit citatus Author: *Cùm revera natura humana ex carne & anima constet, tur dicitur assumpsisse carnem,*

D. Athan. in symbol. Andr. Pont. Ramir ubi & non supra.

& non naturam humanam ? Quia sic jam natura bruteſcebat, ut nihil ſpiritualis animæ, ſed totum carnalis conditionis ſortiri videretur. quia in carne illa (obſervandum tamen eſt, non fieri mentionem de ea quam Verbum aſſumpſit, perfectiſſima namque erat, & nullâ culpæ labe fœdata, ſed de carne humana ut ſic, & in genere) indicium non erat, neque ullum humanitatis veſtigium.

Ut ſummatim dicam, quæ diſtinctio ſit inter hominem & beſtias, non video, niſi quòd magis ad brutalitatem homo ipſe accedat : illæ enim etiamſi ratione carentes, ſentiunt tamen & dolent, cùm objectum calamitoſum movet, & cruciat. Quid dico de homine peccatore? Pejor eſt ipſiſmet creaturis inſenſitivis, quæ licet non ſentiant, ex inſtinctu naturæ ſaltem ſigna compaſſionis oſtendunt : nec hoc ipſum peccator præſtat.

Cum penderet in cruce Chriſtus, tam vehementer cruciabatur, ut dicant Evangeliſtæ: *Velum templi ſciſſum eſt.* Quid ſibi vult hæc ſciſſio? Ex ſacra Scriptura habemus, ſciſſuram veſtium eſſe luctus indicium. Sic Nun & Caleb *ſciderunt veſtimenta ſua.* Joſue, eò quòd tria millia militum perdidiſſet, *ſcidit veſtimenta ſua,* Benjamita arcam à Philiſtæis eſſe captam denunciat *ſciſſâ veſte.* David Saulis mortem intelligens *veſtimenta ſua ſcidit.* Vagao Holofernem Dominum ſuum occiſum videns, *exclamavit voce magnâ cum planctu, & ſcidit veſtimenta ſua.* Et alibi paſſim. Unde velum templi in paſſione Servatoris noſtri ſciſſum eſt defectu alterius veſtis ad expreſſionem doloris, quem non ſentiebat : attamen Hebræi nullum dederunt triſtitiæ ſignum : erant enim duriores ipſis petris, ex quibus templum conſtructum. † *Hac Iudæorum conſuetudine* (ſcribit ſanctus Cyrillus) *templum Dei quodammodò uſum, cum Chriſtus expiraſſet, velum quaſi veſtem ſuam ilicò ſcidit, quod divinitùs ideò dixerim eſſe factum, ut ſanctum Dei Templum populi cauſam lugere videretur.*

Matt. 27. Marc. 1. Luc. 23. Num. 14. Ioſue 7. 1. Reg. 4. 1. Reg. 1. Iudith. 14. Eſt. 14. Iob. 1. Timoth. Preſb in Orat. de S. Sim. Proph in Bibliоth. vet PP. Tom 4. † lib. 12. in Iob. c. 37.

Citiùs numeret aliquis arenas maris, aeris atomos, aut cæli ſtellas, quàm exponat omnia mala quæ peccatum excitat in anima peccatoris. Non jam perpendam quid dicat Prudentiùs:

Hym. 3. per iſt.

Peccante nil eſt tetrius,
Nil tam lepro ſum, aut putridum:
Cruda eſt cicatrix criminum,
Oletque ut antrum tartari.

Peccata dicuntur umbra mortis, (ait Hugo Carenſis) *quia ſicut umbra ducit corpus, ſic peccata ad mortem æternam. Et quia ſine corpore non eſt umbra, ſic nec peccata ſine morte æterna. Qui ergo vult fugere hanc mortem, evitet hanc umbram.* *In c. 4. Matth.*

Faſcinum eſt, ſi Agellio credimus, ubi de Davide peccatore ſic loquitur : *Et velut faſcino quodam voluptatis conſopitus erat.* *Apud Novar. ſelect. n. 232.*

Venenum, & hoc mortiferum, ut habet Paſchaſius de peccatore ita diſſerens : *Veneno iniquitatis ilicò peremptus eſt.* *Lib. 2. in Matth.*

Scorpius eſt caudâ enecans, aſſerit Hugo, qui ſuprà Scorpionum modum & naturam habet peccatum, facilè blanditur, & caudâ pungit & venenat. *Hugo Carenſ. in Pſ. 59.*

Gladius eſt anceps teſte Iſaiâ Prophetâ. *Iſa. 30. Romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Sauciat corpus & occidit animam.

Dæmonium eſt, & tyrannidem exercet in homine. *Voluntarius dæmon eſt peccatum, ſponteaque inſania,* Chryſoſtomus & alibi concludit : *Magnus dæmon peccatum eſt.* *Homo 28. in Epiſt. ad Rom.*

Miſeret me, Thoma, quod in miſeriarum abyſſum per infidelitatem incideris, quando non *erat cum eis* Quis ærumnoſum hunc ſtatum attendens, non moveatur & horreat, imò toto etiam corpore contremiſcat? O te ferreum dixerim, qui periculis iſtis non es commotus! Eheu! quot tamen ſunt qui tanto in diſcrimine lætantur, exultant & epulantur! Sordibus immerſi ſcelerum fæce paſcuntur : ſpinis undique circumdati jacent, neque tamen aculeos ſentiunt : in tenebris ſedent, quia impediunt, ne Lux divina illuminet : concupiſcentiis illaqueantur & ſuffocantur, eò quòd aerem divinæ gratiæ puriſſimum, ſpiritu non ducant; ad cæleſtem patriam non aſpirent, Paradiſi gloriam non ambiant neque divitias æternas exquirant. Et quod ſanguineis deplorandum lachrymis, dicit impius in corde ſuo : *Infernus domus mea eſt.* Patùm refert. Quid mihi cùm gloria? Deus ſibi ſervet & Sanctis ſuis; nil horum curo, neque Deum ipſum : ſenſualitatibus meis indulgendum, libidini ac luxuriæ meæ parendum eſt. Hic petræ duriſſimæ conterantur, ſi non ſenſu careant. Lugete vos vos, inquam, beati ſpiritus, deplorate hujuſmodi hominum cæcitatem & veſaniam maximam. O Deus! In inferno propemodùm verſari, & non agnoſcere! Cælum prodegiſſe, nec pœnitere! Hoſtem Dei capitalem ſemper eſſe ſecundùm præſentem juſtitiam, & vi-

Homo 17. ad popul.

& videre, non dicam siccis oculis, sed vultu lætissimo & in cordis lætitiâ pertransire!

D. Ant. Abb. ep. 4. ad Fratres Tom. 4. Bibl. vet. PP.

Audite quomodò deploret Magnus Ægypti Abbas S. Antonius: *Eos defleo, qui intuentes longitudinem temporis, pusillanimes effecti sunt, & spoliaverunt se pietatis amictu, facti sicut bestiæ.*

S. Thom. à Villa-Nova in Dom. 3. Advent.

Non moveat modò, sed confundat zelosissimus Verbi Dei prædicator Valentiarum Archiepiscopus sanctissimus Thomas à Villa Nova: *Non te pudet, homo cùm sis, vitam agere belluinam, comedere, bibere, dormire, luxuriari ut brutum. Homo in te mortuus est, solum brutum vivit, solam hominis effigiem habes: nam in reliquo bellua es.*

Certum hoc mihi est, si miserandi peccatoris ærumnas attentè pensatis, vel sola peccati cogitatio speciesque perturbabit. Cavete ergo & malorum hanc iliadem fugite. Fortassis Thomam secuti estis errantem, non pigeat eundem prosequi & imitari pœnitentem.

Quidam sancto Thomæ trullam in manu appingunt, quòd Rex Indiarum ingentem auri summam illi dedisset, ut palatium extrueret. Pecuniam acceperat sed pauperibus liberaliter erogandam duxit & fecit. Elapso jam biennio transiit & indignatus est Rex, quòd nè vel primum laterem posuisse cerneret: at ei statim Apostolus ait: Erectum est in cælo: structum videbis ex argento, auro & lapidibus pretiosissimis. Ecce quid præstent illi tui nummi, quos in eleemosynas pauperum scito à me conversos. In cælo palatium fortè prætenditis, cùm hinc migrandum? Egenis & miseris amore Christi, viscera charitatis exhibete, date eleemosynam. Ad alteram partem jam imus.

PARS SECUNDA.

Infer digitum tuum huc, mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

Eckius serm. 2. de S. Thom.

O ingentem Domini misericordiam! ô immensam pietatem Christi! qui labi quidem permisit Discipulum in incredulitatem, sed ipsum in ea non deseruit, dicente Davide: Cùm ceciderit Iustus, non collidetur: Dominus enim supponit manum suam. Et verè quibus non utitur mediis, quâ non explorat viâ, ut hominem è statu peccati eripiat? Velit iterum crucifigi, clavis transfigi, lanceâ perforari, ut peccatorem unicum liberet, paratus pro illo solo de novo incipere omne, quod pro toto mundo redimendo peregit. An non idipsum in Thoma effectum videmus?

Quid, putatis inferre volebat, cùm reversus ad Apostolos intuitus est Thomam? dicens: *Infer digitum tuum huc*; Vide Thoma, quàm tui me miseret, cùm in hoc statu intueor: ut te liberem, si opus erit, de novo crucis tormenta sustineam, non modò patienti, sed & gaudenti & libenti animo perferam. *Fiat sicut dixisti & cesset tanta crudelitas.* At jam Hebræorum furor sedatus est, neque clavi ad manum, adeoque, si lubet, tu ipsemet tortorem agas: ecce vides humanitatem meam, ut placet, hanc tracta: si desint clavi, ut manus has perfores, digitis utere: *Infer digitum tuum huc.* Et ut latus aperias, pro lancea manus tua sit: *Mitte manum tuam in latus meum*, & de novo infringe, dummodò sic iterum pristinæ libertati sis restitutus, infidelitatis malum detestando. *Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera sic resultat? Cur latus quod impii militis lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis? Ut Thomas Christum crederet, iterum pati compulit.* Ita S. Petrus Chrysologus.

Fr. Tolet.

D. Petrus Chrysol. apud Avendagno.

Ostendit latus & manus. Thomas in infidelitate infirmus jacebat: Christus autem ut piissimus Medicus adest, ut erigat & sanet. *Magnus de cælo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Vas illi offert plenum unguento pretiosissimo proprii Sanguinis: ut meritò alluserit Poeta.

S. Aug.

Pharmaca sunt potiùs, quàm vulnera, vulnera Christi,
Curat enim plagis vulnera nostra suis.

Ostendit latus & manus. Thomas pauper erat & mendicus, poteratque jam cum Psalmista precari: *Adjuva nos Deus salutaris noster, quia pauperes facti sumus nimis.* Ut eum thesauris cælestibus ditet, ærarium Sacratissimi Vulneris pandit: quia *Arca totius boni est*, ait S. Bernardus, S. Chrysostomus nominat *Marsupium Divinitatis.* Ab aliis dicitur *Apotheca Divinorum munerum.* Omne itaque bonum illi exhibet, argentum & aurum proprii Sanguinis largiendo. *Felix manus, quæ Dominici pectoris secreta rimavit!* (exclamat S. Thoma à Villa Nov.) *quas divitias non intus invenit? An illo pectore Thomas grandes thesauros reperit scrutando?*

Psal. 78.

D. Bern.

D. Chrys.

10. Lansp. serm. 3. Pasch.

Ostendit latus & manus. Erat Apostolus ovicula errabunda. *Non erat cum eis*, ut meritò cum Propheta dixisset: *Erravi sicut ovis quæ periit.* En sollicitus Pastor, qui ut ad Catholicæ fidei ovile

D. Thom. à Villa N. in octava Pasch.

Psal. 118.

ovile reducat, ſacratiſſimorum vulnerum paſcua oſtendit. *Mitte manum tuam in latus meum.*

Oſtendit latus & manus. Scipio Africanus, ut gratiam à Senatu impetret, pectus nudat ut cicatrices oſtendat vulnerum, quæ pro tuenda patria ab hoſtibus exceperat. Sapientia incarnata, quò Thomam ſibi devinciat & ad veram fidem alliciat, pectus aperit, in manibus & latere cicatrices oſtendit *Mitte manum tuam, &c.*

Oſtendit latus, & manus. Machabæi ut elephantes ad bellum provocarent, ſanguinem oſtendebant. Ecce Thomas velut Elephas, timidus & trepidus ob mortem Salvatoris, qui ut ad conflictum contra infideles accendat, ſanguinem monſtrat, & adhuc recentes plagas. *Mitte manum tuam in latus meum.*

Oſtendit latus, & manus. Redemptor noſter Thomam expedire intendebat ad lucrandas uſquequaque in mundo animas: ideò ei Diploma Authoritatis ampliſſimæ exhibiturus, ſigillum prius Redemptionis humanæ imprimere voluit, vulnera, inquam, adhibere. *Mitte manum tuam in latus meum.*

Oſtendit latus, & manus. Falco, ubi è manibus aucupis avolavit, oſtenſo corde revocatur & paret. Ut Thomas ad fidem redeat & ad Apoſtolicum cœtum, cùm *non erat cum eis.* Salvator nudo pectore cor nedum oſtendit, ſed manibus dat contrectandum. *Mitte manum tuam in latus meum*: & ſic donato corde Apoſtolum ab errore revocavit.

Monſtrando Chriſto dal coſtato il core.
Traſſe Tomaſo dal paſſato errore.

Oſtendit latus, & manus. Thomæ refrixerat manus ab opere, Dominus autem calefacit, dum manum in ſinum extendi jubet, ut ab ardore fornacis incaleſcat. Ad quem modum pia mater cum puero facit, quem frigori expoſitum cernit manum ejus ad pectus admovet, ut citò caleſcat.

Io. Bapt. Mar.
Coſi dal ſuo tremante Pargoletto
Nella fredda ſtagion madre pietoſa
Si pon' la man' per riſcaldarla petto.
Mitte manum tuam ad latus meum.

Oſtendit latus, & manus. Diſcipulus ille adhuc in hyeme infidelitatis, refrixerat in amore, cùm non crederet, nunc eſſe ver glorioſæ Reſurrectionis. Ideò etiam aperte dicebat: Niſi ipſemet antè videro & hiſce manibus in horto floridiſſimæ Humanitatis ego ipſe roſas purpureas decerpſero, non credam, neque facilè umquam mihi aliter perſuaſum ſit. Ecce, mi Thoma, hortum habes floridum, manus extende, roſam collige pulchertimam: plagam dico, lateris mei continge. *Mitte manum tuam in latus meum.* Et, videte, ſubitò depulſis mentè dubitantis tenebris, ver eſſe credidit Dominicæ Reſurrectionis. *Dominus meus & Deus meus.*

Oſtendit latus, & manus. Salem Agrigenti in Sicilia in aquam projicias, ſtrepet & ſtridebit, ſed (quod mirum eſt) in igne liqueſcit inſtar ceræ. Pro ſale ſunt Apoſtoli. *Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5.* Thomas itaque ſal Apoſtolicus in aqua infidelitatis ſtrepebat & ſtridebat: *Niſi videro & tetigero, non credam.* At ubi poſitus in ardenti fornace vulnerum Chriſti: *Mitte manum tuam in latus meum*, ad modum ceræ liqueſcit: *Dominus meus, & Deus meus!*

Petr. Dam. opuſc. 36. c. 10. Alex. Taſſ l. 3. q. 5.

Oſtendit latus & manus. In Epiro fons eſt frigidiſſimus, faecm tamen extinctam immitte, & accendetur. An non meritò Thomam dixero facem (*Vos eſtis lux mundi*) ſed extinctam & ſine lumine fidei? *Non credam.* Accenditur in fonte, in vulneribus inquam Chriſti, ſic ut amore ſtatim ardeat & fide. *Dominus meus, & Deus meus!*

Petrus Dam ib.

Matth. 5.

Unde Apoſtolo tantum deſiderium videndi & tangendi vulnera Chriſti? Perſuaderi mihi non difficulter hoc poſſit, de Reſurrectione Magiſtri non dubitaſſe, utpote cùm toties antè dictum & repetitum, *poſt tres dies reſurgam*, & ab eo quidem promiſſum, in quo nihil eſſe falſum poſſe, nil ſimulatum, conſtanter tenebat. Sed hoc faciliùs credam, deſiderio quodam tentum, & piâ cupiditate videndi plagas Salvatoris & tangendi, ac, ne diutiùs premeret anhelantem, ſic in ſe cogitaſſe auguror: Dicam me reſurrectionem non credere, & illâ viâ Dominum movebo, ut me certum reddat, vulnera oſtendendo & hoc eſt quod velim. Ita ſciens prudenſque fecit Dalila. De Samſonis amore non dubitabat, ſed ut ab eo ænigma intelligeret & explicatum problema, atque ita à Philiſtæis promiſſum obtineret, hoc modo proceſſit: Tu me ames? Non credo. Samſon, ut fictâ credulitate Dalilam liberet, ænigmatis propoſiti dat ſtatim ſolutionem. Audite ſimulata verba. *Odiſti me & non diligis, idcircò problema propoſitum filiis populi mei, non vis mihi exponere.* Id ipſum liceat de Thoma piè opinari. Sed in curioſitate ſum & cupiditate ulteriùs inveſtigandi, quid ſic Apoſtolum movit & cupidum reddidit. Attendite (NN) an veritatem aſſequar, & rem (ut ajunt) acu tangam.

Matt. 27.

Iudic. 14.

Vene-

Venerat in hunc mundum Æterna Sapientia, ut fideles gratiæ gigneret, quo modo ex equo Trojano producti sunt tot generosi milites, aut verò quomodò Paulus Evangelio Galatas se parituram dixit *Filioli mei quos iterum parturio* Cardinalis Seripandus interpretatur: (Putabam ego Evangelii prædicatione jam Christo vos me peperisse: sed vestræ salutis causâ, summos iterum sustineo labores atque animi cruciatus, non aliter ac gravida mulier, quæ laborat, ut pariat. Singularem amorem, summum dolorem, sanctissimam æmulationem his verbis expressit Primasius sic: (Per Evangelium in lucem producti, & per doctrinam geniti) S. Hyeronimus in hæc verba Isaiæ: *A timore tuo Domine concepimus, & parturivimus filios salvationis tuæ*, hoc sensu exponit: *Concepimus, parturivimus & peperimus, non carnis liberos, sed spiritus.* Unde sicut mulieris gravidæ desiderium vehemens in fœtum uteri imptimitur & connascitur: antequam in ligno crucis nos gratiæ gigneret Christus moriendo, maximo plagarum desiderio æstuaverat: ita ut meritò in ejus persona loqueretur Propheta: *His plagatus sum in medio eorum, qui diligebant me.* Et alius: *Foderunt manus meas & pedes meos*, non quantùm ad effectum tunc, sed quantùm ad affectum & desiderium. Desiderium hoc plagarum magis in Thomam quàm in Apostolos reliquos à Christo transfusum: adeoque (piè sic liceat) credidit Thomas, sed non credere simulavit, ut sic ardentissimo desiderio satisfaceret, plagas illas veneranter attingendo: *Nisi videro & tetigero, non credam.* Animum ejus satiavit Redemptor & contentum reddidit, cùm ait: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum.* O quantum Thomæ hoc gaudium! quanta ex contactu vulnerum Christi resuscitati consolatio! Quàm læto animo eructat hoc verbum, *Dominus meus, & Deus meus!* An non ita cum Augustino, *Per has rimas licet mihi gustare quàm suavis est Dominus Deus meus?*

Galat. 1. In hunc loc. Ibid. Tom. 6. Idem Tom. 4. fol. 123. Zacha. 13. Psal. 21.

Si hoc me Dominus dignaretur favore, ut plagas ostenderet, de me sic illi promitterem, me fore præ reliquis discipulum fidelissimum. *Didymus* mihi nomen est, id est, *Geminus*, & ut sic confiteor in Salvatore meo duas esse naturas: *Dominus meus*, ecce humanam: *Deus meus*, ecce & Divinam. *Appellatus est Didymus*, id est, *geminus, propter geminam naturam, quam cognovit in Christo, Divinam scilicet, & humanam. Et cognovit Christum esse suum Dominum, & suum Deum, quorum unum erat ad humanitatem, & aliud ad divinitatem referendum.*

Iord. de Saxon. serm. 2. de S. Thom.

Ex vulneribus Christi ceu Areopago summam Theologiam hausit & professus est Catholicam fidem. *Qui priùs infidelis fuerat, post tactum lateris optimum Theologum se ostendit: nam duplicem naturam Hypostasi Christi asseruit, dicens, Dominus meus & Deus meus! Confessus est unum eundem Deum & Dominum* Theophil. apud Iord. ubi suprà.

Observastis unquam [NN] quo loco sit ab Ecclesia positus Thomas in Missæ Canone inter *Communicantes*? Inter alios Apostolos sextò: nec sine mysterio instinctu Spiritus sancti ita factum. Christus duodecim diei horis Apostolos comparavit. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Et quis nescit, sextam diei horam esse luminosissimam & splendidissimam? Eoque adducor ut credam, non solùm ex Solis constitutione, sed magis ex irrefragabili S. Joannis Evangelistæ testimonio: *Hora sexta diei clarior est.* Et cùm apud nos hora diei sexta tempus meridianum sit dicente Isaiâ, *Meridiana lux clara est*, non puto tamen hîc positivè intelligendum: nam etiam reliquæ horæ diei claræ sunt, sed comparativè ad alias horas q. d. *Clarior est lux meridiana.* Thomam ergo sexto loco esse positum, horam sextam repræsentante, quæ eo quòd in meridie sit, clarior est & ferventior, an non hoc expressum à Spiritu sancto indicium nobis est, cum sic inter Discipulos aliquando futurum? S. Vincentius Ferterensis affirmat: *Inter Apostolos B. Thomas, quia ore confessus est fidem, fuit clarior.* Ioan. 11. Ioan. 16. Isa. 18.

Ecquæ, putatis, est ratio, cur Thomas cum lanceâ depingatur? Responderet quis vestrûm, nec malè: Apostolus hic in horto Humanitatis Christi rubentem collegit rosam ex vulnere lateris, unde lanceâ, spinâ inquam, pungi debuit, ut verum sit: *Rosa rubet & pungit. Quisquis rosas colligit, aculeos spinarum necessariò patitur.* Thomas itaque lanceâ trucidatus, martyrium subivit, & in signum, manu lanceam gestat. Responsio hæc bona est, ut dixi: posset tamen retorqueri in Apostolum Petrum, qui in cruce martyr effectus, non tamen crucem manibus gestat, sed claves. Audite quò mea tendat consideratio. Antiqui fidem olim sic exprimebant: Hominem pingebant & in manu lanceam, adjecto verbulo *Fides.* Eo modo Commodus Imperator monetam cudebat & in hâc civibus monitum, principibus fidem deberi, eamque servandam, & erectâ semper lanceâ pro ea moriendum. Hunc Thomæ honorem S. Mater Ecclesia detulit,

Pierius lib. 55. Hugo Card. in Cant. 2.

detulit, antonomasticè Defensorem fidei declarando.

Baronius Tom. 1. ad Ann. Ch. 57. Hieron. Osorius Silven. Episc.

Mira leguntur de sancto hoc nostro Apostolo, eoque credenda, quòd à gravibus Scriptoribus sunt relata. Et hoc è ceteris unum, quòd in Civitate Malipurensi factum erat in colle Sacellum, eò quòd affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuisse à Religionis hostibus interfectum. In illo colle invēta est crux in lapide incisa, in cujus fastigio columbæ imago infidebat: basis verò erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissime videbantur, collocata: & tam vestigia quàm basis & brachia in liliorum formam desinebant. Crux verè prodigiosa, non modò quantùm ad formam, sed & miraculosos effectus. Octo diebus ante Natalem Christi, sanguis ex illa incredibili copiâ dimanabat, idque in annos singulos. Et si quandò fluxus ille sistebat, prognosticō erat infortunii quod civitati jam imminebat.

Sed hoc paradoxum, quod addo ex D. Dionysio Carthusiano. In civitate Ulna Ecclesia est excelsa in summitate montis, in qua corpus Apostoli tamquam vivens & erectum cernitur. Ante ipsum lampas pendet aurea, balsamo plena cum catena argentea, quæ semel accensa, ab anno in annum sine diminutione luminis ac balsami reperitur, quo omnes ægri sanantur. Est autem Apostolus talis formæ, qualis adhuc vivens fuerat. Facies ejus ac fidus rutilat, capilli rubei usque ad humeros descendunt: barba rufa & crispa, vestis dura & integra. Mons ipse lacu circumdatur profundissimo, neque ulli transitus liber est, nisi semel in anno, idque diebus octo ante Festum ejus cùm aqua decrevit, ut accessus adventantibus pateat, qui undique in maxima frequentia confluunt. *Die itaque ejus solemni Patriarcha cum suffraganeis pontificalibus indutus ingrediens, post celebrationem Missæ, hostias consecratas in patenagenibus flexis offert Apostolo, qui miraculosè manum aperit & singulis porrigit. Si accedit infidelis vel peccator mortalis, manum retrahit, donec ille convertatur vel subitò moriatur.* Peracto officio & Corpore Apostoli repositò, populus ad propria remeat, & lacus redundans, montem, ut priùs, circumdat. Hæc Patriarcha Joannes in propria recitavit persona: & eadem à Rege Indiarum postmodùm Calixto II. Pontifici relata: quibus auditis sanctissimus Pater cum Clero & populo Romano qui aderat, manibus in cælum extensis Christum benedixerunt, qui tanta miracula per beatissimum Apostolum Thomam annue operari dignatur. Ideò, putem, ut populus ille, qui facile à fide Christi declinare solitus, constet, & indies accrescat: ut pro excellenti & singulari hoc zelo meritò sit vocandus Fidelis Apostolus, utpote qui fidem in vita, in morte, & post mortem conservavit & miraculis promovit.

Dionys. Carth. serm. 3. de S. Thom.

Audivistis, Auditores, repeti toties idem nomen, semper *Thomas, Thomas*: monuissetis saltem, ut litterulam unicam primam variarem in N. & loco *Thomas* fuisset *No mas*, quod est non ampliùs. Itaque satis, *No mas*. Ite in pace.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

ARGUMENTUM.

Ea est pœnitentiæ dignæ virtus, ut non solùm amissa per peccatum reparet, gratiam redintegret, innocentiæ statum restituat, sed peccatores pœnitentes hominibus justis (si fas est dicere) anteponat & gratiores Deo reddat: non tamen est differenda.

THEMA.

Venit Ioan. in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum panitentiæ. S. Luc. c. 3.

PEssimis, & extremis Noemi temporibus, tam enormia erant scelera, tantæque hominum libidines, ut eas capere ac sustinere non rerum natura posset, neque Author ipse Deus diutiùs vellet. Quare iratus est, & justè, qui ut merita compensat, æquè delicta castigat: cælum armavit & terram, ut nefaria & infinita crimina ulciscerentur: cataractas cæli disrupit, & non jam fulmina, sed horribili strepitu aquarum immisit inundantiam, adeò ut mare redundans rapidissimis crudeliter sæviret fluctibus, non modò agros & integras civitates absorbens, sed etiam pecora & homines: non jam terra benigna parens, at noverca immitissima hominibus moribundis, non herbas,

bas, non flores germinans, sed flumina evomens, mundum universum penitus submersura, ut ita pro gravissimis delictis non levius fieret supplicium. Verumtamen quo rigidiùs tunc urgebat Divina justitia, hòc jam benigniùs invitat clementia, cùm non ad mergendos homines diluvium immittit, sed Joannem Baptistam præcursorem expedit, qui peccatores ad pœnitentiam invitet & ex statu vitæ perditissimo ad bonam frugem reducat. *Erat Ioannes in deserto prædicans Baptismum pœnitentiæ.* Pœnitentiam Joannes prædicabat: illam, inquam, quam Christus exhibuit, Prophetæ commendarunt, Patriarchæ observârunt, & Sancti omnes amplexati sunt. Ad illam hodie vos adhortor, quæ ex servitute diaboli liberat, & filios Dei restituit: ex inferni abysso reddit cœlo, & cives constituit: æterna tormenta in gaudia transmutat numquam terminanda. *Si semel aliquis vel secundò peccaverit* (S. Augustini doctrina est] *& sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœlicitate recipiet.* S. Chrysostomus idcirco ad pœnitentiam provocat his verbis: *Peccasti: Pœnitere. Millies peccasti? millies pœnitere.* Et ego Præcursoris verbis singulos moneo: *Facite fructus dignos pœnitentiæ* S. Augustinus etiam consulit: *Non erubescat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere.*

Luc. 5. *S. Aug. Tom. 10.* *Hom. 2. in Ps. 10.* *Tom. 10.*

Interea dum vos ad illam disponitis, clarè ostendam pœnitentiam illam esse, quæ totum restituit, quod per peccatum ablatum, majusque per eam accedere lucrum & commodum, quàm per culpam antè fuerat illatum damnum: periculosam tamen esse & ancipitem ejus dilationem. Materia sanè utilis est & hominibus omnino ad salutem necessaria, atque adeo dicentem attendite: ne graviter feratis, agam quàm brevissimè potero.

PARS PRIMA.

Fer. 6. post Dom. 1. Quadr.

VEnit Ioannes in omnem regionem Iordanis. Magna vis pœnitentiæ: Si peccatum animas maculet, pœnitentia purificat: si illud debilitet, ista vires deperditas restaurat: si febris sit maligna animam dejiciens, illa est antidotum præstantissimum quod eam curet & servet. *Hic est fons purissimus* (ait S. Thomas à Villa Nova) *& potentissimus tantæ virtutis, ut omnes animæ maculas tollat, & illam purificet, & mirabili potentia renovet, & rejuvenescere faciat.*

Peccatum est serpens, è latibulis emergit inferni, seu potiùs pravæ nostræ concupiscentiæ, dixerim: linguâ tricuspide lædit & perimit: quia facit nos languidos debilitando, leprosos inficiendo, & mortuos, gratiam & charitatem, per quas vivimus, tollendo. Pœnitentia verò quæ omninò adversatia est, languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat: nam contra hæc tria, videlicet languorem, lepram & mortem, sanitatem dat, auget & conservat.

Ægid. Card. de lau. Div. Sap. c. 8. *Idem.*

Peccatum est Cerberus triplex, & ore triplici immaniter dilaniat. Facit nos claudos ne in bonas actiones tendamus: aridos, ne ex bonis actionibus fructum faciamus, cæcos, ne hujusmodi bonas actiones videamus. Pœnitentia autem damna resarcit, & quicquid deperditum, restaurat. Pœnitentia ergo omnibus his, quæ consequuntur per culpam, se opponens, claudis restituit gressum, aridis copiam bonorum fructuum, cæcis restituit visum.

Idem ubi suprà. *Idem.*

Numquam peccatum approximat animæ, quin crudeliter feriat: sed neque pœnitentia aderit, quin curet & sanet. S. Chrysostomus ita testatur: *Peccatum vulnus est, pœnitentia impacti vulneris medela: quemadmodum in corpore medicina & vulnus: sic in anima peccata & pœnitentia: In vulnere sanioſa est putredo, & in medicamine expurgatio putredinis.*

In Isa.

Confirmat S. Augustinus. *Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat: omnia sanat, omnia redintegrat, omnia latificat: sanitatem auget, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum: temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus.* Si temetipsum non nosti pœnitentiæ speculum intuearis, & tuam deformitatem videbis. Si sensuum illecebris abstractus per vias iniquitatis aberras, pœnitentia ex hoc te labyrintho educet & diriget. *Ignorans se, per hanc se recognoscit: quærens se, per hanc se invenit.*

Tom. 4. c. 1. fol. 511. *Idem suprà.*

Pœnitentiæ vis major est, quàm aquarum Scotusæ, de quibus scribit eruditus Author. Scotusæ fontem esse peculiarem, qui non hominum modò, sed & pecoris vulnera valeat sanare.

Antigo Caryst. Hist mi. c. 157.

Quis nesciat innocentiæ statum destrui per peccatum? Pœnitentia restituit, eoque reponit loco, ut lapsum nemo percipiat aut unquam offensum Deum. Non sine mysterio S. Evangelista hodie de Pœnitentiâ, quam Joannes prædicabat in deserto, commemorans, baptismi titulo nominat. *Baptismum pœnitentiæ.* Quid Pœnitentiæ cum Baptismo? Sacramenta sunt distincta: nec enim in forma, nec in ipsa materia conveniunt.

Luc. 3.

Unum est prima tabula, alterum secunda post naufragium. Ut quid ergo non dixit: Prædicans pœnitentiam? Non hîc S. Lucas intendit, unum & idem ea esse quantum ad entitatem, sed quantum ad effectum, quem eundem producunt. Sit infidelis aliquis, & peccator maximus, baptizetur, non solùm à peccatis omnibus erit absolutus quasi numquam Deum offendisset, sed & innocentiæ stolâ amictus. Neque minus pœnitentia efficit in anima Peccatoris, sanctitatem ei restituendo, quam peccando antè perdiderat. *In Luc.* Cardinalis Toletus ita explicat: non quòd baptismus Joannis propriâ vi haberet remissionem peccatorum, sed quòd per eum inducerentur homines ad pœnitentiam, per quam obtinerent peccatorum remissionem, Et cùm effectus illi non videantur, Theologorum assertione comprobantur. Sacramentum pœnitentiæ est institutum per se ad remittenda peccata mortalia post Baptismum commissa, & addandam primam gratiam sanctificantem. Origenes sic habet: *Agite pœnitentiam, ut in remissionem peccatorum, baptisma quoque consequamini.* Concludit S. Nilus: *Si sordidum quid à nobis commissum est, pœnitentiâ id lavemus.*

Caleſtin. Brun. quod lib. 16. in sacr. §. 48. Adam.

Isaias Propheta, nescio utrum de malitia peccati loquatur, an de efficacia pœnitentiæ, ex animo frequenter peccatores monere & excitare sic solitus: *Si fuerunt peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quomodò hoc sit? Peccata, quæ ex deformitate nigerrima, naturam mutent, factaque candida instar nivis? Impossibile id esse in pardo aut Æthiope Jeremias credidit. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas.* Quis hîc verba interpretetur S. M. Ecclesiæ de baptismo Christi dicentis, *in Iordane lavit Christus nostra crimina*? Thadæus Perusius exponit: Hoc enim intelligitur non secundum sensum quem verba faciunt, sed juxta sensum in quo fiunt. Animæ sunt, quæ purificantur, quæ lavantur. (lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.) *Et laverunt stolas suas* (id est animas suas) *in sanguine Agni:* Et hoc Isaias intendit: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, Anima nostra dealbabuntur quasi nix i. e. non apparebit amplius illa fœditas & macula: sed anima vestra erit pura, innocens & munda velut nix.* Post hæc idem Doctor concludit ut peccatoribus animos addat, faciatque bene sperare. Nemo eorum, qui in profundum iniquitatem devenerunt, de se ipso desperet: quandoquidem pœnitentiâ ductus, si habitum vitiorum inveteratum contraxeris, non solùm salvaberis, sed sicut lana candida dealbaberis. Ubi vides quanta sit vis pœnitentiæ, quòd si fueris iniquissimus, sicut nivem te dealbabit. Neque aliter Haimon Episcopus Halberstatensis hunc Isaiæ locum explanat: Quod intelligitur per coccinum hoc & per vermiculum, grave scilicet peccatum, ut est homicidium, furtum & similia. Quod etiam significatur per nivem, hoc & per lanam, nimirum purgatio delictorum & ablutio scelerum, Quod est dicere: Si hæc, & hæc quæ præcipio feceritis (de pœnitentia intellige) gravissima vobis peccata dimittentur, & quasi vertentur in albedinem, dum conversi eritis: quia gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Isa. 1.

Ierem. 13.

Apoc. 1.

Item. 12.

Thad. Perubi suprà.

In Isa. 1.

Medicus poterit sanare in facie vulnus ab hoste inflictum, non tamen deformitatem cicatricis tollere, etiamsi adhibeat quidquid remedii ab Hippocrate excogitatum aut Galeno. Sed ubi diabolus tentationis & peccati gladio animam læsit & vulnus inflixit, Deus utpote cœlestis medicus remedium pœnitentiæ applicat, atque non solùm sanat, at etiam cicatricem delet, ne vel peccati vestigium relinquendo. S. Chrysostomus testatur his verbis: *Quamvis Medicus adnitatur delere cicatricem, eamque de medio tollere, non poterit tamen: Deus autem quando pœnitentiâ tua peccata abolet, nullam relinquit cicatricem, nullum sinit manere vestigium, sed una cùm sanctitate eximium etiam confert forma decus.*

D. Chryſ. proœm in Iſa.

Ad magis particularia veniamus, Ecclesiasticus Reges Judææ singulos enumerat, & studio inquirit cujuslibet gesta, etiam vitam discutit, tandemque fuisse peccatores omnes exceptis tribus denunciat. *Præter David & Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt.* Omnes transgressi sunt sanctas Leges, Deum offenderunt, Prophetas occiderunt, & iniquitatem fecerunt: tres excipiendo, qui semper puri & sancti. Veniâ tuâ Ecclesiastice, dicam: Non rectè computatum: certum enim hic & notum Regem Josiam fuisse sacrilegum, res sacras usurpando, & templi reditibus abutendo. Nunquid Ezechiæ Regis superbia maxima, adeò ut arroganter & temerè nimis, debellato exercitu Sennacherib victoriam sibi attributam volebat, quasi suis ipse viribus obtinuisset, & non solius Dei favore & auxilio? cum tamen ipse Angelum misisset qui hostem profligaret? Ne dignatus est quidem

Eccli. 49.

Deo

Deo acceptam referre gratiam, quare ut ingratitudinis luat pœnas, à Propheta arguitur & mortis sententiâ consternatur. *Isa. 38. & 4. Reg. 20.* *Dispone domui tuæ, quia morieris & non vives.* Et David, cùm Joab duci exercitus præcepit ut militem lustraret, omnesque subditos, an non vanè gloriatus est & visus superbus? Nònne iniquissimè Uriam occidit, militem fidelissimum? Cum Bethsabee quid fecit? De adulterio publicum est: & hujusmodi Ecclesiasticus Sanctorum catalogo inscribit? Meo quidem judicio reliqui omnes dici possint sancti, saltem respectivè, & tres isti peccatores: adeòque verius sic loqueretur: *Nullus peccavit præter David, Iosiam & Ezahiam.* Non inquit Ecclesiasticus: quod scripsi, scripsi, neque aliud quam verum. Scio, scio Regis filios de facto peccasse & graviter: quia tamen pœnitentiam egerunt, conversi sunt & effecti sancti pristinoque innocentiæ statui restituti, ac si numquam ingrati fuissent, sacrilegi aut adulteri. Pro Ecclesiastico *Apud Labat. de pœnit.* scribit Jansenius (Dicuntur peccatum non commisisse, quia condignâ pœnitentiâ peractâ in eum statum repositi sunt & restituti, ac si numquam peccassent: hoc enim est insigne privilegium pœnitentiæ,) Unde S Chrysost. sic hortatur: *Curet peccator pœnitendo quod fecit, ut possit recipere quod amisit.*

Apoc. 14. S. Joannes Evangelista in Apocalypsi testatur vidisse in cœlo animas omnes Beatorum & incontaminatam in singulis virginitatem: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati? Virgines enim sunt.* Dicite NN. Quis credat inter tot animas, ne vel unius corruptam virginitatem? Aderant indubiè homines qui peccatis obnoxii, uti Rex David aliique promiscui tam viri quàm mulieres Et hi dicentur virgines omnes? Movet hanc quæstionem D. Ambrosius, & certè, difficilem fatebor. *Oritur quæstio: nam si in illa beatitudine diversi ordines sunt, ut Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines quomodo omnium Sanctorum animæ Virgines dicuntur, & in tantum Virgines, ut cum mulieribus coinquinati non fuisse dicantur?* Ad rem nostram aptissimè sic resolvit: *Fuerunt multi, qui multa scelera commiserunt, sed cùm per pœnitentiam & lachrymas, mala quæ gesserunt delere studuerunt, Domino veniente, virgines reperti sunt.* Atque ita tandem doctissimè concludit: *istorum igitur animæ rectè virgines vocantur, quia si quas sordes ex conjunctione fœminarum traxerunt pœnitentiâ deletum est.* Quid ergo per peccatum deperditur, quod non per pœnitentiam recuperetur?

Videtur Deus non tam velle favere homini justo, quàm peccatori pœnitenti. Inficiari vestrûm nemo (NN.) poterit nobilitatem primogenitorum ubique gentium magnæ semper consideration fuisse & in honore habitam. Rami arboris, quam non rosit infamiæ vermis, neque infamiæ fulgur percussit, viridiores sunt: si non solem inficiat macula, splendidior inde radius. *Frequenter videmus labem sanguinis ad posteros derivari.* Actiones primogenitorum indignæ *Io. Fabri in rubr. inst. de nupt.* lineam ipsam posterorum contaminant. Idcircò Lucretia Romana proprio sanguine maculam eluit, a Tarquinio honori ejus illatam, ne in successorum vultu pudenda hæc labes appareret. Hoc ergò certum cùm sit, mente assequi non possum, quamobrem Dei Filius ingressurus hunc mundum, de stirpe David voluerit nasci. De David loquor, qui tam iniquè egit & proditorie, cujus adhuc manus plenæ sunt sanguine innocentis Uriæ. De illo intelligo, qui Bethsabee submissus, factus autem Deo rebellis, superbus & contumax. Itane verò Deus qui tam acerbè peccatum & penitus odit, ex progenie peccatoris maximi dignatus est nasci, ut loquitur Apostolus, *ex semine David secundùm carnem*? An non *Rom. 1.* gloriosum hoc magis, si dixisset Apostolus, *ex semine Abraham?* Vir fuit in omni genere virtutum probatissimus, sanctitate celebris & nobili sanguine. Certum quidem est, Christum æque ex utroque traxisse originem? sed tamen semen David exprimi voluit, taceri Abraham, quòd ille peccator fuisset & pœnitens, hic verò justus & innocens: quasi ad gloriam magis faceret, cognationem habere cum peccatore per pœnitentiam converso, quàm justo & innocente. (Cùm *In Epist. ad Rom. c. 1. lect. 1.* facta sit repromissio Abrahæ, sicut & David (scribit Ægidius Columna) quare dicit Apostolus Christum factum potius ex semine David, quàm ex semine Abrahæ? Dicendum est quòd volens Apostolus commendare gratiam, maluit Christum dicere factum ex semine David, qui criminosus erat, quàm ex semine Abrahæ, qui justus fuit.) Davidem honoris causâ nominati voluit, & ex eo peccatore pœnitente ductam originem, quod glorioſum sic foret, & æternum illi decus.

Pœnitentiâ redit ad illum gradum ex quo per peccatum deturbatur. Et ut ad unum istud deveniam recuperatu difficillimum, at quo nihil faciliùs, perditur (de statu virginitatis loquor) Ab- *De nostur. illus. col. 12. cap. 13.* bas Theon in hæc Psalmistæ verba: *Si ceciderit non collidetur, quia &c.* ita exponit: (Id est nequa-

quam diu opprimetur incursione peccati, sed licet ad præsens videatur elisus, tamen divino erectus auxilio, celeri resurrectione stabilitatem justitiæ non amittit: vel, si per fragilitatem carnis aliquid amiserit, suppositione manûs Domini reparabit: nec enim sanctus esse desinit post tui nam.) Homo vitiis & sceleribus contaminatus, Sinope aut Cyrene argutior: Caligulâ aut Cambyse Persarum Rege impudentior: Ptolomæo Philaldelpho, aut Herode Agrippâ perversior: Rodope, aut Phryne, Aspasiâ aut Messalinâ, Philene aut Florâ, Glycerio aut Cleopatrâ, Thaide, Aphrâ cum tribus ancillis, Dymnâ & Eugeniâ & Eutropiâ meretricibus omnium cupiditati expositis sordidior: Nicetâ & Aquilinâ sororibus, Bethsabeâ aut Magdalenâ infamior, in pristinum virginitatis statum (moraliter loquendo) restituetur. Non mihi, sed Divo Ambrosio credendum. *Hæc enim virtus Christi est Domini, ut quantumvis peccator, qui ejus undâ se laverit (scilicet Pœnitentia) denuò in virginem reparatus, non meminerit, antè quod fecerit, & redivivâ nativitate infantia, innocentiam præferat, juventutis scelera non agnoscat.* Et ecce conclusio: *Sicque virgo fide Christi evadit, qui fuerat adulter corruptione peccati.*

in Bibl. vet. pp. Thom. 5. p. 21

Serm. 30.

Sponsa in Canticis, an de deformitate queratur, an de pulchritudine sua glorietur, nescio? ita dixit: *Nigra sum, sed formosa, Filiæ Ierusalem.* Adeste Filiæ Jerusalem, & sciatis velim nigram esse me (neque hoc negem) videtis tamen pulchram esse & facie decoram. Non capio, Sponsa non intelligio: Si nigra sis, quomodo pulchra? Dixisses: *Candida sum, rubicunda & formosa.* In sensu quidem litterali bene loquitur: pulchritudo enim à colore aliquo singulari non pendet, neque solùm cum candido consistit aut purpureo: coloribus illis, dico, à Poëtis quondam mirificè deprædicatis, cùm sub variis metaphoris lactis, cinnabaris, lilii aut rosæ efferebant: verùm etiam nigredinem admittit sic & eminentior. Nigra est & formosa, sed respectu diversorum, (ut interpretatur S. Thom. à Villa Nova) *foris quidem nigra, sed intùs formosa.* Qui oculo maligno intuentur, iis nigra videor & deformis, iis verò qui benigno contemplantur obtutu, pulchra sum & formosa. Rupertus Abbas ita explicat: (Secundùm opinionem malè videntium nigra, secundùm fidem rectè credentium formosa.) Angelicus Doctor per sponsam intellexit Ecclesiam. *Hic loquitur Ecclesia ad sanctas animas: Nigra sum, quia persecutiones patior, sed formosa virtutibus.* Neque aliter sensit Hugo Cardinalis: (Nigra sum exterius pressuris tribulationum, sed formosa intùs virtutum decore.) Lyranus etiam subscribit: Nigra sum, id est, vilis quidem in oculis persequentium appareo, sed ante Deum veritatis confessione gloriosa refulgeo.) Nigra in oculis hominum, sed decora in oculis Dei ostenditur, teste D. Bernardo: *Hanc vos dicitis nigram? Nigra vestro, formosa Divino Angelicoque judicio.* D. Hieronymi hæc est opinio: *Nigra sum, pro eo quòd non descendo de stirpe clarorum virorum: habeo tamen pulchritudinem meam mecum: Ego sum illa Æthiopissa, ego sum nigra quidem pro ignobilitate generis, formosa verò propter pœnitentiam & fidem.* Neque male per hanc sponsam Eva intelligatur, ut aptè illi quadret istud Aurelii Prudentii.

Cant. 1.

Ibid.

B. Thom. à Villa N. in Cant. 1.

D. Thom. ibid.

Eva columba fuit, tum candida, Facta deinde nigra.

Ibid.

Serm. 25. in Cant.

Homil. 2. in Cant.

Prudent. in Ench. vet. Test. de Adam & Eva.

Interpretationes has laudo omnes, tamen præ cæteris, placet illa Originis, paraphrasi Chaldææ conformis, ubi per sponsam anima nostra, per nigredinem peccatum intelligitur, quo deturpata est. *Facies ejus sicut nigredo olla: Denigrata super carbones facies ejus.* Et econtrà per pulchritudinem sanctitas animæ in statu gratiæ designatur. *Ecce tu pulchra es, amica mea. Hoc est* (ait D. Thomas) *in bonis operibus perfectè & sanctè, justè & piè vivendo, mundam & simplicem habens cordis cogitationem atque intentionem.* Et S. Thomas à Villa N. ita interpretatur: *Pulchra in natura, pulchra in gratia, pulchra in naturalibus, pulchra in gratuitis*, sic ut non capiam, quomodo dicat Sponsa nigram se esse per peccatum, & pulchram per sanctitatem ac gratiam, cùm contraria sint, quæ simul in eodem subjecto esse non possunt.

Nahum 2. Thren. 4.

Cantic. 1. Angelicus Doctor ibid.

B. Thom. à Villa N.

Crediderim, sponsam hîc indicasse effectum pœnitentiæ, q. d. Nigra eram & deformis per peccatum, sed facta sum pulchra & formosa postquam egi pœnitentiam: decorem sanctitatis recuperavi, & gratiæ: adeò ut si prius dixi dolens: *Nigra sum*, nunc lætabunda proclamo, *sed formosa*, pœnitentiæ vigore, pulchritudinem innocentiæ amissam & gratiæ recipi. *Sed formosa, quarimus*, (dicit Origines) *aut quomodo nigra sine candore sit pulchra. Pœnitentiam egit à peccatis, speciem ei largita est conversio, & ideo speciosa cantatur.* Per sponsam ibi, paraphrasis Chaldæa Plebem Israëliticam intelligit, nempe quæ per idolatriæ peccatum in deserto, fœdata est in anima & denigrata. (Quando fecerunt domus Israel

In Cant. hom. 1.

Paraph. Chald.

virtu-

lum, denigratæ sunt facies eorum sicut filiorum Æthiopissæ, qui commorantur in tabernaculis Cedar: & quando egerunt pœnitentiam, dimissum fuit eis peccatum & multiplicatus fuit splendor vultus eorum sicut vultus Angelorum.) Et Philo Carpatius: (Nigra propter delicta, formosa ob pœnitentiam.)

In Cant. 1. in Bibl. vet. PP. Tom. 4.

Quantum homo per peccatum dejicitur & deprimitur, tantum per pœnitentiam elevatur & exaltatur: atque hoc piè credi possit: magis favebit aliquando Deus ei, qui pœnitentiâ ductus, quàm qui justus sit. De filio prodigo notum est, quomodo in extremis miseriis tandem sanctè proposuit, atque firmiter resolvit ad ædes patrias reverti. Sordes animalium quæ custodiebat, derelinquit, sylvas deserit, curas fugit, & fame pressus nil nisi patris mensam recogitat, atque ita loquitur: *Vadam ad patrem meum.* Cum redeuntem vidit Pater, in occursum venit: & quantumlibet rebellis antè fuisset, amantissimè nihilominus excipit: brachiis amplectitur, & osculatur, famulis præcipiens ut honorem omnem exhibeant, pretiosas adferant vestes, convivium parent & musicam, sintque paterni affectûs evidentia argumenta. *Citò proferte stolam primam, induite illam.* (Stola prima (ait vetus Interpres, beata vestis & innocentiæ quam protoplastus Adam, bene à Deo conditus, accepit: sed à diabolo malè deceptus perdidit.) De annulo etiam refert S. Petrus Chrysologus: (Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem. Date annulum in manus ejus, & calceamenta in pedibus ejus: adducite vitulum saginatum.) Complexu & osculatione amorem ostendit: *Cecidit super collum ejus & osculatus est eum.* Sic honorat & favet, ut pro desiderio satisfacere numquam posse videatur. Mirum sanè & nescio an ita pater ei fecisset. Et hoc observans filius alter, indoluit ac ait: *Ecce tot annis servio tibi & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Me nec verbo bono, nec oculo benigniori consolatus es unquam. Ille verò verecundiæ & honestatis fines transgrediens, *dissipavit substantiam suam cum meretricibus.* Huic tamen honores habes & favores, hunc amas, hunc lautè excipis, ideò solùm, quia pectus tundit, vultum demittit, genua flectit, suspiriis & lachrymis orat.

Luc. 15.

Ibid.

Eric. in Biblioth. vet. PP. Sabbath. post Dom. 2. Quadr. Beda. D. Chrys. serm. 3.

Me sortis tuæ miseret, fili, innocentiam tuam video. Quid facias, aut quomodo nutes? patiendum est, ut leviùs feras. Sed amabo te, dic semel: Antequam à patre aufugisset, an tam honorificè unquam excepit? Numquam quid simile ei fecit tunc solùm, *postquàm dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Postquàm, & non antequam: postquam peccator & factus est pœnitens, & non, cùm justus & innocens. O quanta est pœnitentiæ virtus! (D. Chrysostomum audite.) *Per te, O pœnitentia! filius prodigus regressus est ad patrem, & non solùm amplexum osculumque paternum, sed etiam epulum vituli saginati vestemque insignem promeruit adipisci.*

S Ioan. Chrysost. de pœnit.

Egressus foras. Petrus quantum à pœnitentia facta post trinæ negationis peccatum profecerit, evidenter ostensum est. Antequam deliquisset Petrus, Joanne erat inferior & subditus: at contrà, ubi peccatum commisit, factus est major, & Joannem præcessit. Ex sacra pagina probationem audiamus. Aderat in cœnaculo cum Apostolis Christus & in mensa præsidebat, reliquis ordine dignitatis assidentibus, erantque digniores isti, qui proximè erant collocati. *Nobilius est, quod est propinquius optimo. Qui sedet immediatè post Episcopum, dicitur esse in eminentiori loco.* Hic erat ordo assidentium in convivio Assueri: *Erant autem primi & proximi septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem Regis & primi post eum residere soliti erant.* Et illi erant nobiliores, quos Rex proximos habebat. Ita fuit in cœna, dignior ille qui Redemptori propinquior. *Qui sedit prope Dominum, tantò major dicitur, dignior & altior.* Et Joannes is fuit, quod verificatum est à Christo, cum dixit: *Unus vestrûm me traditurus est.* Si enim Joannes Salvatori proximè non assedisset, non ab illo petiisset, ut de traditore Magistrum interrogasset. *Innuit ergo huic* (id est Joanni) *Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dixit?* Atque ex hoc clarè deducitur, Joannem præcessisse, adeoque & Petro majorem fuisse ac digniorem. *Qui præcedit, major est illo, qui subsequitur.* Pergamus igitur, & quid præterea Joanni factum, expendamus. Cùm jam Apostolis tertiò appareret Filius Dei ad mare Tiberiadis, post mirabilem illam capturam piscium centum & quinquaginta trium, qui adeò magni erant, ut miraculo ascripserint, non ruptum esse rete: postquam cibo refecti Discipuli, Dominum comitati sunt, ordine incedentes. Colligo tamen hìc Petrum Christo proximum esse, illumque modò præcedere, non verò Joannem, cùm Petrum à tergo sequatur: atque hoc certum, quia Petrus,

Arist. 2. cal. text. 66. Car. in conse. 32. Esth. 1.

Cl. not. 5. aliam verb. altiori instit. de bon. poss. Matth. 26 Ioan. 13.

Tex. in l. 1. in fi. de prop.

ut

ut in Joannem intenderet, retrò se convertit.

Ioan. 21. *Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus sequentem.* Toletus sic exponit: *Convertitur Petrus: jam enim cæteros condiscipulos sequentes habebat.* Conferamus igitur utrumque S. Scripturæ locum. In cœna Petrus erat Joanni subditus & inferior: post Resurrectionem fit Petrus superior, præceditque Joannem. Ut quid, Petre, locum alterius occupas? Joannis iste est: (Si inferior temerè intrudat se in loco majoris, majorem honorem, quàm ei debetur, assumendo, seu usurpando, debet suo honore privari, & a loco proprio expelli, ultimusque post alios in opprobrium poni.) Minimè mirum id vobis (NN) debet videri. In Cœna Petrus erat justus & sanctus: post Resurrectionem peccator pœnitens. De jure itaque locum istum occupabat, & virtute pœnitentiæ reliquos jam præcedebat. S. Thomæ verbis confirmo. *Petrus post negationem & pœnitentiam ostendit se habere majorem fiduciam ad Christum: qui enim in cœna non audebat interrogare, sed Ioanni interrogationem commisit* (utpote cùm retrò tùm staret Petrus) *huic postea & præpositura fratrum credita est, & non solum non committit alteri, interrogare quæ ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro Ioanne Magistrum interrogat.* Hic enim ad Christi latus consedebat. Et S. Ambrosius censentit ita loquens: *Major gradus redditus est ploranti, quam fuerat ablatus neganti.*

Altera de S. Petro restat consideratio. Ibant tres Mariæ ad Christi sepulchrum, ut sacratissimum corpus inungerent liquore pretiosissimo. Cùm jam pervenissent ad locum, viderunt ad sepulchrum Angelum speciosum valde, cui vestis erat candidissima, atque ex illo Salvatorem resurrexisse intelligunt, jussitque ut reverterentur & Mart. 16. nunciarent Apostolis & Petro. *Ite, dicite Discipulis ejus & Petro, quia surrexit.* Si & Petrus Discipulus non fuisset, dixisset rectè Angelus, *& Petro:* sed cùm & ipse Discipulus esset æquè ac alii, clarè satis expressérat, quando ait: *Dicite Discipulis ejus.* Quorsum igitur spectat hæc repetitio? Et aliunde non facilè crediderim erasse hic Angelum, utique cùm dicat S. Basilius: *Ingens blasphemia est, dicere, verbum aliquod in scripturu redundare.* Quinimò persuasum potius, Angelum hic penicillo oratorio usum, & Rhetorum coloribus sic adumbrasse laudem S. Petri atque exaggerasse.

Ubi de Græcis Virgilius commemorat, ait: *Reliquias Danaum, atque immitis Achilli* Cùm & Achilles Græcus esset, dictum satis: *Reliquias Danaum.* Et alibi eandem usurpat Phrasim.

Dii me terrent & Iupiter hostis. Si etiam Jupiter sit Deus, cur additur *& Iupiter hostis*? Non absimili modo usus est David Deo gratias referens quòd de manu hostili liberasset. *Eripuit me Dominus de manibus inimicorum meorum & de manu Saul.* Non erat opus exprimere singulariter Saulem, cùm & ipse de numero esset inimicorum: eò tamen factum, ni fallor, quia Saul omnium inimicorum David erat infensissimus: Jupiter autem Deorum reliquorum Deus: Achilles verò Græcorum facilè princeps & maximus.

Æneid. 12. Psalm. 17.

Atque hæc est ratio quare Angelus expressè nominat Petrum. Per pœnitentiam, quam fecerat de peccato, adeò magnificatus erat & exaltatus, ut indecens existimaret Angelus, & dedecus, communi solùm ordini reliquorum Apostolorum aggregare. Particulariter itaque exprimit Petrum, utpote qui cæteris excellentior sit, & per pœnitentiam actam dignior inter Apostolos & princeps. *Specialiter nominat Petrum* (scribit Dionysius Carthusianus) *quia inter Discipulos extitit principalis.*

Dionys. Carth. in Dom. Passionis serm. 1.

Præeminentia, quâ gaudent pœnitentes effecti, quasi bonum sit hæreditarium, in posteros diffunditur. Duos habebat filios David, quando moriebatur. Adoniam scitis et, qui primogenitus erat: & Salomonem, *ex ea qua fuit Vria.* Quis nesciat Regnum deberi Adoniæ, utpote primogenito? & tamen hoc sortitus est Salomon. Cur hic, obsecro, contra hæreditatis leges primogenitus excluditur, & in hæreditatem succedit qui natu minor?

Matth. 1.

Quid ergo mali fecit miser Adonias, ut honore isto reddatur indignus, & regio sceptro privetur? nimia est ista Patris in filium iniquitas. Lege constat & manifestum. *Pater non potest præjudicare filio.* Privilegium hoc fuit singulare in favorem Pœnitentiæ à Deo concessum. Adonias natus est ex parente utroque justo, Salomon verò ex patre & matre, utroque quidem peccatore, sed jam pœnitente. (Deus ita rem disposuit, ut hic junior potius quam ille senior Regnum obtineret. Ratio fortasse esse potest, quia Adonias filius erat Davidis adhuc innocentis: at verò Salomon filius Davidis jam pœnitentis. Sicut autem pœnitens sæpè innocenti præponitur: ita pœnitentis filii, filiis innocentis aliquando præferuntur.)

L. de re filior. ff. de trans. l. non debet ff. de reg. juris.

Fr. Mendoza in lib. 1. Reg. c 7. n. 6. Annot. 25. sect. 1. n. 20.

Mirum quod dixi, nunc Paradoxum addam, non ut justis tædium excitem, sed peccatoribus animos, ad amplectendam pœnitentiam: velim tamen, ut quod pia licentia dicere aggredior, sic etiam interpretentur & piè credant benevoli audi-

C. præcipimus. 93. dist. facit. l. neminem C. de off. mag. eff.

D. Thom. in Sum. 3. p. q. 83 ar. 3. in resp. ad 3. & D. Ioan. Chrysost. ibid. citat.

D. Ambr.

S. Basil. hom. 10. in Exam.

Virgil. 3. Æneid.

auditores. Videtur quodammodò Christus pluris æstimare peccatorem unicum quàm simul omnes justos. Docet Aristoteles, dum comparatio fit inter species ut sciatur excessus, non esse opus conferre singula utriusque individua, sed hoc satis, adducere quod maximum unius est speciei cum eo quod maximum alterius. Exemplo clariùs dicam: Scire velim uter statura sit major, vir an mulier? non conferam singulos viros cum mulieribus singulis, sed accipiam è viris maximum, & similiter è mulieribus, & sic facilè excessum scivero. Si Venetiis id fiat, viri perdant & minores sint. Ita etiam ut constet, utrùm plus amet & æstimet Deus, hominem justum, an verò peccatorem jam pœnitentem: unum & alterum utriusque speciei individuum, ut dixi, expendisse sufficiet. Sumamus igitur ex parte peccatorum jam pœnitentium Latronem, & ex parte justorum seu innocentium Virginem Deiparam. Si nunc ostendam (observanda hic pia locutio) Christum pluris æstimasse Latronem quàm Matrem, an non probavero rectè intentum? Attendite obsecro, & fatebimini verum. Pendebat in cruce afflictissimus Salvator, ad pedes plangebat & suspirabat Mater, ad latus in cruce altera pendebat latro, peccator & pœnitens. Videbat pius Redemptor desolatam Matrem, Latronem summis doloribus cruciatum intuebatur: Matri ex intimo effectu compatiebatur: etiam Latronis intuitu in visceribus commovebatur. Auditi petebat Mater, etiam precabatur Latro. Quid hic faciat Salvator, & cujus petitioni primum annuat? Matrem exaudiat priùs, an Latronem? Ancipiti consideratione distrahitur: movit fortiter quidem innocentia Matris, sed prævaluit Latronis pœnitentia: dicit priùs Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso*, quàm det Matri solatium his verbis *Mulier ecce filius tuus*, q. d. Mater, patientiam habeas: pœnitentem præfero innocenti. An non hic videtur pluris æstimasse latronem quàm matrem? Respondet & sic paradoxum dictum confirmat Cardinalis Viguerius. *Steterat à principio Mater juxta crucem: priùs Latroni crucifixo solatium præstare voluit Christus, quàm alloqui Matrem, quàm illam Discipulo, & illi charissimum Discipulum commendare: & in mortis articulo constitutus, peccatori providit, antequam Matri*, ut propterea dictum sit ab Episcopo Halberstattensi: *Amplius placet miles, qui post fugam hostem duriter ferit, quàm qui nunquam terga vertit, & nunquam tamen fortiter facit.* Eisdem ferè verbis loquitur Alexander Alensis: *Dux in prælio eum militem plus diligit, qui in fugam conversu hostem fortiter premit, quam qui nunquam fugit, & qui nunquam fortiter egit.* Pf. 1. q. 32.

Luc. 2.

Ioan. 14. super illa verba: Hodie mecum eris in Paradiso.

Aimon in Isa. 1.

Angelicus Doctor omninò consentit & mentem nostram confirmat. Sit justus aliquis qui Deo fidelis & semper armatâ bonis operibus manu in militia Christiana strenuè certet, neque deliquerit unquam, Cælitibus ille placet & gratus est valdè, quis dubitet? Sit peccator, qui justorum certamen deserat aufugiendo, terga Deo vertit: *Avertitur à bono incommutabili, & convertitur ad bonum commutabile*, delicti tamen pòst recordatus, pœnitet facti & contritus veniam implorat, synceram vitæ emendationem promittens, peccatum abhorret, odio crudeli persequitur, & is Deo non placeat? Imò magis quàm justus, illoque fit gratior: in tantùm enim pœnitentiâ profecit, ut cæli favorem meritus sit & maximos honores, superior effectus ipsis Angelis, qui tamen aulæ cœlestis cives sunt, ante Dei Thronum propè adstantes. Mirentur hoc omnes, nisi probem. D. Thom. in Sum. 3. p. q. 89. art. 3.

Dicite (NN.) Uter major est, homo, an Angelus? Ego respondeam: Si de homine justo sit mentio, qualis fuit unus Abel, unus Joannes & alii plurimi hujusmodi, non restat controversiæ locus, & lis ista decisa est in Tribunali Davidis, *Minuisti eum* (id est hominem) *paulò minus ab Angelis.* At verò si homini pœnitenti Angelus conferatur, dicendum: Minuisti Angelum paulò minùs ab homine. Similitudine clarius dicam. Partem panni accipe ex auro plurimùm, sitque pretii maximi, & Angelum esse puta, utpote auro gratiæ efformatum: deinde aliam habe partem vilioris telæ, puta ex cannabe, & hominem peccatorem esse dicito, cannabaceum quidem ratione humanitatis, & vilissimum ac sordidissimum ex fœditate peccati. Agedum mulieres, vos hic testes volo, dicite quænam ex vobis tanti sit ingenii & industriæ, ut telam istam ex viliori materia contextam efficiat majoris pretii & valoris quàm sit pannus ille ex auro artificiosissimè elaboratus? Pater, impossibile est quod proponis, neque ulla nostrum hoc præstet, quantumvis gnava sit, industria, & experientissima. Acu-pictor non sum, hoc tamen modò licitũ sit, arte ipsâ expendamus. Psalm. 8.

Cedat tantisper (NN.) lingua, operetur manus, ut labore acus exprimat, quod disertæ vocis illa coloribus non potest. Hoc mulieris acu pictricis studium est, & seria occupatio intextrina, dum industriæ ac ingenii dat experimentum. Telam parat atque extendit: sericum profert

fert cujusvis coloris, acu filum subtilissimè ducit, auro non parcit, & ne à sola arte & industria sit operis valor, lapides tarissimos interserit & gemmas exquisitissimas, tam nitidè, tam industriè facit, ut quisquis videt, miretur, ac dubitet sitnè tela acu picta, an penicillo verisque coloribus adumbrata: verbo dicam, naturam hic erubescere & ab arte vinci.

Judicium facite, Auditores, & sententiam veram hic vos proferte. Quid majoris est pretii, pannus iste ex auro, quem diximus, an tela ex cannabe multis distincta gemmis? Acu pictam telam indubiè omnes extollent & præferent: pluris enim est hujus pars etiam minima, quàm pannus integer quantus ille sit.

Telam cannabaceam hominis in statu peccati jam expendite, acu pictrix adsit pœnitentia, eamque acu contritionis pungat, acurata punctione sericum purpureum Divini amoris interserat: niveum, concipiendo firmum emendationis vitæ propositum: cæruleum immisceat, meditando cælestia: nigrum componat, mortalitatem attentè pensando: neque desit Smaragdus viridis confidentiæ in Deum, quia misericors est & peccata remittet. O quanta hic pulchritudo est! Nil excogitari possit ornatius. Si pretium velis auctum, lucidissimis gemmis distingue lachrymarum, & disciplinarum ictibus rubrum exprime, opusque dignissimum efficies, cui Angelicæ naturæ aurum cedat, sicque major erit peccator factus pœnitens. Agellii ea observatio est, ubi Psalmos Davidicos interpretatur, & ait cum Chrysostomo, Hieronymo, &c. *Minuisti eum (id est Angelum) paulò minus ab homine (scilicet peccatore pœnitente)* Interpretes alii subjungunt: *Ab Angelis, pra Angelis, ultra Angelos, supra Angelos gloriâ & honore coronasti eum.* Et nostri ævi etiam Scriptor: *Quæ verba* (Davidis) *Minuisti eum &c. sic legenda sunt, ut punctum ponatur post ly paulò minus: non autem post ly ab Angelis: & sic particula ab non cum antecedentibus, sed cum sequentibus nectenda est, in hunc modum: Minuisti eum paulò minus à quo? à Deo Comparans autem hominem ad Angelos, subdit, ab Angelis, id est pra Angelis, vel supra Angelos & ultra Angelos, gloriâ & honore coronasti eum.*

Psalm. 8. Chrysost. Hieron. Pagnin. citati à Mendoza feria 6. post cineres. Mendoza ubi suprà.

Videte igitur (NN.) quantum suis pœnitentia deferat, ut in cælesti etiam aula faveat. Tandem sic concludit B. Bruno: *Minuisti eum paulò minus à Deo.*

In Psal. 8. in Bibliоth. vet. pp.

Summatim ut loquar, pœnitentia est acus, quâ rupta innocentiæ vestis reparatur. Alberti Magni audite verba. (Quid faciendum est peccatoribus, ut recuperent gratiam? Certè necesse est, ut accipiant acum, per quam pœnitentia figuratur: quia per pœnitentiam sicut per acum, vestis innocentiæ, quæ per peccatum disrupta est, resuitur.)

Pœnitentia navis est ex mari mundi hujus procelloso ad portum salutis perducens & ad gloriam tam ardentibus votis concupitam. S. Isaacus ita scribit: (Pœnitentia est navis, timor verò gubernator ejus, charitas portus Divinus. Facit ergo timor nos sedere in navi pœnitentiæ, & transfretare mare mundi fœtidum, & ad portum Divinum perducit nos.) *L. 5. de mundi contem.*

Pœnitentia est secunda post naufragium tabula, cujus subsidio ex æternæ damnationis erepti naufragio, ad portum paradisi securè pertingimus. (Si quis post Baptismum patiatur naufragium, id est, incidat in peccatum, debet recurrere ad tabulam pœnitentiæ, per quam possit consequi salutem & ad portum pervenire.) Ut meritò dicat Hugo Victorinus: *Pontem nobis facimus, cum pœnitentiam agimus.* *Ægid. Colom. de sum. Tri. & fide Cat. p. 1.*

Accedit S. Chrysostomus & pœnitentiæ virtutem mirè deprædicat, atque extollit, cùm ait: *Pœnitentia est medela delictorum, prævaricationum solutio, adversus diabolum armatura simul & gladius caput ipsius præsecans, salutis spes, evasio ignorantiæ: ipsa homini cælum aperit, & in paradisum introducit.* Et Gualfridus Abbas:) pœnitentia more fidelis ostiariæ gerens officium, ostium paradisi peccantibus clausum quomodò vult, aperit, & quos pœnitentes agnoscit, recipit intrà: impœnitentes verò nec prece nec pretio intrare permittit. *Ser. 2. de N. Dom.*

Pœnitentia est scala Jacob, quisquis per eam ascendet, ad æternam felicitatem perveniet. Hæc est cælorum scala, reconciliatio pacis, acquisitio vitæ, vitiorum abolitio.) *Petrus Bles.*

Bacchiarius ad ascensum scalæ hujus ferventer monet. (Eia, eia, quid dubitas? Scalam illam Jacob, unde delapsus es, dum velis, ascendere, adhuc posita, nondum subtracta est.) *De rec. lap.*

Plantas in Hybernia reperiri (narrant aliqui) ad ripam fluminis, quarum fructus in aquam delapsi, mutantur in aves & alarum remigio cælum petunt: (Dicitur enim de miraculis Hyberniæ, ibi esse quasdam aves ex arboribus quasi fructus pendentes, qui cum in aquam ceciderint, statim vivunt.) Certissimum hoc est, peccatores mortuos gratiæ, per aquam pœnitentiæ revivisscere & ad cælum evolare. Testis nobis est S. Pa- *Ale. Tass. l. 3. q. 10. Albert. Palav. in conc. quadr.*

ter

ter Augustinus. *Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori.* Et inde sic prosequitur: *Pœnitentia Christo quærenti ovem perditam monstrat: drachmam amissam Christo inquirenti offert: dissipatorem filium ad patrem reducit: vulneratum à latronibus & expoliatum custodiendum & curandum tradit. In hac omne bonum invenitur, & conservatur: quantum ad effectum: ista fugit tenebras, inducit lucem.*

S. Augustin. Tom. 4. c. 1.

Dicite mihi verum, si qui forsitan in peccato estis: cùm tanta sit pœnitentiæ virtus, & tam uberes inde fructus emanent, ut quid inviti estis & recusantes, ad illam cogendi? An quòd forte delicta vestra nimis sint enormia, majorque malitia, quam pœnitentiæ virtus? hoccine vos inducit ut quod incredibile est & falsum, verum putetis? Quàm longè aberratum est? An non homines vixerunt multò sceleratiores vobis & sine comparatione pejores? Deo tamen (quæ pœnitentiæ virtus est & favor) reconciliati sunt, & in statum gratiæ restituti. Augustinum audite asserentem: *Dominus David post tam grave peccatum indulsit: Achab sacrilego Regi pepercit: Manassen post innumerabilia peccata pœnitentiam agentem, inter amicos suos reputavit, & meretrici, quæ lachrymis pedes rigaverat & capillis terserat, totum condulsit* (attendite & observate quod sequitur) *Qui ergo istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & nobis non solum peccata dimittere, sed & æternam beatitudinem dare.* Esto: peccata vestra gravia sint, ideòne desperanda salus? Quàm meliùs facietis cum Magdalena plangendo, quàm cum Juda desperatè pereundo! *Sperate de venia, etsi maxima sit iniquitas: quia ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Hæc S. Augustinus, & conformiter Arnoldus: *Sit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat.*

S. Augustin. Tom. 10.

S. Aug. T. 4. c. 1.

Arnold. tract. de 7. verbis Domini in cruce.

Pœnitentiæ virtutem & efficaciam Angelicus Doctor etiam adstruit & hoc argumento evidenter ostendit. Si non possit deleri per pœnitentiam quodlibet peccatum etiam gravissimum, *vel esset ex parte hominis, vel ex parte Dei: non hominis, quia habet liberum arbitrium flexibile ad bonum & ad malum: non ex parte Dei, quia derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque hominis ad pœnitentiam: vinceretur enim quodammodo Deus ab homine si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet.*

D. Th. p. 3. q. 76. a. 1.

D. Chrys. hom. 2. in Psalm. 50.

Tandem disertè Chrysostomus etiam prædicat: *Si lapsus es, potes resurgere: periisti, sed potes ris salvari: fornicatus es, sed potes continere: mœchatus es, sed potes liberari. Et quomodo? Tantum vel parva incipiat esse conversio, paululum pœnitere, etiam animam efflans (si dici potest) ut jam de hoc mundo exeas, pœnitere: non impeditur temporis angustiâ misericordia Dei.*

Quid magis? Diaboli peccata etiam remitti queant, si possit ipse velitque recurrere ad pœnitentiam. Sed quia, ut subtilissimè docet Divus Thomas, *ad remissionem divinæ offensæ, requiritur quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis pristinæ & proposito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum quod est virtus.* Dæmones autem actus pœnitentiæ facere non possunt neque volunt, *quia affectus eorum sunt confirmati in malo, ita quod non potest eis displicere peccatum in quantum est culpa, sed solum displicet eis pœna, quam patiuntur.* Indè ergò procedit & non ex Deo, quod peccatum hujusmodi remitti non possit. S. Gregorius Turonensis ita exprobrat. *Si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum infestatione desisteres, & factorum tuorum pœniteres, confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer.* Nec desunt alii, qui idipsum confirment. *Ausim dicere quod etiam diabolum ipsum servaturus fuerit, si reverti ad Deum voluisset.* Quid ergò gravitatem & multitudinem peccatorum prætexitis? nihil vos excusat, aut suffragatur.

p. 3. q. 86. art. 2.

Idem sup. art. 2.

Apud Mendozam in 1. Reg. 7. num. 25.

Pœnitentiæ rigor fortassis absterret, ut sic pati refugiat animus? Sed quomodo inferni cruciatus & ardores sempiternos sustinere poteritis? si ciliciolum terreat, quomodo non infernus?

Verum hoc, (quod ad confusionem nostram hic dico) bestiæ cùm infirmantur, remedia exquirunt. Cervus, ut vulneri medeatur inflicto, an non dictamnum quærit? Hirundo, ut pullis det visum, nonne chelidoniam reperit? Talpâ cæciores sumus: malum enim non videmus quo infestamur: in anima lædimur venenato peccati aculeo, & pœnitentiam esse veram chelidoniam, quâ illuminemur; dictamnum esse, quo curemur, non ignoramus: & tamen (quod S. Pacianus deplorat) [nos ignita Diaboli spicula, nullo pœnitentiæ succo, nullo exomologesis gramine repellimus: nos lumina mentis amissa nullâ malæ tractationis radice curamus.] Si sic non facimus, bestiis ipsis erimus deteriores.

In parænes. ad pœnit. in Biblioth. vet. pp.

Attendite obsecro, quàm salubriter monet S. Archiepiscopus Valentianus, dum inevitabili hoc dilemmate premit: *Peccavimus Fratres,*

S. Thom. à Villa no-

va conc. 1. de judicio. Quid inde? *aut pœnitendum, aut ardendum.* Dicite modò, & liberè judicium vestrum adferte. *Quantò melius modicum pœnitere, quam perpetuò ardere?* Quis non potiùs pœnitentiam, non dico levem, sed gravissimam æquo & prompto animo ferat?

Non longè à vero abertasse reor, si dixero, ideò pœnitentiam à vobis differri, quòd in votis habeatis, in fine vitæ amplecti dilatam, credentes in extremis quemlibet posse salvari, si modò actum contritionis eliciat, vel semel suspiret, aut verbulo dicat: Peccavi. Ah insensate & infelix peccator! An ergò telatet S. Patris Augustini serium dictum: *Pœnitentia sera, rarò vera.*

Hippocratis consultum est, (Medicare in valdè acutis, si materia turget, eâdem die: tardè enim in talibus malum est.) Consonat illud Poëtæ insignioris.

Ovenius. *Cras, inquis, faciam: conceſſaq́, labitur hora:*
Fac hodie: fugit hac non reditura dies.

Tom. 10. serm. 57. Sed ne primæ hujus partis limites excedam, verbis S. Augustini concludam quod jam observandum erit: *Ad emendanda crimina vox pœnitentis sola non sufficit, sed in satisfactionem ingentium peccatorum non verba tantum, sed opera quæruntur* Quod opus Deo gratius, & animabus vestris utilius, quam subvenire pauperibus in extrema necessitate eleëmosynam requirentibus? Verè hic est fructus pœnitentiæ, ad quam Præcursor invitat: *Facite fructus dignos pœnitentia.*

PARS SECUNDA.

Miratus est S. Augustinus, neque bene unquam capere potuit, quomodò ita temerè peccator & nullâ ratione pœnitentiam differret in ultimum vitæ diem. *Tom. 10. serm. 57.* *Quomodo agit pœnitentiam, in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ à morente tantum petitur, timeo ne in ipsa moriatur.*

O Pater, & quisquis unà Prædicatorem agit, quid nisi terrorem incutitis? Redditis difficillimum quod alioquin esse facillimum credebatur. An non unicus pœnitentiæ & contritionis actus ad salutem sufficiat? (Oportet ex fide credere indubitanter (Episcopi Halisgatii sunt verba) pœnitentiâ aboleri posse peccata, etiamsi in ultimo vitæ spatio commissa.) *Halisgar. Tom. 9. Biblioth. vet pp.*

Latro, cui nomen Dismas, nunquid in extremis conversus, & duobus verbis salutem consecutus? *Memento mei Domine.* Hoc etiam nos præstabimus, & remissionem obtinebimus atque cœli gloriam. In hoc confiditis? In legibus, video, versati non estis: discite, quod jure contentum: *Privilegia paucorum non faciunt legem communem.* Nunquid aliquando audistis: *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum?* Nonnè & hoc notum est: *Quæ à jure communi exorbitant, & discordant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda?* Et commune est. *Allegare speciale est refugium miserorum.* Navis una aut altera ad portum venit, non tamen inde sequitur, reliquas omnes eò perventuras. *Et ideò* (inquit Sanctus Augustinus) *quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro.* *Luc. 23.* *c. Quod alicui de reg. juris. c. de Ep. & C. ler. c. Quæ à jure de reg. juris.*

Quid tamen objicitis, Latronem conversum esse per pœnitentiam in ultima vitæ hora aut etiam momento? Fallimini peccatores: non sic est, non sic. Hora illa, quam vos ultimam dicitis considerari potest vel in ordine ad vitam, vel in ordine ad cognitionem, quam de Deo habuit latro. Et quidem ultima est respectu vitæ: at vero intuitu cognitionis de Deo habitæ, prima est, cum priùs Dei Filium non agnôrit: atque illâ primâ horâ conversus est, neque Pœnitentiam distulit: ita ut unâ & eâdem horâ Deum ipse cognoverit, & à conversione statim delicti pœnituerit. *Ergo ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema illa hora, sed prima.* Ita Divus Augustinus. Godefridus Abbas expressè etiam addit: (Ille si Christum anteà cognovisset, credidisset utique, & in illo felici Apostolorum conventu non esset novissimus.) Et ita in exemplum potiùs adducendus est bonus Latro atque in præjudicium vestrum & magnam confusionem. A quanto enim tempore vobis innotuit, ex fide Catholica tenuistis, didicistis & firmiter credidistis Christum esse verum Dei Filium? An forte jam demum nostis, & hora hæc, quâ audistis, prima est? O Deus! tam diu scivistis, nec ad Deum conversi estis per pœnitentiam. Audi peccator Sanctum Ambrosium urgentem: *Nonnè si vis, hodie? Nonnè, si vis, hodie fit?* Quid difficile fit & remoratur? An fortassis media & sumptus deficiunt? An mare transeundum est, ad Indos penetrandum, aut certè montes transferendi? *Quid empturus es, ut facias? ad quos Indos navigaturus? quam navem præparaturus?* *S. Augustin. serm. 120. de tempore.* *Godefrid. Abb. serm. 10. de bono latr. in Biblioth. ver. pp. Tom. 12.* *D. Ambr. in ps. 63.*

Ades

Adesdum, & tuis te rationibus statim convineam. Nunquid cum Christo crucifixi sunt duo latrones ? Hærebat impiùs unus in lecto crucis agonizans : aderat ei Christus ad pœnitentiam invitans, etiam Deipara Virgo pro salute animæ ejus sollicita. Crucifixus Salvator pro eo patiebatur, & pro ejus, æquè ac pro totius mundi peccatis moriebatur. A bono latrone monitus est & reprehensus : *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione* ? neque tamen convertitur. Solem obscurari vidit, & non conterebatur : terra movebatur, & ipse obstinatus permansit: Centurionem audivit, qui fatebatur: *Verè Filius Dei erat iste :* Hebræos intuebatur, qui delicti pœnitentes, *revertebantur percutientes pectora sua*, & tamen ipse damnatus moritur, & in infernum impœnitens descendit æternis ignibus cruciandus.

Luc. 23.

Luc. 27.

Dic modò verùm: nonnè utique auxilium offerebatur sufficiens? Unus tamen salvatur, alter damnatur. *Æquales hi duo in pœnis inventi sunt.* (dicit Philippus Solitarius) *ast in extrema prudentia pares cogniti non sunt : nam ille in paradisum, hic ad inferos profectus est, ille bonus, hic improbissimus apparuit, & cum maledictis suis damnatus est.*

Ad 1 ad C. Monac. c. 5. in Biblioth. vet. pp. Tom. 11.

Ut quid igitur non similiter dicis: Non salvatur ille, neque ego salvari potero in ultimo vitæ, si eò pœnitentiam differam ? *Alter regnum hæreditavit, alter in gehennam dimissus est*, inquit S. Athanasius. Mirum sanè : in latronem bonum omnes intendunt, in malum nemo.

D. Athan.

Velle te quidem & meditari Paradisum potiùs quàm infernum, non dubito: post offensam Dei intendere te pœnitentiam ut Christianum oportet, facilè credam, quia juxta doctrinam S. Thomæ, *impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti.* Sed in differentia temporis in *quando* nodus est. Dic mihi, quando veniet illud momentum ? quando erit illa hora, cùm volet Deus. Scias pro certo, Deum velle modò, jam jam & non posteà, non seriùs.

D. Tom. p. 3 q. 86. a. 2.

Cùm de latrone sit sermo, curiosum mihi dubium incidit. Sancta Mater Ecclesia ne vel semel in toto anno de Latrone bono commemorat in Divinis Officiis. An quia fortè de Sanctitate ejus dubitat, quod in ultimum vitæ tempus distulerit bonum operari? nil omninò, cùm ab ipsomet Dei Filio sit Sanctorum numero aggregatus & ut Sanctus celebratus : *Hodie mecum eris in paradiso.* Et S. Dionysius scribit à Christo in ascensione assumptum esse etiam bonum Latronem, ut esset ingressus in cælum gloriosior: *Sacratissimam ingrediens patriam, secum Latronem introduxit, non conculcans, sed honorans paradisum.* Deindè, quandoquidem de tot aliis Sanctis Ecclesia officia celebret, aut saltem commemorationem faciat, cur non etiam de magno isto Sancto ? Miror valdè, neque hanc difficultatem quis facile explanet, si non ad SS. Patrum doctrinam refugiat. Sanct. Augustinus inquirit, cur Ecclesia Festa Sanctorum celebrari præcipiat? nil enim casu agit ; sed, cum à Spiritu sancto directa sit, mysterosè disponit omnia ad certum aliquem finem, particularis ille sit vel universalis. Proponitur ex. gr. Joannes prædicans in deserto: in quem finem ? ut ab ipso discant singuli pœnitentiam. Proponitur Joseph & Maria, ut vivendi normam dent conjugatis. Acta Apostolorum nobis exhibentur, ut eos imitemur in Dei obsequio, in moribus, in sanctis operibus, quæ viventes illi exercuerunt. Atque ita de aliis Sanctis dicendum. *Solemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Ab eis enim sanctorum Martyrum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur.* Hæc Sanctus Augustinus, & quod sequitur : *Quando celebrabitis natalitia Martyrum, imitamini Martyres*, Sanctus Gregorius consentit : *Debemus imitari quod colimus.* Itaque ab Ecclesia celebrantur Sanctorum Festa, ut sic eorum vita & gesta miranda ob oculos versentur & omnibus commendata sint ut imitentur. Proinde S. Mater Ecclesia, quam Spiritus sanctus illuminat, Festum boni Latronis non instituit, ne vel mentionem facit, non secus ac si in Sanctorum Kalendario non esset : quia si festum hoc celebret, adeoque Latronis boni vitam imitandam proponat, meritò conqueri possint reliqui Sancti. Omnes enim hoc festum unicè colerent, istum singuli patronum vellent ut imitarentur, ad ultimum vitæ pœnitentiam differendo. *Exemplo istius Latronis nullus debet suam pœnitentiam differre usque ad mortem* (Monet Ludolphus Carthusianus) *quia privilegia paucorum non faciunt legem communem, & pauci sunt, qui in morte pœniteant verè Nam sicut monstruosum esset, quod lupus caudam ovis haberet, ita monstruosum videtur, quod vita mala bono fine claudatur*

Luc. 23.

D. Dionys. & D. Chrysost. hom. de Cruce & Latr.

D. August. serm. 47 de Sanctis.

Cart. p. 2. c. 63.

Expectas ergo & pœnitentiam ad ultimum vitæ procrastinas? Nescis tamen ultimum istud quando erit, mors enim incerta est, neque tibi

Deus, puto, revelavit. Ut quid igitur in finem differre audes? Quid respondes? cùm senueris, vitam emendabis? sed quis tibi senectutem addixit: an fortè Deus scripto promisit? an chirographum habes, ut de hora mortis & de salute sis securus? Attende miser, quòt subitò, quàm sæpè moriuntur. Nonnè vides quia à dæmone ea fallacia est & connives? Esto tamen, fias senex, vide utrum decrepitus aliquis factus jam bonus, qui in juventute fuerit malus. Hoc mihi crede: qui in juventute malus, plerumque in senecture pessimus invenitur. Attende obsecro, & S. Augustinum seriò hortantem audi. *Dissoluta & paralytica cogitatio est, de crastina cogitare conversione & hodiernam negligere. Quid tu peccator converti simulas? nonne metuis, ne diem conversionis surripiat dies perditionis? nonne homines citò moriuntur? Si bonum est relinquere peccata, & ad Deum se convertere, citò fiat.*

S. Aug. T. 9. serm. 71.

Magnum quid ait S. Ambrosius. *Si aurum tibi offeram, non mihi dicis: Cras veniam? sed jam exigis aurum: accipere nemo differt, nullius excusat: redemptio animæ promittitur, & nemo festinat.* O stultum te & amentem! Tantalus verè es, aqua Sacramentorum exuberat, & tamen ex siccitate peccati & sensualitatum ardore aridus manes & siti moreris. O miseriarum omnium maxima, & calamitas inaudita!

Legisse recordor de Nobili, cui hortus pro deliciis. In vase pulchertimo persicam habebat, sed quæ ab ardore Solis aridà reddebatur: & ne omninò exaresceret ac emoreretur, hortulanum vocat, juberque ut in locum humidum transferat, & collocet juxta fontem mille rivulis scaturientem. Elapsis autem aliquot diebus, revisit & penitus aretfactam reperit, seque in vanum laborasse. Hinc à subtili ingenio adinventum est emblema, atque hæc vasi inscriptio:

Guil. Pepin. in Conc.

Son poscia qui ove questo fonte versa.
Accio ch' io non mi perda, & jo son persa.

Et non vides peccator ab ardore libidinis aretfactam animam, sic ut bonis operibus non virescat & germinet? Quid dicam, perditioni proximam esse, an jam perditam? Pœnitentiæ fons propè est: Christus, inquam, Fons vitæ, per quinque vulnerum rivulos pretiosissimum sanguinem effundens, ut revirescas in salute, ne anima tua pereat tanquam persica aretscens & obstinata. Dubitas adhuc majorem esse iniquitatem tuam, quam ut per pœnitentiam remittatur? Falleris, quia, ut ait Tertullianus. *Omnibus delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem veniam per pœnitentiam spopondit.*

Tertull. l. de pœnit. c. 4.

Consilium Hippocratis *a* est, Infirmitas statim ac oritur curanda est: *Morbi cum inchoant, si quid movendum videtur, move.* Majori solicitudine medendum est pœnitentiæ pharmaco infirmitatibus animæ ad mortem aggravantibus. (In febr non intermittente, si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore, quidquid horum evenerit, mors proxima est.) Quænam pestilentior febris non intermittens & periculosior, quàm peccata continua, quotidie sine interruptione commissa? A Deo sensibus omnibus aversus leges divinas pervertis, pericula imminentia non vides, aut certè non curas, inspirationibus cæli obdurescis, nec verbo Dei movêris. Quid sequitur? *Mors proxima est*, & hoc infallibile: non procul abes ab æterna damnatione.

a 2. Aphor. 92.

Heu te miserum! dæmon illudit, nec percipis: *Si rivum vel domum, quam per alterum fieri fecisti, contingat labi in ruinam ex vitio operis,* (habet lex) *tunc operarius tenetur readificare, alias non.* Deus in corpore hoc animam nostram fabricavit, ex peccato tamen ruinam æternæ damnationis minatur. Quis in causa? an Deus qui ædificavit? non, quia Deus non est causa effectiva mali, sed tu, *& perditio tua ex te.* Itaque secundum leges obligatus es ad reparationem per pœnitentiam, & sine dilatione, ne eversam videas, & ruinam irreparabilem. Nec erit excusationi locus: satis enim tibi prædixit & millies monuit, tandemque Joannem expedivit qui pœnitentiam seriò prædicaret: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et si divinæ huic vocationi non pareas, aulæ cœlesti rebellis & contumax denunciaberis, & justitiæ supremæ pœnas dabis. *Tunc aliquis reputatur contumax, quando, postquàm fuerit à suo Iudice ter vocatus, vel unicâ vice pro trina peremptoria, venire & comparere contempserit.* Sic ut ex mora quam traxeris, non comparendo ad tribunal pœnitentiæ, arguendus eris contumaciæ, & æterno supplicio puniendus. Tempus erit, cum videbis & curabis, sed, ob dilationem, frustrà conaberis, non secus ac uxor Loth versa in staturam salis, quæ sic loqueretur, si posset: Salem sapientiæ habeo, quò errorem, quem commisi, videam: sed quia tarda, vana est cognitio. Ita illi visus Marius loqui:

ff. Locat & con. l. Si rivum.

L. contum. ff. de re jud.

Cum

Cum falsos libasset lingua sapores.
Sero, ait, heu! sero post tua fata sapis!

Marius Bettin.

Prudenter factum à Joanne, cum pœnitentiam prædicat in deserto, quia eam peccatoribus annuncians, quid nisi deserto prædicat, ubi nemo est qui audiat? verba dat, imò ventis, lapidibus & feris. Si quando aliquis homo attendit, cùm ad pœnitentiam movetur, mente tacitâ respondet: *Audiemus te de hoc iterum*, aut etiam. *Cras melius me habebo.* infuturum intendit, quod non habet, in eoque confidit, quod incertum est, tempus vero præsens quod possidet & certum, negligit: *Nemo mihi illa vulgari voce occurrat, aut mellita illa promat verba. Cras melius habeo. Est autem Cras vox diaboli, quam Apostolus meritò vocavit fallaciam peccati: diabolus enim & peccatum in eo nos perpetuò fallunt, quod hodie sibi reservet, & cras Deo fallaciter promittat.*

Dan. Sovater in pæd. Divit.

Cum aliquando moribundus in lecto contritionis actum elicere putabis, diabolus spei januam claudet, & in desperationis præcipitium trahet. *In illo enim momento*, ait S. Chrysostomus *stat diabolus gladium acuens, & dicens in hac verba: Omnem juventutem tuam confudisti, omnem vitam tuam perdidisti: ante eras in theatro cum amicis, in circo cum sodalibus, in lupanari cum meretricibus: deinde rapuisti, avaritia studuisti, perjurasti, blasphemasti. Qua jam tibi salutis spes est? Peristi, peristi. Hac diaboli verba sunt.*

Hom. 2. in ps. 5.

Tandem cum periculum feceris, expertus dices, malam vitam esse mortis pessimæ matrem. Consilium dabo, exequere. *Cito ad pœnitentiam curre, ne sub vita exitum inita, exitium tibi parturiat.* Et hoc S. Maximi monitum. *Pœniteamus ergo veraciter, ut à passionibus expediti, peccatorum veniam consequamur.* Consonat Italicè dictum.

Novarin. Elect. sac. n. 219.

Non tilasciar condurre ad passo estremo.
Che molti n' hà ingannati ilben saremo.

Petoro S. Augustini verbis. *Pœniteamini igitur fratres mei, & pœnitentes pœnitentiam agite in gloria Beatorum.* *T. 10. ser. 1.*

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

ARGUMENTUM.

Amor Dei erga hominem singularis est, ac tantus ut (si ita liceat) dici posset impatiens, tam ardenter desiderabat incarnari, & cum hominibus conversari. Quam lætum est, universo mundo, gratum mirum & insolitum spectaculum, Deum infantulum in præsepio Bethlemitico contemplari!

THEMA.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi. S. Lucas. cap. 2.

INcultus ego & inter Pastores Bethleemitas imperitissimus adsum, Auditores, exoptatum fero nuncium: nescio tamen sitnè lætandum potius, an magis admirandum: Ecce, cum ex Aurora Virginali Sol justitiæ progreditur, nova omnia in amplissimo orbis theatro, mira & stupenda conspicamur. Si quidem, ut loquitur S. Odilo, *dum cuncta, quæ creata sunt, cernimus, in Creatoris admirationem sublevamur.* Et quis non miretur, hoc anni tempore, mense, inquam Aprili, veterrimo ac nudo, aperiri terram, prodire ex sinu gelidissimo flores lectissimos & herbas odoris fragrantissimi? Hinc aura Favonii leviter ac placidè spirat. Videantur ibi gemmare vi es, ridere prata, scaturire fontes, inter spinas pullulare rubentes rosæ, cœlesti rore sata omnia uberrimè irrigari. Et quid de agrorum viridirate? lætari eos dicerem, & quasi luxuriari. Si cœlum video, an non ex argento purissimo credatur, auroræ sic pictum coloribus? Quid? hortus amœnissimus dici potest stellis radiantibus efflorescens? Terram aspicio, velut alterum jam cælum contemplor quot rari floribus, tot stellis fulgidissimis decoratam. Non jam nox horroris & tenebrarum mater abstetret, sed nimio fulgore illuminat arbores promiscuè, etiam quercus, etsi senescentes & quasi emortuæ haberentur, virorem exprimunt & læto hoc amictu recreant; Domino nascenti gratulando. *Videte miraculum*, (exclamat D. Petrus Damianus,) *scintillat sidus, exultat polus, tellus resultat, gloriantur Angeli.* Et cum Angelorum jubilo cælum & terra lætentur, rediisse jam auguror verè aureæ sæcula: ut meritò jam caneret Theodulphus Episcopus,

a serm. 82.

Con-

In Biblioth vet. pp. Tom. 9.

Concinebat Angelorum turba læta laudibus,
Terra pacem prædicantes, cælo reddunt gloriam:
Christo nato Rege magno totus mundus gaudeat.

Ecquis non admiretur, Sponsam sine interventu mortalis sponsi fieri Matrem fœcundam, Regem cœlorum sinu excipere, & hic jam esse in terris cœlum? Quis non exultet gaudio & rapiatur, cùm Deum videt conversantem cum filiis hominum, relicto Angelorum consortio? O mirum! Deus æternus fit mortalis, ut speret homo, cælum rideat, plangat infernus, spolietur limbus, paradisus reseretur, & mundus salvetur. O felix Bethleem Dei magni electissima civitas!

B. Petr. Dam. ser. 6. de nat. Salvat.

In te, & in suburbanis tuis visa sunt mirabilia; hodie Deus pendet ab uberibus, ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, & laxatis fasciolis felices manus & sancta brachia per cunarum parvitatem expandit. Ita B. Petrus Damianus. O felix partus & puerule amantissime!

Orat. de Sabbat. Sancto.

Nunc Sacramentum à sæculo absconditum detegitur, Divi Damasceni sunt verba) *nunc Divinæ dispensationis summa perficitur, nunc incarnationi Dei Verbi coronis imponitur, nunc Divini in nos amoris publicatur abyssus.*

Unde in hoc sanctissimo & ineffabili incarnationis Filii Dei mysterio non tam loquendum, quàm profundissimo silentio admirandum & reverendum. Cum tamen ad ortum novi solis dulcissimo Angelorum & avium concentu personent omnia, & lætissimis vocibus ubique ebuccinetur mirabile Nativitatis mysterium, solus ego stertam & taceam? non expedit. Loquar ergo de ardentissimo Verbi desiderio quo ad incarnationem ferebatur, ut sic delitiis suis fruerecum hominibus conversando: nec non de credibili Mariæ gaudio in desideratissimo partu. Conabor igitur mira & læta breviter enarrare: vos modo silentio & attentione favete.

PARS PRIMA.

NOn tam velox flammæ ad sphæram suam ex instinctu naturæ volatus, nec tam rapidus petræ ad centrum descensus, quàm fuerit Sapientiæ increatæ desiderium fervens, ut in mundum properet mortalitatis nostræ exuviis in Virginis castissimæ utero induenda. Non tam vehementer ignes Ætnæi erumpant, quàm Dei Filius excitetur ardentibus votis, ut tandem aliquando incarnetur & homo similis nobis appareat. Ad agtum Damascenum nos conferamus & cum Tertulliano minutatim, quidquid in creatione hominis factum est, observemus. Hoc mirum videri præ ceteris possit, cœlum, terram, mare ac alia vastissima ex nihilo à Deo creari virtute solius voculæ *Fiat*, at verò ad plasmationem humani corporis totum Deum impendit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Deus quantus in essentia & in personis, concurrere voluit infinitam sapientiam, omnipotentiam, providentiam, & cetera attributa adhibendo. Quorsum tantus conatus? quod homini in votis est & desideratum, totis id viribus omnique studio prosequitur, totus incumbit, momenta singula annos esse sentit: adeò cum mora excruciat, donec finem intentum assequatur. Per eam terræ massam Virgo Maria, per formationem Adami incarnatio Verbi, per Adamum jam creatum Deus incarnatus figurabatur: unde cum Adamum in productione, semetipsum Deus in sua incarnatione contemplabatur, q. d. Quando tandem erit illa hora, cum in humana carne mortalis ero, palpabilis, apparens & ad oculum corporeum visibilis: hic, hic attributis divinis laborandum est, omnibus enitar viribus, ut quantocyus figura illa exprimatur, atque sic eò citiùs pro desiderio meo incarnatione & nativitate figurati potiri liceat. *Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum.* (verbis moneo Tertulliani,) *manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ & providentiâ, & ipsâ imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat. Quodcumque limis exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Et fecit hominem Deus. Id utique quod finxit, ad imaginem DEI fecit illum, scilicet Christi; ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum opus Dei erat, sed etiam pignus.* Verbo dicam: diligentia illa & studium, quæ in formatione hominis Deus adhibuit, flagrantissimum ejus desiderium exprimebant quo ferebatur ut humanâ naturâ assumeret.

Tertull. l. de resur. car. q. 25. in Genes.

Advertit Angelicus Doctor in creatione mundi fieri mentionem Verbi seu Sapientiæ æternæ, quàm secundæ personæ Sanctissimæ Trinitatis attribuimus. Et hinc Origenes ad illa verba Geneseos. *In principio creavit Deus*, &c. legit *In Sapientiâ* S. Hilarius sic: *In filio creavit cælum & terram.* Et meritò: siquidem *omnia per ipsum facta sunt*, (id est per verbum) *Et sine ipso factum est nihil.* Et condito jam Universo, tandem creavit hominem. Ut quid non anteà? Primum creari hominem oportebat, utpotè reliquis creatis digniorem. Respondeat fortas-

Gen. 1. 70. Interpr. S. Hilarius. Ioann. 1.

sis

sis aliquis & cum Philosophis dicat: *Quod est primum in intentione, est ultimum in executione.* Aut verò hominem ultimo esse loco reservatum, ut statim ac esset creatus, in mundo hoc ceu palatio ornatissimo poneretur, cœlo stellis splendidissimo, terraque dispersis quaquaversum floribus recreatur.

Ea tamen est, neque displicet D. Thomæ Aquinatis opinio. In Principio creationis mundi ponitur Verbum à Patre generatum. *In Principio, in Sapientia, in Filio creavit Deus cælum & terram,* & in fine homo creatus à Deo, ut innotesceret desiderium quo appetebat unionem hypostaticam & substantialem principii cum fine, id est Dei cum homine, supremi cum infimo, dignissimi cum abjectissimo, Verbi Divini cum naturâ humana. *Quid sanè sapientius* (Angelici Doctoris ore loquor) *quàm ad complementum totius universi fieri: conjunctio primi & ultimi, scilicet Verbi Divini, quod est omnium principium, & humanæ creaturæ quæ in operibus sex dierum fuit, ultima omnium creaturarum?*

D. Thom. Aquin.

Patriarcha Jacob per Syriam ibat jussu patris versus Mesopotamiam, & post longum iter ad vesperum lassus ad quietem se disposuit, chlamydem substernens, & aliquot pro cervicali supponens lapides subsidio placidè obdormivit. Mediâ jam nocte in somnis conspexit erectam scalam à terra ad cœlum usque: *Vidit Iacob scalam, & cacumen illius tangens cælum.* Neque hoc solum, sed *& Dominum innixum scalæ.* Quid? Deus ergo sustineri debeat, cum tamen omnia ipse sustentet? In textu Hebraico legitur, *Pedes in scala habebat veluti descensurus.* Plerique Interpretes hoc loco per scalam allegoricè Mariam intelligunt. Ita Andronicus Constantinopolitanus [Scalam hic mihi Virginem intellige, per quam in cœlum à terra surrigimur.] Quot enim illa, tot habet hæc meritorum gradus, Illa à terra ad cœlum usque elevata: eo etiam hæc sanctitate pertingebat. Deus in procinctu videbatur ad terram per scalam illam venturus, & quasi moræ impatiens momentum illud avidissimè expectabat, quo de cœlo in terram properaret, in Mariæ Virginis gremio incarnandus. (Pedes in scala habebat, veluti descensurus, quasi diceret: Adveniet tempus, Jacob, cum ego descendam, humanamque naturam de stirpe tua assumam.) Quid ita, Deus bone! acceleras? Deliciis Paradisi frueris & ad miseriam nostram declines? Æternus es, immensus, infinitus ac immortalis, & per scalam istam virginalem descendes atque carnem nostram assumes calamitosis mundi accidentibus subjacendo? Itanè Majestatem Divinam deprimi sustines & loco angustissimo concludi? Omninò: eò enim trahit & propellit incarnationis, quo ardet, desiderium.

Gen. 28.

In Hebr.

c. 21. in Biblioth. vet. pp T. 1.

Barrad l. 3. c. 13.

In Canticis sic Deus desiderium expressit & amorem, cùm effectu maximo Mariam sponsam invitat, ut instar rosæ candidissimæ ex sinu materno prodeat & mundo enascatur! *Surge propera amica mea, speciosa mea, & veni.* O æterne Monarcha, qui universorum es conditor, in necessitatibus refugium, in infirmitatibus virtus: quid tibi opus sponsâ Mariâ, ut sic illam avidè velis & quæras? Assumpturus erat carnem in utero illius virginali, adeoque ita loqui videbatur: Et quomodò possim ego incarnationem meam velle, si non priùs desiderem & procurem nativitatem ejus, in cujus sinu concipiar? *Propter quod unumquodque tale, & illud magis,* Philosophi dictum est. Et si tanto incensus fuerit desiderio nativitatis MARIÆ, quanto suæ incarnationis flagrarit, facilè quivis conceperit. Testis mihi sit Mariæ interpres Rupertus Abbas: *Tamquam præsenti loquebatur mihi, meque jubebat surgere & properare: id est, nasci, & hospitium ventris mei sibi cito præparare.*

Cant. 2.

Aristoteles.

Rupert. Abbas apud Gisler. in Cant. 2. v. 10.

Sanctus Isichius extremo erga Deiparam affectu hoc ei præconium dixit: *Maria est complementum Trinitatis.* Ergo à MARIA complementum habet Sanctissima Trinitas & ultimam perfectionem? nimis exaggeralle hic Sanctus videtur, in præjudicium quidem trium. Personarum Divinarum, Mariæ attribuendo indebitum. Quomodò possit, obsecro, creatura, etiamsi sanctissima sit, Creatori addere complementum? Et nunquid anteà imperfectus ille supponitur qui perfectionem ab altero recepisset. In Deum ne vel minima cadere potest imperfectio: quomodo ergo à Maria perfectionem accipiat? Proindè incongruè locutus est S. Isichius hunc Mariæ titulum ascribendo. Laus illa creaturæ abominabilis est & blasphema, cùm per eam Creatori derogatur, Theologorum communis vox est: *Deus est summum bonum, & summo & infinito modo est bonum communicabile:* Communicatur *ad intra:* quia Pater æternus cognoscendo seipsum actu intellectus generat Verbum, & se mutuo amando producunt Spiritum sanctum, atque sic impletum est Dei desiderium, se communicando *ad intra*, ut summum bonum. Remanserat tamen desiderium se communicandi *ad extra per hypostaticam unionem,*

S. Isichius Episc. Iere. sol.

D. Thom. Scotus Franc. à Christo tract. de Incar. & alii.

unionem, carnêm assumendo : adeò ut exquiri debuerit in toto mundo dignissima & sanctissima. Eligitur itaque Maria, quæ Deo submini-stret de sanguine suo purissimo, ut in instanti incarnationis formaretur corpus humanum, sic ut meritò dixerit S. Isichius : *Maria est complementum Trinitatis.* Per illam enim impletum est desiderium Verbi æterni, quando est caro factum. Si tamen sola Persona secunda incarnatur, dicendum potiùs : *Maria est complementum secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis.* Omnium Patrum Theologorum vox est : *Opera ad extra sunt indivisa.* Undè cum solum incarnata sit secunda *terminativè*: s. supposito suo naturam humanam terminando, reddendo incommunicabilem & interminabilem, habuerunt & duæ aliæ personæ concurrendi desiderium, saltem efficienter & per concomitantiam. Hinc advertens S. Isichius Mariam completum esse hoc trium Divinarum personarum desiderium, meritò concluſit hoc Virgini Deiparæ convenire & deberi encomium: *Maria est complementum Sanctissimæ Trinitatis.*

Apud Theolog.

Hoc modò (N N.) velim. Ad vitam Patriarchæ Abraham mentis aciem convertamus & in ejus actionibus sanctis ceu totidem mysterioſis litteris æterna hæc Divina desideria perlegamus. Præibo.

Dominus Deus volens experiri fidelitatem servi sui, ad eum modum quo Aurifaber crebris ictibus argenti puritatem explorat, mediâ nocte dormientem vocat *Abraham, Abraham.* Ille statim ac expertectus, respondet promptum se & paratum ad audiendum & in omnibus obsequendum : atque illi Deus : *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum, super unum montium, quem monstravero tibi.* Hoc volo, & jubeo, obedi statim & omne id exequere. Voce Domini non interiit Abraham: verbo enim Domini protrahitur vita, non corripitur : sic tamen ille sensit interiùs, ut gravissima ex imo pectoris eruperint suspiria: è strato surgit, sedetque tristis & manibus incumbens capite, dejecto vultu, demissis in terram oculis tacitè secum pensitabat dissidium humanitatis & affectus paterni unde patricidii & tyrannidis arguebatur. Conscientiam mea n(inquit) interrogem, culpam non objiciet, ob quam in filium meum crudeles manus injicere cogar. Dubitem an non fortassis ægrè tulerit Deus inordinatum meum & Saræ uxoris gaudium in nativitate filii mei Isaac : Vel certè vereor ne displicuerit convivium nimis lautum & splendidum, cum ablactatus est infans, unde forsitan superbiæ sim culpandus: Aut putet Deus ob hanc de filio meo felicitatem me sine cura salutis vivere, aut beatitudinis esse contemptorem : Crediderim id Saræ suppliciuni esse, quod in credendo fuerit tardior, cum nos habituros in senectute filium intellexit. Mille cogitationes irrepunt & turbant. Sed quid ? an somnio? non, quia surrexisse videor. Et licet in maxima animi angustia, & constrictione cordis inter lachrymas & singultus gemens hæc dabat verba: Absit hoc à me, Deus, absit ut tuæ ego voluntati resistam ? ne vel latum unguem ab ea unquam in vita mea recedam. Doleo quidem, fateor, non quod me præceptum tuum exequi oporteat, sed quia affectum paternum in me sentio, qui ad gemitum & has lachrymas commovet. Itaque filium expergefacit & famulos, & antequam dies illuceſceret, relictâ domo ad montem pergit. Cum eò jam perveniſſet, lapides collegit ex quibus altare construxit, ligna superimponens & filium Isaac, ut ita Dei justum adimpleret. O quanta hic erat Abrahami afflictio ! Passiones in corde ejus utrimque impetunt : affectus paternus movet, ut filio vitam donet : instat reverentia & honor Dei ut occidat & sacrificet : Sed timor Domini amorem sanguinis superavit. Oculos ergò obligat nato innocenti & super altare fortiter stringit. O Fili mi! (inquit) ne suspira, quia suspiria tua cor meum lancinant : non doleas Fili, alioquin morior. Tibi membra, Fili, mihi cor: tibi manus, mihi vitam hæc vinculâ constringunt : moriemur ambo. Quid diutius moror? Melius est filio privari, quàm Dei gratiâ. Affectum ergo patrium cohibens manu dextrâ gladium strictum elevat, ut Filiolum mactet : cum ecce subitò adest Angelus, manum suspendit & gladium retinet, dicens : *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum.* Quis hic Dei cogitationes assequatur & explicet ? Sacrificium persuadet, & statim iterùm dissuadet: mandat, & indè impedit : *Qui jusserat, ut feriret, modo vociferatur ut parcat.* Ita attonitus Augustinus ait: & sic etiam mirantibus nobis respondit. Quid putatis voluisse Deum, cum sacrificium præcepit? Abraham affectum quærebat, non effectum: obedientiam Patris, non mortem Filii. *Parce, devote Pater, parricida sine crimine parce, affectum tuum inquisivi, non factum exegi.* Sed cur in persona Isaaci effectum sacrificii impedivit ? Quis nesciat à Deo promissum patriarchæ Abrahamo,

Gen. 22.

S. Aug. apud Lippom. in c. 22. Gen.

hamo, ex ſtirpe ejus oriturum eſſe Dei Filium & incarnandum: Unde apud S. Lucam legitur: *Iusjurandum quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* Ita ad Elizabetham Deipara: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham.* Et Sanctus Paulus ſic loquitur ad Galatas ſcribens: *Abraha dicta ſunt promiſſiones. Quæ omnia* (ait Janſenius) *per adventum Chriſti impletæ eſſe conſtat.* Et Thomas Beauxamis Carmelita ſubſcribit: *Cum Abraham filium ſuum prompto animo & manu externâ mactaturus eſſet, ut Deo præcipienti morem gereret: Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti unigenito tuo propter me, multiplicabo te & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Vbi per ſemen Abraha intelligitur Chriſtus. Sicque verbis illis promiſit Pater Vnigenitum ſuum ex ſemine Abraha incarnandum.* Cum itaque Abraham non haberet niſi unicum illum filium, mortuo illo, ceſſaſſet ejus progenies ac deſcenſus, neque potuiſſet Dei deſiderium ad incarnationem adimpleri. Adeoque ut hoc votum ardentiſſimum quod ante ſæcula concepi (ait Deus) aliquando tandem impletum videam, abſtine Abraham, manum contine, ne occidatur, ſed vivat filius tuus Iſaac, ut per illum cupiditati ſatisfactum ſit, & mundo naſcar. *Parce devote Pater, parricida ſine crimine parce, affectum tuum inquiſivi, non factum exegi.*

Luc. 1. Ibid. Gal 3. Janſon. in Luc. c. 1. Inc. in Luc. Tom 1. S. Auguſt. ubi ſuprà.

Nec eſt veſtrûm aliquis (NN.) qui non aſſentiat, ex velocitate motus lapidis ad centrum colligi innatum deſiderium. Eodem modo ex velocitate curſûs Dei ad incarnationem facile eſt concludere & cognoſcere ardentiſſimum ejus deſiderium, quo erat accenſus. *Velocitas motûs provenit ex eo, quod homo explere feſtinat, quæ intendit.* Quando jam venerat plenitudo temporis, Archangelo Gabrieli Pater æternus ſuggeſſit, ut citiſſimè in Nazareth avolaret, & Mariæ Virgini decretum Sanctiſſimæ Trinitatis de myſterio incarnationis annunciaret. Promptiſſimè Archangelus obedivit, & in civitatem Nazareth properans, ad locum venit, ubi totius Univerſi Domina reſidebat: illam intuitus mirari ſatis non potuit gratiarum omnium vivum compendium, atque dubitare cœpit, an in terra novum aliquem paradiſum reperiſſet, an verò à cœleſti nondum ipſe deceſſiſſet. Reginam itaque dum profundè & reverenter honorat, florum omnium varietas depluit, Virginis crinem adornans, aërem (credo) depictura, aut certè terram novâ facie decoratura. Ave Maria (inquit) inter omnes ab Eva mulieres, tu ſola electa es & ſola benedicta, quam nulla unquam originalis macula inquinavit. Verè felix & beatus tuus ille ſinus, cum à rebus omnibus mundi vacuus, Deo ſit plenus, & ſummum bonum in ſe poſſideat. Contemplor enim in uteri tui Virginalis deliciis, quaſi in horto vivo, æternum habitatorem. Miror quia Dominum hic video, qui me legavit, volatum meum rapidiſſimum prævenisse. *Dominus tecum.* Qui me expediverat, citiùs tibi adfuit & antevertit.

Ariſtot. 4. Ethic D. Th. 1. 2. q. 129. a. 3.

Luc. 1.

Simile quid narrat Q. Curtius. Alexander conventum volebat Epheſtionem, & de re bellica conſultum: ideoque ephœbum ei legat. Sed vix ille receſſerat, cùm Alexander moram longiorem non ferens, breviori aliquâ ad Epheſtionem viâ ipſe feſtinavit, & ante ephœbum advenit, ita ut miraretur ille, neque ſciret, quid diceret. Epheſtion etiam attonitus, tantæ feſtinationis, quâ ſervum prævenerat, cauſam interrogavit: *Cur Dominus famulum præcurrit?* Alexander ait: *Epheſtionis fides & prudentia Alexandros ſpectatores habere debet.* Idipſum quod ephebo, etiam Archangelo evenit, cum dixit: *Dominus tecum*, videns quod Dominus antevertiſſet, ſed iſta velocitas à deſiderio eſt, quod Deum ad incarnationem inſtigabat. Eodem momento dimiſſo nuncio in viam ſeſe dat, feſtinatque præ amore, eoque devenit, ubi poſſit, cum ſua res agitur, quid nuncius ferat, quid amata contrà reſpondeat, audire. *Sed expreſſiùs ad rem noſtram alius ſic interpretatur:* Qui ad Virginem nuncium miſit, ipſe nuncium antevertit, Dominus tecum. Qui Angelum ad Virginem miſerat, ab Angelo apud Virginem invenitur.) Tandem ita D. Bernardus concludit: *Quomodò, qui Angelum miſerat ad Virginem, ab Angelo inventus eſt eſſe cum Virgine? Itanè velocior Angelo fuit Deus, ut feſtinantem nuncium celerior prævenisset ad terras?* Et inferiùs ſubdit: *Quid? Quem modò reliquiſti in cælo, nunc in utero reperis? Quonam modo volavit & pervolavit ſuper pennas ventorum? Victus es, O Archangele! tranſiliit te qui miſit te, & nimio pervolans deſiderio, prævenit ſuum nuncium ad Virginem, quam amaverat, quam ſibi elegerat, cujus decorem ſibi concupierat.*

Q. Curtius l. 3. Placid. Nigid Opuſc. 4. de devot. erga B Virg 10. Hofmeiſt. in Luc. c. 1. D. Bern. hom. 3. ſuper Miſſus.

Eo ergò tempore tantoperè à Verbo expectato, quo æterna deſideria complerentur, cùm adhuc lateret in Matris ſinu virgineo, exiit ab Auguſto Cæſare edictum, ut mundus univerſus deſcriberetur, & omnes habitatores. Joſeph &

Maria, ne contra legem facerent, diversorium Bethleemiticum petunt: sed erat hyems summa, tempestas frigidissima, intensissimum gelu & viæ difficillimæ. Tandem post molestias maximas ad vesperum in habitaculum declinant, sed derelictum, ubi nil nisi calamitosi temporis indicia apparebant. Eò ergo ubi venti undique conspirabant, gelu & nivis omnia plena, eò inquam divertit sanctus Senex, qui jam toto corpore rigidus præ frigore, manus halitu calefacere conabatur. Mariæ vestes nive & gelu concretæ, illaque toto etiam corpore tremens, aliud non reperit solatium quàm patientiam. Et hanc vim frigorum, hyememque quomodò bonus Senex in stabulo hoc tolerasset, ubi aquilo frigidissimus viscera penetrare potuisset, si non pallio senilia membra obarmasset? *Intrat igitur Virgo Regia pauperis hospitii incompositas angustias: intrat domicilium paleis & animalium stercore sordidatum* (ut describit S. Thom. à Villa Nova) *domunculamque vento & frigori per viam gratanter inhabitat. Non ibi sella, non lectus, non mensa, non ignis, non denique alia supellex prater humile præsepium pascendis animalibus aptum.*

Conc. 1. de Nat. Dom.

Hora erat partus felicissimi, & ecce statim turbidus aër serenatur, fit noctis temperies gratissima, & vetis adveniisse tempus putari potuisset. Terra, quæ nive jam obriguerat, solvebatur & jam leviter spirante Zephyro herbas exprimebat & flores pulcherrimos. Candor erat Lunæ fulgidissimus, cùm ecce Aurora speciosissima Solem illum peperit, qui Divinitatis suæ radiis vultum Joseph & Mariæ sereniissimum reddidit. Exultat cælum, resultat terra, adsunt Pastores læti, etiam oves ipsæ balatibus puerulo cælesti gratulantur, canunt Angeli, & Dei laudes mundo intonare non cessant. *Vestros levate oculos* monet S. Archiepiscopus Valentinianus) *& videte desuper Angelorum cuneos, velut apum examina circa puerum volitantes, & inter novi tripudia partûs mira Deo suo laudum præconia personantes. Erigite sursum aures & dulcissimam percipite harmoniam, quam nato Regi calorum intonant Potestates. Videte tripudium, attendite gaudium, sentite jubilum, quo universum undique personat cælum. Rutilat ingenti lumine atra prius nox, depulsoque tenebris, meridianum claritate suâ vincit fulgorem.*

S. Thom à Villa N. ubi suprà.

Quid te movit, æterne Deus, ut regalem thronum vilissimo præsepio præferas, & Angelicis concentibus raucos balatus? An ergo nescis, dum mundo nasceris, quia mala undique te obruent? Tentaberis plusquam Job: persecutiones tibi graviores imminent quàm David? calumniæ majores quam Abimelech. Quid si contemptus sis ut Gedeon, venditus ut Joseph, traditus ut Amasa, captus ut Goliath, ligatus ut Samson, accusatus ut Abner, derisus ut Elisæus, spoliatus ut Jeremias, percussus ut Michæas, crucifixus ut Machabæi, suspensus ut in deserto serpens, occisus ut Abel, transfixus lancea ut Absalom, sepultus ut Jonas; Nihil horum absterret, sed ad majora ferenda provocat amor nostri; & continuum desiderium conversandi cum hominibus id effecit, ut pœnas antetulerit commodo, miserias felicitati, injurias honori, odia ac inimicitias gratiæ & favori, incommoda deliciis, spinas floribus, laborem quieti, ignominiam gloriæ, crucem denique coronæ. Hoc unicum Deo curæ & cordi, incarnari & cum hominibus conversari.

Nascitur ut alter Moyses, qui à peccati tyrannide liberet: ut Noë, qui arcam Sacramenti fabricet: qui ut Salomon Ecclesiam Catholicam fundet ac erigat: qui ut Daniel à Satanæ illusionibus defendat: qui ut David infernalem gigantem dejiciat, quemadmodum ab effectibus probat Petrus Damianus his verbis: *Verus David Salvator Israel contra Philistæos, id est, adversus malignos spiritus dimicavit: percussit Goliath Getheum: quia dum electorum animas de gehenna claustris eripuit, antiquum hostem, qui super eos tyrannidem exercebat, lethali vulnere saucia-vit.*

B. Petr. Damian. lib. 2. Epist. 20.

Asserunt alii incarnatum esse & natum, ut humanitate suâ velut instrumento miracula & prodigia operaretur. *Ideò quia est organum conjunctum Verbo Dei, habet quod sit universale Dei instrumentum ad omne opus miraculosum*, aut verò, ut passione suâ nos redimeret & justos faceret *Ideò ex ipsa passione determinata est ejus humanitas, ut sit instrumentum justificationis.* Et ut resurrectione suâ vitam redderet, *per ipsam actualem resurrectionem humanitas Christi constituta est instrumentum efficax ad resuscitandos homines.*

Ægid Lusit. l. 1. de beat. corp. q. 5. a. 5. §. 48. Idem ibid. & Cajet. 3. p. q. 56. a. 1. Suarez. T. 1. disp. 31. sec. 8.

Alii distinctionem adferunt: aliter enim causari gratiam à Sacramentis, aliter ab humanitate assumpta docent. (Respectu gratiæ, humanitas habet se ut instrumentum conjunctum: Sacramenta verò ut separata: & licet utraque sint instrumenta: perfectiorem tamen modum operandi habet instrumentum conjunctum, quam separatum.) Undè ut perfectiori modo det gratiam, sicut excellentiori non posset, humanitatem accepit & natus est mundo.

Calest. Frun. quodlib. de caus. grat. cap. 3.

Reli-

Relicto tamen motivo Theologico morali, crediderim præcipuum hoc fuisse, quia Deus quasi impatiens, diutius absque humanitate esse non posset & absens ab homine, sine, quo nihil ipsi gratum, nihil delectabile videbatur.

Gen 6. Annotat Tertullianus, ubi videbat Deus quod *omnis caro corruperat viam suam*, & quod *omnis cogitatio hominis intenta esset ad malum*, doluit, in eo statu hominem versari, *tactus dolore cordis intrinsecùs*. Ut quid tristis es, Domine, & peccantis te miseret? Ex delicto sequatur supplicium, & si castigando hominis consortium tollas, Angeli non deerunt, ad laudem tuam & obsequium semper proni. Quinimo homo ipse doleat, & jacturam amarè deploret: perdidit enim omne bonum à quo summa ipsi felicitas expectari possit. *Quare doles?* (petit Tertullianus) *nonnè erat infinita Angelorum multitudo? ne doleas igitur hominem ingratum*, Curtat ipse vitiis sceleribusque contaminatus, & ruat præceps in pœnarum abyssum. Ah! non hoc sentiam ego? non intimè doleam, cùm peccando separetur à me homo, atque amoveatur longius quàm cælum à terra? Intolerabilis mihi dolor est. Atque hunc bene exprimit Oleaster, ubi sic ait: [Et angustiâ affectus est ad cor

Oleaster Genes. c. 6. suum. Significat verbum Hasab, ut jam diximus, premere, comprimere & angustiari: & sensus est, quod Deus habuerit se ad modum hominis, cujus cor angustiâ afficitur, aut angustiis premitur.]

Itaque ut malo isti obviaret, Video (inquit,) non curat homo ad me venire: ibo ego obviam, ut cum illo possim conversari. Ideo *Verbum caro factum est.*

Ioan. 1. Postquam à Deo per peccatum longiùs Adam discessit, non potuit Deus, quin statim illum quæreret: *Adam ubi es?* Et præ timore cùm apparere non esset ausus, audivit tamen vocem Gen. 3. Dei, & observans Creatoris passum, videt lento gradu pedetentim in paradiso incedentem. *Audivit vocem Domini deambulantis in Paradiso.* Ad Gen. 3. quid dicitur *deambulantis*, & non *ambulantis*? *Ambulare* propriè significat longiùs ire. *Deambulare* solùm importat gravem incessum de loco

Ambr. Calepin. ad locum revertendo intra idem spatium. Modo igitur isto gradiendi, sic visus est indicare: Vide, Adam, tametsi me offendisti, non ambulo, quasi verò procul à te velim recedere, sed deambulo solùm, eò quòd tecum conversari delecter, & ne vel ad breve spatium à te abesse patiar. Ita obser-

Hugo Victorinus h. 8. in Eccl. vat Hugo Victorinus: Deambulabat & non discedebat, neque abiit in desertum elongans se, quasi irrevocabilis, nec reversurus amplius! sed propè gyrans & juxta deambulans abiit, modò vadens, modò rediens & magno quodam incendio æstuans, quasi nolens sedem suam deserere, expectat, si fortè invitetur ut veniat.]

Nonnè animadvertistis aliquando, Reverendi Patres Sacerdotes, quid velit aquæ & vini commixtio in augustissimo Missæ Sacrificio? Mysterium hic est; conabor pandere. Vinum ex vi verborum consecrationis in Sanguinem Domini verè & realiter transubstantiatur, & per concomitantiam cum Sanguine adest Divinitas, humanitas, corpus atque anima Christi, sic ut verè dici queat: Sub his vini speciebus Christus continetur verus Deus & verus homo. Dogma Theologorum est & indubitata fide tuendum. Sed in quem finem ordinavit Ecclesia, ut cum vino misceatur & guttula aquæ? O profundum Mysterium! Per aquam fideles designantur: *Aqua ejus fideles sunt.* Cardinalis Ægidius Archiepiscopus Bituricensis expressè confirmat. *Aqua frigida ipsum populum figurat, vel ipsa Christi membra.* Dicite modò: Quid si cum vino sanguis non nasceretur? esset-ne Sacramentum? esset, (ut ait D. Paschasius,) hoc tamen sequeretur, quòd *si vinum sine aqua offeratur, Sanguis Christi incipit esse sine nobis.* Undè quia etiam gloriosius existens cum homine unitus esse volebat, vino admisceri aquam præcepit: [Ne igitur Christus incipiat esse sine nobis, aqua cum vino miscetur.] Cardinalis, ubi suprà, ita concludit: [Hæc aqua vino unitur, ut detur intelligi quòd propter hoc Sacramentum per charitatem & dilectionem, populus Christo, & membra suo capiti conjungantur.]

Ad Evangelium S. Lucæ veniamus, ubi de Salvatore nostro legimus quomodo oraturus Patrem cælestem in Horto Gethsemani, se abstraxerit à discipulis. Duo annotantur ab Apostolo, 1. *Avulsus est ab eis.* 2. *Quantum jactus est lapidis.* Ut quid decessum ejus à Discipulis memorans usus est verbo *Avulsus*, & non potiùs quæ magis propriè significant, *Discessit*, *Abiit*, & hujusmodi quæ idem sonant? Avellere enim non denotat propriè recessum hominis unius ab altero, sed plantis proprium est avelli, quæ, cùm radicibus firmiter terræ inhæreant, non nisi vi maximâ difficulter erui possunt. S. Lucas metaphoricè hic loquitur, q.d. Ægrè à charissimis Filius Dei abscedere potuit, neque minorem hic sensit resistentiam quam planta, quæ radices jam egit, dum è terræ visceribus violenter extrahitur. *Avulsus est.* i.e. invitus & lachrymans ab eis quatuor passus

Isa. 33. Ægid. Colum. de celebr. Miss. P. 2. D Paschas. de Pass. Christi.

D. Paschas. ubi suprà Ægid. Col. ubi supra Petr. Lomb. Philo Carp in Biblioth. vet. pp. Thom. 4.

Luc. 22.

recessit. Audiamus Jansenium Antistitem Gandavensem: (Notatu (*inquit*) non indignum, quod Lucas dicat non recessisse à suis, sed avulsum: hoc enim significat ipsum ægrè à suis recessisse, sive propter suum in illos amorem, qui facit, ut cum difficultate amicus discedat ab amico: sive etiam ob animi mœrorem, naturaliter fit, ut adhæramus amicis, à quorum consuetudine aliquid accipimus solatii: non enim vel amor, vel potius mœror patiebatur eum longè divelli.)

Jansen. in c. 22. Luc.

Quantum ad secundum, quod S. Lucas notavit. *Quantum jactus est lapidis.* Scire nunc vellem, quare S. Evangelista hanc adferat similitudinem & præcisè dicat Christum ab Apostolis recessisse ad jactum lapidis, non ultra? An non satis erat dicere, *Avulsus est ab eis*? Crediderim eò dictum, ut innueret quòd ne vel ad passum unicum voluisset ab illis recedere: nec immeritò: siquidem divelli non potest amans ab eo quem amat: quomodò divelli possit ab hominum consortio Christus?

Luc. 22.

Paulus de Palat. in Matt. c. 3.

Dici possit. Rex Salomon Divinum hoc factum Spiritu prophetico prævidisse. Annulum habebat pretiosissimum & viridi smaragdo insignem, in cujus medio sculptæ erant duæ coronæ, una ex auro, ex spinis altera, interjecta hac notula. *Victoria amoris.* Annulus verè mystorii plenus. Quid corona aurea nisi Divinitatem designet? Quid spinea, nisi nostram humanitatem, labores & miseriarum spinis circumseptam? Amor tamen, cujus virtus est unitivà, non permisit Divinitatis ab humanitate separationem, & talis mansit inter utramque coronam unio, ut unica sola dici potuisset. Ita inter Deum & hominem talis est unio, ut per communicationem idiomatum, & unionis hypostaticæ, prædicata de uno æquè possint & altero verificari: sic ut verè dicatur, Deus est homo, & homo est Deus, ex vi scilicet talis unionis: & quemadmodum doctè scriptum ab Athanasio, *sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.*

Apud G Amat. in conc. Nat. Dom.

D. Athan. in symb.

Eccur, Auditores, arbitramini in Nativitate Filii Dei, Angelos in æthere dulcisonis concertare vocibus & gratissimam facere musicam? Cùm enim mundo nasci voluerit pauper & inops, ut quid more nascentis principis lætitiæ modulos & concentus Angelicos habere desideravit? Nascenti in præsepio non tam dulcis musica convenit, quàm rauci pecorum balatus.

Audistis, ni fallor, quod de Philippo Macedonum Rege Annales testantur. Regi semper placuit Bizantium, tantaque ejus cupiditate tenebatur, ut in ea aulam instituere meditaretur & continuam residentiam: Militem undique congregat, ut fortissimus subitò fieret exercitus, ut sic vi & armis Bizantium petat, invadat, & occupet. Cùm itaque pergeret festinanter exercitus, vidit Philosophus quidam & miratus tantam armati militis multitudinem. Quid (inquit) tam furiosè Bizantium impetitis? Rex protinus ait: Civitatis illius tam vehemens me cepit cupiditas, & tam ardenter desidero in ea morari, ut si abesse diutius cogar, alium in mundo locum deliciarum superesse, nemo persuadeat, ut facilè credam: universam Macedoniam perdidisse reor, si non Bizantium possideo. Et si hanc civitatem solùm obtinuero, contentus ero, neque est aut erit quod curem magis. Subdidit Philosophus: Depone ergò arma & bellicum furorem compesce, atque musica instrumenta accipias, dulcissimo vocis modulamine & sono citharæ gratissimo contendas, non armorum strepitu; iram cohibeas & potius in amorem convertas; ita faciens certo certius vinces, ac votis potiri licebit. (Qui tedamari cupiunt, haud quaquam cum gladiis venire solent ad fores amatorum: amantes enim non egent bellicis instrumentis, sed egent civilibus)

Abs dubiè poterat Deus, cum venit in mundum, armare Angelorum cohortem & aciem instruere contra Herodis tyrannidem & tot inimicorum insultus: comparere tamen maluit musicorum choris instructus, & suavissimis movere concentibus, ut sciret mundus, quia veniret ex amore, cupiens conversari cum homine, cum eòque morari, sine quo neque Paradisi deliciæ gratæ sint: unica hominis civitas & sola arrideat sic, ut cum solo homine cæli gaudia plena esse posse videantur.

Apud Aresi. de Tribul. tract. 46. num. 5.

Sit inter spinas cum homine, jacere in floribus reputabit: sine homine in floribus commodè sit, in spinis vetsati videbitur. Duobus in locis sponsus de lectulo, in quo quiescebat, loquitur: primo *Lectulus noster floridus*, ait: secundo (licet dixerit sponsa à sponso, tamen dictum intelligi possit, cùm illis omnia communia sint.) *In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea.* Observate hic mecum loquentis utrobique differentiam. Primò lectum ornatum dicit conspersum liliis, rosis & omnigenis floribus. *Lectulus noster floridus:* post verò retractare videtur, cum de floribus non ingerat mentionem. Si tamen unus est & idem lectulus, ut quid modò floridum vocat, modò non? Ex difficultate altera, quam S. Thomas à Villa N. movet, eruenda solutio. Advertit

In Cant. c. 1.

ipse

ipſe à ſponſo dictum primo loco, *Lectulus noſter: non ait, tuus, non ait, meus, ſed noſter, in quo pariter recumbamus, pariter quieſcamus, pariter obdormiamur:* ſecundo autem *in lectulo meo.* Ibi dictum *noſter*, quia etiam aderat ſponſa, ſcil. anima noſtra, & quia cum ea erat, lectulum floridum dicit, deliciosum & glorioſum: ubi autem dictum. *In lectulo meo*, quia ſolus erat, lectus ſine floribus, ſine gaudio videbatur & plenus ſpinis, ut bene notat Gilbertus Abbas (Lectulus noſter floridus, quia communis eſt, quando verò proprium lectum ſuum dicit, nulla ibi fit mentio florum.)

In Cant. 3. ſerm. 2.

Propheta Iſaias Verbi incarnati præconem agens & Nativitatem ejus glorioſam mundo annuncians, ita prædicit. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet.* Iſaiam prædixiſſe nomen, prudenter id factum. *Nomina* enim (teſtis eſt Romanæ facundiæ princeps Tullius) *tamquam rerum nota.* Et Ariſtoteles: *Nomen dicitur à notificando.* Et vult D. Thomas Aquinas: *Nomina debent proprietatibus rerum reſpondere.* Ut ergo ſciretur qualis eſſet futurus Meſſias, prædixit nomen *Emmanuel:* at etiam addidiſſe quid pro cibo eſſet habiturus, butyrum ſcil. & mel comeſturum, hoc ſanè miror. Ad quid minutum hoc ſcribere, præſertim cum felle, aceto & myrrha miſcenda etiam forent? Reſpondent SS. PP. Irenæus, Chryſoſtomus & Bernardus, quod Propheta, cùm partum Virginis Divinum dixerat, hoc addito. *Butyrum & mel comedet*, humanum etiam fore indicarit; *ac ſi dicat: Parvulus erit & veſcetur infantilibus alimentis.* Interpretes alii ſic exponunt: *Propheta hoc loquendi modo indicat puerum Ieſum in terra ſancta naſciturum eſſe, quæ ſæpè in ſacris litteris tanquam abundans lacte & melle collaudatur.*

Iſa. 7.

Cicero. Ariſtoteles. D Thom. 3. p. q. 39. a. 2.

Iren. l. 3. c. 26. D. Chryſ. Tom. 5. D. Bern. ſerm. 2. de advent. Dom. Didac. Alvar. in c. 7. Iſa. Salaz. in c. 8. Proverb.

Ad rem noſtram aptius eſt reſponſum Pattis Salazar, & verus ſcripturæ ſenſus. Ea eſt ejus opinio. *Butyrum & mel comedet*, idem eſt ac ſi diceretur: Quando natus erit Jeſus & cum hominibus converſabitur (quod importat *Emmanuel*, id eſt *nobiſcum Deus*,) fruetur deliciis ſuis & in paradiſo ſuo erit. (Poſtquam enim dixit: Vocabitur nomen ejus Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus, ſtatim adnectit, Butyrum & mel comedet, quaſi dicat: Inter homines converſari, dirigere atque illos lucrari mellis atque butyri loco ponet, quibus nihil eſt in deliciis ſuavius.)

Regius Propheta David iteratis votis & precibus Meſſiæ adventum deſiderabat, & exclamare ſic ſolitus: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca ſanctificationis tuæ.* Cur tam diu ſpem noſtram cruciat æterna Sapientia? cur non de cælo in terram feſtinat, ut in miſeriis ſuccurrat & ſublevet? Aſſerunt Expoſitores S. Scripturæ hunc eſſe ſenſum? (Per Arcam Chriſti intellige corpus ejus, quod Chriſtus de Maria Virgine traxit, in quo habitabat Divinitas.) Ita Michael à Bononia Carmelita, S. Auguſtinus ſic ſcribit: *Corpus Chriſti, quod ex Maria natum eſt, intellectum eſt à quibuſdam Arcam eſſe ſanctificationis.* Hic certè quidem Davidici eloquii eſt ſenſus: (Surge cum corpore, ut palpent, qui non credebant. Per arcam enim ſanctificationis intellige glorioſam Virginem Mariam, quæ & arca Chriſti dicitur, quia in ipſa Chriſtus novem menſibus habitavit. (Hoc ſenſu igitur vero, pulchrum movet dubium Cryſippus Presbyter. Quomodò fieri hoc poſſit. Deum è cælo, ubi coronatur gloriâ, & adoratur ab Angelis, in mundum venire, ut requieſcat: Si humanæ etiam naturæ ſubjectus hic infirmitatibus, ſi nec à miſeriis & calamitatibus, neque ab impiorum perſecutionibus erit liber, quomodò dici poterit venire à labore ad requiem? *In requiem tuam*, Ergonè in tumultu bellico pax, in commotione quies, aut in tempeſtate tranquillitas reperietur? Quid ergò ſic orat Pſalmiſta, *Surge Domine in requiem tuam*? Cælum, fateor, locus eſt quietis & tranquillitatis pleniſſimus; neque tamen Deum quies ulla delectare videbatur in abſentia hominis: ſed ubi cum homine eſt in ſummis mundi calamitatibus, deliciis affluit & optatiſſima quiete perfruitur. (Quam requiem ſuper terram præſeripſiſti, & in Bethlehem conſtituiſti, utpote præſepe, ſtabulum & faſcias.)

Pſal. 13.

Incognitus in Pſal. 131. D. Auguſt. ibid.

Cryſipp. de laud. B. V. M.

Deus adeò converſatione noſtrâ recreatur, ut locum eum, ubi eſt homo, paradiſum exiſtimet: ſicut cælum empyreum, in quo Deus exiſtit, pro paradiſo non haberetur, ſi abeſſet & omninò excluderetur homo; non quod realiter ſecundùm ſe paradiſus non eſſet, ſed quod à Deo ut talis non reputaretur. D. Hieronymus & Rupertus Abbas paradiſum terreſtrem tertio die creatum eſſe exiſtimant, & tamen hoc etiam certum, non niſi ſeptimo die paradiſi titulum accepiſſe, tuncque dictum eſſe deliciarum locum. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio.* At verò ſi & Paradiſus tertio die locus voluptatis erat, ut quid non talis tunc declaratur, ſed tandem die ſeptimo recreationis locus & deliciarū enunciatur? S. P. Ambroſius reſpondet, paradiſum tertio quidē die fuiſſe voluptatis & deliciarū

D. Hier. Rupertus Abb. l. 2. in Geneſ. c. 25.

locum,

locum, non tamen sic Deo visum, sed potiùs horridam solitudinem & triste desertum; quia homo non aderat, utpote cum nondum esset creatus: at statim ac homo in Paradiso est positus, ibique cum eo Deus conversatur, paradisus vocatur & omnigenæ voluptatis locus, ubi bene & feliciter viveretur. Siquidem, teste Divo Augustino, *Paradisus est regio ubi anima bene est, & feliciter vivitur.* D. Ambrosius ad rem nostram sic ait: *Iam Paradisus constitutus erat; sed quamdiu homo non extitit, Dei voluptatis Paradisus non erat: ubi autem primum homo creatus est, Dei Paradisus nominatur; delitiæ enim esse cum filiis hominum.*

S. August. l. de præs. Dei in Milleloq D. Amb.

Ad novum Testamentum pergere jam lubet, & de præsepio ad crucem pertransire, ut propositam veritatem confirmemus. Non admodum credibile videri posset, quomodò promissum Latroni paradisum concesserit condicto tempore. *Hodie mecum eris in paradiso. Hodie?* si nec paradisum obtinuerit latro nisi elapsis quadraginta post diebus, quomodò verè dictum sit *Hodie:* Quomodò promissum solverit? Responderet fortassis aliquis cum Anastasio Sinaita, verificari promissum quantum ad sententiam die dicto; quantum verò ad experientiam, ipso die Ascensionis, Sed paulò altiora speculemur & digniora. Dicite, Auditores, quò ferebatur illo die anima Christi, nec non illa boni latronis? Ad limbum utraque properabat. An non ergo Paradisum Salvator promisit? In limbo SS. Patres detinebantur: unde cum dixit Salvator: *Hodie mecum eris in Paradiso*, limbum intendit, pro paradiso suo reputans, cum animabus illic residentibus conversari. Audiamus S. Anastasii verba. *Si ille primus voluptatum locus paradisus vocatus est, quia Dei delitiæ sunt esse cum filiis hominum, ubicumque cum illis sit, secum habebit paradisum. Vnde ideò paradisi nomine limbum appellasse mihi videretur, quia ibi cum hominibus esset.*

S. Anastas. Sinaita q. 73 de bono Latrone.

Hic advertite (N N.) Cùm filius principis nascitur, lætitiam apertissimè subditi ferunt, ignes triumphales excitant, & abundantiùs pecuniam spargunt. Natus est Dei magni Filius, si lætitiam inde Christiani, accipitis, per actum charitatis erga Divinum puerulum ostendite: ecce enim amore nostri summo frigore constringitur in præsepio super paleam, & ita egenus, ut nil etiam suppetat ad corpusculi tegumentum. In maxima ergò egestate succurrite; quandoquidem ideò natus sit, ut miseriam nostram ferendo sublevaret. An non nudum contemplamini? Maria compatitur, nec habens quo tegeret, sibi velum de capite traxit ad involvendum. Confundimini hic Catholici, & vos tanta paupertas commoveat ad miserendum. Ad alteram partem progredior.

PARS SECUNDA.

VT natus est Jesus, statim fasciis mater involvit & in præsepium reclinavit, ubi pro strato molli nil nisi fœnum & palea. *Hoc spectaculo attonitus Ioseph tremebundus adstabat, contremiscit & gaudet, turbatur & exultat, nec suum in Virginem audet attollere vultum.* Ita contemplantem & reverentem Senem inducit S. Thomas de Villa Nova. Superabundo gaudio ô formosissime puer! cum te jam attonitus video, non in somnio aut charta exhibitum, sed in vera carne decoratum & Solis instar refulgentem intueor. Fac, obsecro mi Divine puer, ut vitam naturæ reddam, ut mortalitatis hac arcâ jam nunc egrediens, instar columbæ ad limbum evolem, ut Patribus illic gementibus & ad æternam felicitatem suspirantibus Olivam pacis exibeam. Sed tamen hac me legatione indignissimum cum judicem, osculer obsecro, pedes illos sacratissimos, Divinitatis radiis effulgentes.

S. Thom. à Villa N. conc. 1. de Nativ. Domini.

Quis Deiparæ lætam hic sortem exprimat, & amoris excessum? Adorat Mater, quem peperit Filium, & priùs ut Deo, devotum offert mentis obsequium, quàm ut puero, necessarium exhibeat matris officium. *Quis tuam, Virgo, nunc explicet mentem? Quis tui cordis gaudium valeat reserare, cum Dei tui, Creatoris tui Matrem te vides, & virginem gaudium matris habentem cum virginitatis honore?* Crediderim exultasse gaudio, & præ lætitia inenarrabili non tenuisse lachrymas, iisque sic indicasse cordis affectum: O mi chare puer, mel merum & delitiæ meæ! ut quid cælum non hoc mihi indulsit, ut cunas habeam & fascias auro gemmisque pretiosas? aut certè cur non cælum mihi sedes est & pro monilibus rutilantes stellæ? Et fuisset Deiparæ longior ea meditatio, si non interrupissent Pastores, qui jam advenerant Regem visuri & in præsepio vagientem adoraturi. Exultant lætitiâ, atque cantu vocum, nervorum ac tibiarum unisono musica suavissima audiebatur, & gratissimo Angelorum concentu cælum terraque resonabant. Neque aliquis facilè dicat, quanta fuerit Virgini Matri lætitia, videre rusticam illam opilionum turbam & pissimam simplicitatem. [Quantum horum devotione simplicium Virgo lætata est; quantum de illorum præconio jucundata gaudebat! gaudebat, quia cælestium unguentorum odorem

S. Thom. à Villa N. ubi suprà.

Idem ubi suprà.

odorem jam mundus odorabat, & in eorum fragrantiam (ſicut ſcriptum eſt) ſponſa currebat; gaudebat & tacito intus animo cuncta volvebat] Hærebat attonita Virgo conſiderans quàm ſit mirabilis Divini Numinis providentia, cum jam in anguſto corpuſculo immenſitas concluditur, in terra cælum, & in eodem ſubjecto ſumma abjectio ſimul & ſuprema majeſtas reperitur. Contemplari ſatis non poterat Deum jam puerulum. O mirum! Simul hic omnipotentia eſt & infirmitas, atque in divitiarum abundantia etiam ſumma paupertas. Quid putatis, tum dixerit Sanctiſſima Mater? crediderim præ admiratione nimia conticuiſſe, & cùm verbis non poſſet, profundo ſilentio egiſſe.

O quàm lætum hoc, quàm glorioſum ſpectaculum! verè beata viſio! Utinam, ô pia anima, præſens adfuiſſes! *Videres* (ait ſanctus Archiepiſcopus Valentianus) *Angelorum cuneos, ruſticis hominibus & jumentis permixtos, ſolo proſtratos, reclinatam in præſepio adorare Majeſtatem: nulla in eis ambitio dignitatis, ubi tanta inſpicitur humiliatio Majeſtatis; admirantur, attoniti ſtupent, hærent, reſpiciunt ſe mutuò, neque valent præ ſtupore proferre ſermonem. Harmonicis alii canticis foris reſonant, & laudibus modulantur amœnis: agglomerantur ad puerum ſicut apes ad favum, aſcendunt & deſcendunt ſuper filium hominis, ingrediuntur & exeunt.* S. Thom. à Villa N. ubi ſuprà.

Huc adeſte Fideles jubilate cum Angelis, adorate cum Maria, cum Joſeph & Paſtoribus: *Delectamini in Domino & exultate in Deo Ieſu veſtro.* Acceleratе, & unà *tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis.* Venite Chriſtiani & videbitis non, ut olim populo Iſraelitico evenit, diviſum mare, ſed immenſitatis oceanum intra corpuſculi tenerrimi anguſtias contentum: non jam rubum in mediis flammis incumbuſtum, ſed Virginem miramini, quæ caſtitate illæſâ peperit Deum: non virgam Aaron ſine ſucco floridam, ſed Virginem ſine operatione humana paradiſi florem germinitatem oſtendam: non hic Moyſes exponitur in fiſcella ſcirpea ſuper aquas, ſed Rex mundi in præſepio vagiens collocatur. Videte non columnam igne accenſam, ſed Deum amore æſtuantem: non modò Prophetam miramini minorantem & membra contrahentem, ut puerulos coæquans, vitam & ſpiritum infundat; ſed majeſtatem immenſam contemplamini parvuli corporis membris circumſcriptam, ut vitam nobis donet & æternam gloriam. Aſpicite, non Solem ſtupente naturâ retrogradum: ut Gedeonis tempore factum; ſed eum intueamini, qui modò nube obductis Divinitatis radiis prius ad humilitatis occaſum ferebatur, quàm ad orientem vitæ tranſcenderet. O miracula numquam antè audita! Quis umquam media nocte Solem clariſſimè radiantem conſpexit? Undè dulciſſimo verſûs modulamine accinit Poëta: Pſ. 101. Luc. 1. Exod. 14. Exod. 3. Num. 17. Exod. 2. Exod. 31. 4. Reg. 4. Ioſue 10. Petr. Michel part. 2.

Deh quando sudi mai.
Che moſtraſſe di notte il Sole i rai?
E pure in notte luminoſa, e pura.
(Stupiſci alma Natura)
Ecce ſpuntar' io ſcerno
In terra il Sol' chè ſu nel Cielo eterno.

Hìc paululum, Devotæ animæ, ſiſtite, & innovato Gentilium ritu, novum Solem ardentibus votis adoremus: oritur enim ex autoræ virginalis ſinu.

En puellus è puella
Noctu Numen prodiit,
Huc adeſto quiſquis aves,
Noctu Solem viſere,

Marcus Bett. Entrap. 28. l. 4.

O mi Sol formoſiſſime, theſaurus meus es & omnia! ô puerule deſideratiſſimè! quò te amor noſtri impellit, ut pro nobis humanæ vitæ miſerias ſuſtinere delectet? Plangentem video, ſed lachrymas illas ceu totidem gemmas pretioſiſſimas in vultu tuo dulciſſimo nitentes lego. Fletus ille tuus ad gaudia nos provocat, & inſtar tubæ triumphalis, ad æternam felicitatem invitat. Cinctus es panniculis lacens, ut immortalitatis divitè veſte nos ornes: in arctiſſimo præſepio jaces, ut ad cæli faſtigium exaltes, & nos in throno gloriæ colloces. Animalium non ſpreviſti conſortium, ut Angelorum ſocietati nos inſeras: nutritus es lacte Beatiſſimæ Mariæ virginis, ut ſupremæ beatitudinis ambroſia lætari nos facias.

O amabiliſſime puer! quàm vultus tuus decorus eſt, in quo vororum omnium ſumma exprimitur! Non me jam terrebunt noctis tenebræ, cum te ceu Lunam ridentem intueor, O vita animæ meæ, quid pro tanta dilectione retribuam? utinam amoris ulnis amplectar, quem in ſpiritu humilitatis contemplari non deſino.

Io ti miro, ti godo, e ti vagheggio,
Es' abbraccio, e ti bacio, e ti vezzeggio.

IN FESTO
S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

ARGUMENTUM.

Invictus Christi Proto-martyr saxis obruitur & fortiter ictus excipit, cùm non eum absterret cruciatus, sed summa dulcedine perfunditur; quia nihil in saxis doloriferum reperit, ubi cœlo se effundente, virtutis arbitrum ad dexteram Patris stantem Christum habere se vidit. Primus mortalium pro fide Christiana sanguine subscribit, ut purpurati in cælo agminis fieret antesignanus.

THEMA.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Video cælos apertos & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Actor. cap. 7.

Aristot. de Animal. Ovid. 15. Ioan. à S. Gemin. de natabil. & volat. c. 64. Ravis. in Offic. Herodot. Claudianus de Phœnice. carm. 3. ad Virg.

MIrandum est & propè incredibile quod de Phœnice Soli sacro ab antiquis refertur. Annos sexcentos ac sexaginta vivit ea avis, tum fracta senio, vitæque longioris pertæsa, naturali ductu è lignis odoriferis nidum struit, qui Solis ardore rogus fit funebris & tumulus. *Senescens casia, thurisque surculis construit nidum, quem odoribus replet, & super emoritur*, ubi alarum agitatione ignem à Solis radiis concepit, comburitur, ut sit favilla, Si Claudiano credimus.

Solis fervor alit, ventosaque pabula libat.

Metamorphosis hìc sanè mirabilis, ubi tumulus in cunabula, ubi mors in vitam mutatur, ubi temporis meta gloriosè transcenditur, & beneficio Solis ac flammæ ab occasu ad perpetuum vitæ orientem pervenitur; ut meritò accinat S. Gregorius Nazianzenus.

Vt Phœnix moriens primos revivisçit ad annos,
In medijs flammis post plurima sæcla renascens:
Atque novum veteri surgit de corpore corpus.

D. Zeno Episc. Veron. serm. de resur.

Etiam Zeno expressè sic habet: (Cum maturum lethi tempus advenerit, à semetipsa invitatis sacris ignibus libentissimè concremetur: sepulchrum nidus est, illi favillæ nutrices, cinis propagandi corporis semen, mors natalitius dies. Denique post momentum exultat in tumulo non umbra, sed veritas; non imago, sed Phœnix, non alia, sed quamvis melior alia, tamen prior ipsa.)

Ut instar Phœnicis Protomartyr Stephanus immortalis evadat, non in montibus Arabiæ odorifera colligit ligna, sed in torrente durissimos lapides, pectus exponit radiis ejus, de quo dictum, *Sol justitiæ Christus*, nam *vidit Iesum stantem à dextris virtutis Dei, & inter æthereos aulæ cælestis sinus Divina ei claritas fulsit.* Alàs desiderii agitat & videtur cum Apostolo loqui: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* S. Spiritus ignem in pectore concipit: *Stephanus plenus Spiritu sancto.* Amoris Dei & proximi flammâ etiam ardet: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Mortis exuvias abjicit, & immortalitatis gloria decoratur. *Cum hæc dixisset, obdormivit in Domino*, ceu potius (ut cum D. Fulgentio dicam) *depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cœli palatium regnaturus ascendit.* O Stephane! O vere Phœnix! Quid hoc tamen? non te lapides cruciant, neque sentis ictus, ut testatur Ecclesia, *Lapides Torrentis illi dulces fuerunt.* Cùm ad conflictum ibat & comparebat Alexander Macedo, sic milites accendebat, ut ipso præsente nec arma nec hostes timerent, non labores subterfugerent, non periculà nec imminentem mortem. Cælos apertos Stephanus vidit & spectatorem Filium Dei habuit: *Video cælos apertos & IESVM stantem*: propterea *lapides torrentis illi dulces fuerunt. Si enim minaces nauis Pelagi fluctus* (ut verbis Sancti Chrysostomi dicam) *si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædesque militibus, si gravissimi illius plagæ pugilibus leves videntur & to-*

Actor. 7.

Philip. 1.

Serm. de S. Steph.

Plutarch. de rebus gestis Alexandri.

In Matth.

lerabi-

levabiles: ſunt propter ſpem temporalium pereuntium commodorum; multò magis cum cœlum præparatur in præmium, nihil ex præſentibus aſperitatibus debet ſentiri. Optimè ad rem noſtram de Sancto Stephano gravis Author ait: (In cœlum oculos levavit, æternis & perennaturis inhiabat, ſicque factum, ut ſub tam gravi æſtu minimè deficeret, ſed ſummo refrigerio recreatetur.) Adeoque hoc pono entymema: *Stephanus vidit cœlos apertos & Ieſum ſtantem; ergo lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Vos interea obſecro, ut magno ſilentio antecedens admittatis, & ego breviſſimo, quàm potero, diſcurſu, conſequentiam hac in parte probem.

Novarin. in umbra Virg.

PARS PRIMA.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt. O quàm beata hæc viſio, quæ ſic lapidum duritiem emollit, amaritudinem indulcorat, & ictuum dolorem tollit! Verum eſt hoc Publii Mimi dictum, *Ex præmii ſpe ſolatium fit laboris.* Scribit Ulpianus ſic olim fieri ſolitum. Columnis præmia inſcripta erant aut appenſa in conſpectu certantium, ut vel ſolo viſu incitarentur, neque facile deficerent. *Columna lignum erat aut lapis quadratus, ubi inſcripta erant præmia.* Etiam alius confirmat: *Conſtituerunt parvum craterem in medio certaminis.* Rationem adducit Sanctus Pater Auguſtinus, dum ait: *Minuit laborem ponderis ſpes præmii.* Hinc Sanctus Hieronymus ſanctam Euſtochium Romanam virginem ad patientiam & adverſorum pro fide Chriſti tolerantiam hortatur & ita monet. *Præſentis laboris tibi ante oculos pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit.*

Vlpian. Nonnus l. 10. Dionyſ. in milleloque & in epiſt. ad Cyrill.

Solebat de virtutis via ita loqui David, amplam eſſe, planam & facilem, non ſpinis horridam ſed quaqua verſum ſparſis floribus arridentem & amœnitate gratiſſimâ recreantem. *Latum mandatum tuum nimis.* Aliàs tamen de eadem viâ cum loquitur, contradicere videtur, anguſtam aſſerens duram & aſperam. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Quid hoc, quod modo facilem vocet, modò difficilem; modò latam velit, modo anguſtam? Guarricus Abbas ſic reſpondet: Propheta Regius aſperam dicit virtutis viam, duram, laborioſam ac moleſtam, quando in præmium non intendit promiſſum, *Cuſtodivi vias duras*, at verò ubi illam ipſam dulcem addit, gratam ac delectabilem, præmio propoſito movebatur, quod eam obſervanti Deus promiſit, & in fine tribuet. *Omnis conſummationis vidi finem.* Ecce præmium, quapropter *Latum mandatum tuum nimis* (Quod ſi nimis arctam viam cauſaris, proſpice finem quò te via ducit. Si enim omnis conſummationis videres finem, continuo diceres: Latum mandatum tuum nimis.) Stephanus aperto cœlo finem ultimum, in gloriam vidit æternam. *Video cœlos apertos.* Ideò illi virtutis ſemita facilis & delectabilis fit, & quos calcat lapides pro conſequendo præmio dulces videri poſſint & floribus gratiores: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* S. Thomas à Villa Nova concludit: *Martyr Stephanus cœlos apertos videt, hiantem gloriam, patentem paradiſi januam, latus agonem aggreditur, provocatus à præmio.*

Pſal. 118.

Pſal. 14.

Guar. Abb. ſer. 5. de Adv.

Cone. 4. Nat. Domin.

Maxima fuit Archimedis in Geometria & Mathematica ſubtilitas: Legiſſe recordor, Marcellum Syracuſas armis ſubegiſſe, & incolas omnes morte affici voluiſſe, ſervato ſolo Archimede: Milites obtemperant juſſis & ſtatim irruunt, & Archimedem deprehendunt, virgam in manu habentem & in pulvere figuras ſphæricas efformantem: ſed cum eum celebertimum Geometram non agnoſcerent, cum cæteris occiderunt: ſed hoc unicum mirari ſatis non poterant, quomodo fixis oculis in circulum ſphæricum maneret intendens quaſi immobilis; cùm tamen ad necem crudeliſſimè raptaretur, nil curare ſtrictos enſes, aut vulnera ſentire non videbatur. Scriptoris addo verba: (Marcellus in expugnatione Syracuſana interdixit, ne Archimedes unus necaretur: verùm cum Syracuſæ caperentur & ipſe animo ac oculis in terra defixis formas Geometricas deſcriberet, à milite ignaro quis eſſet, interfectus eſt) Sed quid Archimedi cum Stephano, aut Marcelli militibus cum lapidantibus Synagogæ, aut quid figuris ſphæricis cum ſphæra cœleſti? Judæi inuſitatâ rabie crudelitet invadunt Stephanum, ſaxis lapidant, membra contundunt & oſſa conterunt: quid tamen? *Lapides torrentis illi dulces fuerunt:* nec mirum; dicebat enim & oculos in cœli ſphæra intendebat: *Video cœlos apertos, &c.* de præmio conſequendo nil dubito. S. Hilarius Arelatenſis benè obſervat: *Nil de vulneribus ſuis loquitur, nil de ictibus lapidum, quibus totus frangebatur. Videt quod ſpectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis, ac ſic dum occupatur in ſtupore & amore cœleſtium Stephanus, non turbatur duro imbre ſaxorum.* Unde Ægidius Colonna ſalubritet monet: [Si lædamur in iſtis rebus ſenſibilibus, non

Plutarch.

In epiſt. ad Rom. lect. ib.

solum non affligimur, imo gloriamur & lætamur, considerantes nobis ex hoc præparari præmium æternæ hæreditatis: lætamur si pressuram patimur in hoc mundo; operatur enim in nobis expectationem futuræ gloriæ.

Deus mandavit Noë, ut Arcam fabricaret, eò quod vellet universali diluvio punire mundum; & in illum finem ideam dedit, ut scilicet eâ faceret longitudine, latitudine & altitudine, atque (quod observat Abulensis) fieri in superiori Arcæ parte fenestram particulariter jussit. *In summitate Arcæ fenestram facies.* Oleaster ibidem annotavit. *Videtur contextus innuere, fenestram fuisse in superiori parte Arcæ.* Fenestras antè & in latetibus, non verò in summitate ædificii ponimus; cur hic superius, *in summitate Arcæ*? Insuper erant fenestræ illæ patentes, vel obseratæ: non apertæ, ne imber in Arcam influeret. Dicamus obseratas fuisse, an non ita frustrâ fenestræ, cùm per eas lumen in Arcam non immitteretur: Lyranus resolvit, dicitque clausas fuisse, neque tamen luminis claritatem impediviſſe, quia *fenestra erat crystallina*, Solutio hæc bona quidem, sed nondum difficultatem omninò evacuat: non enim repugnat fenestram, etsi ex crystallo sit, in parietibus locari.

Abulens. in 5. Gen.

Oleaster.

Gen. 6.

Crediderim potiùs sic Deum intendisse. Prævidebat Noëmum multo tempore fore conclusum in Arca, ne ex fœtore nimio tædio afficeretur, aut ægrè ferret mugitum tauri, rugitum leonis, hinnitum equi, ululatum lupi, balatum ovis &c. ideò hoc volo, inquit Deus, fiat fenestra *in summitate Arcæ*, eáque crystallina, ut sit transparens, & sic possit Noë in maximis istis molestiis per illam in cælum suspicere, unde à Deo liberalissimè remunerationem accepturus, atque ita ille bestiarum ululatus, qui ante horribilis, gratam auribus harmoniam afficiet; nil tum fœtidum, nil molestum, sed quod odoriferum facile gratum & jucundum apparebit. (Intelligitur fenestra (scribit in hunc locum modernus Interpres) per quam lux admittitur, qui enim in funebri illo feretro, homines illi, velut antea morte consepulti, tam calamitosam viderent viram absque ingenti consolatione ac levamento, quod cœlum & cæli lumina conventibus præbere solent.)

Vernand. c. 7. in Gen. sec. 6. §. 8.

In Stephanum saxorum grando præcipitans cadit, nec inde dolet nec lamentatur, sed gaudet & jubilat. Ex lapidantium impetu, & petrarum strepitu non molestiam percipit, sed consolationem ac refrigerium. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Et hoc non ob aliam causam, inquit S. Thomas à Villa Nova, quàm quia cælum apertum vidit. *Video cælos apertos. Cur enim pertimeat pugnam Stephanus, qui æternam sibi parari videt coronam? Cur momentaneos lapidum paveat ictus, cui cælestis gloria patet introitus?*

Cam. de S. Steph.

Quàm miser erat & afflictus populus Israeliticus in tyrannide Pharaonis intolerabili, cum sub gravissimo servitutis jugo detinebatur! Quis ærumnas explicet, aut quis cruciamenta attendens non commoveatur? Ponite ante oculos laborem, vincula, verbera, equuleum, carnificem: multo sudore saxa gravissima ad locum fabricæ assiduò humeris ferunt, flagellis & fustibus adiguntur ac si bestiæ sint, non homines; catenas durissimas pedibus, & collo injecta vincula semper tenent mancipiorum more. Tormenta quilibet crudelissima patiebatur, & nemo compatiebatur. Si vel momento unico à labore quis respirabat, saxo aspero insidens, in paradiso jam agere videbatur. Ad panem siccum & aridum pro obsonio nil nisi vermes, cepas & allium adhibebant: herbas etiam vilissimas pro cibis suavissimis comedebant, ut jumentis felicitatem invidirent, quod minus illa laborarent, & tamen lautiùs tractarentur. Quid possit dari calamitosius? Sumere solebant è scyphis aureis ac argenteis vinum, quo non potuisset exprimi è vitibus Engaddi suavius aut pretiosius; at modò si vel haustus aquæ turbidæ offeratur, nihil umquam bibisse jucundius testabuntur; in tantum siti premebantur, & aqua modicè, nec nisi in mensura permittebatur. Vidisset semel vestrûm aliquis, fame, siti & inediâ ita extenuatos, nil nisi mera ossa in corporibus legisset. Multi præ debilitate nimiâ repentinò exanimati cadebant; ut merito Jerem. deploret, cùm illos misertimos *in fornace ferreâ* fuisse describit. Tandem commiseratus est Deus & populum liberaturus, per mare rubrum deduxit in locum amplum valdè, ubi effundente cælo manna miraculosè depluere cœpit, conquestus tamen est de incommodis, aquæ & victûs penuriâ; & murmurare contra Moysen non desiit: *Cur eduxisti nos de terra Ægypti ubi sedebamus super ollas carnium? Vtinam mortui essemus in Ægypto!* O quam benè erat nobis apud Pharaonem? Deliciæ nostræ, in Ægypto versari: non ibi servitus dura, sed libertate placidior videbatur. Panis bis coctus & vermibus infectus gratus erat palato; ita ut nihil vjsum sit illo pane delicatius: imò neque vel ipsum manna. *Eduxisti nos de terra, qua lacte & melle manabat*, Dathan & Abiron dixerunt: Verum est fatemur, aqua lutosa erat

Ierem. 11.

Exod. 16.

Num. 16.

ſa erat & turbida, dulcius tamen ſapiebat quam vinum quod menſæ Pharaonis reſervatum: Tyrannorum equuleos & impoſita humeris ſaxa, non onera ad dejectionem dixiſſemus, ſed lectiſſimos flores ad animi recreationem. Verbo dicam, fortunatè beatèque in Ægypto vivebamus. *Sedebamus ſuper ollas carnium.* At ſi populus iſte tot ærumnis (ut jam retulimus) premebatur, quomodo credi poſſit, labores maximos ac moleſtias in amore & deliciis habuiſſe, ſic ut in iis ſe magnificè jactet, *Sedebamus ſuper ollas carnium?*

Noſtri ævi Interpretem hic audiamus, & ex verbis ejus dubium propoſitum reſolvamus. Aſſerit ille Hebræos illos omnes in pollice manus ſiniſtræ annulos geſtaſſe, in iiſque margaritæ erant, in quibus ſculptam habebant civitatem patriam Jeruſalem. (Cum à Patria Hebræi exules Babylone eſſent, in annulis figuram Jeruſalem geſtabant, ac ſi dicerent: Licet multis calamitatibus premamur, ac durâ ſervitute; licet exules à Patria ſimus, numquam tamen tui, Jeruſalem, nos invadet oblivio, cum te in annulis ſculptam habeamus.) Oculos de annuli lapide nunquam dejiciebant, viſo patriæ ſuæ Jeruſalem recreantes languida membra, confortantes & vires deperditas reparantes: ſpe optimâ erecti, ſe in patriam eſſe reverſuros, dura quævis ac difficilia læto animo perfringebant.

Novarin. in ſacr. Elect. c. 12. n. 153.

Si igitur populo huic tanta fuerit ex viſa ſola umbra cæleſtis Jeruſalem ſuborta jucunditas, quanta nos Stephano, qui non in lapide ſculptam, ſed in cælo empyreo apertam triumphantem Patriam vidit? *Video cælos apertos.* Eſto, duriſſimi à natura lapides jaciantur in Stephanum, viſo cæli molliſſimè dulceſcent. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Qui quotidiè illam ſibi effingit & exprimit Civitatem* (Divi Chryſoſtomi verbis utar) *alitque deſiderium, nihil eorum quæ ſunt gravia, grave aliquid exiſtimabit. At de hoc eſt maximè lætandum, quod in tranquillum portum cum maxima celeritate curſum teneamus, & ſupernam civitatem recipiamus, à qua procul aufugit dolor, moleſtia & gemitus.*

In pſ. 114.

Non id mirum eſt aut inſolitum, lapides reddi dulces intuentibus cælum. Etiam D. Paulus ſibi contigiſſe fatetur. *Ter virgis cæſum ſum,* (inquit) *ſemel lapidatus ſum.* Petite, quantus illi dolor, quantus à virgis aut lapidibus cruciatus; hoc ſtatim reſponſum dabit: *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate aternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Deus bone! Lapides fieri dulces, adverſa quævis arridere: qui fieri hoc poſſit, Apoſtolus ipſe dicet; *Raptus uſque ad tertium cælum, & vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quomodò igitur obtentæ victoriæ recordatio dolorem inflicti vulneris mitigat, ita viſi cæli recens adhuc memoria dulceſcere fecit virgas & lapides, quibus S. Paulus appetitum ſe & percuſſum rememorabat. Ita Abbas Cherimon affirmat: Cum beatus Apoſtolus ad illam magnitudinem futuræ remunerationis aſpiciens, quid de illis innumeris perſecutionibus ſuis pronunciaverit, conſiderare perfacile ſit momentaneum hoc, &c. Divus Chryſoſtomus his verbis confirmat: *Ecce quid Chriſti viſi faciebat amor in Paulo: ſic occupatur dilecti viſione, ut nihil aliud ſentiret nec ſuave nec amarum*, ut eum vis quædam ab omni ſenſu abſtraxiſſe videretur. Forſan à Sancto Stephano didicerat, cùm Martyrio interfuerit, ubi primum molliendi duriſſimos lapides inventus eſt modus, quando Protomartyr fixo intuitu in cœlum aſpexit; *Video cælos apertos.* q. d. Ita me boni promiſſi expectatio delectat, ut excogitari malum pœnæ non poſſit, quod cruciet. Nec mirum, ait S. Thomas à Villa Nova: *Tranſit citò, quod cruciat, permanet in aternum quod coronat: guttatim pœna nunc bibitur, ſed affluenter & per rivos potabimur à gloria: tranſit hora, tranſit & pœna, ſed gloria illa tota ſimul & invariata durabit, non minuetur, non alterabitur, ſed illæſa & inviolabilis permanebit.*

Col. 13. c. 12 in Biblioth. vet. PP. T. 5. p. 2. S. Chryſ.

2. Cor. 11.

2. Cor. 4.

Mirum (NN) Gregorius Niſſenus de martyrio S. Stephani loquens lapides fuiſſe ut flores, & ſaxorum imbrem inſtar ſuaviſſimi roris aſſerit, atque mortem (quam natura ipſa acerbiſſimam reddidit, ut proinde dicta ſit etiam à Philoſophorum principe *Ultimum terribilium*, & Fauſtus canat:

Ariſtot.

Horribili viſâ terremur imagine mortis;

Ut nemo non ſine ſuſpirio gemat: *O mors, quam amara eſt memoria tua!*) non modò non ſenſiſſe amaram, ſed velut amœniſſimum tranſitum & placidiſſimum ſomnium, Sanctus Doctor teſtatur his verbis: *Velut teneris floribus vel rore quodam levi circumfuſus in dulcem ſimul & beatum ſomnum delapſus eſt.* Beatus Petrus Damianus ita confirmat: *Felix ſomnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate.* Neque poſſit alia dari ratio, niſi quia *videbat cæ-*

Eccl. 4.

Gregor. Nyſſen.

Conc. 4. Nat. Domin.

los apertos, siquidem docente Beato Thoma à Villa Nova, *lapidibus per aera crepitantibus, oblitus est vulnerum; nam sibi patere cælum videbat.*

De bono latrone incidit cogitatio. Statim ille, ut de cœlo loquentem Salvatorem audivit, *Hodie mecum eris in paradiso*, tanto perfusus est gaudio, ut opinione D. Basilii Seleuci, non secus ac arte chymicâ in aurum metalla cetera verti credimus, ita acerbitatem crucis, duritiem clavorum & tormenta atrocissima in voluptatem & refrigerium visa sint commutari *Dolorem clavorum præ Domini desiderio nihil existimans.*

D. Basil. Seleuc Orat. 16.

Felices igitur illi, qui cum in miseriarum abyssum prolapsi sunt, mentem erigere sursum norunt, & exemplo Stephani cælum intueri, mercedem inde sperantes. *Talis* (inquit S. Chrysostomus) *neque gladium timet, neque præcipitium neque ferarum dentes, neque lictorum manus, neque aliquid triste in hac vita; sed etsi carbones videat substratos, quasi prata & Paradisos videns transilit; desiderium enim futurorum mentem illius transilit.*

Hom. 28. in Gen.

Ut Jacob voluntatem patris sui Isaac intellexit, statim obedivit, Mesopotamiam petens, ut è domo Bathuelis uxorem sibi de filiabus Labam avunculi assumeret. *Proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.* Primo itaque diluculo & favente autorâ, cum suis valedixisset, itineri se dedit, voluntatem patris adimpleturus. At quando jam per viam lætus incedebat, in se dixit: Sis mille vicibus benedicta patria! O quam grato feror passu! quo plus progredior, minus iviſse videor & cum toto corpore sudorem expressum videam, ne vel minimum tamen fatigatum me sentio; econtrà summâ quiete & gaudio perfruor: O quando tandem lætissimus ille mihi dies illucescet, quo dabitur cælestis patriæ muros cominùs contemplari! O si amœna illa paradisi vireta pertransire modò liceat, & selectis floribus caput futuræ sponsæ charissimum adornare! Sed nunc propè sum, Mesopotamiam video, hæc platea quæ ducit in Haran, ni fallor: Pastores hic adsunt, ut de viâ interrogem, ne dubius aberrem. Deus vobiscum sit, viri boni, & greges vestros à luporum morsu conservet; det campis amœnitatem & gramina pascendis ovibus. Nunquid ergo videtis noctem ingruere? tempus est congregandi ad aquas pecora, cum adhuc lutescit dies. *Date ante potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.* Responderunt illi? Sitiunt greges nostri, necdum hoc die potum dedimus; expectandum tamen, donec reliqui pastores adsint, ut simul gravem hunc lapidem ab ore putei removeamus, *responderunt: Non possumus donec congregentur omnia pecora*, vel (ut Pagninus legit,) *omnes pastores, & amoveamus lapidem de ore putei.* Unde colligi facilè possit, quàm fuerit gravis iste lapis, cum pro eo removendo pastorum istorum omnium vires requirerentur. Quid hic faceret Jacob? accingit se & brachia expedit, ut ipsemet solus lapidem tollat, adeoque vires omnes intendit, & humeros supponit, manibus connitens & brachiis, paulatim retrudit, & ita ac si fuisset festucâ levior, amovit, sic ut pateret os putei ad bibendum. O te generosum! lætor, Jacob, quia magnanimitatem jam vidi; condoleo tamen, & vereor: fortassis gravi hoc onere quod non unus aut alter facilè ferant, fractus es & dejectus, & vix præ fatigatione respirare jam potens; non hoc mirum sit, quia labore maximo perfeciſti. Quid de labore? quid de fatigatione, aut gravi pondere loqueris? Plumam, aut si, quid illa levius, amoviſse modò videor; nihil sensi, nec fatigatus sum. Quis non hic mecum obstupescat NN? Si tamen sacrum textum perlegimus, pro comperto est, Jacob in formosam Rachelem oculos tum conjeciſse. *Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.* Abulensis hic exponit & rem nostram confirmat. (Hoc fuit propter amorem Rachelis consobrinæ suæ, cui complacere volebat.

Gen. 28.

Gen. 29.

Abulensis in 29. Gen.

O Deus! si ita unica Rachelis visio recreet, ut Jacob petra ista levis videatur & dulcis labor, ut quid non justius ego id de S. Steph. asseram, non grave illi fuisse martyrium, non doloriferas plagas, cum viderit non Rachelem eximiâ pulchritudine arridentem, sed cæli admirabilem ornatum, & insatiabilem paradisi gloriam? *Video cœlos apertos*: non igitur mirum, *lapides torrentis illi dulces fuisse.* D. Basilius expressis verbis sic confirmat: *Plagas non horret Martyr, sed præmia numerat; non videt lictores infernè flagellantes, sed Angelos supernè lætis vocibus acclamantes imaginatur; non spectat ad temporalia pericula, sed ad præmiorum æternitatem.*

Homil. de Barlaam.

Magi non curarunt laborem itineris; sed alacritate & lætitiâ properabant ad tuguriolum, Regem ibi natum veneraturi. Nil ipsis hic triste in via, nil durum occurrit, quia cælestem stellam in oculis ferebant. *Videntes stellam Magi, gavisi*

Matth. 2.

visi sunt gaudio, magno. Si quidem, ut D. Chrysostomus ait, *qui illorum bonorum) scilicet cœlestium*) *spe alitur, nullis malis præsentibus obruitur, nullis, quæ hic sunt, ærumnis retardatur; sed quemadmodùm qui ad regiam urbem contendunt, nullo, quod in itinere se offerat, retinentur, sed ad unum respiciunt, nempe ad patriam, quæ eos est susceptura.*

In ps. 114.

4. Reg. 2. Cum Elias Propheta curru igneo raperetur in cælum, non flammas timuit, non sensit ardores, sed quasi Zephyri placidissimâ aurâ recreari videbatur, quia in cælum oculos converterat, quò cursu rapidissimo ferebatur. *Elias* (ut scribit Sanctus Basilius) *currus equosque igneos ad se venientes minimè expavit; verùm itineris superni desiderio accensus, contra formidolosa est ausus, & hilaris gaudensque flammantes ascendit currus, cum adhuc esset in carne.*

Hom. 13.

Ausus est aliquando gloriari Apostolus, & apertè jactare de fortitudine & constantia, cum ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* An adversitas, angustia, fames, nuditas, pericula, persecutiones aut gladius? Hoc habeo certum, nihil umquam fore tam durum aut asperum, nihil tam violentum quod separet vel avertat. Plus dico? non me affliget adversitas, non verbera sentiam, & mitescet quidquid alias triste & nubilum. *Sed in his omnibus superamus.* Et unde Paulo tam magnus & erectus est animus, ut tormenta non modo rideat, sed ex iis dulcedinem insuper speret? Sanctum Maximum dicentem audiamus: *Verè nullus præsentium persecutionum potest inclinari periculis, qui semel promissa omnipotentis Dei, æterna largissimi Redemptoris præmia, fide stabili & inconcussâ mente concepit.*

Rom. 8.

Hom. 3. de S. Laur.

Trojanæ cohortes in magnis tempestatibus recreati tum visæ, ubi tandem Italia apparuit, primum detegente Achate, cum sic lætus exclamat:

Virgil. Æneid.

Italiam, Italiam, primus conclamat Achatis:
Italiam socii lato clamore salutant.

Proto-martyr noster è mundi fluctibus egrediens ut ad cælestem Italiam properet, mari purpureo exponit se proprii sanguinis, & feliciter navigat, ubi Spiritus sanctus dirigit. *Stephanus plenus Spiritu sancto.* Pro clavo navis, facit charitas: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Remis virtutum & velo gratiæ contendit. *Plenus gratiâ & fortitudine*, tametsi jactatus sit vento Pharisaicæ crudelitatis, quantumvis impetitus saxorum grandine, non patitur naufragium. Inquirite modò quid inter tot adversa solatii, quid percipiat dulcedinis, ut dicere jam lubeat: *Lapides torrentis mihi dulces fuerunt:* Pro ratione nil aliud reponet, quàm quòd cælum videre jam cœpit. *Video cœlos, video cœlos apertos.* Ut proinde meritò dixerit B. Laurentius Justinianus) Militi suo laboranti in stadio, non exhibuit Deus temporales opes, terrenaque præsidia, sed cœlum; & hoc utique apertum. Hinc Martyris Sancti solidata mens, nec perturbata in se, neque adversus persecutores est vindictæ zelo permota, quin potiùs supremo irradiata splendore, spirituali præcincta gladio, & virtutum armis circumquaque protecta, etiam percutientium rabiem orando, in se immundorum spiritum æquanimiter perferendo tormenta, superavit insultus.)

Act. 7.

Ser. de S. Steph.

Et Jesum stantem à dextris virtutis Dei. Quidquid Rex Midas corpore contingebat, in aurum vertebatur. Fabulæ sunt; at veritati jam credite; quia petræ tangentes Stephanum, duritiâ in dulcedinem commutatâ, non jam Martyrem feritate perterrent, sed occultâ suavitate demulcent ac recreant. Neque alia de causa sic fieri crediderim, quàm quia Dei Filium intuebatur Stephanus. An non ipsummet auditis asseverantem: *Video Jesum stantem,* O visio iterum beata, quæ mirabiliter convertit amaritudinem longeque efficaciùs quàm fabulosus Midas contactu, quidquid vile & abjectum est, pretiosum & dulce efficere valet.

Ovid. Metam. l. 2.

Nunquam satis intelligere potui verba illa quæ aliquando Salvator ad Discipulos fecit: *Ego misi vos metere: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis* Charissimi mei, hoc sciatis, velim, multùm sudasse Patriarchas olim, & Prophetas, atque labores seminasse, vos modò metere. Severunt illi, at vos fructus colligitis. Necdum verborum percipio sensum: siquidem serere laboriosum est, neque habet delectationem, metere verò jucundum est, & vix laboriosum, ut sentit D. Chrysostomus: *Si contingat alium seminare & alium metere, non simul lætantur; sed dolent qui seminant, lætantur autem soli, qui metunt.* Volebat ergo inferre, sanctos illos antiqui Testamenti viros, (quales erant Jacob, Abraham, Isaac, Elias, Hieremias, Isaias) multa passos fuisse, in hoc mundo labores sustinuisse, & graves persecutiones; at verò Apostolos inde voluptates percepisse & summas delicias. *Vos in labores eorum introistis.* Sed quomodo id ita sit, cùm

Joann. 4.

In c. 4. Joann.

cùm de Discipulis Augustinus affirmet, prædicasse fidem *inter maledicta & opprobria, inter gravissimas persecutiones, crudelesque pœnas. Tenebantur, ligabantur, percutiebantur, bestiis subjiciebantur.* Et de illorum morte loquens subdit: *Moriuntur pœnis, tormentisque dissecti.* Ecquis veteris testamenti Sanctus acerbiora tulit tormenta, quàm toto vitæ decursu Apostoli? Respondet Rupertus Abbas, atrocissimas fuisse ante novum testamentum pœnas, eò quod lenimen abesset votis omnibus desiderabilis Filii Dei visio. Apostoli autem longè quidem acerbiores passi sunt cruciatus, eos tamen Christi Humanitas fortissimos reddidit, ita ut non tam cruciari quàm consolari & recreari viderentur. *Vos in labores eorum introistis: Alii laboraverunt.* Ruperti verba profero: *illi credentes & sperantes credendo seminaverunt euntes & flentes: & ecce nunc alii metuunt, nempe vos Apostoli, qui promissionum quæ ad eos facta sunt, præsentem habetis effectum.* Lapidatores Synagogæ petras seminarunt; Stephanus *in labores eorum introivit*, dulcedinis colligendo messem. *Lapides dulces fuerunt*, quia æquè feliciter ac Apostoli, *Videbat Iesum stantem à dextris &c.*

In milloq verbo Apost.

Ibid. verbo Mart.

In Ioann. 4.

Hoc à Deo mandatum olim Abraham accepit, ut patriam, consanguineos, utque possessiones desereret sine spe reditûs. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrabo tibi.* An non illi durissima illa migratio? dicat quisquis à patriis deliciis exul avellitur. Sertorius apertè id fatebatur, (malle se Romæ ignobilissimum Civem, quam exulem omnium aliarum civitatum Imperatorem nominari.) Ne tamen ex decessione ista inexpectata nimis magnas animo molestias capiat, spe & promissis Deus Senem excitat. *Faciam te in gentem magnam, magnificabo nomen tuum, eritque benedictus. Benedicam benedicentibus, & maledicam maledicentibus tibi.* Hac pollicitatione erectus S. Patriarcha, sine ulla mora iter ingreditur; non illum divitiæ retardant, non viarum incommoda absterrent. Hoc interim spatio, quo proficiscitur Abraham, aliò tantisper nos conferamus, & Josephum Deo per Angelum jubenti obedientem videamus. Angelus destinatus est, qui dormientem Senem excitet, eique nunciet ut eum Maria fugam inconctanter arripiat. *Apparuit Angelus in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* O Joseph verè miser! quanta hæc ab impio Herode crudelitas, quanta tibi fit calamitas, in

Gen. 12.

Apud Pet. Val. ser 2. de S. Andr.

Gen. 12.

Matth. 1.

senectute fugere, & mediâ nocte! & ibi te liberum ab Ægyptiorum insidiis putas? an satis te magno & forti animo esse existimas, ut ingrediatis longum hoc iter? quàm procul ab Ægypto Bethleem distat! non jam aura favet, neque viæ tuæ & periculi tempestatem times? Boni Senis me miseret (NN) Angelus saltem solatium aliquod adferre poterat, mercedem pollicendo, quomodò Abrahamo diximus factum; cùm ex plurimis circumstantiis molestiùs appareat hoc iter, quod aggressurus erat Joseph. Respondeo Senem Patriarcham confecisse illud iter comitante familia, in qua ne vel unus erat, qui in viarum anfractibus & incommodis fatigatum sublevare posset ac recreare: at verò Joseph secum habebat Dominum, neque opus erat alio refugio aut consolatione: cui enim domi sub tecto victus suppetit, non foris & in aperto quærat. Joseph in rebus etiam desperatis & in mortis agone non formidasset, quandò in Pueri Jesu serenam faciem oculos conjiciebat, vel solo aspectu in tantum recreari poterat, ut nil ipsi jam durum esset, nil difficile, sed placidissima omnia & jucunda. (Non audio Joseph mercedem ullam promitti, non promissis denique recreari. Sed quid aliis præmiis ad labores ferendos alliciatur, qui secum Jesum in laboribus habet? Plena hæc merces, & sola sufficit) Bonum tantum Abrahamo non est concessum. Nec abesse videar, si D. Anselmum eò allusisse existimem. Vos ipsi ex verbis colligite. *Inspiciat oculus devotionis parvulum Iesum. (Quid visu jucundius quid delectabilius? carne illum qui immensus est, parvulis brachiis ad materna colla pendentem videre) & dicat: Felix sum, feliciorque dum illum video, quem Reges optaverunt videre, & non viderunt. Dignus est visu, qui speciosus est formâ præ filiis hominum:*

Aloys. Novarin. in Vmbra Virg. n. 1150.

Apud Ludolph. Carth. p. 1. c. 13.

O quam glorioſus es, Stephane, qui in difficillimo hoc itinere è terra ad cælum properans lapides calcasti! non lapides dicam, sed flores potiùs, ex quibus, velut apicula paradisi, dulcedinem mellis suxisti. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Quid mirum? quæ Josepho summa felicitas fuit, ea nunc potitur. *Vidit Iesum stantem.* Ut proindè liberè pronuntiem. *Sed quid aliis præmiis ad labores Martyrii & ad lapides ferendos alliciatur, qui videt Iesum stantem à dextris Dei?*

Quidni tunc beatum fuisse Stephanum asseram, quia jam cœlum possidebat; siquidem sit lege receptum, possessionem non modo pede aut manu, sed vel solo oculo posse obtineri:

Lege quæ meo non §. si venditorem ff.

Et

diterem ff de aqua. posseff

Et quid aliud intendit, ubi ait: *Video cælos apertos*, quàm Ecce jam cælum oculis possideo: sum beatus: Jam verò, ut talis non erat molestiæ aut amaritudinis capax. *Amaritudinis omnis & asperitas in regione Christi locum non habet.* D. Augustini utor verbis, qui & cum S. M. Ecclesia ita concludit: *Tuâ enim dulcedine Stephano lapides dulcorantur.*

S. Aug. in manual. c. 6.

Idem soliloq. c. 22.

Doctus Pictaviensis scribit reperiri in mari piscem nomine Fastem, *in cujus ore aqua maris dulcescit.* Sed evidentiùs hoc demonstrem in sancto nostro Proto-martyre factum, cum aquæ animæ, imò potiùs saxorum grandines irruerent, *dulcescebant in ore Stephani:* siquidem *lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Berchor. verb. Dulc.

Aqua maris à natura falsa est & amara, attamen in vase cereo imposita salcedinem amittit reddita dulcis. S. Stephanus vas erat Spiritûs Sancti: *Stephanus plenus Spiritus sancto.* Ex cera erat ad amoris ignem liquescens. *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, adeò ut in saxorum tempestate nil amarum, sed dulcissimum senserit. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Fortassis ideò, quod S. Petrus Chrysologus asserat: *Nil amarum, nil grave, nil durum, nil lethale computat amor verus.*

Ser. 40.

Noverat Samson libare mellis dulcedinem & è Leone fugere fortitudinem, cum & obscurum ænigma Philistæis proposuit: *De fortitudine egressa est dulcedo.* An non idem Stephano accidisse jam vidimus? Fortitudinem habuit. *Stephanus plenus fortitudine.* Dulcedinem gustavit. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Iudic. 14.

Berchor. reduct. l. 10. c. 85.

Petræ erant durissimæ torrentis Cedron, quâ cùm Salvator noster ad hortum Gethsemani raptabatur, solo pedum contactu (unicornis ad instar, cui hæc insita virtus, ut si cornu aquas tangat, à veneno corruptas corrigit & expurgat, *obnoxia pellit*) duritiam vicit & molles ac dulces effecit. *Dulces fuerunt.*

Io. Fer.

L. 2. de laud. B. V. Itiner. Terræ S. Andr. Celsi. in thesaur. caelest. c. 3. fol. 20. 4.

Ea Richardi à Sancto Laurentio mens est. Virginem Deiparam supra petram genu flexisse, cum Stephanus lapidabatur, pro eoque ferventer orasse, adeò ut orationis istius virtute duritiam saxa perdiderint atque pro amaritudine summam dederint dulcedinem. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Miranda hic inter Hebræorum corda & Stephani lapides apparet transmutatio. Paradoxum est quod de animabus nostris fingebat Pythagoras, de corpore videlicet uno ad aliud vicissim illas pertransire. Sed neque hoc minus stupendum,

scilicet cordium tenetitudinem ad petras defluere, illarumque duritiem ad lapidantium corda penetrare; ut meritò dici queat dura & velut petras corda, contra teneras & velut corda petras fuisse. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Et quomodo non forent Stephano dulces lapides illi, quibus ceu scalis ad æternæ felicitatis apicem ascendit, ubi summæ beatitudinis extructum ex iis palatium invenit? Sancti Fulgentii ut verbis dicam. *Ad cœli palatium regnaturus ascendit*: Sub lapidum istorum sacrophago mortem sepelivit; ut inde anima immortalis æternitati gloriæ beatificæ renasceretur. Contriverunt petræ naviculam corporis innocentis, inde egressa animâ per mare sanguinis ad cœli portum feliciter pervenit.

Serm. de S. Steph.

Scriptorum relatu constat, & experientiâ ad oculum patet, posse homines quandoque lapidescere, si quos contingat pulveris & arenarum turbine obstrui, & suffocari: quantò magis à lapidibus, quibus obruitur Stephanus, denominari possit ob constantiam invincibilem lapis durissimus, cum commune hoc dictum sit. *Omne simile generat sibi simile?* Imò, & ideò dum ferro Pharisaicæ impietatis percutitur, silicis instar scintillas ignis, amoris, inquam, flammas emittit. *Dum super eum torti lapidum vertices decidererent* (Sancti Augustini sunt verba) *& rotati aggeres torquerentur, pro savientibus sic orabat: Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

Apud Philosop.

Si quod scripsit Tullius, dici soleat lapis homo iste, qui nec adversis frangitur, neque prosperis commovetur (Hominem præterea lapidem quandoque dicimus, qui negligens stupidusque, quique ad id agendum quod maximè oporteat, non moveatur.) Et eadem metaphorâ Terent. *Hei: qui stas lapis?* Cuinam aptius lapidis virtus conveniant, quàm Proto-martyri nostro, qui fortitudine suâ & sapientiâ contra Libertinorum, Alexandrinorum & Cirenensium impetum stetit? Plus dicam & verè, rupem fuisse Stephanum, quandoquidem in martyrii profundo non fuerit tempestate dejectus, neque allisionibus Pharisaicorum fluctuum deturbatus, ut de eo verificetur, quod habet S. August. *Petra in mari constituta hoc habet magnum? si tunditur fluctibus, frangit fluctus, non frangitur.*

Calepinus verb.

In ps. 103. ser. 3.

Petra erat Stephanus, sed figuræ quadratæ. *Quadratum lapidem quocumque verteris, semper stat.* Unde quia Filium Dei *stantem* videbat, imitatus est, & instar petræ quadratæ stabat, non staturâ corporis, sed animi constantiâ &

Idem in in ps. 86.

firmitate cordis. *Fortis columna Dei feriebatur & firmabatur, confringebatur & augebatur, cadebatur & non vincebatur.*

Idem in mille loq. verb. Steph.

Non sine causa fictis fabulis, doctissimi homines memoriæ tradiderunt repertum fuisse, qui suavissimo cantu & fidibus inferorum monstra placaret, fecit Orpheus; sed Stephanus noster saxorum duritiem emollivit, & amaritudinem dulcoravit. Amphion dulcedine cantûs & gratissimâ harmoniâ tantum prævaluit (si fabulis crederetur) ut gravissima saxa moveret, & ad struendos muros Thebanos sono testudinis attraheret. Verum hic Proto-martyr longè prævaluit; siquidem lapidibus pretiosis & sanguine, non cantu, ædificium in cælo erexit; nec ad breve exiguumque tempus, sed æternum est duraturum; ut merito sic moduletur ingeniosus. Poeta:

Ioann. Bapt. Mar.

Da canoro Architetto:
Fugià di Thebe il non il' muro eretto,
Hor Città vi è più bella,
Doue è gemma ogni pietra,
Fabbrichi tù di quella
Ch' alzata fù da favolosa cetra,
O celeste Ingegnero è Fabro santo!
Tu col sangue la fondi, è non col canto.

Quid autem ex invicti hujus Athletæ actionibus heroicis addiscemus, quod ad virtutem nos provocet & in via salutis promoveat? Hoc à magno illo Magistro altè retineamus, quomodo sæculi adversitates facilè & utiliter sustineamus. Ante omnia cælum oculo insatiabili intueamur. *Video cælos apertos.* Ad illud ut laborum nostrorum à Deo destinatum præmium animos excitemus, & cum S. Thoma à Villa Nova crebrò sic meditemur. *Si omnes mundi molestias solus esses passurus, nunquid condigna essent omnes illæ passiones ad futuram gloriam, quam expectas? Et modò ais? Multum est quod patior, grave est quod sustineo. Considera retributionem, & videbis quàm nihil est.* Ita & S. Augustinus ad patientiam hortatur, cùm ait. *Si attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris; nec indigna æstimabis, pro quibus illud accipies.*

Conc. 2. Dom. 1. Quadr.

Serm. 1. de S. Paulo.

Omnis labor, quantumvis etiam levis, gravis fiet & difficilis; & à punctura spinæ dolor erit maximus, & vulnus incurabile, nisi exemplo Stephani ad cæli conspectum mentem erigamus: ubi à contrario, rota Catharinæ, craticula Laurentii, crux Petri, lapides Stephani & atrociissima quæque Martyrum tormenta facillima videbuntur, & gratissima, si modò pro cælesti gloria obtinenda sustinere ex animo desideremus. (Etiam leves labores illum tenent, qui scit per ea, quæ præfert, se in sublime ferendum.

Novarin. Vmbr. Virgil. l. 4. Sa. Elect. excur. 101. n. 92.

O quàm alacri animo injuriam omnem remitteres, adversa quæque & extremam inopiam sustineres, si modò æternæ beatitudinis præmium ob oculos versaretur: per medios etiam ignes promptissimè curreres, neque flamma deterreret, cum ad supernam felicitatem mentis aciem elevares. O quantum hoc Stephano solatium, cælos apertos contemplari, dum saxorum grandine opprimeretur! (Supra modum complebatur gaudio in ejus visione præclara, adeò ut injuriarum nullo dolore moveretur. O veneranda tolerantia Martyris, quæ in Dei contemplatione sic fixa permansit, ut penitus lacessi non posset! obliviscebatur sui, cælestium allectus dulcedine.) Ita Laurentius Justinianus.

B. Laurent. Iust. ser. de S. Steph.

Ingeniosus aliquis eleganti metaphorâ cælum portui, mundum pelago, Stephanum nauclero, & quotquot in mundo hoc tribulatos, per mare navigantibus comparavit, sic metricè alludendo.

Ioann. Bapt. Mart.

Qual' huom' non uso in mare:
Se turbato mareggia
Schermo controla nausea altro non have:
Più sicuro, è più fide
Che volger gl' occhi in ver' la terra allido.
Talmentre in mar' del proprio sanguine ondeggia
Stefano santo & agitato stassi.
Fra tempesta di sassi,
A la riva del ciel volge la vista,
Quindi conforto infra tormenti acquista.

At verò si vel sola cæli visio tantum pariat gaudium, quid ergo futurum sit, cùm jam facie ad faciem intueri Deum potent Proto martyr, qui pro ejus amore tam atroces cruciatus fuerit passus? Apis industriam scitè quidam olim expressit, cùm in emblemate exhibuit petra onustam, ne à vento deturbaretur, adjectâ epigraphe *Labore laborem fero.* Stephanus noster verè apis mystica, optatam maximè & expeditam in cœpto itinere securitatem intendens (securitatem dico, quia, ut bene monet S. Hieronymus. *Non est certa & secura victoria, sed semper in periculo sumus*) ne vento hostilis persecu-

D. Hier. in Ps. 86.

secutionis ad odii aut vindictæ stimulos depelleretur, apum more subsidium quæsivit à petra, fixis in illam oculis, de quâ dictum est: *Petra, autem erat Christus. Vidit Iesum stantem à dextris virtutis Dei* Venerabilis Bedæ profero verba: *Ad confortandum ergo beati Martyris patientiam, cælestis regni janua panditur, & ne innoxius homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet coronatus in cælo.* Conformiter S. Proclus loquitur: *O Stephane! in me cruci affixum oculos conjiciens, congressum audacter aggredere.* Et D. Augustinus, quasi præsens in certamine adstet, Proto Martyrem sic hoc tatur: *Attende Christum redemptorem animæ tuæ, medicum ægritudinis tuæ, qui ideò pati voluit, ut tibi patientiæ suæ monstraret exemplum.* Alio iterùm loco: *Eja membrum Christi, eja Athleta Christi! aspice illum qui pro te pependit in ligno; crucifigebatur ille, tu lapidaris.* O quàm felix visio, quæ sic dolores mitigat, & amaritudinem indulcorat! Fortunatissima foret anima illa, si cum Stephano Dominum semel videat. Quidquid in hoc mundo acerbum accideret, dulcissimum experiretur, si amore ejus constanter ferat.

1. Cor. 10.

Ven. Beda tract. de S. Stephano.

D. Proclus.

S. Aug. serm. 7. de S. Stepano.

Idem in Milleloq.

Si quanta æterna sunt vitæ præmia, volvis,
Omnia pro Christo perpetiere libens.

Ovenus.

Antequam ad alteram discursûs mei partem ingrediar, casu sequenti jam dicta concludo. Audivistis, opinor, de Adolescente illo, qui spreto sæculo eremiticam disciplinam S. Patris Augustini votis omnibus ambiebat cùm ætate floreret & opibus. Monasterium ingressus, mortificatione continuâ per menses aliquot sese exercuit: sed exinde Ascetam deterrere paulatim cœpit tenuis victus cultusque, ciborum cruditas atque vitæ nimia austeritas: quapropter mensæ patriæ dapes exquisitas mente revolvens, ad vitam illam laxiorem & liberiorem redire deliberavit. Itaque nondum expleto probationis tempore, cùm sui juris adhuc esset, voluptatibus sæculi allectus à cella abducitur, ut ad ædes patrias reverteretur. Christus Salvator, qui semper adest periclitantibus in via & latvæ infernalis dolos prodit, Ascetæ fugitivo occurrit, ut ad meliorem mentem reducat: *Et ecce se obvium fert vir quidam spectatissimâ specie, formâ augustiori quàm humanâ.* Quid te, obsecro, movet, mi fili, inquit, ut claustrum hoc deseras, à meritorum fonte declines, & thesaurum animæ contemnas? An non ergo advertis quod tibi à fuga imminet grave periculum? si te à claustro hoc subducis, in æternæ damnationis discrimen adducis: austeritas vitæ absterret? annè fortassis monastica disciplina tædium generat, aut panis nigredo, paupertas mensæ, & obsoniorum insipiditas nauseam parit? (Quod si cùm accumbis, salsamenta desideras, feci ego ea tibi atque attuli: Accipe (& aperit plagam, quæ veste latebat) hanc, inquit, habe, & hic cibaria merge. Hoc salsamenti genus, delicate puer, Apostolus prandia condivit, hoc satis amicis meis fecit esse grata jejunia, Martyribus ferrum, ignes, mortes dulces reddidit. (Hoc ipsum condimentum Stephano asperitatem lapidum mitigavit. Ipsum ore proprio testantem audite: *Video Iesum stantem. Et lapides torrentis illi dulces fuerunt.*

Ægid. Cat. Viterb. tr. de Congalli.

Idem ubi suprà.

Scire vos, credo, si quæ animos oblectant, dulciter illa ad quietem & somnum invitant. Quis igitur lapides Stephano dulces fuisse neget, quandoquidem illorum impulsu ceu totidem citharæ sonoræ ictibus placidissimè somno se dedit? *Et cum hæc dixisset, obdormivit in Domino. Felix somnus cum requie,* (Beatus Petrus Damianus exclamat) *requies cum voluptate, voluptas cum securitate, securitas cum æternitate.* Sed cùm quietis hic sit locus, ne raucedine vocis perturbem, gratiori vos sono provocate; eleemosynæ citharam sumite, manu charitatis eam contingite, argenti aurique fides extendendo.

B. Petr. Damian. serm. 62.

PARS SECUNDA.

Metamorphosis est insolita, quam videre in persona Stephani dabatur, cum lapidum impetu opprimeretur, *intuebatur vultum ejus quasi vultum Angeli.* Quanta hæc mutatio, vultum hominis converti in similitudinem Angeli! Noteris & animadvertatis velim, plerosque viros mixtim ac mulieres Hierosolymis ad fidem esse conversos Apostolorum prædicatione: utque mulieres in ista sententia perseverarent, selecti sunt ab Apostolis viri septem probi, qui illis præessent, & ad constantiam animarent. Viduas Stephanus curæ habuit, atque inter illas tanta sanctitate & puritate enituit, ut non modò opere, sed etiam cogitatione castissimus haberetur. *In hoc quod præpositus est fœminis* (ait S. Augustinus) *testimonium meruit yncerissimæ castitatis.* Quia verò juxta illud Apostolorũ, *vivere in carne sine carne Angelicum est,* videri potuit esse

Act. 6.

Heymon lib. 2. de rerum mem. c. 1.

S. Aug. serm 5. de S. Stephan.

IN FESTO
S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

ARGUMENTUM.

Non est facile, quantus sit Joannes, exprimere. Certè, quos utilissimos toti Ecclesiæ produxit fructus, ejus excellentiæ nobis deprædicant gradus. Privilegio amoris præ Sanctis omnibus à Christo diligitur, qui eximiis virtutibus emicat laureatus.

THEMA.

Hic est discipulus ille, qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari S. M. Ecclesia in Divino Officio.

APem videamus verno tempore ad ortum auroræ provocante aurâ, favente Zephyro, evolantem ad viridaria variis ornata floribus; à singulis quidem allicitur, ut foliis oblatis insideat & odore satietur, sed priùs circumcirca volitat, donec florem unum reperierit, in quo collectim habeat & suavem odorem, & vivum colorem, quos non nisi in aliis dispersos antea viderat. Ibi tum hæret fixo pede, aliisque impensis, gratissimum inde liquorem exsugit. Apem imitari nunc liceat, & propitiante Spiritus sancti aurâ, alis intellectus in S. Ecclesiæ hortum hoc manè pergere. O quàm ibi multi, & quam pulchri flores invitant, ut iis firmato discursus mei pede inhæream; allicium, ut alas considerationis impendam, & materiam copiosissimam offerunt, ex qua selectorum conceptuum mel suavissimum conficiam: Hic contemplor in fœno & palea florum omnium principem è solo Nazareno mirè prodeuntem, cunctisque arridentem. Ibi in lapidibus, quasi in spinis rosam pullulantem intueor, cujus rubor non Veneri, sed ipsi Deo consecratur, cùm proprio sanguine S. Stephanus formosissimè coloratus. Illic tot video pallentes humi violas, quot ab impiissimo Herode mactatos pueros, vixdum à matribus genitos, æternæ vitæ lego consecratos.

Apertè tamen & ingenuè ut fatear, NN. flores video quaquaversum, rarissimos quidem ac formosissimos, sed præ cæteris arridet candidissimum lilium Virginis, Apostoli atque Evangelistæ; huc rapior, neque possum satis mirari, quot huic uni dotes, quot gratias & privilegia Deus liberalissimus contulit, & præ reliquis singulariter decoravit. *Qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari.* Sequar ergo monitum dicentis: *Vade ad apem & disce, quam operaria sit.* Mentem meam indico: *Ex omnibus floribus orbis, elegi mihi lilium.* Sanctum inquam Joannem Apostolum in hoc meo discursu præ cæteris efferre intendo, cujus equidem virginalem castitatem si inspiciamus, supra virgines est; si doctrinam ac sapientiam benè perpendimus, inter Evangelistas & Doctores hic unicus excellit; si gratias & favores illi collatos putamus, Apostolis excelsior apparet; si in adversis constantiam & martyrii desiderium in eo consideremus, præ Martyribus palmâ ultrò concedimus. (Cæteris altius à Domino meruit honorari, *Iansenius interpretatur his verbis:* Cæterùm cùm omnes suos diligeret Dominus, Joannem tamen eximiè, & singulariter ei familiaritatis & dilectionis exhibuit signa:) Quare *cæteris altius?* Augustinus respondet? *Transcendit omnes campos, aerum omnes altitudines, syderum omnes choros & legiones Angelorum.* Et S. Thomas à Villa Nova subjungit: *Revelavit illi secreta personæ, secreta regni, secreta domûs; in illo namque ecstatico somno, quando supra pectus ejus in cœna recubuit, mira de illius Divinitate secreta cognovit, & arcana sui cordis aperuit.* Sic inde concludit: *Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & honores, quos per alios domûs suæ famulos & officiales sparsim divisit, in hoc uno plenius asservavit.*

Corn. Ians. in concord. Evang. c. 132.

S. Augustin. tract. 1. in Joann.

B. Thom à Villa Nova in sorde S. Joannis Evangel. idem ubi supra.

Apem ergo imitaturus, ad lilium sive candidius me converto & inhærebo, vos interea animis benignis aspirate & magno silentio audite.

PARS PRIMA.

Hic est discipulus ille, qui &c. Lilium eximio candore in hortis nascitur, ex vili cespite pulchrum ac odoriferum germen. Crescit proximum spinis neque lædituri; in luto, nec fœdatur: vixdum pullulat, & floret; in frondibus signa pacis, in

in foliis titulos innocentiæ præfert: pallidum est, sed serenum, & colore placet; in altum surgit, & sex velut aureis linguis multum discursum proponit: in humido sinu odores concipit, quos emittat: à lunæ influentiis nutritur, & sustentatur. Quid plura? inter herbas omnes eminet, estque florum cæterorum princeps, cui proinde coronam regiam debeant omnes, & odoris tributum.

S. Augustin. serm. 1. de Ass. B. V. M.

Lilium Virginitatis esse symbolum, prædicat S. Augustinus; discurrentem audite: *Potest illi nomine unaquæque Virgo significari. Lilium siquidem flores reliquos candore nimii nitoris præcellit, & odoris jucunditate præpollet. Vnde satis congruè Virgineo assimilatur decori: iste namque flos altius aquâ ortus ex tellure sustollitur, & reportandus ad æthera totus aperitur. A foris quoque nimis candidus, intus vero rutilo flammescit aspectu, habens præterea quasi quendam permanentem in medio floseulum.* Et quisnam, obsecro, in lilio decor est, aut venustas, quæ in Virginitate non etiam resplendeat? S. Augustinus ita prosequitur: *Sic nimirum Virginitas ab infimis ascendens, ad ea, quæ suprema sunt, ambit. Candescit exterius munditia Virgineæ carnis, flammescit interius amore germinæ charitatis, flagrat passim odore bonæ opinionis, extollitur ad sublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretiosum germinis lilium inter spinas invenitur, ut noverint veneranda Virgines, & hominum se debere tolerare molestias, inter quos degunt, & punctionum tentamenta malignorum fortiter exsuperare spirituum, ut per hoc à Domino amicæ inter filias vocari mereantur.*

Idem ubi supra, & in milleloq: verbo Virginitas.

Lilium fuit candidissimum in horto vitæ hujus ratione puritatis Virginalis dilectus Christi Discipulus Joannes Evangelista: folia candida sunt castæ ejus cogitationes, odorem spirat sanctitatis eximiæ, nec nisi rore Divinæ gratiæ vivit & sustentatur, Solis justitiæ calore fovetur: ex infimo humilitatis gradu ad meritorum celsitudinem crescit & extollitur, sensim aculeis & spinis expositus, puritatis candorem non contaminat: desideria ejus calica linguæ aureæ denotant, & doctrinam ejus maximam argenteæ frondes: rex est, cùm aberrantibus passionibus imperat, & sceptro continentiæ, stimulos carnis & appetituum motus coërcet. Lilium hoc omnes, quotquot in horto Ecclesiæ flores, pulchritudine vincens, liberaliùs à Deo dotatum est cæli thesauris & præ cæteris liliis Virgineis decoratum.

Singularis is Virginibus sacris à Christo favor est, Sponsi cœlestis vocati sponsas assimilatione, ita ut ex illa similitudine præ cæteris omnibus creaturis magis participent, quàm Deus in prima hominis formatione animabus impressit. Animadversio hæc Guilielmi Parisiensis, ubi ait: (Fons signatus sigillo Virginitatis perpetuæ habente imaginem Sponsi cælestis, ex impressione annuli ejus.) A Joanne Climaco Virginitas *similitudo Dei* vocatur. Nec minus eam D. Basilius laudat; *Virginitas hominem incorruptibili Deo simillimum facit.* Jure & merito, si ita est, (quod asserit Romanæ facundiæ Princeps) (nil amabilius nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum: in quibus enim eadem studia sunt, eædē voluntates, in iis ut æquè quisque altero delectetur ac seipso) Ea etiam est Poëtæ opinio, ex æqualitate exercitiorum gigni affectuum sympathiā. *Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem*
Rectorem dubia navita puppis amat.

Guil. Paris. in c. 4. Cant.

Ioann. Clim. tract. 1. D. Basil de vera Virg. Cicero l. 1. Offic.

Cicero de amicitia.

Econtrà verò ex operationum dissimilitudine, inclinationum diversitas & affectuum oriri solet. *Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias.* Ita Cicero. Unde cùm haberet Joannes sympathiam cum Filio Dei in Virginitate, habebat etiam in inclinationibus & affectibus tantam similitudinem, ut vix unus ab altero discerni benè potuisset.

Nec existimetis (NN.) casu & sine mysterio ab Ecclesia factum, tribus his natalitiorum diebus Solemnitatem S. Stephani mediam esse inter illas Christi & D. Joannis. Putaret ex improviso aliquis, Ecclesiam in dispositione hac aberrasse: sicut enim primo die ordinātat festivitatem Christi, utpote dignissimi, sic debitum videbatur, subsequi immediatè festum S. Joannis, quandoquidem Apostolus ipse Episcopus, Evangelista, Doctor, Virgo Martyr &c. ac per consequens Stephano dignior. Contrà tamen fecit, Stephanum immediatè post Christum, atque ita inter eum & Joannem ponendo medium inter lapides. Ad mystetii hujus intelligentiam faciet historia, quam Herodoto ascribunt. Atistodemo Lacedæmoniorum Regi duo filii erant gemini ab eadem matre Vafra uno partu, iique in statura, animorū inclinatione & vestitu tam sibi invicem similes, ut unus ab altero distinctus agnosci non posset. Casu semel evenit patrem Atistodemum de seriis agere cum uno fratrum, ratus cum altero loqui, ad quem magis illa spectabant. Videns autem se delusum, in futurum cautum volens (Veniant (inquit) lapides, similitudinem dividant & visûs objecta demonstrent.) Ex lapidibus deinceps sciam, cuinam ex filiis loquar. Certè non facilè quis mihi expliceat, ut credam, quales fuerint illi lapides,

Herodot. Halicar. Paneg. 3. de Max. apud Guil. Plat.

Sedul. apud Zachar. Episc. Tom. 12. Biblioth. vet. PP.

Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet.

Marcus ut alta fremit vox per deserta Leonis:
Iura Sacerdotis Lucas tenet ore juvencos.
More volans aquilæ verbo petit astra Ioannes.

Pyrrhus rex olim in bello gerendo felicissimus, quia sæpissimè ab hostibus victoriâ reportabat, milites illi gratulabantur, eumq; generosum dicebant instar aquilæ per universum orbem efferri, & supra bellatores omnes deptædicari: quibus ipse responsum hoc dedit: (Si ego in altum tollor & velut aquila volo, vos alæ fuistis, ô milites mei, quibus ad sublimia ducor.) Idipsum de S. M. Ecclesia asseri possit, aquilam esse *magnarum alarum*, temigio universum mundum peragrare; volare inquam in sublime, sed non nisi alis magnæ aquilæ nostræ S. Joannis: (Si Ecclesia volat, alis aquilæ magnæ Joannis scil. volat sapientiâ, Epistolis, Evangelio, sanctitate.

Labata ubi supra.

Exech. 17.

Labata ibid.

Plin. l 10. cap. 3.

De aquilæ pennis scribit Plinius, si aliarum avium pennis permisceantur, illas consumunt. Id sapientiæ maximè aquilæ nostræ Joannis bene congruit. Virga Aaron adjuncta virgis sapientum Ægypti, illas statim absumpsit. *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Talis omninò Sapientia nostri Sancti, tales pennæ nostræ aquilæ, quæ pennas Sapientum, imò insipientum mundi (hæreticorum, dico) qui sapientes in oculis sibi videbantur, facillimè devoravit. (Scripsit enim Evangelium contra Ebionem & Cherinthum hæreticos, qui Divinitatem Christi negabant, affirmantes Christum ante Mariam Matrem suam minimè extitisse; hos, inquam, doctrinâ Evangelii sui, miraculis & prodigiis confirmatâ, facilè superavit & devoravit: sic pennæ aquilæ nostræ pennas hæreticorum devoraruntt.

Exod. 7.

Labat. ubi supra.

Non modò asseram, doctrinam sancti hujus Apostoli a scriptoribus sacris maximè probari ac laudibus extolli, ut meritò consenserit Augustinus. *Cæteri Evangelista tamquam cum homine Domino in terra ambulabant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: iste autem, quasi piguerit in terra ambulare, erexit se non solum super terram, sed super omnem ambitum aeris & cæli, & super omnes etiam exercitus Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia.* Quinimò Gentiles ipsi acclamant & applaudunt, testante coronâ Patrum Basilii, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Eusebii, Cæsariensis &c. S. P. Augustinus particulariter asseverat legisse in libris Platonis expressa hæc in laudem Evangelistæ nostri verba:

In Ioan. serm. 34.

Principium Evangelii sancti Ioannis dignum esse quod litteris aureis in januis omnium Divinorum librorum inscriberetur, ubi omnes illud legere, eoque uti possent. Quanta ergo fuerit excellentia Sapientiæ ejus, non solum ex Sanctorum encomiis, verum etiam ex Gentilium Sapientum sententia colligi potest.

Apud Lab. l. 3. de S. Ioan.

Fons in Bœotia est non procul ab Helicone monte, quem Poëtæ à Cadmo inventum, Musis sacrum, & factum ungulâ Pegasi equi alati fabulantur, & inde ei nomen Hippocrene aut Aganippe De quo locutus est Propertius:

Aganippæa ludere docta lyra.

Mentionem etiam facit Ovidius in Fastis, ubi sic canit:

Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Meduſæi signa tenetis equi.

Ovid. 5. Fast.

Et in Metamorphosi iterum memorat.

Fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
Diva Meduſæi quem prapotis ungula rupit.

Idem 5. Metam.

Huc Poëtas omnes convenire fingunt, & quemlibet pro ingenii capacitate de fonte illo aquas haurire. Solus Homerus, qui in arte poëticâ sibi parem non habebat (ut de eo referat Cicero, Græciæ urbes præcipuas certatim sibi vendicasse conterminum;) Homerum (inquit) Colophonii civem esse dicunt suum: Chii suum vendicant: Salamanii repetunt: Smyrnæi vero suum esse confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt: multi alii prætereà pugnant inter se, atque contendunt.) Castalium liquorem sine mensura bibere ex ipso fonte poterat: ex quo se poëtarum omnium esse præstantissimum commonstrabat. Doctorum Ecclesiæ & sacrorum Scriptorum singuli hauserunt Sapientiæ aquas ex fonte qui Christus est. *De plenitudine ejus omnes accepimus*, quilibet tamen in mensura & pro capacitate. *Dividens singulis prout vult*: siquidem *alii datur sermo Sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum*; at verò sanctus Joannes sine mensura atque ex ipso æternæ Sapientiæ fonte in ultima cœna ad libitum bibit. Novus hic Homerus inter Doctores omnes *fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit.* Et ita Doctorum omnium sapientissimum ac excellentissimum toti se mundo comprobavit. *Cæteris altius à Domino meruit honorari.* Testis hic nobis est S. Thomas Valentianus Archiepiscopus, cum de eo dicit: *Nunque fonte*

Ioan.

1. Cor. 12.

Serm. de S. Ioan.

fonte labra proluit Caballino; neque in bicipiti somniavit Parnasso, ut sic repente Propheta prodiret: sed sancti Evangelii secreta de sacro Dominici pectoris fonte potavit. S. Augustinus his verbis subscribit: *Ioannes qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & cœlestis haustum sapientiæ, cæteris excellentius de ipso Dominici pectoris fonte potavit.* Nunquid pro archivio erat Joannes, in quò à Christo reposita abditissima Sacratissimæ Divinitatis Mysteria? Plus dicit B. Petrus Damianus: *Hoc Divinæ Sapientiæ sale ita omnis beati Ioannis doctrina videtur respersa; ut meritò dicatur os Dei, lingua Spiritus sancti, logotheca Divinitatis:*

In mille-loq. ver. Ioan.

Serm. de S. Ioan.

Sanctus Joannes reliquis Evangelistis dignior est, & ex visione illa Ezechielis clarè monstratur. Describit hic Propheta quadrigam illam Mysteriosam quatuor animalium, per quæ non obscurè quatuor Evangelistæ repræsentantur. Unum illorum quatuor animalium habebat faciem hominis, & ecce Matthæus; aliud Leonis, ecce Marcus: tertium bovis; ecce Lucas: quartum denique aquilæ, & ecce Joannes exhibetur. Duo ad dextram stabant. *Facies hominis & facies leonis à dextris ipsorum quatuor:* Bos ad sinistram erat. *Et facies bovis à sinistris ipsorum quatuor.* Videamus quis Aquilæ Joannis sit locus: *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Omnibus superior Aquila. Quis verò nesciat (NN.) ex dignitate loci subintelligi nobilitatem locati, adeò ut quanto quis situ loci excelsior, tanto dignitate & honore eminentior censeatur. Joannes ergo Aquilam pro symbolo tenens, altitudine Sapientiæ Doctores reliquos antecedit. Sancti Pontificis Gregorii hæc sunt verba: (Locus Aquilæ non juxta, sed desuper describitur; quia Joannes, Verbum Patris dum apud Patrem esse denunciat, super cæteros Evangelistas virtute contemplationis excelluit.)

Ezech. 1.

In c. 1. Ezech.

De virtute & meritis sancti Joannis tanta & tam præclara judicia fecerunt Apostoli, ut illi soli immortalitatem adscriberent. *Sospecharon que Iuan avia de ser immortal.* Magistrum idcirco interrogant: *Domine, Hic autem quid?* De immortalitate autem Joannis intellexisse, ex subsequentibus verbis fit manifestum: *Et non dixit Jesus: Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam.* Credebant ergo Joannem non moriturum, ac per consequens sine fine victurum. Non scio tamen, ex quo immortalitatem istam conjiciant. O quam prudenter ab Apostolis judicatum! (Olim apud Gentiles; cum hominem alioquem excellenti animo & magis pollentem virtutibus, & donis præclaris exornatum videbant; immortalem illum faciebant, dignum scilicet qui numquam morti subjaceret) Apostoli tanti præ cæteris Doctoribus, Joannem æstimabant, ut immortalitate dignum reputarent; & sic tacitè virtute atque integritate eximium proclamarunt. (Discipuli quidem Christi) Scriptor idem prosequitur (talem ac tantam S. Joannis conceperant opinionem, ut si non per naturam, per gratiam eum immortalem censerent.) sic ut bene de eo canat S. Mater Ecclesia: *Qui privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari.*

Joan. 21.

Ibidem.

Idem ubi supra.

Lab. t. 3. de S. Joan.

Joannem immortalitate præ cæteris dignum forte opinantur, quia anteactis temporibus immortales, saltem in mentibus posterorum, fiebant illi, qui egregium aliquid à se primò inventum, in lucem produxissent, prout fecit Cleantes, qui primus hominum invenit picturam. Dipelus sculpturam, Epimetheus statuam, Chalibes ferrum, Vulcanus fulmen, Prœtus clypeum, Ætolus jaculum, Thyrrenus tubam, Pan fistulam, Amphion musicam, Terpander citharam, Jason navim, Tergillus quadrigam, Thrason muros urbium, Bertillus taurum æneum, Ægineta nummum, Fulvius Hirpinus vivaria, Phryges acupicturam, Crassus coronas argenteas, Cyclopes turrim, Sidonius mensuras & pondera, Anaximander horologium, Achates ignem ex silice, Zoroastres artem magicam, Apollo medicinam, Ægyptii Geometriam, &c. at Joannes noster immortalitatis coronâ meruit decorari, eò quod primus fuerit inventor non rerum terrestrium, sed cœlestium, cùm in recondito Sanctissimæ Trinitatis Archivio æternam reperetit Sapientiam, eamque mundo sub nomine Verbi manifestârit, instruens omnes homines dicendo: *In principio erat Verbum.* Observatio hæc est Sanct. Joannis Chrysostomi. *Verùm quonam pacto, nullâ habitâ Patris mentione, de Filio sermonem aggreditur? Quia omnibus, Patrem esse constabat, saltem ut Deum, Vnigenitus autem ignorabatur. Quarè haud immerito ad ejus cognitionem à principio statim festinavit, ut nescientibus eum ostenderet;* Sic ut audiens Petrus Salvatorem dicentem: *Tu me sequere:* (id est, Tu me sequêris cum reliquis ad mortem) statim de Joanne subinterrogavit: *Hic autem quid?* Quomodo? Joannes ergo, semperne vivet? Fortè solus ipse erit immortalis? Magnus sanè is favor, sed meritò Joanni præ cæteris est concessus,

Joan. 1.

In c. 1. Joan.

Joan. 21.

cessus. *Qui privilegio amoris præcipui, cæteris altius à Domino meruit honorari.* Idcircò fortassis S. Martyr Hippolytus Joannem mortuum non esse, sed ad Paradisum terrestrem cum Sanctissimo Propheta Elia & Enoch assumptum, opinatur. *Orat. de consess. sac.*

Verumtamen Privilegium hoc Joanni maximum, præ cæteris Apostolis à Christo fuisse tenerrimo affectu dilectum, & pro sanctitate præcipuo in honore habitum, ut jure possit & meritò per excellentiam inter omnes ipse sanctus vocari, Angelicus Doctor differentiam allegat inter Divinum amorem & humanum; amor enim humanus (ait) bonitatem præsupponit, quâ ad amandum moveatur; Divinus autem non supponit in nobis bonitatem aliquam, sed illo ipso instanti, quo ad nos amandum movetur, bonitatem in nobis ponit; sic ut nos aliquem amemus, quia bonus est; sed nos boni sumus, quia Deus amat. Amoris ergo nostri causa movens est bonitas, sed bonitatis nostræ causa est amor Dei, quo nos amat. Ex hac Theologia concluditur, amorem Dei esse bonitatis nostræ & sanctitatis mensuram: quantò enim magis amor Dei erga nos intenditur, tantò magis crescit in nobis bonitas ac sanctitas. Si velimus scire quanta sit Joannis sanctitas, videamus quàm singulari amore eum Filius Dei prædilexit. Si antonomasticè Christi Dilectus nominari dignus sit. *Discipulus quem diligebat Iesus*; consequenter igitur per excellentiam & antonomasiam Sanctus possit vocari inter omnes Sanctos, sic ut Apostolorum nemo paremsanctitatis gradum sortiri credatur. *Cæteris altius meruit honorari.* Conceptum hunc nostrum B. Petrus Damianus apertissimè exprimit: *Ad tantum scilicet gratiæ provectus est privilegium, ut omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quisquam ab ipso mundi primordio cognoscatur in carne positus adspirasse.* *D Th. 1. p. q. 23. art. 4.* *De laud. S Ioan. Evang.*

Quam rara itaque sit & eximia S. Apostoli hujus sanctitas, satis ex amore Salvatoris in illum intelligitur, cùm fuerit præ reliquis summè dilectus. Princeps sit, qui duo fieri curet horologia, majus unum pro universali curia, quod signo campanæ appensæ ab omnibus audiatur: alterum minus, ex auro purissimo; minus, inquam, mole, sed tamen iisdem omnibus rotulis & cæteris ad id pertinentibus curiosius instructum: hoc in sinu suo ut quid charissimum portat, & in proprium usum solicitè servat. Apostolos omnes quasi horologium majus Deus communi totius mundi bono constituit, sic ut ubique terrarum sonus audiatur. *In omnem terram exivit sonus eorum: Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Confecit præterea horologium, minus quantitate molis, attamen pretio maximum, ex purissimo sanctitatis auro, tot constans rotulis quot Joannes enituit virtutibus & perfectionibus: fuitque horologium hoc Christo adeò charum, ut sibi soli reservarit & ipsemet ad collum gestarit, quando *recubuit in cœna super pectus ejus.* Vos Discipuli mei horologium estis, ad totius mundi directionem; at verò Joannes meum erit horologium, & semper in sinu meo conferam. Et ubi Christus reperiebatur, & non Joannes? *Ioannes juxta ipsum recumbebat,* (inquit S. Thomas à Villa Nova) *hic ipsum comitabatur quacunque ibat.* Horologium hoc Divinitatem declaravit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Incarnationem significavit: *Et Verbum caro factum est.* Horam diei sextam indicavit, quando scilicet pro salute mundi Christus lassabatur. *Hora erat quasi sexta. Fatigatus ex itinere.* Ultimam vitæ Redemptoris nostri horam insinuavit. *Sciens Iesus quia venit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem.* Horam denique extremi judicii ostendit. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* O cælicum horologium unigenito Dei Filio reservatum! Scriptoris moderni addo verba, ut prædicta confirmem: (Congregatio Sanctorum velut horologium quoddam cæleste est, ad enarrandam gloriam Dei; Joannes autem Evangelista horologium minus; sed in quo ea continentur, quæ in magno: hoc autem condidit Deus pro sinu suo: in sinu enim erat, quando sonuit hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem; & sicut hujusmodi horologium auteum solet esse; nam ad sinum Principis tale decet id esse; sicut autem fuit Joannes, charitatis scilicet auro resplendens.) *Marc. 16.* *Ioan. 21.* *Serm. de S. Ioan.* *Ioan. 1.* *Ioan. 4.* *Ioan 13.* *Lab. 1. 3. de S. Ioan. Evang.*

Petrus ductus cupiditate sciendi, quid tandem de Joanne futurum sit, confidenter Magistrum interrogat, utpotè cui soli optimè credebat notum. Audite quibus utatur verbis: *Domine: Hic autem quid?* edic, obsecro, quid hic fiet? *Hic?* fatearis, Petre, verum. An forte ignoras nomen hujus, de quo interrogas? una est equidem ex ovibus tuis: quod si nescis, sine magna id culpa negligentiæ fieri non potest. Pastor es ovium; muneris tui est, nedum omnes noscere, sed singulas gregis tui, distincto nomine posse compellare. Mysterii plena est (NN.) hæc Petri locutio:

cutio: qua propter alium S. Scripturæ locum aggredior ut sic facilius Mysterium prætactum aperiam.

Cùm in deserto cernerent filii Israel à cœlo delapsum manna, admiratione maximâ cibi delicioſissimi obstupefacti, suspicere & mussitare non cessabant, eratque hæc una omnium vox, *Manhu!* Quid est hoc? omne in se delectamentum habet. Carnem quis apetit? carnes hoc sapit. Si quis comedere panem desiderat, in hoc panem gustabit: si omnis generis fructus, omnem in hoc saporem percipiet: si quis ex appetitu depravato fortassis cepas & allia velit, in hoc gustui etiam satis factum esse probabit. *Omnis Saporis suavitatem ex eo experti fuerunt* & quia nomine proprio hoc cum mirandis suis omnibus proprietatibus exprimere non poterant, toti attoniti dicebant, *Manhu! Quid est hoc!* ignorabant quid hoc esset, q.d. Si demus nomen panis, non sufficit; habet enim prætereà saporem carnis: si carnem vocemus, neque hoc satis, cùm habeat & gustum fructus: & sic de cæteris comestibilibus discurri possit.

Hanc teor fuisse Petri mentem: Joannes, quicquid perfectionis aut prærogativarum imaginabile, in se continet, adeoque nomen dignum haud reperio, quo virtutes tot heroicas plenè explicem. (Cum Joannes omnis admirationis causam in se complectatur, meritò vocari potest nomen ejus, Hic autem quid?) Quàm benè de S. Joanne dixit Archiepiscopus Valentiæ: *Omnium quippe dignitatum titulos, omnes gratias & honores, quos per alios domûs suæ famulos, & officiales sparsim divisit, in hoc uno plenius accumulavit. Hic Apostolus, Propheta, Evangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor, Cognatus, Amicus. Si quid aliud in Ecclesia dignitatis & gratiæ est, totum perfectissimè possidet; omni honore & dignitate in domo Dei sublimatus est; omni gratia & virtute decoratus. Quod si aliorum quilibet uno solo titulo in Ecclesia Dei præclarus & magnus est; quid de isto dicendum est, qui simul omnibus pollet?* Crediderim ego Petrum hæsisse confusum, quia odoris fragrantiam ac sanctitatis virtutem lilii hujus speciosissimi non valebat exprimere.

Aut certè meliùs intelligamus, *Hic autem quid?* Aristoteles (uti refert Petrus Crinitus) sepulchro Platonis magistri sui sic inscribi curavit: *Hic est ille, quem probi omnes, &c.* Cur scripsit *Hic?* Rhetorem posuisset, aut Philosophum sapientissimum: nil simile: sed pronomine *Hic* insinuare voluit, non supperetere nomen, virtutis ejus omnisque perfectionis expressivum. *Hic dixit, ut pronomine illo omnia ejus nomina honorabilia includeret.* Eodem loquendi modo usus est Petrus, q. d. Si Apostolum nominem, id non est satis, quia etiam Evangelista. Si Evangelistæ titulo nuncupem, minus dico, quia & Doctor est. Si ut Doctorem honorem, nondum satisfacio, cùm sit insuper frater cognatus Christi: sed neque tunc satis laudavero: est enim Filius adoptivus Beatissimæ Mariæ Virginis. Nec aliud supereſt, quàm ut stupentes eum appellemus voce admirationis *Hic*. Vel potiùs inscientiam nostram ultrò fateamur, & defectu facundiæ impotes reddi ad laudes hujus Apostoli digno encomio perstringendas. *Hic autem quid?* Assumit hujus ævi scriptor. (Eodem stylo usus beatus Petrus, sic Joannem extollere voluit, dicens: *Hic autem quid?* q.d. Hic Apostolus sublimis: Hic Aquila magnarum alarum: Hic tonitrui filius: Hic is, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: Discipulus ille quem diligebat Jesus, &c. Totum hoc videtur importare emphaticum pronomen Hic.) Nec isto loquendi modo utimur, nisi cùm de Joannis dignitate atque excellentia occurrit agendum: is enim solus est, *qui Privilegium amoris præcipui cæteris altiùs à Domino meruit honorari.*

Lab. to. 3. de S. Ioan. Evang.

Lab. t. 3. de S. Ioan. Evang.

Lab. to. 3. de S. Ioan. Evang. S. Thom à Villa Nov. ser de S. Ioan. Evang.

Textor in Offic.

De Timotheo Plutarchus commemorat, ab Alexandro Magno singulari affectu fuisse dilectum, adeò ut nunquam illi occurreret, quin oblato beneficio subditum ornaret. Cùm autem semel Timothei cubiculum ingressus, dormientem invenisset, catenam auream collo injecit. Viderunt Aulici, & hoc ipso favores Timotheo ab Alexandro collatos scito emblemate expresserunt. Dormientem ad litus maris in navi depinxerunt, manu retia contrahentem gravida necdum gemmarum conchyliis ac coraliorum ramis, sed etiam sceptrum & coronæ cœlo illabentia apparebant, additâ hac epigraphe, *Quid expergefactus?* Hoc indicare volebant, quanto favore Timotheum Rex prosequeretur, cùm etiam dormienti, præ cæteris Aulicis, benefacientem competissent. Joannes noster dormiens *supra pectus Domini in cœna recubuit*, maximis à Christo privilegiis insignitur atque aureâ, non catena, sed sapientiâ decoratur, arcana cœli secretissima imbibendo. *In illo namque ecstatico somno, quando supra pectus ejus in cœna recubuit, mira de illius Divinitate secreta cognovit.* An non jure meritoque cum Aulicis hic Apostoli dicant. Si tot ac tanta novus hic Timotheus

Plutarch. & Suidas.

S. Thom. à Villa Nova.

theus ab Alexandro cœlesti beneficia dormiens accepit, *Quid expergefactus! Vide* (ait sæpè jam citatus Author] *an id cæteri assecuti fuerint, quod noster piscator sanctus, dormiens supra pectus Domini, fuit assecutus. Mas supo Ivan durmiendo en una hora, que todos los sabios vellando sobre los libros todo su vida Cæteris altius: &c.*

Dubium equidem manet (mi Pater) & clariori expositione est opus. Nunquid ergo S. Petrus ante Apostolos reliquos in amore & favore primus & charissimus, adeoque etiam Joanne dilectior? Christus Salvator Petrum Collegii Apostolici Caput constituit, sui gregis Pastorem, totius mundi Pontificem, S. Ecclesiæ Sponsum, cæli terræque supremum Dominum, quantum denique Pontificia dignitas ab Episcopali discrepat, tantò Petrus Joanne est major. Ad libram accedamus, & in unam lancem, quidquid gratiarum Petrus cum dignitate pontificia accepit, imponamus; in alteram Joannis favores, cùm à Virgine Maria in Filium adoptivum est assumptus, dicente Christo: *Mulier ecce filius tuus* deinde Discipulo: *Ecce Mater tua.* Interea dilucidâ similitudine nodum solvere conabor. Episcopus aliquis duo Ecclesiastica beneficia servat, quæ in Religiosos duos benè meritos conferat, ut sic obsequia fideliter impensa, compenset. Beneficium unum bis mille coronatis facilè constiterit; sed habet annexam animarum curam, ita ut beneficiati residentiam & assistentiam continuam requirat, tempus prandii sit aut nocturnæ quietis; pluvium aut serenum, egredi ilicò cogitur, quoties ad munia peragenda vocatur. Beneficio dives est, fateor, sed non ita felix & quietus, quin potiùs miser & solicitudinum plenus. Quid ergo, si beneficii emolumentis fruitur? certè bolus est bis mille amaritudinibus conditus. Alterum mille tantum coronatorum, sed absque animarum cura est, absque fastidio aut anxia solicitudine pacificè possidetur: verbo dictum: bolus est summâ refertus dulcedine, summeque gratus. Dicite modò (NN) Quis duorum istorum plus favoris à Prælato accepit, primus, an secundus? Eligerem ego cum secundo potiùs esseque sine fastidio ac solicitudine, quàm cum primo in maximis assiduisque curis versari. Duo beneficia Christus habuit distribuenda, Ecclesiam putâ, & Mariam: Ecclesiæ annexa est animarum cura, mille inquietudines, & onera gravissima: Maria verò beneficium simplex sine molestiis, sine animi angore. Ecclesia Petro datur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ecce beneficium Ecclesiasticum; sed *Pasce oves meas.* Ecce annexas curas. Alterum simplex & beneficium sine cura, sine ullo onere Joanni confertur: *Ecce Mater tua.* Bilancem denuò jam videatis (NN.) utriusque dignitatem ac favores expendite, judices estis: Uter duorum beneficiatorum putandus sit fortunatior? Tibi sit Ecclesia, Petre, & tua semper manere possit; neque invidiam timeas aut ullius offensionem; Joannes Mariam retinere desiderat, seque illo pontificatu verè beatum ac summè contentum liberè confiteatur. Aliorum hic conferre judicia lubet. Arnoldus Carnotensis ita decidit: (Petro commendatur Ecclesia, tibi Maria: illi tumultuosa negotia, tibi pacifica: illi attria, & vestibulum, & altaria sanguinum; tibi commendatur altare incensi & Sancta Sanctorum. Ad culmen mysterii tui nullus tecum admittitur.) Nec minus eleganter S. Thomas à Villa Nova concludit. *Pendebat in cruce moriturus; aderat ibi Dilectus, quid sibi allegaretur expectans. Quid tibi, dilecte, legabo? Quid in ultimis dabo tibi? Ecce Mater tua: Hæc omnium, quæ possideo, charissima & pretiosissima gemma: hanc dono. O magnum dilectionis indicium! suo loco apud Matrem substituit eum, & pro se in Filium Virgini reliquit eum: huic gratia quid amplius addi potest?* Beneficium sanè maximum, cui nil solicitudinis, nil planè incommodi poterat unquam esse annexum. *Iam ex hoc intelligere licebit, quanta felicitatis & gloria fuerit, tot annos cum Virgine commorari eam sicut filius, alloqui, ejus decore, præsentia & jucundo colloquio tam familiariter frui, ejus magisterio imbui, ejus exemplo & moribus instrui.*

Sed nec silentio prætereundum, quod gratiæ beneficiique causâ Joanni etiam concessum. Hic Apostolus noster pro clypeo fuit Christo Domino: propugnator strenuus, & consolator intimus usque ad mortem fideliter permansit. Tristabatur Salvator & proditionem Judæ præmeditans, gemens ait. *Unus vestrûm me traditurus est.* Clypeum Joannis statim opposuit, ut doloris retunderet ictus, dicens: *Domine quis est qui tradet te?* q. d. Sciam, obsecro, Domine: quinam tam impius & sceleatus, ut nefandum hoc ausit: Ecce ego ad nutum tuum ero, tuebor & defendam. (Recubuit supra pectus Domini, quasi clypeus, quem supra cor applicuerat Jesus, ut eo retunderet pessimum ictum Judæ.]

Joannes semper & ubique Christi comes individuus. Cùm ambularet juxta mare Tiberiadis,

Apud Andr. Pint Ramirez. Antolog. 4. §. 3. n. 235. Ser. de S. Ev. Joann.

Joann. 19.

Matth. 10.

Joann 21.

Ibidem.

Labat t. 3. de laud S. Ioann. Evang. Matth. 4.

dis, aderat Joannes: ascendens ad montem Thabor, Joannem assumpsit: ingressus in domum Principis, ut filiam resuscitet, testem Joannem adhibuit: iturus ad nuptias in Cana Galileæ, Joannem voluit habere convivam: proficiscens Hierosolymam, ut sacratissimæ passioni initium daret, Joannem adesse curavit: in cœnaculo assedit Joannes, & inde ad hortum Gethsemani est comitatus, neque usque ad atrium Pontificis sequi trepidavit: denique in cruce pendenti adstitit Joannes, & nunquam à Christo avelli potuit, sed fidelissimum se comitem probavit, quanquam cæteri, *relicto eo omnes fugerunt*. Solus Joannes separari non patiebatur: *Adolescens autem quidam sequebatur eum*. Per adolescentem eum SS. Patres Joannem intelligunt. Semper itaque Domino adfuit Joannes; ideò fortassis, quia si Solem esse Christum dicamus, fatebitur, *Ego sum lux mundi*: sed Joannes numquid umbraculum. Et ut sic de eo verificatum *Quo pergis, eodem vergo* Hinc miles quidam, ut constantiam & robur animi indicet, esseque in bello moriendum potiùs, quàm clypeum turpiter abjiciendum, sic breviter insculpsit: *Aut in hoc, aut cum hoc* Quid ergo mirum est, Christum habuisse Joannem in vita & in morte comitem? Joannes Christi clypeus erat, ut quasi diceret Christus: Cum Joanne sim, aut potiùs non sim: eum eo vivere, cum eo mori velim. *Aut in hoc, aut cum hoc.*

Matth.17. Luc.9. Joann.2. Matt.20. Marc.14. Joann.17. Joann.19.

Matth.26. Marc.14. S.Thom. Ianson. S.Gregor. 14. moral. c.23.

Otho Vanni.

Mos olim Athenensibus erat & lege firmatus, ut in bello clypeum quisque integrum conservaret, si præmio vel honore affici desiderabat: opprobrio autem maximo vertebatur, clypeum è bello fractum, in Patriam referre. Undè cùm Epaminondas dux inter Athenienses armis inclytus in conflictu ab hostibus ad mortem graviter esset læsus, moribundus hoc ultimum sollicitè interrogavit, scutumne integrum adhuc esset. Ubi salvum esse intellexit, bene est, inquit proferte, ut videam, osculer & in amplexu lubens immoriar. Ita referunt Valerius Maximus, & Justinus in Annalibus (Ut relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id unum à circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis. Quod ut servatum audivit, allatum voluit, laborem gloriæ socium osculatus est; atque ita gratulabundus expiravit.) Joannes noster Christi clypeus & in hoc gloriatus est, ut ubique salvum esse sollicitè curârit, imò etiam illæsum servavit.

Iust.l.6.

Joannes cum Petro in domum Principis Sacerdotum introivit; Petrus ibi naufragium passus est, cùm turpiter negavit; at Joannes nec cecidit, nec ab hostibus læsionem accepit. In Pathmos insulam relegatus, integer illic & salvus remansit: in ferventis olei dolium projectus, incolumis exivit: ab infuso illi veneno Dominus illæsum præservavit. Cùm denique foret ad mortem Filius Dei gravissimè vulneratus, & jam datutus spiritum, caput dimisit: *Inclinato capite*. Videre adhuc in extremo illo vitæ momento gestiebat salvusne clypeus ejus Joannes esset; & cùm eum cruci adstantem videret illæsum, sic tacitâ mente verba ultima concepit: Benè est, & satis id mihi, Clypeum cùm video salvum, gloriabor, & jam lubens morior. *Tradidit Spiritum*. Et quis dubiter, voluisse Christum, (ubi Joannem clypeum suum vidit, exantlatorum laborum individuum socium) Epaminondam hic esse Joannem inquam, inclinato capite amanter intueri, expensis brachiis scutum hoc amplecti, & ante mortem, ultimum adhuc osculum dare. (Cùm igitur Joannes Evangelista clypeus Christi extiterit, consequens est, ut illum indemnem servare curârit, sicut de facto servavit, Clypeus enim Christi erat, & ad ejus spectabat honorem, eum conservare.

Joann. 19.

Lab.t.j.de S.Ioann. Evang.

O Joannes, lilium verè candidissimum! Quid gratiarum aut gloriæ mirari in aliis possim, in te eminenter totum reperio. Aquila es meritorum volatu, & prærogativarum alis superastra ascendens, sic ut vel oculis eminùs assequi non valeam. Quidquid de tuis dixero laudibus, minus est, & plus expedit, ubi totus obstupescit mundus, alto potiùs silentio venerari.

Ad cælum Empyreum properantem, vos (NN) oculo admirationis sequimini: & cùm ingenii mei acies eò pertingere nunquam posset, discursus mei volatum contraham. Vos interim mente assequi conamini, quò nec arte, nec industria, nec linguæ facundiâ spetem facilè pervenire. Hoc modò velim, ut ad gloriam Apostoli nostri, quem in charitatis operibus hactenus prædicamus eximium, eleemosynam solito majorem singuli faciatis.

PARS SECUNDA.

QVi privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari. Privilegio supra omnes Martyres est. Quorundam opinio fert: Angelum ei diem & horam obitûs indicasse,

D.Hier.l. de Script. Eccl. Euseb.l.3.

& morte jam imminente, Discipulos convocasse, ultima salutis verba dedisse, hortando omnes & singulos, ut in dilectione sæpissimè commendata permanerent, in defensione Catholicæ fidei constanter perseverarent, eique locum sepulturæ pararent. Finito ergo discursu, in tumulo dispositò collocatus & pallio involutus spiritum Deo reddidit ac placidè obdormivit. Ita sentiunt S. Hieronymus, Eusebius, Nicephorus, Epiphanius, Isidorus, Tertullianus & alii.

hist. Eccl. cap. 14. Nicephor. lib. 1. c. 35. Epiph hom. 79. Isidor. l. de vita & obitu Sanct. c. 7. Tertull. de an. c. 50. de consen. fac. apud Laur. Zam. l. 3. dist. 20. §. 10.

Econtrà tamen sentit S. Martyr Hippolitus, non esse mortuum, sed, ut tactum suprà, ad Paradisum terrestrem evectum. Unde Glossa ad hæc Christi Servatoris verba, *Sic eum volo manere, donec veniam*, sententiam sancti Scriptoris probare videtur expressis his verbis: *Nolo eum per martyrium consummare, sed expectare eum in placidam absolutionem carnis suæ, quando ego veniens recipiam eum in æterna beatitudines.* Ex quibus non obscurè deducitur superstitem esse Joannem, neque adhuc martyrio finivisse vitam. Atq; hinc alia emergit difficultas. Si nō occubuit hic S. Apostolus Martyrio, quomodo ergò dici possit Martyr? *Mors est de ratione Martyrii*, uti Angelicus Doctor affirmat. Hoc Joannis est privilegium; siquidem cæteri Martyres, ut palmam obtineant Martyrii, vivere desinant, necesse est, & morte violentâ extinguantur, at verò Apostolus noster ante mortem, ante Martyrii ultimas pœnas Martyr esse meruit, & glorioso hoc titulo ab ipsomet Salvatore decorari.

D. Th. p. 2. q. 124.

Cùm ad Christum accessit Zebedæi uxor pro filiis supplex, *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad sinistram in regno tuo.* Salvator respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* S. Paginæ expositores, per calicem significari martyrium, asserunt. Ita Divus Hieronymus: *Calicem in Scripturis Divinis passionem intelligimus.* Rupertus Abbas: *Nomine calicis passionem voluit significare Martyrii, quâ & ipsum & illos decebat consummari.* Ad hunc martyrii calicem bibendum promptissimos se esse respondent: *Possumus.* Quod Sanctus Remigius exponit: *At illi jam Martyrii libertatem, constantiamque retinebant, bibituros se pollicentur.* Atque adeò Christus subjunxit: *Calicem quidem meum bibetis.* Pro certo hoc à me retinete; utrique vestrum corona Martyrii reservatur. Chrysostomus ibi: *Dominus autem (ait) en prophetat magna bona, id est, Martyrio dignos efficiendos. Atque hoc mihi intellectu difficile*, ut dixi: si enim solum Jacobus Martyrii pœnas luit & moritur, Joannes autem vel adhuc vivit, vel certè morte naturali occubuit, quomodo utrique dictum à Christo, *Bibetis?* Dixisset, *Vnus vestrum, id est, Iacobus bibet calicem Martyrii.*

Matth. 20.

In Catena D. Thom. in Matth.

In Catena D. Thom.

Dubium hoc etiam S. Hieronymus movit. *Quæritur quomodò calicem Martyrii filii Zebedæi, Iacobus videlicet & Ioannes, biberint, cum Scriptura narret Iacobum tantum Apostolum ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propriâ morte vitam finierit?* Ex cerimonia Sanctæ matris Ecclesiæ obscuritas hæc & dubitatio tolli potest.

In Catena D Th ad litt.

Durandus & Innocentius quærunt, quare solemnioribus Festis trina fiat incensatio in Vesperis, Matutinis, ac Laudibus, eaque in tribus altarium distinctis locis, in cornu Epistolæ, Evangelii & in medio; & ubique tribus vicibus incensetur in Missa solemni, scilicet in Introitu, in Offertorio, & Elevatione. Petunt igitur cur ter ducatur thuribulum, cur non semel, vel quater aut quinies? Non caret mysterio ista cerimonia: Respondent illi per trinam istam incensationem trinam Magdalenæ unctionem repræsentari. *Quia Magdalena ter Corpori Christi unguentum exhibuit* Miror, Doctores hanc adducere rationem, cùm duabus tantum vicibus Magdalenam unxisse Christi corpus, constet; semel in ædibus Simonis Leprosi in Bethania, prout referunt S. Matthæus & S. Marcus in Evangelio; & hæc quidem illa ipsa est unctio, de qua scribit & S. Joannes, ut rectè Jansenius annotavit his verbis: [Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus: fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Absurdum est dicere, diversas fuisse unctiones: utraque enim in Bethania circa tempus passionis facta est à muliere, utraque fit unguento nardi pistici pretiosi, utraque æstimatur trecentis denariis, atque indignationem Discipulorum in utraque secutam. Dominus similiter cohibuit.) Et doctè concludit: (Jam quia Joannes in cœnâ sua dicit Martham ministrasse, & Lazarum unum fuisse ex discumbentibus, non consequitur, hanc cœnam in domo Marthæ & Lazari factam. Ut autem in domo Simonis leprosi Martha ministraret & Lazarus accumberet, in causa potuerunt esse diversa; nempè vel vicinitas & domorum contiguitas, vel consanguinitas, vel denique arctissima familiaritas, quæ erat inter Discipulos Domini credentes in ipsum)

Durand. in Rat. Div. offic.

Matth. 26. Matth. 14. Ioan. 12. Corn. Ian. Com. in Concord. Evang. c. 109.

Altera

Altera unctio facta est in domo Pharisæi, uti in Evangelio S. Lucæ scriptum est: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, & unguento ungebat.* Nec invenio sæpius unxisse pedes Salvatoris. Quomodò ergo verè Durandus affirmet non solum bis, sed ter Corpori Christi Magdalenam unguentum exhibuisse?

Luc. 7.

Dicat fortassis aliquis, sepulto Domino, idque jam tertio factum *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum* At contrà reponam, non tunc unxisse de facto, quia Salvatorem non repererunt, sed ab Angelo audiunt esse resuscitatum: *Surrexit: non est hic.* Quod autem jam tertiò quidem actualiter non unxerint, non illis animus defuit (quippe quæ celerrimè eo fine advenerant) sed potestas, adeoque cum voluntas pro facto habeatur, censeri possint effectivè etiam tertiò unxisse, non minùs quàm vicibus anteactis, ut benè locutus sit Durandus. Audite verba, (Quod autem Sacerdos tertiò superducit & circumducit incensum, designat quod Maria Magdalena ter exhibuit unguentum circa Corpus Jesu tertiò, cum emit aromata, ut veniens ungeret Jesum jam positum in sepulchro: voluntas enim pro facto reputatur, cùm & per ipsam non steterit, quò minùs expleverit quod incepit.)

Marc. 16.

Et Innoc. Papa III. de Myst. Missæ l. 2. c. 56.

Non aliter Apostolus noster martyrii coronam alacriter quæsivit, dum in ferventis olei ahenum intrepidè prosiliit, ut sic moriens inter Martyres locum mereretur. Quid si non permiserit Christus, sed ut scutum sibi charissimum præservârit, nil tamen ex parte Joannis defuerit quò minùs Martyr gloriosus occumberet. An minus idcircò Martyris titulo possit condecorari? Absit, Christum audire videor. Bono sis animo, mi Joannes, actu quidem Martyr non moreris, uti frater tuus Jacobus; quia tamen ex parte tua nil defecerit, voluntatem compensabo; non secus ac si actuali Martyrio fores occisus; adeoque vos ambo *calicem meum bibetis.* S. Hieronymus aperte consentit. *Ioannes non defuit Martyrio, ex quo voluntas pro facto accipitur.* S. Thomas à Villa Nova disertis verbis confirmat: *Non enim Ioannes morti, sed mors Ioanni defuit in martyrio: Verè, sicut illi Dominus ante promiserat, calicem Domini bibit, & sine morte, Martyrii meritum & gloriam obtinuit, & Martyrum aureolâ in cœlo est coronatus.* Michael de Palatio ita prosequitur: (Si Martyrium subsecutum non fuit, per Joannem non stetit, qui ferventis olei expertus est fervores, qui satis essent ut alii orarentur halitu; verùm Joanni dilecto, Dei opitulante gratiâ, cessarunt. O verè maximum privilegium, ex solo voluntatis affectu Martyrem æstimari!

Serm. de S. Ioann. Evang.

Scio non deesse, qui sustinent martyrium subiisse, cum Christum cruci affixum vidit: tum, sensisse (ajunt) cum Virgine Matre afflictissima dolores omnes & cruciatus, quos in sacratissimâ humanitate Redemptor tulit; & hoc majorem Apostolo nostro addit gloriam. (Crucifixus hic fuit ejus gladius, hic eum Martyrem fecit, & idem doloris gladius, qui cor Mariæ transverberavit, scilicet Christus in cruce, hic idem Joannem Martyrem fecit. O illustre Martyrium, quem Christi dolores Martyrem effecerunt! Verè calicem Christi bibit Joannes, dum Christi passione ipse torquetur.)

Osorius in Festo S. Ioann. Evang.

Ecce ergò Joannes favoribus cœli dives & privilegiis excellens. Felicem se duxit Abraham, cùm à Domino nomen ejus adjectâ litterâ illustrabatur. *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed apellaberis Abraham.* Pro summo hoc beneficio & honore habuit, & ingrati animi signum, curvatis humiliter genibus gratias retulit. *Cecidit Abraham in faciem suam, tanquam tantum onus ferre non posset.* Tantam ego gloriam, Deus bone! non mereor, pudore suffundor, & quid unquam in vita retribuam, nescio. Quid hoc? tantinè putanda est adjecta litera? (Abraham inter alia beneficia, quæ illi conferenda recenset, hoc præcipuè dedit, ut Abraham vocaretur, unâ litterâ nomini adjectâ ab unius litteræ additione tanto gravetur pondere Abram, Abraham factus.) Joannem intueor, potiori jure quàm Abraham, reclinantem in cœna, & pectori Dominico incumbentem. *Recubuit super pectus Domini.* An fortè tanta fuerit favorum & beneficiorum à Christo acceptorum multitudo, ut non esset ferendo? Recubuit. Unde mihi persuasum est, nunquam ab ullo mortalium satis laudari posse S. Joannis Evangelistæ dignitates & merita, ut ab oriente ad occidentem mundus universus obstupescat.

Gen. 17.

Novar. in Umbr. Virg. c. 14. n. 186.

Quapropter, ut in punctum silentii discursus hic meus desinat, verbo concludam, tot esse Joannis excellentias, tot hujus candidissimi Lilii decores, ut numerum conficerent infinitum, in quo quantumvis numerem, plus semper aliquid restet. Optem à vobis celebrari potius eloquente cordis affectu, quem interno ego cultu jam reverebor & profundo silentio.

Ite in pace.

IN FESTO SANCTORUM INNOCENTUM.

ARGUMENTUM.

Immortalem consecuti sunt gloriam Innocentes eo ipso tempore, quo Herodes ferocienti temeritate desæviit & recenter natos occidit. Nec mirum, siquidem sub amarâ Martyrii cortice cælestis gloria invenitur. Quàm cæca sit & effera mortalium ambitio, vel ex Regis impiissimi nefaria & scelerata mente conjiciemus.

THEMA.

Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. S. Matth. cap. 2.

NOn miramur (NN.) fructum cohærere ramo, ramum trunco, flumen mari, radium soli, effectum causæ, adamantem ferro, eò quòd qualitas contraria non detur, quæ continuationem istam impediat: mirandum hoc tamen, objecta esse, inter quæ, etsi summa sit qualitatum antipathia continuatio nihilominus reperiretur: mirum id, inquam, videri possit etiam viris doctis, neque facilè rationem exponant. In scriptura sacra conjunctionem inter lucem & aquam lego inseparabilem. Vix bene jacta erant mundi fundamenta, & aquæ erumpentes vitam Spiritui cælico apparabant. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, & illo ipso momento lux diffundebatur, ut splendoris penicillo ingeniosa pictrix opus Omnipotentis obscurum revideret in tela universi delineatum. *Fiat lux: & facta est lux.* Populus Israel, excusso servitutis Ægyptiacæ jugo, aufugiens Deum propitium habuit; die enim direxit itinerantes nube, quæ non aliud quam aquarum urna; nocte verò columnâ ignis (qui luminis patet est) viam rectam ostendit. *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendum viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Joann. vidit mare, quod fluminum sinus est, commixtum igni, à quo ceu fonte primo lux emanat. *Vidi mare mixtum igne.* De vulnere quod Longinus inflixit lateri Christi, *exivit sanguis & aqua*, in Longini oculis, quorum alter cæcitatis caligine obscuratus, subitò lux infulsit. (Cum ex infirmitate ejus oculi caligassent, Sanguis Christi per lanceam decurrens, oculos tetigit, & protinùs clarè vidit.)

Si modò à naturæ statu ad gratiæ ordinem veniamus, & à sensu litterali ad moralem intelligentiam penetremus, atque quid aqua, quid lux significet, videamus, occurret supradicta conjunctio. Lux est æternæ gloriæ symbolum. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. In lumine tuo videbimus lumen. Lucem habitabat inaccessibilem.* Et S. P. Augustinus in has frequenter erupit voces: *O lux,*

Gen. 1.

Exod. 3.

Apoc. 15.

Ioann. 19.

Petr. de natal. in vita Long. l. 3. c. 221.

Ioann. 8.

Psal. 75.

1. Tim. 6.

quam

quam non videt alia lux, qua obtenebras omnem lucem; & lumen quod excæcas omne extraneum lumen; lux à qua omnis lux; lumen ad quod omne lumen est tenebra, ad quod omnis lux obscuritas: lux suprema, quam tacitas non obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebra non offuscant: lux qua illuminas omnia, tota simul & semel & semper.

S. Aug. verbo Lux in Mille-loq.

Per aquas intelligimus cædes & tormenta Martyribus illata. *Omnes fluctus tuos induxisti super me. Probavi te apud aquam contradictionis. Transivimus per ignem & aquam. Et transvexit eos per aquam nimiam.* Michael à Bononia Carm. in Psalmos, sic exponit: (isto modo accipiuntur fluctus pro acerbitate pœnæ: *Et alibi:* Per fluctus autem, adversa à mundo vel diabolo procurata: *ac tandem concludit:* Per aquas intellige adversitates, pœnas & miserias vitæ præsentis: rectè enim per aquas adversitas vitæ præsentis figuratur.) Lux itaque gloriam, aqua Martyrium denotat. *Innocentes pro Christo infantes occisi sunt: ab iniquo Rege lactentes interfecti sunt.* Ecce aqua, ecce Martyrium. *Ipsum sequuntur Agnum sine maculâ, & dicunt semper: Gloria tibi Domine.* Ecce gloria.

Psalm. 87. Psalm. 80. Psalm. 65. Sap. 10. Incogn. in Psal. 87. v. 1487. Item, in Psal. 42. v. 697. In Psal. 68. n. 1086. S. M. Eccl. in Officio SS. Innoc.

Hæreo, & quid hic pro titulo discursûs mei sumam, nescio, de gloriâ, an de Martyrio dicam, fuerintne Innocentes in persecutione Herodis Martyres facti, an verò glorificati: cùm tamen aquæ lux individuus sit comes, & inter Martyrium ac gloriam sola intercedat vocabuli differentia, hæc mea erit propositio quam probatum eo, SS. Innocentum Martyrium esse quandam cælestis beatitudinis gloriam, & glorificatos Innocentes hoc ipso quo Martyrio affecti; sub accidentibus Martyrii essentiam gloriæ cælestis contineri. Et cùm tantæ impietatis Herodes sit Author, in altera discursus mei parte, videndum quid eò crudelitatis Tyrannum Regem adduxit. Interea cum aqua dictionis meæ audientium corda rigabo, Tu, sol Divine, radio supernæ gratiæ mentes illumina.

PARS PRIMA.

MIrum videbitur plerisque, scio, & simplicibus paradoxum quod dicant, cùm in Martyrio dolores, in gloria lætitiam incredibilem experiamur; probo tamen; ac primò quidem Authoritatem adfero S. Patris Hilarii, qui vel solo termino gloriæ; neque aliis explicare quid ditatem Martyrii posse videbatur, ubi de Innocentibus locutus, ait: *In æternitatis enim profectum per Martyrii gloriam efferebantur*, addens illorum stragem meram fuisse gloriam sub Martyrii habitu repositam, Atque hæc est S. P. Augustini doctrina, cui omnino acquiescendum.

S. Hilar. apud Lans. in Concord. Evan. c. 11.

Audistis, ni fallor, sæpiùs (NN.) de servis Dei Enoch & Elia, quos ob zelum Verbi Dei atque exactam mandatorum observantiam magnis effert laudibus S. Scriptura, æterna hominum memoriâ dignos. Dicitur, nondum persolvisse eos ultimum naturæ debitum, sed in Paradiso terrestri, in summâ tranquillitate vitam protrahere, usque ad finem mundi, utpotè reservatos à Deo in adventum Anti-Christi. Tertullianus ita asserit: *Translati sunt Enoch & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: cæterum morituri reservantur, ut Anti-Christum sanguine suo extinguant.* Et Eugyppus Abbas: *Elias ante adventum Judicis Salvatoris non immeritò speratur esse venturus, qui etiam nunc vivere non immeritò creditur.* Fateamini verum; si determinato tempore & hi mortui fuissent, uti mortuos legimus Abraham, Isaac, Jacob; Melchisedech & alios, peto an non etiam Ascensionis die in cælum cum Salvatore venissent, æternâ beatitudine cum Sanctis reliquis præmiandi? Extra dubium est, Deus ergo utrumque gloriâ privavit, per omne tempus illud, & usque ad mundi eversionem. Et verè equidem sine illorum præjudicio non facit Deus, nec justitiam hic distributivam observat, gloriæ debitum illis suspendendo Respondet S. Augustinus, Deum abundè remuneraturum gloriam tanto tempore subtractam, Martyrio ambos coronando. *Compensabitur eis tolerando Martyrium.* Quid hoc proprié, *compensare? compensare*, id est, *reddere aliquid ad æqualitatem.* Accepero v. G. centum aureos mutuos eo pacto, ut intra mensem restituam; expirat terminus; & quia nummos non habeo paratos, reddo æquivalens, puta monile tanti aut certè majoris pretii, & sic aureos concessos compenso. Isto sensu lusit Ovidius.

L. de Anim. cap. 20. c. 141.

Tot tamen amissis te compensavimus unum. Ovid. Ep. 3.

Ergóne hoc velit Augustinus, Deum compensaturum gloriam Paradisi Prophetis illis

debitam, conceſſo Martyrio? S. Patris ea mens eſt, tanti Deum agonem Martyrii, quanti coronam gloriæ æſtimare.

Ioan. 1. S. Pater Ambroſius ad Apoſtoli Joannis verba, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, affirmat, Chriſtum omnium, quæ tetigit, naturas mirabiliter commutaſſe, quemadmodum idipſum de terra in creatione hominis Franconius Abbas inſinuat his verbis: (*O lutum, quàm fragile, quàm vile, quàm abjectum eras! Ecce quam ſolidum, quàm gratum, quàm glorioſum factum es, poſtquam in manus cæleſtis Figuli aſſumptum es! lutum in Deum ſolidatum eſt.*) Ita etiam Chriſtus, ſi aquas tangebat, eas ſanctificabat; ſi tenebat, in lucem convertebat; ſi infirmitatem, in ſanitatem commutabat; ſi peccatorem, in juſtum; ſi mortem, in vitam transformabat. *Infantia in Chriſto facta fuit, ergo infantia in Chriſto vita fuit. Vulnus in Chriſto factum fuit, ergo vulnus in Chriſto vita fuit. Mors in Chriſto facta fuit, ergo mors in Chriſto vita fuit.* Et Cardinalis Toletus: (*Verbum enim (inquit) quod ſola ſua Divinitate, omnium creator erat, ratione carnis in ſe acceptæ & Divinitati conjunctæ, auctor eſt vitæ, non enim aliter fecit hominem vivere, niſi per carnem; non quia non poſſet, ſed quia ita facere ab æterno diſpoſuit.*) Humanitate ſuâ ſactatiſſimâ tetigit Chriſtus & recepit, quotquot Martyria imaginari quis poſſet; dicendum ergò nedum ſanctificata ea eſſe, ſed in ſuum contrarium permutata. Quid Martyrium antequam attingeret Salvator? dolor & mors acerba; at verò à Chriſti tactu mutata in gaudium & vitam glorioſam. S. Auguſtinum audite confirmantem: *Ecce Martyrium Chriſti, & apud homines in hoc mundo, non ſolum non eſt opprobrium, ſed magnum eſt ornamentum. Ecce non ſolum in conſpectu Domini, verùm etiam in conſpectu hominum jam pretioſa eſt mors Sanctorum ejus. Ecce non ſolum non contemnuntur: verum etiam magnis honoribus præferuntur Martyres ejus.*

De Grat. Dei tom.

S. Ambr. in c. 1. Ioan.

In cap. 1. Ioann.

Tom 8. ſer. 9 in Pſ. 118.

Gloria, intuitu Dei quæ Sanctos beat, à Theologis Divina vocatur. Sic Martyrium reſpectu Chriſti utpotè ſubjecti recipientis, dici poſſit Divinum, quia à Chriſto jam Deificatum. Theologos conſulamus & ab eis inquiramus, an non ea ſit illorum doctrina, & vera hæc præpoſitio: Quidquid à Verbo aſſumptum, Divinum factum eſt? Hinc per *communicationem idiomatum*, Sanguinem Salvatoris docent, eſſe Divinum, carnem Divinam; animam Divinam, corpus Divinum, humanitatem Divinam; imò etiam crucem ipſam vocant Divinam, quòd humeris eam Chriſtus portarit, adeoque, ut quid Divinum, *cultu latriæ*, non aliter quam ipſummet Deum adorari.

Quis autem ignoret, Chriſtum aſſumpſiſſe dolores noſtros, & omne Martyriorum genus à Tyrannis excogitatum in ſe ſuſcepiſſe? *Dolores noſtros ipſe portavit.* Nemo igitur neget, Martyriis aliquid Divinum ineſſe, ut propterea pati veniant paſſu cum gloria. Etenim, ſi verum eſt Philoſophorum hoc dogma. *Forma dat eſſe ſpecificum rei, cujus eſt forma, & denominatio dejumitur magis à forma, quam à materia*, eum ſancti Martyres (ut ita dicam) Martyrii Divini formam recipiunt, vocari meritò Martyres Divini poſſunt; & cum Sancti Innocentes in Martyrio Divinitatis formam acceperint, Divini facti ſunt non minùs quàm à gloria Sancti cælites glorificati.

Quando in S. Scriptura & SS. Patribus de gloria cæleſti fit ſermo, nomine lactis, mellis, & dulcedinis metaphoricè efferunt. Ita David: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Et S. Auguſtinus adjungit: *Hanc dulcedinem tuam ineffabilem, ut reor, ipſe guſtaverat, qui dicebat: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* Et Sanctus ille Pater de gloria repetens, quam Chriſtus Apoſtolis communicarat, & ſpecialiter Petro, ait: *Hanc ut guſtavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quaſi ebrius: Domine, bonum eſt nos hic eſſe: hic moremur & contemplemur, quia nullo alio indigemus; ſufficit nobis, Domine, videre te; ſufficit tantâ dulcedine ſaturari. Vnam ſtillam guſtavit iſte dulcedinis, & omnem aliam dulcedinem faſtidivit.*

Pſ. al. 30. S. Aug. Soliloq. c. 21.

S. Aug. in Milleloq. verb. Dulcedo.

Sic ubi facta eſt mentio de deliciis terræ promiſſionis, per quas in ſenſu analogico æternæ gloriæ felicitatem colligimus, metaphora lactis & mellis repræſentatur. (Juravit Patribus tuis, ut daret tibi terram fluentem lacte & melle. Audi Iſrael & obſerva ut facias, quæ præcepit tibi Dominus, & bene ſit tibi, & multiplicetis ampliùs, ſicut pollicitus eſt Dominus Deus Patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, in terram quam providi ram eis, fluentem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes terras.) Et hinc deducitur, à cæleſti gloria omnem excludi amaritudinem, & ineffabilem dulcedinem contineri. Videndum nunc (NN.) utrum cum gloria in

Exod 13. Deuter. 6. Ezech 20.

hoc

hoc etiam conveniat Martyrium, quod alvearium possit dulcedine mellis abundans, & apes mellificantes meritò Martyres nominari. Ne tamen hyperbolicè loqui me credatis & exoticum, Joannis Chrysostomi audite sententiam expressam his verbis: *Omnes ad Martyrium quasi ad alvearium apes volant.*

S. Ioan. Chrysost. in Mart. SS. Iuven. & Max.

Gloriam, ut præmium affectûs, Deus impertitur iis, quos amat; & quanto flagrantior est affectus, tanto majus est gloriæ donum, quo remunerat. An non mecum sentietis omnes, Martyrium esse speciem gloriæ, si id diligentibus se, ut amoris præmium, à Deo datum commonstrem? Tribus vicibus S. Petrum de dilectione Salvator interrogat: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Respondit Apostolus: Quid hoc à me petis? Tu, Domine cordium inspector, & secretissima perscrutans, ut optimè omnium noris, quantus sit erga te amor meus. *Tu scis, Domine, quia amo te.* Iterum cælestis Magister petit: *Simon Ioannis diligis me?* Etiam, Domine, dixi: & quis de maximo meo in te affectu dubitet? si lubet, experiaris, ut, quod jam verbis, factis probem. Tertiò idem replicat: *Simon Ioannis, amas me?* Magister bone, jam tibi mentem aperui: vis ut seria magis fide testificer, aut instrumento Notarii publici obstringam? Quid ergò? Cupis ut sanguinem profundam vel etiam vitam? Ad omnia præsto futurum semper invenies. Satis superque jam habeo, respondit Christus, video quod ames, & amori tam syncero præmium reponam. Quid hoc, Salvator mi? Fortassis Evangelici gregis illi committere regimen intendis? aut Apostolici Collegii caput constitues? vel cæli terræque principatum & plenum illi dominium reservasti? nil simile: alia meditor beneficia referenda. *Amen, amen, dico tibi, cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, alius cinget te, & ducet quò non vis.* Singula hæc attentè perpendamus. Quid hoc sibi vult: *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas?* Tertullianus, olim more receptum fuisse scribit, ut cum rei crucifigebantur, ad medium corporis fascia alligarentur, quò manus facilius reliquorum membrorum onus sustinere sic possent. *Alius cinget te.* Junior ipse te cingebas, at cum jam senueris, carnifices in cruce te cingent. *Tunc Petrus ab alio cingitur, cum cruce accingitur,* inquit Tertullianus. Tunc *ambulabas quò volebas*; at cum jam cani sunt tibi crines, Romam traheris, quò ire recusas. *Ducet quò tu non vis. Crucifigendus, quò nollet, est dux-*

Ioan. 21.

Ioan. 21.

In Catena D.

Thom. in c. 21. Ioan.

S. Fulgent. ad Trasi. Regem.

S. Ioan. Chrysost. in Catena D. Thom.

Serm. de Exal. S. Crucis.

Matth. 5.

In caten. D. Tho. ad Litt.

ctus, ait S. Augustinus. Tandem in cruce manus extendes. Id ergò, verbo dictum, volebat Christus: Petre, amorem in me tuum compensabo, & in præmium dabo Martyrium, quod pro pignore accipe cælestis gloriæ, quam tibi in alteram vitam reservo. Merces tua crux erit: *Hoc ut crucifigaris.* Christus ergò amorem Petri examinat priusquam Martyrium conferat, hoc ipso innuens (ut benè docet S. Fulgentius) gloriam ubique Martyrium comitari, ad quod consequendum, necesse est, ut semper in Dei Servis amor præcedat. *Primitùs Christus Dominus Petrum ad confessionem amoris invitat, ut facultatem ponendæ animæ, suo deinceps amatori concedat.* Accedit S. Joannes Chrysostomus: *Cum dixisset Petro Dominus de amore quem habebat ad ipsum, pronunciat ei Martyrium, quod pro ipso debebat sustinere; erudire nos volens, quomodò eum amare oportet. Vnde dicit: Amen, amen dico tibi, cum junior esses cingebas te, &c.* posteà ita concludit: *Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Non dixit, moriturus esset, ut discas, quoniam pati pro Christo, gloria est patientis & honor.*

Alludit (ni fallor) ad crucem Petrus Damianus, quam in præmium à Christo Petrus accepit, cum glorioso titulo sic eam insignit: *Victorum corona.* Meo quidem judicio melius crucis proprietates expressisset, patibulum dicendo, mortis instrumentum & acerbi Martyrii. Hanc reor fuisse beati viri mentem, q.d. Servi Dei, post acerrimas persecutiones, quas ab impiis Ecclesiæ hostibus pertulerint, in agone mercedem recipient, pro præmio Martyrium crucis obtinentes. Sed quomodo hoc fit, cum pro mercede gloriam cælestem Redemptor noster illis addixerit? Testis mihi S. Matthæus in Evangelio, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, queniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cum persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* S Augustinus hunc locum exponit: *Non hic cælos puto dici superiores partes hujus visibilis mundi: non enim merces vestra in rebus visibilibus collocanda est; sed in cælis dictum puto, in spiritualibus firmamentis, ubi habitat sempiterna justitia.* Ut quid tandem pro gloria offert crucem? Ergóne Deus fallit nec stat promissis? Dixisset igitur B. Petrus Damianus, & melius, *Gloria, non crux, est victorum corona*, siquidem asserente S. Remigio,

(Obsequium quod ipsis sub religionis opinione delectum est, mercede non fraudat)

In Cat. D. Thom. Difficile & hoc superest. In Martyrologio Romano legitur de S. Anastasia, cùm ad Martyrium iret, sitientem à Cyrillo refrigerium petiisse, & aquam statim impetrasse, Cyrillo autem pro exhibito charitatis opere præmium Deus concessit; siquidem (ut habetur in Martyrologio) *Martyrium pro mercede accipit.* Quid hoc? *Martyrol Rom. V. Kal. Oct.* An non ergo Deus gloriam promisit exercentibus misericordiam, exempli gratiâ, alicui sitienti potum offerentibus? Nunquid apud Matthæum *Matth. 10.* Veritas ipsa asseverat: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ. Amen dico vobis, non perdet mercedem suam:* Idem expressè S. Marcus enunciat: *Marc. 9.* *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et merces ista, quid aliud quàm gloria? S. Matthæus affirmat: *Matth. 25.* *Sitivi, & dedistis mihi bibere,* atque ideò. *Venite Benedicti, possidete paratum vobis Regnum.* Jansenius apertè confirmat, Evangelistæ hic mentem exponens: [*In Cõcord. Evang. 1. 54.* Docet magnum præmium manere etiam eos qui suo nomine infirmos Fidelium vel minimo aliquo afficiunt beneficio, quale est præbere potum aquæ frigidæ.] Et alibi explicat quale futurum sit istud præmium, ubi dicit si non æternum, defectu requisitæ dispositionis in nobis, saltem temporale aliquod obtinendum. [*Idem c. 71.* Opus tale sine remuneratione, vel in præsenti, vel in futura vita non reliquendum, sed qui fecerit, mercedem suam erit accepturus, si non æternam, saltem aliquam temporalem: *Alb Pat. ser. 8. fer. 4 Cinet.* Pro uno calice aquæ frigidæ, ipse tribuit Regnum cælorum.] Quare igitur Cyrillus mercedem non habuit, sed Martyrium? *Martyrium pro mercede accepit:* quia tanti est Martyrium apud Deum, quanti gloria & Martyrium largitur pro gloria, ut idem sit & martyrizari ac glorificari. Benè proinde locutus est B. Petrus Damianus, cùm ait: *Crux est victorum corona.* Quoties ergò Deus pressos in hoc mundo & vexatos, qui patienter ferunt, cruce & Martyrio remunerat, non minùs quàm cælorum Regnum ac gloriæ coronam donat.

Beati qui cælesti perfruuntur gloriâ, calamitates non sentiunt, neque adversis dejici possunt, sed interminabili felicitate potiuntur. *Apoc. 21.* *Et mors ultra non erit, neq; luctus, neque clamor, neq; dolor erit ultra.* Idem SS. Martyribus evenit; nihil in Martyrio sinistrum, nil infaustum ferunt. Inquirunt SS. Patres cur lanceâ perfossum fuerit Christi latus dextrum, cur non potiùs sinistrum? Seraphicus Doctor hanc adfert rationem: *Pro nimio tui amoris fervore voluit lancea suum latus aperire, ut demonstraret quod tibi tradidit cor.* Si verum hoc, magis ad sinistram partem cor, quàm ad dextram locati, potiùs sinistrum latus aperuisset, ut inde facilius ad cor perveniret. Quid ad hæc Longine? Quare latus istud non perfodisti? Respondet ille, ideò sic à se factum, quia cùm ad latus dextrum Christus caput inclinavit, locum, quò lanceâ pertingerem, designavit. Et tu piissime Salvator, ut quid inclinato dextrorsum capite indicasti, velle te lateris dextri apertionem, non sinistri? Innuit sic bonus Jesus, ex inflicto hic vulnere sanguinem affluxurum & aquam; per hanc autem persecutiones, & per illum significari Martyrium, constat. Voluit ergò latus dextrum vulnerari, ut, emanante hinc sanguine & aquâ, discerent mundus, persecutionum aquas & Martyrii sanguinem non esse infelicitatis, quin imo maximæ nostræ felicitatis omina, non in Martyrio dolores, sed gaudia, non pœnas, sed gloriam reperiri. [Et cur adeò tristia & acerba signa non magis à sinistris notabantur? planè simul enunciabantur tribulationum Justorum qualitates, quæ dexteræ sunt & nunciæ venientis felicitatis,] Excandescat impiorum malitia, & SS. Innocentibus gravissima infligat tormenta; victa tandem illorum perfidia cedet his, quos scuto inexpugnabili cælum munit & protegit. Ex minis atque excidiis intentatis trophæa exsurgunt, & ubi Tyrannus in Sanctitatis deletionem conspirat, ad triumphum invitat. A barbaris illis persecutoribus curtus glorioſus constituitur, non feretrum funetale. Non itaque ad mortem raptavit Herodes pueruloſ, sed ad gloriam elevavit.

Feri sint ac ferrei Tyranni, & quidquid ad crudelitatem facit, exerceant: etiam infernus pateat ad Servorum Dei perditionem; sanguinem innocentem immitissimus Herodes effundat, ut Regnum solus ipse possideat; Tarquinium imitetur, & non papaveris floribus cinctum, sed puerulis Bethlehemitis vitæ innocentiâ formosissimis, amputet caput. Quid inde? fatendum tandem erit, post tot tempestates, vincula, carceres, & tam copiosi effusionem sanguinis, nihil infaustum sequi, sed veræ felicitatis ea esse prænuncia.

Ne tamen mihi soli credatis, patientissimi Jobi testimonium adfero. Ille, cùm ab infernali adversario gravia paterctur incommoda, ita exponit: *Ad dexteram Orientis calamitates meæ illicò* *Job. 19.* *sur-*

S. Bonav. in stim. Amor.

Didac. Conferta. c. 11. §. 4. in Ioan.

surrexerunt. Non absque ratione, omnes diaboli insidias & persecutiones sibi evenire à dextra affirmat, non à sinistra Orientis. Dicendum erat, quantum ego judico, *Ad sinistram Orientis* insurrexisse Chaldæos & armenta diripuisse, vento valido ædes subitò eversas, ac filios interemisse; ulceribus se plenum esse & toto corpore læsum, an non hoc valdè sinistrum videatur & maximè adversum? Ut quid igitur asserit, *Ad dexteram venerunt calamitates?* mille locis ostendi possit tam in sacris quàm profanis, per *dextram* res prosperas significari (*Adsit Domitianus dexter ac volens*) *per sinistram* aliquando adversa: & videtur hoc sensu canere Ovidius:

Quin. 1. procem. l. 4.

Fast. Dî *precor, à nobis omen removete sinistrum.*

Et hinc, putem, moribundus Jacob filios benedixit, Manassem sinistrâ & Ephraim dextrâ, ut huic prospera, isti adversa futura indicaret [Dextera semper meliora esse videbantur, contrà sinistra infortunia.] Ita expresè S. Augustinus docet his verbis: *Per dexteram prosperitas, per sinistram adversitas significatur: quia dextra in Scriptura nominatur in omnibus bonis, sinistra in malis.* Ideò prædestinati ad dextram erunt, reprobi ad sinistram. *Hoc significat* (prosequitur S. Pater) *quod etiam in judicio dixit, se agnos statuere ad dexteram, hœdos autem ad sinistram esse positurum.*

Guil. Hum. in c. 28. Gen. S. Aug. T. 3. loc. super Gen. lo. 86. Idem. T. 3. de agon. Christ. c. 26.

Quid inde infert patientissimus Propheta? Adversa ista, quæ sinistra quidem apparebant, sub accidentibus tamen illis veræ felicitatis substantiam continere, ita, ut sub conchæ fœcundæ asperâ cortice candidam & pretiosam margaritam efformari compertum est. Audite Gilberti Abbatis verba. [Jure ventum illum *(inquit)* dextrum vocavit, qui nihil ei quivit sinistrum inferre; quin etiam corona gloriæ viro justo comportavit augmentum, quando virtus probata enituit, & quando provocata excrevit.]

Serm. 38.

Armentur ergo Tyranni, insolescant contra SS. Martyres, & furias infernales etiam provocent, nil tamen nocebunt, siquidem in gloria Martyrii nil patiuntur, sed gaudent, non secus ac Beati in cælo. Inflicta vulnera, sanguis effusus, rotæ, cruces & aculei, felicitatis sunt effectus, non calamitatis, eventus dextri sunt, non sinistri.

Felicissimi vos Innocentes, quos impiissimi Herodis gladius in tenerrimâ ætate de terra eradicavit, ut cæli horto amœnissimo insereret: non fuit hæc tyranni crudelitas, quæ oculos vestros lachrymarum aliquâ nube obscuret, quin potiùs gloriæ splendore quodam illuminet & recreet. *Occiduntur pro Christo parvuli;* (loquitur S. Augustinus) *pro justitia moritur innocentia. Quam beata ætas, quæ necdum Christum potest loqui, & jam pro Christo meretur occidi! nondum opportunæ ætatis confessioni, & jam idoneæ passioni! Quam feliciter nati, quibus in primo nascendi lumine, æterna vita obviam venit! Incurrunt quidem inter ipsa primordia accepta lucis periculum & finem salutis, sed de ipso protinus fine capiunt principia æternitatis; immaturi quidem videntur ad mortem, sed feliciter moriuntur ad vitam, Vixdum degustaverunt præsentem, statim transeunt ad futuram. Nondum ingressi infantiæ cunas, & jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur quidem amplexibus matrum, sed recipiuntur gremiis Angelorum.*

S. Aug. ser. 4. Innoc. & ser. & Ord. ser. 9. de Sanct. 10.

Nota est historia de pictore illo, qui cùm non posset equi pulcherrimi spumam ad vivum depingere, iratus spongiam accepit, quâ penicillos solitus expurgare, & maculatam diversis coloribus, ori equi admovit, ut expungeret, sed tamen nunquam melius pinxisset, & sic quod defectu patientiæ non potuit, per iram effecit. Cùm innocentes hodiè contemplor, videre videor generosissimorum equitum exercitum, Herodes quidem ferri applicat spongiam, ut deleat, Martyrii admotis cruciatibus, contra tamen evenit: spe frustratus est Rex; cùm enim putavit deprimere & extinguere parvulos, exaltavit in terris & ita glorioriores reddit, quam umquam aliter fieri poterant; ut vel hinc clarè jam videamus, quàm verè sit ab Apostolo dictum: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt.* Et S. Augustinus effectum iræ Regis in pueris Innocentibus considerans, sensa sic exprimit: *Numquam profanus hostis beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio.*

Pet. Rom. in Venit. evit. §. 3. Aresius lib. 3. nu. 34. Rom. 8. Apud Ludolph. à Saxon. p. 1. c. 13.

Beati in cœlo securi sunt, neque ullo modo unquam periclitantur: cælum ruat & universus orbis, stabunt tamen illi infracti. Neque dixeris, solum esse proprium Beatis illis, qui jam cælesti gloriâ perfruuntur; id enim & Martyribus convenire, jam ostendam. Mandaverat Deus Noë ut arcam extrueret, ut foret ipse cum creaturis reliquis ab universali diluvio liber: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis.* Septuaginta Interpretes legunt, *Fac tibi arcam de lignis quadratis.* Sed in quem finem voluit Deus arcam formari ex lignis quadris? Impossibile videri possit; nam oportet lignorum alia longiora esse, alia rotunda, multa triangularia &c. juxta fabrilis artis exigentiam.

Gen. 6. 70. Interp.

S. Augustinus dicit arcam fuisse figuram Ecclesiæ

cleſiæ. *Arca Noe figuram geſtabat Eccleſiæ.* Et alibi confirmat iiſdem verbis. *Arca ſignificabat Eccleſiam.* Ligna ex quibus unitis conſtruitur, ſunt Sancti, & ſingulariter Martyres: quia ſi ligna illa prius iteratis ictibus contundi oportuit, ferro ſecari, ſerra dividi, dolabrâ æquari, clavis perforari, ita fit cum Martyribus iſtis. Unde S. Auguſtinus ait: *Sicut arca de lignis quadratis conſtruebatur, ita Eccleſia de Sanctis conſtruitur.* Sunt autem illi figuræ quadræ; *Nam quadratum lapidem* (inquit idem S. Pater) *quacunque verteris, ſtat,* non ſecus ac alea, quoquò eam projeceris, erecta manet, adeò ut ſcito emblemate non nemo expreſſerit, additâ voce. *Semper jactatus, ſemper erectus.* Ita ſancti Martyres, myſtica S. Eccleſiæ ligna quadratæ ſunt figuræ, perite non poſſunt, cælum ruat, ſurſum deorſum, ultrò citroque terra invertatur, nunquam cadent. Hoc itaque nedum eſt proprium Beatis in Patria, ſed & Martyribus in via; his virtute Martyrii, illis intuitu gloriæ, poſſeſſio firma manet. [Non enim fruſtra ædificata eſt arca Noë de lignis quadratis, quæ figuram geſtabat Eccleſiæ; (*verba pono* S. *Auguſtini.*) Quid eſt enim Quadratum? attende ſimilitudinem quadrati lapidis, ſi impellitur & ſi quà vertitur, non cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, ſtat: ſimilis debet eſſe Chriſtianus: in omni tentatione, Chriſtianus non cadit.]

Pſ. 86. & in Milloloq. Item in Dialog. 65. 99. 9. 52. t. 4. & Lib. 15. de Civit. Dei, c. 26.

Sancti Innocentes, quos Herodes occidit, ligna minima ſunt, ex quibus Arca Eccleſiæ conſtructa eſt; quantumvis conetur Tyrannus evertere, vulnerando, laniando, trucidando, præcipitare nunquam poterit; ſemper erecti, utpote figuræ quadratæ, ſtabunt, neque ſubverſionis incurrent diſcrimen: at verò ex multiplicatis hoſtium perſecutionibus infantes minimi accreſcunt perfectionibus innumeris & conſtantes manent.

Hoc unum præterea Martyres habent in terra, quod non Beati in cælo. A maledicorum linguis imperantur cælites & ludibrio excipiantur ab impiis, nihil quidem illorum gloriæ detrahetur: at verò in Tyrannorum perſecutionibus non ſolùm nil perdunt Martyres, ſed gloriam novam acquirunt & augent. In illorum Perſona loquebatur Job: *In nidulo meo moriar, & ſicut Palma multiplicabo dies meos.* Hebræus legit: *Et ſicut arena.* Tigurina: *Et ſicut Phœnix.* Palma, Arena & Phœnix quomodo ſimul ſint, & conveniant? Palma terræ planta, & aquæ confinis eſt; Phœnix moritur in flammis & renaſcitur. Quid ergò his tam diverſis voluit Propheta? Hoc intendit, credo: Si Martyres duriſſima à perſecutoribus ſuſtineant, ad internecionem adigantur, & in tertam vellantur, victi non occumbunt, ſed ſicut Palmæ reſurgunt gloriosè triumphantes. Si in aquas jactentur, merita accumulant, *& ſicut arena* multiplicantur: non immoriuntur, ſed renaſcuntur ut Phœnix. [Et planta eſt, & arena, & Phœnix vir juſtus, ne ullo ſciat cedere elemento, ſed ex omni contrario gloriæ recipiat augmentum.]

Iob. 29.

Tigurina.

Didac. Ponſer lib. 15. c. 5. §. 4.

Et, ſi pro perſecutionibus toleratis & carcere, data ſit à Rege corona aurea fideliſſimo Joſeph, ut Rupertus aſſert. *Pro compedibus carceris, à Rege auream catenam accepit; pro ſervili vinculo, annuloque ferreo, regium accepit annulum: pro habitu ſordido, indutus eſt ſtolâ byſſinâ: pro antri ſqualore, adeptus eſt amplum imperii currum.* Nil minus accipient iſti Martyres, non catenam auream, ſed gloriæ coronam; non annulum regium, ſed remunerationem æternam; non veſtem byſſinam, ſed beatitudinis ſtolam; non currum denique terreſtrem, ſed Paradiſi triumphum. Nondum erant habiles ad certamen ineundum contra Tyrannos, ſed jam erant experti & apti ad reportandam victoriam. *Nondum motibus membrorum valent ſuſcipere pugnam* (inquit S. Auguſtinus) *& jam victuri efferunt palmam.* Triumphantes curru mortis evehuntur ad capitolium æternæ vitæ. *Nati ſunt ad mortem,* (Proſequitur idem S. Pater,) *ſed continuo eos mors reddidit vitæ.* Inſtar globorum igneorum impulſu furoris tyrannici inferiora hæc perrumpentes, ad cælum empyreum ſubvolarunt. In membris illis, gladio ceu aratro ſubactis, gratiam ſeminavit, ut inde meritorum ſurculi pullularent. Non in plagis iſtis mors prævaluit, ſed exorta eſt vita: & priuſquam mortis pallor obductus, ab oriente Paradiſi circumfulſerunt radii gloriæ

S. Aug lib. de ſymb. tract. 3. t. 9. c. 4.

Verùm (NN.) quid gloriæ cum Martyrio? aliud omninò eſt, glorificari, & Martyrem effici. Si tamen foret S. Chryſoſtomo optio libera eligendi, aut in terra Martyrium, aut in cælo gloriam, quid, putatis, faceret? Fatentem audite, *mallem pati pro Chriſto, quàm honorari pro Chriſto:* merito quidem, *quia potior beatitudo pati pro Chriſto, quàm cum illo glorificari.* Nec eſt quod objiciat aliquis, Chryſoſtomum ſic maluiſſe, ex vitæ tædio, ut ab ærumnis liber ad requiem perveniret: non quod mortem vellet, quam imminentem præſentiens timuit & abhorruit, ſed miſeriarum quæreret finem. Nemo hoc dicat; nam

S. Chryſ. Hom. 5. de Pœnit. Laur. de Ponte in Sap. Salom. c. 10. n. 14.

nam super illa verba Apostoli, *Non solum autem,* Rom. 5.
sed & gloriamur in tribulationibus, mentem denuò exprimit & fervens patiendi desiderium. *Ne mihi commemores Regnum cælorum, nec coronas illas immarcescibiles, nec præmia, sed hæc ipsa,* S. Chrys. in Ep. ad Rom. c. 5.
quæ præsto sunt, quæ afflictionem habent, quæ ærumnas & labores multos: hæc in medium affer, & poteris ostendere quod ob hæc magis sit gloriosum.

Hoc tamen possit obtrudi, eam esse unius opinionem, neque consequenter ex ea allegandam esse legem, aut formandum judicium universale. Facilè hic assentiar si non plures sint istius mentis. Mirum est, Apostolum Christi Andream duos dies in patibulo crucis, in summis tormentis vivum pependisse. *Biduo vivens in cruce beatus* Eccles. in Festo S. Andreæ.
Andreas, &c. Si ita statim ac crucifixus, mortuus fuisset, nunquid ereptus à tantis cruciatibus? nonne anima ad cælum illicò evolasset pro laborem mercedem æternam receptura? Cur igitur biduum privatur gloriâ, & detinetur in gravissimis illis pœnis Martyrii? Credite (NN.) tanta erat gloria, & tam magna dulcedo, quam percipiebat in cruce pendens, ut maluerit biduum privari cælesti gloriâ, ne biduum Martyrii perderet. q. d. Crux hæc verus est Paradisus, Martyrium hoc, quid aliud, quàm gloria? tantâ perfundebatur dulcedine, ut per totum corpus diffusa, *illud alvearium mellis efficeret*, & sepulchrum mannâ suavissimo repletum adverteretur. *Ajunt* Histor. Lombard. de S. Andr.
de sepulchro S. Andreæ manna in modum farinæ emanasse.

Testem ex inferis Luciferum ipsum darem, si non esset ipse mendaciorum author, nec leges prohiberent. *Testis criminosus esse non potest*, præ- C. supe c. de Test l. fin. C. de prob.
sertim ubi *crimen est grave & notorium, & criminosus in ipso crimine perseverat.* Sed quis nesciat, è radice fœtida odoriferum excludi lilium, ex toxico haberi antidotum, ex obscuritate syllogismi fallacis veritatis claritatem non adumbrari, sed illustrati & candorem erui? Dicam ergo. Petrus in monte Thabor cælesti recreatus gloria, Dominum precabatur, ut posset semper in loco isto versari, ubi æternâ felicitate potiri dabatur, ibique perenniter habitare, ubi cœlesti beatitudine sine fine gauderet. *Domine bonum est nos hic esse.* Matth. 17.
Origines hic subintrat & subtiliter, ut solet, examinat, petieritne Petrus motu proprio hanc sibi fieri gratiam, an verò instinctus ab alio, concluditque fecisse instigante diabolo. *Forsitan & in* Origen. in Matth. hom. 3.
hoc malitiosè operabatur diabolus, per eum qui nesciebat quid loquebatur. Dicit itaque fuisse Infernalis tentatoris occultum valdè hoc stratagema,

utpotè qui bono nostro semper invidens, diutius ferre non poterat, Deum conferre suis tantam gloriam, qua per demerita se videbat privatum. Persuadendum ergò potiùs Petro, ut pro decessu instaret, & ita oraret: *Domine bonum est, nos hinc discedere.* Non sic, inquit diabolus, non sic: ut mihi benè sit, *melius est hic eos esse.* Intellexerat, de quibus rebus institutus erat sermo. *Dicebant* D. Tom. 3. q. 45. art. 2.
excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem, id est de Passione & morte sua. Ita S. Thomas. Secum hunc discursum diabolus efformabat: Si in monte remaneant, cælesti gloriâ perfruentur; si discedant hinc, Christus Jerosolymam ibit, initium passioni daturus, Apostoli per universum orbem dispergentur ad prædicandum Fidem, & sic obtinebunt Martyrium, sub cujus accidentibus gloria invenitur: Optarem quidem ab utraque hac gloria esse exclusos, sed non facilè effecero. Quid igitur? non video modum nisi ut Petrum inducam, ad eligendum ex duabus istis minorem gloriam, scilicet illam montis Thabor, & hac via intentum assequar, cùm majorem gloriam perdet, quæ ex Martyrio redundat. Eoque instigavit Petrum, ut diceret: (Domine, bonum Laur. de à Ponte. To. 2. in Sap. c. 10. n. 8.
est nos hic esse. Faciamus hic tria tabernacula. Ut istinc discas, dæmonis, non hominis esse judicium, gloriam passioni præferre; & beatius æstimare glorificari, quàm pro Christo pati)

Et est tam verum hoc (NN.) quod dixi, ut si non essent in terra Martyres, non videretur perfecta in cælo beatitudo, quasi Martyrium foret ea lestis gloriæ complementum. Adeste Theologi, audite à vobis hic lubet, ut æterna beatitudo perfectè completa sit, quid requiratur. Nunquid omnis lætitia & jucunditas, quam excogitare quis possit, ita ut, si vel unica consolatio desideraretur, plenum gaudium non haberetur in cælo, neque perfecta beatitudo? Quocirca dicebat Psalmista: *Adimplebis me lætitia cum vultu* Psal. 15. S. Augustin. in expos. Symbol & de orat. ser. 2. Ita Geneb. in Ps. 11. n. 12.
tuo, vel, (ut legunt alii) *satietate deliciarum: Delectationes in dextera tua usque in finem* S. Augustin. explicat: *Dexteram regnum gloriam, beatitudinem, felicitatemque æternæ vitæ accipite.* Agedum: si vel unica spiritualis & sancta lætitia tibi desit in cælo, nonne quodam modo imperfectam dices, eò quòd desiderium tuum abundè non satiet? & hoc non dixeris, si nil ibi desiderari ampliùs possit: Sed quænam est lætitia, quam in cœlo non habeant Beati? Illa est; quâ perfunduntur servi Dei cùm pro fide certantes, sustinent Martyrium. *Lætati sumus, pro diebus quibus* Ps. 89. & 5. Actor. 5.
vidimus mala. S. Apostolus Paulus hâc lætitiâ

recreatus, fatetur: *Superabundo gaudio in omni tribulatione. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii.* Et beati, cùm pati non possint, neque etiam lætitiæ & gloriæ redundantis sunt capaces; cupere quidem possunt, sed non assequi. Attamen, ut cum Terentio loquar, *Vetus hoc est, communia esse amicorum inter se omnia.* Martyres hanc suam gloriam cum beatis cœli incolis partiuntur, & sic etiam hi perfectè satiantur in Beatitudine. *Audeo dicere* (inquit S. Bernardus) *expertem beatitudinis esse illam cælestem Patriam, nisi fateatur quod hac lætitia fruatur ex me, & in me.*

In Adelph.

Nonnemo fortassis difficultatem adhuc moveat, addatque gloriam lætitiæ confœderatam esse, & à planctu semper aversam. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor.* S. Augustinus exclamat: *O felix Patria ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nunquam videtur, ubi lætitia semper habetur, ubi nullum malum timetur!* At verò in SS. Innocentum Martyrio lætitia non reperitur, nil quod exhilaret aut soletur, ut meritò commiseratione intimè commota sit Rachel. *Vox in Rhama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos.* Dicendum ergò Martyrium doloriferum potius, quàm glorioſum. Contrarium ego repeto, & vel ex ipso Rachelis planctu, Martyrium Innocentum gloriam quandam esse confirmo. Attendite, particulatim totum, ut contigit, enarrabo.

Apoc. 21.

Impius ille & inhumanus Judeæ Tyrannus, Regni coronam & sceptrum perdere, nato jam novo Rege, timebat: solicitus erat, & angebatur quo uti consilio posset: maximo timoris cruciatu præpeditus ad loquendum, tacitè secum volvebat. Itane? Viderem ego hisce oculis alterum Judææ Dominatorem? Egòne subderer fortassis uni eorum qui jam ad jussa mea trepidant, & ad singula obsequentissimè parent? Ah! absit hoc? Quæram Regem, & occidam potiùs: submergam effuso subditorum sanguine, & sic honori & Regno meo consulam. Prudentis est naturæ, merces in mare projicere, nihilque curare, dummodo navis à periculo salva sit. Ea Hortulani industria est, folia præsecare, ut planta ipsa libetè magis in altum crescat. Membra cætera pereant, modò, quod præcipuum est in Regno, caput servetur. Adeste milites, & stricto gladio persequimini, etiamsi mille justos occidatis, modo reus non evadat, perimantur innocentes. Canis hic rabidus, (NN.) cùm in manu nil possit, in umbram sævit, præcipitque pueruloſ omnes, quotquot in Judæa, sine ulla exceptione aut commiseratione crudelissimè trucidari.

Intereà cum impiam sententiam exequuntur carnifices, ab Ecclesia Rachel plorans introducitur, de filiorum internecione cum lachrymis quærens. *Vox in Rhama audita est, ploratus & ululatus multus.* Luctum omitte, pulcherrima Rachel, lachrymas absterge, & serenato vultu gaude; non sunt tui, sed fororis tuæ Liæ liberi sunt, quorum hic sanguinem vides, & immersa tot corpora: filiis tuis benè est, salvi sunt & in pace; ergò contenta jam esto & ne ultrà plangas.

Respondit Rachel: Quid? Filii mei vivunt? Martyrio non sunt affecti? hinc illa mea afflictio: iste est doloris gladius, quo cor meum perfodi sentio. Plangam ergo, nec facilè aliquis consolabitur, *quia non sunt*, scilicet, occisi in persecutione tyrannicâ. Quomodo Rachel? tantam sævitiam in filios adhibes, in sanguinem, in temetipsam facta crudelis? ubi jam maternum pectus & tenerrima illa dilectio? Tigridem dixero ferocissimam, non mulierem benignam, non misericordem parentem. Scio equidem, si Innocentes pueruloſ in cruciatu vidisses, prima omnium auxilium attulisses, & miserata solatium. Lachrymas tum excussissent ferrei illi carnifices instar Leonum indomitorum ferocientes, quando hic in pectus insultat, iste caput, ille manu & brachia amputat, alter infantulos ad parietem allidit, alius strangulat vivos, & alius cor perforat; hic iste in cunis dormientes extinguit, & fit quietis lectus acerbæ mortis feretrum, & hîc tenelli & verè Angelici pueruli mortis & somni propinquitatem indigitant. Eheu! Adesdum Rachel & audi (prò dolor! quis hic lachrymas contineat? gemitus & lamenta matrum, quæ nondum à partûs doloribus liberæ, & vix in lucem editos pueros, coguntur videre occisos. Vide hic matrem, ut filiolum salvet, fugam arripit; sed non evadit, ibi ad preces recurrit, neque istæ juvant: hæc prolem humi laniatam cernens effusa in lachrymas, pectus tundit: ista vociferans natum inclamat, & non est qui respondeat: illa solicitè dilectum quærit, neque reperit: hæc inventum exanguem, lachrymis abluit: ista extinctum amplectitur ulnis, ut calefaciat & fortassis ad vitam resuscitet. Si quæ charissimum uteri sui pignus dimittere renuit, & amplexibus retinet, gladio statim ei pectus transfigitur, ut unde lac vitæ anteà suxerat, hauriret parvulus sanguinem mortis.

Hi

Hi sunt Rachel, desolatarum parentum dolores & acerba lamenta; & primi sunt ex Bethlehem deplorandi eventus. Converte obsecro luctum in gaudium. *Noluit consolari.* Ratio est, *quia non sunt* scilicet occisi & Martyrio coronati. Plangit itaque & consolationem nullam admittit, quia filii ejus Martyrium non subierunt, ut filii Liæ q. d. Quamdiu non sunt vulnerati in corpore, neque sanguine sparso profuderunt pro Domino vitam, privantur gloriâ, & cùm non Martyres, glorificati etiam non sunt. Origenes loquatur. *Cum tribus Iuda ex Lia, tribus autem Ioseph & Benjamin ex Rachele, consideratâ illorum Infantium, qui ex Iuda occisi sunt, felicitate, deflevit, quod non suus contigerit pro Christo mori, & illos, quasi non essent, existimavit.* Lia tamen non lugebat (inquit S. Hilarius,) quia partus ejus *in æternitatis profectum pro Martyrii gloria efferebantur: consolatio enim pro re amissa adhibenda est, non vero pro re accepta.* Tandem ita concludit S. P. Augustinus: *Tunc ergo Rachel cœpit filios suos plorare, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, ut æterna vita hæredes existerent: cui enim aliquid adversi evenerit, ex felicitate alterius, infausta sua miserè luget.*

Hom. 3. in diverf.

O felices vos Innocentes! Martyres dicam, an factos glorioſos, nescio; si tamen Martyrium pro gloria sit, prædicabo per manus carnificum in martyrio glorificatos. Herodes impius nimio suo dedecore in vos factus crudelis, in corporibus vestris ceu marmore candidissimo puritatis nitorem sculpsit, & charactere cicatricum & sanguinis, gloriam impressit. Per Martyrium priùs glorioſi dicti estis in terra, quàm in gloriam ingressi & habiti Martyres in cœlo. Lamentetur itaque Rachel, & suorum infortunium deploret, *quia non sunt*, Exultet Lia, quia ex ejus sanguine oriundi, *mercedem habent* (S. Hieronymi sunt verba) *effusi sanguinis pro Christo, & pro terra Herodis inimici tenent Regna cælorum, & reversuri sunt in Sedem pristinam, quando pro corpore humilitatis receperunt corpus glorioſum.*

Pargoletti Innocenti
Martyris fortunati,
Felici ne tormenti
Fra le pene beati
Fate del cielo acquisto
Vittime offerte in Sacrificio à Christo.

Guid. Caſ. p. 2.

Christus non despexit suos milites sed prævenit, quibus dedit ante triumphare quam vivere: quos fecit capere sine concertatione victoriam: quos donavit coronis, antequam membris: quos voluit virtutibus vitia præterire: ante cælum possidere quam terram: nec ante humanis inserere, quàm Divinis. Præmisit ergo Christus suos milites, non amisit: recepit suas acies, non reliquit. Hactenus Sanctus Petrus Chrysologus, & posteà sic concludit: *Beati, quos Martyrio natos vidimus esse, non sæculo: Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt.*

S. Petr. Chryſol. ſerm. 152.

Sanguinis vestri reflexis radiis facti estis corpore glorioſi & nomine illustres. Vulnerum fasciæ spolia sunt, quæ ab Hoste barbaro reportastis, & in superbissimo crudelitatis capitolio, meritorum virtute jam triumphatis. *Estis periti laude, qui fuistis imperiti sermone.*

Glorioſè Fenici
Che per la via di latte al Ciel volate.
Pargoletti felici
Ch' il Bambino Giesu vivo serbate.
Voi sete del Martyrio i primi fiori.
Del vostro Redentor voi Redentori.

At cum in exordio de aqua & luce cœptum sit, ne finis jam à principio discordet, de aqua & luce resumpto verbo finiamus: & quandoquidem dictionis meæ lumen ad extremum venerit, sitque jam propè extinctum, vos interea charitatis ignem in cordibus vestris accendite, & eleemosynæ vase, argenti aquam infundite, ut sic opis vestræ cymbâ pauperes erepti sint ex calamitatum naufragiis, quæ miseris illis impendent & minantur.

PARS SECUNDA.

QUis fuit (NN.) ille ventus, putatis, qui tantæ crudelitatis in corde Herodis flammam accendit, ut tam sedulò & sollicitè puerum natum quæreret, & trucidaret inventum? Ambitione intumuit, aspirans sibi Regium nomen fulcire, quod à Christo recens nato auferendum timuit. (Cum esset Herodes ambitioſus, (ait Dionysius Carthusianus) formidavit regno privari, & velut alienigena à populo Judæorum cui ptius Rex natus esset, repelli. Sic gemini Jacob & Esau in utero matris luctabantur, quia alter alterius oppressione Regium sibi thronum affectabat. Nunquid ambitione lapsus est Romulus, cùm, ut solus ipse Romanorum Regnum obtineat, Remum fratrem occidit? Et quid non patravit Julius Cæsar, ubi eum ambitionis æstus absorbuit? Lucanus describit. (Ille Tyrannus Julius Cæsar, quare universum mundum

c. 2. in Matt art. 4.

Tit. Liv. lib. 5. l. 5.

conturbavit, tantamque humani sanguinis multitudinem effudit, nisi ut totius orbis imperium sibi vendicaret?) Multa sceleratè in mundo & flagitia fiunt, verum est; sed quorum omnium ambitiosus sit conscius, iisque maximè contaminatus. (Omnia profectò in pace consisterent, si hominem imperandi cupiditas non teneret.) Ambitio Tyrannum exstimulat, cùm occidendo paucorum edia extinguit, sed plurimorum fidem infirmat. Fallitur, dum sic ad sui amorem provocat odium intimum in eos concipiendo, & persequendo, quos ipse offendit. Nobiles depressos tenet, & in sola plebis abjectione gloriam ipse venatur. Regii nominis exaltationem inde sperando. Solem imitatur, qui magnatum est symbolum, splendore stellas omnes vincit ille, & adumbrat, dein aureis radiis vallium obscurissima illustrat, etiam abditissima terræ viscera penetrando ibique in summo fulgore est. Ut caput est infectum, humores noxios & venenosos Nobilitatis cordi immittit ut enecet.

D. Val. Episc. hom. 20. de Avar.

Ambitio Regis Herodis, ut ignis est cordis medio reclusus, sic ut scintillas fuscitet & iniquitatis pessimæ flammas, quibus Filii Dei Majestatem & gloriam in cineres redigat, sub pietatis apparentis umbra perfidiam contegendo. Verbo dicam: Ambitiosus superiorem nunquam oculis ferret. Quod veritus Herodes, tam execrandum facinus attentavit. (Hoc ad cæcam ambitionem & dominandi cupiditatem retulit. Severianus (inquit Ordinis Carmelitici doctissimus Scriptor.) *Quid enim non ambitiosus attentat? Quod crudelitatis genus non aggreditur?*) Crediderim ego, qui tales sunt, electuros potiùs imperare in inferno, quàm alterius jussis in cælo obtemperare; & malle in abysso dominari quàm apud Superos subdi imperio. Atque hoc modò videndum esse.

Sever. ap. Th. Beauxãi. Carm. t. 1. Harm. Evang. fol. 73. col. 4. l. 4.

Hæc locutus est verba Lucifer. *In cælum conscendam, & super solium Dei exaltabo solium meum.* Quid ergo Lucifer prætendis? Alchimus Avitus interpretatur:

Isa. 14.

Divinum consequar ipse
Nomen, & æternam ponam super æthera sedem
Excelso similis, Summo nec viribus impar.

Alc. Avit. l. 2. in Biblioth. vet. PP. tom. 6.

Dicite, ubi tunc erat Lucifer, cùm hæc protulit verba? in cælo Empyrio, altissimo omnium loco. Quare ergò sic dicit: *in cælum conscendam*, quasi verò in cælo sit inferiori, & excelsius velit? At verò si cælum non detur altius, quomodo ait, *Conscendam*? Hæc (ni fallor) ejus mens fuit: Fateor, in cælo sum Empyrio: quia tamen hic submittendum est & obediendum, certè non pro cælo mihi est, imò potiùs infernum experior. Infernum ergo malim, ubi loco quidem inferior ero, sed tamen imperare tunc potero, eritque meum hoc cælum, subditum non esse, sed ad libitum dominari. O verè diabolica ambitio! Sicut Societatem illam sanctam (inquit S. Alred.) in qua regnaturus erat Christus, cælum videt nominandum, ita ipsos, in quibus dominari affectat, suum cœlum arroganter appellat.) Et (ut scribit Hispanicè Author) (de tal manerale cegò el appetito de mandar, que quiso mas ser Principe de las tenebras, que estar en el cielo suieto al Hijo de Dios encarnado, teniendo esto por tormento. y aquello der deleyte) Erat in Judæa Herodes & videns Christum, quem timebat fore superiorem, ne subditus cogeretur obtemperare, plenus ambitionis æstu, Christo mortem inferre molitur, cùm & tot Innocentes crudelissimè occidit. Captare studuit hâc viâ subditorum affectum & reverentiam, oblitus, crudelitatem amori & virtuti non convenire.

Serm. 17. in Isa apud Christoph. Avendanno Carm. ser. de S. Aug. disc. 2. Osor. Dem. 3. Advent. sol. 2.

Sub mentito Religionis habitu locutus, *Ite, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum*, tradere Christum morti nitebatur. *Quærebat puerum ad perdendum eum.* Solet namque ambitio proditionum esse origo. Credere sereno vultui ac placido, qualis erat Herodis, periculo subversionis nunquam vacat. Cùm subsidunt fluctus & pacatum est mare, tunc vel maximè formidanda tempestas. Ambitiosus despectum se advertens (prout à Magis factum Herodi) ad iram convertitur & ad ulciscendum incitatur. Nec est quod ab Ambitioso aliud expectes, quàm technas & dolos.

Matth. 2.

Verum ergò est, & apertiùs adhuc colligi poterit ex Evangel. S. Matth. ubi ita Christus Discipulos alloquebatur: Hæc mihi gravis incidit cogitatio (ô Dilectissimi mei!) nutrire me lacte Divinæ gratiæ lupum unum, qui per simulationem amicitiæ nefariè me prodet hostibus & illorum manibus moriar. Prò dolor! Quantus hic cordi meo cruciatus! *Unus vestrûm me traditurus est.* Vos jam potestis (NN.) animis vestris perpendere, an non fuerint verbis istis consternati, conterriti & afflictissimi Apostoli. Mira quædam excogitârunt media sciendi, quis illorum tantum auderet scelus; Ideò solùm, ut persuasionibus & minis ab execrando hoc crimine impium istum deterrerent. Hinc ut scribit S. Lucas, statim *facta est contentio inter Discipulos: quis eorum videretur esse major.* Cajetanus sic interpretatur:

Matth. 16.

Luc. 22.

retur: (Post turbationem Discipulorum, audito quod unus eorum foret proditor, obrepsit ambitio, occasione acceptâ, ex eo quod inceperunt tunc cognoscere, quod in veritate Jesus esset occidendus, & propterea contendunt de Primatu.) Credideram ego, convocatos ad scrutinium, ut proditorem detegerent, & à proposito iniquissimo retraherent; sed tamen sollicitè indagant, ut innotescat ambitiosus ille, qui Primatum, aridè prætenderet, post Christi mortem q. v. d. Nostrûm aliquis primam ambit dignitatem, & modò nobis constet quis ille sit, proditorem esse sciemus. Ambitioni enim proprium, & omninò est inseparabile, proditionibus & perfidiis insidiari. Ambitiosum ostende, ilicò monstravero traditorem; nam, ut dixi, ambitio perfidiæ est mater. (Non poterant Discipuli excogitare, nec credere, in eorum gremio esse aliquem, qui tam flagitiosum scelus aggredi auderet, unde scilicet Magistrum traderet, nisi tantùm ille, qui major omnibus esse vellet.)

Dict. Stella.

De multis apud Cæsarem accusabant Archelatum Herodis filium, inimici ejus, quâcumque poterant viâ malignando, & quamvis non in omnibus esset ipse culpabilis, ad culpam tamen non pauca imputabantur, eo ipso quòd ambitionis vitio laborare deprehendebatur. (Credibilia videbantur (scribit Philo. Hebræus) propter naturam sui, quod fieri posse judicabant à juventute, tum ab accensa regnandi cupiditate.) Si ab Anatomico interiora ambitiosi singula ostendantur, sentina vitiorum videbitur. Audite quomodo id verum probet S. Petrus Chrysologus in persona Herodis. Ille, (inquit) *quia ambitiosus, Magister mali, minister doli, ira artifex, inventor sceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, malus omnibus, suis peior, pessimus sibi, quem Christus, non ut evaderet, sed ne videret, aufugit.*

Ant. l. 17. cap. 14.

Divus Chrysostomus disertè his verbis confirmat: *Ambitio docet id, quod natura non novit, cupit, quod pietas abhorrescit; audet perficere, quod novo supplicio Deus cogatur vindicare.* Accedit S. Bernardus & ait: *Ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrysis, livoris parens; vitiorum origo, criminum fomes, virtutum arrugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languores.* Quid non audet ambitiosus & aggreditur, ut sceleratæ mentis desideria pessima exequatur? Reveretur, inclinat, idololatra fit, (*Vt & ego veniens adorem illum*) & in agnum mitissimum transformatur: modò canis rabidi instar frendent, & crudelitate agit, ut finem perversum assequatur. *Quærit puerum ad perdendum eum.* Hoc juris peritorum dicto excitatur. *Modus non curatur, dummodò effectum habeamus.*

Hom. de Abs. patrem persequent.

Ser. 6. in psal. 90.

Fugite igitur, Fideles omnes, fugite & ab ambitione non minus quam à morte cavete. Quòd si ambitionis gradu aspiratis ad honoris apicem, periculum incurritis æternæ infelicitatis, à qua vos Deus præservet, & à pestilentiali ambitionis malo eripiat.

Ite in pace.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

ARGUMENTUM.

Expenditur in hoc Discursu, sitnè conjugatis optanda magis sterilitas, an fœcunditas: annè præstet habere liberos, nec ne. Filiorum erga parentes debitum proponitur, & quanta debeat esse parentum cura in illorum educatione, ne filii luctûs sint, breviter perstringitur.

THEMA.

Et erat Pater ejus & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo: & benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem ejus: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. S. Luc. cap. 2.

QUærebat olim Euripides, quid foret conjugatis melius, fœcunditas, an sterilitas, liberos procreare, nec nè: & utrimque discussis maturè rationibus, tandem sic prudenter asseruit.

Euripides.

Dubius equidem sum, neque dijudicare possum,
Vtrum melius sit, progigni liberos
Mortalibus, aut sterili vitâ frui.
Istos enim, quibus liberi non sunt, miseros esse video;
Econtra illos, qui prolem genuerunt, nihilo feliciores:
Nam, si mali fuerint, extrema calamitas est:
Rursus, si probi evadant, magnum pariunt malum:
Affligunt enim genitorem, dum, ne quid patiantur, meruit.

Existimet quispiam primâ fronte, nil esse fœcunditate desiderabilius, & genuisse liberos optimum, quod priscorum ævo sterilitas mulieribus opprobrio verteretur. Ideò enim Rachel querens & gemens, conjugem suum Jacob frequenter deprecabatur: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Agrippina in tantum gavisa est, filium se peperisse, ut lubens mortem oppeteret ab ingratissima sobole inferendam, modò saltem vel brevissimo tempore Mater dici posset. *Occidat, modo imperet.* Anchises senio jam factus gravis, ab Ænea filio auxilium accepit & magnum solatium, cùm humeris ab eo efferebatur ex Trojano incendio, ut refert Claudianus:

Gen. 30.

Quod si notus amor provenit in astra Lacones.
Æneam Phrygio raptus ab igne pater.

An non magnus erat Filiæ istius amor, quæ Matrem, tanto tempore carcere detentam lacte proprio enutrivit & conservavit, fame aliàs enecandam ex sententia Judicis? (Quod dum Judici innotuisset, matri donavit vitam, admirans filiæ pietatem) Cornelia Romanæ Urbis matrona spectatissima ingenuè fatebatur nil sibi carius in mundo, nil esse pretiosius, quàm liberos, eosque thesauri loco. Et verè ut dicam, vir & uxor sine liberis, quid sunt aliud quàm duæ plantæ sine fructibus?

Valer. Max. de piet. lib. erga parentes Plut. Arat. c. 39.

Audite tamen adversæ partis rationes hic lubet. Agar, quàm solicita fuit pro Ismaele nato & quàm afflicta? Quis occidit Regem Sennacherib certè alius nemo, quàm Adramelech

Gen. 21.

4. Reg. 19.

&

& Sarasar proprii ejus filii. Autolia Laertæ uxor, cùm falso nuncio intellexisset Ulyssem filium apud Trojam in bello decubuisse, impatientiâ mœroris vitam projecit. Gordianus senex auditâ filii morte, seipsum laqueo suffocavit. Theseus Ægeo patri mortem acceleravit, cùm occiso Minotauro, opeque Ariadnes à labyrintho eductus, paternorum monitorum immemor, nigro in Patriam velo revectus est; cùm tamen albo, in signum victoriæ, debuisset: quod eminùs è specula intuitus Ægeus, filium interisse ratus, doloris impatientiâ sese in mare præcipitem dedit. O quàm benè & verè dixit Tertullianus? *Amara est liberorum voluptas.* Habere liberos solamen si quod est, miscetur luctu. Idcircò Veritas ipsa mulieres laudat steriles: *Beatæ steriles, quæ non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* Et si quando parentum labores & molestias allevient filii, infortunia magis postmodum gravant; ut meritò dixerit Augustinus: *Si natos non habes, age gratias Deo.*

Dan. Rav. Text. de amore parentum in liberos. Idem ubi supra Catullus.

Luc. 23.

In Ps. 127.

Adeste oculis, & mentis aciem patum intendite in rupem cordium Joseph & Mariæ, videtis modò angustiis premi, modò consolationibus erigi & Jesu Filio recreari. *Et benedixit illis Simeon:* ecce gaudium. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* ecce tristitia. *Ecce positus est hic in ruinam:* iterùm ecce mœror. *Et in resurrectionem multorum:* ecce solamen. *Puer autem crescebat & confortabatur plenus Sapientia, & gratia Dei erat cum illo.* Et quid, obsecro, possit ab illis jucundius aut plausibilius excogitari? Verùm quidem est; sed quid additur? *Positus est in signum, cui contradicetur.* Afflictio tursus hæc tanta est, ut ad mortem usque parentes dejiciat.

Luc. 2.

Dicite modò, filii, an parentibus gaudium, an verò mœstitiam dare veljtis. Non dubito, quin pro affectu filiali & gratitudine debita, omne levamen & subsidium conferre conabimini, si ad hæc obligationem esse maximam sciatis. Et hoc facilè quidem adimplebitis, si obedientiam, honorem & auxilium illis deferatis, juxta monitum Archiepiscopi Florentini, qui sic ait: (Parentes tripliciter sunt honorandi, scilicet obedientiam faciendo, reverentiam exhibendo, & in necessitatibus subveniendo) Accedit Ludolphus à Saxonia. (Filius multa debet parentibus, obedientiam in honestis, reverentiam in verbis, & honorem in operibus.) In hoc Jesu parvuli imitatores vos esse velim, qui tametsi Deus esset, obedientiam, reverentiam & subsidium præstitit Mariæ Matri & Josepho.

D. Ant. 9. p. tit. 5. t. 9. §. 1. & 2. Ludolph. Carthus. p. 1. c. 15.

Nolim tamen (NN.) ut fœcunditatem, de qua exorsus sum, ægrè in me feratis, neque de sterilitate vestra conquerar. Intereà igitur quo lingua fœcundus ero, vos este steriles silentio & attentione.

PARS PRIMA.

FIliorum est, ne parentes mœrore afficiant, illos honorare. *Obedientiam faciendo.* In quocumque sit statu, ætate quavis aut conditione filius, obedientiam genitoribus semper debet. (Ab obsequio & obedientia parentum quovis aut dignitatis, aut divitiarum, aut magnæ familiæ prætextu, eximere se non potest.) Unde sic gloriari solitus Seneca: (Imperio parentum meorum, sive æquum, sive iniquum fuerit, obsequentem submissumque me præbui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.) Quando filiis statuit Deus quomodo se erga parentes gerant, ait: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam*, usus hoc termino *Honora*, eo, quòd timorem honor præsupponit & amorem, quorum hic à voluntate, iste ab intellectu procedit. Quisquis timet, etiam obedit: qui amat, succurrit ille & in necessitatibus auxiliatur. Deus bone! quantam in S. Scriptura consecutus est laudem Isaac, cùm patri obedientiam præstitit & filialem amorem? Quantum econtra Absoloni hoc dedecus, imò æternum, patri resistere, vi & armis persequi? Cain etsi omnis pietatis sit expers, numquam tamen est ausus Abelem fratrem occidere in conspectu parentum, sed anteà foras eum alliciens, inquit: *Egrediamur in agrum*, ne parentes videant, & tristi hoc spectaculo affligantur. Esau tametsi malignitatis & odii pessimi veneno esset infectus, itaque incensus in fratrem, quòd benedictionem surripuisset, vindictam tamen distulit, neque ante mortem patris quidquam attentavit. Dicebat quidem: *Venient dies luctûs patris mei, & occidam fratrem meum.* Sed coràm patre semper se cohibuit. Hoc ego crediderim, si tam Adam quàm Isaac filios suos vidissent tam enorme crimen patrantes, eosque abstinere jussissent, uterque destitisset, quantumque etiam essent perversi, ad obedientiam parentibus debitam reflectendo.

Thom. Beaux. Carm. tom. 1. Harm. Evang. fol. 78. Seneca 3. de Benef. cap. ult. Deut. 5.

Gen. 22.

2. Reg. 17.

Gen. 4.

Gen. 27.

Narrabat Joseph somnium nocte præcedente habitum, & auscultantes, quotquot domi erant, *pendebant ab ore.* Somnium inquit, mirabile: Videbat esse vobiscum in agro, fratres, quemque nostrûm in messe laborare manipu-

los

los colligando, & manipulo meo reliquos vestros inclinari, quasi obedientiam exhibendo.
Gen. 37. *Putabam me ligare manipulos in agro, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Et quamquam ægre id tulerint fratres interpretatione propositâ, *Nunquid Rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ?* nihilominus pater & mater non curabant; quin imò gavisi sunt intelligentes ex somnio filium illum, quem plus cæteris diligebant, (*Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos,*) dominaturum, & reliquos omnes illi obtemperaturos.

Exposito primo hoc somnio, secundum addidit. Audite: aliud quoque habui somnium. Cælum intueri videbar, & in eo stellas undecim, quæ simul cum sole & luna cultum mihi deferebant, adorando quasi obedientiam promittentes. *Vidi solem & lunam, & stellas undecim adorare me.* Et hoc patrem commovit, ægrèque tulit, quare acriter objurgavit: Quid hoc est, audacule? Somnies, necnè, nolo sic effutias. Pudeat referre talia: & nisi deinceps abstineas, promitto tibi, non impunè facies. *Increpavit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidistis?* Notate dicentem *hoc*, non *illud somnium.* Loquitur ergò de secundo. Sed cur de secundo hoc arguit, & non de primo? non enim video differentiam, nisi fortassis in significatione vocum, quia per spicas intelligimus terrenos fructus; per stellas solem & lunam signa cælestia denotantur. Per somnium primum volebat innuere se fore à fratribus aliquando adorandum: sed per secundum, etiam solem & lunam, id est, patrem & matrem sibi subjiciendos & obsecuturos intellexit. *Nunquid ego, & mater tua adorabimus te?* q. v. d. Quomodò? Egóne jam, cùm ex solo senectutis intuitu apud omnes passim venerabilis sim, eò redigar, ut subsim tibi, qui filius meus es? Tace, neque deinceps facile quid simile proferas: nam etsi Rex esses aut Imperator, adhuc patri & matri obedientiam deberes & honorem.
Lib. de Ioseph. Philo-Hebræus ita docet: (Visus est videre ad se venientem Solem, & lunam, & stellas undecim, quod pater miratus, in mentem recondidit, de eventu præsagii sollicitus: graviter autem objurgavit filium, timens ne quid ille peccaret. Potestne, inquit, fieri, ut pater materque adoremus te? Nam per solem patrem, per lunam matrem significare videris, quod cave ne unquam tibi in mentem, mi puer, veniat: trade potiùs oblivioni visiones istas nefarias.

Adeste, Filii, [redacted]dientiam parentibus debitam ex actionibus Christi addiscite. Cum penderet in monte Calvariæ crucifixus Redemptor, viderunt Pharisæi spectaculum, & obdurato manent corde, nec commiserantur: vidit & turba & ita Christum allocuta est: *Si Filius Dei es, descende de Cruce, & credimus tibi.* q. d. Jactasti millies esse te Dei Filium, neque hactenus credibile id nobis visum: quia, si Filius Dei esses, haberes eandem Divinitatem, & consequenter etiam Deus esses; sed cùm realiter sis à Genitore distinctus, non secus ac inter nos distinctus à patre filius; hinc sequeretur non modò unum esse, sed duos realiter inter se distinctos Deos, quod à fide nostrâ alienum est, & ut falsum respuimus: nihilominus ex pacto & convento, credimus te verum Dei Filium, si miraculo hoc novo ostendas, descendendo de cruce. Luc. 23. Matt. 27. Marc. 15.

Audis, Domine? Occasionem commodam habes ad fidem convertendi Hebræos, tot jam fecisti miracula, majora quidem; hoc unicum adde: sine tuo detrimento id poteris, illisque ad salutem proderit. *Quod tibi non nocet, & alteri prodest, facile est concedendum.* Sed tenuit Sapientia increata, neque voluit de Cruce descendere, licet alia facilè indulsisset, & plura miracula patrâsset, exorari hic non potuit, ut annueret. Scriptores sacri diversas adferunt rationes. Theodoretus: *Diabolus movebat illos ad dicendum, quod de cruce descenderet; quia noverat, quod salus fiebat per crucem. Rursus ingerebat se ad tentandum Christum, ut, si à cruce descenderet, certus fieret, quod non est vere Filius Dei, & sic salus, quæ per crucem est, destrueretur.* S. Chrysostomus: *Sed è contrario quia Filius Dei est, ideo non descendit de cruce: nam ideo venit, ut crucifigeretur pro nobis.* Rabanus: (Si autem tunc de cruce surgeret, insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret; sed expectaret paululum, irrisionem sustinuit; qui de cruce surgere noluit, de sepulchro resurrexit.) S. Hieron. *Fraudulenta autem est promissio cum addunt: Et credimus ei: Quid enim plus est, de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere? resurrexit, & non credidistis; ergo etiamsi de cruce descenderet, non crederetis,* denique S. Bernardus ita concludit: *Noluit descendere, ne descenderet sibi, sed moreretur mihi.* Tex. in lib. Sicul. cap. de Serm. Serm. de Pass. Rabanus Maurus.

Aliter respondent alii & magis ad nostram mentem, Christum esse à Patre æterno ad hæc terrena missum, ut in cruce moreretur pro redemptione nostra; at verò si de cruce venisset, neque

neque mortuus fuisset: paternæ voluntati sic non obediviſſet; ut ergò se Filium obedientem demonstret, in cruce expirat, neque cupit descendere.

Et ex quo, putatis, concluserunt Hebræi esse Dei Filium, dicentes. *Vere Filius Dei erat iste,* nisi quia viderunt obedientem Patri? Si autem descendisset, ex ipsa inobedientia argumentum duxissent, non posse eum esse Filium Dei. (Vicit, ut par erat, obedientia paterna pravitatem Judaicam. verùm si illi sanâ mente, Christi factum pensâsserit, multò fortius argumentum ex hac obedientia Christi erga Patrem haurire potuissent, ad confirmandam Divinam Christi Filiationem.]

Matt. 27. Marc. 15.

Io. Pinna tom. 1.

Atque hæc Filiorum ad obediendum tam stricta est obligatio, ut, si pater vel mater quidpiam præciperet, quod sine incommodo suo & detrimento non perficerent, obtemperare nihilominus indilatè & alacriter teneantur. Quandoquidem obedientiæ speculum sit Joseph, factum aliud expendamus æternâ memoriâ dignum. Accersit eum pater ejus Jacob, jubetque ut ad agros pergat, & de fratribus nuncia referat. Joseph ilicò patri obedit & se dat itineri. Dicite (NN.) nunquid illi constabat de odio concepto ex somnio quod eis narraverat, & de machinatione in ejus internecionem? an non adverterat illorum indignationem & ad vindictam concitatos animos? sciebat omnia, & ad hæc simplicitatem suam, atque impotentiam, ut illorum malignationem effugeret. Dixisset ergò, & licitè, non expedire, ut eos solus accederet, sed mittendum potiùs famulum domûs aliquem, eò quod à fratrum odio grave sibi malum timeret, uti posteà factum, cùm illi mortem intentârunt, deinde Ismaelitis vendiderunt; quod non evenisset, si foras egressus non esset; ut patris obedientiam adimpleret. Absit (inquit Joseph) pater meus ipse jubet, nil moror, nec tergiversari fas est, licet mille etiam mortes immineant cùm patris exequor justa, ad vitam eo. *Quia Ioseph fertur ad audita exequenda, non examinanda.* (concludit Joannes Climacus:) *Verus enim obediens solas aures habet ad audiendum, non autem oculos apertos ad videndum.* Talem esse convenit omnem Filium erga patrem.

Gen. 37.

In Scala Parad. grad. 4.

Agesilao injunctum est à patre, ut sententiam profertet in favorem Thaletis cujuspiam, & nihil filius contradixit, etiamsi contra rationem contra leges facturum se sciret. (A te, mi pater, (*inquit*) jam inde ab initio edoctus sum legibus parere: itaque etiam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando.) Malè factum existimabat, non impingere in leges, ut non delinqueret contra paternum mandatum.

Plutarchus.

Expertus est cum dispendio vitæ Stesumbrotus (non minùs quàm Marsyas qui ab Apolline excoriatus) quàm periculosum sit & perniciosum, non obedire: huic enim præceperat Epaminondas Dux Thebanorum, ab exercitu evocatus, ne ullatenus cum Spartanis ad conflictum iret. Hoc sciverunt hostes, indeque occasionem arripuerunt ad certamen provocandi in absentia Epaminondæ. Stesumbrotum abjecti animi militem & degenerem esse exprobrabant, si non in aciem, citatus veniret. Quid faceret ipse? Exercitum collegit ad pugnam & victor evasit. Intellexit Epaminondas, nihil curans, filium eum esse, decollari mandavit, ut qui patri fuisset inobediens (Spartani ejus absentiâ cognitâ, juveni timiditatem exprobraverunt: quod ille indignè ferens, oblitus paterni mandati, pugnam conseruit, & vicit.) Pater autem ei coronato collum abscidit.)

Cresiph. 3. ret Plut.

Idem fecit Manlius vocatus Imperiosus, filio suo Tarquinio, quia renitente patre Samnitibus bellum indixit & victoriam retulit. Conviciis juvenem irritârunt & ad prælium elicuerunt: ex eo is victor discessit; pater autem eum securi percussit; & ideò solum, ut dixi, quia in hoc patri fuit inobediens. Unde nunquam ausus est Tiberius se matris voluntati opponere.

Quid de obedientia Coriolani jam dicemus? De invicto hoc milite scribunt plerique, è civitate pulsum à Romanis, & exilio relegatum inter Volscos, arma sumpsisse contra patriam, ut illatam injuriam ulciscereturExercitum congregavit & urbem Romam obsedit, atque tot angustiis pressit, ut ex consilio Senatus ad Coriolanum legatus expediretur de conventione actûrus, aut pace ineundâ, sed repudiatus est, neque fuit auditus. Secundò idem evenit. Tandem Sacerdotes mittuntur, ac frustrà Quid ergò? ad Victoriam matrem accurrunt supplices, ut illa pacem à filio impetret: Illa annuit & natum his verbis aggreditur; (Potuisti populari hanc terram quæ te genuit & nutrivit? Si ego te non peperissem, Roma non oppugnaretur: Si filium non haberem, libera in patria mortua essem.) Hæc dicta matris Coriolano fuerunt expressa mandata, ut ne vel momento unico matri resisteret, promptissimè obedivit arma deponens & ca-

D. Ant. Arch. Flor. p. 1. tit. 4. c. 5. §. 13. Aristid. Milesi. Plut. Virg. l. 8. Liv. l. 8.

Apud Robert. Ep. Aq. serm. 54. cap. 1.

nens receptui, Patriam ab obsidione liberat, atque ad matrem Victoriam conversus in has erupit voces : (Expugnasti & vicisti iram meam. Patriam ego utero tuo dono. Recordatus fuit ergo Coriolanus, quantum matri debebat, in cujus utero susceperit esse.)

Valer. Max de pietate liber erga parentes.

Ut parentibus filii mortem gerant, postponendum est quodvis proprium commodum, & partialis omnis inclinatio devitanda. Sententia est Creontis; (Sic oportet, filii, sentire ex animo, paternæ voluntati omnia postponenda esse.) Sed prô Superi! quanta hoc ævo nostro liberorum impietas, qui ne dum patri & matri non obtemperant, verùm ipsimet ad obediendum sibi parentes cogunt, & per fas nefasque in suam sententiam cogunt invitos, nihil curantes sitne contra conscientiæ dictamen aut etiam Legis Divinæ regulam ! Qui hujusmodi sunt, plus dixerim monstra quam homines, cùm sic ab hominum more degenerant, vitiis enormibus deformati.

Creon: apud Sophoc. in Antig. v. 650.

Præter obedientiam, parentibus honorem debent liberi, utpotè quibus in universo orbe nil sit charius. Pindarus interrogat : *Quid est charius bonis viris, quàm venerandi parentes?* Alexander pluris faciebat unicam Olympiæ matris lachrymam, quàm sexcentas Antipatri litteras. Quod nos ad Deum honorandum & reverendum obstringit, idem suò modò ad venerandum parentes obligat, juxta mentem Doctoris Angelici. Audite rationem. *Deus honorandus est sicut principium nostri esse, & quia parentes sunt etiam principium nostri esse; quia, ut dicitur, tria habemus à parentibus, scilicet esse, vivere, & disciplinam; ideo conveniens est, ut post mandata ordinata ad Deum, primum esset ordinatum ad parentes.* Atque hoc primum est secundæ tabulæ præceptum. Regi Ptolomæo scite volenti quo modo parentibus gratiam referre posset acceptam, respondet ex Septuaginta Interpretibus unus: *Si nulla in re illos tristitia affectas.* Si ita eos honores & revereatis, ut nunquam affligas; quia bene dictum est, *Valde sunt amandi, piè timendi, & promptè obediendi.*

Plutarch.

D. Thom. Epist ad Ephes. c. 6. lect. 1.

Arist. q. 33

Tanti pendit Deus honorem parentibus debitum, ut inter præcepta Decalogi, quæ ad creaturas sunt, primum haberetur & præcipuum *honorare parentes.* Unde bene observat quidam Author, Deum tradidisse Moysi præcepta duabus distincta tabulis; quarum prima continebat ea solum quæ Dei cultum spectabant. *Non habebis Deos alienos coram me. Non assumes Nomen Domini Dei tui in vanum. Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Atque tria ista erant primæ tabulæ; reliqua secundæ, & inter illa primum hoc. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Quæstio nunc oritur, quam ob causam voluerit Deus ea esse distinctè inscripta duabus tabulis? Nunquid una satis, quæ simul omnia complecteretur? Sed tamen gratis demus, duabus tabulis debuisse distingui, saltem ea posuisset æquali numero, quinario scilicet in una tabula, quinario in altera, Respondent Authores, eam fecisse divisionem, ut inde quilibet sciret, post præcepta ad Divinum cultum immediatè ordinata, primum esse ac principale, *Honorare parentes.* Bene rem tetigit temporis nostri Ecclesiastes. (Cùm essent decem, (ait ipse,) cur quinque in una tabula & quinque in altera non descripsit Moyses, sed tria in priori & septem in altera? Noluit Dominus æqualiter illa distingui in quinque & quinque, ut agnosceretur excellentia præcepti paterni amoris; & ideò voluit ut primum in secunda tabula esset hoc patris & matris, tamquam excellentius & nobilius cæteris.)

Exod. 20.

Angel. Vanius. in Diction. Theol. circa decem præcepta.

Gerus ser. 4. Dom. p. Quadrag.

Præcepti hujus observantissimus Samson. Cùm ex patriis ille ædibus in Thannata decederet, matrimonium contracturus cum Dalila, in platea irruit leo ferocissimus, rugitu & oculis exterrens, faucibus inhians ut in frustra discerperet obvium, effuso sanguine sitim extingueret, & carne ventrem ingurgitaret. Samson autem nil consternatus, intrepido luctatur animo, manibus pedibusque dejicere nititur, & feliciter facit. *Dilaceravit leonem quasi hœdum in frustra discerpens, & hoc patri & matri noluit indicare.* Cur generosum hoc factum parentibus non revelat? an fortassis illorum afflictionem metuebat? Frustra iste metus: quia honor filii, in parentum gloriam redundabat. Id mihi persuasum, idcircò celasse, quia honorem & reverentiam genitoribus debitam conservare studebat : si eum actum heroicum indicâsset, fortissimum esse cognovissent, adeoque fortassis eum rimuissent & à correptione abstinuissent, quod sine diminutione respectûs debiti fieri non poterat. (Noluit patri & matri indicare. Cur tam insignem victoriam tam profundo silentio contexit? planè, ut mihi videtur, ne, si parentes tantas filii sui vires, animosque agnoscerent, eum formidarent, proindeque ab eo reprehendendo, si opus esset, abstinerent. Suas igitur vires occultare voluit, ne paternis increpationibus eximeretur.)

Iudic. 14.

Mendoz. in lib. 1. Reg. cap. 1. v. 28. sec. 3

Quisquis

Quisquis filiorum patrem & matrem non honorat, omnibus sit exosus, & tantum hoc opprobrium est, ut nemo in universo mundo velit commercium amicitiam aut affinitatem. Moribundus Patriarcha Abraham servum suum fidelissimum Eliezer ad se venire jussit, ut ultimam indicaret voluntatem; & ne eam exequi negligeret, juramento promitti voluit. *Pone* (dicebat Sanctus ille Senex *manum tuam subtus femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ.* Oleaster exponit: (Mihi videtur suppositione manus sub femore, pacta firmari, in qua velut domus in columnis (quarum figuram præ se ferunt femora] totum corpus sustentatur. Est ergo sensus: Pone nunc manum tuam sub femore meo, id est, ostende signum firmitatis juramenti, ponendo manum tuam in firmiori loco meo, scilicet sub femore.) Prudenter egit bonus Senex, cùm ab Eliezer prius sponsionem exigit jurejurando firmatam, quàm ei jussum reliquit. Audiamus ergò quid velit: *Non accipies uxorem filio meo de filiabus Cananæorum.* q. d. Cum extremum vitæ reddidero spiritum, hõc, rogo, juratus addicas, te nunquam permissurum, ut filius meus Isaac uxorem ducat, quæ ex sanguine Cananæorum sit oriunda. Mirum sanè, adeò sollicitum esse, ut jusjurandum requirat! Quid vidit unquam, quod in Cananæis ita displicuit? Cananæi non sunt divites, honorati, & nobiles. Non video cur affinitatem hic timeat. Petamus ergò cum Oleastro quid moveat: (Sed quid, bone Senex, times filium Cananæam in uxorem ducere? Nonne tu statim Cheturam es acceptarus? Laborant justi nil agere, quod Dei promissiones possit impedire: similiter non dare juveni occasionem adorandi & colendi idola.) Sed de filiis & parentibus sit sermo. Antequam ad punctum principale deveniam, cum Oleastro hic observandum, Abrahamum oculatum fuisse & valdè sollicitum in selectione puellæ, cui filius nuberet. (Ubi docentur parentes qualiter laborare debeant, ut filiis conjungendis bonas uxores eligant, maximè quòd non sint alterius sectæ, quoniã facilè cõjugis animum seducit fœmina.)

Alii ideo prohibuisse ferunt, quia mandatum erat à Deo filiis Israel, ne genti isti nuberent. *Dominus Judæis prohibuit accipere filiis suis Cananæas uxores & eas sibi conjungere.*

Sed ad rei nostræ punctum redeamus, & locum alium Sacræ Scripturæ, qui tamen ad propositum faciet, assumamus. De Noe intellexisse vos sæpius non dubito, agri & vineæ cultorem fuisse, vites plantavisse, uvas collegisse & vina. Die quodam, cùm intensior esset solis æstus, ipseque siti plus solito cruciaretur, vina libavit & liberiùs genio indulsit, adeò ut vino illo generosiori captus sit (*Bibensque vinum inebriatus est*) somnoque gravatus obdormivit. Vidit jacentem nudatis membris Cham pater Chanaam, & convocatis fratribus, irridere parentem cœpit, familiariter cavillando & jocando cum probo Sene, respectum perdidit, *pudenda patris sui* ostendendo. Legunt alii inhærentes significationi vocis Hebraicæ *harah* i. e. *nudare, discooperire*; volunt enim patrem jacuisse coopertis veste membris, & audacem illum ac impudentem detexisse & irrisorie fratribus commonstrasse *pudenda patris sui*. Ut ut sit, hoc præcipuè facto innuitur, Cham deliquisse, patrem cultu debito non venerando, ut meritò contemptus pœnas tulerit cum filio suo Chanaan cùm à Deo justè sit maledictus. *Maledictus Chanaan, servus servorum erit, &c.* Oleaster Interpres hic ait: (Et si tantas pœnas dat puer, quòd fratribus patris verenda indicavit, quid illi fiet, qui in faciem injurii sunt, quiq; percutiunt aut occidunt.)

A filiis istis Cham & Chanaan à Deo maledictis ob patris despectum oriundi sunt Chananæi. Absit hoc (inquit S. Patriarcha Abraham) ut cognationem habere cogar cum tam infami hac stirpe. Adesdum Eliezer, & nunquam id permissurum promitte, ut quietè sic moriar. S. Ambrosius his verbis confirmat: *Constrinxit eum, ut non de semine Chananæorum uxorem accerseret Dn. suo, cujus generis author patrem non honoravit.*

Quantum ex parentum despectu oritur mali, tantum ex veneratione etiam boni. Mirum est, quod ab Aristotele refertur in Philosophiæ compendio. De monte Ætna scribit, ignes evomere & incendio finitimas regiones invadere, agros vastare: arbores & homines etiam vivos, si non celerrimè fugiant, absorbere. Accidit aliquando ut cùm darent se in fugam omnes, ne flammis extinguerentur, respexerint filii & viderint decrepitos parentes longè & retrò mansisse, neque posse viribus propriis assequi. Quid agerent? retrogressi sunt, nec veriti trãsire per medios ignes, parentes eripuerunt & humeris exceperunt. Quis non mortalium exhorrescat? quis non obstupefactus intueatur ignem absumentem omnes, exceptis his, qui, ut erga parentes essent pii & obsequiosi, vitam exposuerunt; illos, inquam, flamma non læsit, nõ secùs ac si ænei fuissent; illos nõ tetigit favilla, sed quasi reverẽdo cessit & inclinavit.

Genes. 24.

Oleaster ad litt. adnot. in c. 24. Genes.

Oleaster in c. 24. Genes. adnot. ad morum compos.

Idem ubi supra.

Genes. 9.

Oleaster in c. 9. Gen. ad mor. adnot. c. 2.

S. Ambr. c. ult. Abraham.

D. Hier. de honorand. parent.

Audite Filii, monentem Hieronymum: *Predeatur patribus amoris mixta formido, qui primi sunt nobis causa nascendi. Exhibete patribus, filii, quod vos potestas paterni nominis cegit, quæ à Deo est eorum meritis attributa, ut ipsa de vobis exigat, quod natura jubere non potuit.* Pro matribus infrà sic natos alloquitur: *Matribus quoque debitam impendite reverentiam, quæ vobis uteri hvore servientes pondus corporis vestri tolerant, atque ignotam portantes infantiam, famulatum quendam exhibent nascituris.*

De filio narratur, falsis testimoniis convictum fuisse, & innocentem morte condemnatum sententiâ iniqui judicis. Cùm jam in loco supplicii esset, coram omnibus de injustitiâ expostulavit, protestatus se non reum sceleris impositi, morituruum tamen justè & meritò, quia, reminiscor, ait; hoc in loco semel graviter offendisse matrem, adeò, ut facta sit impatiens, his verbis imprecata: Faxit Deus, & hunc obtestor, ut eo ipso loco suspensum te videam, ubi in matrem esse impius & crudelis non erubuisti. Non sum mihi conscius alterius criminis unquam perpetrati; quàm quod semel in matrem deliqui, adeò ut omninò mihi persuasum sit, ideò solum mortis supplicio nunc puniendum. (O filii superbi? exclamat Robertus) O filii parentibus nostris insultantes! O filii irreverentes, inobedientes & contumaces! timete paternam & maternam maledictionem; nam sicut longa vita superanda est ab illis, qui parentes honorant; ita & brevis vita & infelicitate plena à malis filiis est pertimescenda.) Et nunquid leges gravissimæ minantur filiis, qui parentes charissimos non haberent, nec in honore, ut par est? Lex naturæ maledictionem æternam in illos fulminat: lex Divina perpetuis ignibus dignos pronunciat: lex Mosaica sententiâ capitis damnat: lex civilis legitimâ hæreditate excludit. *Filius amittit hæreditatem paternam propter multa, utpote si gravem injuriam parentibus intulerit: item si parentibus suis manus intulerit.*

Robert. Episc. Aquil. ser. 54. c. 3.

Lex Imp. in Aut. coll. 8. rubr. ut cum de appell cognosc. §. aliud quoque.

Fatebor quidem, parentes senio reddi difficiles, graves & fastidiosos, cum quotidianis querelis aures filiorum obtundunt, tametsi reipsâ & animo gratissimos esse plerumque contingat: nihilominus libenter feremus, si reminiscamur hoc senectuti proprium esse, semper conqueri, & facilè suspicionibus angi. S. Hieronymi verbis dicam: *Habet quandam senectus infantiam; solent utique senes esse tadiosi, suspicioni, queruli, immundi & in domo inutiles.* Quid inde? An ideo vilipendendi, aut asperè tractandi? Cavendum est, inquit S. Doctor: *Non tamen propterea filii debent per impatientiam verbis illos exasperare. Nemo parentes asperis verbis ladat. Hoc filiorum ora loquantur, quod delectat parentes audire.*

D. Hier. de honorandis parentib.

Considerate nunc vicissim quàm fueritis molesti matribus, cùm vos novem mensibus in utero portârunt, & quàm sollicitè à pueris educârunt: recogitâte, inquam, quoties domum totam fletu vestro turbaveritis, patrem & matrem crebrissimè è somno excitantes; placidè tamen & sedatè tulerunt; & vos petiniquo animo patiemini? Quisque sibi ab Ecclesiastico dictum hoc audiat: [Suscipe senectâ laboriosam & onerosam, recordans infantiæ tuæ: quando flebas, turbabas domum, inquietabas dormientes, fatigabas matrem, fœdabas pannos, & alia faciebas quibus infantilis ætas solet esse molesta; sicut enim toleravit pater & mater, imò susscepit & adjuvit infantiam tuam, sic & tu susscipe & non abhorreas senectutem illorum.] Quod si conjugibus ea obtingat felicitas, ut filios obedientes sortiantur, meritò gaudeant illi & exultent cũ Maria & Joseph *Benedixit illis Sim.*

Eccl. 3. Robert. Epis. Aq sem. 54 c. 3.

At verò si filii tertiam insuper conditionem observent, scil. *in necessitatibus subveniendo*, parentes illos felicissimos dixero. Et ut diligenter hoc filii curent, S. Hieron. monet: *Foveatur itaq; parentum senectus, & factis eorum vicissitudo reddatur.* Idipsum lege præceptum est: *Filii facti divites, tenentur alere parentes.* Nunquid idem lex Divina confirmat diversis S. Scripturæ locis, modum amandi, reverendi & juvandi parentes, inculcans? Verba ipsa perpendamus: *Honora patrem tuum &c.* ubi notat doctiss. Oleaster: *Honora* Hebraicè *Chabad* hoc est, *onerare, gravare. Honora igitur patrem, interpretabitis, onera Patrem; quoniam verbum Chabad non solum ostendit honorandum, sed onerandum donis & muneribus, ut sciat filius, non solùm se teneri ad honorem præstandum patri, sed etiam omnia alia necessaria,* & alibi repetit: *verbum Chabad, quod hic ponitur, non solum honorare, sed etiam onerare significat, ut cognoscat, hoc præceptonon solùm præcipi parentum honorem, sed etiam sustentationem & alia necessaria.*

D. Hier. ubi supra.

Lex Imp. eod. de alend. liberis l. 1. §.

Exod. 20. Deuter. 5.

Oleast. in cap. 20. Exo. c. 3.

Idem in c. 5. Deut. c. 4.

Tenentur ergo parentes in necessitatibus sublevare, vel ex eo solùm, quòd tot ab illis beneficia receperint. Quot & quanta ea sint, recenset ex parte Robertus. [Quisnam explicet quot à parentibus filii beneficia receperunt? Ab illis equidem sumpserunt esse, quod bonum tam grande est ut ipsum sit fundamentum omnium aliorum bonorum: nam qui non habet esse, nullum aliud bonum habere potest, non divi-

Robert. Episc Aq. Sc. 54. c. 2.

divitias, non gloriam, non famam, non scientiam, non virtutes, non gratiam, non vitam æternam. Ipsum etiam esse bonum, ab omnibus est desiderabile.) *Vnde Aristoteles ait*: Omnia appetunt esse, & illius causâ agunt quæcumque agunt secundùm naturam. *Et Boetius*: (Omnium bonorum ipsum esse (*inquit*) bonum est.) Nonne igitur ingratitudo maxima esset, tot tantaque beneficia maleficiis compensare. Lex jubet: *Benefacientibus nobis benefacere debemus; nam beneficiis receptor naturaliter obligatur.*

Aristot. 2. de Anima.

L. & si le. §. consul. Sen. ff. per. de pet. hæred.

Mirum hic addit Oleaster de opinione Rabbini Simeonis: scio quidem hyperbolicè dictum; Deus enim ante creaturas omnes longè magis honorandus est; audiamus tamen citati Interpretis verba: (Adnotavit hic (scilicet Rabbi Simeon) Scripturam pluris fecisse parentum honorem quam Dei, ut voluerit nos Deum honorare ex substantia nostra juxta illud Salomonis: Honora Deum de tua substantia, parentibus verò voluit filios subvenire ex labore manuum suarum; & si non habeant, teneantur in pristino laborare, ut parentibus victum quærant!) Attendite, quàm appositè ad mentem nostram id explicet Oleaster his verbis: (Vides hìc quanto pluris faciat Deus parentum honorem quàm suum.) Quomodo illud (Eos alere potiùs *voluit* quam sibi offerre sacrificia.) q. d. Fili mi, si fortè aliquando sic accideret, ut uno & eodem tempore sacrificandum sit Deo, aut quid aliud agendum, quod cultus Divinus requirat, & ex parte altera occasio exigat, ut hìc & nunc parentum inopiæ sublevandæ succurras, nec possis simul, & semel utrumque præceptum adimplere, mavult Deus casu illo parentes in miseriis priùs adjuvari. *Eos alere potiùs, quàm sibi offerre sacrificia.* Idem hoc aliùs sic clarè confirmat: (Si filius est impotens ad utrumque simul, scilicet ad munus Deo offerendum, ad subveniendum parentibus; omittenda est oblatio, & subveniendum est patri & matri.

Rabbi Simon apud Oleast. c. 20. Exod.

In. Maria Ver. fer. 4. Dom. 3. Quadr.

Idcircò jam filios sedulò hortor & moneo, ne procul unquam à parentibus absint, ut semper præsto sint, possintque, ubi sic erit opus, opportunè statim auxiliati; nam, ut loquitur S. Augustinus, *nihil charius filiis, quam pater.*

S. Aug. de ver. Dom. in monte c. 3. Matth. 4.

Cùm juxta mare Galileæ obambularet mundi Redemptor, reperit Jacobum & Joannem, qui soli exponebant retia, ut ea non modo siccarent, sed & fracta repararent. *Vidit duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem ejus reficientes retia sua.* Subintrat hic D. Chrysostomus, petitque cur ibi etiam aderat illorum pater non ut juvaret, utpote totus senex & quietis jam indigens; illi verò juvenes erant robusti atque experti, sic ut patris illic opera superflua videretur. An non itaque meliùs ei fuisset, domi relinqui, ut rei domesticæ intenderet, seque quieti eâ ætate daret? Chrysostomus respondet, filios ita fecisse ex affectu in patrem & observantiâ debitâ: nam si fortassis aliquid patri defuisset eo tempore, quo à domo aberant & piscabantur, quærendi fuissent, nec ita statim opitulari potuissent, ideo secum eum semper assumebant, ut præsentes statim ei subvenirent in quavis necessitate oborta, & omnia quibus indiguisset, sine mora subministrarent, Aurea Chrysostomi excipite verba. *Et quod ad majorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo succurrebant, ut secum eum hilarent in navi, non ut ille istos adjuvaret in opere, sed ut isti illum consolarentur suâ præsentiâ. Non parva autem est hic demonstratio virtutis, inopiam facile ferre, ex justis nutrire laboribus, colligari invicem amoris virtute, patrem habere secum & curare.* Sciebant illi quantus debeatur honor parentibus, quantus amor, ideoque pro beneficiis acceptis gratiam referre studebant auxiliando, eo præsertim tempore, cùm eos viribus & opibus destitutos vident; ita adimplentes quod filiis inculcabat Doctissimus aliquis, ubi ait: *Pro sustentamento & nutritione, quam recipiunt in juventute, debent eis in senectute cum delectatione & sine improperatione vel contristatione, sed cum gaudio necessaria subministrare.*

D. Chrys. in Catena D. Thom. in cap. 4. Matth.

August. triumph. in Cant. B. V. M. cord. 4. q. 2.

Christus ipse, qui in hunc mundum venit, ut peccatores quæreret & converteret, etiam Judam ad suam disciplinam admisit; respuit tamen illos, quibus curæ non sunt parentes, quosque in necessitatibus deserunt & in egestate juvare negligunt. Refert Evangelista Matthæus de juvene qui in magno erat desiderio sequendi Christum. Accessit ille supplex, petiitque Discipulorum numero asscribi, submissionem promittens & obedientiam: *Magister, sequar te quocumque ieris.* Sed repudiavit Christus, ineptum ad sequelam judicans: *Vulpes foveas habent & aves nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, atque his dimisit.

Matth. 8.

S. Evangelista immediatè de alio Discipulo subdit, qui, cùm jam ad Discipulorum collegium erat admissus, licentiam quærebat, ut semel posset ad ædes patrias reverti. *Domine, dimitte me primum ire & sepelire patrem meum*: at Salvator recusavit. Pro ratione addens: *Sinite mortuos sepelire*

mortuos ſuos: Æquum eſt & juſtum quod requirit, ut quid, mi Redemptor bone, non annuis? negotio urgetur ut domum redeat: nuncium accepit de morte patris: opus miſericordiæ exhibere cupit, mortuum ſepeliendo. Quis hic non miretur? ille petit vivere & mori in Chriſti convictu, & non impetrat: iſte licentiam decedendi poſtulat, neque poteſt obtinere. Exiſtimem ego utrique concedendum quod exigit, ita ut retineatur ille qui rogat admitti, dimittatur iſte qui domum reverti deſiderat. Non ita fiet (ait Salvator;) iſte enim vult me ſequi & mecum remanere, ne ſemel quidem de patre cogitans, ut, ſi fortaſſis ad egeſtatem redigatur, quis ei ſuccurrat: abeat iſte, non eſt me dignus: ille verò præſto eſt, ut patri etiam mortuo opem ferat, & cadaver ſepeliat, & eum volo mecum manere, aptus eſt & de illo benè ſperandum. [Illum ad ſe venientem abjicit, (concludit noſtri temporis Commentator) hunc à ſe fugientem revocat & retinet: eſt enim pietas erga parentes valde admiranda, & qui in illa ſe exercet, utilis eſt ad Chriſti conſortium, unde tenendus, etiamſi abire velit: qui verò erga parentes immiſericors eſt, pellendus à Chriſti conſortio.] & ut S. Auguſtini verbis abſolvam. *Quantum mali in illo, tantum boni videbat in iſto; ideo iſtum tacentem & nihil promittentem invitat, ut ſequatur. Novit Dominus qui ſunt ejus.*

Pinna Tom. 1. fol. 185. n. 13.

S. Aug. ſer. 7. de verb. Dom. in Matth.

Hoc ergò firmum teneatis, hominem, quamdiu vixerit, ad honorem deferendum parentibus obligari. SS. Patres obſervant, quomodo Chriſtus, matrem Joanni, matriſque Joannem commendabat, genitricē ſuam ſimplici hac voce *Mulier* compellaverit; *Mulier, Ecce filius tuus.* Ut quid non ait, *Mater*? Nôſti credo, piiſſime Salvator, quæ & qualis ſit ea matrona, quam commendas: an ergo neſcis matrem tuam eſſe dilectiſſimam? cur igitur hoc affectus titulo non jam honoras, uti quidem in nativitate tua dignatus es? non modò deſiiſti eſſe filius, aut non hæc foret ampliùs mater? an fortaſſis delictum aliquod fecit, unde matrem pudeat nunc appellare? nequaquam, cùm ſe ſuaque omnia Divinæ voluntati perfectiſſimè ſemper conformârit.

Joan. 19.

Hoc ego putem. Cùm populus frequens & extraneus ad crucifixionem Salvatoris confluereret, cui nota non erat Maria, videndo ſtantem ſub cruce: & audiendo vocari matrem, temerè de Mariæ probitate ac integritate judicâſſet: Quomodo, ſi filius ille ſit (uti Hieroſolymis publicum eſt) qui mortem tam ignominioſam ſit meritus, qualis poſſit eſſe mater illa, facilè quiſque noſtrûm conjecerit. Ne ergo hac infamiæ notâ ab hominibus deturparetur, Filius Dei ad extremum vitæ ſuæ curavit, & maternum honorem ſollicitè propugnavit. Ita ſcribit Cardinalis Vigerius: (Eximio proprietatis officio, illam, non matrem, ſed mulierem appellaſſe, ne daret crucifixoribus anſam durius contra illam agendi; hac ratione ſe non indicavit filium.) Arnoldus Abbas confirmat: (Jeſus antiquum decretum, quod de honorandis parentibus dictaverat, obſervavit.)

Marc. Vig. 3. par. cap.

Arnold. Abbas Bonæ Vallis Tract. de 7. Verbis Dom.

Progrediuntur ulteriùs Expoſitores alii, & acutiùs indagant quare Mariæ reliquerit Joannem in filium Servator noſter, cùm jam Spiritum exhalaret: *Mulier, ecce filius tuus.* Reſpondentque eam eſſe cauſam, quòd ſcilicet prævidiſſet ipſe matrem fore in diſceſſu deſolatam, nihilque poſſe ad dolorem acerbius ei accidere, quam ſic violenter à chariſſimo ſuo pignore avelli: ſicut ergò Ulyſſes à Penelope uxore fidiſſima abiturus Femium Domodici filium ei reliquit, qui muſicorum cantu dolorem mitigaret, ut ſic abſentiam levius ferret; quod etiam Agamemnon fecit, Clitemneſtræ Democritum committendo; ita etiam Chriſtus ex hoc mundo migraturus, Mariæ Joannem ideò dedit, ut foret ipſe matri, ob abſentiam afflictiſſimæ unicum ſolatium: *Mulier; ecce filius.* q. d. Scio, dulciſſima mater, intimè ſenties, cùm abſcedentem me jam videbis & te derelictam; ſed ecce Joannem habes, hic in filium tibi erit & gaudium. Ad noſtram inſtructionem hoc fecit, inquit Chryſoſtomus, ut addiſceremus quanta ſit noſtra erga parentes obligatio, quæ non poſſit niſi morte terminari. *Ipſe autem crucifixus Matrem ſuam Diſcipulo commendavit, erudiens nos, ad ultimum uſque ſpiritum vitæ parendum, curam habendam.* Accedit S. P. Auguſtinus. *Tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit Magiſtri monentis.* Quid, obſecro, monuit? *Exemplo ſuo ſuos inſtruit præceptor bonus, ut à filiis pius impendatur cura parentibus.* Neque hic omittendum quod Ludolphus in Vita Chriſti expreſſit: (Tu, Domine Jeſu, quamquam eſſet dolor intolerabilis, plaga inſanabilis, in agonia mortis & ultimo ſpiritu conſtitutus, non obliviſceris matrem tuam, caput inclinans & eam in matrem Joanni commendans & eum ſibi filium adoptans. Felix depoſitum, ſingulare privilegium, inſigne ſolatium! Urgebat te ſiquidem, Domine Jeſu, præceptum: Honora patrem tuum & matrem

Homer. in Euſt. Idem Odyſſ. 3.

S. Chryſ. Hom. 84. in 19.

S. Aug. in Joan. Tr. 119.

Ludolph. Carthuſ. p. 2. c. 63. de Paſſ. Dom. Verbo 3.

trem tuam; servitium quod ipse exhibuit sibi, exemplum posteris relinquendum.

Æternis digni sunt laudibus duo illi filii Anapius & Amphinomus, Æneam imitati, cùm patrem & matrem ex incendio, Catanæ in Sicilia, rapidissimo, humeris sublatos à morte imminenti liberârunt.

Author Ætna apud Ioan. Ravis. de amore liberorum in parentes.

Amphinomus, fraterq; pari sub munere fortes,
Quum jam vicinus streperent incendia tectis,
Accipiunt pigrumq; patrem, matremq; senilem, &c.

Mortuo in carceribus Miltiade, Simon filius captivus esse petivit, ut ab Athenien sibus sepulturam patri impetraret. Oppius etiam à mortis periculo ereptus est, quem velut Æneas alter intrepidè in Siciliam usque filius asportavit.

Denique (NN.) etsi laude dignissimos illos censeam, non sunt tamen mirandi, quia rationis habebant usum, adeoque obligationem erga parentes maximam apprehendebant, & formato discursu benè concludebant, solvendum honoris, amoris ac commiserationis debitum, ne ingratitudinis notam alioquin incurrerent. Sed hoc vehementer admitor & ad confusionem filiorum hujus ævi nostri commemoro, animalia esse, quæ non rationis, sed naturæ ductu reguntur, & tamen *alimenta* quærunt & adferunt eis, à quibus esse & vivere acceperunt. Ciconiam videamus, (difficulter aliquis credat, si non experientia ad oculum monstretur) quàm sollicitè parentes jam senes curat, nidum accommodat, cibos procurat, calore fovet, imò alis etiam sublevat & ad amœniora devehit. Ego ipse hîc dubius hæream, si non apud Authores ut certum legissem. Sophocles ita scribit: (Quid est quod sapientissimas in aëre volucres contemplamur, quæ alunt parentes, à quibus prognatæ sunt & educatæ? Nos verò contrarium facimus.) Cassiodorus sic habet: (Plumis suis genitorum membra frigida refoventes, escis corpora lassa reficiunt, & donec in pristinum vigorem alis grandæva redierit, piâ vicissitudine juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli susceperunt, & ideò non immeritò longâ vitâ servantur, quia pietatis officia non relinquunt.) Omnium optimè confirmat S. Basilius: *Ciconiæ naturali instinctu, cum vident parentes confectos senectute, in volatu supportant, plumis calefaciunt, & alimenta eis procurant.*

D. Amb. lib. 5. Exâ. Epiphan. apud Martum Ferd. Fer. 4. Dom. j.

Pudeat vos, filii, aliter facientes: cùm parentes habetis senectute fractos, contemnitis, & mœrore consumitis; non quasi amici sint, sed ut inimicos persequimini. Omni dedecore infames sunt, eruntque semper nationes illæ, quæ vel ipsas feras crudelitate evincant. Indos hîc arguo, quibus tam crudelis lex est, ut parentibus mortem inferant, cùm ad senectutem extremam vixerint. Non minùs Caspii sæviunt: illi enim (teste Cælio Rhodigino) genitores septuagenarios includunt carceribus ut fame enecent: Bactriani canibus objiciunt laniandos. Sardis, scribit Ælianus, lex viget, quâ teneantur proles occidere patrem & matrem senio jam graves. Quid magis crudele & quid inhumanum magis excogitari possit? Prô dolor! quot non, hodie, filii sceleratiores sint & truciores, si non retineret eos pudor! Hora illis annus videatur donec morti occumbant parentes, quos statim domo ad tumulum elatos vellent: plus cani adblandiantur, quàm patri & matri, quos in angulum detrusos vix oculis dignentur aspicere. Illáne parentum merces! O scelestum & nefarium facinus defendum sanguineis lachrymis! Dicite filii, an atrociora faceretis, nisi parricidæ essetis? Matres esse cogitate, quæ tam anxiè parvulos educârunt; & illas persequimini ferocientes, ac si non lacte, sed toxico enutrivissent. O horrendum & detestandum ingratitudinis malum! Verè amara est illa voluptas quâ genitores perfunditis! Utinam steriles mansissent potiùs, quàm ut forent tanto suo gravamine fœcundi. Quot sunt filii, qui, etsi non cum Absalone patri mortem machinentur, ex animo iniquissimo tamen imprecantur: & nil duriùs illis, quàm ut diutiùs in vivis tolerent: nil foret gratius quam ut obiisse videant, non solum ut se à disciplina subducant, sed ut domini sint rerum, quas labore nimio & sudore vultus sui parens comparavit, & vitæ dispendio custodivit; ut illas, inquam, ad placitum superfluè prodigant & per luxuriam consumant. O Filii! (sed nec titulo hoc estis digni) monstra potiùs dixerim, ursos, tigride & cæteris hujusmodi feris indomitis longè crudeliora, non jam feriat turres, sed in vos de cælo jactetur fulmen & dissipet, cùm in terris supplicia deficiant, vestris flagitiis condigna.

Herod. lib. 3. Strab. c. 2. Greg. Cælius lib. 11. c. 18. Pet. Greg. lib. 36. syntag. c. 24. num. 29. Cæl. Rhodig. lib. 11. lect. antiq. c. 21. Cæl. sup. Alex. ab Al. 3. gen. c. 2. Corr. 1. misc. c. 5. Ælian. de var. hist. lib. 4.

Isti sunt, ô pater & mater, gladii, quos vobis prædixit Simeon, cor & animam intimè transfigentes. *Et vestras ipsorum animas pertransit gladius.* Illi ipsi *positi sunt in ruinam parentum*, quia multoties causa sunt æternæ vestræ damnationis; at verò *non sunt positi in resurrectionem vestram*: etiamsi enim guttulâ aquæ vel unicâ solùm vitam vestram possent redimere, apertâ fronte recusarent; adeò ut dicere sit solitus Eu-

ripides:

Eurip. apud Boetiū. ripides: *Carentem liberis infortunio esse felicem.* Et hæc pro prima parte sufficiant.

PARS SECUNDA.

NE Filii patrem & matrem perdant ac doloris gladio affligant, sed exhilarent potiùs ac gaudio tanto perfundant, ut felicitatis esse diem illum quo nati sunt, testati jam possunt, sollicitè educandi sunt à pueris:

Oven. in Ethic. monas. & Polit. n. 32.
Dum tenera est ætas, generosos imbue mores:
Tunc facile est cunctis artibus ingenium.

Apud Stob. ser. 41. Alioquin ut vites erunt incultæ, fructum boni operis non producentes. Diogenes id asserit. (Haud enim umquam vites utilem fructum protuletunt, quæ non benè sunt excultæ.) Ut equi indomiti, præcipites feruntur. (Nec unquam pulchri fient equi, pullorum educatione neglectâ.) Quemadmodum mollissimam ceram ad arbitrium formamus & fingimus, ita juvenilem animum, cùm adhuc tenera est, facile flectimus ad virtutem & bonis moribus imbuimus. Accipite monitum Damiani. *Instruendi estis, O Pueri, quia nunc ætas vestra cerea est; & sicut teneri estis in pusillitate membrorum, ita etiam utrimq; flexibiles diversitatibus morum.* Ex educationis autorâ Plato diem vitæ colligebat. (Appatet itaque, qualis cujusque fuerit puerilis educationis initium, talia etiam fore, quæ sequuntur.)

Sed quomodò rectissimam virtutis viam filii teneant, si non eam in juventute inveniant majorum vestigiis tritam? si ab ineunte ætate animum admisceri vitiis sinant, postea difficulter expurgent & ad bonum reducant. *Difficulter eradicatur* (inquit S. Hieronymus) *quod rudes anni perbibunt.* Quintilianus idem sentit: (Naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.) O quanta sunt bona, quæ ex recta educatione doctrinaque puerili promanant! Pœtam canentem audire hic lubet.

Epist. 7. ad Latam. Quint. 1. Inst. 1.
Marcell. Paling. in capric. v. 76.
Per magni refert etiam; quos quisque parentes
Accipias, quo sit pacto nutritus & à quo
Instructus: nã quos mores puer adbibit, & quas
Artes à teneris didicit, retinebit adultus.
Illa diu durant, animisq; tenaciter hærent,
Quæcumq; à primis nascentes hausimus annis.

Eurip. Iphig. in Aulide v. 561. Et ut verbo absolvam, Euripidis dictum est, receptum apud omnes:

Educatio cum disciplina
Multum confert ad vitam.

Quam esse causam arbitramini (NN.) cur in S. Scriptura, ubi de filiis agitur teneræ adhuc ætatis, metaphoricè dicantur possessio: ut Genesis 4. cap. *Possedi hominem per Deum.* Deuteronomii 32. *Ipse est Pater tuus, qui possedit te.* Ita mille aliis locis; item apud Aristotelem. *Possessio parentum*; ut idem sit *possidere* ac *generare.* S. Scriptura utitur isto termino *possidere*, ut sic indicet, quâ curâ & sollicitudine agros & possessiones custodimus, ne quid detrimenti patiantur ab hominibus malignis aut terræ animantibus; eandem adhibendam esse à parentibus diligentiam in puerorum institutione. (Cur obsecro filii possessionibus comparantur? Planè quia, ut homines tuendis augendisque possessionibus invigilant, ita & parentes debent probè erudiendis informandisque filiis excubare.) Curas & cogitationes magis in canem aut equum conferunt quàm in proprios natos. An non rectè illis conveniat hoc Plutarchi effatum: (*Tales patres agunt, ac si quis de calceo sit sollicitus, pedem nihil curet.*)

Gen. 4. Deut. 32. Mender. tom. 1. in lib. Reg. 1. n. 18. annot. 12. pt. 1. n. 3.

Magna quidem & infesta vexatio est, ubi pater filios videt malè instructos, dissolutos moribus, & nescio, quomodo patienti animo ferat: panem doloris & amaritudinis masticat; sed meritò has pœnas luit, & lachrymas fundit, quia anteà nimium indulsit pueris & malè facientibus artisit, cùm acriter erant corripiendi & *in virga ferrea* ad timorem Domini excitandi. *Reges eos in virga ferrea, sceptro ferreo, rigido, invicto, cujus acri verbere eorum insolentia conteratur: duriter & rigidè te cum eis geres.* Parentes hodiè proles monere, aut digito leviter tangere timent cùm enormiter peccant, ne castigando affligant, & sic nimia patris & matris indulgentia non jã cohibet, sed potiùs invitat, ut graviora audeant perpetrare: ideò frequenter sic Deus permittit, ut filii luctûs sint & in illorum sanguine scelerum maculas lavent, aut in morte suam gloriam quærant. Credite verum: Pater ille, qui filium ad sæculi delicias & carnis voluptates abire finit, serpentem in sinu fovet.

Psal. 1. Genebrard. in Psal.

Attendite parentes & quod vestri est muneris intelligite. (Ad officium matris pertinet, non ut ad libertatem suos liberos assuefaciat, sed ut ad temperantiam, modestiamque instituat. Vide igitur ne non amantis, sed adulatricis partes agas: nam educata simul cum pueris voluptas, intemperantes & prodigos reddit.) Hæc Thean.

Thean.

Platonis commentum est in Timæo de curru, quem duo equi trahebant, unus cursu velocissimus, & motu alter tardissimus: rector in curru sedens manu unâ flagellum tenebat quo tardiorem

diorem ad accelerandum [illegible] alterâ frænum quâ velociorem à cursu retineret. Ex quo nimirum documentum hoc dare voluit: Juventus à sensibus ducitur, qui properi sunt ad malum, & ratione, quæ ad bonum tardior est. Quid faciet pater ut à præcipitio filios præripiat? fræno timoris contineat, & correptionis flagello ad bonum exstimuler, ut sic rectâ per viam salutis incedant. [Benè natos, si benè etiam educantur, ita demum ad virtutem pervenire necesse est.] Si aliter fiat, contra parentes, Deo sic permittente, filii insurgent, rebelles & contumaces erunt, neque mitius cum illis agent quàm cum matre Aristobulus, de quo refertur, nedum matri honorem & opem non detulisse, sed ipsammet occidisse. [Adeò nequam fuit, ut marrem in vinculis, fame consumpserit.] Mirum hoc & dolendum, patres nonnullos satagere, ut filios in omnibus exerceant, nil minus cogitare quàm ut timorem Dei inculcent, ad spiritualia opera hortentur. [Canere discunt (Plutarchus inquit) saltare, litteras, agriculturam, equo insidere, calceari, vestiri, pocula ministrare. At quæ dementia est, ô mortales, cùm hæc omnia præter disciplinam non liceat commodè agere, & probè hominis vitam instituere] Unde ergò timorem Dei jam habeant aut pietatem? an ex utero matris secum tulisse putatis? nullâ disciplinâ, nullâ adhibitâ ratione, aut arte, sed fortuitò existimatis contingere? ecquid inde consequatur, nisi ut pessimi sint & malè pereant?

Plato Alc. I. P. 440. E.

Albert. Patav. serm 17. de Epiph.

lib. de educ. liberis.

Conscientia debitum est; si non satisfacitis, exacta Deo reddenda erit ratio in novissimo die. *Peccant parentes non instruentes filios in lege Dei & artibus virtutis; & qui delectantur in malitiis & nequitiis eorum, erunt etiam testes nequitiæ in damnationem ipsorum.*

August. Triumph. in Cant. B. M. V. chorda 4. q. 2.

Cùm jam benè instituti sunt puerilibus rudimentis, applicari eos oportet exercitio honesto conformiter ad cujusque statum & naturalem propensionem. Patres econtrà jam faciunt. Quamvis advertant filiæ suæ à vitâ monasticâ aversionem, tamen eam omni modo, velit, nolit ad ingressum Religionis incitant & impellunt, ideò solùm, ut sibi dotem lucrentur. Esto, sit monialis, inquietè vivit, Conventum totum perturbat, maledicit diei, quo assumpsit sacrum habitum, diaboli tentationibus continuò vexatur, & tandem ab omni spe derelicta miserè emoritur.

Filius tibi est, inter homines operatios magis optet vitam agere quam inter Religiosos: advertit tamen pater, nil boni ab ipso domi speran-

dum, non parentibus levamen, sed onus futurum: in studiis enim nihil profecit, malæ est educationis & voluntatis pessimæ; perditis vivit moribus, lusui & luxui deditus. Pater, inquam, hæc omnia videt, ideò quocumque potest modo inducit, spe, pretio, minis ac promissis ad religionis assumendum habitum. [Pessima profectò electio est, si matrimonio idoneus, Religiosus fiat.] Ipse autem qui libertatis amans, nilque magis quàm seculum quærit, hodie in uno delinquit, cras in altero, & quem religiosum volebat, factus est homo flagitiosissimus, libidinosissimus, nequissimusque. Et quis tantæ perversitatis author? certè nemo alius nisi tu ipse, pater, cum filium ad religionem coëgisti invitum.

Diez To. 2. de S. to. Evang.

Priusquam Unigenitus Dei Filius humanam naturam assumeret, Angelus ad Mariam legatus venit, ut, quemadmodum futura jam erat Spiritûs Sancti sponsa, daret ante consensum. Sed cùm Deus ipse totius universi sit Dominator & Arbiter, cui velle, cui posse ad placitum; cur alterius expectabat assensum? ad erudiendum nos fecit, ut vel inde disceremus, neminem invitè ad statum aliquem esse applicandum, si non eò suâ sponte inclinet. [Hinc discere, & percipere potestis quantoperè parentes errent, qui filias invitas desponsant, aut filium cogunt, ut se claudat intra monasterii septa.] Caveat ergò quisquis est parens filios impellere: & ad conditionem amplectendam cogere invitos, ne serò pœniteat.

Gorus in Conc. annunc.

Affliguntur alii, quia semper filiis vesperas defunctorum occinere soliti. Quid hoc sibi vult? Primum ibi locum inter Psalmos obtinet *Dilexi*; nimis inquam, liberos amant, & illi occasione hinc habitâ antiphonam *Placebo* præcipiunt, exorbitando redundantes & superfluentes juvenili impunitate & licentiâ: parentes, ut affectum ostendant, digitum porrigunt; at illi manum totam apprehendunt. Patre ergò & matre cantantibus *Dilexi*, pueri *Placebo* intonant, ad placitum in bonis dies suos ducendo. Esse sui juris prætendunt, obedientiam majoribus debitam non observant, timorem Domini nil curant. Quid tandem? miserrimo fine vitam perdunt, & parentibus canendum est *Requiem*, maximo suo dolore, & dedecore irreparabili. Ut verè de quolibet talium filiorum dictum sit: *Positus est in ruinam multorum.*

Hoc igitur credite: quò plus nimio amantur, eò magis insolescunt. *Nam pura corpora* (insinuat Hippocrates) *quò magis nutris, eò magis lædis.* Simia in tantum catulos amat, ut, cùm affe-

Hippocr. lib. 2. Aphor 10

ctum exprimere satagit complexibus, suffocet. *Perdit amando.* Numquam memoria excidat Sapientis dictum: *Qui parcit virgæ, odit filium suum* è contrà, *Qui diligit filium suum, assiduat ille flagella.* Unde prudenter nonnemo parentibus hoc reliquit monitum: (Ne inaniter insolescat filius adolescens, verbis & flagellis erudiendus est.) Idem velim observent, ne aliquando nimis indulsisse pœniteat.

Alphons. de Nroz. declam. 1. in sep.

Vestrum est, Filii, parentibus morem gerere & honorem, in necessitate succurrere, & sanguine (si opus) adjuvare: nam quid in mundo possidetis, quod amore vestro magis sit dignum? S. Augustinus apertè fatetur. *Nil charius debet esse filiis quam Pater & Mater.* Discursum abrumpo, & Poëtæ versibus concludo:

S. Aug. in Ioan. tract. 119.

Qui cupis esse senex, charos venerare Parentes:
Quæ patri facies, filius illa tibi.

Oven. in Mono eth. n. 41.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS

ARGUMENTUM.

Ex Mysterio Circumcisionis eruitur, guttas illas effusi sanguinis signa fuisse prognostica vehementis desiderij, quo Christus toto vitæ cursu adurgebatur, ut mortem subeundo, mundum redimeret, & circumcisionis nostræ exemplum daret. Ex cœlesti item nomine omnibus fœcunda salutis vena proditur & felicitatis scaturigo copiosa.

THEMA.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESVS. S. Luc. cap. 2.

Th Spin. de Invid. anat. c. 10.

ERuditissimus ille & expertissimus Invidiæ Anatomista ex malo initio nonnisi finem pessimum expectandum asseruit. Subdam ego. Siquidem *Oppositorum eadem est disciplina*, ex principio bono finem optimum & perfectissimum sperari. Unde Gentiles olim vanâ superstitione anteivisse legimus: Anni initium observabant: cùm in diem Dominicam incidebat, Veris humiditatem augurabantur, Æstatis intensos calores, vini & frumenti abundantiam, cæterorum fructuum penuriam maximam. Et hoc ipsi nos attendimus, cùm ex primo lucis ortu diei serenitatem notamus, sicut ex cantu avem, ex fructu plantam, ex stipulis spicam, ex uvarum racemis vitis fœcunditatem, ex serenitate vultus compositionem animi & passionem cordis elicimus. (è culmo spica conjicitur, cauda de vulpe testatur, ex ungue leonem, & cantu dignoscitur avis.) Sic ex primo nativitatis puncto linea vitæ deducitur, & ex teneræ pueritiæ moribus, cujusmodi futura sint ætatis provectioris opera, non levi conjecturâ perpenditur. Rem acu tetigit gravis & ingeniosus Poëta:

Antō. Rit. Brix. Io. Iac. Rit. Marit. Mus.

E si ben molto la fortuna mesce,
Pur' qual' esce il principio, il fin riesce.

Act. 1. scen. 2.

Zoroastres ridendo nascitur, & ideò hilarem in vita futurum semper divinârunt. Apes mellificare visæ in ore Pindari, Platonis & Divi Ambrosii adhuc in incunabulis, dant præsagium dulcissimi eloquii & suavissimi stili. A pueris dicere solebat Julius Cæsar: *Si jus violandum est, causa regnandi violandum esse*, & hoc ipsum successu temporis factis Heroicis verum probavit. Alcides in cunis serpentes elisit & hoc indicium fuit invictæ fortitudinis, quâ posteà leonem

Fabius Paul. l. 1. hebdom. fol. 22.

Ioā. Sarich. de ung. curial. l. 1. c. 13.

nem ferociſſimum dilaceravit. Ipſo nativitatis Alexandri die viſæ ſunt in aëre binæ aquilæ, quæ cùm imperiales ſint volucres, imperatorem Europæ & Aſiæ infantem prænunciârunt. Gentiles auſpicia & omnia pro certiſſimis obſervabant, & ut Cicero teſtatur, *nihil publicè ſine auſpiciis, neque domi, neque militia gerebatur.*

Balth. de Vias in Sylv. Reg.

Cicero de Divin.

Sed hæc profana: ad ſacra & noſtra tranſeamus. Quis non geminos illos Jacob & Eſau, non tam fratres quàm inimicos fore, facile judicaſſet, cùm in utero matris luctantes conſpexiſſet? Domitianus in conflictu quodam leviter vulneratus unâ manu, ita ut pauciſſimæ effluerent ſanguinis guttæ, graviſſimam pugnam inde prævidit & fundendi ſanguinis maximam copiam, ut in cœlum elatis oculis ſuſpirans exclamaverit: *Vtinam ſufficiat!*

Gen. 25.

Sueton. Tranq. de vita Cæſar.

Video in ætate tenerrima, *poſtquam conſummati ſunt dies octo* puerulum ab antiquo Sacerdote circumcidi, & guttas ſanguinis effuſi lego, quibus ceu characteribus exprimitur ferventiſſimum Filii Dei deſiderium, quo continuò ſtimulabitur, donec pro ſalute mundi ſanguinem & vitam adultus profundat. Flores ſunt primo Vere germiantes, certiſſima purpurei coloris augutia; ſanguinis, dico, in paſſionis autumno ſub crucis torculari eliciendi. Et ſi quis velit præſagii dicti ſcriptum authenticum, Ludolphus à Saxonia exhibebit. (Jeſus ſumens initium circumciſionis, accepit ſignaculum, ut pro te ſanguinis pretium non tardans effundere, ſe tuum veriſſimum Salvatorem oſtendat, Patribus tam verbo quàm ſignis repromiſſum.) Atque hoc meum jam erit aſſumptum, quod in præſenti rationibus probare conabor, & ex effectibus in perſona ipſiuſmet Salvatoris ſecutis clarè proponam. Unicum peto, ut attentè dicentem audiatis, & ne prolixitate nimiâ ſim moleſtus, cùm Circumciſionis hodie Feſtum ſit, brevitatis cultello ad pauca diſtinctè conciſa jam aſtringar.

Luc. 2.

Pſ. 1. c. 10.

PARS PRIMA.

POſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, &c. Quæritur à SS. Doctoribus quam ob cauſam voluerit Dei Filius ex ſtirpe Hebraica naſci, non ex Gentili. Indignari potius oportebat, ſynagogam habere matrem, à qua inhumaniter ſe tractandum & crudeliſſimè occidendum prævidebat. Elegiſſet potiùs ex Gentilium ſtirpe generari, cùm ſciret eos fore fideles, & ut verum Meſſiam ac Dei Filium adoraturos.

Pia non minùs quàm myſterioſa eſt S. Irenæi Martyris reſponſio. Gentiles, ait ipſe, circumciſionem non admittebant, ut Hebræi: Ideò, ut circumcidi potuiſſet ſtatim ac homo factus, ortum habere maluit ex Hebræorum quàm ex Gentilium ſanguine. *Quia Gentilitas carebat circumciſione.* Sed nondum ſic dubitatio tollitur, quin potiùs augetur magis. Ad quid enim inſtituta eſt circumciſio, niſi *ad tollenda ſuperflua & contra peccatum originale & conſequenter quodlibet aliud*, ut docet Angelicus Doctor! Ergò ut integer ac purus ipſe ab hujuſmodi noxis & maculis diſcerneretur, non erat ſubdendus circumciſionis legibus: naſci conveniebat ex Gentilibus, at non ex Hebræis, Proinde miratus eſt S. Bern. *Quid eſt enim circumciſio non ſuperfluitatis & peccati indicium? In te Domine Ieſu, quid eſt ſuperfluum, quod circumcidatur? nonne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus ſine omni peccato de Virgine Matre? quid facitis circumcidentes eum? putatis quia ſuper eum poſſit cadere illa ſententia: Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit anima ipſius de populo ſuo?* Quis ergò Circumciſionis Chriſti aſſignabitur finis, ne alioquin ceremonia ſuperflua credatur? S. Thom. allegat his verbis: *Vt oſtenderet veritatem carnis humanæ: ut approbaret circumciſionem: ut probaret ſe eſſe ex genere Abrahæ: ut Iudæis excuſationem tolleret, ne eum reciperent, ſi eſſet incircumciſus: ut obedientiæ virtutem nobis ſuo commendaret exemplo: & ut legis onus in ſe ſuſtinens, alios à legis onere liberaret.* Vel certè dici poſſit hic finis, ut error levaretur Manichæorum, Apollinaris, Valentini & aliorum, credentium Chriſtum aſſumpſiſſe corpus phantaſticum, non verum ac naturale. Occurrit ergo B. Simon de Caſſia & ita opponit: [Nec non teſtimonium aſſumptæ carnis pervalidum fuit, quòd in octava die circumciſus eſt, fuſuſque ſanguis, quo verum humanum corpus non phantaſticum habuit.]

S. Iren. Mart. l. 3. c. 7.

S. Thom. 3. p. q. 78. a. 4. Item 3 p. p. 38. a. 3 & q. 61. 63.

Serm. S. de Circumciſ. Dom.

D. Thom. 3 p. q. 37. a. 1. & q. 40. 4.

Lib. 1. c. 10.

Ad S. Irenæum regredior, cujus mihi reſponſio placet; & difficultatis nodum, ſaltem implicitè, ſolvit verbis præactis: *Naſcitur in Iudæa, non inter Gentiles; quia Gentilitas carebat circumciſione.* In illa enim facti ſunt primi ſanguinis ductus, & ad paſſionem foditur via acutiſſimo circumcidentis gladio; & quia eò æſtuantibus deſideriis feſtinabat Chriſtus, Hebræorum ſtirpem elegit, non Gentilium. [Durus cultellus applicatur ad Divinam carnem (inquit citatus author.)

B Simon ubi ſupra.

thor.) ut confodiens, dolore ad gemitum commoveret infantulum, ut moris est: turbatur ex dolore illa ætas octo dierum.) Quærebat anxiè occasionem ut pro nobis pati inciperet, & sanguinem profunderet. (Tempestivè cœpit pati pro nobis; & qui peccatum non fecit, pœnam hodie portare incipit pro peccatis nostris: non solùm enim in vitili, sed etiam infantili ætate sanguinem suum pro nobis voluit fundere.)

Ludolph. à Sax. p. 1. c. 10.

Ea in puerulo, ut dixi præsagia: videndi sunt modò in adulto secuti effectus. Cum Discipulis Christus loquebatur, seque necessitate coactum ire Jerosolymam indicabat, neque jam tergiversandum, siquidem hoc statutum atque decretum erat, per mare sanguinis in crucis ligno mortis profundum trajicere flagellorum remis, ut æternæ felicitatis portum homines paratum tenerent. *Oportet me ire in Ierusalem & multa pati à Senioribus & occidi.* S. Petrus, hoc audito miratus, surrexit, & Magistri sui vitam tueri volens, dissuadere studuit: *Absit à te Domine.* Hæc nos cogitatio affligit, consilium muta: & hoc iter funestum omitte; optamus omnes, ut potiùs nobiscum maneas sine tuo incommodo, etsi mori nos oporteat, quàm ut ad mortem jam properes, ut vitam nobis obtineas. Tantané cælestis Medice, tua erga ægros cura est, ut sanguinis tui balneum adhibere disponas? *Absit à te Domine.* Ecce nos ad mortem ultrò ibimus, ne tu sanguinem effundas; & certè magno nimis hoc pretio sit, auro vilissimum plumbum redimere. Vix hæc talia protulerat Petrus, cùm ecce Redemptor conjectis in eum oculis retroque vultu intuitus acriter increpavit. Pudet me, Petre, sic tui te oblivisci, ut tam inconsideratè in honorem meum impingas, amicum te credidi hactenus, sed spem meam fallis, video, cùm tuo etiam nomine te reddis indignum. Apage hostis, recede hinc Sathana, nec in conspectum deinceps venire præsumas. *Vade post me Sathana, scandalum mihi es.* Petrus pudore nimio suffusus ilicè se subduxit, & dejectis animis, depressis in terram oculis graviter suspiravit.

Matth. 16.

Cajet. in cap. 16. Matth.

Sed quid tam malè hîc actum à Petro, ut tam severam reprehensionem audire debeat? etsi delictum, ut cum Hieronymo fatear, non est nisi à maximo pietatis affectu. *Nimii ardoris, amorisque quàm maximi fuit Petrus in Dominum Salvatorem:* Aviditas me tenet, & vellem petere à Christo tam actis admonitionis rationem; sed vereor ne, cùm adhuc perturbatus sit, qui dilectum Apostolum ut Sathanam, me ut Luciferum excipiat & redarguat. Differam in tempus magis opportunum.

D. Hier.

Interea ad Hortum Gethsemani transibo, ut Judæ traditoris scelus expendam. Irruentem video cum militum turmis: ad Salvatorem accedit, & sub escæ osculo hamum perfidiæ abscondit, Magistrum amplectitur & illo ipso momento, quo fictè osculatur & salutat: *Ave Rabbi,* manus injicit & hostibus tradit. At verò instar apis cælicæ Redemptor ex amarissimo hoc flore, quem labiis admovet Judas, dulce mel sugit amicitiæ, eructando. (Amice, ad quid venisti? q.v d. Amice, tibi compatior plusquam mihi; amo te; te appello amicum, ut perpetuæ lenitatis & indulgentiæ meæ te memoria subeat, ne desperes. Ego te amo, quantumlibèt me vilipendas, dum tam parvâ pecuniâ prodis, ego te catum habeo, amicus adhuc tibi sum, ne, quæso, desperes; si tu adversum me inimico & avaro animo venisti, ego pro te me offero clementer & libenter turbæ te sequenti.) Ita Card. Viget. Ausim ego nunc interrogare piissime mi Redemptor, cùm tam affabilem te video & tenerrimo affectu commiserantem, ecquid, obsecro, est, cur Judam sceleratum benignè tractes, amicum nomines, at Petrum incorruptæ vitæ virum asperè repellas, & averteris ut inimicum? ergóne hominis perversi partes defendis, & justum persequeris? an Judæ jam confœderatus, & Petro adversarius? nil mirum: (NN.) Petrus enim (quamquam præter intentionem id ageret) impedire videbatur, ne Salvator in Judæam progrederetur, ut sanguinem funderet & pateretur, ideoque tam durè correptus est. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi.* Judas autem perfidè tradendo, sanguinis effusionem (etsi præter intentionem) acceleravit: & ideò Christus habitâ ratione actus physici, non autem moralis, amicum appellat? Amice ad quid venisti? Amicum vocat (*scribit Iansenius*) non quòd ab ipso diligeretur, sed quòd ipsum diligeret, eique benè vellet, & de ejus perditione doleret: aut etiam quòd hactenus secum tamquam amicus vixisset, atqui etiam nunc velut amicus & salutaret & osculum præberet.) Et de S. Petro subdit D. Hieronymus. *Vade post me Sathana; quasi diceret: Mea voluntatis est & Patris, ut pro hominum salute moriar; tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram, ut multos afferat fructus: & ideo quia contraria loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari: Sathanas enim interpretatur adversarius sive contrarius.*

Card. Viger. de captura Christi.

Iansen. Concord. Evang. c. 137.

In Caten. D. Thom. sup. c. 16. Matth.

Quo-

Quomodò tamen hoc verum sit, si Angelo ad hortum illum Gethsemani comparente & calicem passionis exhibente propinatum ab æterno Patre recusare ostendat, sic deprecans: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Nunc angor, mi pater, quare oro te & obtestor, ut, si in te erit, calicem hunc amarissimum amoveas. S. Hilarius admiratus Salvatorem interrogat: *Cur calicem à patre propinatum bibere recusas?* Responderi hic multi fariàm possit. S. Augustinus hoc modo interpretatur, voluisse Christum, ut dolor ille, quem jam in anima maximum sentiebat, dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* per corpus etiam dispergeretur & premeret. *Transeat, hoc est, ab anima ad corpus.* Ita S. Pater Augustinus. Beda aliam adfert rationem. *Orat autem transisse calicem, ut ostendat verè quod homo erat:* Cajetanus ita factum asserit. *Non voluntate deliberatâ, sed velleitate naturalis affectûs.* Accedit S. Hieronymus & locum hunc S. Scripturæ exponit. *Signanter dicit, calix iste, hoc est, populi Iudæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non possunt, si me occiderint, habentes legem, & Prophetas qui me vaticinantur.* Reponit S. Hilarius: *Quod autem, ut à se transeat, rogat; non, ut ipse prætereatur, orat, sed ut in alterum illud, quod à se transit, accedat.* Denique ut cum Drutmaro loquar, intelligi possit & isto sensu: *Si possibile est, salvare Gentes sine abjectione Iudæorum, ut non ipsi mihi inferant mortem, fiat Verum tamen, non quod humano affectu loquar, sed magis, quod tecum in Divinitate disposui, fiat.* Ut omittam expositiones reliquas, clarâ similitudine concludam & doctrinâ B. Laurentii Justiniani confirmabo.

Matt. 26. Marc. 14. Matt. 26.

Infirmus sit qui æstu febrique jactetur assiduâ, graviùs ardentiùsque sitiat. Medicus invisit, & ut impatientem soletur & contineat, aquæ frigidæ vas plenum addicit, ex quo ad libitum bibat & ad sitis extinctionem: sed in præsentia ægrotantis, sic tamen ut ipse non audiat, strictissimè iis qui assistunt, injungit, ut aquæ potum parcissimè subministrent, & hoc maximè observent. Dictum ita & factum, clamat interim, clamat infirmus, ut refrigerium à Medico præscriptum citò adferatur. Sed ut videt vix offerri guttulas aliquot, magis accenditur & siti vehementiùs premitur: non secùs ac si jacenti in nivibus & præ frigore penè morienti carbonem ignitum unicum præsentet aliquis ut calefaceret, certè non tam frigus ille pelleret, sed augeret potiùs. Infirmus ergò impatiens in verba ista prorumperet: Aut aquæ quantitatem à Medico promissam statim porrigite, aut modicum hoc ab oculis etiam removete. Daturum se Christo non modò torrentem, sed pelagus tormentorum inexhaustum pollicitus erat Pater Cælestis ut dictum sit per Prophetam: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Sed ubi vidit oblatum Angeli manibus tam pusillum calicem, in se quodammodo motus. Quid hoc, mi pater! inquit, contrà facis quàm promisisti: mare, ut ita dicam, sperabam, & calicem præsentas? ardentior sitis me torret, quàm ut modico isto refrigeret: justè jam queri liceat: *Improperium expectavit cor meum & miseriam.* Si mare recusas, etiam calicem subtrahe, Angele, & tecum ad cælum defer. (*Transeat à me calix iste.* Non tamen fugit, ut illa evaderet (explicat Ordinis Carmelitici jam notus & celeberrimus Author Michael à Bononia) sed spontè ad locum Passionis venit crucifigendus, expectans pati pro nobis. Propter quod dicit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar;* & hoc notans Christus dicit: Improperium expectavit cor meum & miseriam: & dicit, cor meum; quia licet caro fugeret mortem, voluntas tamen, quæ per cor intelligitur, illam quærebat, illam desiderabat.) Meliùs Laurentius Justinianus, ex stylis effusi in circumcisione sanguinis ceu veris desideratissimæ passionis prognosticis, ita loquentem Salvatorem inducit: (Hæc pro Electorum salute patior, ista pro tuo honore sustineo, verùm quia parva videntur, adde flagella, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide; universa hæc & majora toto desiderio sitio.)

Psal. 68. Incognitus in ps. 68. Laur. Iust. de triumph. agon. Christi.

Observat S. Pater Bernardus, cùm jam irrueret Pharisæorum turba, ut duce Juda perfidissimo in horto apprehenderent Jesum, quid faceret Filius Dei? non fugisse advertit, sed ultrò ruisse obviam hostibus miratur. *Ecce appropinquat hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum: Surgite, eamus hinc.* Quid ergò, Redemptor bone! hosti cum armata multitudine aggredienti obvium te dabis ut repellas? quomodo duodecim inermes fortissimum militem prosternant? quid mansuetudo contra tantam ferociam evincet? quid contra leonem timidus lepus? consultius ego duxerim fugæ dare: quidquid prædicent alii, gloriosum in conflictu constanter mori, nil minùs est fugiendo servare vitam. Recede ergò & illorum conspectum devita. Non sic charissimi, ait Salvator, non sic: *Surgite, eamus.*

Matt. 26.

Insequuntur me Pharisæi, ut gravia tormenta & crucem imponant: ego nihil hactenus sollicitè magis quæsivi, quam ut occasionem patiendi reperiam, & modo fugerem? acceleramus ocyus, ut citius apprehendant; Anhelant, videò, meumque sitiunt sanguinem, sed tamen ardentior est mea cupiditas spargendi sanguinem: obviam properemus. Eam fuisse Christi mentem exprimit mellifluus Bernardus. *Quàm promptus ad passionem tuus fuerit animus, evidenter ostendisti, quando venientibus una cum proditore tuo viris sanguinum, & quærentibus animam tuam cum lanternis & facibus per noctem ultro occurristi.* *Serm. de Pass. Dom.*

Appositè, meo judicio, Venerabilis Beda illud Christi in Cruce lamentum expendit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Intima est, Jesu amantissime, mea commiseratio, cùm in mari Passionis ad mortis scopulos trepidantem contemplor: & quod tormentum longè maximum est, neminem video, qui juvet, qui soletur aut conforter. Prô dolor! neque ipsa hîc pietas movetur, & quod mirari satis nunquam potui, Pater æternus in summis illis cruciatibus non subvenit, unde lugubris illa lamentatio clamorque mœrens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quis non querelis his moveretur, si non adamantinus sit? Conemur ex Patrum sententiis ad verborum sensum penetrare. Origenes mentem explicat: *O Deus! qui, cum omnium sis Deus, meus tamen es peculiari quâdam ratione, & propriâ, ut quem unicè amo & colo, ut quid adeo unicum me dereliquisti, qui soles adesse omnibus te invocantibus, atque colentibus, & humana omni ope atque consolatione destitutis?* Hic hæret Orig. & stupet, quomodò fieri ita possit, Patrem Filio semper intimum & omni momento in necessitatibus succurrere ut homini hactenus paratissimum, jam, cùm in extremis versatur & in mortis agone, manum subtrahere afflictissimumque non consolari, quin imo spe omni destitutum deserere. *Certè in anima Verbi natura mutata, Paterno in omnibus Christus usus auxilio, nunc inops ejus, mortique permissus solitudinem suam conqueratur, relinquentesque se arguat.* Respondet Orig. *Non æstimes humano more Salvatorem ista dixisse propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce.* Cur ergo mœstus vociferatur? *Forsitan videns peccata hominum, pro quibus patiebatur, dixit: Quare me dereliquisti?* Accedit Rabanus & benè confirmat: (Humana enim natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta; sed quia Filius Dei factus est noster Advocatus, quorum suscepit culpam, deflevit miseriam: in quo ostendit, quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit, qui nunquam peccavit.) Glossa sic habet: *Dicitur eum Deus deseruisse in morte, quia potestati persequentiũ eũ exposuit: subtraxit enim protectionem, sed nõ solvit unionem.* *Matt. 27.* *Ianſen. Concord. Evang. c. 145.* *Hilar. in Caten. D. Thom. in Matt. c. 27. Orig. ib.* *Rabanus ibid.* *Glossa in Matth. c. 27.*

Theodoretus hîc censet Christum peccatoris personam sustinuisse, cujus jam induerat habitum & similitudinem, ut proinde ex ejus ore loqueretur. *Hoc loquitur homo crucifixus Deo pro me: nos enim homines sumus derelicti, ipse nunquam à Patre derelictus fuit.* Omnium optimè ad rem propositam concluſit Venerab. Beda, asserens lamentatum eum esse, cùm violentâ morte afficiendum se prævidit; non quia vitam hanc linquere formidavit, sed eò quod moriendo finem patiendi reperiret. *Conqueritur Christus, non propter tormenta quæ patitur; sed quia non ei concedit longiorem vitam, ut plura pati possit.* Hæc ille, & infrà subjungit: *Christus ex vi tormentorum suam mortem accelerare videns, volens diutius pro nobis sufferre tormenta, hanc amore refertam querimoniam proposuit Patri: Pater, cur tam cito me mori disposuisti? Cur non moras protrahis, ut magis magisque pro hominum salute adhuc cruciarer?* Quàm vera fuerint in circumcisione ejus præsagia, ex effectibus evidenter jam constat. *Beda in Matt. 27.* *Idem homilia de querela Christi.*

Et quandoquidem de Passione Salvatoris inciderit sermo, crediderim tam lubenti ac ferventi animo spinas dolorum acutissimas pertulisse, ut ne vel flosculum consolationis admittere voluisset, ne inde refrigerium aliquod aut levamen accederet; Ut idcircò quæstionem unam aut alteram moverit, S. Paschasius: Primò, utrum in ultimâ Cœna adfuerit Maria & cum Discipulis communicaverit? Secundò, triduo illo Passionis cùm flagellaretur, coronaretur spinis, clavis perfoderetur & cruci affigeretur atque tandem sepulchro retineretur, an tum sub speciebus consecratis Corpus Domini nostri haberetur? Ad utrumque quæsitum negativè respondet, & ad primum hanc fert rationem. Si Maria Virgo cum cæteris in communione Christum sub Sacramenti speciebus recepisset, tantâ id puritate & fervore spiritus peregisset, ut sufficeret ad Christum recreandum & acerbitatem Passionis mitigandam: sed quia solatium & refrigerium respuit, spinas sine floribus eligens, ideò Mariam à cœna & communione abesse voluit. *In ultima cœna Corpus Christi non accepit Maria, ne hujusmodi consolatione, passionis dolores minuerentur.* *S. Pasch.*

Ad

Ad alterum quæsitum, Cur in *illo triduo mortis* non manserit ulla particula consecrata, rationem adfert Episcopus Hostiensis, quia alioqui Christus eodem tempore fuisset in cruce irrisus & ab Apostolis in Venerabili Sacramento adoratus, in cruce vulneratus, & in tabernaculo glorificatus; in cruce dolore dejectus, & in Ecclesia gaudiis recreatus: in propria humana specie ab Hebræis contemptus, & in Sacramentali à fidelibus honoratus. Volo (ait Salvator) pungentes spinas sine floribus; fel peto sine melle; angustias undique desidero, sed sine ullo levamine. Noluit ergo (concludit Drogo) ne vel particulam ullibi superesse consecratam in ultimo illo triduo, *ut undequaque pati diceretur.*

Drogo Episc. Host. de Pass. Dom.

Quid ultra? non voluit ut à planta pedis usque ad verticem capitis in Sacratissimo Corpore sanitas repetiretur, aut illæsum membrum.

Quid, putatis, intendit Christus, cùm in cruce pendens caput versus pectus reclinavit? *Inclinato capite.* nonne vobis ideò videtur, ut plagati corporis gestibus amoris sui signa ostenderet? Augustinum asserentem audite: *Totum corpus expositum habet ad redimendum, brachia extensa ad amplexandum, cor apertum ad diligendum, & caput inclinatum ad osculandum.* Vel dicamus, potiùs ad eam partem inclinasse, quam lancea Longinus perfoderet, ut in corde amoris plagas patefaceret. Allusit sic ingeniosus Poeta.

Ioann. 19.

Lib. de Virgin.

Petrus Mich. p. 2.

Qual poi segno maggiore
Signor' ch' ei ti sia grato
Mostra à un' servo ingrato?
Non bastan le Divine
Tempie cinger di spine?
Esser in ogni lato
Percosso fore flagellato?
Ch' anco dimostri ô mio celeste Amore
Il fianco lacerato, aperto il Core.

Verisimile etiam arbitror, pieque meditor inclinatum caput, ut linguæ foret liberum cum corde à sinistra pectoris parte habere colloquium. O quàm grata, quàm salutaris linguæ & cordis dissertatio! Lingua exanguis gestu mortuo reverenter submittitur & cor palpitans benignè salutat. Discutrit lingua profundo silentio, & cor respondet gravi suspirio. Edissere cor meum, obsecro: quid tibi est? cui cor: affligor, ait, quia nil patior: an non ergò (resonat lingua) tot amoris sufficiunt vulnera? nonne à passionibus interiùs sat acerbus tibi fit cruciatus? Eheu! gemens cor addit) cur mœror non excidit? Querar ergo (lingua reponit) cum luctu, & jure quidem, cæteris membris non deesse pœnas, meque vel renitentem hîc excipi. Justius ego deplorer (cor dixit) ab hac me palæstrâ excludi. O fortunatum caput! (clamabat lingua) quia spinis coronari dignum! Verè beati pedes (replicabat cor) stigmatibus insigniti! felices manus clavis perforatæ! felicissimum corpus fustibus & flagellis lanitatum!

Non sic, (ait lingua) non sic, non acquiescam donec ita patiar. Neque facilè placabor ego, respondet cor, nisi priùs doloribus opprimar. O quàm jucundum hoc amoris certamen! quàm dulce colloquium & quàm gratum duellum! Quid tandem? pactione facta apud Patrem expostulare proponunt: ita parat lingua innocentiæ chartam, cor ardentis affectûs calamum, & intincto sanguine querelas describunt, sicque ad æterni Patris tribunal supplices exposcunt: *Deus, Deus meus* (exponit lingua) *ut quid dereliquisti me?* Cor altius assumit. *Clamavit, clamore valido.* Esse solius cordis exclamationem testatur David. *Clamavi in toto corde meo: exaudi me Domine.* Exaudivit Pater & favendo petioni subscripsit, cùm ecce statim exequuntur ministri impii, spongiam felle atque aceto perfusam ori obtrudentes. *Vas ergo erat aceto plenum; illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt.* Et ita satisfactum est linguæ.

Matt. c. 15. Hebr. 5.

Ps. 118.

Ioann. 19.

Ex altera parte miles in equo insultat & strictâ lanceâ pectus perfodiens, cor vulneravit. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.* Ec sic cumulatè datum est cordi, & satis linguæ; uni quidem amaritudine fellis, alteri vulnere lanceæ. Caput ergò JESUS incurvat, ne pars ulla corporis sine læsione restet. (Inclinato capite Christus omnes sui corporis partes lustrat, an aliqua sit pars quæ passa non esset. Vidit latus dextrum quod non ita passum videbatur, & vulneri locum aperuit, ut cor feriatur.) Hoc de corde dictum. De lingua S. Bern. affirmat: *Fractis membris omnibus, dulcis* JESUS *voluit puniri & linguam, & ad pœnam linguæ sufficit, acetum gustâsse.* Pro utroque Pelbartus subscribit his verbis: (Sola remanserant lingua & cor; sed, ne & illa remanerent absque pœna, felle & aceto potatur lingua, & cor aperitur lanceâ.) Et extremis illis doloris effectibus correspondit prognosticis signis, quæ, vix natus ostendit. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur.*

Ioann. 19.

Alphons. Card. Palleot. de Pass. Christi.

Serm. 14. de Pass. Dom. L. 3. p. 3. a. 2, c. 2.

Mirum

Mirum est quod subdo, pro certo tamen habendum. Ut excitatum in circumcisione extingueret desiderii incendium, pati & mori in cruce voluit annis duobus ante statutum tempus, & à SS. Prophetis præsignatum. In Sacra Pagina reperio notatum quandonam esset Christus moriturus, scilicet ætate 35. annorum. Mysterii hujus videre impletionem ardentissimè desiderabat Propheta Habacuc, humillimè supplicans: *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud,* ubi & præcisum terminum indicavit. *In medio annorum notum facies.* Hoc jam difficile, quodnam illud sit annorum medium. Nonnulli opinantur, hîc annos omnes comprehendi à mundo condito usque ad adventum Christi Judicis, neque medium hîc debere intelligi geometricè aut atithmeticè, sed (quatenùs excludit principium & finem, id est, pro quacumque temporis differentia contenta inter hæc duo extrema principium, & finis.) Titelmannus tamen de annis humanæ vitæ interpretatur. (Quidam admodum subtiliter exponunt de medio annorum vitæ hominis, quo vivere potest homo secundùm consuetum naturæ cursum in bona qualicumque valetudine.)

Habac. in Cant.

Iacob. de Valentia in Cant. Habac.

Fr. Titelm. in Cant. Habac.

At verò si incerti sint anni vitæ hominum, cum videamus alios brevi, alios longo tempore, alios mediocri vivere, quomodò ergò quis hic certùm statuat medium? hoc equidem verum, si assequi valeamus quot sint determinatè vitæ hominum anni, facilè tum fore, annum assignare omnium medium.

Videtur id aliquando subindicasse Regius Propheta David, ubi sic ait: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: amplius eorum labor & dolor.* Concurrit iterum & consentit Titelm. (Dies annorum hominis & duratio vitæ humanæ, quâ potest homo ut plurimum secundùm consuetum naturæ cursum in sanitate & bona valetudine vivere, anni septuaginta aut citciter vel paulò infrà, vel paulò suprà: quod verò ultra hos terminos est reliquum vitæ, in afflictione est, atque dolore.) Confirmat non jam Incognitus, sed Ordinis Carmelitici notissimus Interpres. (Hic in particulari determinat vitæ præsentis brevitatem, dicens quòd durat usque ad 70. annos, quibus transactis, vita hominis non est nisi quædam miseria.) Si igitur dies vitæ hominis 70. anni, medium illorum conficient 35. sicut intenderit Propheta Habacuc ita loqui: Oro te, Deus, ut cùm Filius tuus unigenitus nostram assumpserit carnem, eritque jam in medio ætatis, triginta scili[illegible]que annorum, genus humanum vivificetur. (Opus tuum quod creasti & manus tuæ formaverunt, jacet in vita hujus mundi sauciatum & mortificatum: ergo vivifica illud per mortem ipsius, passionem & resurrectionem.) Si ita est, (NN.) quarè ergo dies mortis Filii Dei tempori prophetice designato non correspondet? ut quid moti non distulit ad trigesimum quintum ætatis annum, sed quasi longioris moræ factus impatiens ad annos duos prævenit?

Psal. 89.

Fr. Titelm. in hunc locum Ps.

Michael à Bononia in Ps. 29.

Iacob de Valentia ubi supra.

Religiosus sit, qui votis omnibus cupiat hanc sibi gratiam, ut quantociùs Sacerdos ordinetur & primitias in altari offerat: desiderio accedit mora, defectu ætatis requisitæ; nil tamen hâc ipsâ dilatione illi molestius: quid agit? medium excogitat, dispensationem temporis implorat & obtinet, neque tum diutiùs expectat, sed festinanter ad altare se præparat, ut voto jam perfruatur. Desiderio Christus maximo tenebatur, nihilque cupiebat ardentiùs, quàm ut celerrimè ad aram crucis perveniret, cruentum æterno Patri Sacrificium oblaturus. Sed cùm triginta tantùm & trium annorum esset, duoque de trigesta quinque requisitis deficerent (piè dicam) factus impatiens dispensationem impetrare quâcumque etiam viâ concepit. Ad hortum pergit Gethsemani, memoriale exhibet Summo Pontifici: *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* Feliciter quidem: cùm ecce ex cœlesti nuncio intelligat concessum à Pontifice desiderium. *Accedens Angelus de cælo confortans eum.* Ad Pilati Datariam properat urgetque Brevis subsignationem. *Tollite eum vos, & secundùm legem vestram crucifigite.* Et sic ordinatus Sacerdos. *Tu es Sacerdos in æternum.* Sacerdotalia induit, amictum coronæ spineæ imponit capiti, Albam vestem porrigit Herodes, flagrorum funibus ab Hebræis præcingitur, manipulum vinculorum stringentium super manum ponunt, pro stola accipit catenam ferream, pro planeta crucem, & calicem passionis præferens, introit ad altare montis Calvariæ.

Luc. 22.

Ibidem.

Ioan. 19.

Psal. 109.

Et quia ritu solemniori celebrandum erat augustissimum hoc sacrificium, Diaconi officio fungitur bonus latro, subdiaconi malus. Introitum dicit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Collectam incipit ac pro crucifixoribus orat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Cantat Epistolam malus latro: *Si Filius Dei es, salva temetipsum & nos.* Evangelium pronunciat bonus: *Neq; tu times Deum, qui in eadem damnatione es:* Ad Offertorium prosequitur, Spiritum

Marc. 15.

Luc. 23.

Luc. 17.

Luc. 23.

æterno

æterno Patri offerendo : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Assistit minister, non vinum & aquam in ampullis porrigens, sed fel & acetum. *Vas ergo erat positum.* Intonatur à turba Præfatio : *Si Filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei.* Milites *Sanctus* clamant ore impio blasphemantes : *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud.* Hæret celebrans in Memento, Diaconus adstans precatur ut ejus recordari dignetur : *Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Ad consecrationem progreditur, etsi non transubstantiet, Joannem transmutat in Matiæ filium, & in matrem Joannis Mariam : *Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo : Ecce Mater tua* Etiam defunctorum animabus sacrificium applicat, & statim secutus est fructus. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Dicit *Agnus Dei,* ideò milites *revertebantur, percutientes pectora sua.* Terminaturus jam Sacrificium, ut populum in pace, dimitteret, ait : *Consummatum est.* Et si præ omnibus sacerdoti incumbat, ad *Verbum caro factum est,* inclinate, Christus etiam caput inclinavit.

Marc. 15. *Luc. 23.* *Ioann 19.* *Matt. 27. Marc. 15.* *Ioann. 19. Ioann. 1.*

Ecce tandem absolutum Sacrificium, ecce terminata est Passio & sanguis effusus duobus annis ante decretum tempus. Concludo ergò (NN.) his Titelmanni verbis : (Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud. Hoc enim tempus in psalmis assignatur annis septuaginta. Si autem septuaginta dividas in duas partes æquales, tempus medium habet annos triginta quinque. Christus autem Dominus salutem humani generis in Cruce operatus est anno ætatis suæ trigesimo tertio.) Et vel exinde ostendere cupiebat, quantus esset patiendi ardor ex illo instanti, *cum consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.*

Fr Titelm. in Cant. Abac. Proph.

Nos autem qui Christiani sumus, non subditi circumcisionis istius præcepto, quid hinc fructus, quid utilitatis excerceremus, cùm tamen actiones Christi fideliter imitari Christianos oporteat, ipsomet Christo asseverante: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis!* Utique *omnis Christi actio, nostra est instructio.* Discamus ergò & nos spiritualiter circumcidi. (Significatur autem per circumcisionem carnis, circumcisio mentis, quâ mundatur anima à vitiis; & ideò debemus circumcisionem spiritualem in omnibus intra & extra habere, & ex omni parte spiritualiter vitiis circumcisi esse) Hactenus Carthus. Author. *Et nos oportet* (addit S. Aug) *circumcidi, non carne, sed spiritu,*

Ioann. 13. *Ludolph. à Sax Carthus. in vita Christi p. 8. c. 88.* *S. Aug de Circumcis.*

& præputium nostrum, id est vitium omne à nobis abscindi, ut simus sancti & immaculati in medio nationis pravæ, inter quos luceamus sicut luminaria in medio, verbum vitæ continentes. Christus autem sic suscepit pro nobis circumcisionem, ut nos spiritu circumcideremur. Idem sedulò Propheta Jer. prædicat: *Circumcidimini in Domino, & auferte præputia cordium vestrorum* Circumcidite corda vestra plena superfluitatibus. Quis vestrum in horto cordis plantam habet odii adversus proximum & jam radices agit, illud est superfluum, illud citissimè extirpandum: ne in sylvam excrescat. Quot depravatis redundatis vos, & superfluitis affectibus? quot dissortis passionibus mens vestra gravatur? quot superbiæ, ambitionis & vanæ gloriæ motibus inflatur? Jamjam contritionis ferro evellite & ex fundo cordis penitus eradicate. Duobus id modis fieri docet Mellifluus Pater: *Duplex est circumcisio, quæ à nobis fieri debet, scilicet interior & exterior.* Audiamus: *Exterior consistit in habitu, ne sit notabilis; in actu, ne sit reprehensibilis; in sermone, ne sit contemptibilis.* Adhibenda ea est in gestibus corporis & modo externo conversationis : in operibus quæ indies facitis, & in verbis, quæ tam innumera profertis ; an verò hâc non quilibet ex vobis indigeat? actiones suas quisque consideret, & manum, ut ita loquar, pectori admoveat, atque de se fateatur verum, & judicium ferat. *Interior similiter consistit in tribus ; in cogitatione, ut sit sancta; in affectione, ut sit pura; & in intentione, ut sit recta, tali circumcisione omnia vitia tolluntur & excluduntur.* Quis non, obsecro, millenis cogitationibus impetitur? ecquis ille est, cui non prædominentur impuri affectus? quis tam sibi præsens, qui rectam in actionibus suis omnibus intentionem semper teneat, Deique voluntati planè conformem? Si pupillorum tibi cura est, quis finis? nunquid, ut illorum proventibus familiam sustentes potiùs, quàm ut charitatem Christianam exerceas? Ædivus es, bona Ecclesiæ administraus, quid hîc intendis? Dei solius honorem? certè sine præmio & emolumento tuo non faceres: Justitiæ minister es, & quare? Omnes pecuniæ vias nôsti, & omnia pecuniæ causâ per fas & nefas procuras O quàm necesse est tam sanctæ circumcisionis uti instrumento? Circumcidite vos vanæ mulieres & puellæ leves, ornatum illum superfluum tollite. Quorsum unguentis affluitis, calamistratâ comâ? Scitis quid compti illi vestri capilli, insperfus pulvis & madentes cinnamorum fimbriæ? Dicam

Jer. 4. *S. Bern.* *S. Bern. ubi supr.*

cam ego: Incentiva libidinis sunt & Diabolorum laquei, iisque tot animos irretitos tenent, quot in cordibus flammas accendunt: illo vanitatis pulvere sanctitas violatur, lascivis illis capillorum circulis ceu totidem Lucifer decoratus insignibus de animabus vestris triumphat.

Non est, mihi credite, pars ulla nostri corporis quæ circumcisionis hunc cultum non requirat: præscindendi sunt oculi ab inhonestis respectibus, aures ab audiendis otiosis & vanis, lingua à multiloquio, detractionibus & blasphemia; manus ab iniquis injectionibus, furtis & rapinis: pedes à viis pessimis quæ ducunt ad interitum & æternam damnationem. Arbores videamus, fructum non ferent nisi truncatis ramis; ubi enim frondium luxuries, fructuum abundantia non est speranda. Vitium pampinatio tempestivè necessaria, ne in folia virtutem omnem exerant. Ad confusionem vestram hoc adferam: An non observâstis quomodo ferrum arte præservetur à rubigine, argentum & aurum à terræ mixtura expurgetur, granum à palea, & vinum à fæce? Solus ergo peccator ferruginem vitiorum retineat, paleam vanitatis non excutiat, & in scelerum fæcibus tanquam in visco adhærescat? Turpis ea est & nimis nocens vita, cùm in extremo salutis discrimine versatur anima. Tollendâ igitur superflua hæc, exemplo Christi circumcisi. S. Augustinus monet: *Mysteria circumcisionis Christi sunt mandata ejus, quibus præcipit quidquid superfluum sive in corpus, sive in animum nostrum irrepserit, abscindi à nobis & circumcidi.* S. Aug. Homil. de Circumcis.

Circumcidor ego in corpore, ait Christus Salvator, ut vos circumdamini spiritu. Modum ego suggeram circumcidendi vos & spargendi sanguinem sine dolore & ferro. Duplicem habetis sanguinem, unum qui in venis conservatur, & iste primus est, alterum qui in bursa, & hic secundus sanguis à nonnullis vocatur. *Argentum & sanguis mortalibus* dixit Aristophanes. In bursa ergo vos circumcidite, sanguinem secundùm pecuniam, inquam, exprimite, ut sic pauperes foveatis: id commendo.

PARS SECUNDA.

Postquàm consummati sunt &c. vocatum est nomen ejus IESVS. In circumcisione puero nomen JESUS imponitur, quod ab Angelo fuerat è cœlo nunciatum. *Quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur.* Imposito Luc. 2.

sic nominis multæ adferuntur rationes & congruentiæ. *IESVS* idem est quod Salvator: unde quia propter nostram omnium salutem in hæc terrena descenderat, nomen hoc JESUS illi conveniebat. (Vocabis nomen ejus JESUM, id est, Salvatorem, quia ex officio, cui incumbebat, nomen habere debebat: studebat autem humanæ salutis.) Confirmat Niceta (*IESVS* tanquam Servator nominatur, & exponitur, cujus interpretationis Gabriel ipse testis est, cùm Virginem his alloquitur. Vocabis nomen ejus JESUM, quoniam ipse servabit populum à peccatis eorum.) Io. Vigor. l. 1. c. 24. Niceta in Biblioth. Vet. PP. Tom. 2.

Debebatur Christo hoc nomen: sicut enim ipse omnium, qui sub cœlo sunt, longè erat sanctissimus, celeberrimum etiam titulum requirebat: neque digniori unquàm poterat vocabulo exprimi, quàm dulcissimo hoc nomine JESUS: de quo sic asserit S. Vincentius Ferrerius: (Hoc nomen JESUS est virtuosum, quia omnes virtutes, quas Deus posuit in herbis, lapidibus, plantis, stellis, constellationibus, omnes sunt & continentur in hoc benedicto nomine JESU.) S. Vinc. Ferrer. serm. de Circ. Dom.

JESUS erat appellandus: sicut enim Christus fons, à quo nobis aqua Divinæ gratiæ abundè promanat; ita nomen istud omnium bonorum origo est, quæ creaturis liberaliter concessa. (Quidquid undique est, quantumcumque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius, & si quid habet candidum, si quid conspicuum, ad illud nomen referat, unde accepit, illique excellentiæ devotus adscribat.) Ita Arnoldus Carnotensis. Arn. Carn. Tr. ult. de 7. Verbis Domini.

Non poterat illi dari nomen convenientius isto, per quod tam prodigiosi, tot miraculosi eventus. *Hoc est nomen, quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis: proindè si qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat, ad invocationem hujus nominis recurre.* D. Bern. Sen p. 2. ser. 49.

Mirum est, quod in Monasterio S. Gabrielis contigit, de quo sic in Chronicis Cluniacensibus. (Apud Cremonam facta est tempestas maxima, ceciditque in grandine lapis grandis, in quo erat Crux & imago Salvatoris expressa, desuper quoque aureis litteris scriptum I. N. R. I. & de aqua, de qua liquefactus est lapis, inunxerunt Monachi oculos semicæci, qui statim clarè vidit.)

Et certè hoc unum quibusvis infirmitatibus remedium experietur, quisquis dignè ac reverenter invocabit. Testis est Michael de Carcanos (Audivi, ait ille, quàm plurimos errantes in multis periculis sive equitando, sive itinerando, sive per mare eundo, sive cadendo, in hujus nominis invocatione illæsos evasisse.) B. Mich. de Carc. ser. 2. de Nativ.

Dæ-

Dæmonibus terribile est, quo vel solùm audito in fugam subitò convertuntur. Atque idcircò
Luc. 10. cum 72. Discipuli dicebant: *Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Respondit eis Magister: *Videbam Sathanam sicut fulgur de*
Psal. 2. ser. 49. *cælo cadentem, q. d.* (exponit D. Bernard.) *Nolite mirari, si nomen meum diaboli expaveſcant & eos ab homine pellat, cum virtute ejus, Sathanas cum omnibus Angelis ſuis de cælo expulſus cecidit ſicut fulgur.*

Jure & meritò nomen hoc illi competebat: ſicut enim nemo eſt, qui meritis Chriſtum æquiparare queat, ita nec qui nomine valeat. O pondus nominis JESU! (exclamat Petrus Cellenſis)
Lib. 2 ep. 4. (quis appendere, quis dinumetare, quis æſtimare valeat hoc nomen in pondere? numquam ſine pondere nominandus eſt JESUS, pondere utique ſanctuali: quia nemo poteſt dicere, Dominus JESUS, niſi in Spiritu ſancto)

Nomina impoſita ſcimus *ad ſignificandum quod quid rei.* Cicero propterea ait: *Nomina ſunt tamquam rerum notæ.* Ariſtoteles: *Nomen dicitur à notificando.* S. Thomas Aquinas denique: *Nomina debent proprietatibus rerum reſpondere.* Unde cùm Deus reſtitueret Abrahamum *patrem populorum*, mutavit nomen *Abram* in *Abraham.* Idem hoc eſt quod multorum populorum pater. Sic etiam Sara uxor ejus vocata eſt: [Sarai per quod Dominus oſtendere vult (inquit Oleaſter) ſe velle Sarai extollere, ut eſſet princeps multitudinis gentium, quemadmodum vir ejus.] Sed dicite vos Nobiliſſimi Veneti, cur civitatis veſtræ nomen Venetia? Venetia, id eſt, *Veni etiam.* Quiſquis es redi & veni etiam ut revideas & unum hic ex mundi ſeptem mirabilibus mireris. Aut certè Venetia idem eſt ac *Vanescia*, ſine *va.* Civitas quæ nondum adverſitates ſenſit aut infortunia. Sic omninò nomen JESU, ut ei correſpondeat cui impoſitum, neceſſe eſt, ſic ut Chriſtus, quidquid vocabulo expreſſum, opere adimpleat.

Cicero de Finib. Ariſtot. 1. Metaph. 12 Gen. 17. Petr. Rom. in Ven. Evit.

Lib. 2. c. 10. B Simon de Caſſia dicit. JESUS *communis eſt, & communiter omnibus factus eſt.* JESUS elegit nomen hoc JESUS, quia communis omnium quærebat eſſe benefactor: non ſingulatis, ſed benignus & benevolus omnibus. Prognoſticon eſt jam dicti Scriptoris, videamus, utrum effectibus verum probetur. Unus & idem Angelus Virgini caſtiſſimæ incarnationem Verbi annunciavit, & Zachariæ conceptionem Joannis Baptiſtæ Præcurſoris ſed diſpari loquendi modo; ſiquidem Beatiſſimæ Virgini dixit: *Ecce concipies & paries.* Zachariæ verò; *Eliſabeth uxor tua pariet tibi filium.* Illud *tibi*, dictum Zachariæ in dubium mihi venit. Zachariæ dixit: cur non & Mariæ? Reſpondet Chryſoſtomus. Nativitatem Joannis prædictam & fauſtam quidem, ſed patri ſolum ac matri, cum hæc fœcunda, & ipſe factus loquens: at Chriſtus, cui nomen JESUS, natus eſt non modò ad matris bonum, ſed & totius univerſi ſalutem: ideoque nec illi dictum ab Angelo, *partes tibi*, quomodo Zachariæ legimus factum. Verba pono S. Patris Chryſoſtomi: *Non enim ait. Paries tibi filium, ſed abſolute, paries: non enim peperit ſibi, ſed toti mundo.*

Luc. 1. D. Chryſ.

Advertitis, quibus verbis uti ſoleat Chriſtus cùm ad ſalutem homines vocat, non ad perſonas aliquas reſtringit, ſed generatim atque universè agit, ſine exceptione omnes invitans, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit.* Et ubi de ſacratiſſimo ejus nomine loquitur Apoſtolus, *Quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, verba ſic explicat eruditus Author: *Quibus ſe omnibus Chriſtus exhibuit ad ſalutem & nemini deſperationem minatur, qui ejus non retinuerit benignitatem.* Veritatem hanc Abbas Pinuſius confirmat dicens: [Videtis ergò quantos miſericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris, ut nemo ſalutem cupiens deſperatione frangatur, cùm videat ſe tantis ad vitam remediis invitari.]

Matth. 12. Ioan 12. Ioan. 6. Luc. 11. Rom. 10. Auguſt. de Monte Alcin. Pinuſ. Abb. Collat. 20. c. 7.

Scriptor ille præfatus diligenter & curiosè perpendit Redemptoris noſtri Verba dicta S. Petro, cùm jam eum Apoſtolici gregis, & orbis univerſi caput ſtatueret. Obſervat commiſſionis formulam: *Paſce oves meas.* Audite interpretantem: *in quibus verbis oves ſuas Petro indiſtinctè ſingulariter commendavit, tanquam univerſali Paſtori, & omnium Regi; nam non deſignaſſe aliquos eſt aſſignaſſe omnes.* Deinde advertit, Dei Filium non ſemel tantùm, ſed tribus iteratis vicibus commendâſſe Apoſtolo Petro ſuum gregem; quia cùm tres aſſignari ſoleant hominum ſtatus, incipientium unus, proficientium alter, tertius perfectorum, noluit videri perſonarum acceptor, ideoque non nominatim unum aut alterum ſtatum, ſed æqualiter omnes concredit. *Oves commendat trinâ commendatione, quia triplici differentiâ oves exiſtunt, incipientes, proficientes & perfecta, ut omnes, quacumque ſint, Petro & ſucceſſoribus ſubjecta eſſent, omnium.*

Auguſt. de Monte Ilc. de præſtät. Rom. Epiſc. p. 1. c. 2. Idem ubi ſupra.

omniumque gregis Dominici ovium, & primus Pastor esset atque supremus.

Cùm Jerosolymam ingressi essent Magi, accesserunt ad Herodis palatium, ut Christum quærerent. Petebant ergo: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Sed tamen ibi non invenerunt. Occurrit hic D. Cyprianus & commotus hos ita redarguit: *Injuriam facitis Divinitati, si illum in domibus quæritis.* Injuriosum namque ducebat in domo privata quærere: & si natus esset in propriis Herodis ædibus, purasset mundus, ita factum ex partiali erga Herodem affectu. Nasci igitur in diversorio elegit, ut sic omnibus communem affectum in loco communitatis demonstraret. (Non in palatiis Regum & Principum, sed in diversorio exponitur cunctis, qui ad omnium erat directus salutem, ne suus aspectus rolleretur ab ullo, qui se omnibus exponebat ad nutum.)

Matth. 3.

Barthol. de Pisis lib. 3. de Vita B V.

Quod præterea ad JESU nomen attinet, metaphoricum illud esse voluit; & ut mysteriosa cæterum sileam, Solis vocabulo legimus adumbratum. Testis hic nobis Malachias, qui prophetico oculo ita prævidit: *Oritur nobis timentibus nomen ejus Sol justitiæ.* An quia Sol nascens exhilarat, occidens verò contristat; unde formatum est emblema hâc adjecta Epigraphe *Syn sua rayes mis des mayes.* Ita JESUS, cùm nascitur, mundum recreat: *Annuncio vobis gaudium magnum.* Cùm autem ad mortis occasum vergit, matrem, Apostolos & mundum universum mœrore afficit. *Tenebræ factæ sunt super universam terram.* Sed quis non videat Solem indifferenter illuminare omnes mundi plagas, terram æquè & urbes, castella, palatia Principum & pauperum tuguria, montes, plantas, colles, sylvas, turres, valles, homines, feras, &c.? *Sol à nullo distat,* (ait D. Ambrosius) *nulli præsentior, nulli absentior est, similis Soli est Indis & Britannis, & eodem momento videtur cum oritur nec, cum vergit in occasum, minor apparet orientibus quàm occidentibus.* ut observata sit lex expresse inquiens, *Nec facienda est exceptio personarum.*

Malac. 4.

Luc. 3.

Luc. 23.

C. novit. de jud. l. Si cum dues. §. si arbit. ff. de arb.

Antequam hunc mundum Salvator relinqueret, sacramentaliter manere voluit sub speciebus panis & vini, non mellis, lactis aut mannæ, cò quod mel non omnibus placeat lac cibus sit infantium, & manna remedium infirmorum, panis verò omnibus sapit & placet, à pusillis & magnis, sanis & infirmis comeditur: & quia se fidelibus omnibus dare cupivit, hinc sub speciebus panis mansionem elegit. *Sumit unus, sumunt mille, tantum ipsi, quantum ille. Manducat Dominum pauper, servus & humilis.*

D. Tho. in seq. Missa.

Statuam Nabuchodonosoris non esse verum Deum, facile concipiebant tres pueri Babylonici, ex eo quod illa caput haberet aureum, ideoque nulla vi adduci poterant ut cultu divino adorarent. *Non potest esse imago Dei* (scribit S. Joannes Chrysostomus) *quia Deus in auro non lucet.* Aurum enim solis divitibus partiale est & charum, Deus autem optimus idem omnibus est, neque apud eum valet acceptio personarum.

Multæ sunt in augustissimo Missæ Sacrificio ceremoniæ, nec ulla est sine mysterio; siquidem non casu, sed Spiritûs sancti assistentia regitur S. Ecclesia. Quæritq; itaque Durandus, cur Sacerdos, qui in celebratione Missæ Christum repræsentat, cùm jam Symbolum Apostolorum inchoat; quare, inquam, tunc in medio altaris stet apertis manibus brachiisque extensis; & hanc adfert explicationem: (Sacerdos Christum repræsentans erectus manet, ad notandum quòd Christus semper paratus est cunctis spiritualia bona largiri: & ante altaris medium, innuens quòd non est personarum acceptor, sed, quantum est in ipso, omnibus æqualiter influit, nec singulum diligit: manibus quoque extensis ad designandum quod paratus est abundanter bene merititis illa largiri.)

Durand. in ritu Div. Off. rubr. de Symb.

Petrus in monte Thabor perfusus cœlesti gloriâ dicebat Christo Salvatori: *Domine, bonum est nos hic esse.* Evangelistæ hîc Sancto Petro repugnant & quasi insipientiæ redarguunt: *Non enim sciebat, quid diceret. Nesciebat quid diceret.* Nunquid enim sex erant personæ? Dixisset ergò: *Faciamus hic sex Tabernacula,* sicque foret singulis provisum, Non optem plura fieri, (ait Petrus) tria namque sufficiunt, in uno Eliam collocabo & Joannem, in altero Moysen cum Jacobo, in tertio Tabernaculo solus ego cum JESU gaudebo. Verè ut dicam, Petre, jure meritoque ignorantem te insimulant, quia Christus Dominus cùm vocetur JESUS; omnium nempe Salvator, tecum solus in Tabernaculo uno morari non poterat, ne alioquin non æqualiter cura sit illi de omnibus; at verò contra, ut certum haberetur Nominis venerandi prognosticon, sine exceptione omnes recreari in monte Thabor expediebat cœlesti hac dulcedine & Divinæ Majestatis fruitione. Animadvertit hic mecum Doctor Mellifluus; audite ejus mentem: *Volebat quod Joannes contemplativus staret cum Elia, & Jacobus activus staret cum Moyse,*

Matth. 17.

Marc. 9. Luc 9.

D. Bern. Tom. 4.

serm. 12. in princ. *Moyse, & ipse maneret cum Christo in suo Tabernaculo.* Accedit Dionysius Carthusianus & ulterius subinterrogat: (Quare non dixit, faciamus hic sex tabernacula? fortè ideò, quia putaret in illis tribus Tabernaculis se & duos Discipulos suos recipi posse, ut ipse esset in Tabernaculo sui magistri charissimi. (Ipse autem piissimus Redemptor nominis sui esse falsa prognostica noluit, quando se non modo unius Petri, sed omnium & singulorum ostendebat Salvatorem.

Dionys. Carth. in Matth. 17. art. 30.

Ad ultimam usque vitæ cum se exhibuit, ut nominis, quod in circumcisione acceperat, opere probaret significationem. Fateamur omnes, Christi actiones singulas esse valde mysterioſas, neque minùs ipsam mortem. In quem finem voluit, putatis, mori Jerosolymis & in Monte Calvariæ? an non aliæ civitates erant, aut montes æquè digni? Quid ergò mysterii, obsecro, quòd non elegerit pro nobis vitam fundere in istis, & non in aliis locis? Loca illa duo vix inter se dissita, juxta Prophetæ cosmographiam in medio terræ sita sunt: *Operatus est salutem in medio terra.* Genebrardus in hunc Sacræ Scripturæ locum sic explicat. (Palam & manifestè in medio terræ nostræ, vel juxta alios in Hierusalem, quæ est terræ sanctæ velut medium & umbilicus.) Sed quanti id refert, Christum in medio terræ mortem appetere? an non æquè alibi moriens, mundum redemisset? omninò. Cur ergò Hierosolymorum montana conscendit? ea nominis JESU virtus & dignitas est, ut illius gratiâ, ad moriendum istic potiùs quàm alibi, quodammodo obligatum se senserit. Scitis NN medium æqualiter distare à qualibet parte circumferentiæ, ut ideò Mathematici veritatem hanc probatam ita proponant: A centro ad circumferentiam, omnes lineæ sunt æquales. Quòd si non distaret æqualiter à qualibet parte, sequeretur, quòd non esset in medio. Elegit igitur Dei Filius totius universi medium mortis suæ locum, & Jerosolymam dico, & Montem Calvariæ, ut evidenter pateat, sparsisse eum pretiosissimum sanguinem æqualiter pro omnibus hominibus quantum ad sufficientiam, neque magis pro hac quàm illa natione. *Hac de causa voluit Christus Hierosolymis pati, ne quisquam crederet pro sola Iudæorum gente mortuum fuisse. Ideo in medio terræ mori voluit, & operari salutem, ut se omnibus datum, natum & mortuum declararet.*

Psal. 73.

Genebr. ibi n. 14.

Augusti de monte lic.

Concludamus itaque & concedamus actiones Christi nunquam discrepasse à prognostico circumcisionis tum in passione, tum in effusione sanguinis, nec à significatione dulcissimi Nominis, cùm non se alicui partialem ostenderit, sed JESUM semper, id est, omnium Salvatorem & benefactorem.

in solut. cõtroverſ. inter Cathol. & Proteſt. c. 33.

Hoc Nomen S. P. Augustino unicum in adversis erat perfugium, & velut anchora certissima, quâ Salutis navim in mediis tempestatibus stabiliebat. *Quid est enim IESVS* (inquit ille) *nisi Salvator? Ergo propter temetipsum IESVS esto mihi IESVS, esto mihi Salvator benignus. Noli, Domine, noli attendere sic malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine IESV, etsi ego admittendo me damnare possis, tu non amisisti unde salvare soles.*

S. August. lib. medit.

Item S. Pater hortatur, & peccatorem quemque seriò monet, ut frequenter glorioſum hoc Jesu nomen invocet, illoque ceu fortissimo se clypeo muniat. *Respira ô peccator, respira; ne desperes, spera in eo quem times; fuge ad eum, à quo aufugisti: invoca importunè, quem superbè provocasti; dic ei: Iesu propter nomen tuum dulce, fac mihi secundum nomen tuum Iesu: obliviscere superbum te provocantem, respice me miserum te invocantem. Iesu nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ spei.*

S. Aug. l. de cont. cordis.

O vere felix es (ait S. Bernardus) quisquis sub tanti nominis vivis protectione. Non est quod trepidet quicumque sub JESU vexillo militat. *Vere enim beatus populus, cujus Dominus Deus ejus IESVS est*; quia ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

D. Bern. ſer. 3. in c. 1. Matt.

Agedum, ad nominis JESU arma jam jam vos conferte, sic in mundi hujus scopulos non incidetis, & eritis ab æternæ damnationis naufragio liberi.

* * *

IN FESTO EPIPHANIÆ.

ARGUMENTUM.

Cursum Magi contendunt astri sequentes ductum, ut Christum recens natum citiùs adorent; & ad remotum celeri volatu sic properant Regnum, ut docerent homines, quàm nesciat moras desiderium benè inflammatum, ut qui eò adurgentur, explere omni festinatione moliantur, ne virtutis colendæ opportunitatem desidiosè prætermittant, cùm cælestia adesse vident auxilia.

THEMA.

Cum natus esset IESUS in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam &c. S. Matth. cap. 2.

SUspecta semper & detestata fuit in operibus bonis exequendis procrastinatio, neque sine culpa plerumque differri potuit negotium urgens, sæpeque dilatio in dubium certa revocavit. *Plerumq; sera pro nullis sunt*, dixit aliquis: & tritum hoc est, *Periculum in mora* Quis hic Tullii sensus, ipse loquatur. *In rebus gerendis tarditas & procrastinatio odiosa est.* Subscribit alius: *Tarditas ut plurimum pernicioſa est.* At contrà de assiduitate & cura censendum: ubi enim diligentia sollicita est, sperandum benè de felici exitu, si modò humana accedat industria rebus curandis: & tam erraret qui procrastinationem sub prudentia collocet, quam ille qui sollicitudinem intra imprudentiæ limites reductam vellet. Quod si fortassis temerè asseruit unus, *Res serias ad crastinum differre debemus*, imprudentis non vitavit notam. Non semel tantum contigit navim in mari submergi, dum emergendi protracta est mora, ubi felicitet appulisset ad portum navigantis industriâ, si evadendi occasionem rapere festinâsset. *Quæcumque negotia maturanda sunt celeritate.* Et hoc à Suetonio Politicis præceptum, *Simul dictum & factum.* Multum sanè interest, benè faciendi tempus non amittere, ut actiones nostræ bonum exitum sortiantur. Alexander Magnus felicissimè semper decertavit, & tertarum orbem subjugavit armis. *Nil differendo.*

Quint. decl. 1. Cicerò in Phil. 3. Ludovic. Guice.

Lud. Guice. Sever.

Doctrina hæc Demosthenis est: *Rerum occasiones tarditatem non expectant.* *Demosth.*

Credat quisquis vestrûm ut placet, hac ego horâ experiar in veritatis cathedra, an non verissimum, nil magis esse contrarium operibus nostris, nil magis inimicum quàm retardationem, nihilque contrà gratius, nil convenientius quàm promptitudinem. Scio quidem assertum à Lucano

—— *Semper nocuit differre paratis.*

S. Ambrosii Ecclesiæ Doctoris testimonium sufficit, ut acquiescam: *Omne studium dilatione torpescit.* Concludam breviter, promptè hoc exequendum esse, quod prudenti deliberatione propositum. Plurimi quia propriis viribus nixi, de die in diem differunt salutis studium, miseri patiuntur naufragium. Sed quid opus est rationibus, ubi veritas Evangelica manifestat? Vix Magi exoptatum acceperant nuncium de natali novi Regis *Dum natus esset IESUS*, & illicò iter fecerunt ut inquirerent. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.* Jansenius hic exponens: *ut intelligas* (inquit) *statim post Christi Nativitatem Magos venisse.* Cajetanus etiam advertit: (Nota continuationem, quum natus esset, ecce Magi, ut intelligas, statim post nativitatem Christi venisse Magos.) *Matth 2.*

Ama-

Amatores etant promptitudinis, & tarditatis summi inimici: uno enim temporis puncto audiverunt nuncium, & ingressi sunt viam. Ad institutionem nostram conducet, ut in operibus bonis solliciti simus & in Dei obsequiis indefessi. Interea dum aurum vobis exhibeo quod Verbi Dei (ut sentit Rupertus Abbas) symbolum, favete, obsecro, incensum silentii, & attentionis myrrham reponendo.

PARS PRIMA.

REctori cuivis è necessariis hoc unum maximè, & primùm est, anxio semper & solicito animo esse. In Principe defectus enormis est in deliberando tarditas, ut verè dictum sit à Demosthene, *Rerum occasiones tarditatem nostram & ignaviam non expectant*. Ut tumultum impediat, & facilè subditorum rebellionem compescat, maturè provideat necesse est, ne malum longius serpat, & dum moras trahit, prævalendi admittat occasionem. Quàm benè Cicero: *Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius*. Rodigina Persarum Regina, cùm indicaretur, quosdam ei periculum moliri, statim surrexit (etsi jam occupata esset mundandis crinibus) atque imminenti occurrit malo. Optimè Tacitus monuit: *Festinandum est, antequam crescat invalida conjuratio paucorum*. Luctatius Consul, qui temporis non expectavit suffragium, de inimicis feliciter reportavit triumphum. Fortassis consulentem legerat Senecam. *Quidquid fieri potest, futurum cogitemus*. Nunquid Pompejo exprobravit multoties Cæsar, quod prohibuerit, ne progrederentur milites, sed in armis, inimicorum adventum præstolarentur? Commune hoc omnibus notum. *Mora sua cuilibet est nocua*. Alexander tam exosam sibi habuit tarditatem, ut sæpius auditus sit fateri ingenuè, minùs sibi fore gravem pœnam acerbissimam, quàm longius protractam in bello gerendo moram, ut cum Curtio sensum exprimeret: *Odi lenta remedia & segnes medicos; nam mori strenuè, quàm tardè convalescere malo*. Et quis nesciat melius hoc esse & Medico & infimo, vehementem morbum avertere, quàm jam ingravescentem velle curare? Laudabilius est primum in locum conflictus producere milites, & aggredi hostem quod asserit Titus Livius. *Qui prius strinxerit ferrum, ejus victoria erit*. Rectius ex improviso respondit Tiberius, quàm cum diu præmeditatus. In famulis principum quo magis odiosa est tarditas, eò acceptior in obsequendo celeritas & promptitudo. Hinc est, quod justi omnes, qui totius universi Domino serviunt, in hoc unum ferventer incumbunt, ut promptè semper & sedulò obsequantur. Exemplo præluxerunt Magi qui natum cæli terræque Regem intelligentes: (*Cum natus esset Iesus,*) indilatè sine ulla temporis mora ingressi sunt iter: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam*. Huc voco Chrys. interpretem, audite: *ecce Magi veniunt, hoc est, confestim ut natus est*. Jans. (de quo supra) ad intentum sic ait: (Notanda quidem locutionis continuatio. Cum natus esset Jesus, Ecce Magi venerunt; ut intelligas statim post Christi Nativitatem Magos venisse.) Ad vetus testamentum eamus, & ea, quæ Prophetis & Patriarchis contigerunt, attentiùs perpendamus. Cogitavit aliquando Deus experiri oblata & exhibita millies ab Abrahamo viro sancto obsequia, in eum finem multâ nocte senem vocat, è placidissimo eum somno excitans, jubetque ut pergat statim ad montem, quem ei ostenderet & ibi filium suum Isaac sacrificet. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi*. Ille abjecta omni cunctatione surgit è lecto, Isaacum experge facit & mandat, ut sine mora, quod in via necessarium, paret & sic comitetur. Eunt ergo ad montem. Hic jam non perpendam quàm avidè, quàm studiosè impleverit Dei præceptũ, nil cunctatus, nil tergiversatus excusatione senii aut intempestæ noctis. (De nocte consurgens (*ut Oleaster annotat*) justus senex gravissimũ mandatum sine ulla dilatione perfecit.) Hoc modo attendam, nec facilè aliquis concipiat, quomodò iter istud longum sit aggressus insciâ uxore; deducitur namque ex Sacra Scriptura montem illum triduo distare ab Abrahami ædibus: *Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul* ut proinde oportuerit sextum diem, si non etiam septimum impendere, ut iret vir bonus, & peractis negotiis rediret. Miror ergo Saræ nihil indicâsse, cùm de ea nihil dicat sacer textus, uti asserunt expositores. (Sara hìc non fit mentio, unde videtur eâ insciâ, hæc omnia feciisse Abraham.)

Cur non signo saltem innuit abitionem tam subitam? quid facier anxia mulier, quando per sex aut septem dies esse continget absentem maritum, absentem charissimum filium & famulos? quid repetet, & quid dies noctesque cogitabit? omnia adversissima formidabit, & nil mali quod non suspicabitur: verendum est, ne vitæ desperans dolore nimio oppressa exanimis cadat.

Orat. contra Phil.

Cic. Phil. 5.

l. 1. Hist. Liv. ep. 24.

Sen. ep. 24.

Cæsar. de bell. civ.

Cap. mora de reg. jur. in 6.

Curt. in Alex. Plutar.

Tit. Liv. c. 24.

Ianſen in 2. Matth.

Gen. 22.

Oleaſter in c. 22. Gen. 1.

Corn. à Lapide Ioſeph. H. Chryſoſt. Ferer.

dat. Verè equidem NN. factum hoc mirabile. Tuâ veniâ dixerim, venerande Senex, inhumaniter agis, neque Saram ut dilectam conjugem tractas: periculum est ne in reditu mortuam reperias. Verbulo aut nutu saltem discessum insinuasses, & si celandum judicabas de sacrificando proprio sanguine Isaac, ne matrem contristes, ut minus à Deo legatum te intimasses & ad Divina obsequia, & sine mora rediturum. Nec verbum quidem mulieri loquitur, sed modestè secretò *de nocte surrexit.*

Audite mentem sancti Patriarchæ & finem intentum. Sciebat ipse ad sacrificium requiri promptitudinem, & sæpè moram obfuisse, ideoque sic intra semetipsum dicere videbatur: Si abiturus valedicam uxori, fortassis comitari ipsa etiam volet, mulieres testudineo incedere solent gradu, undè noe ita statim ut oportet ad montem perveniemus. Possem (quis dubitat?) jubere ut domi remaneat; sed, quia cupiditas isti sexui innata, peteret saltem quò pergam, ad quid sacrificium, quis mandârit, ubi faciendæ oblatio, quàm procul hinc locus distet, ubinam victima, quando regrediar, & sic interrogationum vix esset finis; replicarem ego, augeretur curiositas, multiplicarentur verba, nec servaretur discurrendi modus, sicque retardaretur oblatio sacrificii, cum tamen potiùs esset accelerandum; sicut mihi omninò persuadeam nil meliùs, quàm ut occultè discedam. Eum fuisse discursum Abraham affirmat Chrysostomus: *Abraham verebatur, ne vocatum mora offenderet, aut jussionem tarditas impediret; ne aliqua mora in communicando duceretur, festinavit.*

D. Chrysost. ser. de fide & hom. 5. in Gen.

Abraham ergo cum maxima celeritate ad montem ostensum accurrit, ut tarditatem mentibus nostris ceu pestem exitialem exemplo suo repudiaret. Cum idem Patriarcha in mediis æstatis caloribus refrigerationem quæreret, umbram invenit & recessum, ubi ad auram venti temperationi expositus, paululum respiravit. *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Surgit ipse, in occursum, ruit & ad ædes invitat. Non jam hora diei commoda est Viatoribus ad conficiendum iter, Solis ardor intolerabilis, videte campos ipsos comburi. Non solùm hortor; sed rogo & obtestor, ut tantisper hîc in meridie mecum sitis, & requiescatis, dum se calor ille nimius frangat. Domus mea hæc parva, semper tamen gratis & libenter patet amicis & peregrinantibus: fecerit is commodè, mihique gratum, si hospitio vos excipiam: tractabo si non satis liberaliter, saltem pleno affectu. Acquiescunt illi tantâ viri benevolentiâ & affabilitate convicti. Hic attendite NN. & Patriarchæ celeritatem considerate. Si Hospites introducit, properat. *Festinavit Abraham in tabernaculum.* Si mandet Saræ, ut cibos hospitibus præparet, urget ut festinanter expediat. *Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericeos panes.* Imò ipsemet Senex festino simillimus curritat: *Ad armentum currit, & tulit inde vitulum tenerrimum.* Famulus non expectat heri jussum, neque tempus indulget tempori, ut mensam cibis exquisitis extruat. *Festinabat puer & coxit vitulum.* Videtis, ni fallor, quanta sit sollicitudo & quàm se ubique festinatio ingerat; siquidem Abraham impellit, Saram adjuvat, & Servum non deserit. Domum Patriarchæ jam potiùs nuncupem sollicitudinis palæstram. Crediderim Angelos in peregrinorum habitu didicisse hic, quam promptissimè deinceps & velociter Deo obsequi. *Nec ipse solus festinat Abraham,* (notavit Oleast.) *sed Saram & puerum festinare coegit.* Idem Origenes innuit: *En senex cucurrit, Sara accelerat, puer festinat, nullusque piger invenitur in domo Sapientis.*

Genes. 18.

Sollicitudinem homini conducere, & in operibus singulis adhibendam esse, facilè ostenditur; adeò ut sine illa haberi non possit effectus bonus, cùm ignavia plerumque abortus sit causa. Fruebatur Elisæus Propheta Montis Carmeli deliciis, cùm ad eum lachrymabunda mater accessit, & vix præ dolore nimio tristem eventum exponere potuit. Fletum multum cum singultu præmittens, infortunium tandem indicavit: Morte subitâ abreptus est mihi filiolus, unicum in vita solatium, & decrepitæ ætatis dulce levamen; quare vitæ tuarum imploro patrocinium, natum meum è mortis faucibus eripe, & vivum restitue, ut novum prædicemus miraculum.

Audivit S. Propheta, & misertus, Giezi servum suum misit: *Accinge lumbos tuos, & vade.* Ibo, ait ille, sed quomodò vis ut mortuum eum resuscitem? Baculum accipe, mortuo impone, & illicò reviviscet. Hoc est remedium, cujus virtute fiant violentè, quæ alioquin amoris viâ & sponte effecta haberi possent: Vadam ergò, & statim ac ero reversus, rei successum indicabo. Siste parum, & priusquam abscedas, hoc à me monitum retine: *Si occurrerit tibi homo* (amicus tibi sit, sive notus, nil refert) *non salutes eum & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi.* Abit

4. Reg. 4.

Giezi,

Giezi, ſub brachio baculum Eliſæi portans, venitque ad civitatem quæ vocatur Suna, ibique erat paſſim omnibus notus, & una hæc omnium vox, Ecce Giezi. Quò pergis bone vir? Ille digito compeſcens linguam, nulli reſpondit. Ergone mutescis, dicebant, & a quo tempore loquelam perdidisti? quid hoc ſibi vult? ſinite, quæſo, me abire, nec ad loquendum premite, quippe magiſter meus ſtrictè inhibuit, ne loqueret ulli verbum: proſequar iter meum. Illi contrà urgebant: Non poſſumus ergò ſcire quo vadas, & quid facturus? Non puto, cogitabat ille, quemquam veſtrûm id ſcire, vado ut mortuum ſuſcitem, ſed non eſt periculum, quod facilè quis intelliget ex ore meo; promiſi me nemini dicturum, & ero fidelis. Sed illos diſcurſus tranſeamus, ut ad punctum difficultatis veniamus. Quid Eliſæum movit ut tam expreſsè illi præciperet, ne quem ſalutaret in via. Si aperte loqui ſic liceat, magna videtur indiſcretio & inurbanitas. Optimè ad intentum reſpondet S. Ambroſius: Reſuſcitatio filii defuncti non patiebatur moram, eratque opus feſtinatione. Si Giezi permiſſum ſit ſalutare & reciprocè ſalutem accipere, inquirent quò vadat, quid facturus, quis juſſerit, quando mortuus puer, & qua infirmitate, quot annorum erat, quid facto opus ad reſuſcitandum, ſicque illi daretur occaſio diutiùs immorandi, ſeriùs adveniret, & tardiùs à mortuis reſuſcitaretur infans. Ut igitur non hæreret in via, ſed maturaret, ne quem in via ſalutaret, ſtrictiſſimè inhibuit. Non ex me locutus ſum, doctrinam ſequor magni animarum Paſtoris & Præſulis Mediolanenſis, cujus hæc ad mores adfero verba:

D. Ambr. c. 6. in Luc. 10. *Pulchra eſt ſalutatio, ſed ô pulchrior Divinorum præceptorum maturior executio, quæ per moram ſæpè trahit offenſam.*

Maximo in pretio habuit Matiæ Filius munera auri, thuris & myrrhæ à Regibus Orientis oblata; ratiſſima erant non propter valorem, ſed offerentium promptitudinem. Non tam reſpicit Deus quantum, parvum ſit aut magnum, pretioſum aut vile, quàm quantâ illud ſollicitudine celeriter demus. Offerebat Abel ſacrificium, illudque Deo acceptum valdè. *Reſpexit Dominus ad munera Abel.* *Gen. 4.* Obtulit etiam Cain, ſed Deus repudiavit: *Non reſpexit Dominus ad munera Cain.* Qualis iſta partialitas? ſi non ſit apud Deum perſonarum acceptio, ut quid hic excipiendo contrarium monſtrat? aut neutrum reſpuiſſet, vel utrumque potiùs gratanter accepiſſet: & non parum in animo hoc ſenſit Cain. Credidetim veriſimilius, ita evenisſe ratione diverſi temporis, non propter diſparitatem victimarum: etſi enim primo loco referat S. Script. Sacrificium Cain, exiſtimant tamen Scriptores nonnulli, Abelem primum ſacrificâſſe, utpote qui timoratior eſſet, magiſque pius. Et ratio ex Pagina ſacra eruitur, ubi Cainum obtuliſſe munera poſt multos dies aſſertum eſt. *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terra, munera Domino.* *Bened. Medina in Conc. fer. 6 Domin. 1.* Poſterioritas iſta dierum in oblatione Cain innuere videtur prioritatem Sacrificii Abel. *Celeritate, in obſequiis Deo præſtandis, fratrem anteceſſit.* Neque diſſentit hic Oleaſter, cùm delictum Caini in tarditatem refundit, ita ſcribens: [Docet nos littera, hæc munera non eſſe grata, niſi ex animo,] quod libenter & ex affectu facimus, ſine mora adimplemus, & non differimus [poſt multos dies.] Et infrà ſubdit. [Abhorret enim Dominus à muneribus, quæ non ex porrectâ fronte illi offeruntur.] Atque ex his circumſtantiis ſatis apparet Caini incuria & magna ignavia, ob quam *non reſpexit Dominus ad munera ejus.* *Oleaſter in c. 4. Gen.*

Pendebat Dei Filius in aſpero ligno crucis extremo ſpiritu exanguis, eumque Patri æterno jam moriens ultimò commendavit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Sed cur potiùs non obtulit carnem, quæ jam clavis erat perfoſſa, flagellis laniata, ſpinis transfixa, lanceâ perforata & in crucem duriſſimam acta? Dixiſſet igitur, *Commendo carnem*, vel certè potiùs, *commendo ſpiritum & carnem meam.* Hic nodus, & difficilis eſt, quis expediet, dabitque rationem, cur Spiritus Deo commendatus ſit & acceptus, non caro?

Videre lubet, utrum Evangeliſta Matthæus lumen aliquod dabit. Deſcripſit ipſe accuratiùs, quidquid in horto Gethſemani à Chriſto Domino factum, & inter alia hoc refert, Magiſtrum cæleſtem Diſcipulos excitaſſe dormientes, ſicque eos affatum: *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* *Matth. 26.* Caro tarditatem demonſtrat; Spiritus autem promptitudinem & celeritatem; iſtam igitur Pater utpote tardiorem reſpueret, hunc, ut expeditiorem gratum haberet, ideoque dicit: *Commendo ſpiritum meum.* Hoc ipſum reor innuere voluit Lautentius Juſtinianus, ubi ita loquitur: [Qualis conflictus? qualis pugna? quale ſpectaculum? impellebat Spiritus, reclamabat natura paſſibilis, pœnarum immanitate perterrita. In horum medio conſtitutus tamquam ſtrenuus & inſuperabilis miles, carnis non ferens blanditias, ſpiritûs juſſa implere *B. Laur. Juſtin. c. 6. de Chriſti agone.*

curavit. Renitentis carnis spiritûs palmam obtinuit, hujusque pugnæ celebrato triumpho ab oratione surrexit.]

Explicari numquam possit quàm Redemptori nostro ea grata sunt opera, quæ ferventer & sine mora persolvuntur. Huc voco quod referunt Evangelistæ, Magdalenam videlicet caput Salvatoris unxisse in ædibus Simonis. *Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi & fracto alabastro effudit super caput ejus.* Nihil poterat Christo fieri acceptius, quod ipsemet apertè testatus est, cùm in præsentia eorum, qui mensæ assederant, Magdalenæ laudem panegyrico celebravit. *Amen dico vobis, ubicumq; prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus.* Mirari satis non valeo: Christum Simon leprosus invitat ad liberale convivium, neque ullum grati animi signum ostendit. Ergóne unguenti odor ipsi placuerit magis, quàm cibi exquisitissimi sapor? si Magdalenæ unguentum valdè erat pretiosum, Simonis convivium nil minus deliciosum. Ut mysterium intelligamus, oportet observare Magdalenæ egressum, & adventum ad ædes Simonis. Quod ad abitionem ejus attinet, statim atque intellexit venisse Magistrum ad convivium Simonis, moras non traxit, sed incunctanter eò avolavit. *Ut cognovit.* Idcircò dixit Poëta Nonnius: *Celerior erat verbo cum illa audivisset, ac veloci pede exiliebat; impetuosa autem ad Christum vicinum habebat celerem viam.* Quoad adventum Magdalenæ & prostrationem ad Christi pedes, ut caput ungeret, expectare tam diu non poterat, donec guttatim unguentum effluxisset, vas fregit moræ impatiens, *fracto alabastro*, ut videretur tarditatis inimica.

Marc. 14. Matth. 26.

Attendit ad Magdalenæ actiones Salvator, & quia in illis accelerationem ac fervorem notavit, contineri non poterat, quin miraretur, & laudibus extolleret: *Amen dico vobis, ubicumq; prædicatum fuerit, &c.* (Insigni illo æternæ memoriæ præmio dignari voluit, non tam ob nardi effusi genus, quàm quia erga præmittentis peccatricis celeritatem munificus.) Unctionem non curavit, non unguenti odorem vel pretium, sed sollicitudinem æstimavit venientis, & festinationem ungentis. Jure igitur meritoque natus Infantulus læto vultu tria munera Regum accipiat, quia statim ut nativitatis habuerunt notitiam, incunctanter se accinxerunt ad iter, Regem natum promptissimè adoraturi.

Bened. Medina ubi supra.

Certè quidem quisquis Deo famulari desiderat, non ei sufficit fervor & sollicitudo mediocris, sed extraordinaria omninò est requisita. Vidit Isaias Seraphim Divinæ Majestati in cælesti aula obsequentes, & habebant singuli alas senas: *Sex alæ uni & sex alæ alteri.* In quem finem tot alæ? Si duæ sufficiant, reliquæ ergò superfluæ sunt & inutiles. Aves, etsi corporeæ sint, non habent nisi alas binas & Seraphini (qui, cum spiritus sint, in motu suo non habent medii resistentiam, sed agilitatem maximam) plures alas requirant? Dicam: Aulæ cælestis Ephœbi sunt & Divinæ Majestatis Legati, ideoque duas alas, id est, celeritatem ordinariam in obsequio isto habere non sufficit, sed senis opus est, nempe velocitate extraordinariâ triplicatâ. Notavit hoc Amadeus. (Motu celerrimo Seraphim alas extendens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis; nunc terras signis & virtutibus illustrans, ubique suis ut mater jucundissima & mitificentissima occurrit.) Adstipulatur ævi nostri doctissimus Author: (Addiderim, quatuor aut senas alas Angelis & Seraphin tribui, ut ostendatur quàm velociter in Dei obsequium moveantur.

Isa. 6.

B. Amad. hom. 8. de laud. B.V.

Navarra in umbra Virg. nu. 693.

Sponsa in Canticis non satis laudare poterat sponsi sui dilecti manus. *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus dilecti mei tornatiles sunt. Tornatiles? quis unquam similes vidit? at si laude aliquâ intendebat extollere, candidas dixisset, magnas & longas manus; has enim qualitates si habeant, perfectæ sunt; adornatas eas esse hyacinthis aliisve floribus, benè quidem, at tornatiles dici, nescio quid importet. Jacobus de Valentia interpretatur: (Manus ejus, per quas designatur potentia & operatio, fuerunt tornatiles, id est, munitæ & atmillis aureis circumdatæ & plenæ hyacinthis quia opera miraculosa, quæ faciebant manus potentiæ Christi, erant aurea, & hyacinthina super omnem facultatem humanam in suscitando mortuos, ægros sanando, & opera misericordiæ exercendo.) Sed melius ad intentum nostrum Richardus à Laurentio disseruit, cùm ait hunc locum non sic debere intelligi, quasi verò vellet Sponsa manus sponsi sui esse tornatiles quoad figuram, sed ratione motus. (Tornatiles dicuntur manus sponsi, quia sicut ars tornandi promptior est aliis artibus, sic Sponsus ad benefaciendum promptior omnibus Sanctis.) Et quid poterat Sponsa de Sponso dicere laudabilius, quam eum in operatione manuum esse maximè expeditum? neque enim facilè assequatur Sanctorum aliquis agilitatem manuum illarum tornatilium in largienda gratia & beneficiis

Iacobus de Valentia in Cant. 7.

Richard. à S. Laur. c. 5. de Laud. B. Virg.

ciis conferendis. Ut verè dictum sit ab Ausonio: *Gratia quæ cito fit, gratia magis.* *Ausonius.*

Talem etiam esse sponsam voluit, quando vocis suavitate & manu divinæ gratiæ ad se invitavit: *Surge, propera, amica mea, & veni*, Et, ut ruptâ omni morâ velocius adsit, geminatâ amoris voce compellat: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni.* Sic Dilectam suam *Sponsam Sponsus alloquitur* (scribit D. Thom. à Villa Nova) *properantem stimulat, & sponte currenti calcaria addit, incitat, provocat, urget, ut veniat, quæ nihil aliud quàm pervenisse desiderat. O! si parietis obstaculum tolleretur, quam cito veniret! Neque semel quidem, sed iterum atque iterum replicat ut surgat, ut acceleret, ut properet, ut veniat.* B. Thom. à Villa Nova in Cant. 2.

Petrus Apostolus sereno cælo, matique tranquillo, operam piscationi impendit, retia laxavit & totam noctem insumpsit, & cum jam illuesceret dies, extraxit rete, vidensque quia nihil cepisset, afflictus & desolatus navim ad littus appulit, ubi Christus ex improviso comparuit, quem tamen nec Petrus nec socii cognoscebant: at ille de captura piscium illicò interrogavit, & respondentibus illis se frustra tempus contrivisse ac operam perdidisse, justit ut denuò ad piscandum reverterentur, neque jam spe frustrandos esse, addixit: *Mittite* (inquit) *in dexteram navigii rete, & invenietis.* Fecerunt, ut erat ipsis mandatum, & brevissimo temporis spatio replebantur retia *& non valebant trahere præ multitudine piscium*, adeò ut miratus sit Petrus. O quanta hæc multitudo piscium! fateor quidem sæpè me hactenus diuque piscatum, sed nunquam feliciorem in captura fuisse. Millies benedictus ille, qui nos ad repetendum mare induxit. Stabat adhuc in littore Christus expectans ut se illis redderet notum, sed Joannes eum intuitus & Magistrum agnoscens, Petro suggessit: Certè, nisi visus me fallit, ille Dominus noster, imò jam satis video, ille idem est, non alius. *Dominus est.* Petrus statim ac audivit Redemptorem adesse, nil cunctatus reliquit retia, deseruit consortium, & in mare insiliens ad Christum acceleravit: *Tunica succinxit se, & misit se in mare.* Joan. 21.

Actiones Petri mysteriosæ sunt, & ad mores. Si jam appropinquabant ad littus: *Non enim longe erant à terra*, ait Evangelista, qui testis nobis utpote tum spectator, cur ergò Petrus tanto fertur impetu? nunquid nonnihil patientiæ habere potuisset saltem ad momentum, donec navis appulisset, cùm vix distaret à littore? Ah, inquit Petrus, opera bona non admittunt ignaviam, & quò citiùs adimplentur, deliberationis breviato tempore, eò sunt Deo gratiora. Doleo vehementer, quòd alas non habeam ad volandum, *Petrus ferventior erat*, (respondet Chrysostomus) *& ideo promptius venit ad Christum.* Uno instanti audivit Petrus dicentem *Dominus est*, eodem se projecit in mare. Non poterat ultrà expectare, scribit Ordinis Carmelitici doctissimus Author: (Post passionem, cùm essent in lacu Genezareth & piscarentur, & Dominus staret in littore, aliis paulatim navigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus ependylo suo, statim præcipitatur in fluctus.) D. Chrys. in Catena D Thom. Joan. c. 21. Thomas Beauxam. Tom. 2. Harm. 20. c. 2. Jansen. Com. in concord. Evang. c. 148. in c. 21. Joan.

Nolim hic omitti Doctrinam Jansenii, quâ benè explicatur Petri impatientia. (Cum tantum audisset, esse Dominum, mox id credens, projectis iis, quæ in manibus erant, oblitusque retis & piscium, aliud non cogitabat, quàm celeriter Domino conjungi, & impatiens moræ, nec sustinens ut navigio ad eum perveniret, sese in mare conjecit, ut ad Dominum citiùs accederet.

Quorundam hodiè adeò scelesta est vita, & perversi mores, ut Deum non agnoscere videantur, cum tot in se collatis indies beneficiis pessimè abutuntur. Non censor ipsis deest, qui cum Joanne frequenter inculcet: *Dominus est*; attamen per ignaviæ obstaculum protelant salutis negotium, neque solliciti sunt fluctantes in vitæ hujus navicula, ut cum Petro citato gressu ad Christum properent; quid mirum si plerique miserè pereant, antequam teneant portum? Quam avidi tales sunt ad propria commoda, quàm ad malum omne proclives! neque hortatore hic indigent: ipsi enim sponte nimis exardent, ut indulgeant vitiis, & vitiorum delirent insaniis, sicque ad æterna supplicia celerrimè cursitant, à quibus non procul abesse, sibi certò persuadeant, ut cum adhuc tempus pœnitentiæ modicum supereſt, omni studio declinent.

Econtra proximè Deus est, quando homines videt virtuti deditos & ad pietas exercitia promptos & expeditos, neque ipse tum lentus ad præmia, imò velocissimus ad beneficia largienda, sicut in aulicos magis in obsequia vigiles & paratos voluntas Principum est propensior ad citiùs & liberaliùs remunerandum.

Scribit Evangelista Lucas cùm *ingressus Jesus perambulabat Hiericho*, venisse ad eum hominem quendam statura pusillum valdè, cui nomen Zachæus: sed quia aderat infinita hominum multitudo, qui ad videndum Salvatorem eò confluxerant, non habebat ipse minor faci- Luc. 19.

lem accessum neque prospectum. Perrupit ergò & cùm ultrà non posset, arborem fici Sycomorum ascendit, unde transeuntem Dominum etiam videret. Transiens istac Dei Filius, suspexit & nomine compellavit: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Dic mihi, amantissime Redemptor, unde notitia illa tibi est Zachæi? nosti ergo hominem esse contemptissimi nominis, oppressorem pauperum, avarum, usurarium, virum, non hominem, verius dixerim, diabolum, principem illius gentis, quæ ob iniquitates cælo terræque abominabilis est, & quod unicum satis, caput publicanorum? cur non potiùs ad clari & honorati viri ædes divertis, cui in maximo honore sit divinâ tuâ frui præsentiâ? at verò non potes alterius istius ingredi domum, nisi infamiæ notam incurrendo: quis indiscretum vulgus compescat? *Murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertisset.* Vel melius cum Cajetano dicam, (murmurabant, quod apud virum peccatorem ingressius esset ad divertendum.) Scio, ait Christus, scio optimè qualis ipse sit; nihilominus, *in domo tua oportet me manere.*

Cajetan. in Luc. c. 19.

Dicite vos (NN.) si principes ad negotium unum & idem expediendum duos servos mittat, uter illorum habendus sit promptior & diligentior, illene qui pedetentim incedit, an verò iste, qui celerrimè pergit & præcurrit: indubiè secundo isti danda est palma, quia ex velocitate cursûs, operationis studium & sedulitas commonstratur. Turba, quæ sequebatur, ut videret Christum, & audiret dicentem, lento comitabatur passu, & cum *Iesu perambulat Hierico.* At Zacchæus celeriori pede iter aggressus *præcurrit.* Itaque promptitudo ista (quasi ita loqui voluisset Christus) quam in cursu Zacchæus ostendit, malis ejus operibus cunctis præstitit, quæ unquam in vita sua perpetravit: solicitudo, quâ ad me venire festinavit, cogit ut invisam, & in domo propria frui mereatur mea præsentia. (In domo tua, non aliena, oportet me manere. Videndi Dominum stimulo percitus non solum currit, sed præcurrit; neque solum festinavit currendo, sed properavit præcurrendo, moras rumpens maturitate, quasi cogatur Dominus præmia sua retribuere iis, qui celeritatem in Divino obsequio præ se ferunt.)

Postquam tres illi Reges Jerosolymam jam pervenissent, benignissimè in Palatio Herodis sunt excepti. Deinde cautè interrogati quâ viâ, & quo duce tam feliciter appulissent, respondent, se ductum stellæ secutos, ne vel ad pedem aberrando, recta Jerosolymam adveniſſe. *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Dicite vos periti, ly *ejus* ad quid refertur? ad Deum, i.e. *Vidimus stellam Dei in Oriente.* Si tamen æquè omnes sunt stellæ Dei, unde est, quod hanc de gratia speciali quasi antonomasticè stellam Dei nominent? sat erat dictum, *Vidimus stellam in Oriente.* Respon-sum dat S. Maximus, atque de jure competere titulum istum; non quia conduxerat Magos, sed propter modum quo illos comitabatur, decreverant illi committere se itineri, & tam diu proficisci, usque dum invenissent Regem natum, quem adorarent: de necessariis in via sibi providebant, & summo manè iter ingrediebantur: sed tamen stella ipsis erat celerior & magis sollicita; siquidem præcedebat, & fulgore insolito coruscans semitam rectissimam ostendebat. Primo die itineris transacto serò vesperi quieti se tradunt, & mane iterum, ante auroram expergefacti, surgunt, cœptum iter persecuturi: sed stella magis quam ipsi sollicita, ante surrexerat & proprio vestita splendore præibat. Dicite verum Magi, vos testor, an non stella semper gressum vestrum præveniebat? *Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos.* Idcircò stella ista, quia tam vigilans fuerat & solicita, meritò præ cæteris omnibus, honoratiori hoc titulo digna, stella Dei prædicatur. S. Maximi audite verba: *Bene dicitur, ejus; quia quamvis omnes ab eodem creatæ, stellæ ipsius sint, hæc tamen propriè Christi erat.* S. Fulgentius adstipulatur: *Hæc stella nunquam apparuit, quia tunc eam puer iste creavit, & Magis ad se venientibus præviam deputavit.* Personæ spirituales vitæ perfectiori, & contemplationi intendentes, Deo fervenrissimè ac prompte servientes, jure dici queant stellæ cæli, servi Dei.

Matth. 2.

Hom. 1. Epiph.

S. Fulgent. de Epiph.

Stellam istam exactè imitari visus est Regius Propheta David in mandatorum Dei observantia perfectiori: ita ut coram Divina Majestate multoties fateatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum,* q. d. Deus meus es, nosti quàm in præceptorum tuorum implet-ione fuerim sedulus, ita ut ne vel temporis morulam admiserim: alas desiderabam ut celerius volassem: non ivi, sed cursum tenui, [cucurri: non lento gradu iter arripui, sed cucurri etiam viam mandatorum tuorum, id est, incredibili quâdam celeritate, fervore, studio & diligentiâ tua sum jussa executus, celerrimè & ferventissimè observans ea.) Ad confusionem nostram, quibus in operando ignavia accidens inseparabile est, cùm

Psal. 118.

Philip. Diez. 1. 3. de diligent. in oper. Lucrat. in tirabos in Psal. 118.

cùm de die in diem imprudenter nimis bona implenda procraſtinamus.

Plutarch. t. 1. apoth. Alexander Magnus aggreſſurus hoſtem, pridie milites omnes convocabat, jubens ut ſinguli paratis armis ad conflictum præſto eſſent. Nictante Alexandro ſolum ad juſſa volabant omnes. Unus ſemel, inſtante jam conflictu, ſerò quærebat arma: vidit Alexander & petiit: Heus bone vir! quid facis? Majeſtatis Tuæ juſſum exequor, inquit. Cui Alexander: Heri juſſum eſt, ut arma parent ſinguli, & necdum jam factum? tantane negligentia in uno milite? Ineptus es ad bellum, video, indignus vocari miles Alexandri: depone arma, recede ſtatim, vitam tibi dono, ſed ne amplius te videam. (Heus! recede à me & ab exercitu meo: non enim poteſt eſſe bonus miles, qui ad pugnam uſque armorum differt præparationem.] Quod ſi expelleret Deus ex Chriſtiana militia omnes illos, qui in divinis præceptis adimplendis tardi ſunt & ignavi? ſoli, credo, manerent duces ſine militibus, principes ſine ſervis, & Chriſtus ſine Chriſtianis.) Omnia Alexander facilius quàm moram perpeti poterat.

Plutarch. ubi ſupra.

Qu. Curt. de geſtis Alexand. l. 3. De Rege narratur, cui nomen Archias, etatque Thebarum Tyrannus, in odio tanto eum fuiſſe apud ſubditos omnes, ut mortem ejus ſeriò machinarentur. Subolfecit amicorum aliquis fideliſſimus, ilicò litteras ſcripſit, & veredarium expedivit, qui citiſſimè Regi traderet, ut ſine mora aperiret & legeret. Curritergò, venit ad Regem nuncius, petitque ut litteras citò aperiat; citò legat, quia *feria continent*. Rex acceptas litteras ſepoſuit in menſa, curſori urgenti reſpondens: *Seria ad craſtinum*. Nil ita premit, ut jam jam aperiam, craſtina die faciam, & videbo quid contineant. Quid contigit? illâ ipsâ nocte à conſpirantibus obſidetur, invaditur palatium, & crudeliter à ſuis occiditur, & ſic ipſi à jugo ejus tyrannico liberantur. Si litteras legere non diſtuliſſet, certò certiùs, tam triſte malum devitare potuiſſet. Quàm hoc ad mores ſit, audi; Deus infirmitatem immittit, monitum crede, quo te à mala vita abſterreat & ad meliorem reducat: monitum tene, ne pœnitentiam & bona *ad craſtinum* differas, quia mors tibi inſidiatur, diabolus, mundus & caro in exitum tuum conſpirant: & niſi incunctanter ſaluti tuæ bene conſulas, ruina jam imminet, ſubitò opprimeris, nec tum poteris evadere æternam animæ perditionem.

Apud Fr. Labata.

In Dei ſervitio tria reperio hominum genera: aliqui enim, ſervire cum deberent, non faciunt; ſerviunt alii, ſed cum maxima negligentia & tepiditate: ſunt denique qui benè agunt & cum fervore ſpiritus maximo inſerviunt. Si primos illos cum ſecundis conferamus, apparet ſecundos iſtos plus diſplicere, quaſi minus malum ſit, bonum non facere, quàm tepidè & languidè adimplere, ut dictum ſit in Apocalypſi: *Vtinam frigidus aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo* S. Ambroſius ita explicat: *Frigidus eſt, qui fidem neſcit; calidus, qui Spiritus Sancti fervore ſuccenſus, tepidus, qui negligens eſt.* Date mihi fidelem (ait ille Sanctus] qui non in fide ſit fervens, candidè loquor, melius ei foret, fidem nunquam recepiſſe, & adhuc eſſe infidelem. *Qui ergo calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepiſſe, quàm neglexiſſe: eſt enim tepidus peior frigido.* Et inferius concludit: *quod Chriſtianus negligens peior infidelis.* Unde ſolitus eſt dicere ille ipſe S. Doctor: *Non ſatis eſt recte facere, niſi etiam maturare quod facis: majores enim fructus habet accelerata devotio.*

Apoc. 3.

D. Ambr. cit. apud Michaelem Bonon. in Pſ. 118.

D. Ambroſ. l. 1. de Abrah.

Regius Pſaltes de vineis loquens & arboribus, quæ tardiùs fructum ferunt, audite quid de illis aſſerat, & quàm aſperè tractet Deus. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Quando arbores illæ (quas communiter moros vocant) germinant, & florere jam cœperunt, Deus pruinam frigidam immittit, ut non ſolùm pereant flores & fructus, ſed & arborum ipſæ plantæ exareſcant. Eccur infortunio huic obnoxiæ ſunt mori, & non pariter aliæ arbores? ideò, putem, quia tardiùs & poſtrema omnium arborum morus floret, & cùm jam in reliquis fructus matureſcunt, vix in moro adhuc apparent flores, ideòque dicta eſt morus à *mora*, id eſt, tarditate. Hac ergò mori ſimilitudine Propheta monere nos voluit, eum, qui tardiùs flores & bonorum operum fructus producit, tore cæleſtis gratiæ à Deo non irrigari; at contra ſeveræ ultionis grandine caſtigari. (Qui in animo habet Divinam monitionem ad honeſtum aliquod efficiendum, non debet eam prorogare, ſed confeſtim exequi & conſtare opus, ne ob gelidi animi dilationem omittatur)

Pſal. 77.

Calepinus.

Hector Pinus in c. 1. Dan.

O ſi Deus ita feriat Chriſtianos omnes, quos in Divinis obſequiis ſegnes eſſe contigerit, quàm plurimi plexo capite incedent, grandinis iſtius impetu læſi! Videret ibi mulierem, quæ tempus matutinum ad meridiem uſque inaniter impendit ornandis comis, induendis veſtibus, cæteriſque curandis, quæ faſtum redolent & vanitatem.

Quid tandem? ad templum venit, sed serius, ita ut Divinis Officiis jam finitis, Missam non possit audire.

Quantum temporis inutiliter prodigit adolescens ille, se vestiendo, pectendo crines, pulvere inspergendo, & faciem dealbando curiosius, quam domicella aliqua faceret, ita ut si vel pro tertia parte studium istud & curam beneficio animæ impenderet, aut rebus Divinis, non parùm sanè proficeret. Verum quidem est, vellent ut longum istud tempus in ornatu vano consumptum Sacerdos eis restitueret, celeriùs Missam persolvendo, quam finitam jam optent, cùm vix benè cœpta est dici. Hoc est velle nugari, non seriò nec sincerè Deo servire, Idcircò ad Ephesios scribebat Apostolus: *Fructus autem lucis in omni bonitate & justitia & veritate.* Opera bona & justa, sint etiam vera. At quomodo vera sint? id est (inquit quidam Author) *Muy de veras, y no de burlas que es floxamente.* Nugatoriè & leviter nimis opera fiunt, quæ frigidè peraguntur. *Verus Dei servus non desit, sed semper expeditus ad bona opera invenire debet.*

Ephes. 1.

Phil. Diz. t. 3. de diligent. in oper. vir.

Non benè sperat Hyppocrates de iis, quos sponte fatigati contigerit. *Spontaneæ lassitudines morbos pranunciant.* A fortiori verificari possit hic aphorismus in profectu animæ, & Dei servitio. Quid nisi malum exspectetur ab istis, qui facilè lassantur in exercitio virtutis? Unde S. Paulus hoc Romanis frequenter dabat monitum: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes; Domino servientes.* Et S. Joannes Chrysostomus populo Antiocheno unicè commendavit sollicitudinem, nil magis detestatus quàm ignaviam. *Ne spectet quis ad laborem virtutum, sed cælestia lucra cogitantes, prompte labores obeamus.*

Hyppocr. l. 2. Aphoris. 3.

Rom. 12.

D. Chrys. hom. 14. in Gen.

A Magis nunc ediscite promptitudinem, & imitemini, præsertim cùm divinæ inspirationes pulsant, non tunc dormiendum neque diutiùs immorandum, sed celeriter bonum exequendum. Recordari vos velim, in cælesti mensa placere solùm, & atridere bonorum operum fructum illos quos promptâ manu & celeri viderit Deus exhiberi.

Statim ac advenerunt Magi, Christum & Mariam contemplantes, sine ulla temporis intercapedine munera obtulerunt, aurum, thus, & myrrham præsentando. *Invenerunt puerum cum matre ejus, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei aurum &c.* Deipara ergo munetibus his ditata quid fecit? pauperibus misericors œconoma erogavit. Si tamen ipsamet inops, sibi potiùs aurum reservasset: non voluit, sed quantum à Regibus acceperat, liberaliter dispensavit. O vos! quotquot estis Mariæ devoti, credite, nil vos umquam facturos, quod gratum sit magis, quàm si modò miseris & egenis subveniatis. Date liberaliter eleemosynam, interea assumam alteram Discursûs mei partem.

PARS SECUNDA.

ET ecce Stella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniret supra ubi erat puer. Auxilio stellæ quæ signum cæleste est, egressi sunt ab Oriente, & venerunt ad locum ubi erat Filius Dei: & nisi stellam habuissent ducem, in dubiè aberrassent à recta via, neque unquam ad Dominum adorandum pervenissent; siquidem fide certissimum est, neminem posse bonum operari, si non accesserit divina gratia, contra Pelagianos, *ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes.* De quibus ita loquitur S. Augustinus: *Nonne huic resistunt veritati homines mente corrupti, reprobi circa fidem, qui respondent & loquuntur iniquitatem, dicentes: A Deo habemus quod homines sumus, à nobis ipsis autem quod justi sumus. Hæc sunt inania præsumptionis vestræ. Sed quid vos sequatur, videte, & si est in vobis sensus, horrete Qui enim à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est.*

Apud Innocent. S. August. apud eundem & in Cat. D Thom cap. 15. Ioann.

Conformiter ad doctrinam istam Catholicam dixit Salvator: *Sine me nihil potestis facere,* id est, *Nihil Deo gratum, nihilque meritorium ad vitam æternam.* Et ratio constat, quia si Christus sit vitis, nos palmites. *Ego sum vitis, vos palmites.* sine vite infructuosi sunt palmites. Unde Alcuinus sequentia verba explanans: [Qui manet in me (*dicit*) credendo, obediendo, perseverando; & ego in eo illuminando, perseverantiam dando.] Hinc Magi Christum natum credentes, divinæ inspirationi protinùs obtemperârunt, in cœpto itinere perseverârunt, usque dum venissent, ubi eum poterant adorare: Christus autem divinâ gratiâ mentes illuminavit, succurrit eis, stellam ducem concedendo, & auxilium præstitit, quo ad finem possent pervenire; ita ut credere, aut obedire, aut perseverare foret impossibile, sine influxu & assistentia cælestis illius stellæ.

Ioann 15. Ians. ib. Alcuin. cit. in Catena D. Thomæ.

Audiamus hic opinionem S. Apostoli Pauli: *Gratias ago Deo meo semper per Iesum* q. d. De benefi-

Rom. 1.

neficiis innumeris, liberalitate eximia à Deo meo concessis, ne ingratitudinis notam incurram, quantas possum, non quantas debeo, refero gratias; sed nec etiam possum sine adjutorio unigeniti Filii ejus Jesu Christi. (Dubitaret fortè aliquis, quare addit Apostolus: Gratias ago Deo meo per Jesum Christum? ut ostenderet Apostolus omnia bona esse à Patre per Filium. Hoc bonum, quod est gratias agere, dixit se per Jesum Christum facere, qui est Dei & hominum mediator.

B. Ægyd. Colum. ibi lect. 3.

Meditabatur cæli Sponsa & ardebat cupiditate videndi dilectum, quare ad illum conversa, precata est: *Trahe me post te, curremus.* Si ita est, Sponsa, & de eo non dubitem, teneritimo amore te erga sponsum ferri, quid jam opus ita exactâ cerimoniâ, ut illum exspectes, donec veniat & manu te conducat? ah! non erat aulicismus iste, non vana cerimonia, sed impossibilitas & vitium naturæ seu defectus. (Quasi diceret (*prout intelligit Ægidius*) Domine Jesu Christe, video quod ex me non possim ad te venire, nec tuam dulcedinem gustare; ideò tuum auxilium implorando rogo, trahe me post te.) Aliter interpretantur alii. Nec potest homo ex propriis viribus à superbia, avaritia, luxuria & à cæteris flagitiis se retrahere, nec eis resistere postquam perdiderit liberum imperium, nisi juvetur auxilio Dei & gratiâ per Jesum Christum, quem Deus Pater constituit mediatorem, auxiliatorem & justificatorem omnium hominum. Qui erat venturus ad trahendum omnia ad seipsum per odorem unguentorum suorum Evangelitorum, & ideò dicit: Trahe me post te.) Subscribit D. Thom. à Villa Nova & ita concludit: *Non ipsa venire per me possum, sed tu trahe, sequar te, si traxeris me.* Et quandonam unquam moti fuissent & egressi ab Oriente Magi ad quærendum & invemendum Christum natum, si non ipsemet succurrisset, mentem cælesti lumine perfundendo, gratiam hic & nunc conferendo, & stellâ duce dirigendo? S. Fulgentii eò fertur opinio: *Hæc stella nunquam apparuit; quia tunc eam puer iste creavit, & Magis ad se venientibus præviam deputavit.*

Cant. 1.

B. Ægid. Colum. ubi supra.

Jacobus de Valent. c. 1. Cant.

B. Tho. à Villa Nova in c. 1. Cant.

D. Fulg. serm. de Epiph.

Pulchertima est meditatio B. Jordani à Saxonia, ubi verba Orationis Dominicæ expendit (Deus orandi modum docet, & specialiter quomodò petendum cælorum regnum: *Adveniat regnum tuum.* Ergóne cæli regnum veniet in terram ad nos? Contrarium reor verum, scilicet oportere ire nos, & ad regnum accedere, ut cælesti gloriâ perfruamur. Sic electos invitat Deus: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Quomodo ergò intelligendum, *Adveniat regnum tuum?* An fortè ut molestiam itineris vitemus, petimus ut ad nos regnum veniat?) Quare non dicit. Veniamus ad regnum tuum, quod tamen videtur convenientius; quia certè potiùs nos venimus ad regnum, quàm regnum ad nos? Dicendum, quod nos ad Deum venire non possumus, nisi prius veniat ad nos, secundum illud Joannis; *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* & ideò, quia venire ad regnum, non est in potentia nostra, sed ex divina gratia, & voluntate, ideò potiùs petimus regnum Dei venire ad nos, quàm nos venire ad regnum Dei) Ita B. Jordanus de Saxonia, qui sic etiam explicat sequentia verba: (Fiat voluntas tua, id est, fac me facere & implere voluntatem tuam, quia per me ipsum non possum absque auxilio)

Matth. 6.

Matth. 25.

D. Iordan. de Saxon. in expos. Or. Dom.

Ægid Col. ubi supra.

Quando Jacob videre meruit scalam à terra erectam usque ad cælum, testatur ille ipse vidisse se etiam *Dominum innixum scalæ.* Cur scalæ isti innititur Deus? qui universum mundum gubernat, siccine fulciri egeat, aut fortassis de tam alto loco sine scalis non facilè descendat? Insaniret, quisquis talia crederet. Subtiliter valdè ut solet, Oleaster respondet, ideò à Jacob visum esse Dominum innixum scalæ, ut indè illi innotesceret esse sibi impossibile gradatim per viam, scalam dico, perfectionis ad cælum ascendere, nisi Deus manu teneat, ope divinâ concurrendo (Ut ostenderet, neminem ad eum ire posse, nisi ille tenuerit viam ejus, scalamque sustentaverit.)

Gen. 28.

Oleaster in c. 28. Gen.

Quid juvat (ait Propheta Regius) ædificare civitatem, mœnibus cingere, profundioribus fossis circumdari, excubias diu noctuque adhiberi, armis & generoso milite fortiter defendi? sine præsidio Dei vanum est, citò corruet & ab hostibus invadetur. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* (Videtis ergò (*exponit S. Valerianus*) quòd nec sine Domino, quod bonum est, ædificari, nec ædificatum, sine Domino potest custoditi. Rogandus itaque est semper Christus noster, ut in nobis bona nutriat, & exorandus, ut nutrita custodiat.)

S. Valerian. hom. 11. de vana gloria.

Non solùm operari bonum non possumus, sed neque malum vitare sine Dei adjutorio. Et sic Magos seduxisset error, ut ad Herodem rediret, cum dicebat: *Ite, & renuntiate mihi, ut & ego veniens; adorem eum.* Si non illos monuisset cælum ad aliam incundam viam. *Et responso accepto in somno ne redirent ad eum.* Hanc

sibi

sibi opem & auxilium à Deo petebat Rex sapientissimus, ut cavere valeret defectus, in quos ut homo poterat labi, & quibus (ut Rex qui gubernat) erat obnoxius, quando dicebat: *Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam: mitte illam de cælis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum laboret.* q.d. Domine, si mihi tuâ clementiâ opem tuleris, potero universum mundum rapere in admirationem; at sine illa deficit mihi animus, & timore perterreor, nec scio quid faciam, in delicta relabor. Observate (inquit Gregorius Ariminensis) Salomonis locutionem. [Ecce fatetur se non posse contineri nisi Deus det, & propterea orat sibi dari Dei Sapientiam, quæ deducat eum sobriè, & suâ potente virtute custodiat ab incontinentia & intemperantia.]

Greg. Ari. dist. 26. q. 2. art. 1.

Itaque si cupiamus inhærere bono & declinare à malo petamus à Deo Sapientiam, quâ velut stellâ prælucente dirigamur. Eo habendum est effugium, & qui ad humanum auxilium recurrit, humano destituitur & divino. Magi stellam sequebantur, non errantem, quæ illos securâ ducebat viâ: attamen ad Herodem recurrerant de viâ alteriùs inquisituri, *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Herodes autem notitiam nullam dedit, & mane stellam perdiderunt. Unde scribit B. Jordanus de Saxonia. (Stella deduxit eos ab Oriente usque prope Hierusalem, & tunc abscondita est ab eis, *& eam ob causam*; quia justè divino auxilio destituuntur, qui quærunt humanum.) Confirmat D. Thomas de Villa Nova; *Magis intrantibus Hierosolymam, stella disparuit,* & hanc adfert rationem. *Humanum enim flagitantes consilium, divinum amisêre ductum & conversos ad terrenum documentum cæleste deseruit signum. Propter hoc igitur, dum ab hominibus nati Regis ortum inquirunt, ejusdem Regis fulgidum ducem amittunt.* Ad instructionem nostram hoc facit; ut non facilè alio quàm divino fulciamur auxilio.

B. Iord. de Sax. ser. 94. in Epiphan. Glossa Ordin.

B Thom. à Villa Nova. ser. de Epiphan.

Pater, amici mihi sunt addictissimi, & multùm valent, scio in necessitatibus occurrentibus lubenter omni ope possibili subventuros, illos fortassis implorare non liceat? Audi & crede: recurrere ad humanum adjutorium non potes nisi divinum perdas; hoc enim ipso quo ad hominem refugis, ut confidas, à Deo te deserendum time. Tentavit Jobi patientiam modis omnibus Dæmon, conatus est adversitatibus frangere & ad blasphemandum inducere. Mirabili usus est stratagemate: armenta omnia ei abstulit, lætas segetes & maturescentia frumenta incendit, vento valido domum ejus dejecit, ibique filios interemit, atque illum crudeliter vulneravit, ita ut meritò plangeret. *A planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas.* Nihil tamen effecit Dæmon, quia se suaque omnia Jobus Domino commisit, cujus beneplacito desiderabat plenè reddi conformis. *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.* Mecum hic (NN.) observare astutiam hostis infernalis: hactenus supplantare Jobum non potuit, ideoque amicos ejus versipellis accedit, petitque instanter ut afflictissimum virum invisant, & maximum hoc fore levamen. Subintrat hujus temporis Scriptor, & mirari satis non potest, quomodò sic agat dæmon; siquidem conabatur Job adversitatibus vincere, cur amicos ad eum mittit, ut solentur: impedire potiùs accessum illorum debuit, ne inde doloris haberet levamentum. Fallimini vos, inquit diabolus, usque modò eum superare non potui, quia divino fretus erat & munitus auxilio. Amicos expediam, quorum ipse opem imploret, & tum victus cadet, cum divino frustrabitur auxilio. Sed Job in bello jam expertus, hostis stratagema detexit, & hominum juvamen habere noluit, ne divinum perderet. (Quid agis Sathana? hostis es, & amicos Jobi convocas? si ipsi veniant, amicum suum juvabunt. Te amicorum turba munitus, facili negotio Jobus superabit. O quàm vafer, quàm astutus est diabolus! Jobi amicos auxiliatores convocat, sciens nihil magis detrimento esse hominibus, quàm auxilium humanum & juvamen)

Vide plura de hac materia Dom. 23. post. pent. p. 2.

Iob. 1.

Didac. Ponser. t. 1. c. 2. d. 3. §. 1.

Sit igitur hujus nostri discursus jam clausula: altâ mente retinete, & in operibus vestris observate promptitudinem, sic facilè cuncta peragetis, favente Deo, qui nunquam auxiliatricem manum subtrahet, quamdiu non habueritis ad homines refugium.

* * *

DOMINI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

ARGUMENTUM.

Exemplo nos edocet Christus, humilitatis involucris virtutem tegere, & opera bona quasi velis quibusdam obtendere, ut abstrusa sint ab oculis hominum, & à solo Deo videantur. Quod contrà fit à plerisque, qui virtutes tametsi fucatas ebuccinant; & vitia apertissima occultare multo studio conatuque allaborant.

THEMA.

Et factum est post triduum invenerunt IESVM in templo sedentem in medio Doctorum audientem illos & interrogantem: S. Luc. cap. 2.

NOn mitor (NN) si Christum Salvatorem hodie videam, magnetis instar, virtute sanctitatis, ferrum peccatorum rubiginosum ad se allicientem, aut si cælestem Orpheum contemplet, verbi dulcedine suaviter pertrahentem, non dico jam feras è sylva, sed piscatores Apostolicos è mari, non infernalia monstra sedantem, sed cicurantem procellas, imbres, turbines cæteraque tempestates. Mirari jam desino, quòd luto contra experientiam cæcos illuminet; quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia ad satietatem pascat; solo visu impios justificet, verbo uno peccatores maximos convertat, vel ipso manuum aut vestis attactu infirmos sanet, vocis imperio à mortuis resuscitet: non modò (inquam) miracula ista mirationem faciunt, quamquam humani intellectûs capacitatem longè transcendant, quia creaturæ omnes subditæ sunt potentiæ & voluntati divinæ: *In voluntate tua, Domine, universa sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tua.* Obstupesco hoc manè, cum Jesum inter Doctores reperio de Scripturis interrogantem, & responsa humiliter expectantem. *Et factum est, invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos.* At verò si nihil ipsi occultum sit, sed omnia aperta oculis ejus, cujus sapientia infinita, quare Doctores interrogat, qui præ omnibus sapit; & cur tam patienter auscultat, ut addiscat, qui nihil ignorat? Et, quod amplius est, de eo testatur Propheta, venisse in hunc mundum, ut Magister esset universorum. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Ut quid ergò virtutis potius, & divini sui ingenii non dat specimen, *& documentum.*

O quàm benè nos docet, non verbis probando, sed factis inculcando, & operibus commonstrando! Respondent cum S. Ambrosio D. Thomas & Origenes, Christum voluisse ad speciem addiscere & auscultare, ut noverint homines, si quid virtutis & bonitatis possident, cautè abscondere, & non in conspectu omnium vanè ostentare. [Inter Doctores (scribit Jansenius) sese non ingesserat tamquam Doctor; quamquam unus esset omnium Magister; nec cum fastu & procacitate (quæ vitia solent adesse pueris præcocis ingenii) jactabat eam, quâ plenus erat, sapientiam; sed velut discendi cupidus inter eos sederat, audiens scilicet eos & vicissim interrogans: non quod necessitas illi esset scisciti ab hominibus quod disceret, sed

Rom 9. Esth. 13.

Isa. 55.

D. Th. in Caten. D. Ambros. lib. 3. de Virg.

Corn. Ians. in Concord. Evang. Luc. 2.

sed quo omnibus junioribus exemplum modestiæ & disciplinæ præberet) Adstipulatur Origenes, clarius exponens: *Interrogabat, non ut addisceret, sed ut interrogans erudiret homines, ut se vanæostentatione non jactent.* Accedit & confirmat S Ambrosius: *In quo docet Christum à perfecto abesse debere jactantiam.* Itaque abscondebat JESUS sapientiam, non quod timeret jactantiæ motum aut vanæ gloriæ stimulum, sed ut nobis relictum sit exemplum, ex quo discamus vanam ostentationem fugere, virtutes & bona opera obtegendo.

Hom. 29.

Hoc me hodie probaturum confido, si modò vos, cùm Doctrinæ istius Evangelicæ prima rudimenta breviter exponam, diligenter attendatis, tacito sensu, quæ dixero, dijudicantes.

PARS PRIMA.

Audientem illos & interrogantem eos, sed non docentem. Quidquid in orbe terrarum spectatu magis dignum, remotius ab oculis hominum esse, quotidie experientia docet. Oculus obtegitur palpebris: cor pectoris scrinio reconditur: aurum terræ visceribus occultatur: coralium sinu matris absconditur, & si à piscatoribus ex aquis educitur, quasi indignè ferret produci in conspectum, quod anteà candidissimum rubore statim suffunditur. Margaritas concharum gremio reconditas legimus, & in occultissimis montibus adamantes. De manu Moysis refertur in Exodo, mundam eam fuisse, quamdiu in sinu retinebatur, sed eductam & coram ostensam, lepra infectam. Desiderabat unigenitus Dei Filius Natalis sui gloriam noctis opacæ tenebris obscurare, ut de eo scripsit Sanctus Bernardus: *jam vero nocte voluit nasci. Vbi ergo sunt, qui tam imprudenter gestiunt ostentare semetipsos?* Si nobiscum in terris conversatur, occultè id facere voluit speciebus Sacramentalibus obumbratus, ut audire eum delectet: *Verè tu es Deus absconditus.* Quò minus rosa apparet, eò pulchrior: & quò magis est nostra virtus semota ab oculis hominum, eò gratior est in conspectu Divinæ Majestatis. Quisquis ergò Dei servus es, accipe doctrinam hanc Evangelicam, tanquam sedulus tanti magistri discipulus retine, & operibus adimplere continuò stude. Dictum tibi hoc censeas, quod Richardus Victorinus prædicat: *Occultat bona sua anima devota, ut laudes non audiat, surda ad has, sicut Aspis obturans aures suas, ne audiat voces incantantium. Incantatur enim animo laudibus, ut mala sua non videat, & de justitia fallaciter se extollat.*

Exod. 4.

Serm. 3. de Nativit.

In Cant. p. 2. c. 29.

Sanctus Evangelista Marcus narrat Apostolum fuisse in horto Gethsemani cæteris generosiorem, qui ut Magistrum suum defenderet, stricto gladio unum ex ministris insolentioribus invasit, in terram dejecit, & auriculam amputavit. Tuâ veniâ, Marce, scire nunc velim (quæ mea cupiditas est) quisnam fuerit Discipulus ille tam alacri animo, dic, obsecro, quis ille? Audire responsum: *Vnus de circumstantibus.* Nunquid dici possit ejus nomen? Ideò non fuisse expressum mihi persuadeo, quia Marcus erat discipulus Petri. Opinor quidem à Marco sic scriptum: *Petrus unus de circumstantibus.* Petroque Magistro suo Evangelium ostendisse ut revideret, approbaret, & signo innueret, si quid imperfectum aut superfluum legenti occurreret. Unde videns inscriptum nomen ejus qui se fortem & magni animi probârat in defensione Christi Redemptoris, accepto calamo statim expunxit suum nomen, sic ut solùm jam legendum restaret, *Vnus de circumstantibus.* Actionem scripto reliquit, sed, ne apud homines esset agenti in laudem, nomen delevit, memor fortassis istius dicti, *Stultus est qui facta infecta facere verba postulat.*

Marc. 14.

Plautus Epid.

Aut certè dicamus cum Theophilacto, Thoma, & Chrysostomo; quod ipsemet Marcus exprimere Petri nomen noluerit, ne ab hominibus ob generosum hoc factum laudaretur, & propterea silentii velo suppresserit. *Stet nomen ejus Marcus, ne videatur laudare præceptorem.* Subdit S Chrysostomus: *Hunc locum Marcus, qui Petri Discipulus fuit, ideo scri sisse videtur, quoniam ingens hinc honor Magistro deferebatur, & quæ ad Magistri laudem pertinent, ipso forsan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino siluit.* Precatus est Marcum, ut si factum scribere cogeretur, saltem agentis nomen tacitè præteriret. Ad confusionem suam hoc audiant illi, qui nil benè dicunt, nil boni faciunt, quin inaniter id verbis extollant, seque insolentius jactent, parum curantes, etsi perdant omne meritum, & severæ punitionis incurrant periculum, modò humanum lucrari possint applausum. Illis minatur Simeon dictus Junior: *Væ qui gloriam ab hominibus volunt accipere.*

In Cat. D. Th.

Hom. 49. in Matth.

Lib. Sacr. Com. c. 35. c. 1. in Biblioth. vet. PP. Tom. 12.

Crediderim, S. Petrum Doctrinam istam retinuisse à Patriarcha Abrahamo, cui præceperat Deus ut iret ad Montem in Moria, ibique filium Isaac immolaret. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum, super*

Gen. 22.

per unum montium, quem monstravero tibi. Ille statim excitatus è somno, Isaacum vocat & servos, atque secum ferentes quidquid ad sacrificandum opus, ad montem unà festinant. Sed, cum jam ad pedem montis venissent, jussit ut ibi manerent famuli, usquedum rediret ipse cum filio, post brevem temporis moram: *Expectate hic cum asino; ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*: Non vacat modò indagare, quam ob rationem voluerit, ut non progredierentur ulterius servi, cum clarè id expressum sit ab Oleastro: *Omnia reliquit, quæ ad immolationem filii possent impedimento esse: si enim servi viderent patrem, puerum jugulare volentem, nonne eum senem delirum vocarent, eumque ab hoc, quod faciunus putarent prohiberent! Ideo S. Senex neminem, qui præceptum opus impedire posset, secum habere voluit.* Solum igitur hic cum Chrysostomo expendam illa Abrahami verba ad famulos: *Ego & puer, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Si ad montem tendebat Abraham, filium sacrificaturus, quem proinde laniaret, occideret & in cineres redigerit: quomodò verè dixerit: *Revertemur ad vos*, ego cum filio? *Mactaturus filium tuum pergis & ais: Revertemur ad vos?* Dicendum, *Revertar ad vos*, quandoquidem solus ipse, sine Isaac, erat reversurus. *Revertemur, id est* (exponit Thom. Angelicus) *revertar ego cum Isaac & pluralis ponitur pro singulari. Vult Abraham esse mentitum, putabat enim ipse occidere & immolare filium suum.* Accipite (NN.) Sancti Patriarchæ mentem & cogitationes. Si dixero, revertar; Quomodo? (reponent servi) solus reversurus es? ubi ergò detentus Isaac? quid filio tuo factum? atque ita cogar de Sacrificio loqui, quo intellecto, fortassis virum sanctum esse me censeant, laudibus celebrent, teneantque ut virum timentem Deum, cum ut illi obedirem, proprio filio meo charissimo non pepercissem; quod ubi in civitate divulgaretur, vanæ gloriæ non facilè periculum effugerem. Quocirca, ut malo isti occurreret, celare voluit opus hoc sanctum & virtutem maximam, dixitque: *Revertimur ad vos, ut doceat nos benefacere, & nolle videri*, inquit Oleaster, cui adstipulatur Sedulius: *Ut humana laudis declinaret injuriam.*

Melch. Canus l. 2. de locis c. 4.

Inter effata, quæ ad mores retulit Sapiens, unum hoc maximè placet & consideratione dignum. In proverbiis monet, ut apis gressum perpendamus, & ad instructionem nostram faciet, *Vade ad apem, & disce quomodo operaria est.* At quid homo, qui tam prudens & tam perspicacis ingenii, quid, inquam ab apibus discet quod antea ignorabat? Dicat sanctus Antiochus. Ingeniosissimum hoc animalculum, ne in formando melle ab aliquibus videatur in alveari, obscurum secessum quærit. O quam benè hoc homini dictum, ut discat & imitetur! Quando occupatur ipse, mel bonorum operum componendo, locum secretiorem exquirat, & oculos hominum fugiat. (Vir intelligens ingeniosam & solertem imitatur apiculam, quos externè selegerit flosculos, defert in alvearium internè mellificum, favumque operosius conficit, ne labores suos humanæ isti gloriæ exponat.) *S. Antioch. hom. 43.*

Prov. 6.

Non apponuntur in mensa cœlesti fructus, qui fimo inanis gloriæ sunt coinquinati. Hinc fortassis tota Gigantis pernicies: eminebat robore, corpore prominebat, tantaque erat ejus superbia, ut nulla à virtute timeret damna: terribilis aspectu, voce terribilior, & feris vultu ferocior, Hebræorum fortissimos ad certamen audacter provocabat; viso illo acies Israelitarum exanimabantur, & non sine honoris detrimento in fugam convertebantur. Quid tunc? David puerulus coram Saule Rege obsequium & cultum obtulit, & semetipsum ad certaminis provocationem paratum exhibuit, de victoria obtinenda sperans atque omninò confidens. Quisquis aderat, stupebat, & non modò difficile, sed esse impossibile existimabat: at Saul generositate Davidis animatus, in eoque spem reponens, propriis armis loricâ, & thoracę regali pectus obarmat, cassidę tegit caput, scuto brachia munit, hastâ manum, & ad latus gestat gladium. Verum David, ut erat prudens, sentiebat se potiùs armis istis gravari, sibique fore impedimento timuit: manu hastam vibrabat & scutum opponebat; sed quia usum numquam habuit, instrumenta illa bellica tamquam victoriæ impedimenta abjecit; tentaverat enim sic armatus hostem aggredi, & videbatur quasi factus immobilis ut diceret: *Non possum sic incedere;* natus sum Pastor ovium, non bellator; arma vestra servate & fundam meam reddite. Pro cassidę nolim nisi has comas, & pro quavis armatura sufficiet hoc pectus: plus mihi faciet petrarum durities, quàm districti gladii cuspis: plus ictus fundæ, quâ vibratio istius hastæ: machinas bellicas nō curo, altiore sum animo, nil timeo. Quanta est hæc audacia? si feliciter ei eveniat, ut spes apparens pollicetur, non dabitur inter Israelitas generosior. David ergo ad exercitum Philistæ- *1. Reg. 17.*

orum accelerat, eminùs gigantem videt aſpectu rabido advolantem, ut ictu gladii paſtorculum certò proſternat. Puerulus in funda petram reponit, & maximo impetu projicit, tam velociter ut non poſſet oculus aſſequi, tam dextrè ut in gigantis frontem (quò rectè collimarat) impegerit, & tanto impetu ut mortuus in terram ceciderit; tum ipſe celeriter accurrens, extracto ejus gladio caput truncavit, eoque triumphans ad Iſraelitas eſt reverſus.

Victoriam non propriis viribus, ſed Deo ſoli ejuſque placito adſcripſit, ideoque templum ingreſſus, Deo gratias egit & pio cultu gladium appenſum, grati animi ſignum reliquit. Sed quid te movit, ediſſere David, cur gladium obtuleris non lapidem; nunquid enim hoc proſtratus eſt Goliath? nunquid glorioſum eſt partæ victoriæ inſtrumentum? ergo lapidem illum in templo appendiſſe oportebat, non gigantis enſem. Novetat David, non tam fore Deo gratum lapidem & acceptum, quia cum è funda per aerem jactaretur, ſtrepitus auditus eſt, & quaſi iteratos immitteret ſibilos, quibus ceu totidem vivis vocibus cœlo terræque prædicaretur heroicum factum, aggrediendo gigantem, ſuperando & atterendo. Itane, ante partam victoriam vanè gloriatus es, & tubâ ceciniſti triumphos? *Recepiſti mercedem tuam.* Tibi ſufficiat. Verum ferrum hoc in vagina delituit, donec ſtringeretur, & collum nullo datu ſtrepitu abraſit: iterumque ne ab omnibus videretur extollendum, in vaginam reconditum eſt. S. Joannes Chryſ. mentis paſſu in camptum Terebinthi properat, ubi indictum erat certamen, & attentiſſimè obſervat lapidis jactum motum vanum & oſtentationem quæ ſi in homine reperias, expreſſiſſima dixeris vanæ gloriæ ſigna. Audite S. Patris conceptum, *Lapidem David è fiſtula rapit, funda opponit, & contorto vertice in Goliath excuſſit, qui lapis per inane volans, verberat aurem, aerem ſcindit & violento impetu Goliæ frontem invadit.* Scio [NN.] diſcurſus hos, ut vanos & frivolos excipi, cùm ſenſus & cognitio rebus iis attribuuntur, quibus natura negavit; ſed, quod reipſa non convenit, metaphoricè adaptamus, ut ii, quibus rationis eſt uſus, relictis ſpinis roſas ſeligant, ad mores & proprium commodum referendo.

S. Chryſ.

Dubium adhuc incidit [NN.] quid difficilius ſit, vel recipere lapidem vanæ laudis ambitorem, an mulierem formoſam & comptulam, quæ tamen humanum applauſum reſpuat, atque mundi gloriæ ſit inimica. Pro lapidibus certat qui volet: mulieres hic ego tuebor. Cum eſſet cæleſtis Sponſa in corona adoleſcentularum, illæ videntes & admirantes eximiam ejus pulchritudinem, omni laude digniſſimam proclamabant: *Videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* O quàm Specioſa es, quàm decora Paradiſi Sponſa, cujus meritò pulchritudinem Sol & Luna mirentur! Capilli aurei tibi ſunt, genæ roſeæ, labra coralina, dentes, qui candore ebur ſuperent, & in medio vultus emitet ingenita honeſtas: omnis in te gratia & decor invenitur. O felices nos, ſi vel unicus Solis hujus radius in vultu noſtro reſplendeat! Utinam non deficeret humana facundia, ut meritis efferemus præconiis! Neque adblandiri ſolum ſed veriſſimum loqui, tum credas, ſi in alterius vultu nitorem tuum & decorem videas emicantem. His dictis, à laude ceſſatum eſt, Sponſamque precatæ ſunt, ut faciem converteret, quam poſſent intueri: *Revertere, revertere ut intueamur te.* perturbor hic, neque tam confuſè dictum intelligo. Videre fatentur *Videntes* eam, & illo ipſo inſtanti, quaſi non videant, obſecrant, ut ſe non ab oculis abſcondat. *Revertere, revertere ut intueamur te* Apparet in duobus verbis contradictio ſi ita ſtrictè loquamur: ſed reve â nihil ſimile; contrà, benè & appoſitè proponebant: nam cùm jam Sponſa perciperet, illas mirati & laudare nimiam vultus pulchritudinem, diſplicuit applauſus, atque ideò ſtatim ſe avertit, faciem obvelavit, ut ſic laudem humanam reſpueret & vanam gloriam. Idcircò commotæ ſunt & ſupplicabant: *Revertere, ut intueamur te.* Oleaſter hic ait: *Fugiunt juſti tergà vertentes; imo quod magis eſt, nollent à Deo bona ſua videri.* Per Sponſam hic juſtus figuratur, qui ſollicitus opera ſua bona occultat, ut, ſi ita poſſibile foret, etiam à Dei conſpectu ſubtraheret, memor illius dicti: *Cito ignominia ſit ſuperbiæ gloria.* Seneca in Proverb.

At non hoc mirum, dicet forte veſtrum aliquis, mulierem unam reperiri, quæ excellentem pulchritudinem obtegat, ut vanam gloriam evitet; ſiquidem veris initium ex fl..te unico non notamus. Verum allegas; ut plures adducam, Magdalenam habete. Intrat illa Phariſæi domum accepto vaſe alabaſtri. *Et ſtans retro ſecus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* Sed cur retrò te ponis, Magdalena, & à tergo manes? Quare non antè & in Salvatoris conſpectu? Fortenè, quia (ut canit Poeta) puduiſſet videri à Deo, quem graviter offenderat. Luc 7.

Fuggo

Io. Bapt. Mar.

Fuggo gl'occhi divini,
E del tuo tergo a l'ombra ò Re del mondo
Vergognosa m'ascondo,
Che s'anco i Serafini
Non del tutto son puri al tuo cospetto
Che fui d'vn core infetto
Indegno qual è il mio,
Degli occhi humani ancor non che di Dio.

Non dubito quin causa adjuvans fuerit pudor, at principalis ea, quia scilicet laudabile obsequium Deo præstabat lavando, abstergendo, ungendo & osculando, ne videretur & laudaretur, a tergo locari voluit. *Et stans retro secus pedes Domini*; sciens fortassis, secretum esse ut balsamum, quo ab incorruptione servantur, opera meritoria. (O verè Divinitatis expugnatrix! dum obsequia tua, dum virtutes tuas post tergum abscondis, insidias patas capiendo Deo; quia absque dubio magis capitur absconditis operibus, quam iis, quæ coram oculis ostentantur.)

Didac. Ponfer. to. 3. de Christo figur. c. 15. §. 5.

Observant Doctores Ecclesiæ, tot à Salvatore facta miracula, claudis dedisse gressum, infirmis sanitatem, visum cæcis, mortuis vitam, & tamen illorum neminem admisisse ad sequelam; ideoque à se abigendo dicere solebat: *Vade in pace. Surge, tolle grabatum tuum, & vade. Et dedit illum matri suæ. Solvite eum, & sinite abire.*

Luc. 8. Ioan. 5. Luc. 7. Ioann. 11.

Imò à S. Marco relatum est, energumenum liberatum à Christo, hanc sibi concedi gratiam postulâsse, ut Discipulorum numero adjungeretur, & tulisse repulsam. *Qui à dæmonio vexatus fuerat, cœpit IESVM deprecari, ut esset cum illo, & non admisit eum.* S. Ambrosius subdit rationem: *Cur non recipitur liberatus, sed domum redire cogitur, nisi ut jactantiæ causa vitetur, & fidelibus daret exemplum?* Ideò non permisit, ut cæcus comitaretur, nec Reguli filius, nec Centurionis servus, nec Lazarus, neque viduæ filius aut alii, quia scilicet tot essent tubæ, quæ loquerentur Christi virtutes & miracula, atque in omni loco, quo comitarentur, prædicarentur ejus magnalia. Videte (dixisset vulgus) ecce Lazarus etiam adest, quem mortuum ad vitam revocavit. En hic qui antea cæcus, ille paralyticus, uterque perfectè curatus est. Ve è magnus in primis hic, & meritò Sanctus vocetur, utpote quem sua virtus talem esse proclamat. Ergo, ne inde gloriam haberet & turbæ applausum, ne vel unum ad sequendum admisit. *Intuere* (scribit Chrysostomus) *quod nullam gloriam expetat: non ducit eum (id est Lazarum) non jubet secum esse, ut rem non ostentet facto miraculo.*

Marc. 5.

Hom. 63.

Et subdit alter: *ne suarum laudum præconem secum ad suam jactantiam circumferre videretur.* Fr. Mendoc. 3.

A Gerasenorum regionibus redeuntem Christum excepit turba, & ecce vir cui nomen Jairus, qui & ipse Princeps erat Synagogæ, periclitantis filiæ dolore saucius cecidit ad pedes JESU & libellum ei supplicem humillimè præsentabat, cum singultu & lachrymis ei mortem filiæ charissimæ exponens. *Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* Dominus afflicti precibus exoratus, mortuam excitaturus contendit, & cùm jam ad ædes Principis advenisset, quotquot ad fores adstabant, abire compulit, & strictè prohibuit ingressum. *Cum vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dixit: Recedite, non est mortua puella, sed dormit.* Multa hic consideranda occurrunt, sed ad duo me restringam. Cur tibicines dimittit, & in quo displicent Christo? Respondet S. Hieronymus: *Non erant* (inquit) *digni ut viderent mysterium resurgentis, qui resuscitantem indignis contumeliis irridebant.* Rabanus: (Tibicines sunt adulatores, qui fovent mortuam.) S Gregorius: *Foras autem turba ejicitur, ut puella suscitetur: quia, nisi prius à secretioribus cordis expellatur sæcularium multitudo curarum, anima, quæ intrinsecus jacet mortua, non resurgit.* Aptiùs denique instituto nostro loquitur Divus Chrysostomus, ubi asserit Christum repulisse turbam & tibicines abegisse, quia patrato miraculo statim ad fenestras palatii se posuissent & propter gaudium resuscitatæ à mortuis filiæ & propter tam gloriosum devictâ morte triumphum, tibicines ebuccinassent, & populum undique attraxissent ad videndum miraculum, & Redemptorem mirabilem & virtute potentem exaltassent. Præviderat futurum, & ad institutionem nostram laudes repudiavit, ut discamus procul ab operibus nostris bonis removendos esse tibicines. *Ne jactantiæ causâ id facere videretur.* Matth. 9. 17. Moral. S. Chrys. hom. 7. in Marc.

Sed major adhuc difficultas in hoc facto superest exhaurienda, scilicet dixisse Christum de adolescentula, non esse mortuam, sed dormientem. *Non est mortua puella, sed dormit.* Si tamen verè esset mortua & jam anima è corpore emigrârat quomodo dictum, *dormit*: Non dubitem Christum optimè nôsse quantum differant mori & dormire, mors & somnus. Fortassis (ait Chrysost.) dormientem asserit, quia tam facile Christo, hominem excitare è mortuis, quàm nobis sit, dormientem è somno. *Ostendit* (inquit S. Pater citatus) *quoniam facile est ei mortuos suscitare: eo*

S. Chrysost.

enim accedente, jam mors somnus erat. Accedit Rabanus? [Vobis mortua est, Deo autem qui suscitare potest, dormit, tam in anima quàm in corpore.] Vel etiam sic explicari possit. *Dicit, quod puella dormit, quia qui peccant in præsenti, adhuc per pœnitentiam resuscitari possunt.*

In Caten. D. Thom.

Crediderim ego Christum hoc facto etudiviſſe homines ad evitandam inanem laudem; solent enim plerique de bonis se jactare nimis, & intolerantius exaggerare ut vanam gloriam aucupentur; econtrà Salvator noster opera sua laude dignissima non æstimat, supprimit & quasi annihilat, ut cum dicit è somno excitasse, non à mortuis revocâsse. *Non est mortua puella, sed dormit.* Voluit ergo in resuscitatione filiæ, miraculum esse sine stupore, & quasi parvæ sit considerationis, silentio abscondi, cum ait puellam non morte oppressam, sed somno, ut sic honores sæculi contemnat & hominum præconia, quibus illum exquisitissimis extulissent. Ita mecum sentit Procopius: *Mortem à qua eam reduxit, non prædixit; res enim divinæ non sunt ad ostentationem.*

Procop. c. 36.

Christianus Drutmarus ad hæc Apostoli Matthæi verba. [Cùm jejunas, unge caput tuum, ita scribit: Ne propter jejunium tristitiam simulemus ob favorem vulgi, sed hilariter Deo serviamus; quia tunc manebit nos merces certa, si propter Deum omnia faciamus.]

Drutmar. T. 1. Bibl. vet. PP.

Conceptum adferam suprà dicto non longè dissimilem. Describit Evangelista Matthæus quomodo Christus in partibus Cæsareæ Discipulos interrogaverit, quid de eo diceret, quid sentiret mundus. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Hæc una omnium vox erat: *Alii Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis.* Et *vos* Apostoli, quem me esse dicitis? quem esse creditis? Sanctus Petrus ante omnes liberè fatetur: Domine quidquid lubet, asserant alii, hoc mihi omnino certum, te verum Dei esse Filium: mors quidem vitam possit, sed non hanc à mente tollere opinionem. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Salvatori placuit hoc dictum, adeò ut non satis illum laudare potuerit & extollere summis laudibus. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram &c.* Deinde sanctum illum pronunciat: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.*

Matth. 16.

Alia difficultas suboritur, & ea est, quod S. Marcus eundem narret eventum, sicut Matth. ista tamen disparitate, quod iste nihil adferat de laudibus Petri. Christus laudavit Petrum, sed non tangit hoc Marcus. Miror valdè: S. Marcus in Christi & Apostolorum actis exarandis tam fidelis & exactus æquè ac cæteri Evangelistæ: & ne verbo quidem attingit, quod, in laudem Petri factum à Salvatore nostro enarrat Matthæus. An fortè hanc Petro gloriam & excellentiam Marcus invidebat? Non credam. Cur ergo tam leviter pertranſiit?

Existimant nonnulli Evangelium S. Marci à S. Petro prius esse compositum, & à S. Marco posteà explanatum, ut ideò huic adscriptum non sit. Quid ergò faceret Petrus? quia forsitan timebat, ne laudes istæ aliquando vanam gloriam excitarent, ideò silentio tegi voluit, neque fieri mentionem. Doctrina est S. Eusebii: [Cum tam multa dicta sint Petro à JESU, Marcus nihil horum commemorat, propterea quod nec Petrus quidem talia in suis narrationibus nunciavit.]

Fr. Med. t. 3. in l. Reg. annotat. 10. circa litteram sa. 4. c. 2.

Redemptor noster non solum in Evangelio hodierno humilitatem commendatam reliquit, cum Sapientissimus ipse sapientes audit & interrogat; sed eandem doctrinam tradidit, quando visitabatur à Magis, quibus non legitur in S. Scriptura dixisse verbum. Forsitan quia in tenerrima ista ætate necdum linguam habuit promptam ad benè loquendum: non ideò, quandoquidem à primo instanti conceptionis fuerit in operationibus tum animæ tum corporis perfectissimus. Quare igitur vel unico verbo Reges non consolabatur? B. Jordan de Saxon. ita respondet: [Quæritur quare non loquebatur puer ad eos? & hæc est ratio: ne Divinitatis ante tempus revelaretur, & ut vera humanitas haberetur,] humanitatis velo Divinitatem obducere voluit.

Serm. 94. de Epiph.

Econtrà plurimi hoc ævo nostro mortales nihil magis appetunt quam vanam laudem, tantaque est quorumdam ambitio, ut, nisi foret id impossibile, optent esse Dii, cultuque Divino adorari. Psaphon inanis gloriæ fuit adeò cupidus, ut ab avibus laudem etiam quæreret, ad cantum provocando, & exercendo donec assuefactæ, unisonè repeterent. *Magnus Deus Psaphon.* Profectò nec alio præconio quam avium garritu dignus erat ille, qui volucribus similis propriæ levitatis plumis ad Divinitatem inaniter aspiravit. (In Lybia vir cogitans Divinitatis opinionem sibi adsciscere, raptis avibus, quæ ad humanum sermonem pertinscuntur dociles, illas artifici consilio

Alex. Taſſ. l. 6. quæſt. 16.

Ambr. Ap. Epiſt.

lio docuit ut articulatè prorsus enunciarent hoc quod sequitur: Magnus est Deus Psaphon, quæ ubi dictatam fabulam expeditè perdidicisse visæ sunt, emisit eas Psaphon, illæ verò passim ut assolet, cantilantes, eandem repetebant. Quod audientes incolæ, putantesque fieri Divinitus, (ut qui commenti fuerant nescii) Psaphonem ut Deum sunt venerati.) O quàm vanæ sunt mortalium cogitationes, & quanta vesania!

Lamoc. fer 3. post Dom. 2. Quadrag. serm. 22.

Quàm multi sunt in mundo stulti sic glorioſi qui ambitionis vento gravidi modestè incedant. Nonne talis est qui contorto collo humillimus apparet, jejuniis macerat corpus, disciplinis domat, in Ecclesia pietate fervens? velle de altari sanctos omnes attrahere diceres, exhaurire purgatorium & implere cælum: suspirat, gemit, pectus tundit, sed tamen hæc omnia ex vana gloria & ad ostentationem peragit; optat reputari bonus; ut simplices & miseros fallat, atque inde proprium commodum exquirat. Meræ nugæ: virtutes ostentant, easque fictas & adumbratas, & peccata, quæ vera & crassa sunt, sollicitè abscondunt. *Quæ si plerumq; delectant* (loquitur Chrysol) *pœnitudinem inducunt; & si delectant ad modicum, productiori spatio displicebunt*, & S. Augustinus. *Inanis gloria hujus sæculi fallax est suavitas & infructuosus labor & perpetuus timor, & periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis cum pœnitentia.*

In ps. 19.

Ille manu Rosarium tenens vultu sanctitatem præfert, & in corde nequitiam abdit, nec in alium finem benè operatur, quàm ut ab hominibus videatur & æstimetur bonus. Iste, ut probus habeatur, templum adit corporis gressu, sed tamen affectu mentis in ædibus est: personæ illius pudore nomen subtiteo. Alius eleemosynam liberaliter erogat, ut pauperum tutor & pater esse credatur, & clam furatur. Curionem illic in Ecclesia videas ita piè Divina peragentem, sanctum Hilarionem aut Baptistam in deserto dixeris; sed rimari cordis intima si modò liceret, pejorem esse Judâ & sceleratiorem fateberis, ut aptè de illo dictum sit illud S. Augustini. *Vult videri quod non est*, ad eum propè modum quo Accio statura minimo, erecta est in templo musarum statua maxima. Nescio quibus melius comparem quam mulieribus istis mundanis quæ formæ elegantiam ambitiosè curant, & pigmentis fallacem ori venustatem conciliant, ut hominum ad se oculos rapiant & (quasi simulachra Divorum sint) humiliter ab omnibus salutentur. Tabulæ videntur curiosius pictæ, sed non habent, nisi pigmentum.

De Civit. Dei c. 19.

Istis omninò convenit à Tacito olim dictum Mutiano: [Omnium quæ dixerat fecerat que arte quâdam ostentator.] Benè dicebat Vir doctus, veram gloriam ponendam esse in internis animæ bonis, quamdiu in hac vita miserè versamur, & non in operibus istis exterioribus. (Omnis vera gloria intùs est, non foris; hoc est in virtutibus intra animam existentibus, & non in flore fœni, hoc est, superfluo exterioris hominis ornatu. In Domino est, qui nec fallere, nec falli potest, & non in ore vulgi.

Tacitus Ambros. Neapol. ser. 3. post 2. Domin. Quadr.

Si vidisſetis fructus illos terræ Pentapolis, quos temporibus Loth in cineres redactos legimus, quàm venustos dixissetis: appetitum provocâssent, ad colligendum & comedendum excitâssent. De ramis dependebant oculis gratissima poma, purpurâ & auro tincta & placentia, ut meliora in mundo reperiri posse, nunquam credidissetis. Sed decerpta illa & aperta intus nil nisi cineres continebant, nec aliud nisi fucatam apparentiam dabant. S. Augustinus hic nobis testis: *Poma*, (inquit) *in terra Sodomorum gignuntur quidem & ad maturitatis faciem perveniunt, sed morsu tentata in fumum ac favillam corio fatiscente vanescunt.* Opera istiusmodi hominum, quæ ad assequendam vanam gloriam facta sunt, meritoria quidem videri possunt, exteriùs purpurata, auroque gloriæ coruscantia, sed tamen intrinsecùs inania sunt, nil nisi cinis intùs & vanitas latet. *Ea quæ alias meritum virtutis habent & fructum, dum inanis gloria causâ fiunt, inutilia sunt.* Opera illa non ad cælum pertingunt, sed animas ad præcipitium trahunt & æterna supplicia. Scribit S. Nilus: (Lapidis ictus non ascendit in cælum, nec glorioſi hominis preces ad Deum perveniunt.)

l. 21. de Civ. Dei c. 5.

Saresb. l. 7. c. 22.

Orat. 7. de inani gloria.

Cibus sit in mensa etiam lautissimus, & muscæ aliquot immortuæ jaceant, quis non abhorreat, & nauseat? Opera bona sunt dapes delicatissimæ, si tamen inanis gloriæ musca insideat, Domino Deo insipidæ sunt & fastidio summo. Quisquis vanæ gloriæ studet, tandem aliquando nequam & pessimus apparet, & cum captandis mundi honoribus retia tendunt, ut aranea muscis vulgi ludibrio sunt expositi, & in fine falluntur ipsi, capiuntur & exploduntur.

Virtutis expers verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

Phæd. l. 2. fab. 11.

Si bonus es, aut virtuosus, & quid in te laude dignum, atque inde inaniter glorieris & jactes, non id prudentiæ vertitur, sed vitio magis & stultitiæ. *Turpe enim est de seipso prædicare.* Meritò

Cicero 1. de Offic.

tò tibi objectum sit, quod ad laudem sis natus, quod malos habeas vicinos, quod sis miles glorioſus, & quod ſolius alaudæ paſcaris carnibus, & denique in libro ſcriptum occurrat: *Nihil eſt quod magis minuat laudis præconium, quàm ſuos aſſiduè jactare ſucceſſus.* Unde verè dictum ab Ariſtotele: *Iactator maxime vituperandus eſt.*

Valer. Max. l. 2. Ariſtot. 4. Ethic. Scalig. 11. Ep. 17.

Quod tu es, ſtolidi eſt dicere, quod non eſt miſelli.
Iactantia ventoſa movet frivola riſum.

Nondum perfectus eſt ille, qui perfectiones oſtentat; ubi econtra laudem meretur, qui honorem reſpuit & dignitates abſcondit.

A Novar. in Vach. Vmb. l. 4. exc. 25. n. 271.

A mundo ſua videri qui quærit, non eſt mundus.
Eximiam laudem meretur qui ſe ab hominum laudibus eximit.

Delectatus eſt Nero, quod hamo deaurato piſciculos caperet. Romanus quidam ut vidit, miratus eſt & intra ſe dixit: (Ut quid perditio hæc? Piſcis oboli pretium non excedit, & ſæpè ſæpius hamum in profundum abſumit.) Ut piſciculum inanis gloriæ accipiant, hamum meriti & cæleſtis gloriæ aurum perdunt, neque curant. Quando ventum auræ populatis aſſequuntur, & præferunt, neſciunt quod aurum luto comparent. Diſertè ajebat S. Valerianus: (Omni ergo ſtudio agendum eſt, Dilectiſſimi; & vitam noſtram Domino ita fides pura commendet, ne quid elatio humana ſibi vindicet, aut ſuis laboribus donet. Totum autem perdidit, quod laboravit, qui propriis viribus fructum ſanctitatis adſcripſerit.) Infertè ſic voluit: Vanus homo & glorioſus omnia perdit & præſens & futurum; patitur enim damnum emergens quod eſt caſtigatio, & lucrum ceſſans quod eſt præmium quo fruſtratur. Ad propoſitum iſtud dixiſſe videtur Oſeas Propheta: *in aranearum telis eſt vitulus Samariæ, quia ventum ſeminant & turbinem metent.* Aranea texendo telam conſumitur, interiora eviſcerando, & hâc quid expectat? prædæ loco accipit miſeram muſcam. Vanæ gloriæ ſectator ſeipſum eviſcerat eleemoſynas erogando, diſciplinis & jejuniis corpus emacerando, ſed ut inanis glorioſæ muſcam unicam capiat. O quàm infortunatus es & excæcatus! An non recordaris prædictum, quia *ventum ſeminas, turbinem metes*? Verùm hoc retine: *Inanis labor eſt inani gloria laborare.* Ventum ergo ſeminant vanitatis & turbinem colligunt pœnarum & afflictionum. Tantumdem evenit ſtulto illi, qui templum Dianæ incendit, ut ex cineribus excitaret, dicam fœtorem potius, quàm rumorem ſuæ famæ, & gloriæ ſuæ ſplendorem. Per infamiam conatus eſt illuſtrare nomen futuris ſeculis decantandum.

Labata verbo vanagloria.

Hom. 2. de van. glor.

Navar. l. 2 Sat. Elect. exc. 68 n. 813.

Quare Simon Magus tam anxio & ſollicito erat animo, ut tum prece tum muneribus gratiam miraculorum intercedente S. Petro Apoſtolo impetraret? Ethbertus Abbas cauſam adfert. (Adipiſci hoc volebat, non ut in bonum Spiritu S. uteretur, ſed in malum, videlicet ad glotiam ſibi ab hominibus comparandam.)

Sermon. adv. Cath. in Bibliot. Vet. PP. t. 11.

O quàm frequentes hodie ſunt, qui ſingula ſua verba quæ proferunt, velint totidem eſſe tubas, quibus fictam ſuam ſanctitatem toto orbe proclament! quàm multi eſſe diaboli Martyres optent nil doloriferum, nil pœnoſum reformidantes, ſi modò immortalem apud homines gloriam aſſequi non deſperent! *Tuba eſt omnis actus vel ſermo, per quem ipſa operis jactantia deſignatur. Tubâ ergo canere eſt pompam vanæ laudis appetere.* Ita Divus Chryſoſtomus.

In c. 5. Matth.

Qui ſtudio perfectionis incumbunt & gradatim per bona opera ad ſanctitatem aſpirant, facilè hic periclitantur, & gravius cadunt. Unde prudenter monet S. Iſidorus: (Quisquis ex deteriore jam melior eſſe cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quàm prius per lapſum vitiorum jacebat.) D. Gregorius expreſſius aſſeruit: *Sub hoſte quem proſternit, meritur, qui de culpa, quam ſuperat elevatur.* Ad evitandos vanæ gloriæ ſcopulos, ne allidamur, monitum ſequamur Sancti Patris Auguſtini: *Virtutes habenti magna virtus eſt, contemnere gloriam; quia contemptus ejus in conſpectu Dei eſt, judicio autem non aperitur humano.*

l. de ſermone Dom. l. 2. mon.

l. de Civit. Dei c. 19.

Huc ades, quiſquis ad perfectiorem vitam aſpiras (ait S. Auguſtinus) & quàm inanis gloria ſtimulet, audi: *Age bonum, quod vales, oſtende cunctis bonum, quod agis, ut bonus à cunctis dicaris, ſanctus venerabiliſque ab omnibus prædiceris; ut nemo te contemnat, nemo te deſpiciat, ſed univerſi tibi debitum honorem perſolvant.* O maledicta Circe! quàm impia, quàm vana promittis? nec mirum: (es vanitas quædam inflata, morbida, turbulenta, appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara perfectis, cui ſerviunt tumidi, ſub qua jacent elati, qui ſe de operibus, quorum ſibi conſcii non ſunt, turpiter jactant: qui ſe ab omnibus prædicari per nefas affectant.) Deteſtare igitur, & ut peſtem devita, atque timorem Domini incitantem attende. *Si aliquid boni agis, non pro tranſitoriis, ſed pro æternis honoribus age: occulta quod agis in quantum vales: quod ſi ex toto non vales, ſit in animo occultandi voluntas & non erit de oſtentatio-*

Idem l. de confeſſ. vitior.

Haliger. Tom. 9. Bibliothec. vet. PP.

S. Aug. ibi.

tatione ulla temeritas; nec criminis erit aliquando manifestare, quod semper vis celatum habere.

1 Constit. monast. c. 21. Finio tandem cum S. Basilio: *Age igitur quando hæc ita sunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium opum expoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam nostrorum bonorum depræ datricem, eandemq; mellis illiti & fraudis suæ veneni coloratricem, & mortiferi hominum poculi porrectricem.*

Fugite ergò, & hostem tam exitialem declinate. neque hoc factu difficile, si modò bona opera occultetis, & quidquid coram hominibus laude dignum videri possit, supprimere satagatis. Exemplo vobis sit Christus Jesus, qui ignorare se simulavit, ne scientiam ostenderet: nihil ipsi absconditum, utpote cujus Sapientia est infinita, non tamen dedignatur scisciari & patienter attendere: *Interrogantem & audientem eos.* Et quamvis sit ipse Magister, nos docet, ut inde discamus virtutes nostras removere ab oculis hominum, ne gloriam vanam admittamus. *Occultanda sunt ergo, Fratres, bona quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incautè portantes latrocinantium*

B. Petrus Dam. ser. de S. Barb. *spirituum incursione pereamus.*

Procul absit gloria vulgi, canit Tibullus. Viri gravis consilium est. *Inanem gloriam abolebis operando occulta faciendo.* Dictum satis.

PARS SECUNDA.

Thalas Abbas in Biblioth. vet. PP. T. 7. Hujus sæculi ea jam pervertitas est, ut omninò contra doctrinam Evangelicam peccent homines, omnem conatum adhibentes ut virtutes simulatas coram ostentent, & clandestinè in cordis intimo, vitia quibus enormibus scatent, solerter occultent. Eò alludisse videtur ingeniosus ille, quando Philosophum introduxit, qui mense Octobri frigus hyemale præsentiens, vestem sibi pelliceam quærebat. Officinam ingressus, ad placitum unam invenit, foris vulpinâ pelle, intus ovinâ accommodam. Illa, inquit, illa mihi quadrat & placet, nummos accipe, & mecum vestem confero. Et statim eam induit, sed (nescio an casu ita factum, an studio) inverso modo, sic ut pellem ovinam exteriùs, vulpinam interiùs ferret. Abit & domum petit. Mercator euntem observat, ut videat sitne vestis illi conveniens, & reflectit inversam esse. Heus, bone vir, inquit, siste paululum, verbulo alloquar: vestem reverte; pellem ovinam intus gestas, vulpinam foris. Subrisit Philosophus. O te simplicem, ait! scio quid faciam; an non vides quod me huic sæculo conformem? ita jam moris, estque novus gestandi modus. Melius tu Simiæ caligas induxeris, quàm Philosophum doceas incedere pelliceâ hâc veste. Hodie sic prodeunt homines: pelle foris ovinâ induti sunt, intus vulpinâ, cum in corde malitiam recondunt: ita ut vix jam repertias, qui non simplicitatem ovinam præ se ferant, vulpis astutiam occultatam servant. De illis agens B. Simon de Cassia, vultum intueamini, inquit, exposita videbitis pretiosa insignia ex auro fallaci, sed in conscientiæ officina ingressi nil invenietis nisi mala plurima & perversam voluntatem: ejus verbis ut dicam: (Rectitudinem conscientiæ prætermittit, qualiter veritatis testimonio Deo placeat, non inquirit, exteriora solùm præaptitat.) *In quem finem?* (*Hic nodus est*) ut gloriam captet: nam totum se in sensibus variat, & moribus & gestibus se subornat, ut laudem excutiat de cordibus inspectorum. Omnia studet providè facere, ne cadat à laude; nam unde prævidet materiam placendi, proinde adhibet studium serioſiùs operandi.

B. Simon de Cass. 8. c. 46.

Consideratione tamen dignissima judico, quæ sub finem citati capitis addit verba, quibus verè gloriantem latrocinii arguit, & ut Divinorum, & præsertim Dei gloriæ furem accusat. *Cujus finis latrocinium Divinorum.* O quàm consideratè hoc dictum! Puella sit ingeniosa valdè & industria, quæ telam acu pingat, coloris varii & exquisitissimi filum inserat, gemmas, & quidquid rarum & pretiosum, adhibeat: peto, si quis opus hoc tam artificiosè elaboratum videat, & sic acum laudare incipiat: Verè artificiosissima ista acus, à quam tam industriè depictus hic pannus: feliciter attigit, quocirca laude dignissima est. Nunquid rudis homo & ignarus censeretur, qui honorem acui adscribat, qui domicellæ isti debitus sit? omninò; quia nempè ut acus instrumentum concurrit, neque operata est, nisi in quantum mota ab agente principali & applicata. Furaretur ergo pictrici laudem, quam instrumento tribueret. Sic nobiscum fit, quando animæ nostræ tabulam serico, argento & auro pingimus atque bonorum operum margaritis ornamus, gloria non nobis cedit, qui instar acus concurrimus & non nisi ut instrumenta Dei; sed agenti principali reddenda est, sine quo nemo bonum poterit operari. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Quomodò ostentator ille, qui gloriam soli Deo debitam usurpat, reum se non esse persuadeat, *cujus finis latrocinium Divinorum?* Apertè dixit S. P. Augustinus, ut quilibet facilè intelligat. *Non gloriabitur ante te omnis caro,* (ait cum Deo locutus) *quoniam si quid bonum est in nobis parvi vel magni,*

B. Simon ibid.

2. Cor. 3.

S. Aug. in soliloq. & milleloq.

donum tuum est, & nostrum non nisi malum. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? hæc non est gloria, sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono? nunquid de alieno tuum, Domine, est bonum, tua est gloria, qui enim de bono tuo sibi gloriam quærit, & non tibi, hic fur est & latro, & similis diabolo, qui furari voluit gloriam tuam. Sic ut vanæ gloriæ sectator morali sensu non jam homo, sed potiùs dæmon sit appellandus.

Fugite (NN.) consilium meum est) fugite exitiale hoc malum. Venenum est pessimum, quia bona opera inficit & absumit meritum: & hinc Joannes Climacus vanam gloriam assimilat formicæ quæ postquam granum recondit, filum intus subtilissimum reperit, in quo virtus germinativa continetur, illudque dentibus evellit S. Basilius idipsum confirmat. *Secat dentibus fructus medios, ne rursus in fruges exeant à terra.*

S. Basilius hom. 9. in Exam.

Ne granum bonorum operum nostrorum in Divino conspectu germinet, virtutem vana gloria aufert. Sed, ut existimat Climacus, cùm jam messis in horreo est, formica granum asportat, & villico paleam relinquit. In actionibus nostris bonis duo occurrunt recensenda, materiale scilicet, quod est instar paleæ & morale meritorium, quod est quasi granum. Inanis gloria formica est maledicta; granum, morale meritorium tollit, paleam tibi cedit i.e. materiale. [Vana gloria formica est in area, quæ tenuis est & laboribus omnibus ac fructibus insidiatur. Expectat formica dum perficiatur triticum, cœnodoxia verò, id est vana gloria, dum congregantur opes; sic gaudet illa ut furetur, hæc ut dissiper.]

D. Climac.

Sanctus Thomas à Villa Nova sagittæ eam comparat. *Hæc est sagitta quæ leviter volat, sed non leviter vulnerat.* Tanto fertur impetu, ut in Martiam vibrata, fœtum in utero occiderit, matre illæsâ. Meritò ergo sagitta dicatur inanis gloria, quia dum impingit in bona opera, ex quibus nasci solent merita, ista quidem forinsecùs (ut apparet) intacta relinquit, sed tamen perimit meritum quod alioquin obstetricante gratiâ peperissent.

S. Thom. à Villa Nova conc. 2. Dom. 1. Quadr.

Evenit ambitiosis illis quod de Mario refert S. Augustinus & alii, *Cum plurima feciſſet egregie, unica sui jactatione gloriam fama perdidit, & quia sibi præsumit adscribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publica commendationis vota demeruit.*

S. Aug. 12. de Civit. Dei.

Rupertus Abbas & Arnobius vanam gloriam dicunt tineam inversam. *Vana gloria est tinea inversa*, aut verò *est tinea sanctitatis.* Quid hoc, tinea sanctitatis inversa? Fortassis an ei caput, ubi pedes esse deberent, & pedes ubi caput? Similitudine percipietis. Initio æstatis quisque vestes graviores, quas hyeme tulit, exuit, plicat & in arca recludit donec hyemale tempus relabatur. Dato quod totâ æstate inclusæ serventur, neque ad aërem exponantur, à tinea rodi & corrumpi contingit, ubi contra si vel semel proferantur & eventilentur, intactæ essent & integræ. Tinea itaque exedit vestes cum in cista sunt clausæ, & vana gloria est tinea inversa; ergo consequenter dicendum, opera nostra bona, cum occultata sunt nec ad oculos hominum patent, à tinea vanæ gloriæ libera esse; secus si coram sint expositа, ut ab omnibus videri queant: & tam in vitio quàm virtute inanis gloriæ tinea invenitur. [Quæ quò magis refertam domum virtutibus viderit (scribit Maphæus) eò majorem spem ibi habitandi concipit, quæ tam in sordidis quàm in benè cultis vestibus nocendi viam facilem invenit; quæ sive crapulandum, sive jejunandum, sive loquendum, sive tacendum, utrobique habet ubi vires suas exerceat.]

Rup. Abb. Arn. Carnot. tract. de oper. 6. horum.

Maph. l. 3. de Perf. Rel. c. 3.

Beatus Isaacus Abbas inanem gloriam æquiparat hederæ, quæ arborem, cui innititur, exsiccat. (Quemadmodum hedera vitem amplexa fructum illius destruit, sic inanis gloria hominis labores evertit.)

B. Isaac. Abbas tr. 16. de gaud. anima ser. 2.

Bombyx ut sericum formet, in volucrum quærit, & in secreto laborat: *Operitur dum operatur.* Etiam vos opera vestra bona sepelite, & procul amota sint ab hominum visu aut auditu, ut soli Deo ex debito gloriam consecretis (Hujus enim morbi est medicina salutis recordatio Divinæ bonitatis, per quam, omnia nobis collata sunt, quæ habere videmur.)

Deo.

Halit. ex. Epist. loco supra cit.

Quo etiam modo factum à Joanna Austriaca, Ducissa Tusciæ: illa enim, ut omnem suam gloriam & dignitatem à Duce Sponso suo acceptam ostenderet & grato animo recoleret, scito emblemate expressit: Gemma erat radiis solaribus expositа cum lemmate, *Tu splendorem, ut decorem.* Carolus Octavus Galliarum Rex dictus pulcher, cum Regina mater formam ejus speciosam extolleret, & ut istius ævi pulcherrimum ipsum deprædicaret, modestè respondit: Imago tua sum. q. v. d. Pulchritudinem in me miratis, Mater, & laudas? tua illa est, & acceptam semper referam. S. Antonius Paduanus à Canonicis Lateranensibus discedens ad S. Francisci Religionem, & dicentem aliquem audiens; (Eas eas, forsitan Sanctus eris,) responsum hoc dedit. (Cùm me in Sanctos relatum audieris, profectò Deum laudabis.) Cælestis Sponsa audiens hanc

Scipio Bargal. apud Aresi s.

D. Anton. de Pad.

Sponsi

Cant. 1. Sponsi laudem, *Ecce tu pulchra es dilecta mea* acceptam retulit, & omnem decorem in Dei gratiam refudit, ita subdens; *Ecce tu pulcher es dilecte mi.* Neque hoc dicto aliud intendit, quam, ut ait Rupertus: *Vere dicis mihi, Ecce tu pulchra es; ego dico tibi, Ecce tu pulcher es, quia pulchritudo mea es: quod ego pulchra sim, totum tibi attribuendum est.* Et Angelomus Monachus accedit: (Tu solus pulcher es, ego ex te pulchra; & quia intelligit, non suis meritis justificatam, & pulchritudinem virtutum ab ipso accepisse, succensa in ejus amore, laudat ejus pulchritudinem.) Ut intellexit Maria Virgo, cognatam Elizabeth merita & sanctitatem ita deprædicantem. *Benedicta tu inter mulieres, & beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino,* illicò sermonem divertit, & in Dei laudes erupit; *Magnificat anima mea Dominum.* Interpretes sacri ita hunc locum exponunt: *Nihil suis meritis tribuit,* (scribit Beda) *sed totam suam magnitudinem ad illius donum refert.* Ægidius Colonna convenit. (Totum interioris animi affectum in agendis gratiarum laudibus offero, totum quod vivo, totum quod sentio, quod discurro, in ejus magnitudine contemplanda, & ejus præceptis observandis impendo.) D. Thomas à Villa Nova: *Tu me, Elizabeth cognata, magnificas, sed ego non magnifico me ipsam, sed pro his omnibus magnificat anima mea Dominum.* Lyranus: *O Elizabeth, tu me magnificas, sed ego totum Deo attribuens, ipsum magnifico in hoc carmine.* Et hic Dionysius Carthusianus: *Universa bona Deo attribuo, ipsum laudo, illum totis viribus magnificenter honoro.* (Et hoc ipsum Apostolos docuit Christus ita loquens: *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjiciuntur,* quæ verba sic explicat Abbas Nesterotius:) Monentur Apostoli, ut ex hac parte nihil sibi beatitudinis aut gloriæ audeant vendicare.

Ecquis erit tam audax & temerarius homo, qui sibi Dei laudes ut suas assumat, *cujus finis latrocinium Divinorum?* Vestris accedet meritis, si Deo soli gloriam attribuitis; alioquin, ut Augustinus monet, *quantam ausus est homo gloriam habere inter homines, cum viveret, tantam vetustatem & corruptionem suppliciorum habebit, cum mortuus fuerit, apud inferos.* Fugite inanem hujus seculi gloriam, ut veram assequamini in cælis.

Ibid. Rup. Abb. lib. 1. in Cant. Angelom. in Biblioth. vet. PP. T. 9. Luc. 1. Beda in c. 1. Luc. Ægid. Col. in expos. salut. Ang. D. Tho. à Villa Nova Conc. 2. de Visit. B. V. Mariæ. Lyranus. D. Dionys. Carthus. Luc. 10. Abb. Nesterot. in Bibl. vet. PP. T. 5. p. 2. S. Aug. in Psal. 48. ser. 4.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

ARGUMENTUM.

In nuptiis plerumque vinum jucunditatis ac lætitiæ deficit, aqua lachrymarum exuberat; si enim non sit uxor bona, marito crux est gravissima; si & ipse malus, mulieri sarcina fit intolerabilis. Satius ergo & longè melius, cœlibem vivere quam in matrimonio ingemiscere.

THEMA.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Deficiente vino, dixit Mater Jesu ad eum: Fili, vinum non habent. Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum. S. Joan. cap. 2.

QUi unumquemque vestrum (NN.) probè non nosset, virtutem in vobis maximam crederet, ratus huc omnes motu pietatis convenisse ad audiendum Dei verbum, sed, nisi fallar ego, cui probitas vestra pridem nota & æstimata, non vos sola virtus attraxit, sed nuptiarum apparatus, ut posseris interesse singuli & convivari.

Fortunæ is favor est: Architriclinus ego jam, aut in convivio nuptiali œconomus, cuique liberaliter portionem dabo, sic ut omnibus satisfactum sit, & nemo conqueratur. Unicum doleo, & displicet; aliquem defectum aperire cogor, & nisi Dei Filius suppleviſſet in gratiam Matris comiter & jucundè in mensa convivantium nullus fuisset. In maximo nuptiarum fervore vinum deficiebat. *Fili, vinum non habent*; aquarum tamen erat magna abundantia in hydriis. *Et impleverunt eas usque ad summum.* Verùm quidem (NN.) ex improviso ita factum est lætitiæ symbolum. *Vinum lætificat cor hominis.* Per aquas lachrymæ & luctus figurantur. *Libera me de aquis multis.* Michael à Bononia Carmelita explanat: *Per aquas adversitas vitæ præsentis figuratur.* Ita ut, cum dictum est, defecisse vinum in nuptiis & abundasse aquas, judicatum sit, quàm mox pereat in matrimonio gaudium & continuò succedant lachrymæ & labores. (Ibi vinum, id est virtus (scribit Sanctus Gaudentius) lætitiæ spiritualis defecerat, & languebant sitientium convivarum ora vini lætificantis inopiâ; quoniam vinum lætificat cor hominis.) Argutè consuluit aliquis: Ut stultum hominem punias, uxorem assigna, quia maritus, uxor & mœror simul invicem comitantur. Mulieri habenti virum unum, corona patientiæ debetur: at si mortuo illo, secundum acceperit, insanire putetur & sibilis excipiatur. *Secundæ nuptiæ sunt odiosæ.* Certum enim est experientia, maritum improbum cum pertinace muliere pacem habere nunquam posse.

Qui repetit thalamos post primi funera lecti;
Bis petit insanum naufragus ille fretum.

Unde Divus Hieronymus sepulchrum vidisse se asserit, in quo sepultus erat maritus & uxor, atque huic sarcophago inscriptum: *Hospes miraculum: hic vir & uxor non litigant.* At verò quomodò jam extincti litigent? Si miraculum, non litigasse defunctos, vosipsi (NN.) perpendite quantam habuisse pacem queant, cum adhuc agerent in vivis. Nec si hosti infensissimo malum vellem, hoc illi suadeam, ut nubat: si enim contingat maritum esse perversum, malam & morosam conjugem, connubium hujusmodi crux est utique intolerabilis. Mulierem vir cruciat, virum ipsa gehennat, ut hoc discursu ostendam.

Interea cum nuptiæ celebrantur, etiam nos sponsalia contrahamus, sic tamen ut in eis vinum lætitiæ non desit, neque afflictionum aqua inundet. Ego, qui Religiosus, Parochi officio fungar, vos nuptiis intereste testes & favete; pro sponso erit silentium, & attentio pro Sponsa.

PARS PRIMA.

Nuptiæ factæ sunt: Deficiente vino: Implete hydrias aqua. Non jam fert animus (NN.) loqui de matrimonio quatenus est Sacramentum, sed in hac mea dictione abstraham ab esse Sacramentali morali & meritorio, de illo solum acturus ut *mera conjunctio maris & fœminæ inter personas legitimas, individuam vitæ consuetudinem retinentes.* Quod si statum hunc matrimonii cum cælibatu conferamus, longè hoc inferius est. *Bonum est matrimonium* (scribit Ægidius Columna) *sed melior est virginitas: bonum est nubere, sed melius continere & virginitatem servare*; atque hoc verum nedum in sensu morali, at etiam physico. Unde Marcellus Numidius pro Senatu Orator ita dixisse fertur. Sciendum est, Patres Conscripti, me diu satis & attentè perpendisse, quid consilii darem in ordine ad matrimonium; tandem deliberato animo proposui illud omninò dissuadere, ut scil. abstineatis & sitis ab innumeris angustiis liberi. Meandri dictum est, & seriò monitum:

Sine tristitia habebis vitam sine nuptiis
Ducere uxorem, qui est futurus in pœnitentiam vadit:
Nuptiæ enim hominibus desideratum malum.
Tibi persuade, si duxeris uxorem; servus es vitæ.
Qui non duxit uxorem homo, non habet mala.
Eucilem vitam vives, si uxorem non nutriveris.

Verbo uno, volunt Scriptores illi, Matrimonium esse crucem, duram quidem & doloriferam. Nolo tamen ut solis istis Authoribus prophanis fidem habeatis, audite quid de eo scripserit ad Corinthios Apostolus. *Si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Et subjungit particulam, quæ non parum intellectu difficilis: *Ego autem parco.* Siste parumper, Apostole, & locutionem explica. Si non peccant, ut aperte jam fassus es, ut quid parcis? Non datur motivum remissionis & indulgentiæ, ubi non est materia peccati: Venia enim præsupponit delictum. Ut Paulum dicentem intelligamus, prænotandum, & ut certum, apud Grammaticos *parcere* non semper idem esse quod *ignoscere*, sed non ratiò idem quod *abstinere*, ut si dixero. *Parcere pecuniæ, parcere sum-*

Ioan. 2.

Ps. 103.

Incognitus in Psal. 68.

S. Gaud. serm. 8.

De Nupt. §. dissol. col. 4.

B. Anthol. Græco. l. 1. c. 15. Epig. 1

D. Hier. & Bern. Scard. de molest. conjug. l. 4. c. 6.

1. 2. q. 2. §. 1. & dec. Cyril.

Ægid. Colom. de Sum Trin. & Fide Cath. 1. p. Marc. Aur. l. 1. de prac. Imp.

Meander apud Dom. Naum. & Barthol. Aman. Verbo Matrimon.

1. Cor. 7.

Calepinus.

Sumptui, parcere linguæ, parcere calamo, id est abstinere ab expendenda pecunia, à sumptibus, à lingua, à calamo seu scriptione: & eo sensu crediderim S. Paulum pronuntiasse, *Ego autem parco*, q. d. Qui matrimonio junguntur, & nuptias celebrant, tot aliquando obruentur calamitatibus, consumentur mœroribus, ut eloqui non valeam; *parco linguæ, parco calamo.* Neque enim lingua unquam satis exprimet, nec calamus; quare silendum est potius, ne si scribere aut dicere incipiam, viri promiscuè & mulieres horreant, & ut quid mortiferum nuptias execrentur, sicque cessante matrimonio homines paulatim deficerent & periret mundus. *Quasi timeret Apostolus* (inquit S. Augustinus) *ne si tribulationes conjugibus patefaceret, nullus esset, qui ad conjugium accederet, humanique generis propagatio deficeret.* S. Aug. l. de Virg. c. 16. Vel etiam sic potest intelligi: *Ego autem parco*, Nic. Gorr. in c. 7. 1. Cor. *id est, consulo evitare conjugium.*

Difficulter capio dictum hoc Salomonis: *Bona est plenitudo pugilli cum requie, super plenitudinem pugillorum duorum cum labore.* Hanc sententiam substituto nostro adaptat Olympiodorus Abbas; cùm de maritatis sic explicat: *Contemplari possumus hominem fuisse olim pugillum, cum videlicet Deus pulverem de terra accipiens, ac veluti pugillo concludens, plasmavit hominem. Pugillus etiam fuit mulier; à latere namque Adam costam manu Deus apprehendens Evam plasmavit. Mulier ergo est cælibatus pugillis duobus, hoc est, dualitate & copula conjugali. Quamvis enim conjugium damnandum non sit, cælibatus certe est laudabilis & molestiâ carens. Itaque pugillus in singulari & seorsim sumptus* (per quem cælibatum intelligo) *est cum requie; sed duo pugilli in plurali & conjunctim sumpti* (per quos matrimonium designatur) *sunt cum labore*, nec ibi reperitur nisi dolor & angustia spiritûs. Eccl. 4. Olympiod. Abb ib. in Biblioth. vet. PP. T. 2.

Tertullianus aliquando verba aliqua protulit, quæ non facilè quivis intelligat; argutè tamen locutus est, nec sine mysterio. Tam de viris quam de mulieribus nuptutientibus sermonem faciens, ita dicebat: *Matrimonium postules ab Episcopis & Presbyteris & à Diaconis; & ipsi plane sic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas.* Tertullian. Renanius & Pamelius per buccellas intelligunt S. Eucharistiæ Sacramentum, juxta illud: *Cum accepisset buccellam, tunc in eum inimicus intravit.* Ioann. 13. Sed quid matrimonio cum Eucharistia? Fortassis, quia sicuti in Eucharistiæ Sacramento anima nostra Deo conjungitur, ita conjuges animis & voluntate uniuntur, vel certe quia 1. Cor. 6. *erunt duo in carne una?* Responsio bona est. Quis verò nesciat Eucharistiam ab Ecclesia per manna suavissimum Fidelibus præfigurari? *Manna suavissimum dicitur. Datur manna Patribus. Vincenti dabo manna:* suavissimum quidem, sed quod teipsa fellis, id est Dominicæ Passionis amaritudine est conditum. *Est memoriale perenne Passionis Christi & Crucis, quandoquidem recolitur memoria Passionis ejus* Ecce hinc Tertulliani locutio explicata: *Et ipsi planè sic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas.* Matrimonium apparet manna suavissimum: cum jam nuptiæ celebrantur, dulcis symphonia resonat, congaudent & congratulantur amici, ecce tunc manna, & lætitiæ vinum: at elapsis diebus tribus aut quatuor, *deficiente vino*, quando non jam fluit amplius congratulationis vinum, lachrymarum aquæ erumpunt, cruces deteguntur, undique mœror & tædium; ac jam prope gehenna, sicque manna dulcissimum in fellis amaritudinem commutatur. Cordis hydriam inspicite & vetè fateamini, *Deficiente vino.* Oculorum hydrias videte, lachrymarum abundantiam exhibebunt (Quapropter Eucharistia manna suavissimum dicitur; sed verè est memoriale Passionis Dominicæ & cruciatuum Christi epitome. Nuptiæ igitur æmulantur Crucem & Passionem: sed quæ acerbior Crux, quam non bona uxor, cui maritus cogitur adhærere, vel potius crucifigi?) D. Tho. in Solemn SS. Sacr. Apoc. 2. Did. Celada in Iudith. c. 4. §. 14.

Conformiter ad prætacta Septimius vocat *nuptias matrimonii pomum.* Forsitan intelligi voluit de pomis terræ Pentapolis, quæ (ut in præcedenti Discursu retegimus) nonnisi cortice valent, & si vel manu leviter premas, fumum exhalant & in pulveres fatiscunt. Vero similius intendisse dicamus in pomum à primis parentibus in Paradiso terrestri decerptum, de quo S. Scriptura refert: *Erat pulchrum oculis & aspectu delectabile*, sed statim ut gustarunt, innumeris calamitatibus obruebantur. *Multiplicabo* (ait Deus) *ærumnas tuas: in dolore paries filios tuos; In laboribus comedes: in sudore vescéris pane tuo.* Atque ex hoc pomo, non secus ac Pandoræ urna, omne malum nostrum & extrema infelicitas emanavit. (Sicut Paradisiacum pomum origo fuit calamitatum, sic pulchrum nuptiarum pomum causa est ærumnarum, quibus obnoxia sunt connubia.) Septim. l. de prud. c. 6. S. August. l. 21. de Civ. Dei c. 5. Gen. 3. Ibid. Didac. Celada ubi supra.

Legisse memini in Artemidoro somniorum interprete, explicationem somni admirandam. Somniat quispiam se crucifigi, præsagium est nuptiarum brevi. *Nuptiæ sunt futuræ*: Ut sic fortè

tè oſtenderet, nunquam poſſe meliùs quàm cruce ſtatum conjugalem & nuptias exprimi. (Vito celebri in ſomnis crucifigi, nuptias deſignat, & in ipſo quoque conjugio ſua crux eſt aſportanda conjugatis.)

Artem. l. 2. c. 28 de interpr. ſomniorum.

Priſcorum Romanorum ævo cùm adoleſcentula deſponſabatur & comitante ſponſo per plateam ibat, pueri nuces ad caput jaciebant. Unde Catullus: *Sparge nuces puer.* Ad quid projicere nuces, & cur non potiùs flores, ut conjugum ætas florida demonſtretur? aut amygdala, quibus fœcunditas prognoſticetur? Non eſt fructus (NN.) qui magis ad vivum repræſentet connubia quam nux: unam aperite, & in ea ligneam membranam reperietis inſtar crucis, ut vel inde ſciamus, in matrimonio crucem haberi eſſeque acerbam valde. Non ſpargebant cruces, quæ probroſæ tunc erant, ne maritatis opprobrio verterentur, ſed nuces objiciebant, quia vix etiam nomine, niſi litterula à crucibus differunt. Quidam, cum adhuc eſſet libet credere non potuit, at poſtquam expertus, fateri altiùs compellebatur.

Blondus de Roman. triump. l. 1.

Vt patiar potior, memini me dicere nuper.
Iam potior, ſed non deſino multa pati.

Theodorus Antiquus Philoſophus nuptias ſenectuti comparabat; fortaſſis quia ſicut inter ætates hominis ea miſerrima eſt, ita inter omnes ſtatus, matrimonialis ærumnoſiſſimus. Ideò non, ſed putem ob hanc potiùs cauſam, quia juvenis quilibet ad ſenectutem aſpirat, ſed cum jam factus ſenex, diſplicet & ad primam ætatem regredi deſiderat. Nihil admittit moræ juventus, fitque impatiens, & conatur omnibus viribus accelerare nuptiarum tempus, ſed cum habet intentum, & vinculo matrimonii alligatur, diſſolvi iterum vellet, & ad priſtinum redire ſtatum, in eoque perdita potiri felicitate ac libertate, malletque tunc nondum guſtaſſe, ubi tam citò deficit vinum, & jam aquis tribulationum obruitur. [Similes res ſunt ſenectus & nuptiæ, (dicit Theodorus) utrumque conſequi deſideramus; poſtquam verò nacti fuerimus, triſtiamur.) Ariſtenetus ſimiliter ſcribit: (Speratæ nuptiæ dulces, gratæ, optandæ; ubi potitus es, contemptus venit, ſtudioque magno petitum, ſtatim abjicitur neglectumque habetur.)

Theod. Philoſophus.

Ariſtenet. l. 1. Ep. 21.

An non videritis aliquándo (petit Socrates) piſces in aqua natitantes? Eſca illis intra naſſam objicitur, ideò gyrant & viam omnem tentant ut ingredi valeant; ſed vix ſunt ingreſſi, anguntur ut exeant, ſintque ex illo carcere liberi. Qui cælebs eſt & à matrimonio liber, retia ambit, quibus intricetur, & conjugii velut cancellis obſeretur. Sed quid? vix aſſecutus eſt intentum, meditatur ſtatum priſtinum & quaquâ poſſit viâ, reſilire conatur: ſed fruſtrà jam tentet & ſerò nimis, quia hoc decretum eſt manetque immutabile. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Matth. 19. Socrates loquitur: (Quemadmodum piſces, ô adoleſcentuli, qui nondum intra naſſas ſunt, volunt intrare; qui autem jam intus ſunt, volunt exire; ſic & vos, ne vobis idem accidat, videte quid faciatis; hoc enim hominibus evenire ſolet multoties propter imperfectionem mulierum.)

Socrates apud Diez. verbo Matrimon. Hipponat.

Dicere ſolebat Hipponates Philoſophus, maritum & uxorem duos tantum ſortiri dies lætitiæ, quorum primus eſt nuptiarum, ſecundus exequiarum, cùm conjugum alteruter domo effertur ad ſepulchrum. *Bini ſunt cum uxore jucundiſſimi dies, alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.*

Et Philetas, cuidam ſciſcitanti, quid faciendum, ut jucundè viveret, reſpondit: Vita ad libitum fluet, eriſque ſine tædio, *ſi non acceperis uxorem.* Tantumdem etiam mulieri interroganti dixiſſet: Quieta eris, & ad placitum ſuccedent omnia, *ſi non habueris virum:* Quaſi exiſtimaret ille, non poſſe majus excogitari tormentum quam alligatum eſſe virum uxori, aut illam viro peſſimo.

Philetas Philoſ.

Obſervatum eſt quatuor in terra ſtatus recenſeri, cælibatum ſcil. virginitatem, viduitatem & matrimonium, quorum in cœlo tres primos quidem reperio, at non quartum. Unde in Sanctorum laudibus, quas communiter litanias vocamus, invocantur cælibes: *Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Monachi & Eremitæ.* Virgines. & etiam Viduæ, *Omnes Sanctæ Virgines & Viduæ.* At cur non ſimiliter conjuges nominantur, *Omnes Sancti conjuges?* Reſponſum in promptu eſt; quia ſtatus ille quartus in cælo non invenitur. Quod ſi non creditis, Apocalypſim revolvite, ubi relatum eſt, à Beatorum gloria laborem omnem & dolorem excludi, ibique ſolum dari quod recreet, delectet. *Abſterget Deus omnem lachrymam ob oculis Sanctorum.* Ut nihil in Paradiſum introeat, fatigationi aut luctui obnoxium, Deus ipſe, quaſi non id aliis confidat, Sanctis ingreſſuris occurrit, ut propriis manibus oculos purget & detergat lachrymas, atque ideò ſubdit: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor.* Hoc eſt,

In Litan.

Apoc. 21.

Blaſ. Vega in Apoc. 21.

omnia

omnia ista jam transierunt, nec in illa felici beataque civitate locum habent. Et hæc ratio, cur reliqui tres status in cælo perseverent, Virgines servent Virginitatem, Viduæ retineant Viduitatem, & cælibes suum Cælibatum; quia scil. statum felicitatis & lætitiæ compatiuntur At verò status conjugalis ibi incompatibilis est, & in hoc à statibus reliquis differt, quod solum ad mortem duret; quasi illis in articulo mortis Deus ita dicat: Sanctè vixistis hactenus, conjuges; si tamen ad cæli gaudia jam aspiratis, mundo relinquite conjugii miserias; ibi enim matrimonium non admittitur, cum plenum curarum sit & calamitatum. Non invenitur ergo in superna beatorum patria status ille, utpote in quo lætitiæ vinum deficit, & undique lachrymarum aquæ erumpunt, nec in eo reperire est, nisi dolores & duras cruces.

Si matrimonium cum statibus prædictis collatum sit, de eo aptè dicatur quod de Saule olim impugnante Philistæos: *Totum pondus belli versum est in Saul.* Et hoc verum, si *comparativè* intelligas, non *absolutè*. Explico ergo: Philistæi bellabant adversus Israelitas omnes, sed tam multi Saulem impetebant & insultabant, ut videri vix posset, Philistæos aliquos pugnare contra reliquos Israelitas. Non dubitem quin etiam Virgines & Viduæ & Cælibes suas habeant truces in hoc mundo; quisque enim suos patitur manes, si tamen comparativè loquendum sit, & intuitu matrimonii, verè & meritissimò asseratur, in eo solo plures tribulationes reperiri, quàm in reliquis simul statibus aggregatis *Totum pondus tribulationum versum est in matrimonium.* Audiamus à S. Basilio. *Conjugium mancipatum curarum agmen excipit in orbitate desiderium prolis, uxoris custodia, domestica procuratio, servilium officiorum constitutio, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis alea: unaquaque dies suam adfert animæ caliginem.* Continua est conjugatorum inquietudo, ita est; si enim proles non habeant, quàm illos desiderium cruciat! si habeant, semper in timore versantur, ne forte infortunium ipsis eveniat; si uxor stupida sit & rustica moribus, crudele tormentum: si formosa est, zelotypia gehennare non cessat: si maritus junior est, mille suspicionibus illa torquetur, nec ad momentum unum sine sollicitudine est. Sapienter à quodam responsum est scisciranti, quâ ætate uxorem duceret? nondum juvenili, inquit, sed senili nunquam.

1. Reg. 31.

S. Basil. Epist. 1.

Dixi, & repeto: Uxor crux est viro acerbissima, & plurimæ rationes id suadent, sed ne prolixitate vos gravem, paucas in medium proferam. Ingeniosus aliquis breviter tangit.

Qui capit uxorem, litem capit atque dolorem.
Aut melius —— *Capit absque quiete laborem.*

Inquirit S. Anastasius quare in Lege veteri viro permissum habere non unam, sed duas, tres etiam plures uxores, non verò in Lege Evangelicâ, imò expressè prohibitum, *Vnius uxoris vir, & Vnius Vir uxor.* Maritum unum plures habere uxores simul eodem tempore, vel bonum est, vel malum: si bonum; ut quid lex Christi vetat? si malum; cur lege Mosaicâ permissum? Quæ est ista pactialitas? Resolutio facilè occurret, si modò discrimen inter utramque Legem, quis observet. Lex Mosaica rigoris erat, difficilia, gravia, intolerabilia præcipiens; verbo dictum, ferrea, de qua conquesti sunt: *Neque nos, neque patres nostri portare potuimus.* Lex Christi levis valdè & dulcis. *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Nil grave continet, nil acerbum. Unde piissimus Redemptor noster prævidens, quanta foret viro anxietas, quanta cura, pluribus alligari uxoribus, Lege novâ prohibuit, q.d. Non opus est habere cruces plures, unica talis sufficit quæ noctes dieşque adhæreat, angat, coquat. Verba adfero S. Athanasii. *Quod si quæris, quamobrem antiqui duas aut tres habuerint uxores; disce diligenter, quod magna tunc esset diaboli tyrannis, quàm Christus ad nos profectus abolevit multis dæmonibus ex medo elimina tis.*

Ad Tit. 1. 1. Tim. 3.

Actor. 15.

Matth. 2.

S. Athanas. q. 97. in Script.

Et verè Auditores si uxor unica, quam habuit Adam, fuerit tot miseriarum origo, quid fore creditis, si plures habuisset? Væ mundo. *Quid futurum cùm* (ut citati Sancti verba assumam) *si ab initio uni homini feciſſet duas uxores?* Ad calculos revocate, qui nôrit, & videat, ad quantum miseriarum acervum attinget, atque tunc facilè cum Cheremone concludet: *Sepelire uxorem, quàm ducere, melius est.*

Cheremon.

Adnotavit Rupertus Abbas Deum sæpiùs Abrahamo apparuisse & visitare dignatum esse, vivente adhuc Sarâ, sed nunquam post mortem Saræ. *Notandum quod Deus ulterius Abrahæ apparuisse non legitur.* Si tamen apparuit Sarâ superstite, ut quid non etiam eâ defunctâ? an fortè Abraham Divinâ consolatione non ampliùs eguit? ah! tam graves ei curæ metusque nascebantur ex ipsa uxore, ut nisi sæpiùs ei adfuisset Deus, vitam diutiùs conservare non potuisset.

Rup. Abb. l. 6. in Gen. sect. 35.

Erat

Erat tamen Sara matrona sancta & timens Deum, atque viri sui amantissima; sed eâ jam è vivis sublatâ, sopitæ erant curæ, neque in anxietatibus versabatur, ita ut Divinâ ulteriùs præsentiâ confortari non esset opus, sicut non requiritur medicina cùm cessat morbus; neque necessarium est subsidium, cùm jam non amplius urget periculum. (Ego quidem existimo Abrahamum uxore superstite, eguisse tot Dei visitationibus, ne occumberet matrimonii mole oppressus. Frequenter eget visitari à Deo, qui frequenter uxoris, etiam probæ molestiis agitatur: nam vacante periculo, vacat adjutorium. Hic jubet formare argumentum & à fortiori concludere: Si Sara tam bona & mariti sui tam amans, tam sollicitè obsequens, Abrahæ tamen adhuc molesta fuerit & gravis; perpendite vos & inferte, quàm acerba crux sit mulier, quanta moles, si improba illa sit, perversa, vitroque odiosa.

Celeda in Iudith. c. 4. §. 14.

Deus obviam factus diabolo, sciscitabatur ex eo, an non Jobum nosset fidum suum amicum, virum bonum & rectum. *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod sit non ei similis?* Cui dæmon, Optimè novi (inquit) quem ita laudas. Verum quidem fateor, bonus est, nec miror; supplicio quippè maximo dignum censerem, si non talis esset, quem omnibus naturæ donis ornasti. *Vallasti eum, & substantiam ejus per circuitum.* Authoritate vestrâ liceat, more meo semel tractabo, & videbis quomodò statim mutabitur, tibique contradicet, perdetque respectum, odium in corde concipiet, facie solum & exteriùs benevolus erit. *In facie tantum benedixerit tibi.* Consentit Deus sinitque, ut inhumaniter Jobum excipiat. Armatur ergo dæmon & quidquid crudele excogitat, in eo Prophetam exercet. Igne furit, segetes, horrea plena & possessiones absumit. Quod ut illi nunciatum est, patientiæ clypeo communitus non frangitur neque animum despondet, sed ex corde constanter pronunciat: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit Nomen Domini benedictum.* Damnum sit in armentis, cum Sabæos & Caldæos instigat ut furto adducant. Ad hæc omnia stat imperterritus, ut miratus sit dæmon, nec tamen destitit: ventum validissimum excitat & maximo impetu domum ejus evertit, & eâ ruinâ oppressæ proles miserè interierunt cum omnibus qui aderant, excepto famulo, qui solus evasit, ut Jobo tanti infortunii nuncium ferret: sed neque istâ tempestate submersus est vir Dei, quia arreptâ patientiæ tabulâ, & anchorâ spei firmatus generosè perfregit.

Iob. 2.

Hic Origenes Patientis ærumnas attentiùs expendit, & misertus indagat, quandoquidem jam dæmon abstulerat divitias, armenta & proles, quare non etiam morte sublata sit uxor, sed manserit superstes & incolumnis? Responderet hîc aliquis, Jobum intellectâ uxoris morte dicturum fuisse: Benedictus sit Deus, qui inter tot adversa saltem hoc solatium dedit, quòd uxorem unà mori permiserit. Diabolus volens, ut hoc etiam levamine privaretur, in vivis eam conservavit illæsam.

Crediderim larvæ infernalis hoc stratagema fuisse, quo Jobum aggrederetur, Mulierem interire non est passus, quia illâ uti intendebat tamquam instrumento ultimo & fortissimo ad extremos insultus; & cùm jam prætactis mediis non potuisset, uxore prævalere & dejicere disponebat; illâ enim ejus patientiam frangere & animam perdere, omnino confidebat; quod gladiatores faciunt; ictum semper reservant, quo hostem prosternant. *Ex omnibus bonis sola mulier reservatur* (ait S. Augustinus) *non in solatium mariti, sed in ministerium diaboli.* Hinc mulier dæmonis instinctu virum aggreditur vultu ità accenso, sanguinolentis oculis, pallentibus labiis, ore livido, & venenatis verbis; sic, puto, lamentata est: En hîc maritus meus, peccata tua sunt, quæ Deus nunc punit. O me miseram, quæ mariti mei culpâ divitias & filios perdidi! Maledictus ille dies sit, quo te primùm cognovi, lingua mea faucibus adhæsisset potius aut excidisset cùm rogata, maritum te volui & verbis consensi, melius jam mihi foret. Malitia tua fulmen est, quo percussa sum & pereo. Nescio cur non in caput involem, & manibus his eccidam. Quàm me jam delicta tua gravant, in odio sum apud omnes, & vulgi ludibrium. Vide an hæc vestis statui meo conveniens, an non dedecorans sit. Pudet me in conspectum hominum prodire; digito monstrant & exsibilant, & quod longè pessimum est, vix panis mihi superest, quo vescar. Si non fœtor lepræ tuæ appropinquare vetaret, hisce digitis oculos eruerem; ecquando tandem te mors abripiet, ne diutiùs præ oculis habere cogar? quando crepabis sordide, putide, scabiose? apagene, nauseæ molestiam diutius sustineam. Mors te invadat, sicque ærumnarum tum finis, cùm felicitatem viduitas & desiderata restituet. Non est quod à me subsidium speres, etsi in extremo vitæ periculo versareris, & unicâ aquæ guttulâ servare te possim, non eam darem, nisi mihi constaret vene-

S. Aug. apud Hier. Gal. ser. 2. Paschæ.

venenum esse, quod per viscera sparsum occideret.

Credite (NN.) nunquam Job in majori fuit periculo, ut caderet, patientiam amitteret & animam, quàm dum eum invasit mulier, & insolenter (ut audistis) invecta est. Diabolus ergo uxorem non occidit, quia uti illâ voluit, ut ultimum faceret insultum. *Ideo* (loquitur Origenes) *solam uxorem nequissimus diabolus superesse voluit, ut hac novissimâ uteretur pro Iob seductione atque animæ ejus subversione. Diabolus hanc conservavit ut ministram suæ iniquitatis, ut hanc haberet pro novissimo Iob laqueo, & postquam per omnem rem desperaret, tunc per uxorem justum perderet.* O quàm mala fuit Job, quàm acerba crux mulier! ut bene carmine id expressum sit à Poeta.

Origin. in Iob. lib. 2. c. 1.

Io And. l. 3. Epigram. n. 199.

Divitias Iobo, sobolemque ipsamque salutem
Abstulit (hoc Domino non prohibente) Satan.
Omnibus ablatis misero, tamen una superstes,
Quæ magis afflictum redderet, uxor erat.

Et certè si me diabolus ad malum hosti meo inimicissimo optandum instiget, patibulum non imprecabor aut subitam mortem, sed (quod longè pessimum est) uxorem morosam: nec enim putem majorem posse maledictionem excogitari. Hinc in Meandro legitur.

Meander. *Nuptiæ enim honoribus desideratum malum.*

Qui uxorem ducit, naufragio se exponit, & mille periculis, dicit Hesiodus:

Hesiod. apud Dom. Nanum.

Si quis semel duxerit uxorem, rursus secunda cubilia sequitur.
Naufragus navigat hic profundum difficile.
Non est ducens uxorem, qui non tempestatibus agitetur.

Joannes in Apocalypsi vidisse scribit in cœlo mulierem utero gravidam, ante quam erat sævissimus draco, ut partum devoraret, si tamen masculum peperisset. *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, & cum peperisset, filium ejus devoraret,* si masculum produxisset. Quid si feminam peperisset? vivere permisisset, ut per ipsam exercetetur & torqueretur ille, qui illam matrimonio acciperet.

Apoc. 12.

Paoletti Adventuale.

Valebat multum ingenio ad fingendum ille, qui, cum in mari esset, exortâ tempestate, sic ut navis jam periclitaretur, monentibus nautis exonerandam esse navim, projiciendumque in mare à singulis quod pessimum secum habebant, ille, inquam, uxorem arripuit & in aquas abjecit, affirmans se nihil in hoc mundo pejus esse expertum. Ut proinde verificetur responsum Diogenis, cùm videret aliquem exultantem præ gaudio quod assumpsisset uxorem: (Audi amice (inquit) parvum solatium & magnam sollicitudinem es lucratus.) Me tui miseret. q.d. Uxorem jam habes parvum certè levamen reperisti, sed maximam crucem.

Laert. Diogen. de vita & moribus Philos.

Narratur in patria longinqua hoc factum, ubi homines simpliees erant valdè: Audiebant è suggestu Religiosum dicentem verba ista Salvatoris: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Singuli ponderosam sibi fabricabant crucem & humeris imponebant; unus è reliquis loco crucis, uxorem bajulabat, & sciscitantibus aliis quid hoc prætenderet? intellexi, ait, iis crucem humeris ferendam, qui Deo cupiunt famulari: in hoc mundo crucem ego nec graviorem, nec acerbiorem sustinui, quàm sit hæc mea uxor, quam humeris porto; ut benè assertum sit: *Nihil est in inclyta terra, muliere grævius.*

Matth. 16. Ribadineira l. 3. c. 18. hist. trium General.

Philippid.

L. Silanus gener Claudii non ita ægrè tulisset uxorem sibi auferri, dariique eam Neroni, si, quid sit mulier, penitùs inspexisset.

Tacitus l. 12.

Dicite (NN) quid est crux? Ligna duo in transversum posita. Neque id mulieri etiam deest, quò minus crux esse censeatur. Fœmina quædam ad flumen ibat ut hauriret aquam, & casu cespitans in flumen cadit, submergitur & à fluctibus abducitur. Maritus, ut infortunium intellexit, accurrit, & uxorem quæsivit adverso flumine. Petentibus quid ita faceret, mulierem quæro, respondit, quam aqua rapidè currens propulsavit: at quomodo? non sic invenies; eundum enim est secundo flumine, non adverso, ut facis. Sciatis velim: Uxor mea virtutem hanc inter cæteras habuit; transversaria erat; & omnia contrariè faciebat: si jubebam, ut ignem accenderet, aquam quærebat; si monebam, ut mensam sterneret, aliud in domo perficiebat; sic ut mihi persuadeam eam nunc mortuam adhuc contrariari & contra fluctus ascendere; adeoque ab actionibus in transversum fieri solitis crux mariti potuit vocari. Versibus id eleganter exponit Poetà:

Hieron. Arcon. pag. 389. vol. 1. Ger. de Vxore mimus bona.

Quidam maritus conjugum audiens suam.
In amne vicino perisse, protinùs,
Erumpit adversique currit fluminis
Ripâ, queat si eam fluentem cernere.
Cur non secundo currat amnis gurgite,
Rogatus; inquit: Viva conjux omnia
Præposterè fecit: reor quod mortua
Faciat idem; nec defluat, sed refluat.

Doluit Cato quod Hortensio amico obnixè petenti Martiam uxorem, precibus coactus sit annuere, & quod pessimum ac vilissimum domi habebat, illi concedere, licet nil illa fœmineum præter vocem haberet. Et dixit id Sapiens ille Philosophus, non quod non sit aliquid æstimabile in fœmina, sed quòd marito nihil minori sit pretio quàm mulier, ut potius ipsa familiæ paupertas sit reputanda. Subtiliter allusit Ovenus ad vocem *Vesor*, formando anagramma, ut esset *Orcus*.

Epigr. l. 2. n. 53.

Quisquis in uxorem cecidit, descendit in orcum
Ritè inversa sonat Ucsor *&* Orcus *idem.*

Sed postea in favorem mulierum acutè retorsit:

Idem.

In muliere ut in orco: in Orco est Belzebub; ergo
Infernus si sit fœmina, vir Sathan est.

Nec mihi jam dicat matrimonii aliquis fautor, non pauca à mulieribus commoda esse, cum non semel contigerit earum interventu & affinitate bella sopiri, rebelliones sedari; Regna integra conservari & firmari. Rex Cyrenensium Cum fratre Ptolomæo pacem obtinere non potuit, nisi cum promissa est in matrimonium Nepoti Berenice filia. Darius ad status sui assecurationem nupsit filiæ Regis Cyri. Tarquinius Romanorum Rex amicitiam cum Latinis inivit, filiam suam dando uxorem Octavio Mamilio. Nil refert, nec propterea aliter sentiam; siquidem plerumque etiam factum, ubi affinitas contracta fuit, multæ consequenter rixæ & dissensiones subortæ, dicente D. Hieronymo: *Qui non litigat, calebs est*, quasi rixæ matrimonio conjunctæ sint, ut accidens inseparabile; quandoquidem de muliere assertum hoc probetur experientiâ: *Assiduis jurgiis & quotidianâ garrulitate facit perfluere domum.*

Cambro. Brian. l. 2. Epi. n. 53. Just. l. 26. Idem. l. 1. Lucan. l. 1. S. Hieronym. contra Iov. l. 1. c. 15. Idem ubi supra.

Mirum est, inquit Sanctus ille Pater: antequam pretio tibi equum compares, diligentius inspicis & observas an non fortè habeat occultos defectus. Si famulum velis aut mancipium, prius inquiris, nec ante in domum admittis, utrum fidelis sit, neque facilè conduxeris sine fidejussore; quod si postmodum nondum arridet, dimittere liberum tibi est, & secundum experiri. Quid amplius? si vestem emis, aut aliud pro re domestica, priùs de bonitate securus fieri desideras, & si non ita esse posteà comperis, liberè remittis, ut aliundè requiras: & clausis (ut ita dicam) oculis sine discussione aut ullo probitatis examine accipis uxorem, quâ cum, velis nolis, vivendum tibi sit & moriendum? si dissolutam jam videas & absque timore Domini, quid facies? si morosa est, & in conversatione difficilis, quid remedii? domum reduces? an uxorem repudiabis? Minima illa sunt, Pater, nec hodie attendenda, præcipuum hoc est, quod inquiritur & sufficit, si probis & nobilibus oriunda parentibus, si pulchra sit aspectu, & ante omnia si optimam habeat dotem: quæ hoc ævo talis reperitur, cuivis apta videtur & placet. *Nulla est uxoris electoris electior*, (Scribit S. Hieronym.) *sed qualiscumque obvenerit, habenda; si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcumque vitii est, post nuptias discimus. Equus, bos, canis, & vilissima mancipia; vestes quoque & lebetes, sed ligneum probantur prius & sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat, quàm ducatur.* Quapropter Deus volens, ut Adam Evam caperet uxorem: *Adduxit eam ad Adam*; ut inde disceremus (ait Oleaster) quod observandum est ante matrimonium. *Debet Vir videre uxorem, an placeat: ex cujus defectu multa, ut videmus, oriuntur mala.*

S. Hieronym contra Iov. l. 1. c. 28.

Gen. 2. Oleast. ib.

O Deus! quanta est illa gratia, quam à Tua Majestate indignus ego accepi! confundor modo neque exprimere valeo quantum pro ea obligor: etsi humiliter in terra prostratus à tua laude deinceps nunquam cessem, ne vel in minimo satisfeciſſe potero, tantum debere me fateor. Ex nihilo me creasti, ad agnitionem veræ fidei attraxisti, à malis imminentibus præservasti, & in sancto tuo servitio & gratia conservare dignatus es; quid amplius benefacere poteras? Beneficia tua in me innumera sunt & magna, sed hoc longè maximum confiteor, & gratiam singularem ad Religiosum me statum esse vocatum, & sic liberatum à tam mala cruce. Semper in me vivet tam ingentis & multiplicis beneficii memoria. Si nuptus jam essem, & in uxorem perfidam & molestam incidissem, quomodo eam æquanimiter ferrem, sat molestiæ experior in me meisque cupiditatibus regendis,

&

& frænandis: certè animæ meæ damnatio fuisset. At cum me nunc cælibem meditor, à naufragio ereptum lætor. Si tamen dixit Apostolus se parcere calamo, parcam & ego linguæ, & alteram Discursus mei partem dispono.

PARS SECUNDA.

SI plangat Africa, non ridet Italia. Quisquis alium exercet, neque ipse perturbationibus vacat. Marito crux est uxor, ut audistis, sed & maritus uxori, Hispanis in proverbio, statim ut nupta est mulier : *Hi casada, y mannana cansada.* Hodie maritata, cras ingrata & fastidita.

Quando puella desponsatur, maritari eam communiter dicemus. Quid propriè designat *maritare?* id est, *mari dare*, ut idem sit maritari filiam, ac mari dari.

Caletin. Si Latinè explicemus filiam maritari, his verbis efferimus, *Mulier nubit viro.* Quare non vir, sed mulier propriè nubit ? Rationem hanc subesse autumo, quia verbum hoc *nubo*, *nubis* affine est nubi. Ita S. Ambros. *A nubibus verbum nubentium traductum arbitro.* Sicut enim è nubibus decidit pluvia, ita ex oculis nubentis puellæ lachrymarum imber ob intolerabiles molestias quas à marito tolerat. Ingenuè dicam ut sentio, si Deo ita disponente fœminei sexûs fuissem, potiùs ad durissimam servitutem me ultro ferrem, & vilissima quæque subirem, quam ad nubendum viro inducerer.

D. Ambros.

Sapienter egit Camilla, quæ petentibus cur vidua maneret, ita respondit : Maritum perdidi optimum ; si denuò alium acciperem; etiam bonus ille foret aut malus; si bonus, semper anxia viverem, verita ne amitterem, & si contigeret eum præmori, quid nisi dolor inde maximus mihi restaret? si autem malus, continuum mihi tormentum esset ; sic ut non jam status magis arrideat, quàm ille, in quo sum constituta. Nubant aliæ, si quæ volent.

Christo. Fonseca c. 2. de mirac nupt. in Cana Gal.

Martia filia Catonis minor vidua similiter mansit ; & rogata cur à morte mariti nollet iterum nubere: *Quoniam, inquit, non invenio virum qui me magis velit, quàm me.*

D. Hier. ubi supra.

Dido Pygmalionis soror effossis clam pretiosis thesauris navim conscendit, & in eam Africæ partem, quæ Zengitana appellata est, delata, urbem ibi condere cœpit, quam Carthaginem nominavit. Deinde Jarbas Getuliæ Rex, pulchritudine ejus & amore captus, nuptias ambivit. Illa, ut cœptum opus promoveret, placere sibi propositionem simulavit ; sed differre consensum, usque dum perfecta esset fabrica, quâ in mariti sui Sichæi extincti memoriam erigebat. Tandem hoc illi responsum dedit, *Se malle ardere, quàm nubere.* Nuncietis id Regi, me gratias illi referre pro oblato affectu, sed quantum ad matrimonium, velle potiùs vivam comburi, quam prioris lecti jura secundis nuptiis polluere.

Ibid.

Quam ob causam (NN.) existimatis matrimonium denominari potiùs à matre quàm à patre? Notum omnibus est : A *nobiliori debent res denominari.* Cum ergò maritus sit uxore nobilior, & pater matre dignior, dicendum videtur patrimonium potius quàm matrimonium, Respondetur quod mater *majora sustinet onera : est enim ante partum onerosa, in partu dolorosa, post partum laboriosa.* Cura matri assidua est pro liberis, & vexatio maxima à marito.

L. Quæritur ff de stat. hom. b. quod in dubiis de sent. & reind. Cap. ex lit. de convert. in fide & not. gl. in d. §. 1.

Si viri sunt tam difficiles & molesti uxoribus nil mirum; quia dum eas procantur, faciunt, quod venatores vulpium solent. Interrogentur isti, cur se ita fatigent in capiendo hoc animali, quandoquidem caro ejus non sit esculenta. Vulpem (inquient) non quærimus, si non pro habenda pelle. Sic vobiscum agitur, mulieres, proci vestras personas non ambiunt, sed solam pellem, dotem, inquam, venantur, & quia separatam hanc obtinere non possunt, unà mulierem capiunt, pro sola dote, contra præceptum Lycurgi, qui *suis civibus lege latâ providerat, ut matrimoniis sanciendis uxores eligerent, non pecuniam.*

Lycurgus apud Bernardin. Card. de molest. conjug l. 4. c. 6.

Ideò cum jam maritus dotem malè expendit vendendo aut lusu delapidando, mulierem in oculis ferre non potest, monilia ejus distrahit, vestes oppignorat, & quidquid pretio habet æstimabile, absumit. Quod si misera uxor verbulum loquatur, manuum pugnis excipitur : & ubi triumphavit ille dotis paratis nummis, exultare coguntur uxores baculis. Quapropter à Lycurgo prudenter decretum est in bonum mulierum, *ut non pecuniæ causa eligerentur.*

Verè infelices istæ sunt & commiseratione dignæ mulieres, quibus tales contigunt mariti : numquam quiete fruuntur, nisi ante sit vir morte sublatus. S. Lucas Evang. de Anna Prophetissa filia Phanuelis loquens, vixisse refert septem annis cum marito, & anno septimo liberatam à matrimonio, *Et erat Anna Prophetissa de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis & vixerat cum viro suo septem annis.* Anno septimo liberata est à matrimonio per mariti obitum. Liberationem eam factam esse anno septimo,

Luc. 2.

ptimo, mysterio non vacat, quia septimus ille est annus quietis : & ideò legitur in Genesi, quod Deus *requievit die septimo* q. v. d. Spiritus S. Annam nihil de quiete sciviſſe & animi relaxatione, niſi anno ſeptimo cùm defunctus eſſet maritus ejus, & ipſa vidua. (Pulchrè anno ſeptimo (dicit S. Amphilochius) à viro ſoluta eſt; tunc enim cœpit vitæ ſuæ quies & conſolatio.) Cùm è vivis vir migrat, conſequenter crux ab humeris ejus tollitur, quam ſeptem annis continuò portavit.

Scitis (NN.) quod matrimonium uſque ad mortem perſeveret, & non ultrà. Si tamen matrimonii nodus poſt mortem adhuc ligaret; ſuppoſito (quod Deus avertat) quod duo conjugati ad infernum deſcendant, maximus ille eſſet miſeræ fœminæ cruciatus, maritum videre; imò non tam ipſam torqueret infernus quàm viri moroſus conſpectus. Curiosè ſatis à Sadducæis quæſitum eſt, ubi ſic Chriſtum interrogant: Mulier ſit (ajunt) quæ ſeptem habuerit ſucceſſive viros, poſtea moritur etiam illa; doctrina tua eſt in carne propria homines reſurrecturos, reſuſcitetur itaque illa cum ſeptem ſuis viris; quemnam ex illis habebit maritum? Non omnes ſimul poteſt habere, juxta legem, intelligendo Evangelicam veſtram, *Vnius uxoris vir.* Quem ergo accipiet? non primùm : quia non eſt major ratio de uno quàm de alio : cur enim major eſſet de primo quàm de ſecundo, aut de ſecundo quam de tertio &c? Ut ergò nobis perſuaſum ſit, & vis, ut credamus carnis Reſurrectionem, prius nodum hunc diſſolve. Reſpondit eis Salvator : *In Reſurrectione non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Bonæ mulieres non alligabuntur amplius viris, ſed velut Angeli tum erunt, quia *poſt mortem viri, uxor non manet illi viro matrimonialiter obligata.* Sed difficultas nondum exhauſta eſt : & intelleximus quidem de mulieribus bonis reſponſum, & benè : reſtat dubium de mulieribus malis, an non per conſequens de illis credendum, quod erunt ſicut dæmones in inferno, id eſt ſicut dæmones non nubunt neque nubuntur, ita nec mulieres damnatæ? omninò ſic conſequenter dicendum; ſed tamen Chriſtus expreſsè non determinat, quia ſi mulier una jam damnata audiviſſet, quòd non amplius in mali viri manus inciderit, hoc ei ſolatium foret, & ſecum diceret. Saltem in hoc tormentorum abyſſo alleviat, quod à gravi cruce ſum libera, cum à malo viro: quia tamen locus iſte excludit omne ſolamen, noluit illis cœleſtis Præceptor futurum hoc indicare. Audiatur hic Janſenius: [Quæſierunt Saducæi de reſurrectione mortuorum : dum tamen Dominus in judicio docet Juſtos non inituros matrimonia, quia erunt ſimiles Angelis in cælo; intelligendum ſimiliter relinquit, nec impios matrimonia contracturos, quia ſicut illi erunt ſimiles Angelis Dei in cœlo, ita hi ſimiles dæmonibus in inferno.) Ideò Chriſtus id præterivit ſilentio, ne damnatis mulieribus accederet refrigerium, dum crucem illam in inferno ſublatam recogitarent.

1. *Tim.* 3.

Th. Argent. l. 4. diſt. 38. *q.* 1. *a* 4. *concl.* 2.

In Matt. 22.

Ne tamen hæc dictio mea inutilis ſit, verbulo ad mores reducam, ut obſervetis. Matrimonium dixi eſſe utrimque crucem, ſed ut ea levis ſit, & vos ferendo, facite quod Plutarch. monet: *Maritus ſurdus ſiat, & mulier cæca* Explico, & tibi, marite, jam loquor. Non attendas quidquid dixerit uxor, imò ſubindè, quaſi non audieris, diſſimules: quod ſi verba ſingula prolata diſcutias, numquam ſatisfeceris. Tuum eſt, mulier, connivere, nec ſingula viti facta indagare; quia ſi eum ſemper obſerves, & quò vadat, & cui loquatur, & quò ſe vertat, fortaſſis ſemel facientem videbis, quod non libenter, & hinc rixæ & jurgia. Cæca ſis igitur, nec minutiſſima quæque reſpicias atque ita pacificè vivetis, quaſi in paradiſo terreſtri ſitis, Matrimonium vobis crux erit ſuaviſſima, unde haurietis vinum jucunditatis, non aquas tribulationum amariſſimas.

Si fortaſſe diſpliceat Plutarchi jam datum monitum, quod obſervatu difficilius videatur, alterum ſubdo non minus utile & ſecurum.

Vxorem Vir amet, Marito pareat Vxor;
Conjugis illa ſua cor; caput ille ſuæ.

Io. Andr. Cambr. ubi ſupra.

Maritus ſyncerè uxorem ut cor ſuum diligat, & illa fideliter marito ut capiti obtemperet. Locum ſuperaddo ex Sacra Scriptura & ita finiam. Moyſes deſcribens modum quo Deus creavit mulierem, ait: *Tulit unam de coſtis ejus, & ædificavit coſtam in mulierem.* Multæ dari hic poſſint explicationes ad inſtitutum noſtrum ut eſt illa; ſcilicet mulierem è coſta viti formatam eſſe, *quia ſemper debet eſſe ad viri latus,* (ſcribit Oleaſter) *tamquam ſocia.* Noluit eam Deus formare de terra, ex qua Adam plaſmaverat, ſed ex parte hominis. (Noverat ſapientiſſimus Artifex amabile bonum unicuique proprium; ideo ex propria carne adjutorium fecit, ut veluti quid ſuum diligeret.]

Gen. 2. *Oleaſter. Ib. Idem in admot. ad erud.*

poſſet

—— posse alumnam
Pulvere de simili Princeps formare puellam:
Sed quo plenus amor toto de corde veniret,
Noscere in uxorem voluit sua membra mariti.

Diaconet. in Hexam. in Biblioth. vet. PP. T. 6.

Ut alia ponderatione digna omittam, hoc unum hîc perpendam, quare Moyses de formatione Evæ loquens, usus sit verbo *ædificavit*? Dicere potuisset *fecit, formavit, creavit*, ut cum de vito egit. Responderi possit, metaphoricam esse locutionem, & merito usus est termino *ædificavit*, quia quantum sumptus impenditur pro ædificando palatio, tantum pro vestienda & ornanda sponsa quando jam nuptura est. Verosimilius ego arbitror, Moysem hinc inferre voluisse, quòd, sicut ædificatur palatium, ut inhabitetur ab hominibus, ita mulier esse debeat ædificium in quo morentur cogitationes, affectus & corda maritorum, sitque illis ibi fixum domicilium. (Mulierem vocavit ædificium, significans per hunc terminum ac loquendi modum, quod in muliere, quam Deus homini dedit, ei domum amoris ædificabat, in qua semper habitare deberet.)

Phil. Diez. p. 2. Verbo Matrim.

Hoc satis (NN.) at unicum protestor, non velle me contrariari iis, qui Matrimonium inter pios & timoratos conjuges tuentur esse non acerbam crucem, sed cælestium benedictionum epilogum, nec animus est iis, quæ fusè jam dixi, censoriam Junilii animadversionem evertere aut reprehendere scribentem: (Si benedictione crescit, & multiplicatur genus humanum, quantâ maledictione digni, qui prohibent nubere? non ergo damnandæ sunt nuptiæ, quas gratia benedictionis Dei instituit.) Hoc interim liberè pronuncio beatissimam illam esse matronam (sed raram valde) cui cœlo favente datus est maritus bonus. *Mulieris felicitas est, si diligatur à marito.* Junilius.

Finio cum Euripide.

Non omnes infortunati sunt in nuptiis.
Aut fortunati. Calamitosus est autem qui inciderit
In malam mulierem: felix qui in bonam. Euripid.

Gratias itaque refero & habeo maximas, quòd nuptias præsentiâ honorastis, nec reor alicui occasionem dedisse conquerendi, dum omnibus servire & satisfacere conatus sum. Verum quidem est, acceperunt alii dulcia, alii amara: nihil tamen amplius restat, quod dicam aut distribuam, nuptiæ factæ sunt, & jam hîc finis. Ite in pace.

DOMINICA TERTIA.
POST EPIPHANIAM.

ARGUMENTUM.

Dei in homines beneficentia expenditur; & quidem Divinæ largitatis dona adeò præ magnitudine miranda sunt, ut vel ipsi qui experiuntur, ferè non credant: sed ipsa fides quodammodò nutat, & datis cœlestibus humana capacitas non solum repletur, sed onusta fatigatur. Prodigalitatem in Deo esse censeant, si modò sine defectu habere aliqua possit.

THEMA.

Cùm descendisset IESVS de monte; ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens, Domine, si vis, potes me mundare, & extendens IESVS manum, dixit: Volo: mundare. S. Matthæus cap. 8.

LEge Divinâ & humanâ sancitum, ut tam sit Princeps in accipiendis muneribus parcus, quàm in elargiendis liberalis, ne aliquin tyrannidis censuram incurrat. Hoc observatum est ab Ægyptiorum Rege Ptolomæo, cùm ita dixit: *Ditare potiùs, quam ditari, Principi* Nicol.

Reusn. *convenientius est.* Et Aristoteles docet in Ethicis: *Virtuti magis proprium est beneficium dare, quàm accipere.* Rectores sapientes monuit Ecclesiasticus: *Non sit porrecta manus tua ad recipiendum, & dandum collecta* Politicum hoc multi suadent, sed pauci sunt, qui opere adimpleant. Artaxerxes tenax nimiùm sic tacitè reprehensus est ab eo qui sententiam hanc dedit: debere nimirùm Principem esse sinistrâ contractâ, ne dona recipiat, & dextrâ semper apertâ ut liberaliter distribuat. Agregentius Gilla erat semper occupatus in eroganda potiùs quàm in contrahenda pecunia, adeò ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Expediti sunt nomine Bearnensium legati in Cataloniam, ut Guilielmo Moncada unum ex filiis ejus peterent, quem suum constituerent Regem: annuit ipse, & legatos in cubiculum introduxit, in quo uterque filius dormiebat, quorum unus manus clausas, alter nomine Gaston apertas habebat, & hunc elegerunt, conjectura prospicientes liberalem, quòd apertis eum viderent esse manibus. Munificentissimus erat Titus adeò, ut Imperatorem se esse non crederet, cùm transibat dies quo nemini beneficium contulisset: *Hodie imperator non fui.* Unde generosissimus Alexander bonis in militaria stipendia distributis, hoc solum retinuit, eratque contentus, quod speraret nova acquirere, secutus consilium Xenophontis: *necesse est, qui multa possidet, eum facere etiam multum sumptum, & erga amicos, & erga hospites.* Petrus Portugallensis erubescebat, si quando diem sine beneficentia transigebat, censebat *enim indignum regio nomine Principem videri, quo die nemini beneficium contulisset.*

classf. 1. sym. 16. de Ptolomæo. *Ethic. 9.* *Eccl. 4.* *D. Anton. p. 1. lib. 4. c. 1. §. 16.* *Aresius sect. 59. n. 4* *Dionys. Carthus. de regim. Princip. lib. 1. c. 31.* *Xenoph. in Cyr. lib. 8.* *Aresius.*

Præceperat Deus in libro Numerorum, ut, cùm eligendus esset qui regnaret in Israel, à duodecim tribubus deferrentur in Sanctuarium totidem virgæ, & assumeretur ille, cujus virga germinâsset, & fructus dedisset, *Quem ex eis elegero, germinabit virga ejus.* Tantumdem de electione Aaronis legitur. *Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folia dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Inferre hinc voluit, superiorem eum habendum, qui beneficiorum flores producit, gratiarum fructus distribuit, & tamen à terra subditorum munerum humorem non attrahit, nec admittit. (Fructus dat pastoralis virga, dum nihil succi recipit à terra: nunquam enim pulchriùs floret pastoralis virga, quàm dum non in recipiendo, sed in dando eminet.)

Num. 17. *Did. Pons.*

Cœlo gratias debemus, genu flexo referendas, quia Principem habemus, qui nedum verbis liberalitatem hodie ostendit in leproso Evangelico, cùm ait: *Volo, mundare,* sed facto comprobavit. *Et extendens manum, tetigit eum & sanata est lepra ejus.* Adest Victor Antiochenus. (Verbo prolato morbum mox fugat, adeò quod verbo leprosus dixerat, hoc ille opere ipso verum esse demonstrat.)

Ut ergò Divinæ prodigalitatis excessum in gratiarum largitione proponam, benevoli jam este & attenti.

PARS PRIMA.

ET *extendens manum dixit: Volo, mundare.* Prodigalitatem esse defectum notabilem, nemo dubitet; nam sicut liberalitas est virtus, quia consistit in medio; ita prodigalitas est vitium, quia extremum est ab avaritia condistinctum, & *Omnia extrema sunt vitiosa.* Unde hoc posteris reliquit monitum Pythagoras: *D. Thom. 2. 2. q. 119. a. 2. & 3.*

Ne sumptus temerè & importunè feceris.
Sed neque illiberalis esto: Modus in omni re optimus. *Pythag. Samius.*

Quomodò ergò prodigalitas Deo attribui possit, & de eo prædicari, si ne vel umbra imperfectionis reperiri in eo possit? per hoc dicere intendo, liberalitatem Dei tam esse magnam, ut liberalitatis metam excedere videatur, & prodigalitati proximè accedere, eò usque, ut, si prodigalitas esset sine defectu, Deum potiùs dicerem prodigum, quàm liberalem. Neque jam sim primus ego, qui titulum adscribam; siquidem Guerricus Abbas liberè exclamat: *O Deum, si fas est dicere, prodigum sui!* Ad Sacram Scripturam transeo.

Archangelus Gabriel Virgini incarnationem Verbi annuntians, addixit esse eam filium pariturum, qui regnaret in domo Jacob. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Sed quænam virtus in Patriarcha hoc tanta, ut velit Dei Filius in stirpe ejus principatum? (Cur non dicitur regnaturus in domo Abrahæ aut in domo Isaac, cùm etiam his sit Christus promissus, sed in domo Jacob?) Liceat mihi è cathedra ceu tribunali de vita & moribus trium illorum Patriarchatum inquirere & litem formare, vos sitis judices, & sententiam ferte. *Luc. 1.* *Fr. Tol in c. Luce an. not. 90.*

Compertum est, Abraham duos habuisse filios, unum ex Agar nomine Ismaëlem, & alterum ex Sara, qui vocatus est Isaac. Huic Abraham se liberalem exhibuit, cùm bonorum omnium

nium constituit hæredem, alteri verò tam se probavit avarum, ut cum matre puerum dimiserit, nil dando nisi frustum panis & aquæ scyphum.

Gen. 21. *Surrexit itaque Abraham mane & tollens panem & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus, traditque puerum, & dimisit eam.* Isaac filios habuit etiam duos. Jacob scilicet & Esau; cùm jam autem morti proximus esset, erga Jacob liberalitatem ostendit, omnia illi bona sua relinquendo.

Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei.* Sed alteri filio tam fuit avarus & restrictus, ut ad summam paupertatem & mendicitatem redigeretur. *Frumento, vino & oleo stabilivi eum: & tibi posthac, fili mi, ultra quid faciam?*

At Jacob alium se filiis præstitit, cùm moribundus, ad se filios omnes, qui duodecim erant accersivit, & cuilibet sine ulla exceptione datâ benedictione, hæreditatem paternam æquè & liberalissimè divisit. *Benedixit singulis, benedictionibus propriis.* Quia igitur Abraham in dando tenax & Isaac in benedicendo restrictus, ideò *non regnabit in domo Abraham, non in domo Isaac, sed in domo Iacob in æternum,* eò quòd beneficus esse vellet, & apertis semper manibus ad largiendum omnibus affluenter. *Et extendens manum, dixit: Volo, mundare.* Id ni fallor, oculo prophetico prævideratCitharista Regius, ubi cantat: *Aperis manum tuam & imples omne animal benedictione.*

Titelm. in Ps. 145. Ad hæc Titelmannus: (Ostendis tu liberalitatem tuam; & donas liberaliter, benignè ac devotè quæ sunt illis necessaria, & reples omnia animalia beneficiis tuis, juxta desiderium reficis abundanter, & pascis divites, liberaliterque satias ea, & aperiente te manum tuam, de tua liberalitate recipiunt.)

Apud Philosoph. Veritas hæc & constat; *Deus & natura nihil faciunt frustra.* Certissimum etiam illud: *Omne agens operatur propter finem.* Idcircò quærunt Philosophi, quorsum fecerit natura manus, intrà quidem ad pulsum usque restrictas & media ex

Aristoteles. parte clausas, sed extrà apertas & extensas? quare non eas ex toto clausit, aut certè ex toto aperuit? Aristoteles primò respondet, ita factum esse, *ad hoc ut homo fortiùs & facilius operetur.* Equidem si homo manus habeat totaliter clausas, difficulter operari sic possit: si omninò apertas haberet, non jam in operando tam foret alacer & expeditus. Optima responsio.

Seneca tamen in moralibus aliam adfert rationem meliùs ad institutum nostrum. Sic loquitur.

Seneca. (Natura fecit animal liberale secundùm liberalitatem, non prodigalitatem.) Per manus opera designantur, & manibus elargimur munera, adeoque si foret manus omninò aperta, homo prodigus esset; si penitus clausa, avarus: ut ergo media gradetur viâ juxta præceptum Legis, *Media via est eligenda,* essetque non tenax nimium, sed liberalis, manus natura dedit media ex parte clausas, & media apertas. §. Pen inst. quib. ex caus. manumitt. non licet. §. cum ex alien. instit. de rer. div.

Nascitur mundo Christus, & videns, quia à natura parente manus accepisset etiam contractas & partim clausas. Hebræos accersit, ut defectum naturæ supplerent. Ferrum hoc sumite (inquit,) clavos acuite, & manum parte istâ mihi aperite, ut sciat mundus, non mihi sufficere, quòd liberalis sim; sed velim in largitionibus munerum esse prodigus. (Deus, dum in hæc humana descendit, crucis mortem elegit, sibi etiam manus confodi passus est, ut nihil omnino intrà manus reservare posset, sed volens nolens, omnia quæ habet largiretur.) Accedit D. Antonius de Padua. (Cùm Christus in Cruce manum extendit, & extensam clavo aperiri voluit, tunc per ipsius foramen misericordiæ thesaurum effundens, omne animal implevit benedictione.) Et S. Petrus Damianus exclamat: *O Sancte prodige! quod integrum in te natura formavit, hoc clavus aperuit.* Et ecce hodie non solùm aperit manum, sed ad leprosum extendit, ut sanitatem impertiatur: *Et extendens manum, dixit: Volo mundare.* Pinna Eth. 34. n. 3. D. Ant. de Pad. Dom. 12. post Tim. B. Petrus Damian.

O quàm sollicitè leprosum hunc curat! Vix verbo precatus est, & statim exaudit clementissimus Salvator, benignâ voce respondens, *Volo,* atque ita indilatè sanatus est. *Et confestim mundata est ejus lepra.* Ut benè notat Albertus Magnus. *Non successu temporis, sed confestim mundata est.* Et D. Chrysostomus: *Confestim multum est tardius velocitate, quæ secundum opus est facta.* Manum diutius continere non potuit, quin ad infirmum extenderet, ut gratiam largiendo, Divinæ suæ liberalitatis effectum ostenderet. In Canticis Anima introducitur, quæ cum Angelis loquens, petit ut cælestem Sponsum conveniant, & nomine ejus instanter obsecrent, ne favorem hunc neget. *Osculetur me osculo oris sui.* Currite Beati Spiritus, & meo vestroque Domino hoc meum desiderium nunciate. Alb. Mag. D. Chrys. Cant. 11.

At verò mecum hîc attendatis, velim, sequentia verba, *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Quomodo ista cohæreant post: *Quia meliora sunt ubera tua?* benè quidem, si dixisset, *ubera illius:* cùm enim jam dixerat, *oris sui,* de Sponso tanquam procul absente loquebatur; dicen-

dicendo *ubera*, quasi præsentem sponsum alloquitur.

Experientiâ constat, vocem cum sono repercuti in convallibus & locis concameratis, ubi vix prolatâ voce, ultimos accentus resumit echo & celerrimè aërem perrumpens resonat. Exprimebat Anima ardentem affectum, cùm Angelus ait: *Osculetur me osculo oris sui.* Sed Deus, ut qui purissimi amoris echo *adhuc loquentibus, ecce adest*, Sponsæ desiderio prætinùs annuit, ubi solùm proponere cœpit, ut coacta fuerit propositum interrumpere cum Angelis cœptum, & se convertere ad Sponsum, qui cùm pro magnificentia suæ liberalitatis vel exiguam moram ferre non posset, maturavit dationem supplicantis preces antervertendo, ut mirata eruperit, *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Quod ad rem expendit Bernardus: *Adhuc loquentibus illa & illis, venit ipse, de quo erat sermo; Dilectus verbis prævenit preces; imo arbitror, quod aliquando nec verba expectet, sed solis cogitationibus advocetur.* S. Bern.

Prodigus ille filius, qui pietatis refuga quò peccaret liberiùs, vivere voluit remotiùs, ipsâ insaniâ libidinis castigatus peribat, indignæ porcorum servituti addictus, & tandem fame urgentissimâ rabidus delictum agnoscit, oculos aperit, & ipsis miseriis stimulantibus edoctus involare gestit ad patrem atque tria meditatur, quibus veniam imploret, *Vadam ad patrem meum & dicam ei.* Ecquid, obsecro, dices, ad placandum offensum? Tria adferam: *Pater peccavi in calum & coram te.* Et ecce hoc primum. *Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Ecce secundum; & tertium addam: *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, eaque erit conclusio, quâ convincere parentem conabor, ut gratiam istam mereat. Luc. 15.

Pergit ergò, & cùm jam ad patrem accederet, procidit in genua, seque reputans indignum intueri vultum illum, quem temerè semel fuerat aversatus, oculis in terram dejectis confessionem orditur, & prima duo præmeditata jam proferens, *Pater peccavi in cœlum & coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus*, antequam ad tertium veniret, ut peroraret, convictus est pater (figura Dei hic) & incunctanter cùm nondum gratiam petierat. *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, præoccupat desideria, & transgreditur ejus vota. *Cito proferte stolam primam & induite illum, & date annulum in manu ejus &c.* Audite quàm benè ad mentem nostram Ambrosius confirmet his verbis: *Non addit, quod disposuerat se dicturum, fac me sicut unum ex mercenariis tuis; sed pater occurrens non contentus minora concedere, citius pristinæ filiorum dignitati restituit.*

Pendebat Dominus ligno affixus & inter sceleratissimos medius: at beatus ille latro dum patienter tulit supplicium Passionis Dominicæ comes & fidelissimus testis, videns per copiosissimos redemptionis fontes, per ruptas Divini corporis cataractas gratiarum rapidissimum fluere diluvium, non, quo, ut olim, extingerentur creata; sed quo exterminarentur prorsus delicta, gratiam & ipse postulare non dubitavit. At quid eum petivisse existimatis? fortè ut liberaretur à tormentis, aut ut mortem evaderet? Liberalitate Divinâ illectus non parùm petiit, cùm integrum regnum, *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Nimium est quod petis, mi Latro, si primâ tuâ petitione regnum velis, quid aliis vicibus postulabis? qui moderatè petit, ad facilè impetrandum plura, introitum parat: qui totum exposcit, totum crebrò perdit. Anaxarchus Philosophus non erubuit petere ab Alexandro centum talenta, & ideo reprehensione dignum credebant omnes, & ut temerarium ab Alexandro repudiandum. Econtra tamen Rex thesaurario præcepit ut centum ei talenta statim daret, Rege dignissimum hoc adderis. *Rectè fecit, intelligens se habere amicum, qui tantum dare possit, & velit.* Sed quid est quòd Alexandrum conferam cum Christo, qui rogatus, Regnum integrum dedit? *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Apud Basil. Pont. fer. 2. Dom. Palm.

Hæc per transennam attigisse sufficiat; ad ea, quæ magis ad institutum nostrum faciunt, propiùs accedamus. Perpendite, obsecro, tempus quo Latro Regnum accepisse optavit, sicut & illud quo Christus ei concessit. Rogat Latro, & ait: Satis mihi, si tum demum hanc obtinuero gratiam, *Dum veneris in Regnum tuum*, post quadraginta dies, cùm in cœlum ascendes. *Dum veneris.*

Attendite jam, quandonam dederit Paradisum. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hodie? Quorsum ea præcipitantia? O mi Latro, prodigalitati meæ injuriam infers, cùm in futurum modò postulas. Non patior moras & tarditas displicet, adeoque in futurum diem protelare non lubet. Non usque *dum venero*, sed *hodie mecum eris in Paradiso.* Et tua humanitas est, & innata modestia, ut acquiescas, si modò Paradisum ingredi detur post multos dies, sed non patitur mea liberalitas, ut vel in crastinum differam, quod hodie possum & promptè & lubenter elargiri. *Adhuc rogabat Dominum Latro* (scribit Divus Ambrosius) *ut* memi-

meminisset sui, dum venisset in Regnum tuum, & Dominus antequam venisset, jam illi Regnum cœleste tribuebat. Quam velox est Dominus! tardius est votum precantis, quàm remunerantis sit præmium.

Maturavit beneficium, & vicit petentis votum, cùm non tantum rogare sit ausus latro, quantum dedit liberalitatis, ut meritò hic dicatur: *Gratia fuit uberior, quàm precatio.* Ita Alexander petenti talentum, dedit civitatem, ipsique renuenti accipere, quod fortunæ suæ non conveniret, respondisse fertur: *Non quæro, quid te accipere deceat, sed quid me dare.* Deus meritorum nostrorum vilitatem non respicit, sed magnificentiæ suæ excellentiam attendit, ut semper desideria nostra & preces longè superet Divina munificentia.

Dionys. Carth. de regim. Princip. lib. 3. a. 31.

Sancta mater Ecclesia, quæ à Spiritu sancto directa, nunquam fallitur, ut Divinæ misericordiæ imploret auxilium, orat in hunc modum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantiâ pietatis tuæ & merita supplicium excedis & vota.* Ad quæ scribit Burgensis: [Deus ex abundantia suæ bonitatis, non solùm merita supplicum excedit, sed etiam orationum vota.] Et quomodo? [Sæpè enim plus dat, quàm ab eo petatur.] Abraham & Sara solicitè deprecabantur pro conservatione Ismaëlis. *Vtinam Ismael vivat coram te!* sed Deus, quæ ejus infinita bonitas & liberalitas, non solùm gratiam desideratam concessit, verum etiam secundam addixit, in senectute videlicet alium filium habituros. *Sara uxor tua pariet tibi filium.* Adest iterum Paulus Burgensis. [Abraham non petenti quod daretur sibi filius de Sara, sed solùm conservatio Ismaëlis, dicens: utinam Ismaël vivat coram te! Deus respondit: Sara uxor tua pariet tibi filium.] Ut verè dicatur: *Merita supplicium excedis & vota.*

In Orat. Dom. 11. post Pent.

Burgens. in script. contra Perf. Ind. c. 1. Gen. 17.

Burgens. supra.

Quid S. Moniaca tot iteratis suspiriis voluit, & tam arridentibus votis ab Altissimo desideravit? Augustini filii sui conversionem ad Catholicam fidem, nil aliud prætendit, ut ipsamet fatetur: *Quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hac vita; unum erat, propter quod immorari cupiebam, ut te Catholicum Christianum viderem priusquàm morerer.* Deus autem qui *supplicum preces excedit & vota*, plus concessit ultrò, quàm ipsa cupivit, quia convertitur Augustinus, baptizatur, fit Religiosus, deinde Prælatus Ecclesiæ, Apostolorum coadjutor, strenuus Catholicæ fidei defensor, Doctorum Coryphæus, Africæ gloria, & totius universi lumen. Audite piissimæ matris verba, quibus Dei misericordiam extollit, & munificentiam deprædicat: *Cumulatiùs hac mihi Deus præstitit, ut te etiam, contemptâ felicitate terrenâ, servum ejus videam.*

In Vita S. Monica.

S. Monica.

Refrigabatur Zacharias: neque adduci poterat ut crederet Archangelo Gabrieli, cùm in templo esset & Divinæ Majestati adoleret incensum, ideoque incredulitatis pœnam tulit factus mutus. *Eris tacens, & non poteris loqui.* Quid tum aliud à cœlo voluit venerabundus Senex, quam perditam loquelam? Sed *cumulatius ei præstitit Deus, & preces supplicis excessit & vota*, cùm non solùm reddidit loquentem, sed insuper filium dedit, quo sanctiorem numquam antè tulit mundus. *Non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit*, inquit Archiepiscopus Mediolan.

Luc. 1.

D. Amb. l. 2. in Luc.

Liberalitatis transgredi limites, esseque prodigus diceretur ille, qui longè plus daret, quàm ab eo requiratur; exempli gratiâ, si pro habenda unione pretiosissimâ mille aureos expenderet, quam tamen facilè pro centum sibi compararet.

Moritur Lazarus mendicus, & animam ejus relicto corpore comitatur in cœlum Angelorum copiosissimus numerus, Deo sic disponente. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Quorsum tot Angeli? annon ad movendos cælos unicus sufficit? nunquid solus terram invertere facilè queat? cur ergo non sufficiat, ut animam unam ad cælum conducat? Scio, & cuilibet id notum: *Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque benè.* Ut proinde summopere hic miretur Chrysologus: *Ad portandum unum pauperem, nonne unus Angelus sufficiebat?* Constat tamen, respondit ille, fuisse multos: *Vt Chorum lætitiæ facerent, gaudet unusquisque Angelus tantum onus tangere: libenter talibus oneribus prægravantur, ut ducant homines ad Regna cœlorum.*

Luc. 16.

D. Petr. Chrys.

Pirillus, ut refert Seneca, humiliter ab Alexandro decem talenta requirens, quinquaginta statim accepit. Miratus est Pirillus, & pudore suffusus, ait, egere se decem solùm talentis. Cui Alexander: *Quamquam tibi* (inquit) *qui ea talenta accepturus es, decem sint satis, mihi à quo donantur, non sufficiunt.*

Senecal. 5. de benefic.

Non est dubium, quin sufficeret unus Angelus, qui animam Lazari ad cælum asportaret, aut in Abrahæ sinum; voluit tamen Deus in Angelorum ista multitudine prodigalitatem ostendere, non minùs quàm Alexander in talentorum

adaucto numero. Notavit S. Basilius, ubi sic loquitur: *Non si pro modo necessitatis dationem commensus fuisset, decoris illius gratia adulterata fuisset: nec id qui feciſſet, satis evidenter Dominus agnosceretur, quippe qui necessitati serviisset.*

Tam bonus est Dominus, ut non modò velit esse liberalis, sed quodammodò prodigus videri. Magdalena lachrymis mixtim & precibus Christum Salvatorem rogabat, ut vel semel tantùm extensâ manu revereuter sacratissimum ejus corpus attingeret, aut certè genuflexa cicatrices solùm, quas instar cælestium siderum in pedibus coruscantes intuebatur, osculari mereretur. Salvator renuit, eamque retrogredi jussit: *Noli me tangere.* Quomodo, JESU benignissime? hîc jam totus in tuis sum laudibus, & munificentiam quàm possum ferventissimè prædico, & persuadere singulis conor eum te esse, qui non tantùm exhibet petitum, sed longè ampliùs adjicis, & antequam desideratum. Jam verò quid facis? Magdalenam video ferventer & precibus & lachrymis supplicantem: sed tamen repulsam patitur, neque impetrare valet, tametsi exiguus sit favor, quem petit. Ah! nil mirum, & hæc est causa; quia vile aliquid poposcit, nec id consideratione dignum, ideò non obtinuit, sed passa est repulsam: *Noli me tangere* q. d. Quam tibi, obsecro, Magdalena, hic in terris præstitero gratiam, quæ non intuitu prodigalitatis meæ levis sit momenti & ordinaria? velis quidem, ut complaceam, ad oscula vulnerum humanitatis meæ te admittendo; pauca & vulgaria nimis ea, quæ petis majora dare lubet, & præsto sum, Divinitatem meam offero, quâ recreari possis: sed cùm corporis velum adhuc impediat, differo solùm usque dum cælo receptus sim, ibique Divinitate meâ & humanitate frui æternaliter dabo. *Nolo ut ad me corporaliter venias, nec me sensu carnis agnoscas, ad sublimiora te differo, majora tibi præparo; cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectiùs veriùsque palpabis, apprehensura quod non cernis, & creditura quod non tangis.*

Joan. 20.

S. Leo ser. 2. de Asc. S. Aug. tr. 121.

Mortuo jam Lazaro, qui frater erat Marthæ & Mariæ Magdalenæ, advenit Salvator in Bethaniam, & inquirit locum sepulchri quo erat reconditus, statimque voce imperante ad auras vitales regredi compulit: *Lazare, veni foras*, ita ut novitate tanti miraculi stuperent omnes. Mussitabant interim Hebræi: Quomodò Christus, cùm tam sit in operibus mirabilis, & ipse sit, qui cæco visum restituit, Lazarum mori permisit? *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?* aut certè curasset infirmum priusquam moreretur. Si verò conservare eum in vivis noluit, ut quid mortuum plangit? Discursum Hebræorum describit Jansenius: *Si noluit hunc à morte præservare, cur nunc lachrymis testatur intemperatum amorem? si autem noluit, quomodo non potuit, quia præstitit, quod est difficilius?* Adest S. P. Augustin. & respondet, Christum noluisse sanare Lazarum, eò quòd ordinarium hoc beneficium esset & vulgare nimis, sanitatem reddere, sed permisisse eum mori, ut inde foret occasio tantò majorem impertiendi gratiam, quantò majus est mortuo restituere vitam, quàm infirmo perditam sanitatem. *Potuit quidem, (id est, liberare Lazarum ab infirmitate) sed noluit: quia plus est, mortuum suscitare, quàm, ne moreretur, facere.* Adstipulatur S. Joannes Chrysostomus. *Multò mirabilius & majus est, ingressam & dominantem abigere mortem, quam sistere venientem.*

Joan. 11.

Ibid.

Jansen. in hunc locum.

S. Aug. & Chryſ. apud And. Pint Ram. Anthol. 6. §. 2. n. 394.

Principes ad acceptandum munera prompti sunt: & nunquam placebit, quisquis petiturus accesserit. Antigonus Macedonum Rex ut scribit Seneca) Cynico poscenti talentum unum, respondit, non convenire istiusmodi sortis hominem, qualis erat ipse, tantum exigere, audacter nimis & indiscretè. Subdidit Cynicus, grato animo se paucum istud, quod daturus fuisset, acceptarum. Cui Rex, dedecet, inquit, Regiam Majestatem tam paucum elargiri, atque ita petentem elusit.

Alb. Pasa. ſer. 5 ſer. 5. poſt Dom. 4. Quadr. Seneca l. de benef. c. 17.

Deus noster decorum hoc, & maximè honorificum reputat, beneficia conferre, favere omnibus & bene velle.

Nescio an hactenus observatum sit à nobis, quibus verbis utatur S. Mater Ecclesia in Cantico ab Angelis in natali cælestis Regis decantato, *Gloria in excelsis* communiter dicto, ubi Reverendi Sacerdotes quotidiè pronunciant: *Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam.* Incongruè sic loqui videmur, ne dicam, extra propositum, & dicendum Deo potiùs; Gaudemus propter magnam gloriam tuam, gratias verò agimus propter favores nobis præstitos. An non absurdè faceret, si quis Pontificem alloquens, gratias ei ageret, quia Pontifex est? quis dubitat? quinimo reponendum potiùs: Lætor, & ex animo congratulor de tuis honoribus & summa dignitate. Unde sicut gratulatio respicit honores adeptos, ita gratiarum actio accepta beneficia. Quomodo ergo intelligendum; *Gratias agi-*

Eccles. in Missa. *agimus tibi, propter magnam gloriam tuam:* Mysterio non vacat, quandoquidem tantumdem sit gratias agere, propter ejus gloriam, quàm propter impensè nobis collata beneficia: gloriam enim maximam in liberalitate collocat, quia nihil ducit honorificentius, quàm promptè semper & alacriter gratias impertiri, ut benè advertit Clemens Alexandrinus: *Neque enim Deus quatenùs est natura bonus, eâ ratione est beatus, sed propriè benefaciens.*

Clem. Alex. in ser. l. 6.

Videatis ergò (NN.) an non id redundet in Dei gloriam, cùm provocamus & exoramus, ut erga nos liberalitatem exerceat, ac ineffabilem prodigalitatem.

Basil. Pontif. serm. 2. Dom. Pal. §. 1.

Cyrus Persarum Rex profligato semel hosti spolia multa detraxit, vidit forte miles inter alia optimum, concupivit & à Rege petivit. Cyrus incunctanter & non gravatè concessit, cumque jam gratias (ut par erat) referre vellet, tace (inquit Rex) meum est rependere, & obligor, quia occasionem dedisti ut forem hodiè liberalis, adeòque solùm gratias dico, sed insuper debere me, fateor.

Quam ob causam, arbitramini (NN.) Filium Dei in acerbissimo crucis ligno caput reclinasse, & pependisse *Inclinato capite* & non ad sinistram quidem versus pectus, sed ad dextram? O quàm pium mysterium? Latro Paradisum humiliter postulaverat. *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Dominus ut factis Regium titulum approbaret, confestim annuit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Existimabat Salvator magnum recepisse beneficium à latrone; & voluisset referre gratias, voce non poterat dicere, quia jam ultimum trahebat spiritum, non poterat agere manibus, quia affixæ erant cruci, non restabat nisi caput liberum, quo gratiarum actionem innueret, atque ideò caput inclinavit versus latronem, ut sic, meliori quo poterat modo, gratias exhiberet, quòd per illum, adhuc in extremo illo puncto, liberalitatis excessum ostendere potuisset.

Ioan. 19.

L. 2. c. 18. de regim. princip.

Docet Ægidius Columna prodigalitatem emendari posse, non avaritiam. *Prodigalitas est curabilis, avaritia non.* Verificari hoc possit in homine; sed tamen Redemptor noster, ad ultimum usque vitæ instans prodigalitatem operibus demonstravit, eamque ut sibi propriam retinuit, donec mors separaret. Prodigiosa multa, non minùs quàm mysteriosa contigerunt in ejus morte: obtenebratus est sol, petræ contritæ, velum templi scissum, monumenta aperta, mortui resuscitati, & quod signatè notat S. Matthæus: *Terra mota est*, in tantùm ut Hebræi *viso terræ motu timuerunt valde.* Tetræ motum expendunt Doctores, & varias ejus rationes assignant. Aliqui ideò factum esse volunt, ut sic adimpleretur Prophetia Davidis: *Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt & commota sunt.* Aliter Jansenius: *Terræ motus* (ait) *significabat orbis innovationem & novum mundi statum ex Christi morte proventum.* Theophilactus ex hoc terræ motu, commovendos esse peccatores ad compunctionem & detestationem peccatorum advertit. *Significabat terrenos homines ex Prædicatione mortis Christi commovendos ad pœnitentiam.* Rupertus Abbas opinatur, terram tremuisse, non tremore aliquo timoris, sed timore potiùs reverentialis; quia nempè receptura jam corpus mortuum Salvatoris, purificari priùs voluit, pulveres excutiendo. *Receptura Deum, pulverem de me excutio, ut sibi paratam domum inveniat.* Accedit D. Hilarius: *Movetur terra, quia capax hujus mortui esse non poterat.* Terra maledicta olim fuit propter peccatum hominis: *Maledicta terra in opere tuo.* Tempore Passionis re benedicta aspersione Sanguinis Christi, ideò in signum lætitiæ non tam tremere visa est, quàm præ gaudio exultare.

Matt. 27.

Psal. 17.

In conc. Evang. c. 144.

Apud eundem ibi.

Gen. 3.

Crediderim tamen ego terram contremuisse, ut Christus ultimum prodigalitatis posse exprimeret: q. d. Ad redemptionem humani generis abundè sanguinem meum effudi; unicè jam optem videre, an fortassis adhuc guttula restet: & sicut spongia manu comprimitur ad eliciendam aquam, utinam sic possim manibus hoc meum corpus premere, ut stillam adhuc sanguinis (si vel tantillum supersit in corpore) extorqueam, sed nec id mihi liberum, cùm ligatæ sint manus. Tremat ergo terra, & mons hic concutiatur, ut una crux hæc, in qua pendeo, collidatur, & sicut rapidioris venti impetu agitantur arbores, ita, ut fructus dejiciantur, sic tetræ motu corpus hoc allidatur, ut si sanguis adhuc modicus in venis lateat, agitatione istâ ceu torculari expressus defluat. O quanta est, & nimia Domini mei prodigalitas! [Attendamus autem hoc mysterium. Factus est terræ motus magnus, quo terræ motu valdè agitatus est mons Calvariæ, concussa crux, simulque concussum Christi corpus à sanguine exhaustum est.]

Aschar. Mart.

Et cùm in monte Calvariæ sum, priusquàm abscedam, liceat iterum Dominum meum crucifixum

cifixum intueri, eumque pendentem contemplari, dum *Inclinato capite emisit spiritum.* Varii sunt sanctorum Patrum conceptus, & ferè tot piæ sententiæ, ut gestum hunc moribundi ad vivum delineant. Sæpè contra mortem gloriosè luctatus est Christus, & semper devicit. Indictus est tandem conflictus ultimus in monte Calvariæ: sed hic mors timore dejecta, duellum abhorret. Vidit ergo trepidantem Salvator, utque animos adderet, manibus accersere voluisset, sed utraque cruci affixa clavis: neque etiam obviam ire jam poterat, utpotè pedibus similiter impeditis: vox ad clamandum defecerat. Solum caput ei manserat libetum, ut annueret, & ad certamen invitaret. Caput itaque inclinavit, ut mortem alliceret, & provocaret ad pugnam *Inclinato capite.*

Io. Bapt. Mar.

China la testa e'l suo timore, affida
E licenza le de che lei l'uccida.

D Athan. q. 76. ad Antioch.

Advoco sanctum Athanasium, testantem his verbis, attendite: *Mors metuens, appropinquare non audebat: ideo Christus inclinato capite vocat eam: antequam enim inclinasset, prope accedere verebatur.*

Hugo de S. Charo ibid.

Hugo de S Charo sic interpretatur: Inclinabat caput versus terram, quasi ut etiam aures inclinatet ad audiendum, an supereffet aliquis, qui ante decessum ejus ex hoc mundo, favorem exigeret *Vt ostenderet* (ait illis) *quod porrectas aures habebat & inclinatas ad audiendum preces humilium.*

Aut etiam intelligi possit *Capite*, non ut venit à nomine *Caput capitis*, sed à verbo *Capio capis*, quasi tacitè sic inviter: Fructus ego uteri virginalis: en quàm pulcher & suavis ex arbore vitæ dependeo, sed alta nimis. Ecce ramos flecto, caput inclino, venite omnes qui laboratis & esuritis, capite ad libitum, & decerpite.

Io Bapt. Mar.

Frutto dulce, è divino
Di ventre virginale
Pendo da questa pianta alma, è vitale.
Ah son troppo alti i rami, è non potete
Raccor mi alme felici,
Ecco m'inchino,
S'a la vostra gran fame esca chiedete,
Cogliete mi, cogliete.

Platina in vita Leonis 9. apud Carthus. l. 12. h. 3.

In Partibus Italiæ inventa est à Laurentio Guiscardo statua ænea, & in circulo capitis hoc inscriptum: *Kalendis Maii, orto Sole, aureum caput habebo.* Saracenus quidam artis magicæ peritus, umbram capitis observavit, Kalendis Maii ad ortum Solis, & thesaurum reperit.

Christus in ligno crucis pendebat rectè, cùm Sol perpendiculariter stabat super caput ejus, quia *Erat hora quasi sexta*, ita ut caput inclinans ad partem dextram, fieret etiam umbra ad istam partem. Legit Longinus istas litteras J. N. R. J. id est, *Inquire Nummos, Reperies Intus.* Date, inquit, ferrum, adferte lanceam, conabor hic thesaurum effodere, & lanceâ aperuit sacratissimum Corpus, ea in parte, quà rectè prominebat umbra. *Vnus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* Inclinat ergo caput, ut actum prodigalitatis exhibeat, volens indicare locum, ubi latet thesaurus, pretium scilicet sanguinis & aquæ, quo Christus suos emit. Unde Poëta Italus: *Ioan. 19.*

Lancia Lancia soave
Lancia non gia ma chiave,
E si apprioche chesoro
Tesor' ch'acqua ha d'argento, è sangue
d' oro.

[Sanguinem, ibi velut in secretiori corporis parte reconditum, nobis quoque exhibere volebat: locum illum clavus non perforabat, spina non pungebat, & flagellorum sectio non aperiebat. Lanceæ igitur ictui paratur locus, vocat Christus militem, quasi dicat, occultum in morte sanguinis thesaurum nondum invenit impius persecutor.] Ut flamma cùm ad interitum vergit, magis splendet, ita Redemptor noster verum lumen vitæ, antequam extingueretur, maximè tunc liberalis apparere voluit inclinando caput, & factâ umbra locum innuendo, in quo divitiæ ejus reconditæ invenirentur. *Alph. Car. Pallut. tr. de Pas. Dom.*

Non hic omittenda est Divi Bernardi pia meditatio, ad verba *Inclinato capite.* Dederat in ultima cœna Salvator corpus & sanguinem Discipulis sub speciebus panis & vini consecratum: dederat flagellis membra, sanguinem in propria specie peccatoribus, corpus patibulo, caput spinis, pedesque clavis, Paradisum Latroni, Joannem Matri, Matrem Joanni, Spiritum Patri, vitam morti, vestes militibus, visum Longino: tandem cùm nihil aliud restaret dandum, caput versus pectus inclinavit: *Inclinato capite.* *Ioan. 19.*

Sol per veder se à d' ar altro gli resta,
China al petto la testa.

Exclamat ergo Bernardus: *O quàm munificus factus es, O bone* JESU! *quàm large omnia qua habuisti, tradidisti! Latroni Paradisum, Filio Matrem, Matri Filium, mortuis vitam, manibus* *S. Bern.*

nibus Domini animam, toti mundi signa potentiæ tuæ.

Magnificè se jactabat olim Marcus Lucius, quòd adeò fuisset in dando effusus & liberalis, ut factus egenus, solitus esset dicere, nil sibi reservasse *Præter cælum & cœnum.* A fortiori asseramus de Christo, jure & meritò posse eum gloriari de prodigalitate, qui nec cælum retinuit, sed latroni precanti addixit.

Nemo hic Darii liberalitatem deprædicet, quòd pro oblata veste maximos proventus refuderit. Scio quidem: Cimon Miltiadis filius in bellis spoliatur ab inimicis, reportata militibus omnia distribuit, hoc solo contentus, quòd haberetur erga milites liberalis. Titus Vespasianus nullum sine muneribus remittebat, imò etiam subditos ultrò ad petendum provocabat. Antonius Pius quidquid possidebat, militibus elargitus est & amicis. Cleopatra Ægypti Regina, Marco Antonio liberalem se probabat expendendo in cœnâ unâ scutorum ducenta & quinquaginta millia. Nero plus incensi consumpsit uno die, quàm fertilis Arabia integro anno produceret: ille idem brevissimo tempore divitias omnes dilapidavit, quas ei Tiberius reliquit? & (si Tacito credimus) centena millia in largitione munerum absumpsit. Nemo, inquam, de illis jam memoret, quia prodigalitas illorum dicenda erit citiùs parcimonia: si cum liberalitate Dei maxima conferatur.

Siste, Pater, ut verbo interpellemus. Deum non modò liberalem prædicas, sed tam esse prodigum, ut plura det, quàm desiderare quis nostrûm possit. Quomodò id credemus, quia contrà experimur, eò longè minora præstare, quàm bene vellemus accipere. Dives sum (loquitur nobilis) Deo gratias debeo, pro tanta erga me benignitate: sed complures annos doloribus podagræ intensissimis crucior, lecto affixus dies & noctes urgeor, millies Deum ardentibus votis rogavi, neque tamen potui sanitatem recuperare. Ego (inquit Artifex) valeo optimè (quæ Dei gratia est,) sed paupertas mea intolerabilis est, multâ prole jam gravor, assiduò laboro, & victum lucrari neutiquam valeo: Divinæ Majestati statum miserrimum commendo, opem imploro, & tamen ad mendicissimum cogor, & nunc paupertor, quàm unquam fui. Ego (allegat Dives ille) ingentia à Deo beneficia accepi, Divitiis abundans & plenâ sum sanitate: at à tam multo jam tempore non desino precari, ut filium habeam, neque hactenus potui exorare. Quis ergo de Deo tunc credat, tam esse prodigum, ut nedum postulata largiatur, sed etiam desiderata muneribus vincat? Attendite, ergo, dicam ego, bifariàm respondendo.

Primò, Adesdum nobilis: Deus tibi sanitatem non impertitur, quia prævidet fore ad animæ tuæ perditionem, & ideò non exoras. Neque tu, qui Artifex es, à Deo petitum obtines: scit enim ipse, quia si divitias concederet, iis usurum te potiùs ad peccandum graviter, quàm ad animæ salutem procurandam. Non te exaudit. *Ne in superbiam elatus, prorumperes in illam superbiæ vocem: Quis es, Domine?* Tibi, Dives, filios non suscitat, ne cùm jam haberes, dissiparent substantiam, dissolutis viverent moribus, & quasi non esset Deus, scelus omne patrarent, afflictionem adderent afflicto, & eò miseriarum tandem redigerent, ut desperabundus ipse occumberes. Si stultus à te gladium petat, nunquid recusas, veritus ne abutatur & offendat? Indubitatum est. Deus in gratiarum erogatione, utilitatem attendit, non propriam nostram voluntatem. *Oleaster in c. 11. Gen.*

Secundò. Quid est quo magis Deo displiceas, & in quo magis offendere possis, quàm quòd non obstante, quòd peccatis enormibus scateas, & quotidie accumules, repentè propitium eum velis & munificum? Verè tetigit Salvianus: *Quantum ab eo beneficiorum accepimus, tantum ei injuriarum repensamus.* Meritò te ficui comparem, quæ arbor, ut scribit Theophilactus, *Quantò magis irrigatur, eò magis sterilis fit.* Quò largiùs aquam beneficiorum Deus in te effundit, eo magis degeneras, cùm in te culpa redundet. Deus, quantum de se est, numquam dixerit *Nolo*, sed promptissimè semper, *Volo.* Nunquid in Evangelico leproso ostensum? sanitatem à Christo petivit. *Domine, si vis, potes me mundare*, non respondeat ei Salvator: *Nolo*, sed *Volo, Mundare & confestim mundata est lepra ejus.*

Desideratis, ut quoties à Deo gratiam quæritis, infallibiliter respondeat *Volo*? quando à vobis petit vicissim, ne quis dicat *Nolo.* Et si hactenus malè, à vobis actum dicendo *Nolo*, deinceps corrigite, & reponat promptissimè quilibet, *Volo.* Experiar modò: unicum hoc peto, an ut pauperum miseriæ succurratis, eleemosynam largiri quisque velit? Vos respondere in favorem egenorum & dicite singuli, *Volo* Ego ad alteram partem eo.

PARS SECUNDA.

EX plurimis Evangelii hodierni locis conspicua fit Divina prodigalitas, sed specialiter eam indigitat Leprosi supplicatio. *Domine, si vis, potes me mundare.* Ubi notetis, velim, hîc aperuisse solùm infirmitatem, nondum requisivisse remedium: non enim dixerat: *Munda me, sana me, cura me.* Quia tam benignus est Christus & liberalis, ut indicasse sufficiat, nec opus sit postulare subsidium. Infirmabatur Lazarus, neque sine mortis periculo, ita ut angerentur sorores ejus Martha & Maria Magdalena, atque statim expediverunt litteras ad Christum hujus tenoris: *Ecce quem amas, infirmatur.* Lazarus frater noster & amicus vester tam singularis malè dispositus est, & periculoso morbo laborat. Quid ita petitis, Filiæ? vultis fortè, ut is, cui tradidistis litteras, nomine vestro roget illum, ut veniat ipse, & sanitatem fratri restituat? addidisletis potius verbo in litteris: *Veni ad sanandum eum*: gratiam quæritis, & piget eam exposcere. *O sanctæ mulieres* (ait Bernardus) *si fratrem amatis, cur Dei misericordiam non efflagitatis?* Noverant illæ, quanta sit Christi prodigalitas, cui satis est, necessitatem proponere, neque addendum aliud, quàm *Ecce quem amas, infirmatur*, & faciat ille pro beneplacito. S. Augustinus nobiscum hic observat: *Non ausa sunt dicere: Veni & sana: non ausa sunt dicere: Ibi jube & hic fiet. Amanti enim Christo tantummodò nunciandum fuit.* Consonat etiam Cajetanus, (Sciunt, non oportere ab amante petere, sed significare sufficit necessitatem: & præterea non explicitè petunt, Sana eum, sed solùm significant ægritudinem.)

Ioann. 11.

Tr. 49. in c. 11. Ioan.

In cap. 2. Ioann.

Suborta est in nuptiis in Cana Galilææ confusio, quia defecerat vinum. Advertit MARIA ministros murmurantes & inquietos, viditque hydrias sex evacuatas, & turbatos illos maximè, eò quòd nescirent quid facturi essent, ne defectus ille tam notabilis convivis innotesceret. Ad filium accessit, & extensâ dextrâ innuit, voceque submissâ in aurem ei dixit: *Fili, vinum non habent*, atque ita statim subticuit. Quomodò, benignissima Mater? vides, in angustiis versari, & non commiserescis? Filio suggere, ut miraculum patret, ut vinum habeatur in nuptiis, & sic vitetur confusio. Acquiescite vos (ait gloriosa Virgo,) necessitatem insinuavi, & satis est. Adest Ludolph. Carthus. (Solùm insinuat defectum nihil petens, sciens quòd amanti sufficit, solùm insinuare necessitatem absque ulla petitione. Unde non dicit: Da eis vinum sed in liberalitate Filii & misericordia spem ponens tantùm defectum proponit.) Confirmat Ægidius Columna (Dum iteratò in Cana Galilææ Filium affatur pro vino, ut confusionem nubentium præveniret, rogatura, non ut Mater Filio imperavit, non importunas preces porrexit, sed voluit humilis ancilla, rogare non audens, tantum defectum insinuare, dicens: Vinum non habent.)

Ioann. 2.

De mut. aq. in vin. c. 24.

In salut. Angel.

Et hoc observandum est: sanato jam leproso, statim rogatus est Christus, ut servum febri ardentissimâ oppressum liberet: ipseque incunctanter condescendit, & absque ulteriori petitione gratiam indulsit. *Et sanatus est puer in illa hora.* Hoc ipso indicans, se nunquam in conferendis beneficiis defatigari, & statim ac uni benefecit, obligari diceremus, ita festinat ut denuò faveat alteri. Huc voco S. Fulgentium: *Suâ largitate dignatus est facere debitorem, non quia indigens ab alio acceperit, sed quia abundans largiter tribuit.* Subdo verba Pelagii Pontificis: (Divina beneficia gradibus semper ascendunt, & quibus bona conferuntur, meliora pollicentur: semper enim incrementis ad culmen ascenditur, ubi supremus favor præstat exordium.)

Matt. 8.

Pelag. 2. ad Epis. Ital. t. 2. Concil.

Populo Israelitico maximum hoc à Deo beneficium. Pluit manna de cælo, eoque pascebantur omnes, eâ tamen lege, ut *colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, & nullas relinquat ex eo in mane.* O quanta est hæc Dei parsimonia! *Quantum sufficit.* Jussisset potiùs: *Colligite quantum vobis placet.* Respondet Oleaster: (Non est parcus Dominus: sed quia novit, quæ mala abundantia pariat, voluit nos ad mensuram suis uti bonis: neque tamen ad mensuram panem de cælo descendere fecit, sed in maxima copia? voluit tamen ex copia nos solùm, quæ necessaria sunt, sumere, ut discamus etiam in rerum affluentia servare modestiam & parcitatem.) Sed major adhuc difficultas manet, cur scilicet præceperit Deus sub pœna indignationis incurrendæ, ne quis asservaret manna in sequentem diem. An non prudentiæ est, in futurum custodire, quod pro præsenti superfluum? & tamen quisquis præceptum illud transgrediebatur, postero manè corruptum inveniebat manna corrosum & conversum in vermes. Adest iterum Oleaster & cum Fulgentio respondet: Moyses optimè noverat Dei genium, adeoque credebat firmiter, Deum, qui populum cibaverat hâc die

Exod. 16.

Oleast. ibi.

cælesti

cælesti mannâ, crastinâ nil minus facturum. (Maxima est hominis erga Deum diffidentia (verba sunt Oleastri) ut semper putet necessaria sibi defutura: & adeò asservare vult, quod sibi putet defuturum. Fide, quòd, qui hodie dedit, dabit & cras.) Quàm benè asseruit S. Fulgentius: *Ecce qualis est Dominus, ut donando debeat, & quantò magis donat, tantò magis eum debitorem esse non pigeat.*

Vbi suprà.

Rachel Patriarchæ Jacob uxor sterilis, Deum quanto poterat affectu obtestabatur, ut ei filium daret. Obtinuit, *Dominus exaudivit eam*, peperit vocavitque filium Joseph, *Et vocavit nomen ejus Ioseph.* Cur Joseph? nomen istud Hebraicè sonat *Iasaph*, id est juxta Oleastrum, *addere, augmentum, accrescens additio*, q. v. d. Deus filium hunc mihi dedit, indubiè plures addet. *Ioseph accrescens.* Unde etiam ait ipsa: *Addat mihi Dominus filium alterum.* Audiatur hîc Benedictus Ferdinandus: (Ea solet esse regia munificentia Dei, ut unum concessum beneficium, datorem ipsum ad alia subinde conferenda invitet, compellatque.)

Gen. 30.

In Gen. ad litt.

Paradoxum videri possit, quod ultimum adfero. Tam liberalis est Dominus noster, & sui diffusivus, ut si (quod impossibile est) eodem tempore ipse & homo in extrema necessitate versarentur, ut homini daret & succurreret, sui oblivisceretur, & se ipsum exponeret. Refert Sacer Textus, quomodò Lucam & Cleopham euntes in Emaus comitatus sit sub peregrini specie Christus? Castellum ingressi, urgente fame, cœnaculum petunt, ubi mensa fuit extructa? sed pro tribus non erat nisi unicus panis, quem appositum benedixit incognitus Salvator, & in duas partes divisit. At verò si tres mensæ assederant, quomodo solùm duas facit partes? Cogetur illorum unus incœnatus cubitum ire. An! inquit Christus: si modò vos comedatis, satis superque habeo, nec pro me aliud velim. Comedite obsecro. *Accepit panem, & benedixit ac fregit & porrigebat illis.* Notate verbum *illis, non sibi.* Unde concludit Durandus, & cum eo Salmeron: (In Emaus fregisse panem, sed non comedisse legitur. Adimit sibi panem de ore, ut Discipulis provideat.

Luc. 24.

Athenienſium Princeps (de quo Plutarchus) liberalissimus munificentissimusque fuit, adeò ut muros & sepes horti dejecerit, ut foret omnibus licitum accedere, & fructus ad placitum colligere: fecitque ut in palatio mensa sterneretur, essetque semper apparata pauperibus & peregrinis. Fortassis quia monet Chrysologus: *Dando pauperi, das tibi: quia, quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solùm, quòd pauperi dederis, hoc habebis.*

Ap. Bald. Ponce §. 2 fer. 2. Dom. Palm.

Ser. 41.

At verò Christus, ut fructus divinorum beneficiorum omnibus affluentur distribuat, evertit muros parsimoniæ, pandit ærarium cælestis thæsauri, semper extructam habet mensam supernæ gratiæ, oblatam omnibus accedere volentibus. Neque hoc satis: ultrò ipse venit & sponte propriis exhibet manibus. *Et extendens manum, dixit: Volo, mundare.* Petite ergo non vana, non transitoria, sed vera & substantialia: gratiam petite, quâ mereamini æternam assequi gloriam.

***

DOMINICA

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

ARGUMENTUM.

Apostoli Iudam habentes socium in navi, periclitantur, & timent naufragium : nam ut viro probo tranquillitas, ita ab improbo exoritur sæva tempestas, & quod mali perpetrant, boni luunt. Peccat unus, & puniuntur multi. A peccato veluti à fœcundissima calamitatum vena tota hominum infelicitas, & omnia promanant mala.

THEMA.

Ascendens Iesus in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.
S. Matth. cap. 8.

DEum non esse justum, quis audeat asserere? Justissimum eum esse non leviter credo, sed tam constanti fide teneo, ut potiùs sanguinem effunderem, & vitam millies darem, quàm de veritate hac dubitarem. Axioma hoc certò constat, esse illam ipsam justitiam in abstracto, sine qua Deus non esset. Idcirco fatetur Propheta Jeremias: *Iustus quidem es tu Domine.* *Ierem. 12.* Et Psalmista: *Iustus es, Domine, & rectum judicium tuum. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua.* *Psal. 118.* Explicat Ordinis Carmelitici celeberrimus Scriptor in Psalmos: (Quomodò enim injusta possint esse divina judicia, quorum omnium causa est divina voluntas, quæ nec fallere, nec falli potest? Si quando ergo adversis humiliamur & percutimur, etsi causam ignoramus, tamen cognoscamus, quia judicia Dei super nos sunt justa. *Michael à Bonon. in Ps. 118. n. 2148.*

Ecquis vestrûm (NN.) ignoret, eas esse partes, ut castigetur reus, non innocens: pœnas luat delinquens, & non insons. *Negligentia unius* [habet lex] *alteri nocere non debet.* Compertum est tamen multoties, crimina perversorum luere justos, & quia malus peccavit, bonos puniri. Peccat David, & filius innocens antequam de Bersabea natus, criminis reus ad mortem condemnatur. *Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Annotat hîc Salvianus: (Præter pomum acerbæ orbitatis, etiam hunc addi pissimo Patri intellectum summi supplicii. Deus voluit ut dilectissimo filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret, cum utique natum ex crimine puerum, crimen ipsum occideret, quod creavit.) S. Aug. *Crimen patrum mors filiorum.* Etiam in initio mundi, peccati pœnas fert terra, & maledictione mulctatur. *Maledicta terra in opere tuo.* Adamus legem violat; & habenas appetitui permittit: neque tamen ipse nefariæ appetitionis pœnas sustinet, sed patitur humus alieni criminis tormenta. Miratur Oleaster, & ait: *Homo non maledicitur, sed terra propter eum.* Ad Evangelium præsens eamus.

L. Iniqui ff. de jur. & fact. ignor. *L. Non deb. ff. de reg. jur.* *2. Reg. 12.* *Lib. 2. de prov. Dei.* *L. 1 q. 13. nov & vet. test.* *Gen. 3.* *Ibid.*

Ascendente JESU *in naviculam, secuti sunt eum Discipuli ejus.* Quid inde evênit? *Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Ecce subitò fluctus in discipulos *Matth. 8.*

los armatur, elati venti sonitu horrisono aures diverberant, fragor animos percellit, rudentes collabuntur, ac denique inusitata tempestas minatur per momenta naufragium. Quid hîc faciant omnes indubiè perituri? ad portum in scapha dormientem refugiunt, Dominum excitant qui ventis imperat, & mari, voces ingeminant, *Domine, salva nos, perimus.* Videte, obsecro, in quanto vitæ discrimine versantur Apostoli, propter unum peccatorem Judam. Regula tamen est juris. *Vbi nulla subest culpa, ibi & pœna nullus potest esse relictus locus.* Hoc ipsum lex divina confirmat? ut meritò dixerit S. Antonius de Padua: (Nunquam Deus infert punitionem, nisi priùs peccator committat transgressionem.

L. Aliud 131. D de verb sig. L. Sanc) 22. C. de pœnis.

Fer. 4. Dom. 4. Quadr.

At ubi tunc justitia viget, cùm propter unum perversum tot patiuntur boni? Iniquissimus tamen ille sit, qui Divinam justitiam arguere tum præsumat: qui injustus non est, quomodò injustitiam ille committat? Deus æquissimus Judex & pientissimus pater. Apostolos omnes periclitari permisit propter unicum malum: & non tatò legimus factum, ut pro peccatore passus sit innocens, & ob unius delictum, plures boni tulerint supplicium. *Vnius delicto cunctorum merita quatiuntur,* (scribit D. Ambrosius.) *Sic igitur minus Iudæ peccato cuncti periclitantur Apostoli. Et ita concludit: Caveamus igitur, ne per unum omnes fluctuemus.* Argumentum hoc meum erit quod si tenui & exiguo meo sermone non satis probo, ex S. Scripturæ eventibus variis evidenter demonstrare contendo. Animis & auribus favete.

Serm. 11.

PARS PRIMA.

C. Sine culpa, de R. I. in 6. Si putator. ff. ad l. Aquil. Ioann. Gal.

SI benè leges loquuntur: *Sine culpa nullus est puniendus.* Et tamen hominis improbi malitia est, ut etiam in bonos redundet pœna. Ut verè scriptum sit.

Sæpè aliquis nebulo patrato crimine fecit,
Ne fortè ulla fides, aut locus inde bonis.

Quod videndum modò in tribus generibus creaturarum, in vegetabili, sensibili, & rationali.

Armis inimicorum fugatus Saul, pulsúsque, & deleto exercitu jam desperans, manus sibi intulit, & ense proprio vitam ademit. Amalecita fortuitò transit ad funestum hoc spectaculum in monte, & consternatus est, videnſque Saulem Regem esse Davidis infensissimum hostem, coronam ei regiam de capite abstulit, scutum de brachio, & læto atque alacri animo festinus ad Davidem attulit nuncia, præmia sperans, eique coronam regiam & scutum, veritatis indicia ostendit, ut occidisse crederet.

Non jam expendam, quàm tristis fuerit David & conturbatus accepto funesto hoc nuncio, non quomodò occidi jusserit Amalecitam, sed hoc unicum ob oculos ponam, quomodo, tactus dolore, intimè execratus sit, & montes Gelboe maledixerit, ibi precatus ne deinceps rore cœlesti irrigaret, ut sic plantæ accrescentes, cessante pluvia steriles redderentur, ne fructus aut folia producerent, herbæ virides & flores non pullularent. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Quis hic non miretur (NN.) & stupeat? quid delictum est à plantis, herbis, floribus & ipsis montibus in occisione Saulis? Si malè precatus esset exercitui, à quo devictus est, aut Amalecitæ, à quo occisus, ut ipsemet nunciat: si maledixisset quercum illam, quæ fugitivum Absalonem crinibus illaqueavit, tenuitque suspensum usque dum supervenientis Joab tribus lanceæ ictibus perfoderetur, excusari aliquatenùs potuisset: at quid fecit illa montium Gelboe viriditas? *Quid ergo montes Gelboe Saul moriente deliquerunt?* (petit D. Gregorius) *quatenùs in eos nec ros, nec pluvia caderet, ab omni eos viriditatis germine sententia sermo siccaret?* Crediderim hoc à Davide intentum, ut pro delinquente reo innocens puniretur. *Aruerunt montes prophetico maledicto* (loquitur Ambrosius) *& Divina vis sententiam maledictionis implevit. Itaque pro Regia necis spectaculo pœnam elementa solverunt.*

2. Reg. 1.

D. Greg. lib. 4. mor. c. 3. & 4.

S. Ambr. 3. Offic. c. 9.

Ad evidentia & à genericis ad specifica veniamus, & cùm de plantis ac arboribus cœptus sit sermo, ad fici maledictionem attendamus. Egressus Bethaniâ Salvator versus Hierosolymam, vidit in via arborem fici, & dextrâ extensâ minatus est, & maledixit. *Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Et, ut advertit S. Matthæus Evangelista, *arefacta est continuò ficulnea.* O quantum hoc plantæ infortunium! in quo ergo defecit, aut Christo displicuit? quòd non jam haberet fructus, non mirum: quia, ut notat S. Marcus, *non erat tempus ficorum.* Et si istam ob causam, ut quid excepit alias plantas, quæ omnes etiam sine fructibus? erat enim (ut dixi) summa hyems. Respondet Venerabilis Beda: (ut ostenderet plebem

Marc. 2.

Matt. 2.

Beda in Caten.

Judæorum propter folia, id est, verba justitiæ, quæ habebat sine fructu, id est, sine bono opere non posse salvari: sed scindi & in ignem mitti) Valdè benè: manet tamen difficultas, cùm non ita factum aliis plantis. Chrysostomus alteram dat rationem: (ut Discipuli intelligerent, ipsum posse, si vellet, ulcisci persequentes se Judæos & proinde ipsum non pati invitum) Ita etiam Theophylactus. Volens ostendere Discipulis, quod si vellet hos, qui crucifixuri erant ipsum, in momento posset extirminare.) At verò frustrà tum istud miraculum: siquidem eum credebant verum esse Dei Filium, adeóque omnipotentem: præterea dicit Jansenius rationem illam secundariam esse & accessoriam: poteratque Discipulis Christus facilè multis aliis modis omnipotentiam manifestare, quàm arefactione infelicis hujus plantæ. Aliud ergo asserendum superest.

D. Thom. c. 9. Mar.

D. Chrys. apud Jans. c. 113.

Jansen. ibid.

Pace dixerim, & veniâ tantorum virorum: nemo illorum, meo judicio, melius difficultatem totam exhaurit quàm S. Athanasius. Transiens Salvator ante arborem fici, recordatus est, quomodò in Paradiso terrestri Adam & Eva videntes se esse nudos (qui effectus peccati est) abstraxerint è ficu frondes ut iis nuditatem absconderent. *Acceperunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Unde didicerunt peccatores aliqui culpas obtegere & frivolis excusationum foliis palliare, quod abominabile coram Deo est. Cùm ergo in mundum ipse veniisset, *ut destrueret peccatum*, teste Apostolo, *arefecit operculum peccati, hoc est, folia ficûs.* Quid tamen mali egit hæc arbor? an fortasse ulcisci volentem impedivit? an quia ejusdem est speciei? Ista certè non ita gravia sunt, ut ideò tam acerba incurratur maledictio. Sanctus Anselmus aliam non invenit rationem, quàm ut vel inde perciperet homo, multoties etiam in vegetativis dati experimentum, quomodò pro peccatore non rarò plectatur innocens. Verba S. Anselmi adfero. (Inter alias causas, cur Deus arborem non fetentem fructum ariditate percussit, hanc assignat Divus Athanasius: quòd Adam post transgressionem accepit folia ficus, quibus nuditatem suam obtexit: cùm autem Christus destrueret peccatum, illudque deleret, & in cruce crucifigeret, arefecit operculum peccati, hoc est, folia ficus, quibus Adam tegebatur post peccatum.)

Gen. 3.

Rom. 6. Hec. Pint. in Ezech. c. 18.

D. Ansel. apud Hec. Pint. sup.

Progrediamur ad creaturas sensibiles, non rationales. Deus in creatione Universi, quarto die ex nihilo produxit pisces maris & cœli volucres. *Producant aqua reptile anima viventis, & volatile secundùm genus suum. Creavit cete grandia, & omnem animam viventem atque notabilem, & omne volatile secundum genus suum.* Quid postea? *Benedixitque eis, & ait, &c.* Sexto verò die creavit animantia terræ, *Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, jumenta & omne reptile terræ in genere suo.* Attamen non benedixit. Undè disparitas ista tam partialis? nunquid omnes æquè sunt creaturæ Dei? an fortè commiserunt delictum? quomodò, si vix procreatæ jam erant? Audite, quàm bene Glossa Ordinaria exponat. Inter animantia, quæ die sexto producebantur, erat & serpens, pauco pòst tempore à Deo maledictione plectendus? unde ne etiam in illum caderet benedictio, reliquis eam non impertivit. *Fortè animalibus sextæ diei non benedixit, quia interea erat serpens, cui pòst paulùm erat ipse Deus maledicturus.*

Gen. 1.

Gen. 1.

Gloss. Ord. ad lit.

Deum pœnituit creâsse hominem, & de eo questus est cum amico suo & fideli servo Noe. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Multa nimis sunt, horrenda ac nefanda hominum scelera: & connivere diutiùs nec possum, nec volo. Numquam credidissem ita pessimè mecum acturos mortales: sed polliceor, pro modo culpæ, supplicia ferent: aquarum diluvio mundum universum submergam. *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ.* Hinc cum Divo Ambrosio satis colligimus, quanta sit peccati enormitas. (Ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam, tanquam eò usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut irâ, aut odio, aut passione ullâ provocatus videatur ad iracundiam) Hoc bene quidem, sed quod magis mirari me facit, quòd nec animantia supplicium ultionis evadant. *Ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cœli.* Stupendum est? fateor, nisi Deus, legisse recordor, & prædicâsse sæpiùs, justum te esse, & juxta cujusque meritum præmia largiri, & addere pœnas pro gravitate delicti. Nihil frequentiùs asserui, quam immunem eum esse à pœna qui vacat culpâ: at modò cogor dicta retractare & contrarium ostendere, cùm animalia videam non commisisse delictum, & tamen eodem puniri supplicio: non obstante, quòd lege statutum sit: *Pœna non debet extendi extra suum casum.* Ut sit, volo, inquit Deus, ut diluvium sit universale, & simul cum delinquente castigetur innocens, sitque eadem, quæ transgressoribus, inflicta etiam animalibus

Gen. 6.

D. Amb. de Noe & Arca. c. 4.

C. Pœna de pœn. dist.

animalibus pœna. (Etiam irrationales creaturæ (dicit Justinus Martyr) propter peccatum hominis flagellantur à Deo, quæ propter hominem creatæ sunt.] Adest & confirmat Divus Johannes Chrysostomus: (Ita pœnam communem ferunt, ut pœnæ gravitatem addiscatis, Et sicut ab initio mundi, cum peccavit protoplastus, terra maledictionem accepit! sic & nunc, cùm abolendus esset homo, bruta quoque cladis socia fiunt)

Iustin. Mart. quæst. ad Orthod. apud Th. Beaux. tom. 1. c. 1.

S. Ioann. Chrysost.

Si itaque peccatum tam sit malignæ naturæ, ut ad pœnas pertrahat creaturas insensibiles & sensibiles irrationales, quid non faciet rationabilibus, quibus, ut plurimùm nocere, innatum? Ad Apostolorum Christi collegium nos conferamus. Actionibus Salvatoris nostri singulis mysterium subesse nemo dubitat: consequenter etiam nobis persuasum sit non casu aut inconsideratè ad mortem conduxisse tres solùm Apostolos, Petrum nempe, Jacobum & Joannem. Unicum tamen hoc mihi difficile occurrit, cur tres solùm assumpserit & non omnes, cùm æqualiter omnes in passione futuri essent participes, mundum scilicet universum peragrando, Verbum Dei disseminando & sanguinem pro fide effundendo: si ita est, cur inquam tres solùm ad montis Thabor gloriam & exultationem admisit? Apostoli promissum est. *Si fuerimus socii passionum, erimus & consolationum*, Si futuri omnes consortes adversitatis, ut quid non æquè prosperitatis? Multifariàm hîc respondent S. Scripturæ expositores. (Ad significandum (ait S. Antonius de Padua) quòd non nisi per solidatem fidei, quæ in Petro, longanimitatem spei, quæ erat in Jacobo, & fervorem charitatis, quæ erat in Joanne, ad divinam visionem perveniri potest. (Succedit Paulus de Palatio sic explicans:) Assumens Dominus hos tres Apostolos, significabat se assumpturum in cœlum tres status Christianitatis) Jansenius verò: (Quosdam ex Apostolis elegit, qui gloriæ Christi conspectæ, postea idonei essent testes apud alios. Itaque tres ad hoc eligit, ut secundum legem, in ore trium, verbum hoc confirmaretur.) Sanctus Pater Augustinus: *Petrus, Iacobus & Ioannes honoratiores in Apostolis erant.* Denique concludit Sanctus Joannes Damascenus, censetque ideo non conduxisse ad montem reliquos, quod nollet illic adesse Judam. Esto: facilè hoc erat impedire: poterat namque Judam solum excludere, reliquos admittere. Non ita expedit, nec faciam dicit Salvator, Apostolum eum novi passionibus obnoxium: inde sibi illatam injuriam, facilè suspicaretur, & sic occasionem proditionis arriperet. Itaque patientiam potiùs habere oportuit Discipulos cæteros: fuerunt excluſi à gloria Montis Thabor propter solum Judam, & ratione hujus ad tantum damnum sustinendum coacti. *Iudas in causa fuit, quòd reliqui Apostoli, qui cum eo remanserant, tanto bono privarentur.*

2. Cor. 1.

D. Ant. de Padua Dom. 2. Quadr.

Paulus de Palatio in c. 17. Matth.

Iansen. c. 87.

D. P. Aug. in Ep. in Gal.

S. Ioann. Damasc. de transfig.

O quàm Petro grata, quàm jucunda fuit cælestis hæc visio in Monte Thabor! adeò ut Christum rogaret: *Faciamus hîc tria Tabernacula.* Verùm ab Evangelistis reprehenditur, quasi esset inconsideratè locutus. *Nesciebat quid diceret, hoc est* (interprete Jansenio) *inconsideratè locutum esse,* Meritò igitur reprehensionem istam incurrit.

Matth. 27.

Notandum tamen, vix ea verba dixisse Petrum, imò *Adhuc eo loquente,* nubes in aere gloriam eripuit: *Ecce nubes lucida obumbravit eos.* Sic ut tam subitæ privationis & jacturæ alia dari non possit causa, quàm sancti Petri inordinata locutio. Si tamen ipse solus deliquit loquendo, ut quid omnes cælesti illo lumine privantur? qui deliquit, puniatur ille: & qui mente fuit captus in dicendo, deturbatus sit à gloria in gaudendo. Non sic, sed ob temeritatem hanc Petri, patiuntur & reliqui. *Obumbravit eos, & non eum.* Quod bene hic observatur ab Abulensi. *Adhuc eo loquente, id est, cùm Petrus diceret ad Christum: Bonum est, nos hic esse, fortè non finierat Petrus verbum suum, volens aliquid alterum subjungere, & nubes operiens eos, terruit ipsos.*

Abulens. in c. 17. Matth.

Postquam unigenitus Dei Filius dedisset cœnam Apostolis, conversus ad Petrum, de discessu suo sermonem instituit. Abeundum mihi est, & id unum maximè cruciat, quòd non poteritis comitari. *Quò ergo vado, vos non potestis venire.* Quomodo? ait Petrus. Absit hoc à me, ut ego te derelinquam, semper ero comes individuus, tecum ad pericula, ad carceres & mortem ibo. *Animam meam pono pro te.* Itanè? animam pro me exponens, pro tuo in me amore sanguinem date paratus? o quàm ab his promissis longè aliena erunt tua futura opera. *Amen amen dico tibi, non cantabit gallus* hâc nocte, *donec ter me neges.* Et inde ad Apostolos alios se convertens, eos consolatus est, & ait: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Ad negationem Petri, vos ne metuatis, sed animos erigite. Quid hoc est? Discipulos reliquos hortatur & excitat, ne timeant: Petro ita potiùs factum oportuit, ne ipse desperaret. Scio displicebit aliis delictum Petri, idem tamen omnibus imminet discrimen. Hoc metuebant, quasi sic mente discurrentes:

Ioann. 13.

Ioann. 14.

Propter unum, patientur multi ? si negaturus sit Petrus, causa erit alicujus nostri infortunii. Ideò Dominus hîc propitium se addicit, eosque securos esse jubet : & si ob inconsiderata ejus verba, in Monte Thabor privati fueritis gloriâ, inquit, impediam modò, ne ob negationem Petri sustineatis aliquod detrimentum. *Meritò Discipuli expavent peccatum Petri, quando à nullo peccatum committitur, cujus damnum non debeant timere cæteri.*

Rupp. Abb. D. Chrys. D. Aug. Did. Pons. l. 14. c. 1. §. 1.

Non tamen adhuc ideò defuit, qui non angeretur & formidaret, & ne prout semel ratione Petri perdiderant gloriam in terris, ita & ob negationem illius, gloriâ privarentur in cælis. Quapropter ad majus solatium superaddidit Christus : Ne dubitetis : singulis vestrûm locus erit in cælis. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sancti P. Augustini proferam verba: *Quia igitur etiam sibi mutuebant Discipuli, cùm Petro dictum esset fidentiori atque promptiori : Non cantabit Gallus, donec ter me neges, subjunxit : In domo Patris mei mansiones multæ sunt, per quod à turbatione recreantur cæteri, ac fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros: quia si alius est alio fortior, sapientior, justior, sanctior, nullus alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque acceptuvus est merito.*

S. Aug. in Caten. D. Thom. in c. 14. Ioan.

E collegio Apostolico ad familiam Jacob ingrediamur. Ibant venerandi senis filii in Ægyptum grana comparaturi, urgente annonæ caritate : siquidem illo anno ob cæli inclementiam magna erat agrorum sterilitas, sata omnia arefacta, messis nulla, tantaque premebat necessitas, ut eligerent multi mori potiùs mendici, quàm acerbè nimis languere famelici : in pluribus morte priùs quàm linguâ prodebatur mendicitatis extrema calamitas. Soli morti pabulum abundè suppetebat, illa jam messem diu noctuque in fœnum illud mittebat, de quo dictum fuit : *Omnis caro fœnum.* Erat tanta per universam illam terram egestas, ut promiscuè fame periissent ad unum omnes, si non succurrisset Ægypti Prorex Joseph recondita venundans grana indicto pretio. Coacti ergò filii Iacob, famelici avidè convolarunt. Joseph ut vidit, fratres agnovit, neque se illis notum reddidit, sed benevolè affatus jussit illis dari *gratis* quod pro sublevanda familiæ necessitate sufficeret. Cùm jam tulissent saccos ad granarium ut implerent, mandavit Joseph dispensatori domûs suæ, ut nullo fratrum vidente scyphum ejus argenteum imponeret in ore sacci

Isa. 40.

junioris scilicet Benjamin atque ita factum est. Egressis illis versus Canaan, clamat Prorex furto sublatum esse scyphum, famulos expedit qui insequantur & apprehenderent in via, ut contigit, Reductis omnibus in civitatem captivis, cæperunt singulorum saccos inspicere, & scyphum reperientes in sacco Benjamin, eum esse furem proclamarunt. *Quos scrutatus incipiens à majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin.* Joseph hoc viso iratum se simulavit & indignantis instar asperè reprehendit. Statim ut vidi, de perfidia vestra suspicatus sum. Non vos huc redegit annonæ caritas ad supplicandum, at innata vobis malitia ad insidiandum. Chananæi estis, & hoc ipso satis scimus, quales ipsi fitis, utpote nomine proditorum suspecti. Credite verum, malè vobis cedet & contra quàm intentum est. Sibi præcipitium parat, qui alteri insidias molitur. Primum pro justis meis suspicionibus assecurandis faciam, dein experiemini quomodo aliis simulatè intentantes damnum, vobis ipsis acquisiveritis mortis supplicium. Aud. x vestrum facinus derexit fraudem. Ex scypho quem furtim abstuleratis, bibendam dabo amaritudinem fellis. Siccine beneficium acceptum remuneratis ; Non vos pudet committere furtum, unde perpetua inuritur infamiæ nota? Dicite modò scelesti vos & temeratii ? *Cur sic agere voluistis?* Cur tam nefariè deliquistis? Bona verba, obsecro, Joseph : an non recordaris tibi relatum, furtum esse in sacco Benjamin? ergo solus iste fur est, alii vero inscii & innocentes. Cur igitur æqualiter omnes redarguis ? Quis umquam vidit ita severum tribunal, ubi contra innocentiæ integritatem pœna decernitur ? Benjaminum aggredereris. Quid tu latruncule? in ædibus meis tam graviter delinquere non trepidas ? *Cur sic agere voluistis?* Non sic processit Joseph, sed increpat omnes, & sic unius culpa ab omnibus innocentibus luitur : ut verum maneat dictum : *Cuncti periclitantur unius delicto. Per unum omnes fluctuant.* Edissere, (sic Josephum ævi nostri Scriptor interpellat :) *Nonne tibi relatum est à dispensatore domûs tuæ, in solius Benjamin sacco scyphum inventum fuisse ? cur ergo omnes tanquam conscios arguis ? quia pluries unius privati delictum in totam redundat communitatem.*

Gen. 44.

Gen. 44.

D. Ambr. Ioann. Haye Auct. arb. vita in Gen. c. 44.

Si quis fatali huic malo obnoxius, quàm filii in eluendis parentum delictis. Hinc est quod Isaias minatus ultionem filiis Regis Babylonici dixerit : *Præparate filios ejus occisioni in iniquitate*

Isai. 14.

Patrum

Patrum eorum: non consurgent, neque hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum. Interpretatum est. *Loquitur contra filios Regis Babylonis, ut iniquitatem patris in filios visitet.* Idcircò existimabant Apostoli Cilidonii nati excitatem imputandam esse parentum delictis. *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Adstipulatur doctissimus Oleaster, [Solet enim Dominus filios pro parentum peccatis punire in tertiam & quartam generationem. Cùm enim semel Salvatoris Discipuli hominem naturâ cæcum vidissent, quærere cœperunt, quisnam peccasset, ille, an parentes ejus? non immeritò arbitrantes peccata parentum cæcum filium luisse. Non solùm enim videntes pœnam de culpa cogitant, sed ubi filium privatum oculis vident de parentum peccatis, magnâ solicitudine inquirunt.] Propter Sejani crimina Tiberius suspendi jussit tenellæ ætatis innocentes filios.

Inficiari nemo potest, parentum culpis multùm filios aggravari. Accuratè describit sanctus Evangelista Matthæus genealogiam Regum omnium, Patriarcharum veteris Testamenti, ex quorum stirpe natus est Salvator, & ab Abraham Patriarcha sanctissimo orditur: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*, & pertingit usque ad sanctum Patriarcham Joseph sponsum B. V. MARIÆ, *Iacob autem genuit Ioseph, virum MARIÆ, de qua &c.* Advertè tres hîc Reges immediatè sibi invicem succedentes omitti Ochoziam scil. Joram & Amasiam, medios tamen inter Joram & Oziam, siquidem Joram genuit Ochoziam, Ochozias Joam. Joas autem Amasiam. Cur igitur tres isti Reges privantur isto honore? Evangelistam esse oblitum, non crediderim facilè, quia Spiritu sancto dirigente scripsit. Ad Mysterium itaque recurrendum, nec à Matthæi defectu aut incuria perendum est. Scio respondisse Divum Hieronymum, Reges istos fuisse perversos, ideoque indignos recenseri inter eos, à quibus omnis Regni Israëlitici splendor & gloria. *Tres Reges in medio fuerunt, quos Evangelista prætermisit ideo factum est, ut tres istos velut indignos, & quasi superfluos subticuerit.* Difficultas adhuc manet, eò quòd fuerint Reges alii expressè annumerati, tribus istis pejores. Salomon nónne fuit ille qui *ædificavit Chamos doli Moab in monte?* Roboam filius nihilo inferior, *malus erat, & cor ejus defecit à Domino.* An non Rex erat impiissimus Achaz? *Impius Rex non fecit quod erat placitum in conspectu Dei. Erexit statuas Baali, in incensum obtulit;* & pluta hujusmodi patravit horrenda dictu. Sic de Manasse dicamus, *omnium Regum, imò & gentium flagitia superavit.* Ille ipse, ut S. Epiphanius testatur, Prophetam Isaiam ferrâ ligneâ vivum crudeliter secuit. Sic ut æquè Reges bonos & malos S. Matthæus in genealogia expresserit. *Pii & impii Reges hîc narrantur, & qui in subditos tyrannicè gesserunt.* Quam igitur ob causam excluſi sunt tres Reges jam dicti, Ochozias, Joas & Amasias?

Nondum istâ reprehensione plenè satisfactum est Divo Hieronymo, ea propter addit alteram, dicitque Joram, ex quo nati sunt Reges præfati, peccasse graviter. *Immiscendo se impiissimæ Iezabelis generi.* Atque ideo puniti sunt posteri filii usque ad tertiam generationem, in qua erat Amasias, cùm affecti sunt ignominiâ, deletis illorum nominibus ex ordine cæterorum Regum. *Quia Ioram se immiscuerat generi impiissimæ Iezabelis, idcircò usque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in sanctæ Nativitatis ordine poneretur. Tolluntur scilicet ejus filii usque ad tertiam generationem, juxta hanc Domini sententiam: Ego Dominus zelotes vindicans iniquitatem in filios, in tertiam & quartam usq; generationem.*

Non mirabor deinceps, quòd lege decretum sit: *Sacerdotum filii non admittantur ad sacros Ordines & dignitates Ecclesiasticas.* Nam ad honores illos declarantur inhabiles, non ob proprios suos defectus *sed ob detestationem criminis paterni, quod plerunq; detestamur in filiis & punimus temporaliter.*

Quocirca parentes monet Oleaster, ut sollicitè caveant Deum offendere, non solùm ne ipsimet puniantur, sed ne pœnas eorum filii luere cogantur. Unde fieri putatis, si filius nascatur aut cæcus, aut gibbosus, aut claudus, aut pessimæ complexionis, qui demens sit, aut mutus? non hoc illius delictis adscribendum, eò quòd in utero matris mala facere non poterat: sed à parentum peccatis habetur origo. [Hinc parentes advertere debent, quantum videlicet abstinere à peccatis debeant, non solùm ne propter ea puniantur ipsi, sed ne peccatorum suorum flagella in ipsos transfundant filios.]

Filius sit pauper qui à natura deformis, nobilis alter ex illustri prosapia oriundus: cui tamen fortuna adversa est, non adipiscitur dignitates, ad honores non pertingit, illi contraria eveniunt ac omnia maximè infensa; & verbo ut dicam, ad extremas volvitur miserias, & quem jam dominari oporteret & imperare, prout nobilitas sanguinis nativi exigit, obedire cogitur, & velit nolit,

Did. Alv. ibid.

Ioan. 9.

Oleaster in c. 9. Gen. ad mor. adm.

C. Tacit. lib. 5.

Matth. 1.

S. Hier. apud D. Thom. & Beauxam, in c. 1. Matth.

3. Reg. 2.

2. Par. 16.

4. Reg. 16.

2. Par. 28. 2. Par. 33. D. Epiph. lib. de vitis & exitu Proph. Th. Beaux. in c. 1. Matth.

D. Hier. in Caten. D. Thom. & apud Beauxam suprà.

Goffred. in sum. tit. de fil. presb. L. Quisquis c. Ad L. Iul. Majest.

Oleaster in Exod. cap. 20. ad mores.

lit, subesse instar vilissimi mancipii, quod in domum admittere ad abjectissimum obsequium antea non voluisset. Ah! sic fata jubent, quàm infaustum sidus nascenti influxit! Falleris, cùm fata accusas. Magna tua calamitas est? delictis parentum impura; inde omne hoc tuum malum. Ex sacra scriptura audiamus.

Bonus ille senex Noë, qui primus hominum plantavit vineas, die quadam plus solito sitiens, in bibendo excessit, sic ut vino turbatum senserit cerebrum, & incalescens valde, vestibus exutis membra nudavit, disponens se ad dormiendum donec liquoris vis remitteretur, & dissiparentur vapores. Vidit filiorum unus nomine Cham, qui Noëmum irridens, ut magis confunderet, accersit alios fratres Sem & Japhet. Venite, venite; Patrem nostrum aspicite nudum humi dormientem; & fratribus ostendit *pudenda Patris sui*, qui intuiti senem, miseratione commoti sunt, & confestim pallio cooperuerunt, ne nuditas appareret. Experrectus Noë & perceptâ temeritate filii, & irreverentiâ, indignatus est contra illum & imprecatus ait: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Maledico, & hæc mea voluntas, ut sit & maneat maledictus Chanaan, & semper fratribus subditus & serviens. *Vbi diabolus filio Noe persuasit quòd propter nuditatem patrem suum inhonoraret: unde etiam idem filius ejus de benedictione libertatis denudatus, etiam servus fratris*, ut loquitur S. Hildegarda: & ita Oleaster exponit, *minimus inter servos fratrum suorum, atque ita evenit: nam Æthiopes propter ingenii hebetudines sunt minores inter omnes alios servos.*

Gen. 9.

S. Hild. ep. de Cler. sol. in Bibl. vet. PP. Tom. 15. Oleaster in cap. 9. Genes.

Agedum, hìc attentos vos velim, dicite, quis fuit ille qui Noëmum inhonoravit? Cham. Quisnam maledictus à Noë? Chanaan filius Si tamen hic innocens, ut quid in eum maledictio fulminatur? Pace tuâ, mi Noëme, injustitia illa evidens est, & nimis enormis. An ergo ignoras dictum in Lege: *Delictum patris filio nocere non debet?* Scio (inquit Noë) at volo ut patris iniquitas in filio puniatur & pro reo plectatur innocens. [Admonet locus iste (indicat Oleaster) quantâ diligentiâ parentes à peccatis cavere debeant, ne in eorum filiis, aut posteris peccata sua puniantur. Expressiùs Vincentius Litinensis: *Tantam læsa pietatis meruit offensam, ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur.*

L. Adopt. in fin. ff. de unius voc. L. Sanc. c. de pœn. reg. Oleast. ubi supr. Vincent. Lir. Com. 1. c. 11. in Bibl. vet.

De facto equidem constat propter unum malum puniri multos. Æthiopes omnes facie tam nigri oriundi sunt ex stirpe Cham, nigredine illâ & turpidine impressâ manente ut pœnam luant peccati Cham, unde Æthiopes. Genebrardus hìc attestatur. (Certissimum est, originem nigredinis (id est Æthiopum) non à Regione propria, ut hactenus existimatum est, ob solis ardores, sed à stirpe & à sanguine Cham provenire.)

PP. part. 2. c. 2. Oleaster. in cap. 10. Gen.

Testes modò sunt nostri Redemptoris Apostoli quàm verum hoc, experti, cùm ob præsentiam unius mali, videlicet Judæ, periclitati sunt omnes, indubiè submergendi, si non eis Christus succurrisset. Certissimum igitur, quòd *unius iuda peccato cuncti periclitantur Apostoli.*

D. Amb.

Provinciæ multoties passæ sunt, tametsi culpæ non essent obnoxiæ. Israelitæ præliabantur contra Philistæos & in medio conflictus ab inimicis capta est Arca Domini, & locata in templo Dagon, ut propterea iratus sit Deus, immisitque Philistæis plagam. *Fiebat manus Domini interfectionis magna nimis.* Consilium inierunt Philistæi, quid opus esset facto, ut liberarentur à gravissimo isto malo: atque tandem concluSum est, ut Israelitis Arca restitueretur, & in signum pœnitudinis pro delicto commisso, Deum Israelis munerum oblatione placarent. *Et redderet aliquid Domino pro delicto.* Atque in eum finem congregatæ sunt omnes Philistinorum provinciæ, urbes, terræ & castella, ut à singulis contribuerentur denarii ad faciendam oblationem. *Iuxta numerum provinciarum Philistinorum, quia plaga una fuit omnibus.* Stupendum hoc: erratum est à militibus, & integræ hoc Provinciæ imputatur. *Quia plaga una fuit omnibus.* Vel ut legunt Septuaginta, *Quia error unus fuit omnibus.* Sixtiana habet: *Quia delictum unum fuit omnibus.* Quod plus est, civitates singulæ, oppida & castella ad contributionem vectigalium compellebantur. Forte nè ideo, quia in ablatione Arcæ iniqua, & collocatione in Templo Dagon cooperati sunt, intentione saltem & affectu? Sic bene esset, cùm decretum sit: *Agentes & consentientes pari pœnâ puniuntur.* Dicamus, ut propositum, haberi justum, quasi reus sit, & innocenti vectigal imponitur, atque ita propter milites unius exercitûs, Philistini delictum contrahunt & luunt pœnam. *Omnes pariter, si non facto ipso, saltem voce & assensu ea sacrilegia commisisse, & proindè omnes ad eandem solutionem fuisse obligatos.*

I. Reg. 5.

I. Reg. 6.

Septuag. Interp. Sixt.

L. Iub. §. œcon. C. de Sacr. Eccl. c. 1. de off. deleg cum suis conc. Fr. Mend. in lib. Reg. ibi.

Sed quid dico Provincias? Constat enim ob unius peccatum integra Regna puniri. Mandavit Deus Josue, ut colligeret militem & faceret copiosum exercitum quo destructum eat civitatem,

tem Jericò; eo tamen pacto, ut nemo militum in spoliatione urbis aliquid præsumat surripere: incendio pereant omnia. Facturum id spondet Josue. Milites convocat, jubetque Dei nomine, ut caveant in destructione civitatis argentum, aurum aut quid aliud accipere. Invadunt itaque, occidunt, incendunt promiscuè omnia & funditùs perdunt. Unicus cui nomen Achan, domum quandam ingressus reperit laminam ex auro, & furtim abstulit *Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate.* Ægrè tulit hoc Deus & graves querelas apud Josue deposuit. *Filii Israel prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathemate, & furati sunt atque mentiti, & abscoderunt inter vasa sua.* Et quam graviter natus sit, ex verbis colligite. *Iratusque est Dominus contra filios Israel: Non ero ultra vobiscum.* Hic duo sunt ponderanda: Primùm, quòd solus Achan deliquerit. *Achan solus, & non plures Israel hoc fecerunt*, inquit Angelomus: ibi tamen culpantur Israelitæ omnes ut transgressores. *Prævaricati sunt mandata &c.* Secundum, quod non soli Achan iratus Deus, sed cunctis Israelitis, minatus quod omnes luerent, cùm vellet eos deserere. *Non ero ultrà vobiscum.* Si fecerint quod illis præceperat Dominus, cur patiuntur? Ergo nec innocentiæ parcet justitiæ gladius. Optem vel umbram videre alicujus mali, in quo culpari possent filii Israel, ut sic rigorem excusem justitiæ: excessus nimis notabilis est; siquidem castigat, qui non fecerunt malum, & de furto arguuntur, qui fideles sunt, nec unquam rem alienam surripuisse visi. Arguendus fuerat Achan & solus ipse culpandus, dicto. *Achan prævaricatus est, & non ero ultrà cum eo.* Ah! grave nimis censendum hoc malum ob quod puniti sunt & reliqui Israelitæ innocentes. Verba sunt Divi Augustini: *Ostensum est quantum malum fieret, si universa congregatio peccasset, quando ne unus quidem ita potuit judicari, ut ab eo possent cæteri esse securi.*

Si vel provincias solùm & integra regna peccatum gravaret, tolerabile sit; sed quod longè pessimum, in totum mundum virus exerit & activitatem exercet. Narratur (quod fabulosum est, cum tamen veritatis aliqua umbra) Prometheus, filius Japeti & pater Deucalionis hominem formasse ex luto: quem ut animaret, Minervæ auxilio in cœlum ascendit, ut ignem admotâ face ad rotam Solis furatus, ceu animam infunderet. Temeritatem illam maximam indignè tulerunt Dii & irati sunt valde, Et, quia *nullum malum impunitum*, febres in terram miserunt & alios morbos, ut sic ab omnibus mortalibus lueretur, quod ipse Prometheus deliquerat. Refert fabulam his verbis Servius: *Prometheus auxilio Minervæ post factos à se homines, dicitur cœlos ascendisse & adhibitâ faculâ ad rotam Solis ignem furatus. Ob quam causam irati Dii, duo mala miserunt terris, febres & morbos.* At quid mali fecit universus orbis; hoc ipso innuebant Dii, quòd ob unius peccatum omnes homines totius mundi essent puniendi, Darius non solum occidi jussit Intafernem, sed & filios & totam familiam, delevit, ut referunt Ammianus & Herodotus. *Ob noxam unius, omnis propinquitas perit*, Artaxerxes sibi rebelles interfici curavit ad unum omnes cum uxoribus & liberis.

Hoc, crediderim, inferre Zacharias Propheta intendit sub cedri, abietis & aliarum arborum metaphora. Verba dirigit ad abietem, ut ad planctum, ni fallor, excitaret. *Vlula abies.* Quæ causa sit gemitus? Fortassis quia vicissitudini temporum, aëris inclementiæ & procellis obnoxia? an fortè extincta est arbor vicina consimilis? Legit præterea Anastasius Nicenus: *Vlulate omnes arbores.* Plangite quotquot arbores crescitis super terram. Fortè adversam patiuntur terram & negantem humores, sine quibus pereant necesse est, inde evellendæ & in ignem projiciendæ? Non id est, quod movet, inquit Propheta, sed quia validissimo venti impetu agitata cedrus in terram dejecta est. *Quia cecidit cedrus.* Sed quid aliis arboribus cum lapsu cedri, modò illæ firmæ consistant, bene in terra radicatæ?

Quia tamen Apostolus monet: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*; corticem litteralem relinquentes, ad medullam veniamus & intrinsecum significatum penetremus; atque hoc quia mysteriosum est, spiritui conducet. Per cedrum lapsum Zacharias intelligit Adam transgressorem, qui flatu rapido aquilonis infernalis agitatus non modò cecidit, sed in vallem miseriarum est præcipitatus: arbores verò plangentes, homines ejus posteri intelliguntur: q. v. d. Propheta: Plangite cum lachrymis quotquot estis rationales creaturæ, quia casus cedri, Adami, inquam, peccatum lædet omnes, eritque miseriarum vestrarum origo. Et, Fateamur verum NN. quid miserum in hoc mundo, quid funestum quod à lapsu cedri hujus non traxit ortum? Ezechielem Prophetam interrogate: *Patres nostri* (habet ipse) *manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.*

Josue. 7.

Ang. Strom. in 3. Reg. 7. in Bibl. vet. PP. t. 9.

S. Augustin. q. 9.

Servius Sophus Herodot.

Ammian. Marte. Justin. lib. 10.

Ezech. 18

Paraph. Chald. Hect. Pint. ibid. *sciunt*. Paraphrasis Chaldaica legit, *Patres peccaverunt & filii vapulant. Hoc est*, (explicat modernus author) *illi commiserunt scelera, Deum ad iram provocantia, pro quibus nos filii luimus pœnas.* At si gustarit Adam pomi dulcedinem, cur non æquè sensit acerbitatem? Lege præscriptum est: *Ejus est periculum, cujus est commodum.* Unus quidem peccavit (dicit Ezechiel) ex eo tamen omnibus damnum emerget. *Fortibus cadentibus* (concludit Anastasius Nicenus) *erudiuntur & castigantur, quæ sunt imbecilliora.* Et ad rem Turcius Ruffus:

L. Super. C. de temp. in integr. rest. jus de usu. §. 1. Anast. Nicen. Turcius Ruf. Astor in Bibl. vet. PP. Tom. 6.

Vnius ob meritum cuncti perière minores.

Lex ea est (NN.) tam universalis, ut, quantumvis sanctus sit aliquis, & innocens, excipi tamen non permittatur. Dicite an fuerit unquam sanctior & justior quàm ipsemet Dei Filius unigenitus? sed tamen in eadem est navi cum Apostolis reliquis: ut vel ex isto casu etiam constet, quòd ne quidem Filio Dei lex ista parcat; saltem quantum ad intentionem, si non ad executionem. Deprehenditur in delicto mulier & ab Hebræis accusatur de transgressione legis Dei & Moysis: ad Christum perducunt, dicentes: *Mulier hæc modò deprehensa est in adulterio.* Verùm quid erat opus eam coram adducere ad Christum, ut absolveret ipse, vel condemnaret ad lapidationem? Lex erat evidens & ipsimet apertè fatebantur: *in lege Moysis mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Si ergo lex clara, quid opus adhibitâ cautelâ & tantâ circumspectione, ut etiam ad Christum deferretur? Deerant fortassis Rabbini & legis Doctores, qui sententiam definirent? Respondet Ludolphus Carthusianus: *De justitia facienda non curabant, sed Christum in sermone capere volebant:* (quomodo, jam dicit,) *ut si eam lapidari judicaret, quasi crudelem & contrarium misericordiæ eum irriderent, & non habentem misericordiam, quam populo prædicabat. Si autem dimitti decerneret, quasi contrarium justitiæ & prævaricatorem legis, quæ adulteram lapidari præcepit, cum ipsa adultera reum mortis judicaret.* Ita ille. Audite, quomodò malitiam Hebræorum Jansenius expendat: Sic itaque inter se mussitabant: Absdubiè sententiam feret, ut lapidibus occidatur adultera, ne legem ipsemet transgredi videatur, & illicò acceptis lapidibus ipsum loco adulteræ occidemus, & ita pro delinquente justus plectetur. *Futurum sperabant, ut pro muliere coorto tumultu lapidibus obrueretur ipse.* Sed quod non ausi Hebræi, executi sunt impiè Christiani, cùm ob perditos in ludo nummos in desperationem acti in Deum invecti sunt & sanctos, horrendum in modum blasphemando: modò instar canum rabidi in Deiparæ Virginis impingendo simulachrum argenteum, quod in hodiernum diem in æde S. Spiritus conspicuum asservatur.

Ioan. 20. *Levit. 20.* *Ludolph. Carth. P. 1. c. 83.* *Corn. Ians. in Cant. Evang. cap. 76.* *Onuphr. Ostecut.*

In templo S. Eligii Neapoli, an non adhuc videre est imaginem Virginis, cui sex ictus inflixerat ludo idem perditus nebulo?

Alii impietate non inferiores in illa ipsa civitate effigiem *Ecce homo*, pugione ausi sunt aggredi & Christi latus dextrum perforare. Mediolani in Ecclesia S. Satyri Salvator Beatissimæ Virginis sinu exceptus, à lusore vulnus in gutture accepit. Nunquid Miles sceleratior in Deum & Virginem Matrem blasphemus, stricto gladio crucifixum super altare percussit in fronte, pectore & benedictis pedibus? An fortassis in culpa sit crucifixus aut Virgo Mater, & causa perditionis?

Anton. sum. in hist. Neapolit. t. 2. Aug. Rocha tract. contra lud. alear. & taxill. Idem ubi suprà.

Si Dei Filius sanctissimus & innocentissimus, injustè sit ad eam politicam coactus, quantò magis nos peccatores? Quapropter si quando contigerit cum navi Evangelica innocenter fluctibus jactari, adversitatibus & miseriis quotidianis concuti, patiamur fortiter, nec securior est ad portum via quàm ut ad Dominum refugiamus, humiliter precando, *Domine, salva nos, perimus*, eritque confestim mare tranquillum, & sedati tribulationum fluctus.

At cùm sæpè unus in culpa sit peccati multorum, facite modò ut charitas vestra utilis reddatur multis pauperibus quos commendo, ut sit ipsis levamen, & vobis cedat meritum. Si magna necessitas, ut revera est, non minor sit eleëmosyna; & si egestas multùm cruciet miseros, liberalitas vestra eò magis alleviet, & recreet fame oppressos.

PARS SECUNDA.

SI tantorum malorum causa sint aliena peccata, quid de propriis inferemus? Credite mihi verum, non est in mundo infelicitas, nec umquam patitur homo naufragium, quin sustinere debeat culpam, & illa est omnis mali causa. Ridendi sunt illi, qui pro sinistris eventibus ad constellationes recurrunt, & meritò redarguit Chrysippus:

Quàm falsò accusant superos stultiq; queruntur
Mortales! etenim nostrorum causa malorum
Ipsi nos sumus; & sua quemque vecordia lædit.

Cretus

Cretus Scotorum Rex in hortum amœnum ingressus, statuam vidit; sinistrâ pomum aspectu pulchrum, dextrâ sagittam vibrabat eâ artis industriâ, ut si quis cupidus pomum accepisset à sinistrâ, sagittam dextera emittebat & ei pectus transfigebatur: tantundem Regi evenit. Ad mores accommodemus. Peccatum sinistrâ actionem illam, fructum istum delectabilem exhibet, si complacendo vel solâ voluntate adhæreas aut opere contingas, dextrâ sagittam immittit in animam, ad mortem vulnerat, & infinitis calamitatibus corpus statim obruitur. Unde familiare est S. Gregorii dictum: *Mala, quæ patimur, peccata nostra meruerunt.*

Ut magnes ferrum, ita peccatum omnes ad se ærumnas trahit. Quis credat nobilem istum, qui olim tam dives & potens rerum dominus, hodie tam abjectæ esse sortis & ad extremas calamitates redactum? Adversa sibi sentit omnia, carceres sustinet, persecutiones & bonorum jacturam, eaque partim fisco tradita quæritur, partim creditoribus, reliqua à prolibus dilapidata. Atque undè hæc acerba paupertas? Non ab eis, quæ jam di i. (extrinseca illa sunt) nisi quasi per lineam transversam; at directè à peccato derivata. *Non procella sævientis atrocitas, neque violentus hostis furor, neque tribunalium rapaces ministri depauperant miseros mortales, sed furax peccati vis homines bonis suis expoliat, & ad miseram pauperiem redigit.*

Did. Cal. in Iudith. c. 1. v. 5. §. 17. n. 72.

Adfert S. Lucas in Evangelio, quomodò Deus Isaiam Prophetam elegerit, quem mitteret ad prædicandum. Verbis istis loquitur: *Evangelizare pauperibus misit me.* Deus me destinavit ad pauperes, ut eis sanctum Evangelium annunciem. Ut quid pauperibus solùm? Cur non æquè divitibus? fortè non indigent Dei verbo, aut certè non curarent, nec eo proficerent. Theophylactus ait: *Pauperes interpretantur peccatores*, quasi apud Propheram, idem sit peccatorem esse, & pauperem; quia peccatum homines ad inopiam maximam præcipitat. Expertus est Job, testabitur ille. Postquam perdidisset armenta, segetes, filios & quidquid boni possidebat, eò miseriatum jam redactus, ut de eo verè jam dici posset: *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Cœpit maledicere & execrari: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.* At quomodo perire jam poterant dies & nox in qua conceptus fuerat, cum jam non amplius essent à multis annis elapsa? Aristoteles namque asserit: *Futurum non est adhuc, præteritum jam recessit, & de tempore non habemus nisi nunc.* Ut proinde videri possit insipienter Propheta locutus. Cur non potiùs dixerat: *Pereat dies*, in qua à summa rerum opulentia deturbatus sum ad præsentem miseriam & egestatem. Ah! magna hic Jobi elucet prudentia, cùm non maledixerit diei & nocti *in recto*, sed *in connotato*, id est, maledixit conceptioni, in qua contraxerat originalem culpam, ex quâ credebat exorta, quæ patiebatur in præsenti mala. Eam fuisse Job patientissimi mentem affirmat Divus Gregorius Papa. *Vir sanctus nihil speciale in speciali vulnere cogitans, reducit ad animam originem culpæ, Videt humanum genus unde, & quo cecidit, & dicit: Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo.*

Luc. 14.

Iob. 3.

Ibi.

In c. 3. Iob.

Apertè ergo confessus est infortuniorum omnium aggregatum à peccato originali promanare, & ex conceptione ceu scaturigine cunctarum miseriarum aquas erumpere. Denique, verbo uno divitiis se naufragum innuit, & in hoc infelicitatis mari ad scopulos extremæ paupertatis projectum. Ut meritò dicat sanctus Petrus Chrysologus: *Qui vitiis vivit, sepelitur fama, perit gloriâ, crescit infamiâ.* Et unde corporis infirmitas oritur, si non à commisso peccato?

Serm. 1.

Tertullianus peccati qualitates attentiùs expendens, voraginem salutis vocat. *Peccata sunt devoratoria salutis.* Non jam lubet nec vacat huc revocare priscorum ævum, & eventus referre tum sacros, tum profanos.

Lib. de Idolat. c. 1.

Mecum videatis (NN.) adolescentem illum, quàm in ætatis eâ parte alioquin amœnissima, non roseo colore vernans sit in facie, sed pallido, & mortuo similis dicatur, vultu exeso, exhaustis viribus, cruciatum sentit in renibus non tolerabilem, brachium ei rigens, pes dolens, imò totum corpus adeò infirmum ut diu noctuque torqueatur miser. Astrologus est temporis, à quo dum recipit monita, prædicit ejus mutationes: gustum perdidit, & cibos abhorret stomachus: si decumbit, lamentatur; si obambulat, cruciatur sensibiliter & languet. Medicorum sequi præscripta non sufficit, dietam observare nil juvat, non cooperantur pharmaca, paulatim deficit, & vix annos pubertatis attingens, videri possit decrepitus senex. Negari non debet quod Philosophus asseruit, parvum esse mundum; siquidem non modò nomine videre liceat, sed reverâ in capite mundum, totum dico canum.

Ad fulcra lignea redigitur vacillantibus membris, quod tamen senectuti reservati solitum
Tertull. privilegium in cadente illa ætate. Quàm invisa ea est & insolita infirmitas? Unde orta est illa indispositio? à dissolutis ejus moribus & perversa vita. *Peccata devoratoria Salutis.* Eò dictum
Iob. 4. Jobi: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, seminant dolores & metunt eos.* Confirmat D. Chry-
In Ps. 7. sostomus. *Nemo est, qui vivat in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat.*

Et quæ possit evenire major adversitas aut tristius naufragium animæ quàm bonorum omnium spiritualium & æternorum jactura? Ea tamen perditio fit propter unicum delictum, licet mille anteà virtutibus foret anima adornata. Et hoc sancto Petro Apostolo persuasum aliquando voluit Salvator. Apostolus ille videns Magistrum prostratum ad lavandos ejus pedes, obstupuit, seque reverenter humilians, impedi-
Ioann. 13. re conatus est. *Domine, tu mihi lavas pedes?* Ubi
Hom. 69. in Ioan. c. 31. notat Chrysostomus: *Quod non paruit; amoris fuit & reverentiæ argumentum*, quasi ita vellet
P. 2. c. 54. inferre, subdit Ludolphus Carthus. *Tu Dominus, ego servus: Tu Deus, ego homo: Tu Creator, ego creatura; & tu mihi misero, pauperrimo, humillimo piscatori lavas pedes sordidos, & infimum in corpore membrum manibus his, quibus cæcis oculos aperuisti, leprosos mundâsti, mortuos suscitasti, vis lavare mihi pedes peccatori, tu qui es Filius Dei? hoc indecens est & nullo modo sustinendum. Non lavabis mihi pedes in æternum.* Notate Salvatoris responsum. *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quid agis, Salvator, bone?
L. Invito ff. de re in l. nec eme re c. de jur. delib. *Beneficium non confertur in invitum?* Ah Petre? (ait Christus) nescis forsan quanta secutura sint mala si à te nunc fero repulsam, quæ vix umbram quidem habere peccati videtur, cùm procedat non à voluntate rebelli & perversa, sed reverentiali potiùs & humili inclinatione; error hic tibi exitialis erit. dictum est Petro: *Non habebis partem mecum.* Gratiam meam perdes & Apostolatum: non eris pastor gregis, neque Ecclesiæ meæ Pontifex summus: tollentur à te bona spiritualia: excludêris à gloria & æterna beatitudine, sic ut ob unicam noxam passurus sis naufragium, & navis animæ tuæ onusta bonorum operum mercibus raptanda in æternæ damnationis profundum. Quomodò (subinterrogat sanctus Pater Basilius) ex unico delicto exterminium? Unica culpa erit tot ærumnarum origo? *Nunquid ex omnibus rectè factis, si unum aliquid alicui tantum abfuerit, is propterea salutem non adipiscatur? Vbi una tantùm in re ex reverentia potiùs, quàm ex negligentia, visus est ab obedientia discedere, propter hoc ipsum tantùm ei dicitur: Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* *In Reg. brev. inter. 32.*

Undè sicut navis Evangelica propter unum solum peccatorem periclitabatur, ita anima nostra propter peccatum unicum, discrimen incurrit æternæ ruinæ. *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Gigas totus in armis erat, sola fronte nudatâ, & ideo vitam perdidit & victoriam. Quid tibi prodest, mi Christiane, scuto fidei armari, ne hæresis occumbas telis? quid juvat oculis obducere modestiæ velum contra lascivas concupiscentias? quid munire pectus clypeo patientiæ, manum liberalitatis hastâ, cor malleo charitatis, os fræno jejunii, si non obtegas unà frontem casside humilitatis? Anima nostra civitas est: sed quid ei proderunt Sacramentorum fortissima mœnia, quid Angelorum excubiæ, bonorum operum phalanges & armatura virtutum? quid si quatuor fenestras habeat obserratas pravis desideriis, si vel unica semper aperta sit vitiis? sola illa sufficerit ad ejus perditionem. Novus sis Alcides licet, & sex capita detruncas hydræ infernali, per quam peccatum intelligo, quasi nihil feceris, quamdiu septimum remanet superandum. *Aut omnia, aut nullum.* Lex habet: *Nihil actum dicitur, quoties aliquid superest agendum.* Sequamur ergo consilium S. Gregorii, si quidem, ut fusè jam dictum est, *Mala quæ patimur, peccata nostra meruerunt. Auferamus malorum fontem, & omnia malorum sistent fluenta.* Ite in pace.

L. Fin. C. de his quibus ut indi.

* * *

DOMINICA

DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

ARGUMENTUM.

Omnia sunt in mundo varia, mixta, & turbulenta. Non crescit felicitatis hic granum, quòd à zizaniorum immixtione sit purum. Voluptas nulla sine dolore, ut sine spinis rosa non nascitur, neque mel sine fellis amaritudine degustatur. Quidquid humanum, variis agitatur vicibus, & continuis subjacet mutationibus.

THEMA.

Domine, nonne bonum semen seministi in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? S. Matth. cap. 13.

ACademici secum felicitatis bona & infelicitatis mala æquâ scientiæ trutinâ diu examinârunt, sitnè major humana felicitas, an infelicitas, dignitas, aut naturæ abjectio. Opinione laborantes hactenus assensionem cohibuerunt. Rationes utrimque discutiamus.

Magna Deus homini contulit beneficia, esse dedit cum lapidibus, vegetare cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Tribus animæ potentiis dotavit, videlicet memoria tenaci, ne collata cælitus beneficia facilè excidant: intellectu perspicaci, quo Deum Authorem omnis boni agnoscat: voluntate liberâ, quâ ad bonum se applicet, & à malo procul sequestret. Adstipulatur sanctus Pater Augustinus, dum ita loquitur: *Licet appellaris homo unus, tres tamen habes à Patre, & Filio, & Spiritu sancto concessas dignitates, id est intellectum, voluntatem & memoriam.* Hominem reverentur feræ, tributum rependunt plantæ, motù impulsæ petræ obediunt, citato fluxu accelerant flumina ad obsequendum, & ut canit Psalmista: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, & constituisti eum super opera manuum tuarum, Dando ei* (explicat Dionysius Carthusianus) *potestatem super ea, ut omnia sint ei subjecta.* Homo inter creaturas omnes præeligitur qui sit totius universi Monarcha, Dei in terris Vicarius & miraculorum miraculum, Trismegisto asserente: *Magnum miraculum est homo.* Et meritò cùm sic æstimet Abdala Saracenus: *Nihil homine admirabilius.* Plotinus: *Homo est quoddam omne* D. Gregorius Pontifex: *Homo est omnis creatura.* Plato: *Divinum genus hominibus inest.* Pythagoras denique: *Homo est Deus mortalis.*

T. 4. c. 2. de salut. docum.

Psalm. 8.

In Ps. 8. n. 6.

Merc. Trim in Ascl. l. de spir. & an t. 3. c. 14. & 15.

Verum quidem: sed quidquid in mundo bonum, imputum est, nullum sine defectu. Vix nascitur homo & priùs videt miseriarum caliginem, quàm splendentis Solis recreantem lucem: antè luctui datur, quàm gaudio: non respirat quin suspiret: nimio sibi comparat vitales auras, gemituum pretium pendens, & sic lacrymarum rore primos ætatis germinantis irrigat flores. Unde optimè olim Poeta.

Optima non nasci res est mortalibus agris. *Theog. Poeta.*

Crescente annorum computu, adaugetur etiam gravior cura; at verò ætate decrepita ærumnatura fit omnium aggregatum, nec antè à miseriis eripitur, quàm defungens vitâ à morte ad antiquam omnium matrem revertitur, vix relictâ in vivis sui nominis umbra. Augustinus in persona propria communem hanc nostram miseriam ita deplorat: *Infelix homo quid sum?*

Tr. 9 c. 2. Soliloq.

Abyssus tenebrosa, terra misera, filius iræ, vas apertum in contumeliam, genitus per immunditiam, vivens in miseria, moriturus in angustia. Heu! miser quid sum? Heu? quid futurus sum? Vas sterquilinii, concha putredinis, plenus fœtore & horrore, cœcus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, ignorans introitum & exitum meum. Vita mea fragilis, vita caduca; vita, quæ, quantò magis crescit, tantò magis decrescit; quantò magis procedit, tantò magis ad mortem accedit. Breviter, neminem à communi hac clade natura exemit, *Alius damno afficitur & plangit, alius orbitate percussus luget, alius à Patria exulatus mœret, redire cupit, intolerabilem peregrinationem reputans.* Quid ergo est homo? Aristot. delineat & respondet: *Fortuna lusus.*

S. Aug. in Milleloq. verb. trib. Apud Stobæum.

Si quid ego sentiam, nunc profecto sit liberum, judicio meo, in mundi hujus agro vastissimo bonum semen comitantur zizania, & homini crescit utrumque, ut cùm metit grana, intersata inevitabiliter etiam sequantur zizania: nec unquam favores arridenti, quin & adversa turbent & perterreant, ut proinde cum S. Prospero concludam: *Infelix nimis est prosperitate suâ*, in tantum, ut miretur Evangelicus agricola: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* O munde, quàm fallax es, dum sub mentita sæpius dulcedine amaritudinem semper commisces, nec unquam, mortalibus exterius rides, nisi ut magis interiùs crucies! *Quid est hoc sæculum* (quærit beatus Alcuinus) *nisi miseria & velut umbra fugax, & seducens delectatio?* Hoc summatim ostendam ex præsenti Evangelio. Attendite.

PARS PRIMA.

GRanum in mundo non invenitur sine zizaniis, nec spica sine annata spina. De Diagora scribit Tullius cum Gallio: *Cùm tres filios athletas eodem die vincere, & victores coronari vidisset, populusque gratulabundus flores undique in eum jacerent, in stadio spectante populo in oculis & manibus filiorum animam efflavit præ lætitia.* Ecce flos & radix, spica & spina, granum & zizania, cùm filii in triumphis & tristitia versarentur, accidit triste infortunium patris: Patri gaudium in victori filiorum, & prolibus mœror in obitu parentis; atque ita, ut major fuerit subortus dolor quam brevis illa lætitia. Hinc loquitur Seneca: *Profectò felicitas tunc, cùm maximè delectat, extinguitur, nec multum loci habet. Itaque citò implet & tædio est, & post primum impetum marcet. Ita non potest quidem ulla esse ejus substantia, quod venit transitivè, celerrimè in ipso usu sui perituram.*

Cic l. 1. Tusc. quæst.

Seneca l. de vita beata. c. 7.

Hunc sibi favorem ab Assuero petiit Regina Esther. *Si Regi placet, veniat & Aman tecum ad convivium, quod paravi.* Placuit invitatio: & postero manè adfuturum addixit. Ad Aman nuncium mittit, ut Reginæ favorem ei insinuaret. Gavisus ille hoc intellecto & ambitionis æstu accensus adeò intumuit, ut coram Aulicis nimio fastu cœperit jactare intolerantiùs: *Ego sum pransurus cum Rege & cum Regina.* Arroganter se prætulit omnibus, imò cum illis dedignatus est conversari & vel semel aspicere: Superbia visus est sustentari, & exaltari ambitione, donec mutaretur fortuna, quæ blandâ spe vanum hominem altiùs evexit, ut inde magis deprimeret.

Esther. 5.

Postridiè extructâ jam mensâ regalibus epulis assedit Rex, ad Regis dexteram Ester, & ad sinistram Aman. Locus iste honoratior, Aman, funesti eventûs augurium est. In mensa Regis convivando grana felicitatis jam habes, sed ad sinistram residere malum omen est, quòd nascentur zizania odii & persecutionum. Pleno jam convivio cœpit Esther de novo supplicare. Cui Assuerus Rex: *Quæ est* (ait) *petitio tua, ut detur tibi? & quid vis fieri? Etiamsi dimidium Regni mei partem petieris, impetrabis.* Obsecro, mi Rex, & unicum hoc volo, ut Aman ille sceleratissimus & stirpis meæ infensus hostis, in patibulo pendeat, quod aliis erigendum curavit. *Appendite Aman in patibulo. Et suspensus est.* Ecce zizaniorum germen exortum *in medio tritici.* Amani Regales dapes infectæ mortis veneno. Et inde recordatus est, quia sub favorum hujus sæculi floribus fœtor malorum serpens lateret: ex convivio collegit funestum prologum tragœdiæ secuturæ; & parùm cogitabat splendidum hoc epulum esse præambulum tam vicinæ & certæ mortis. Hoc mercedis granum, quod suis servitoribus mundus pendit. Hæc via est quâ citatis passibus multi ad interitum currunt, & sic in miseriarum omnium profundissimam cadunt abyssum. (Sanè nunquam in Aman sævior, quàm cum illum excipit convivio: inescat illum, ut capiat; impinguat illum, ut mactet.) Ad est Rupertus Abbas: *Vt tradat ad supplicium, allicit ad edulium.* Et D. Ambrosius: *Rogat ad jucunditatem, cogit ad mortem: invitat ad prandium, & ferro*

Did Pont. l. 1. l. 3. c. 9. de Elia & jejun. c. 14.

& ferre vult ad sepulchrum : cibos promittit, tormenta irrogat: vina profundit, venena suffundit.

Credite (NN) in hisce infelicibus nil ita mellitum, quin amaritudinis non parum habeat immixtum Jonathas filius Saulis Regis Philistinorum castra, tunc & loci arduitate munitissima, & armatorum copiâ superba evertere aggressus est, totam noctem manu forti contra conflixit, prostratoque Philistinorum ingenti numero victor triumphavit. Manè debilitato corpore & penè exhaustis viribus, ad umbram quercus paululum subsedit : & in cælum suspiciens. Deo gratias dicturus pro adepta victoria, apum examen in ramo vidit, favoque mellis allectus, 1. Reg. 14. *Extendit sumitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis & convertit manum suam ad os suum.* O Deus bone! Quanta est hæc dulcedo! Sentio restaurati vires, & qui statim in mortis agone certabam, de novo jam reviviseo. Benedicta sit cæli clementia, eroque pro singulari favore æternum gratus. Et ecce à castris subitò accessit miles, & ut aspexit, cœpit altum vociferari, Ohe ! Quid hoc agis generosissimè Princeps ; An te latet generale edictum Patris tui Regis ; sub pœna capitis omnibus edulium hoc die severè prohibuit; & sic primus transgrederis? Morte transgressionem hanc lues, & qui non timuisti rigorem legis, experieris sæviente ferro acerbitatem necis. O mi Princeps Serenissime lex corde condoleo : unà cum grano dulcedinis contraxisti zizanium amaritudinis; O quàm sæva illa bonitas est & acerbus gustus, ubi multi cum Jonatha inter auratos mellis favos mulctantur vitâ. (Gustavi in summitate virgæ paululum mellis, & ecce morior.) Adnotat hujus sæculi scriptor. (Ubi vitam sperabat, mortem invenit, & in vitali ferculo lethale venenum hausit; & in mellis dulcedine, fellis amaritudinem agnovit. Quis non miretur, ceu potiùs lamentetur, Juvenem ante mellis esum insolenter exultantem, post esum mirabiliter flentem?) Et Sanctus Ambrosius. *In exigua delectatione perpetua amaritudo est.*

Fr Mend in 1. Reg. ibid.

Qui in somnio libare visus dulcedinem mellis, sacchari &c. gustandæ aliquando amaritudinis credat præsagium, interprete Artemidoro. *Dulcis cibus amaritudinem tibi indicat.* Et inde putem ita dixisse Senecam : (Adeò sunt gaudia, ut sæpè initia tristitiæ futuræ sint;) quia nemo gustaverit dulcia, quin & amara. Mel sine felle non datur, aut granum sine zizaniis. *Vnde ergo habet zizania?*

Artemid. de interp. somnior.

Emblemate res fiet clarior: depinxerat aliquis Cupidinem lascivi amoris Deum, voluptatibus maximè allicientem, qui dextrâ rosam tenebat, sinistrâ piscem.

Altera sed manum flores gerit, altera piscem. *Andr. Alciat.*

Flores aut rosæ, mundi delicias indicant; pisces autem angustias, quod intus pleni sint spinis & cordis puncturis. Hoc ipso monstratum est, inter voluptatum flores exoriri tribulationum spinas. Ut meritò interroget sanctus Pater Augustinus : *Poteris te convertere ad aliquam voluptatem, ubi spinas non senseris ? In bonorum cupiditate, quanta sunt spinæ! Amores turpes quantas molestias habent!* *In psl. 93.*

Delectata est Rachel in flore pulchritudinis, sed non sine spina sterilitatis. Liæ datum est granum fœcunditatis, at non sine zizanio deformitatis. Cur pulchritudinem simul cum fœcunditate non conjunxit? *Quia Deus miscet prospera cum adversis.* *I. Haye auct: arbor vitæ in Gen. c. 19 n 31. §. 153.*

Bona, fortunæque hujus sæculi, Rosæ comparantur, non ideò solùm, quia lusit Poeta.

Mitte Rosam, ut nôris fugitivæ gaudia vitæ,
Manè orta in tenebras languet eunte die,

Al. Novar. in risu Sardon. c. 6.

Verum etiam quod individuum habeat spinam, quasi Rosa deliciarum esse non possit sine mœroris spina. *Mundani gaudii Rosa insigne est, non ob brevitatem tantum, sed quia spinis circumsepitur.*

Quàm recreatur papilio ad candelæ flammam, cùm toties circumvolitat ut lumen attingat, nec antè satiatur dulciter allectus splendoris decore, quàm ardore correptus crudeliter extinguatur. Unde Plautus Alcumenam Amphitrionis uxorem introducit ita loquentem: (Ita cuique comparatum est, ita Diis placitum, ut voluptatem mœror comes consequatur.) Verè miserabilis papilio, cum, propter apparentem solum pulchritudinem, delectamentum sibi morte comparat, & ubi lux recreat, ardore conflagrat. *Tunc apparuerunt & zizania.* *Plautus.*

Invitat mundus grano voluptatis inescans, at inde magis angustiat zizaniis adversitatum discrucians. Blanditiis arridet quidem exterius, intus tamen procella desævit. Hinc Isaias presbyter meretricis habitu mundum repræsentavit: (Mundus est meretrix, quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscendum trahit videntes eâ: qui autem particulariter ejus amore deceptus, ipsum fuerit amplexatus, à manibus ejus non po-

Isa presb. c. 2. de contempt. mundi.

test evadere, donec spoliet eum, & cum expoliaverit eum omnibus, ejiciet eum de domo sua.)

Nec facilè credendum, sub coronato etiam capite granum felicitatis collectum sine infelicitatis lolio reperiri. Et in Regum agris succrescunt abundè afflictionum zizania. Verum hoc fatebimini, si modo mentis aciem convertatis ad caliginem noctis fatalis, ubi Regi Balthasari adeo opiparè apparatum est convivium, ut numquam splendidius potuisset. Convocati erant Regni proceres & quotquot venustissimæ matronæ, ut fortè celebriores fierent exequiæ, tragico funestæ noctis eventu. Aula Regalis amicta tapetibus auro splendebat & margaritis: quicquid arte effici poterat, quidquid pretio comparari, videri ab omnibus poterat, sed non sine maxima admiratione. Nihil dicam de columnis marmoreis in cælum prominentibus, nil de mensis ex ebore artificiosissimè elaboratis. Tanta erat odorum inconsorum suavitas & fragrantia, ut Arabia credi potuisset. Mensæ saporatis ac exquisitissimis ornatæ ferculis, & hinc illinc mille circumstantes pedissequi, omnes obsequentissimi, varia quisque munia promptissimè obibat: fercula ferebant illi, reponebant isti, alii coram Majestate Regia dextrè ventilabra agitabant: quid addam de obsoniis delicatissimis & gratissima symphonia? protrahitur convivium, iterantur tripudia, accenduntur lumina, estque plena lætis clamoribus & jubilis aula, cum ecce tempus ut funestissimæ scenæ daretur initium; sat enim lusum à ridente fortuna.

In medio granorum consolationis ubertimæ manus apparuit, quæ tribus verbis ceu tribus zizaniis *Manè Thecel Phares*, seminavit, jacturam Regni, perditionem Coronæ, & Regis interitum prognosticando. *Tunc & in eâdem horâ*, hoc est, cum sic affluebat deliciis & splendidè epulabatur, *facies Regis commutata est: cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur.* Ecce nascuntur zizania, inter gaudia luctus, inter concentus musicos lamenta, & inter tot signa lætitiæ planctus *Mane, Thecel, Phares*, Tu qui jam voluptati indulges, & scates divitiis; Rex superbissime, hâc nocte morieris. Verum est, in hortis rosæ nascuntur inter spinas, sed in hoc convivio inter mundanæ prosperitatis rosas, infelicitatis spinæ oriuntur. (Perpende mundi vanitatem, rerumque humanarum commutationes, & quàm cito voluptas in mœrorem convertatur. Comedebant & bibebant opiparè, lætitiâ gestientes & ad oblectamenta se ipsos excitantes, & repentè nova quædam mœstitia eos perturbavit.)

Dan. 5.

Hest. Pint. in c. 5. Dan.

Opportunè observat hic S. Joannes Chrysost. circa sponsaliorum ceremonias, cum jam sponsus & sponsa in suminis deliciis sunt, in contractu apponi solent hujusmodi conditiones aut cautelæ: Si contingat sponsorum alterum mori sine prolibus, aut certe proles moriantur ante parentes, &c. Quorsum ista præcautio, quæ ad mœrorem provocat? *In sponsalibus contractibus*, (verba sunt S. Doctoris) *& Scripturis ista conditiones ponuntur ut plurimum. Si alter nubentium sine filiis decesserit: Si filii priùs, quam parentes moriantur: Si masculus primogenitus obierit.* Ah! ad lætitiæ granum penetrat mortis zizanium, ut gaudium interturbetur vix inchoatum. Summatim ut dicam, mundus iste non est florum seminarium, sed campus in quo metenda quotidie adversa & tristia. *Tunc apparuerunt & zizania.*

S. Chrys. hom. de Fide & Spiritu.

Spiritu prophetico prædixit Elias, impiam Reginam Jezabel, quæ innocentem occiderat Naboth, persecuta etiam Sanctos Prophetas, laniandam à canibus & devorandam in campo Jezrael. *Canes comedent Iezabel in campo Iezrael* Quærit Abulensis, quare Regina illa occidi debuerit à canibus in campo Jezrael; cur non in proprio palatio, in civitate, in platea aut in loco patenti, ubi videri ab omnibus posset, dum meritum subitura erat supplicium. Et ipse respondet ideo factum, quia in campo illo amœnissimus erat hortus, quo Regina non raro divertebat ut tantisper à gravioribus curis respirans, liberiùs genio indulgeret recreata florum variâ pulchritudine, herbarum viriditate, avium cantu, arborum umbrâ & grato rivulorum susurro. Hic delectari solita & jucundari: sed in hoc ipso campo dilaceranda erat à canibus, ut inter deliciatum flores inveniret latitantem venenatum colubrũ infortuniorum, & ex volucrum suavi modulamine præsagium haberet latratûs canum, sciretque in uno eodem campo colligi felicitatis granum & unà meti adversitatis zizanium. (Illic erat hortus amœnissimus (loquitur Tostat. Abulens.) in quo Regina maximè delectabatur: pêrinde ut genialis locus feralis efficitur, & ubi anima jucundissimè trahitur, ibi misertimè exhalatur; & ubi voluptatis aucupia captantur, ibi mortis jacula infliguntur.) In maximos incidunt luctus, quibus nunc felicitatis aura favorabilis spirat; quia risus ille, amarissimi gemitûs plerumque est omen. *Tunc apparuerunt & zizania.*

3. Reg. 21.

Abulens. 3. Reg. 21.

Verum hoc, in mundi hujus campo vastissimo, quando minùs expectamus, excrescere doloris zizanium, eoque suffocari voluptatis præsentis

sentis germinans granum. Si quando agrum vidistis, & in eo spicas velut auro coruscantes, quæ versus terram pendulæ fertilitatem ostendunt, & quasi agricolis innuunt, ut ad messem tam copiosam se parent, exuberantem lætitiâ. Intuetur agricola, & inenarrabili perfunditur gaudio, exultat interiùs & ex corde eructat : Benedictus Deus, qui hoc anno tam abundè compensat sterilitatem præteritam. Crastinâ die, favente cœlo, colligam sudoris mei primos labores, & implebo horrea. Nocte conturbatur aër, suboritur grandis tempestas, grandine flagellantur spicæ, conteruntur segetes, perit messis, & sub inundanti diluvio grandinis sepelitur non modo granum, sed spes & lætitia agricolæ : & dum se divitem credit, subitò fit mendicus, non jam habens granaria onusta frumento, sed manus plenas vento. Ea est humana felicitas, quam bene depinxerat Aristoteles. *Homo est fortunæ lusus.* *Arist.*

Eam ob causam Isaias Propheta flori æquiparat, ubi sit ait : *Omnis gloria ejus quasi flos agri.* *Isa. 40.* Florem contemplemur prodeuntem ex terræ sinu ; vix natus est & fit parens suavissimi odoris, Nil in mundo pulchrius aut venustius unquàm visum : at sub vesperum redeamus, & occidente jam sole intueamur, ut subitò languet, ut expallescit, ut perit omnis ejus decor, & odore evanescit? *Nondum enim à florum collectione domum reversi sumus* (scribit D. Basilius] *& ecce in ipsis adhuc manibus nostris constituti marcescunt.* *S. Basi. hom. de Parad.* Allusit Poëta.

Quid lætare miser? nescis post gaudia vitæ
Perpetuos luctus mortis adesse tibi? *Ovenus.*

Flori aut vernanti rosæ Sanctus Thomas à Villa Nova felicitatem juventæ virentis comparavit : *Videas puellam pulcherrimam & formosam, quasi nascentem rosam; expecta modicum, & videbis eam vetulam, rugis aratam, deformem, turpem, abominabilem. O puella! dic mihi, ubi est illa tua pulchritudo, venustas, decor & lepos? Ubi illa rubedo faciei, ille color albus, illi niteres vivi; ubi illa jucunditas, lætitia, gaudium, illa sensuum vivacitas? Exsiccatum est fœnum & cecidit flos. Rosa illa pulcherrima cito emarcuit.* *S. Thom. à Villa Nova in Dom. 3. Advent.* Verè felicitas misera, quæ vix dum nata expirat, & plangitur extincta.

Sejanus auctoritatem habuit maximam apud Imperatorem Tiberium, adeo ut hic sine illo vivere non posse videretur. In mensa ad latus sedit & in eodem curru triumphali. Quidquid Imperator scribebat, subscribendum à Sejano. Mutua erat animorum confœderatio tanta, ut nemo non miraretur. Rexit Sejanus per annos sedecim Tiberii imperium, & in tantum exaltatus est, ut Sattius & Pompejus cultum ei offerrent & humillima obsequia. Fortunam in manu habere videbatur. O falsam & volucrem fortunam! Qui fortunæ ludo, aut favoris artibus pervenit ad alta, non semel posteris calamitatis reliquit exempla, dum qui prospero aliquando volatu inscenderat, casu miserabili præcipitatus est ad ima. Nihil minus Sejano evenit, cum felicitatis pelagus navigans Cæsaris indignationem incurrit, & maxima cum ignominia & dedecore vitam finivit. Conjectura judicare potuisset serenitati tam diuturnæ subsecuturam eam tempestatem. Priùs honoratur à mundo, & pòst extremo affigitur supplicio, atque à prosperitatis throno excelso, efferetur ad tumulum. Quàm verè id asserit Sinesius (Felicitas onus quoddam esse videtur plumbo gravius; eum ergo subvertit, qui id humeris imposuerit, nisi sanè sit robustus. Fortuna læta, ut plumbum quævis deprimit.) *Corn. Tacit. 5.*

Quid de Belisario addemus? Et ipse dignitatis culmen ascendit, eoque elevatus, ut sub imperatore Gratiano cusa sit moneta hâc inscriptione, *Belisarius Romanorum decus.* Sed ecce in agro zizania : ab Imperatore repudiatur, tandem ostiatim mendicare coactus, & pudore suffusus à transeuntibus humiliter petere. (Date obolum Belisario, & quem antea vidistis imperantem, nunc aspicitis mendicantem) Itaque honoris adepti fastigum erat minantis calamitatis augurium. Quo alludens Titelmannus hæc scribit : (Verè non nisi vanitas est illa apparens eorum felicitas neque ullam habet stabilem durationem ; sed quemadmodum gramen virescens non diu suum virorem obtinet brevi exiccandum, ita & ipsi qui nunc vivere & florere conspiciuntur, secundum seculum mundi hujus, brevi, & citiùs quàm quis credat, suo privabuntur virore.) Mundus felicitati nostræ exequias parat. *Georg. Cedr apud Cæsar.* *Fr. Titelm. in Psal. 30. v. 2.*

Quis fortunatior Martiâ apud Regem Dionysium? ob somnium ipse tamen nocte habitum postero manè mortis pœnam luit. Miseremini (NN.) & mecum infelicium mundanorum ærumnas & infortunia deplorate. O quàm certè misera mortalium conditio! Dominio subjacent sævæ nimium felicitatis : quò plus enim elevat; quò blandior apparet, eò durius cruciat. Verè dictum ab Augusto. *Dulcedo hujus seculi ad tempus fauces indulcorat, sed in magnam amaritudinem postea convertetur.* *S. Aug. in ps. 124. n*

In

In ea felicitatis via gradiebatur Thomas Morus (Verum quidem est, quàm vana, jam satis inspexerat & norat, non æstimavit) quia noluit illi condescendere & annuere petitionibus Regis eò quod legi divinæ adversarentur & conscientiæ rectæ, zizania reperit & mortis sententiam accepit. Lætus itaque & hilaris totus, quod ad mortis portum feliciter appulisset absque animæ naufragio in procelloso hujus sæculi mari, cygnum imitatus, dulciter ita canere cæpit.

Labat. t. 2. Arest.

Inveni portum, spes & fortuna valete:
Sat me lusistis, ludite nunc alios.
In porto son, speme à fortuna addito,
Subornite altrui schernite assai son'io,

Si Astrologus ego sim & ascensum videam in linea humanæ prospetitatis, malum id omen existimem, sequendo doctrinam Hippocratis in Aphorismo sic adaptato. *Habitus exercitatorum qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constituerint: neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere; cum verò non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est ut decidant in deterius.* In culmine felicitatis tàm elevati sunt, ut altius erigi non possint, atque in eo statu difficilè retinentur. Quid ergo? *Reliquum est, ut decidant in deterius.* Necesse est, ut miserandis pateant ruinis. & sic experiuntur quomodò in hoc mundo bonum semen semper comitentur zizania, esseque velut inevitabile fatum zizaniis interseri & illorum molestiam pati. *Venit inimicus homo & superseminavit zizania in medio tritici.*

Hippoc. l. 1. Aphor. 2.

Matt. 13.

Si ita est (NN.) gratior erit deinceps fortunæ adversitas quàm blandus favor; & plus me terrebit prosperitas quàm sæva tempestas. Bene monet Theodorus Abbas: *Facilius quis lædi potest prosperis, quàm adversis.* Venerandus semper Elias sicco pede flumen Jordanis transgressus, cum Eliseo Discipulo instantem discessum indicavit: Eliseus hoc intellecto contristatus est vehementer, lachrymis mixtim & suspiriis dolorem ostendens. Miseret me tui, Discipule mi charissime, (inquit Elias) sensibilis affectus te afflgit, ut video, sed luctui modum pone, & gratiã pete quamcunque velis, obtinebis. *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Hoc oblato favore recreatus est Eliseus, & dolore parum remisso hanc sibi gratiam imploravit. *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Ad quid tamen duplicem spiritum petit? an non jam ipsi sufficeret, ut Eliæ spiritus unus & simplex? Videamus (NN.) quid Eliseum moverit, ut duplicem spiritum rogaret, & fatebimur justam fuisse petitionem & meritò non contentum simplici spiritu, ut fuerat Elias. Ah! dixit Eliseus, unus non mihi sufficit ad resistendum mundi adversitatibus, fortunæ contrariis ventis, & impiæ Jezabelis persecutionibus, facilè prævaluit unico spiritu Elias: at mihi resistendum est gratiis sæculi & humanis favoribus, undique aliquando exhibendis, saltem à Naaman Syro postquam suggessero modum, ut à lepra mundetur; ideo non satis, nec sufficit mihi spiritus simplex, sed duplici opus est: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus:* alioquin non subsistam & periculum metuo. (Sciebat Eliseus, Eliam inter labores vixisse, se inter favores virtutum: Eliam persecutionibus Achabi vexatum, se donationibus Naamani honorandum. Et quia intelligebat, duplo graviora certamina à prosperitate quam ab adversitate, idcirco duplo majorem spiritum, quo illis resisteret, postulabat. (Existimabat ergo duplo se infeliciorem inter favores, quam fuerat Elias inter persecutiones, quas ab Achab & Jezabel patiebatur; atque ideo obsecravit: *Fiat in me duplex spiritus tuus.* Nec eum fallebat ista opinio, quia mundus est Python, aquam limpidam turbat alienæ felicitatis: & quanto altiùs *ad summum bonitatis attingit* in statu prospero, tanto profundiùs *decidit in deterius*, in calamitatis abyssum: & ecce subitò *apparuerunt & zizania.*

F. Mend. in l. Reg. t. 1 an. 3. proœ. lec. 10. n. 13.

Valer. Max. l. 6. Strab. l. 14 Hist. Pintus in Ezech. c. 51.

Polycrates apud Historicos & opibus & omnigenâ felicitate inclitus nunquam in vita fortunam sibi adversam senserat. Die quodam curiositate impulsus, ut, quid sit infortunium, experiretur, annulum incredibilis pretii sibique charissimum digito detraxit, & projecit in mare. Videte quis hic fortunæ favor: piscis annulum absorpsit, captusque à piscatoribus, casu venditus servo Polycratis, & in mensa ejus appositus eodem die; quem ut Polycrates aperuit, annulum intus invenit, & sic illo casu nondum fortunæ duritiam experiri poterat, ut intendit. *Ad summum bonitatis attingebat. Reliquum est ut decidat in deterius.* Traditur inimicorum manibus, & ignominosè suspensus, teterrimo mortis genere diem clausit. (Prospera ei cuncta successerant: annulum etiam pretiosissimum data opera projecit in mare, ut aliquando adversa experiretur, eundem tamen paulò post in pisce ante se posito, qui annulum absorbuerat, invenit.) Posteà autem quid? (Captus ab hostibus, obscuratâ amissâque glorià & Regno, in crucem & patibu-

Ph. Diez. p. 2 de cont. mundi.

patibulum actus fuit, cadaverque ejus objectum avibus canibusque dilaniandum ac devorandum.) Atque sic evidenter patuit, quàm verè dixerat Solon : *Nihil in mundo ex omni parte beatum.*

Solon.

Credite (NN.) melius in hac vita miserum esse quàm felicem, quia miseriæ cùm primam habeant syllabam *Mi*; facilè convertuntur in mellis suavitatem : at verò felicitates, cùm sit prima syllaba *Fe*, citò in fel mutantur. *Fel absconditur sub melle cortice.*

Anon. in Ryth 13. Magna Bibl.

Homo tamen ita perditè amat fortunam secundam, ut si totam possideat, solus frui continuò velit : quam si vel semel adversam senserit, ultrò eum omnibus dividere cuperet.

Redemptor noster, præsentibus Apostolis reliquis, Petrum ad se vocavit, eique dignitatem Pontificiam contulit, & datis clavibus plenariam auctoritatem, Pastorem gregis sui constituendo. *Pasce oves meas.* Ad hæc verba Sanctus Joannes Chrysostomus : *Magna Christus Petro communicavit & orbis terrarum curam demandavit.* Et sanctus Ambrosius ait : *Sui velut Vicarium reliquebat.* Petrus se inclinans, gratanter acceptat oblatam dignitatem, & tacet.

Ioan. 21. S. Chrysost. in c. 21. Ioa. hom. 87.

Prosequitur discursum cum Petro Salvator, hæc subdens verba : *Cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, alius cinget te, & ducet quò tu non vis, extendens manus tuas.* q. v. d. Petre, scire te velim, quod jam prædico, persecutiones te manent propter nomen meum, martyria & cruces. [Sicut ego pro te, ita & tu moriaris pro me. (inquit Ludolphus à Saxonia.) Sicut ego, tu in crucem ascende ; tu eandem, quam ego, mortem patere. (Advertite mecum (NN.) Vix Petro indicaverat Christus adversitates futuras, & statim interrumpit discursum, de Joanne interrogans : *Domine, hic autem quid?* Scire jam optem, cur Petrus à Christo petat de Joanne, statim ac audit prognosticari infortunia, martyrium & mortem. Quid hoc prætendit? Fortassis ex tunc exequi volebat munus sibi commissum à Domino, de ovibus sollicitè indagando & curando : Respondet Ludolphus Carthusianus: *Postquam Petrus audierat se crucifigendum, voluit etiam agnoscere fratris exitum : ideò volebat eum in martyrio socium habere.*

D. Chrys. ubi suprà.

Lud. Card. p. 2. c. 79.

Lud. ib. ubi suprà.

Sed ut quid non dixerat : *Domine, hic autem quid?* Joannem sollicitè curans, cùm jam reciperet dignitatem Pontificialem *Pasce oves meas?* Non videatur id mirum : Petrus cupiebat solus esse felicitatis possessor & dignitatis collatæ ; sed in adversitate, in persecutionibus, in martyrio, petit à Christo Joannem dari consortem. Concepta est Philippi Diez, verbis ex ipso dicam. (*Pasce oves meas.* Quibus verbis ei summi Pontificatûs dignitatem tradidit, in qua nullum admittere socium Divus Petrus voluit. Quare tunc non dixit : Hic autem quid At verò, cum dixit Dominus : Sequere me, scilicet per mortem, tunc interrogavit : Domine, hic autem quid? Ex quo videtur in labore socios voluisse, non in dignitate. Volebat solus esse in collectione granorum ; sed in messe zizaniorum exigebat Joannis consortium.

Diez in Festo S. Ioann. Evang. conc. 1.

Qui infelices sunt, alienæ felicitatis volunt fieri participes, sed ne vel minimæ adversitatis. Salvator noster Hierosolymam petens, cum Discipulis conferebat de malis & persecutionibus in urbe ferendis. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur ad crucifigendum, flagellandum, &c.* Hæc illo dicente, accessit Zebedæi uxor cum filiis Jacobo & Joanne, beneficium postulans, ut dignaretur filios promovere, atque uni dare sedem ad dextram, alteri ad sinistram in regno suo. Hac supplicatione tria obtinere laborat, ut benè advertit Ludolphus Carthusianus : Tria autem petit, quæ desiderant matres filiis suis ; quietem, cum dicit : Dic ut sedeant hi duo filii mei : honores, cum subdit ; unus ad dextram tuam & alius ad sinistram : divitias, cum addit, in regno tuo.) Adest sanctus Joannes Chrysostomus & ait, Christum de duobus locutum cum Discipulis, detitione Hierosolymam ad subeundum passionem, persecutiones & flagella, deinde de reditione in regnum gloriæ, post sanctam Resurrectionem. *Et tertia die resurget.* Immediatè post illa verba refert Matthæus : *Tunc accessit Mater adorans & petens : Tunc*, quando scilicet differebat de Resurrectione, de gloria & regno, tunc petebat illa sedem filiis in gloria, non Crucem in opprobrio, felicitatem in regno, & non adversitatem Hierosolymæ. Non dicit : Dic, ut etiam mei filii ascendant Hierosolymam ad flagellandum & crucifigendum sed bene : *Dic ut sedeant unus ad sinistram & alius ad dexteram in regno tuo.* Participes fieri quærebant grani beatitudinis, sed partem nolebant in zizaniis infortuniorum. Quam benè annotavit Chrysostomus : *Æstimo quòd hi fratres, cùm audissent Dominum de Passione ac Resurrectione sua prophetantem, cœperunt dicere intra se : Ecce Rex cœlestis descendet ad regna tartarea, ut Regem mortis destruat ; cùm autem victoria fuerit consummata, quid aliud restat,*

Matth. 20

Ludolph Carthus. p. 2. c. 11.

D. Chrys. in c. 20. Matth.

stat, nisi ut Regni gloria subsequatur. Ad rem Ovidius.

Donec eris felix, multos numerabis amicos :
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

At fortè vestrûm aliquis dicat : Nunquid dari posset à Deo granum expurgatum & absque zizaniis? ut quid dulcibus amara semper infundat? Responsum est à S. Augustino: *Si non misceret amaritudinem felicitatibus sæculi, obliviscerentur ejus.* Verè equidem (NN) si fortuna semper læta affulgeat, sine cura vivimus & quasi non haberemus salvandam animam, aut Deum futurum judicem, bona opera negligimus : at si in agro isto supercrescant zizinia, mors subita filii eveniat, carcer premat aut persecutio, statim ad Deum refugium, pietatis exercitium diu neglectum resumimus ; votis & indictis jejuniis nos obligamus, de confessione seriò instituenda, de occasione mali vitanda firmiter deliberamus, victuri imposterum ut Christiani, non more bestiarum ut hactenus. Serite interim granum Eleemosynæ in favorem pauperum, ut meritorum fructum sine zizaniis colligatis.

D. Aug. in Psalm. 39.

PARS SECUNDA.

ALiud zizaniorum genus reperitur in bonorum terrenorum messe, magna videlicet eorum instabilitas, neque unquam firmo consistunt gradu, estque granum quod putrescit brevissimo tempore & marcescit. (Quemadmodum herbæ (scribit Titelmannus) latis foliis pulchrè virentes ad tempus aliquantulum brevi intereunt, ita illi (id est homines felices) brevi decident ab omni ornatu suo, quo nunc gloriantur. Sicut enim exardescente Sole, exardescit gramen, & decidit flos ejus; ita etiam dives marcescit in itineribus suis.) Cùm Deus Adamo dabat bonorum terrenorum dominium, eum constituens omnium possessorem, usus est hac verborum formulâ. *Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Quid faciunt ad dominium pisces, quid volatilia, aut animantia sylvestria; Fortè per hoc innuit Deus, dominium labile esse ut pisces, volubile ut aves, & fugitivum ut indomitæ feræ. (Fors docere hoc Deus voluit, cùm hominem piscibus maris præfecit & cœli volatilibus, hi signatè hominis imperio subjiciuntur, ut à piscibus maris disceret, imperia fluctibus & amaritudinibus non caritura; à volucribus volaticas dignitates. Dignitas in hoc solùm firma, quod nunquam sistat, in hoc immobis, quòd moveatur semper.) Et quod idem sonat

Fr. Titelm. in Psal. 6. n. 2.

Gen. 1.

Nov. in risu Sardis 14.

Altera stabilità non v' è nel mondo.
Che l' istabilità che mai non manca.

Narrat Evangelista S. Lucas inimicum infernalem zizaniorum satorem elevâsse Filium Dei supra verticem montis, eique ostendisse omnia mundi hujus Regna, si vel semel flexo genu adorare voluisset. Observat tamen Sanctus Pater Ambrosius modum, quo omnes mundi principatus diabolus monstravit. *Ostendit illi omnia Regna mundi in momento temporis.* Quomodo possit unico temporis momento ostendisse tot Regna, tot Provincias & Monarchias! Non hoc mirum, respondet Sanctus Pater, quia momentanea erant, adeoque tantum opus momento ut ostenderentur. *Bene in momento ostensa dicuntur, quia momentanea sunt.* Ecquid instabilius momento quod non durat neque permanet; *In momento temporis bene ostensa dicuntur, quia tam brevi tempore durant, ut ostensa magis, quàm data dicantur.*

Luc. 4.

S. Amb. ib.

Fr. Tolet. in c. 4.

Postquam ferialibus diebus laboraverat in Ægypto populus Israel, festis ad flumem Nili conducebatur, erantque ad manum instrumenta musica : rogat illorum aliquis, ut cantarent ad modulos urbis Hierusalem : *Hymnum cantate nobis de canticis Syon.* Se excusebant renuentes & dicebant, prohibitum canere sacros hymnos extra patriam. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Instrumenta musicalia suspendebant sedentes ipsi ad ripam Nili, in tristes erumpebant luctus, dum recordabantur perditæ tranquillitatis, divitiarum & deliciarum abundantiæ. *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Syon.* Notate quandonam recordari sint bonorum deperditorum, dum scilicet sedebant ad ripam fluminis : videbant enim currentis aquæ rapidissimum fluxum eumque continuum, & statim illis in mentem incidit talis conditionis esse bona illa, quæ reliquerant in Syon, ut aqua continuò est fluens, ita illa volubilia. Annotavit Sanctus Hieronymus : *Sicut flumen transit, & aquæ succedentes sibi venientes & recedentes pereunt, & iterum aliæ oriuntur & ipsæ pereunt, ita & in hoc mundo quoad momentum aut ad aliquod tempus,*

Luc. annot. ibid.

Psal. 136.

S. Hier. in Psalm. 136.

aut

aut ditamur, aut fortes sumus, aut pulchri, & post modicum transit sicut aqua & perit.

Hinc est quòd Herodes saltatrici levissimæ moribus, pro tripudio obtulerit medium Regnum. *Marc. 6.* *Postula à me quod vis & dabo tibi, etiamsi dimidium regni mei.* An aliud non suppetit quod pro saltatione illa levi retribuat? Lege præscriptum est, ut in præmiis & laboribus *servetur qualitas & æqualitas.* Et cum tripudium aliud nihil sit, quam actio transiens, & motus instabilis, non potuisset melius Herodes saltatrici satisfacere, quam instabilitate alterâ remunerando. *Dabo tibi, etiamsi dimidium regni mei.* Adest & subscribit D. Ambrosius. *D. Ambr.* *Vide, quàm benè sæculares de sæcularibus judicent potestatibus, ut pro saltatione regna donentur.*

Conquestus est de mundi hujus instabilitate Propheta Regius: *Psal. 68.* *Infixus sum*, ait, *in limo profundi & non est substantia.* Quærunt multi Patres quid intellexerit Psalmista hoc verbo *substantia.* Sanctus Augustinus de divitiis explicat, *S. Aug. ibi. Michael à Bononia in Ps. 236.* *Et non sunt divitiæ.* Alius legit, *Et non sunt bona temporalia.* Ego nondum capio, sive in genere locutus sit David, sive in particulari de propria persona. Quomodò enim verum sit genericè dictum, *Non sunt divitiæ. Non bona temporalia*; An fortassis divitiæ in mundo deficiunt aut bona fortunæ? si verò de semetipso ita locutus sit, quomodò sic? an non Rex erat ditissimus & regni amplissupremus, ac potentissimus Dominus? *Felix Pratens. Genebrar.* Facilius intelligetur ex Felice Pratensi, ubi legit. *Et non est stabile.* Accedit Genebrardus *Non est locus, in quo firmiter possim premere vestigia, & pedibus consistere.* Intendit ergo dicere Psaltes: In divitiis & bonis his temporalibus nil firmum & stabile. *S. Asterius homil. de æcon. iniq.* (Res hujus vitæ (ait sanctus Asterius) mutantur; & qui hodie clarus est & illustris, cras miseratione & ope dignus: qui in præsenti locuples & divitiis affluens, paulò post egere vixque domi panem ad victum habere deprehenditur)

Romulus æternâ memoriâ dignus pro ædificatione almæ civitatis Romæ, quæ caput est mundi, & pro tot obtentis victoriis, ut gloriam nominis exprimeret, fieri curavit lanceam, in cujus summitate affixus penderet fasciculus fœni. *Dionysius Carthus. in Psal. 36. 91. 71.* Quid fœno cum gloria? Dionysius Carthusianus de fœno dicit: (Hodie floret, & cras marcescet. Post ortum suum citò arescit, & deficcatur.) Ita sentiebat de heroicis factis Romulus, ac si diceret:

—— Quid gloria? Quid laus?
Quid fama est? Quid honor? Vox est & opinio vulgi.
Omnia longa dies abolet, cum vivere cessas.
Omnia sic abeunt, ut lux cum sole recedit.

Fœnum omnes Ægyptiorum honores & dignitates sunt, ut testis est Philo Hebræus. (Fuit & Ægyptiorum perampla magnificaque potentia, sed nubis in morem præteriit ea felicitas.) *Philo Heb.*

Quid nisi fœnum Rhodiorum Colossus, Ægypti pyramides, Mausolæum Artheniisiæ, templum Salomonis, structura Babylonica, exercitus Xerxis, Assueriopes, Alexandri magnificentia, victoriæ Cæsaris & Cyri regnum? (Cæsarum lata potentia, Principum dominationes, Prælatorum gloria, qui ante nos fuerunt, quò pervenêre brevis lætitia, mundi potentia, magna familia ac sæcularis pompa, quid profuêre? hæc omnia tanquam umbræ, vestigium non habent, ac veluti navis fluctuantem aquam, celeriter transierunt.) *Henr. de Asca apud Duc t. 5. verbo gloria inan.*

Omni gaudezza il tempo an fin resolve.
In vento, è fummo, è polve.

Fœnum humana felicitas est, ut propterea ab Ezechiele comparata sit navi, munitissimæ quidem, sed prorâ destitutæ, sine quâ firmitatem habere non poterat nec unquam stabilitatem. *D. Hier. in Ezech.* *Meritò* (annotat hic S. Hieronymus) *anchoram amisit, ut inde innotesceret, eam felicitatem sic descriptam, instabilem omninò fluctuantem & citò perituram.*

Fœnum est juventus, asserit Nemesianus.

Nemes. Eclog.
Non hoc semper eris: perdunt & gramina flores:
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent:
Nec longùm tenet uva comas, nec populus umbras.
Denum forma breve est, nec se tibi commodat annus.

Fœnum pulchritudo & blanda vultûs muliebris forma, inanis gloriæ fomentum, sanctitatis fascinum & perfectionis incantamentum. Dicat Theocritus: *Theocrit. Idyl. 28.*

Et rosa pulchra est & tempus eam tabefacit,
Et viola pulchra est in vere, & statim senescit.
Candidum est lilium, tabescit verò cum decidit.
Et forma puerilis pulchra est, sed brevi tempore durat.

Fœnum Alexandri magnanimitas. Teſtatum id legimus epitaphio in lapide ſepulchrali.

En ego, qui totum mundum certamine vici.
Dictus Alexander, vincor & ipſe brevi.
Omne tenens regnum, cunctis dominabar in Orbe,
Nunc ego non teneor, nec mihi regna valent,
Reges ſternebam; me mors duriſſima ſternit;
Omnia mactabam; mactor at ipſe miſer.

Aut certè (ut referunt alii) miſeriarum tumulo recluſa eſt omnis ejus felicitas.

Aſpice me miſerum corpus, cui cuncta favebant,
Nunc brevis in ſtricto me tenetur na loco.

O quanta eſt humanæ dignitatis fallacia! quanta fugacitas! En hic feratum domitor, terror hoſtilis exercitus, Orientis monarcha quàm citò extinguitur, & ætate florentiſſimâ, ô fluxa ſeculi felicitas! meliùs bracteatam proſperitatem oculis exprimam quàm linguâ: citiùs ubertim lachymis, quam calamo & atramento.

Dixiſſe cum Petro Cellenſi ſufficiat. (Currit, fluit, fugit, labitur & evaneſcit, quidquid unquàm habere poteſt mundanus uſus.) Spernamus igitur ficta & vana fortunæ bona, cum non niſi vera ſint animæ mala. Quiſquis divitias æſtimat, ſupra caput exaltando, illarum pondere ad ima deprimetur: at ſi pedibus conculcat, gradum ſibi ſternit ad gloriam. (Quid ſuavius? quid glorioſius petit ſanctus Aelredus) quàm mundo contempto, mundo ſe cernere celſiorem, ac in bonæ conſcientiæ vertice conſiſtentem, totum mundum habere ſub pedibus? Ut quid ergo tam avidè infudas accumulandis ejuſmodi granis, cùm non habeantur hic niſi zizania? Hortor, ô Chriſtiane! & hoc opportunè conſilium ſequere. *Deſpice quæ pereunt, fugitiva gaudia vitæ.* Ite in pace.

S. Petr. Cellenſ.

S. Aelred. Abb. c. 7. ſpec. char.

D Columb.

DOMINICA SEXTA
POST EPIPHANIAM.

ARGUMENTUM.

Homo vel minima tenetur vitare: quæ enim levia videntur, dum res imminuunt, ad majora diſponunt; &, quæ ſigillatim parvi momenti, conjuncta intolerandi ſunt ponderis. Cavendum ſolicitè à peccatis etiam venialibus, ne, dum indies conſuetudine excreſcunt, ad gravia pertrahant, & ſic non rarò mortalibus magna aperta ſit janua.

THEMA.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cùm autem creverit, factum eſt majus omnibus oleribus.
S. Matth. cap. 13.

PEritus ille Scriptor Publicus Syrus; ut eos de incuria argueret, qui defectus exiguos & leves non curant, utile hoc omnibus monitum ſcripto reliquit: *Inimicum, quamvis humilem, docti eſt metuere.* Hominis prudentis factum eſt, timere, & timendo hoſtem cavere, quantumvis ſit imbecillis & debilis. Huc facit emblema cui inſcriptum: *A minimis eſt timendum.* Nec alia dari poſſit hujus ratio, quam quod *minima non minimè nocent.* Adrem noſtram ſolitus dicere Theon Abbas: *Scientibus perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo*

Publ. Syrus.

Alciat. Emb. l. 186.

Labat. t. 1. verb. pec-

tat. Thren. Abb Ovidius.

tudo gravissima est. Et, si bene recordamini, accommodè scripsit Poeta:

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum,
Acane non magno, sæpè tenetur aper.

1. Cor. 5. Raban. Maur. ib.

Et si à prophanis scriptis ad sacra eamus, evidentior erit veritas. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, hoc est, explicat Rabanus, *omnem massam farinæ conspersam corrumpit, & ad suum acorem trahit.* Nonne clarè satis insinuat

Eccles. 9. L. Scio. ff. in inst. rest. c. ad nost. de reb. Eccl. non alien. Basil. Ponte Dom 2. Quadrag.

Ecclesiasticus, dicens: *Qui spernit modica paulatim decidit*; ut proinde mirari satis non possim ita temerè dictum: *De minimis non est curandum.* Annon sæpè sæpius experientia docuit, ex fuso fieri lanam, è palea trabem, & à formica minima perterreri elephantem? Quis nescit à Remora, quantumvis exigua sit, retineri in cursu permagnam navim? Lapillo in tetram dejicitur ingens Statua Nabuchodonosoris. Scintilla inextinguibile parit incendium, ut advertit sanctus Valerianus Episcopus: Scintilla, quamvis parva, flammas evomit, & ex nihilo exorta, magna frequenter movet incendia) Et addit Ovidius:

Plin. Nat. hist. l. 18. cap. 2. Dan. 2. D. Valer. Ep. Ovidius.

Vt pœnè extinctum cinerem, si sulphure tangas,
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit.

S. Adelhelm in Biblioth. vet. PP. t. 18.

Subdit sanctus Adelhelmus:

Parva mihi primo constant exordia vitæ:
Sed gracilis grandes soleo prosternere letho;
Nam saltus nemorum densos, pariterq; fruteta,
Piniferosque simul montes cum molibus altos,
Truxque, rapaxque feroxque sub æthere spargo:
Et minor existens, graciliq; quam corpore cynips.

Ex solo fructu arboris vetitæ ab Eva decerpto, nunquid toti mundo exitium, sicut ex projecto tribus Deabus discordiæ pomo secutum est Trojæ excidium?

Matth. 13.

Deus bone! Possitnè dari minutius aliquid sinapis grano? *Minimum quidem est omnibus seminibus.* Seratur modò, brevi præter modum excrescet. *Cum autem creverit, factum est majus omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli habitent in ramis ejus.*

Paul de Palat. Hilarius Gregor.

Scio quidem ab Interpretibus sacris granum istud multifariam intelligi. Ludolphus Ecclesiam esse interpretatur, Paulus de Palatio Virginem Beatissimam & Dei servos, Hilarius & Gregorius Verbum incarnatum, Augustinus fidem, Theodoret. doctrinam Evangelicam; Chrysost. cum Hieronymo Verbum Dei. At si illorum & vestrâ veniâ liceat, ad animarum profectum, per granum dictum, hodie peccatum veniale repræsentabo, quod etiam licet exiguum sit, si tamen fatum frequens agat radices, mirandum in modum citò excrescit. *Cùm autem creverit, factum est majus omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli habitent in ramis ejus.* Et si leve sit, ad grave & mortale disponit, ideoque timendum & sollicitè cavendum. *Qui peccata minima devitare negligit?* monet S. Gregorius) *à statu justitiæ non quidè repentè, sed partibus totus cadit. Admonendi sunt qui in minimis frequenter excedunt: quia nonnunquam in parva deteriùs, quam in majori culpa peccatur. Vnde fit plerumque, ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat; & tantò in majoribus contemnat pertimescere, quantò in minimis didicit non timendo peccare.* Videndum hoc in præsenti discursu breviter: attendite & favete.

August. Theodor. Chrysost. Hieron.

Matth. 13.

D. Greg. 3. part. curæ pastor. monit. 34.

PARS PRIMA.

Minimum quidem est granum sinapis omnibus seminibus; cum autem creverit, factum est, &c. Peccata venialia leves sunt infirmitates animæ: unde sicut interdum infirmitas corporis, quæ periculosa non reputatur, non rarò ingravescit fitque incurabilis; ita & infirmitates animæ quantumcumque sint parvæ, si dissimulentur, non rarò insanabiles & mortiferæ fiunt. Scribit in Theologia morali Prædicator & Religioso habitu & munere. Licet à peccato hoc, quia veniale est, non tam ingens impendeat periculum, quàm à mortali, & dictum sit tale, quòd de eo facilè speretur venia, neque occidat animam, quemadmodum facit mortale, ideò sic dictum; tamen non parum etiam nocet; & quamvis animam non trucidet, lædit tamen, leviùs aut graviùs pro peccati malignitate. Si consideretur intra latitudinem suam, per se non privat Divinâ gratiâ, sed ad perdendam semper disponit; & cùm tories iteratur, aperit facilitatque ad mortale viam, non secus ac aqua guttatim per rimam penetrans, paulatim magis navim gravat ad submergendum.

Aug. Morosch de monte Ilic. in Lever. anima de peccatis venialib. c. 1. §. 7.

Neque ab hac opinione recessit Beatus Simon de Cassia. (Multa, quæ venialia sunt ex genere, fiunt sæpè mortalia ex pessima intentione. Nemo autem de ipsorum levitate præsumat, quoniam deprimentia onera sæpè fiunt ex rebus levibus aggregatis. Et guttæ plurimæ sæpè conve-

B. Simon de Cassia l. 8. de vitiis c. 43.

niunt in torrentem, & transvadari non possunt sine periculo mortis, & levia vulnera iterata intulerunt viventibus etiam)

Dionys. Carthus. Consentit Dionysius Carthusianus expressis his verbis: (Cùm venialium culparum frequentia ad mortale disponat peccatum, verendum est valdè, quod tam negligenter & intimoratè agendo, in mortale sæpius ruamus. Hinc cum summa humilitate & ingenti sollicitudine admonemur, ut non solum peccata criminalia caveamus, sed & parvas negligentias quotidiè quasi venena diaboli respuamus.

D. Cæsar Arelat. Homil 32. Observatu dignum est, nec silentio prætereundum, quod Monachis inculcavit Cæsarius Arelatensis. (Quo modo navis, posteaquam pelagi fluctus evaserit, si in portu destituta fuerit, minutissimis guttis impletur & mergitur; sic & Monachus, devictis & superatis seculi tempestatibus, & mundi hujus, quasi periculosis fluctibus, cùm ad portum monasterii venerit, si minuta, & quotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso portu naufragii discrimen incurrit)

S. Aug. de decem cordis. Et Amb spira de contam. consc. f. 3. col. 2. concl. 1. Solus hic sufficeret sanctus Pater Augustin. & doctrinam ejus præ cæteris venerari par est. *Nolite* (inquit ipse) *contemnere venialia, eo quod minuta sunt: sed timete, eò quod plura sunt: plerumque enim bestiæ minutæ nocent. Nunquid minutissima sunt grana avenæ? si in navim mittantur, mergunt illam, ut pereat. Quàm minutæ sunt pluviæ guttæ: nonne flumina implent, & domos dejiciunt? timenda est ergò ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.*

S. Aug. tract. in c. 1. Ioan. Idem sanctus Pater appositè novum hic dubium excitat. Locutus itaque de peccatis venialibus, ait: *Multa levia faciunt unum grave.* Cui doctrinæ contrarii mihi videntur omnes Theologi: quia in æquilibrio ponantur, una parte cuncta venialia præterita, præsentia, futura & possibilia; altera verò peccatum unum mortale, hoc indubiè præponderabit. Quo igitur fundamento dixisse potuit Theologorum Coriphæus: *Levia multa faciunt unum grave?* Et sententiam à paritate indispositionum corporis confirmat: ita enim, quantumvis sint leves & corrigibiles, graves fieri possunt & incurabiles.

D. Tho. 2. p q. 88. a. 3. & 4. Directè opposita hic videtur doctrina Sancti Thomæ Doctoris Angelici: asserit enim: *Veniale & mortale differunt, sicut finitum & infinitum.* Si finitum non possit reddi infinitum, quomodò veniale unicum, quod peccatum finitum est, fiet mortale quod est infinitum: Cui ergò credendum hic? Sancto Augustino, an Divo Thomæ? unus Theologorum est princeps, alter inter Doctores Aquila æstimatur; utrique assentiendum, eâ tamen distinctione, ut *multa levia fieri unum grave integraliter* neget Angelicus Doctor: quia levia etiamsi plurima nunquam pertingent ad gravitatem peccati mortalis. At verò Augustinus intelligit, *multa levia fieri unum grave, non integraliter,* sed *dispositivè,* id est: Multa peccata venialia, si neglecta sint & sæpiùs iterata, ad mortale disponunt: undè multoties experimur è grano sinapis minutissimæ culpæ excrescere abominandam arborem lethalis offensæ. Hic verus est sensus, in quo cum Sancto Patre Augustino convenit Doctor Angelicus, ita verba exponens: *Non quod multa venialia faciunt unum mortale; sed quia, si contemnantur, disponunt ad lapsum peccati mortalis.* Accedit Cajetanus sic expressè confirmans: (Peccans in eo, quòd consuevit non subjicere voluntatem suam debito ordini in minoribus, disponitur tanquam removendo prohibens ad hoc quod non subjiciat eam debito ordini etiam in majoribus.) Atque ita quod est peccatum (secundùm quid & præter legem, fit pecccatum simpliciter, & contra legem.]

D Thubi suprào.

Cajet ibid.

S. Bern in cœna Dom. Dur. l. 2. de 4. q 6. n. 10. D. Tho. 3. p. q. 87 a. 2. Mellifluus Doctor de peccato veniali disserens, sententiam protulit non parum etiam intellectu difficilem. Attendite, obsecro: *Veniales culpas nemo contemnat: impossibile est cum eis salvari.* Nescio quomodo hoc verum, & quis intelligat, siquidem. *Veniale est illud, de quo facilè venia habetur.* Ratio evidens est petita à Divo Thoma, quia *per veniale non avertitur mens à Deo, sed retardatur affectus hominis, ne promptè feratur in Deum.* Quid ergò Bernardus intendit dicens: *Cum veniali impossibile est salvari?* Si *cum mortali* dixisset, facile assentiremur.

Ioan. 13. Ludolph. Carth. ibid. Videamus an ex Evangelio S. Joannis haberi poterit lumen aliquod ad clariorem intelligentiã Quando renuit S. Petrus, noluitq; permittere sibi pedes lavari dicens: *Non lavabis mihi pedes in æternum;* Dominus respondit: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum, id est, in beatitudine,* ait Ludulphus Carthusianus. q. v. d. Ni permiseris lavari pedes, non est quòd speres mecum habere partem in æterna beatitudine, non salvaberis Sed quid tam sordidum & enorme habere poterat in pedibus, ut propterea excluderetur à gloria? Per immunditiam in pedibus (ait Albertus Patavinus) intelligebat Christus peccata venialia. (Qui lotus est à Baptismo non indi-

Alb. Pa.

tav ser. 5. major hebd.

indiget nisi ut pedes laver, id est, animæ extremos affectus a pulvere venialium.) Non potuisset ergò salvari Petrus ob ista venialia? hoc est, quod dictum à D. Bernardo: *Impossibile est cum venialibus salvari*, sic ut locus ille sacræ Scripturæ de Sancto Petro, non solum non tollat dubium, sed confirmet magis, & augeat difficultatem, ut proinde hic in me dictum cadat. *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.*

Ad dissolvendum hunc nodum Gordium in Sacra Pagina, nil melius quam ad doctrinam S. Augustini refugiamus. Intendit itaque Christus Petro suadere, nè leviter sperneret immunditiam pedum, per quam intelligebat peccata venialia, quia aperiunt viam ad mortalia, quæ impediunt habere cum Deo partem in beatitudine, reddunturque impossibile consequi salutem. Ut proinde meritò D. Bernardus affirmet: *Impossibile est cum eis salvari.* Audite iterùm lubet

D. Aug l. de Cant. nov. c. 2. q. 4. L. Iust. c. de prob.

loquentem Augustinum: *Non negligamus nostra peccata, minuta sint, sed multa: fluctus unus validus irruens obruit navim, minaturq; naufragium.* Et quis neget id verum quòd *multa pauca faciunt unum satis*?

Sponsa ut erat vineæ suæ amantissima, hortum ingreditur, videtque multis in locis vulpeculas fossisse & vineam devenustasse. Hortulanum accersit, jubetque statim laqueos extendi capiendis nocivis istis animalculis, ne brevi tempore tota vinea defloretur & pereat. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Quasi dicat, ne nostræ, quod aliorum vineis, accidat, parvulas vulpes diligenter abigite, aut, studiosè apprehendite: pestilenti namque ore arrodunt pampinos, corrumpunt flores, fascinant fructus. Profectò, Sponsa melius erga vineam affectum ostenderes, si vulpes jam adultas grandesque capi imperares; illæ enim corrumpunt & devastant in horto quæcunque obvia. Non inquit ipsa, non: *vulpes parvulas*, dico, istæ *demoliuntur vineas.* *A quibus metuit Sponsa? à parvis vulpibus. Quæ porrò vulpes istæ sunt?* Respondit Ægidius Colomna Hæreticos intelligi. (Quia quando Hæretici incipiunt pullulare, & sunt parvuli, tunc capiendi, id est, sunt convincendi per doctrinam sanam: quia postquam confirmati sunt in errore suo, non ita de facili convertuntur.)

Aloys. Legien.

Ægyd. Colom in Cant.

Attamen dicit citatus Author Legionensis; intelligi peccata venialia, quæ diaboli technæ sunt, quibus Religiosos ac integræ vitæ viros circumvenit; quos, cùm ad graviora flagitia exhorrescant, per minuta sensim obruere tentat, & in mortalia præcipitat. (Diabolus recti specie decipiens, & in peccata levia, ac vix eo nomine digna, bonos, sed non benè cautos viros inducens, eos in exitium tandem præcipitat: dumq; ipsos imprudentes leviorbus peccatis implicat, viam sibi munit ad inferenda majora damna.) Viam dæmonis sternunt, quâ ad animæ nostræ vineam ingreditur, occupat & malè tractat. (Jure optimo (dicit Geslerius) parvularum meminisse vulpecularum, earum potissimùm, quæ juxta vineam nascerentur, parvulorum ac venialium peccatorum, ab iis potissimum tanquam à prima causa vinearum ac Religionum dependere demolitionem. (Quasi velit inferre Spiritus Sanctus, quòd plus animæ noceant vulpeculæ multæ peccatorum venialium, *saltem dispositivè*, quam vulpes una major peccati mortalis. Capite ergò vulpeculas illas malignas & occidite, quia illæ sufficiunt ad inficiendam vineam animæ, ne speratum proferat fructum. *Capiendæ sunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas; quia non captæ crescunt, & nocumenta ingerunt multa.* Solida ergò & sana doctrina est Sancti Patris: *Levia multa faciunt unum grave.*

Gisler. ibid. exp. 32.

Lobez. ibi.

Pace tuâ, sancte Pater, dixero, melius sinapis naturam & qualitates expressisses dicendo: *Non multa levia, sed unum leve facit unum grave.* Pro similitudine faciet, quod relatum est in Genesi: Mensæ assederat Pharao, & cùm jam panem frangeret: capillum in pane reperit & iratus erumpit: Qualis iste panis; quis fecit & apposuit mensæ? Pistor (aiunt) Regiæ Tuæ Majestatis. Vocetur ipse. Tune confecisti hunc panem? vide bene, non fallor, capillus injectus est. Apage ad carcerem, morte delictum hoc luet. Servi nequam in sordibus enutriti, malè nati, malè creati, vestro jam malo discetis quanta sit adhibenda in obsequio Regis solertia & circumspectio. Date potum. Adest pincerna, vinum in scypho offert, & casu musca inciderat. Quid hoc? iterum clamat! siccinè asservatus est potus Regis? in pane capillus, in vino musca? Inepti vos melius bestiis serviatis quàm Regi. Itane curatis quæ Regis sunt? non impunè id factum, justas dabitis pœnas. Trudantur in carcerem, nec sub ullo prætextu audeat aliquis pro illorum libertate supplicare. Quid hoc (NN.) quòd ita conturbatus sit & indignatus Pharao pro capillo uno, pro musca? [Hoc communiter servis Principum evenire solet (scribit Oleaster) ut propter facilem causam detrudantur in carcerem, & unâ horâ perdant, quod totâ vitâ suâ meruerunt.

Gen. 40.

Oleast. ibi.

Varia

Varia & injusta res Principis animus, ut qui pro re minima hominem summè evehat, & pro nihilo deprimat.) Nunquid leve aliquid capillus, aut certè exigua res est musca? causâ tamen sunt cur gratia Regis exciderint, in carceres detrusi sint, & alter mortis sententiâ mulctatus. *Propter facilem causam*, pro tantillo, *unâ horâ perdunt, quod totâ vitâ sua meruerunt.* Musca in carcerem deturbat & longùm detinet: capillus pani insertus, hominem ad mortis coegit supplicium. Nimis delicatus & fastidiosus Pharao ob leviſſimos defectus immodicâ effertbuit irâ; nobis tamen hinc Spiritus sanctus utiliſſima instillat documenta: ut scilicet à defectibus etjam minimis caveamus, cùm ex illis non ratò gravia pullulent mala. *Propter facilem causam.* (Ecce quid faciat venialis culpa) perditur Divina gratia, & consequenter omne acquisitum meritum, cùm & dissimultatis quotidiè venialibus facta est dispositio, ut ad mortale deveniretur. *Vnum leve facit unum grave.*

Cùm degeret in solitudine populus Israeliticus, homo occurrit ligna minuta sabbatho colligens ad struendum ignem, quo se calefaceret. Videntes Israelitæ, in carcerem detrudi curârunt, & accusarunt apud Moysen & Aaron. *Invenerunt hominem colligentem ligna Sabbathi.* Et ut delicti meritas pœnas lueret, ad Deum recurrerunt pro mortis justæ sententia, acceperuntque responsum: *Morte morietur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba.* Quomodò? tantillo delicto tam gravis sit pœna? hoccine mirum, lignorum aliquot fragmenta Sabbatho levare de terrâ? si arborem ascià dejecisset, aut horas integras die festo laborasset, tantùm & amplius meritus diceretur, & transeat: sed quia ligni particulas colligit ad accendendum ignem, nescio quâ lege sit condemnatus. Certum est (NN.) hujusmodi lignorum collectio non erat peccatum, aut saltem vix veniale: quia tamen *unum leve facit unum grave*, dispositio fuisset, ut alias sibi licitum crederet, diem integrum laborare; atque hoc peccatum foret mortale, idque gravissimum. Justè ergò lapidatus est, *ne ex transgressione, ut sæpe fit progrederetur.*

Num. 15.

Fr. Mend. 1. Reg. 3. n. 9. an. 2. sec. 1.

Mira videri possit, meo judicio, serenissimi Judææ Regis petitio, cùm sic Deum orabat: *Custodi me Domine, ut pupillam oculi.* Utinam me Divina tua Majestas à peccato præservet eâ diligentiâ & sollicitudine, quâ custodit homo oculi pupillam. Scio cuilibet curæ esse, ut singula corporis membra conservet; cur igitur non æque dixit: Custodi me ut caput, ut linguam, ut vultum, ut pectus, aut ut aliam aliquam partem corporis? Ah! magna disparitas est, ait Propheta Regius: oculus ita delicatus est, ut etiam à minutiſſimis lædatur, puta crine, pulvere aut atomo, & non solùm in grandioribus & gravioribus. Volebat ergò David sic Domino supplicare: Obsecro. Deus bone, ut me tuearis, nedum à magnis & gravioribus, ut sunt peccata mortalia, sed & à minimis atque leviſſimis, ut sunt venialia. *Est oculus nimis delicatus, cui non solum magna, sed etiam parva nocent.* Ideò sedulò monet Divus Ambrosius, ut internis oculis omni studio subtilem pulverem culparum venialium excutiamus. *Ideò prospiciendum, ne quis pupillam pulvis erroris oblimet, aut nulla vexet fuſtuca peccati.* Trepidat Sanctus Rex, ne a grano sinapis infelix arbor peccati mortalis excresceret, altè retinens, quia *Vnum leve facit unum grave.*

Psal. 16.

Labat. t. 1. verb. pecc. ven. D. Amb in Pſ. 6.

Peccatum Evæ, quod fuit omnium generaliſſimum, unde creditis habuisse originem? è grano sinapis, ex actione aliqua, quæ vix materia sit culpæ venialis. Invidebat illis dæmon felicitatem, qua in Paradiso terrestri Adam & Eva fruebantur.

Vidit ut iste novos homines in sede quieta
Ducere felicem nullo discrimine vitam,
Subjectisque frui placida inter gaudia rebus:
Commovit subitum zeli scintilla vaporem,
Excrevitque calens in sæva incendia livor.

Alcuin. Av. l. de P. Orig. in Bibliot. vet PP. T. 9.

Tortuosi serpentis pelle larvatus mille flexibus & amplexibus stringit arboris veritæ ramos, & blandis persuasionibus mulierem invitat ad transgressionem præcepti. Vide, Eva, quàm pulchri sunt fructus, ac si dicat: O si scires quam grati sint saporis & quantæ dulcedinis! Scio, cogereris fateri verum, te nuquam sapidiores comedisse fructus nec suaviores. En ramus iste sponte inclinat & ad colligendum allicit. Non faciam (ait Eva,) Deus enim prohibuit, ne tangerem, nolim hic Domini mei violare præceptum. *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus.* Dicite vos Sancti Patres; quia penitus ignoro, cur dixerit, Deum prohibuisse, ne tangeret. Sicram paginam revolvite, nullibi reperietis hujusmodi prohibitionem. *Ne tangas*: benè quidem *Ne comedas.* O Deus! Eva nunquam poterat loqui melius. Ad Legisperitos hic recurrendum, ut clara sit propositæ difficultatis solutio. Fortassis vestrum nonnemo respondeat, dixisse

Gen. 3.

dixisse *explicitè* quidem, *ne comedas*, sed *implicitè* insuper, *ne tangas*, juxta legem, quæ habet: *Tacitum idem operatur, quod expressum:* & quod idem est, *Taciti & expressi idem est judicium.*

L. Quid ff si certum petatur.

Responsum hoc placet, sed magis adhuc Baldi vestri sententia, quæ plus ad rem nostram accommoda: *Cùm aliquid prohibetur, videtur omne illud esse prohibitum, per quod pervenitur ad illud.* Undè quia à tactu veniretur ad collectionem, & à collectione ad esum, prudenter est dictum. *Præcepit nobis, ne tangeremus.* Confirmari denuo possit aliâ lege: *Aliquo concesso, ea omnia intelliguntur concessa, sine quibus eo commodè uti non possumus.* Ita ut concessâ gratiâ, subintelligantur concessæ illæ omnes circumstantiæ, sine quibus commodè haberi non potest. Sic contrà (siquidem *Argumentum à contrariis valet, quia oppositorum est eadem disciplina* (argumentabor in hunc modum: *Aliquo negato, ea omnia intelliguntur negata, cum quibus eo commodè uti possimus* Ea etiam est opinio Oleastri. (Pius Pater præcepit non tangere, licet scriptum non sit; ne contingeret edere. Solet Dominus vias ad peccandum ceu initia præcludere, ne contingat peccare.)

Bald. in l. Oratio. 16. ff. de Sponsal. L Verbo virtus. ff. de verb. signif leg. ff. de ali. leg. cum suis conc. L. 1 ff de iis qui sunt sui vel alien. jur. §. 1. inf. eod. Oleast. in c. 3. Gen.

Nihilominùs Abulensis existimat Deum non prohibuisse, ne tangerent, sed ne comederent. *Deus solùm gustum prohibuit, non tactum.* Sic ut manum extendere & tangere, malum non foret, vel, ad summum veniale. Benè itaque serpenti responsum est: *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus.* Quasi dicat Eva: si veniale peccatum hic committam tangendo, viam aperuero ad mortale gravissimum, comedendo, ut factum est. O maledictum sinapi, ex quo tam infelix est arbor! *Ideo nolebat tangere, ut magis elongaretur à gustu,* scribit Abulensis. Et ne fortè quis objiciat, *Dictum unius est dictum nullius*, ulterius confirmo: *Præcepit nobis Deus, ne tangeremus.* (interpretatur nostri temporis accuratissimus Scriptor) Ne fortè movendo manum, ut tangerent, deinde etiam glisscente appetitu ad edendum pomum procederent) Aut, quia ut alii.

Abulens. ibi c. 3. quæst. 5.

L. Iussur. c. de tes. I. Haye ibi.

Subjiciunt epulis oculi venerabile lignum.
Inspiciunt dapes, contactuque omnia fœdant.

Jobus patientiæ exemplar propositionē hanc scripsit, quæ in se quidem facilis apparet, redditur tamen intellectu difficilis, eò quòd lectionem varient Septuaginta. *Tygris periit, eo quod non haberet prædam.* Septuaginta legunt, *Mirmicoleo*, alii *Formicoleo periit.* Quodnam hoc animal mediâ parte formicam referens, mediâ leonem? quomodo in se admistum aliquid habeant quæ staturâ, proprietatibus & membrorum dispositionibus maximè disparia. De Centauris legisse memini, constare partim eos humanis membris, partim equinis: de Sirenibus referunt, superiori parte virgines videri, inferiori pisces: at verò animal esse, quod mediâ ex parte leo, mediâ sit formica, incredibile videtur, nec putem hujusmodi repertum temporibus Jobi. Non tamen arbitror chimæram esse, cum apologicè describat S. Althelmus in suis Poeticis.

Lib. 4.

S. Odo. Abb. Clun. l. 5. in Iob. in Bibl. vet. PP. t. 10.

Dudum compositis ego nomen gesto futuris,
Vt leo, sit formica vocor sermone Pelasgo.

S. Althel. in l. anig. pent. n. 2. in Bibl. vet. PP. T. 8.

Bene locutus est Job, neque potuisset meliùs, cùm & nostro ævo adhuc reperiatur. Quid ista formica? Peccatum unum veniale, quod neglectum paulatim, *Saltem disp sit vè* fit leo ferocissimus, dico, peccatum mortale. Testis hic mihi S. Nilus: (Impetus cupiditatum ab abjectissimis cogitationibus incipiunt, & formicatum in morem sensim repunt; paulatim autem in eam crescunt magnitudinem, & cuilibet, non minus quàm leones, timorem atque periculum afferunt. Unum leve facit, &c.)

S. Nilus in Ascet.

Videte interim ne deterius eveniat; siquidem non ratò *Vnum leve facit unum gravissimum.* Sanctus Præsul Augustinus in hæc verba Sancti Joannis Evangelistæ. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* narrat stupendum hunc casum. Catholicus disputabat cum Manichæo negante Deum esse omnium Conditorem. Catholicus solidis rationibus Manichæum convincere satagebat, & cum in fervore disputationis, casu musca circumvolitat, & Catholicum continuò infestat, jam in fronte mordet, nunc in ore, in oculis modò ac naribus, & quò plus abigere manibus nititur, eò crebriùs revolat, ut affligat. Vidente Manichæo Catholicum irasci, indigneque ferre unius muscæ insolentiam, factus impatiens dixit: Muscam hanc vides, quàm mihi molesta sit, credine possit productam à Deo, eumque illius Authorem? Verba sunt D. Augustini; *Quia tædio affectus est à musca, & quia oderat eam, non ausus est dicere Deus illas fecit, sed credo quia diabolus fecit muscas* Optimè respondisti, inquit Hæreticus Manichæus, & verum est: *Deus non fecit muscas* & concessâ ista propositione, ulterius induxit ad assentiendum, quòd neque

Ioann. 1.

D Aug. tract. 1. in Ioann.

cætera animalia forent à Deo producta. *Cum non esset major ratio de muſca ac de ape, de ſerpente, leone, equo, vulpe, &c.* Atque hoc etiam admiſſo, eo uſque deduxit, ut fateretur neque hominum, nec Angelorum Deum eſſe authorem; atque ita conceſſis illis præmiſſis, coactus eſt Catholicus negare Deum Creatorem animalium, hominum, Angelorum, cæli terræque, & ex perfecto Catholico factus eſt propter muſcam unicam, impius & perverſus hæreticus. Quid muſcâ vilius? Poſſitne tamen dari lapſus gravior quam in abominandam hanc hæreſim? *Ita miſer ille* (ſubdit Sanctus Pater) *qui tædium paſſus eſt à muſca, muſca factus eſt, quem diabolus poſſideret, qui eſt Princeps muſcarum.* Atque hinc fit magis adhuc manifeſtum, & hoc verum: *Vnum leve facit unum graviſſimum.*

Neque hic audiam qui dicat: *Parum pro nihilo reputatur & ſemper habetur:* Per expetientiam enim contrarium evincitur. Quid enim in impreſſo volumine minutius puncto aut commate? Unum vix videatur, aliud indiviſibile mathematicum dixeris. Ex puncto tamen hæreſis oriri poſſit; & hac, quid enormius? De facto oſtendã. Aſſumamus ex Sacra pagina Angeli verba quibus Marias alloquitur, cum veniſſent ad Chriſti ſepulchrum: Salvete, mulieres, quem tam ſollici-
Marc. 16. te quæritis; *Ieſum Crucifixum?* Nolite expaveſcere, quinimo lætamini, quia dilectus veſter quem in ſepulchro non invenitis, glorioſè reſurrexit jam factus immortalis. *Surrexit non eſt hic.* Optima ſanè Angeli propoſitio, vera & Catholica. Si velitis, oſtendo ſtatim, quomodo ex unico puncto ſequatur aperta hæreſis. Ponite punctum medium inter *non* & *eſt*, & legite ſic? *Surrexit non. Eſt hic,* hoc eſt Chriſtus non reſurrexit, ſed adhuc jacet in ſepulchro, quod hæreticum eſt & fidei noſtræ omninò repugnans & de-
Cor. 15. ſtructivum. *Si Chriſtus non ſurrexiſſet, inanis eſſet fides noſtra.* Itaque ſi ex puncto, quod grano ſinapis longè minutius eſt, & minimum quid in libro, ſequatur tantus error, facile eſt conjicere, quod ex leviſſimis puta culpis venialibus, naſcantur defectus enormes, peccata mortalia & hæreſes abominandæ. Eò dictum eſt, ni fallor, à S.
D. Epher. Syrus de vicia Spirit n. 36. Ephrem Syro *Præceptores non ſolum elementorum ſcholaribus oſtendunt figuras, ſed & minima quæque puncta & diſtinctiones proponunt. Atque ſic oportet prælatum nihil quantumvis minimum, quod ad ſalutem pertineat, omittere.*

Hyperbolicè aſſertum quis putet, quod jam dicam, ſed tamen re attentiùs inſpectâ, putam eſſe & ſimplicem veritatem fatebimini. *Vnum leve facit plura graviſſima, & maximas;* Atque ea ſunt peccata idololatriæ, de qua docet expreſſe Sanctus Thomas Aquin: *Graviſſimum peccatum eſt; quia quantum eſt in ſe, facit alium Deum in mundo, minuens Principatum Divinum.* Prætereà demonſtrat idololatriam eſſe principium, & eſſe finem cæterorum peccatorum, neque dari peccati genus aliquod, quod ab idololatria aliquando non traxerit originem. *Dicitur autem idololatria eſſe cauſa, initium & finis omnis peccati: quia non eſt aliquod genus peccati, quod interdum idololatria non producat, vel expreſſe inducendo per modum cauſæ, vel occaſionem præbendo per modum initii, vel per modum finis.* Dicite (NN.) Arbor illa infauſta tamque peniciosa; quæ ramos in ſecunda mundi ætate tam variâ ſpecie in tot Provincias & Regna extendit, unde habuit initium à grano ſinapis, à culpa leviſſima, quæ vix ad materiam venialium pertingere videbatur. Legite & in libro Sapientiæ invenietis, quomodò Pater extincto filio, unico ſuo ſolatio, cum jam diutiùs ferre acerbum dolorem non poſſet, ad mitigandum mandaverit fieri imaginem emortui nati. *Acerbo luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem.* Bene quidem uſque modo, neque malum ſubeſſe poſſit, niſi affectus erga filium inordinatus, & immoderatus dolor, idque veniale dicatur: ſed tamen diſpoſitio fuit ad idololatriam, quia *Tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente antiquâ conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

D. Th. 2. 2. q. 94. a. 3.

Idem ib. ar. 4. in reſp. ad 1.

Sap. 14.

Sap. ibid.

Idem præſtitiſſe referunt Ninum Aſſyriorum Regem Belo patri defuncto, ejuſque ſimulachrum erexiſſe, cui cultum deberent omnes, venerando & adorando in tantum, ut diabolus ſub involucro hoc ſtatim loqui cœperit, datæque reſponſa ad interrogationes ſingulorum. Inde factum, ut imitati ſint alii etiam Reges: atque ita. *(Vnum leve facit multa graviſſima, & maxima quæ non, cum Ninus Rex Aſſyriorum fecerit fabricare ſtatuam Beli patris ſui, & fecerit ipſum ab omnibus venerari, in tantum quod diabolus intravit ſtatuam & cœpit loqui & dare reſponſa in ea. Et ſic omnes Reges fabricaverunt ſtatuas filiis & patribus defunctis, in tantum quod idololatria diffuſa & multiplicata fuit per totum mundum.* Idcircò advertit Hippocrates. *Cum morbi inchoant, ſi quid movendum videtur, move.*

Viterb. lib. D Antonin 1 p. t. 6 c. 2. amor c. 2. Valentia in pſ. 2. Auguſt. Triumph. in Cant. B M. q 4. Hipp. l. 1. Aphor.

Ea dæmonis fallacia est, ut ad mortalia hominem permoveat, prius (quod ex Philosophis observat) dispositiones venialium introducit: ut catenam gravem collo injicat, ante digitum tenui filo illaqueat. Dum satagit inducere ad peccandum mortaliter in materia detractionis, proximum lædendo graviter in honore, prius ad leviter maledicendum instigat. Ut ad transgressionem operis præcepti impellat, ante ad negligendum quæ consilii sunt, invitat. Ut ab auditione Missæ festis diebus abstrahat, etiam ad non frequentandum Ecclesiam diebus ferialibus, tentat. Omni studio allaborat, ut unum istud non cures, quod ex pio erga Deiparam affectu observare fideliter hactenus solitus, ut deinde ad violandum jejunia sub mortali præcepto, inclinet. Diabolicum hoc stratagema detexit Jacobus de Voragine, ubi sic ait: *Diabolus in tentando homines incipit à minimis, ut procedat ad majora.* Eò denique omnis infernalis agricolæ labor & industria, ut semen culpæ venialis in cordis nostri fundum jaciat, ex quo, successu temporis malignitate suâ arborem peccati mortalis enutriat. *Tentationum diabolicarum initia fragilia sunt* (loquitur S. Isidorus.) *quæ si non caveantur, sed per usum in consuetudinem transeant, in novissimis fortiter convalescunt, ita ut nunquam aut cum difficultate vincantur.* De summ. bono.

Non temerè nimis standum propriis viribus; quisquis nimium sibi fidit, plerumque decipitur. Hinc Dacrianus Abbas ad Odonem Monachum scribens, seriò hortatur; *Quantumlibet parva videantur vulnera; quia tamen nec cavent, ut ea suscipiant, nec postquam susceperint, debitam curam adhibent, omnino mortifera reddantur.* Hoc præcipuè illis contingit, qui post professionem status perfectionis, sibi ipsis gigantes videntur & in sanctitate firmiter radicati, quos diabolus per culpæ venialis tantillum paulatim abducit & in ima deturbat (De quantumlibet, celso vestigio [ait Richardus Victorinus] facilè potest in ima corrui, vel in profundum demergi.) Dac. Ab. in speculo Monach. in bibl. vet. PP. T. 8. Richard. Victor. d. trad. inter hom. c. 23.

Quare attendendum, quod observat Angelicus Doctor, cùm dictum de peccato veniali, illud esse dispositionem ad mortale, bifariam posse intelligi: *Vel ut sit causa dispositiva ad effectum directè, vel indirectè.* Causa dispositiva directè ad peccatum mortale est, exempli gratiâ, actus levis tendens ad libidinem, cui si accesserint plures & plures actus libidinosi, sensim augetur ista dispositio eò, ut pertingatur ad commissionem actus ceu peccati mortalis similis dispositioni *secundum speciem.* Unde diabolus cum te videt addictum superbiæ, terminum directum ut medium assumit, putà ob oculos ponendo, si nobilis sis, sanguinis tui nobilitatem; si in dignitate constitutus, præ cæteris eminentiam: si dives, quod non tibi opus sit aliorum auxilio: si virtuosus, quod nulli cedere debeas, parem in sanctitate non admittendo; atque illa via ad superbiæ lapsum pertrahit, utendo pro causa dispositiva directè, opinione istâ inordinatâ, quam de te ipse concipis. D Th. 1. 2. q. 88. art. 3.

Quod ad causam dispositivam indirectè attinet, illa est, quæ *movet removendo prohibens* ut v. g. columna, dum sustinet templum, prohibet ne cadat: Sampson amplexu & fortitudine insolitâ sibi ingenitâ columnas de loco movit, sicque fuit causa, *tanquam removendo prohibens*, quod templum sit collapsum *Concussisque fortiter columnis cecidit domus.* Quomodo aggreditur dæmon, ut quempiam in mortalem noxam protrudat? secundum adhibet stratagema *removendo prohibens.* Vidit Sathan per exercitiorum spiritualium continuam observantiam retineri hominem illum à lapsu in delicta mortalia; quid facit? tentat ut modò hoc, modò istud pietatis officium negligat, *removendo prohibens.* Carnem domare jejuniis & abstinentiâ incipis, atque sic a libidine abstrahis; & infernalis hostis titillat, ut lautiùs vivas, jejunia & abstinentias contemnendo, & *removet prohibens.* Sic ut ad venialia primum diabolus hominem moveat, quò faciliùs ad mortalia perpetranda convincat; putà ad omissionem piæ actionis, lectionis, &c. abducendo. Superest ut videamus quid opus facto, ut arborem infelicem lethalis culpæ ex agro animæ nostræ extirpemus, quod alterâ parte jam dicam. Interim, ut Evangelicum Satorem imitemini, serite non sinapis granum, sed divitem eleemosynam in sinu pauperum, ut vobis ingens excrescat meritum. Judic. 16.

PARS SECUNDA.

NIl melius nec securius ut vitentur peccata mortalia, quàm ut exactè caveantur venialia, etsi exigua sint & nullius considerationis. Strictè prohibebatur Hebræis, ne Sabbatho unquam conferrent acum, ne si fortè vidissent diruptas vestes & laceras, acu reparare protinùs voluissent, filo uno saltem leviter constringendo. Atque inde sic facilè assuevissent paulatim, ut si ubi crederent licitum, vestes integras resarcire, Nevar. Schedia. l. 8. c. 2. n. 9.

Sabbathum non curando. (Præcipiunt ne quisquam in die Sabbathi acum deferat, ne scilicet delatione, aliquâ assuescendi occasio adsit, & Sabbathum violent.) Ita Novatinus.

O quam benè & salutariter monet Doctor Angelicus: *Quilibet debet potiùs mori, & eligere omnem pœnam in generali, quàm peccare non solùm mortaliter, sed etiam venialiter.* Confirmat Subtilissimus Doctor Scotus: *Mortem potiùs quis debet eligere, quam minimum venale, peccatum committere.* Nec aliud movit, opinor, ut tam rigidam contra peccata venialia dicerent sententiam, quàm quod illis Speculativa Theologia dictaret, illa disponere ad mortale. Initio, cum cœpit Judas emere & vendere, in corde sensit affectum erga nummos immoderatum; scintilla modò erat parvæ cupiditatis, ex qua ortum incendium inextinguibile, ex, quo ad furtum inducitur, ad sceleratam vitam, ad Dei sui proditionem, ad venditionem spe lucri, ad mortem denique corporis infamem, & animæ æternam damnationem. Si modò scintillam istam priùs extinxisset, nunquam eò perfidiæ & nequitiæ devenisset. Adest Joannes Cassianus (Judas nequaquam esset ad tam scelestum proditionis facinus devolutus, si non Philargyriæ morbo fuisset infectus: Nec dominicæ negationis reus sacrilegus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare.

D. Th. 2. q. 110. a. 4.

Scotus in dist. 21. q. 1. a. 4.

Ioan. Cassian de spiritu Philargia. l 7. c. 23.

Sanctus Abbas Dorotheus narrat, Monachum quendam, cum audiret se laudari, ut Religiosum vitæ purioris & irreprehensibilis, ita respondisse: Nemo hoc mihi persuaserit, nisi Macharius unus, qui solus pietate excellit & bonus est. Sed quid de Macharo? Nemo similis Basilio & Gregorio. Atque horum etiam singulas actiones si quis penitiùs rimetur, & in ipsis defectuosum aliquid reperietur. Si quis Apostolos Petrum & Paulum commendet, ut Sanctitatis exemplar, non contradicam. Imò si & hic liceat facere scrutinium de vita & moribus, deprehendi possit verum hoc: non omne quod lucet, aurum. De facto nemo absolutè & perfectè bonus nisi solus Deus, qui unus in essentia, trinus in personis, solus sine defectu. Neque hic adhuc finis malitiæ ejus, subdit S. Abbas, sed ulteriùs perrexit, & in Deum ipsum & Sanctissimam Trinitatem impegit. (Eos sprevit: nihil esse in pretio, præter Trinitatem asserere cœpit: Statimque in Deum quoque factus est insolentior, exarsit, intumit.) Deinde ad mores ita concludit: (Nobis igitur luctandum est cum prima, ne paulatim in secundam labamur superbiam.)

S. Doroth de hum doctr. 2. in Bibl. vet. PP. T.

Cavendum igitur à defectibus venialibus ut ab hoste infensissimo, nec refert quod in se quid exiguum sint, & parum læsiva, quia veneno suo quantumvis modico sufficiunt ad contaminandum animam & occidendum. Monitum utile est, ad rem nostram, quod adfert Ecclesiast. *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Ut serpentem noxium, peccata devita. Quomodo, nunquid animalia sunt ferociora serpentibus? an non magis timendi sunt ursi, lupi, tygrides, pantheræ & leones? serpens non lædit, si non exacerbetur, imò ad solum aspectum, trepidus aufugit, seque recondit. Unde ergo non potiùs dictum: *Quasi à facie Vrsi, Lupi, Leonis, &c.* Illa solo visu terrent, si fugis, insequuntur; si resistis, discerpunt in mille partes. Dicam ego, ait Ecclesiast. magna certe differentia est, quia animalia reliqua se defendere non possunt, nisi jam magna sint; sed serpens, quamvis etiam minimus, tam virulentus est, ut statim ac natus, mortem inferre queat. Ideo bene Galfridus: (Parum est, serpentem non sentire contiguum, periculosum est vel habere vicinum.)

Salomon Rex sapientissimus monet, ut ad formicam eamus instructionem accepturi: *Piger vade ad formicam.* Quasi dicat: Laborem & gressus formicæ observa, & multa non parum utilia addisces. Sed quid boni à tam vili animalculo? Dicam: Sæpe attentiùs mecum quæsivi, quare granum, quod à villico satum est in agro, autumnali tempore, primo vere vireseat & germinet, & non, quod à formica in æstate congestum in horrea subterranea? an non idem granum est & eadem terra? unde ergo crescit unum, non alterum? Respondet S. Pater Basilius & hanc profert rationem; quia scil. agricola granum uti reperit, ita & seminat; formica autem, priusquam sub terram avehat, ab una parte corrodit & demordet filum aliquod, in quo consistit virtus generativa, ipsoque sublato, granum germinare nunquam poterit. *Secat dentibus fructus medios, arrososque condit, ne rursus in fruges exeant à terra, atque inutiles inde sibi ad usum alimoniæ fiant.* Disce à formica (ait Sapiens:) si nolis, ut subtile filum levioris peccati mortaliter germinet, formicam imitare, *Seca dentibus.* Sic & in anima non crescet maledicta arbor lethalis peccati, si non seminatum sit sinapi venialis offensæ.

S. Basil. hom. 9 in Exam.

Cui chara est vita & cordi, non solum cavet à morte, sed ab omni etiam infirmitate libet esse studet, sic ut ne vel levem dolorem capitis volens admittat. Ut evitetis mortem æternam, quomodo

modo non omni diligentiâ tueamini animam ab omni quamvis etiam minima dispositione noxæ venialis? *Qui vitam diligit* (scribit Christophor. Brugensis) *non solùm mortem, sed etiam morbos studiosè fugit. Et qui lethiferi peccati mortem odit, venialia quoq; peccata, quæ velut ægritudines animæ sunt, diligenter vitare studet.* Atque inter defectus istos veniales frequentiores illi sunt, quos locutione committimus, verba scilicet otiosa. Linguam ergo frænare quilibet studeat, quia inde plurima oriri solent mala; insinuat B. David [Verba otiosa ubicumque sint, fuge: quia licet non gravia esse putentur, tamen eorum consuetudo generat continuò profectui detrimentum: & sæpe quando libenter relaxamus linguam in verba otiosa, delabimur paulatim ad nociva, ex quibus oriuntur detractiones vel dissolutiones, vel graves conscientiæ corrosiones. Contra tamen facimus, dum in proferendis vanitotisimus, quia forte damnum inde imminens non perpendimus, & sæpe æternam damnationem: aut certè nimium de divina misericordia præsumimus, ut optimè indicat Petrus de Aragonia. *Quia peccator non habet actualem considerationem gehennæ, vel quia præsumens de divina misericordia, ita confidit in illa, ut nullam habeat de justitia memoriam.* Omni igitur sollicitudine, & ut pestem exitialissimam fugite, altè retinentes Gregorii Nazianzeni documentum.

Ergo cave ne vel labes tenuissima mentem.
Inficiat, minimasq; etiam procul abjice noxas.

In Matth. c. 5.

q. 7. in expl. ar. 1.

In formula Novit. c. 29. in Bibl. vet. PP. t. 11.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

ARGUMENTUM.

Sanctissima Virgo MARIA, licet Purificationis legi non esset subjecta, implere tamen voluit, ut suo nos doceret exemplo promptam in omnibus obedientiam. Et Simeonis Sacerdotis manibus JESUM consignavit Mater pignus sibi charissimum; ut discamus hinc, quod habemus pretiosius, Deo lubenti animo consecrare: homines namque Numini applicare solent abjecta, cum seculo dicarint pretiosa.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ, tulerunt JESUM in Hierusalem, ut sisterent cum Domino, &c. S. Luc. cap. 2.

INter alia quæ præceperat Deus populo Israëlitico strictè observanda, unum hoc in Libro Levitici specialiter mulieribus parturientibus. *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus,* & eo tempore elapso purificanda; Legem hanc implevit MARIA:

Levit. 12.

S. Method. de

Simeone & Anna in Bibli. vet. PP. T.

[Ascendit igitur in templum (inquit Sanctus Methodius) templo ipso sublimior, duplicem gloriam induta, intemeratæ, inquam virginitatis, & ineffabilis fœcunditatis.] Ut lege illâ, ad Purificationem MARIA non tenebatur; siquidem peperit *non suscepto semine, sed virtute Spiritûs sancti*. Atque idcirco Pelbertus ait: [Lex non obligat Matrem, quæ non suscepto semine, sed Spiritûs sancti spiramine conceperat.] Nec immunditiam in partu contraxit, ob quam purificari deberet. *Vnde sordes in Virgine Matre*, (dicit Sanctus Augustinus) *ubi non est concubitus cum homine patre*? Sanctus Fulgentius: *Crevit partûs integritas*. Et Petrus Chrysologus: *Partus ejus, Matris integritatem non minuit, sed sacravit*. Certissimum hoc: qui culpâ vacat, purgatione non eget, sicut nec medicinâ, qui non est infirmus: MARIA ergo nec Purificatione indiguit, utpotè quæ (ut scribit doctissimus aliquis) mulierum pulchertima, nive candidior, rosâ intactâ rubicundior. Quomodo purificetur ipsa puritas, lux clarificetur, candor niveus dealbetur, & pulchritudo ipsa adornetur? Verba sunt Hispani Scriptoris: [Las muger mas limpia que la nieve no pisada, y que la rosa no to cada de ortas manos, que de la naturale ça? Notiene essa obligation. Come puede purificarse la pureça? esclare cerse la luz? blanquearse la blancura? harmosearse la bellezza?] Confirmat Sanctus Abbas Odilo: Non indigebat Dei Genitrix Purificatione carnali, quæ concepit, non operatione virili, sed virtute Altissimi, & virtute Spiritûs Sancti.

Pelb. l. 2. p. 2. art. 1.

S. Aug. l. de leg. ad Manich.

S. Fulg. de laud. B. V. Maria.

Chr. Fonf. c. 15 de vita Christi in Purif. B. V. M.

Serm. 3. in Bilb. vet. PP. T. 10.

Lege divinâ præceptum est, & cælum jubet; vult obedire MARIA sine ulla discussione: (Non quod aliquid esset purgandum in ea, (scribit Hugo Cardinalis) sed ut faceret secundum consuetudinem legis.) Aut, ut cum D. Thoma loquar, *MARIA voluit purgari post partum, non quidem propter aliquam immunditiam, sed propter humilitatem & obedientiam, & ut approbaret legem & vitaret calumniam*. Accedit Haymon Episcopus Alberstatensis: MARIA Virgo legi subjici voluit, abstinendo se ab introitu templi per quadraginta dies, non necessitate cogente, sed propriâ voluntate, juxta id quod Scriptura dicit: Quantò major es, humilia te in omnibus.

In c. 2. Luc.

3. p. q. 37.

In Festo Purific.

Optimè Mellifluus Doctor, qui omissis reliquis, duas adfert rationes Purificationis, quarum, prima hæc est, ut obedientiæ nobis exemplum daret: *Purificatur MARIA in cumulum obedientiæ*. Et expressius Ludolphus Carthusianus: [Ut exemplum obedientiæ nobis daret. Huc voco ad confirmandum, quod ait S. Episcopus Fulbertus. MARIA non indigebat legali purificatione, quia munda erat & sancta: humilitatis tamen & obedientiæ causâ legi se subdens, obedire voluit legi, quamvis non indigeret, obtulit in templo Dei, filium suum cum hostiis quadragesimo die nativitatis. Secunda est ratio ut perficeret opus supererogationis implendo legem, ad quam non obligatur. *Et plus fecit* (ait Bernardus) *quam facere tenebatur*. Et cum in templo obtulit filium suum unigenitum, quo nihil habebat in vita charius, nil pretiosius: *Tulerunt IESVM in Hierusalem, ut sisterent eum Domino*. Ad instructionem nostram sic fecit, ut discamus Deo consectare, quod in mundo hoc magis charum & magis pretiosum possidemus. Atque tria hæc puncta in præsenti expendam singula, & dum Virgo Mater dilectissimum uteri sui pignus Domino offert, exhibebo ipse discursûs mei fœtum; at quia par columbarum non mihi suppetit. *Par turturum, aut duos pullos columbarum* concedite, silentium, inquam, & attentionem.

D. Bern. 1. p. c. 12.

De Purif. in Bibl. vet. PP. T. 2.

PARS PRIMA.

POstquam impleti sunt dies, &c. Sancta hæc virtus obedientiæ, quam ita ferventer cælorum Regina nunc adimplevit, è cælo est, & comitata duabus individuis sociis, promptitudine scilicet & spontaneâ alacritate, sic ut vera obedientia semper implenda sit prompte & lubenter. *Fidelis obediens* (inquit S. Bernardus) *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, prævenit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem*.

Serm. de virtut. obed.

Sponsus cælestis munus aliquod pretiosum dare sponsæ meditabatur, atque ita obtestatus est. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. Monilia tibi reservo, dilecta mea, atte & pretio excellentissima. O quàm pulchra sunt! *More ruralium Virginum* (scribit S. Thom à Villa Novâ) *aures tuas murenulis aureis decorabimus*. Sed nunquid magis honorificum sit, si vel catenam auream offeras, aut margaritas exquisitissimas ad colli aut capitis ornamentum? Volebat dicere sponsus: Quidquid est bonitatis in vultu tuo formosissimo expressum id lego: comæ tibi aureæ sunt, sanctæ videlicet cogitationes: oculi turturum propter modestiam; genæ columbinæ propter dulcissimam affabilitatem, & la-

Cant. 1.

& labra purpurea propter ardentem chatitátem: unicum deesse video, ad aurium decorem: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Legunt septuaginta: *Vermiculatas in punctis argenteis.* Autes, quibus appendi solent istæ gemmæ, januæ sunt, per quas sonus mandatorum Dei excipitur. Vermiculatæ sunt in punctis, ut discamus illo ipso temporis puncto, quo jussa audimus, exprompte obsequi; ita ut in eodem indivisibili puncto, auris excipiat mandatum, & voluntas obtemperet. *Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat,* (ut asserit Chrysostomus) *ut neque punctum temporis differamus, etiamsi nos aliquod necessarium urgere videatur.*

In c. 1. Cant. Septuag. Interpr. & apud Hebr.

D. Chrys.

Sponsa Spiritûs sancti Virgo MARIA hoc etiam decorata est ornamento, quia ultimum instans præcepti purificationis mulierum, primum fuit obedientiæ ejusdem Unde Bernardus? *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui &c. & totum se intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.*

De prec. & disp.

Sanctus Ignatius Societatis Jesu Institutor, ad Religiosos suos epistolam scripsit & in ea perfectæ obedientiæ modum. *Obediendum est modo simili, quo solemus credere in rebus fidei.* Sed quid fidei cum obedientia? una est in ordine ad credendum, altera ad exequendum. Joannes Climacus ait, cum de fide agitur, firmiter tenendum id sine vacillatione esse verum, quod creditur: si & obedientiam adimpleri oportet sine replica aut dilatione fieri debet: ideoque eam nominati *Inexanimatum atque indiscussum motum* Quis tamen nesciat, quia *Fides est ex auditu & de non visis?* Unde accinit Poëta:

In Epist. ad Part. Lusit.

I. Clim. Scala Parad. gradu 4.

Ioan. Bapt. Mart.

Fede è sostanza di sperate cose,
E delle non visibili argomento,
Resti l orecchio in ascoltar contento
Quel ch oscuro velame à gl' occhi ascose.

Sic & in obedientiæ executione semper patere aurem par est, & oculum claudi: ut quemadmodum fides est de non visis, ita & obedientia cœca sit. (Obediendum est modo simili quo solemus credere in rebus fidei. Et ratio est illa, quia Deus præcipiens non quærit scrutatores, sed obtemperatores: non curiosos, sed Religiosos: non videntes, sed obedientes)

Didac. Celada in Iudith. c. 2. v. 1. §. 25. n. 133.

Altera obedientiæ socia est nostra voluntas, ut sciamus parendum non coactè, sed sponte & libentissimè. Testis hic mihi sit Beatus Humbertus ita loquens: (Voluntaria quoque sit obedientia, quæ non virgâ, nec calcaribus indigeat, sed movcatur sibilo dulciori: multum enim laudabilis est obedientia, quæ præceptum servat; laudabilior quæ consiliis & admonitionibus obtemperat: sed omni laude dignissima, quæ præcipientis animo se conformat.) Quisquis invitè obedit, quasi non obedit. Quis ille sit, qui verè de facto portavit nostræ redemptionis crucem ad montem Calvatiæ, non videtur satis clarè dictum ab Evangelistis. Sanctus Lucas Simonem Cyrenæum fuisse insinuat: *Imposuerunt illi portare crucem post IESVM.* At vero Sanctus Joannes, ut certum de Christo affirmat: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ, locum.* Utri ergo credemus? unus Christum tulisse crucem ait, alter Simonem Cyrenæum.

c. 8. de obed.

Luc. 2. Ioan.

Ex eo, quod refert sacer Evangelista Matthæus, facilius intelligemus: dicit ille Simonem totis viribus restitisse, ut foret liber à ferenda cruce, ad quam proinde cogere oportuit, ut urgente justitiâ, invitus obtemperaret. *Angariaverunt Simonem quemdam Cyrenæum, ut tolleret crucem IESV.* Quia non lubenter tulit, censendus est non tulisse, notat sanctus Augustinus: atque isto sensu scripsit Joannes non bajulasse crucem: reputatur enim quasi nihil feciisse, quoad morale & meritorium, quia invitè. Verba ponam sancti Patris: *Qui bona faciunt coactè, Deo non sunt accepti, & Simoni Cyrenæo, quem Iudæi angariaverunt, ut crucem Christi portaret, optimè comparantur. Ecce enim Simon Cyrenæus portat cum dolore, quia non libenter portat, angariatur invitus, est coactus, non autem libens & volens illud operis & oneris subivit: nam ubi deficit voluntas operandi, omnia operum merita deperduntur.* Quoties ergò actum obedientiæ perficis voluntate reluctante, in vanum facis & opus hujusmodi pro non facto reputatur.

S. Aug. ser. 3 ad Fratres in Eremo.

Lege similiter definitum est, *Ea quæ fiunt vi vel metu, per exceptionem regulariter irritantur.* Sub violentiæ cortice qualiscumque fructus diu conservari non potest, & semper in amaritudinem desinit.

L. Methm. §. Sed quod ff. met. cau.

Quantum Christianus odit diabolum, tanto plus erit sollicitus, ne ab impletione Divinorum mandatorum & obedientia declinet: sufficit namque sola inobedientia, ut in dæmonem transformet. Deliciis affluebant in Paradiso terrestri protoparentes, sed ut dominium in illos Deus ostendat, præcepto obligat, ne ad pomum quod sibi reservabat, ullo modo manus extendant, ut appetant. *De omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.*

Gen. 2.

Væ

Væ vobis, si vos abduxerit cupiditas ad transgrediendum. Si quod mihi placitum est, & jubeo, servaveritis, manebitis totius universi domini: at si contrà faciatis, peccati servitutem incurretis, & mortis fauces. *In quacumq; hora comederis ex*
Gen. 2. *eo, morte morieris.* Promulgatâ hac lege, longius ab eis recessit Deus: sed hostis infernalis, humanæ felicitas semper invidus, ut hominem ad inobedientiam alliceret, & sic de throno gloriæ deturbaret in miseriatum abyssum, habitum induit venenosi serpentis, & armatus haltâ, mentitis inquam persuasionibus, ad arborem vetitam processit, ibique delegit conflictûs locum, ubi se munit ramorum foliis, ut victoriam obtineat. Videte diabolicum stratagema. Absit (ait vafer) Domina venustissima, ut felicitati vestræ invideam, quin imò summum hoc mihi gaudium videre vos in deliciis terrestribus fortunatissimos. Omnia subjecta sunt pedibus vestris, ut video, reverentur feræ, recreant flores & odorum incenso perfundunt, fluminis hujus pisces decorem vestrum præconio efferrent, si non deesset loquela, quotquot in loco hoc amœnissimo videtis arbores, ramos inclinant, ut poma aurea ad gustum & libitum colligatis. Ecce arbor hæc fructus habet longè suavissimos; & cùm nec ego sciam maturiores deligere, vos ipsi accipite & probate.

Caveo (respondet Eva) fructus hi prohibiti sunt, eosque Deus suis deliciis reservat, ut solus sit ipse Dominus; ideo nec maritus, nec ego cum ad immortalitatem aspiremus, & mortem formidemus, hos fructus comedemus: arbor hæc intacta sit & soli Deo consecrata. *Præcepit nobis*
Gen. 3. *Deus, ne tangeremus, ne fortè moriamur.* Atque ita dextrè, scuto reverentiæ præceptis divinis debitæ, arma fatalia propulsavit.

Quomodo? (subdidit dæmon) hoccinè possibile sit, & credaris, ex degustata pomi dulcedine mortis amaritudinem exoriri? Contra profiteor & ultrò polliceor, si de fructibus his comederitis, in Deos transformabimini. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Nostis (NN) quia diabolus mendax est, nil tamen hic verius & sincerius dixisse potuit. At ubi dictum aliis, *Latet anguis in herba.* Dicam ego: *Latet anguis in verbo.* Quid ergo hoc promisso intendit, *Eritis sicut Dii? &c.* An ignorabat, Deum esse unum solum? dixisset igitur, *Eritis sicut Deus.* Quantumvis enim tres personæ divinæ realiter sint distinctæ, & quælibet sit Deus; non tamen tres Dii sunt, sed unus solus Deus. Quid ergo volebat dæmon dicto, *Eritis sicut Dii*? Malitia aliqua latet.

In scriptura sacra communiter ubi de Deo in plurali numero fit sermo, intelliguntur Angeli. Ita Regius Propheta David ait: *Deus Deorum* Psal. 19. (id est Angelorum) *locutus est. In medio autem annorum* Psal. 81. *Deos* (id est Angelos) *dijudicat. Videbitur Deus* Psal. 83. *Deorum* (id est Angelorum) *in Sion.*

Textus Hebræus habet, *Eritis sicut Elohim*, id est *sicut Dii* in plurali, quia *Elohim* in singulari dicitur *El* vel, Eloa. Lipomanus hic confirmat: *Lipom. ad litter.* *Eritis sicut Dii*, id est, *sicut Angeli.*

Idem asserit Angelicus Doctor, in hæc verba, *Non est similis tui in Diis Domine*, ita scribens: *D Thom. in Ep. ad Hebr. in prol.* *Sciendum, quod licet sit tantum unus Deus naturaliter, participativè tamen & in cælo & in terra sunt Dii multi: dicuntur enim Angeli Dii.* Et paulò infrà. *Angeli autem dicuntur Dii propter abundantissimam refulgentiam divinæ claritatis.* Ita ut Adamus (promittebat Serpens) post esum pomi foret in Angelum transformandus. *Eritis sicut Angeli, scientes bonum & malum.* Verè dixit.

At Angelorum alii boni sunt, alii mali. De quibus intelligendum est, cùm dixit coluber: *Eritis sicut Angeli*? De iis qui *sciunt bonum speculativè tantum, & malum practicè*, & illi spiritus sunt infernales. *Omnes Dii gentium dæmonia.* Vo- *Psal. 95.* lebat ergo dicere antiquus serpens: Si præceptum Dei transgrediamini, facti inobedientes, comedendo fructum hunc prohibitum, statim eritis Dii, id est Angeli, spiritus inquam diaboli. Ita Rupertus Abbas interpretatus est sequentibus verbis: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & ma-* *Rup. Abb.* *lum, falsis utique Diis, id est, sibi suisque sequacibus Angelis apostaticis similes facere intendebat.* Et tandem ita concludit doctissimus Tuitiensis: *Tuit. apud Lipom in Catena ad lit.* *Adam penè factus est sicut diabolus.*

Idcirco dicebat Stobæus: *Nullum est majus malum, quàm inobedientia.* Quocirca ad obedien- *Stobæus.* tiam quemlibet hortatus est Seneca, ut quantocyùs jussa impleantur, justa sint aut injusta. *Æ-* *Seneca.* *quum atque iniquum Regis imperium feras.*

Quis viliotis est conditionis (NN.) diabolus, an petra? quantum ad entitatem moralem, pejor est diabolus; sed quantum ad physicam, deterior petra, quia insensibilis hæc est, & non vivens. Si modò demonstrem per inobedientiam mutari hominem in petram, annon sufficienter probavero inobedientem esse pejorem diabolo? In memoriam revocate civitatum Pentapolis cladem funestam: tanta enim erat incolarum malitia, ut in cælum clamare visa & Deum ad ultionem provocare. Refertur enim in Sacra Scriptu-

Gen. 19. Scriptura: *Peccatum eorum aggravatum est nimis.* Priusquam Deus ulciscereturt, Angelum legavit, qui Loth moneret ut cum domesticis suis festinanter civitatem desereret. *Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.* Hoc tamen altâ mente retineas præceptum & serves. *Noli respicere post tergum.* Quidquid eveniat, cave ne retrorsum aspicias, ut videas civitatis deplorandam ruinam. Morem gere, & ne vel transversum unguem à mandato isto recesseris. Exit cum familia Loth, & vixdum civitatem egressus, ecce subitò cælum obscuratur densis nubibus; fulgura & tonitrua horrendum in modum extertent, ex sulphure mixtum & pice maximum incendium, absumit omnia, sternuntur turres, altissima corruunt ædificia, absorbentur vivi homines, & bestiæ, saxa etiam durissima conteruntur. Unde misericordiâ partim & curiositate commota est uxor Loth, neque diutiùs continere se potuit, quin retrospiceret, ut oculis intueretur tam triste excidium, quod in corde jam sentiebat. Sed ô inauditum prodigium! ô quàm subita & stupenda metamorphosis! sistitur in terra immobilis, toto corpore rigescit: lapidescunt membra, sanguis in amaram salsedinem vertitur, sensim à capite ad pedes albescit: vellet movere labra ad implorandum mariti auxilium, sed hæret lingua immobilis & labia abrupta voce. Ecce mulier in petram salis insensibilem conversa, *Respicienque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Sed unde tam infelix & miseranda transformatio mulieris in saxum? ab inobedientia (Ea, quæ præcepto non paruit, tanto affecta est supplicio, ut in statuam salis conversa sit.)

Diez in conc. D. Matth.

Virgo Beatissima, illa es, quæ tantum actibus heroicis veræ obedientiæ meruisti, quantum alii demeruerunt non obtemperando. Et si uxor Loth per inobedientiam facta sit conditione inferior ipso dæmone (*Oppositorum est eadem disciplina:*) tu legem purificationis implendo, cui tamen subjecta non eras, dignitate superiorem Angelis te reddidisti. Sciebat Virgo benedicta obedientiæ passibus, ceu totidem gradibus, rectà ad cælum ascendi. Qui sine mora divinæ Legis præcepta exequitur, alas sibi parat, quibus elevetur ad gloriam: ubi econtrà qui segnis & tardus in obediendo, amovebitur ille, & frustra speret pervenire citò ad perfectionis apicem.

Apud Phil.

Laudabilis est, & majoris meriti obedientia, cùm in executione limites jussionis excedimus: Talis fuit Mariæ obedientia. *Quæ plus fecit, quàm tenebatur facere.* Discat hic Christianus non satis esse, servare tantùm, quæ lege præscripta, sed supererogandum esse ad cautelam, & ultra obligationis metam alloborandum. Exemplum in Job habemus. Voluit Deus servum suum probari & gravissimè à diabolo tentari. A Sabæis primum auferuntur armenta, dein Chaldæi abducunt Camelos & Pastores excubantes malè excipiunt. Modò ignis è cœlo cadit, conflagrant greges, pecora & segetes: inde vento rapidissimo domus evertitur, & filii in ipsa suffocantur, & sic Job solus est miser, & ab omnibus derelictus.

D. Bern. ubi suprà.

Auditis his tristibus, quid faceret Job? Surrexit: *Et scidit vestimenta sua.* Ergone factus impatiens, ab hoste Tartareo hic superetur? Nudi hunc mundum ingredimur (ait ipse) à Deo est, quidquid possidemus *si Domino placeat sua repetere, non debemus nos indignari.* An non tibi incidit, bone vir, Deum probare adversitatibus tuam virtutem, & malleorum ictibus patientiam perficere?

August. Stenth. in c. 1. Iob.

Non capitis, inquit Job patientissimus, Deus bonis omnibus fortunæ spoliat, & ad tantam compellit inopiam, ut nihil mihi jam restet, nisi sola hæc vestis, quâ sum indutus. Ego autem, ut me totum divino placito conformem, ne ipsam hanc vestem retinere velim, hoc solo contentus, quod ad majorem adhuc paupertatem redactus sim, quàm certè à me Deus requirat, *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Auferat, obsecro Deus, & hanc vestem, quam libens dabo & ultrà quàm à me velis. *Etiam hanc vestem trado tibi* (dicit Origines) *ut nihil remaneat mihi ex his omnibus, quæ tradidit mihi Deus.*

Iob. 1.

Orig. hom. 1. in Iob.

Quod sponte plus facimus, non solum acceptum est Deo, sed & abundè remunerat. Perambulabat Salvator Noster Jericho, & quia jam percrebuerat sanctitatis ejus fama, confluebant undique, ut viderent & agnoscerent: sed reliquis in hoc fervention Zacchæus staturâ minor, fide maximus, qui omni viâ præ cæteris contendebat, ut Jesum videret; præcucurrit & in arborem sycomorum ascendit. Transiens Salvator advertit & parùm intuitus ad se venire jussit. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Sed quæ virtus in Zachæo, ut tanto haberetur honore dignus? forte ne quia usurarius erat, & bonis pauperum ipse dives? an quia Publicanorum Princeps quo non poterat dici pejor? quid bonitatis in homine illo ita movit, & placuit Salvatori, ut ad ædes ejus divertere sit dignatus?

Luc. 19.

Præviderat Christus, quia, vixdum ingressus esset in ejus domum, Zacchæus supererogaret, volens non solum implere legem, quæ tantum jubet restitui, quantum ablatum est, sed plura præstare, dum promittit non modò restituere, sed quadruplum reddere. Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Lex ei, qui, quod fraude aut furto abstulit, adhuc habet in manibus, duplum tantùm restituere præcipit: (scribit Jansenius:) Hic autem, si quid aliquem defraudavit, illud adhuc penes se habuit, nempè pecuniam. Verùm, quo fraudis perfectam faceret satisfactionem, & non tantùm restitueret male ablata, sed etiam damna, quæ fraudati poterant incurrisse, resarcitet abundè, suumque peccatum in se ipso plenè puniret, quadruplum ultrò se redditurum promittit.)

Iansen. in Concord. Evang. c.106 in c. 19. Luc.

Aliter Beda in hunc locum, ubi dicit Zachæum à Christo sic honoratum, eò quòd esset filius Abrahæ, non quod re ipsâ Zacchæus sit Abrahæ filius, aut ex ejus sanguine oriundus, sed quia virtutum ejus ferventissimus imitator: fuerat enim S. Patriarcha hospitalis & benignus erga pauperes, libensque hospitio peregrinos excipiebat. Hanc ergo virtutem imitari studuit Zacchæus. *Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Quis verò nesciat, eum, qui restituit, implere quod lex præcipit? at qui pauperibus dat, non modò facit opus præcepti, sed supererogationis & consilii. Quasi sic loqui voluit Christus: Video Zacchæe, te futurum Abrahæ imitatorem, qui, cùm daret pauperibus, plus præstitit, quàm per legem obligabatur. Ideò meritus es, ut te visitem, possisque meâ præsentiâ recreari. *Filius Abrahæ dicitur,* (concludit Beda) *non quia de ejus stirpe sit ipse genitus, sed quia ejus est fidem imitatus: ut sicut ille terram domumque paternam deseruit, ita ipse bona sua partiendo pauperibus relinqueret.*

Luc. 19.

Beda. D. Tho. ad liter.

Sanctus Evangelista Matthæus refert, quomodò Salvator de gratia speciali tres Apostolos exaltare dignatus sit ad cælestis gloriæ contemplationem. *Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus & duxit eos in montem excelsum.* Atque illis (ut exposuit S. Leo) *Claritatem suæ gloriæ demonstravit.* Quærunt hic Sancti Patres, cur tribus istis solum favor ille concessus. Non sine mysterio Apostoli omnes ad parendum Christi jussis obligabantur, & pro fide mori singuli erant parati: at verò tres isti ad ulteriora se offerebant, quàm obedientia exigebat; optabat enim S. Jacobus ante omnes vitam exponere, esseque martyr antequam Christus sic mandaret. Deus nemini legem posuit de virginitate servanda; unde Sanctus Paulus. *De Virginibus* (ait) *præceptum Domini non habeo; consilium autem do.* Sicut S. Joannes conservando florem virginitatis illibatum, plus præstitit, quàm cælestis magister præcipiebat. Divus Petrus, intellecto Domini jussu cùm in itinere non procul ab urbe Roma occurreret dicens: *Eo Romam iterum Crucifigi.* Statim subdidit Petrus, Capio, Domine, quid velis: non modò Romam ego revertar, ut in cruce suspendar, plus faciam: hoc enim jubes, hoc solum cupis, ut crucifigar, verum est; ultrà conabor, & in cruce pendebo elatis cælo pedibus, capite in terram diverso. Unde Sanctus Ambrosius: *Crucem Petrus resupinus ascendit, ut sibimet exacerbaret supplicium.*

Matth. 17.

D. Leo. hom. de transfig.

1. Cor. 7. B. Linus. hist. de S. Petro in Bibl. vet. PP. T. 1.

D. Amb. & Egesip. excid.

Hiero. c. 1. il. 3.

D. Ambr.

Vos igitur Discipuli mei charissimi, qui præ cæteris, in præceptorum meorum executione fuistis exacti, plus etiam meremini à me amari, adeoque mecum venire (qui singularis est favor) in montem Thabor, ut cæli gloriam prælibetis.

Deus non antè Abrahamo promisit Sanguinis propagationem, quàm dum immolavit arietem. *Quia fecisti rem hanc, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes.* An non majus ergo, voluisse sacrificare unigenitum filium, quam immolâsse arietem? quis dubitet? etsi non fuerit completum sacrificium in Isaac, non defuit Abraham, nec ipse in causa, sed Deus, cum ulteriùs progredi non permisit. Remunerare itaque debuerat Deus & seminis exaltationem addicere, statim ut erat paratus unicum natum suis ipse manibus occidere. Non sic, ait Deus, sed: *Quia fecisti hanc rem:* quia nempè arietem immolâsti, sic abundè remunerabo. Observat id Lucas Burgensis, ubi sic loquitur: (Notandum quòd non fuerit factum juramentum Divinarum promissionum usque tunc, scilicet post immolationem secundam, id est, arietis,) Primum sacrificium præcepti fuit. *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & offer illum mihi in holocaustum.* Secundum verò consilii, quod sponte & ultrò obtulit ante ullam Dei jussionem. Et hinc conclusit Burgensis. *Gratior fuit gratuita arietis immolatio, quàm ista unigeniti filii oblatio.* Atque propter hanc meruit Sanctus Patriarcha tam largam cæli retributionem,

Gen. 22.

Luc Burg. in addict. ad liter.

Sed

Sed quo animo (NN.) vos ad opera supererogationis jam horter & excitem, cum ne quidem ea, quæ legis divinæ sunt, impleatis? si quotidie, quæ præcepti sunt, transgredimini, frustra quæ consilii, proponam. Nomen Dei in vanum assumere, blasphemare, pejerare, loca sacra temerare in sæculi vanitatibus & carnis sensualitatibus vitæ partem meliorem transigere, odium in corde fovere, in statu damnationis annos plurimos contumaciter vivere & a confessione Sacramentali abhorrere: vivere, inquam, sic, quasi non sit infernus, qui deterreat, aut Paradisus, qui ad bene operandum inviter, aut Deus, qui judicet, sed non secùs ac si anima esset æternum victura. Este vos judices, an non ea omnia directè legi divinæ opposita & maximè contraria.

Obsecro, mi Christiane, exemplo tibi sit Maria: & si plura facere non vis, quàm ex præcepto teneris, cave saltem ea contemnere, ad quæ servanda te leges obstringunt. Sancta Ecclesia solemne Purificationis festum instituit, ut satagatis omnes Mariam imitari, purificando animas vestras à peccatorum sordibus; atque ita eritis divinæ legis fideles observatores. Quod si præstetis, ut piè confidere par est, etiam Deo offerre jam non turturem, non columbam, sed largam eleemosynam, ad pauperum refocillationem.

PARS SECUNDA.

Luc. 2. *Tulerunt Jesum in Hierusalem ut sisterent eum Domino.* Ibat Maria ad templum comitante sponso suo Joseph, & consecrârunt Sancti Simeonis manibus filium, cordis sui delitias & thesaurum pretiosissimum. *Th. Beaux. t. Conc. Evang.* *Vt sisterent eum Domino.* Explicat Ordinis Carmelitici doctissimus interpretator: (Hoc est, ut offerrent & præsentarent, seu consecrarent eum Domino.) Id legis præceptum: *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, id est, consecrabitur Deo.* At quorsum illa ceremonia? ut discamus & nos offerre Deo, quod in mundo charissimum & optimum possidemus. Verbis dicam Ludolphi Carthusiani: (Deus voluit sibi offerre primitias fructuum, ita & primogenita hominum, sed quare hoc, nisi ut omnia prima, & maximè omnia meliora & cariora Deo offeramus?) Unde Prudentius de Abrahamo sacrificante ita canit: *Ludolph. Cart. p. 1. c. 12.*

Prudent. in præfat. Pfycom.

Senile pignus, qui dicaret victima,
Docens ad aram cum litare quis velit,
Quod dulce cordi est, quod pium quod unicum,
Deo libenter offerendum crederet.

Deo offerre nos oportet argentum, non spumam, aurum, non lutum, granum, non paleam, rosam, non spinam. Maria nil habebat charius in vita, quod offerre posset, quàm filium suum unigenitum. (Sacratissima Virgo ob paupertatem suam non agnum obtulit, sed par turturum aut duos pullos columbarum: imò dicere possumus, quòd obtulerit agnum illum immaculatum, de quo Joannes Baptista dicebat: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.) *Petr. de Arag. 2. 2. q. 86. ar. 4.*

Postquam Rex David feliciter armis subjugasset Philistæos, sudore nimio & labore exhaustus, paulatim recessit & sub papilione tantisper respirans, Duces exercitûs convocavit. Adeste, ait, generosi & fidelissimi milites; totus sum languens & sensim morior siti, neque diutiùs ferre possum ardorem istum intensissimum quo intùs uror. Credite, non tantâ ferebar aviditate, ut sanguinem Philistinorum effunderem, quàm modò ad aquæ frigidæ potum anhelem. *O, si quis mihi daret potum aquæ, quæ est in cisterna Bethlehemi juxta portam!* Tres Capitanei reliquis promptiores. Ecce nos, inquiunt, Rex potentissime, ut desiderio vestro satisfaciamus, currimus, & aquam dabimus aut nostram vitam. Avolant ocyùs, & cito reversi aquam desideratissimam Regi propinant; Quàm grata oblata hæc unda? quis explicet aut concipiat? dicentem audire videor: nectareus hic liquor, vinis Engaddi sapore & dulcedine præstantior: jamjam præsentio in intestino hoc incendio refrigerium, & cordis languidi refocillationem. Sed quid? ubi scyphum labris admovit & nondum gustavit, invertit versus terram, & aquam effudit. Quis non miretur? Rex ita anhelavit sitiens, & aquam propinatam non bibit. Certè parvi nimis æstimat aquam illam, quam pretio vitæ (ut ita dicam) milites illi audacissimi comparatunt. Habet Sacer Textus: *Noluit eam bibere, sed libavit eam Domino.* Deo itaque offerre volebat. Quæ ista oblatio est, Regem offerre Deo pauxillum aquæ? ah! inquit Propheta Regius, Novi quid divino palato sit gratum, quid sapidum, & quid à nobis velit oblatum, quod videlicet habemus in vita charissimum; at modò nihil mihi in mundo charius esse poterat, quàm aqua ista, quæ mihi præ deliciis omnibus grata, hanc offerre jam lubet. *Libavit eam Domino* (scribit Sanctus Pater Ambrosius) *ut illa aqua, qua erat vivida virtutis, insigne esset pietatis Sacrificium.* *2. Reg. 23.* *2. Reg. 23.* *D. Amb. in Apol. Dan. c. 7.*

Magno applausu Christus loquebatur de Magdalena, cum pedes lavit, lachrymis abstersit & unguen-

Matt. 26. Marc. 14. unguento perfudit. *Amen dico vobis: ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus.* Benè factum à Magdalena, laudo, & volo in Evangelio exactè describi. Dicito, Magister bone, an non conveniebat potiùs ita Simonem à te laudari, utpote qui tam benevolè excepit hospitio, & opiparè tractavit? non. Unicè placet, quod Magdalena præstitit, idque mihi longè gratissimum, tria siquidem dedit, quæ mulieribus amara & charissima, monilia lachrymarum exhibuit, aurum crinium, & unguentum odoriferum, idque pretiosissimum.

Apul. l. 5. Lachrymas apud mulieres in pretio esse, satis probavit Psiche, cùm illis incantare & maritum rapere potuit, ut narrat Apuleius, quod rametsi fabulosum sit, ostendit tamen quantæ sit efficaciæ lachryma muliebris. Tanti fiebant crines anteactis sæculis, ut cùm semel in anno tonderetur Absalon, capillos abrasos ducentis siclis mulieres Hebrææ redimerent. Vix crederent hujus ævi puellæ, cum non jam communiter soleant alienis & falsis crinibus caput adornare. Ideo de Magdalena etiam dicitur: *Capillis capitis sui tergebat*, ad illatum mulierum differentiam, quæ mutuatis fictisque crinibus comptæ incedebant. Et unguentum charissimum esse præsertim mulieribus, cùm nimirum odoriferum est, ex Sacra Pagina demonstratur. Cum Propheta Elisæus divertisset ad viduam, ibique hospitaretur, necessitates illa exposuit, quomodò scilicet ab obitu mariti plurimis debitis gravata, creditoribus universa, quæ possidebat obligasset. Inquisivit Propheta, utrum non saltem aliquid sibi domi reservasset. Cui illa: *Non habeo* (inquit) *nisi parum olei quo ungar.* Atque illud, ut mihi charissimum, abscondi, ne una creditores auferrent. Quid igitur fecit Magdalena? Ad pedes Christi ceu altare provoluta, sacrificium litavit, & quo sibi charius in mundo nihil, immolavit, lachrymas nempe, unguentum & capillos. [Ipsos sibi pedes sacrarium (ait Sanctus Paulinus) & ut ita dixerim, altare instituit, in quibus libavit fletu, libavit unguento, sacrificavit affectu.] Ut meritò applauserit Christus: *Amen, dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dicetur quòd hæc fecit in memoriam ejus.* Adest S. Gregorius: *Quod sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, sed his jam pœnitentiâ conterens flebat: capillos ad compositionem vultûs exhibuerat, sed jam capillis lachrymas tergebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se invenit holocausta.*

Steph. Guaz. l. 4.

2. Reg. 14.

4. Reg. 4.

D. Paulin. apud Aud. Pint. Ramirez in Cant. l. 3. cap. 7. v. 4. §. 1. n. 165. D. Greg. de Magd.

Fateor quidem, potest offerre homo quod sibi visum est, acceptat tamen Deus, quod placitum & gratum. Sacrificabant Deo Cain & Abel; placuit sacrificium unius, & non alterius. *Respexit Dominus ad munera Abel, ad munera Cain non respexit.* Quid hoc? Deus justus est & æquus remunerator: *Non enim respicit personam hominum.* Variè respondent Sancti Patres; ut brevis sim, transeo, & hanc unam existimo rationem potissimam, quòd videlicet selegerit Abel de grege ovem optimam, eamque Domino obtulerit; q. d. [Sacrum, pingue dabo, non macrum sacrificabo. Idcircò *respexit Dominus ad munera Abel.* At verò Cain, qui agricola erat, fructus pejores segregavit, corruptos sibique inutiles quos potius abjecisset & pede protrivisset, illos inquam Domino exhibuit, q. d. *Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum.* Atque ideo *ad munera Cain non respexit.* Bene annotavit Cyrillus Alexandrinus: *Quæ ex tempestivis frugibus excellentiores essent, satis deliciis reservabat; quæ verò deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubescebat.* Adstipulatur doctissimus Abulensis: [Ob hoc dicitur sacrificium Cain non fuisse à Deo acceptum, quia de pejoribus offerebat; Abelis autem suscepit munera, quia de bonis pecoribus suis ad Dei sacrificium eligebat.] Idem alio loco confirmat: [Obtulit Cain de fructibus terræ, scilicet de frugibus, sed de pejoribus, de corrosis, de putrefactis. Obtulit Abel de primogenitis gregis sui; quia primogenita sunt pinguiora & meliora aliis.

Gen. 4.

Matt. 22.

Corn. à Lapid. in Gen. c. 4. v. 3.

Idem ubi supr. D. Cyril Alexandr.

Abul. in idem in Gen. c. 4. Deutr. c. 12. q. 10.

Et tamen innatum hominibus videri jam possit; quod semper abjectiora consecrent. Ibat ad conflictum Jephte contra Amonitas, & quò foret certior de obtinenda victoria, ad Deum refugit imploraturus opem, eique vovit offerre in holocaustum, quod sibi primum occurreret, casu quo devictis hostibus in civitatem rediret triumphans. *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque prius fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti, eum holocaustum offeram Domino.* Assequitur intentum, domumque victor reversus, primam omnium obviam habuit filiam. Ut vidit ipse, indoluit, & tristè suspirans scidit vestimenta sua & exclamavit dicens: *Heu filia mea! quoniam decepisti me.* Quid tristaris, Jephte? nunquid ergo vovisti liberè? sciebas autem domi mansisse & uxorem & filiam, quarum alterutra esset occursura: ut quid jam occurrente filia ingemiscis

Iudic. 15.

miscis & ais : *Heu filia mea, quoniam decepisti me.*

Decipi quis censetur, cum aliquid præter spem evenit; at ubi vovit Jephte, ita infra se dixit : Uxor mea adventum meum præstolabitur momentis singulis, moræque impatiens obviam excurret, ut me reducem excipiat & amplexetur; at quia non multum afficior, ne diutiùs eam oculis invitus feram, præstat ut eam Deo sacrificem, eritque mihi superstes filia quâ in mundo charius nil habeo: Unde filiam intuitus, lamentatus est. *Heu filia mea, quoniam decepisti me :* fefellisti me, charissima. Advoco testimonium Hugonis de sancto Victore : *Sed quam potuit cogitare priùs occurrentem? Conjugem cogitavit.* At verò quia homo proponit, Deus disponit, proposuit Jephte dare quod habuit pejus, Deus autem disposuit, ut optimum acciperet, misitque in occursum filiam, quam sacrificare deberet, retentâ sibi uxore, Glossa ordinaria sic habet: *Non tamen fortasse unicam filiam voluit offerre, quamvis in tanta patris gloria, quis eum posset anteire, nisi fortè uxor?*

Hugo de S Victore de Iephte.

Gloss. Ord. t. 2.

Deplorabat hoc pauperum Pater S. Thomas à Villa Nova. *Non offertur Deo nisi inhabilis & inutilis. Si quis est in filiis ignavus, claudus, luscus, atque deformis, hic Domino dedicatur, Propheta reclamante atque dicente : Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, offert debile Domino.*

S. Th. à Villa-Nova conc. 3. de S. Aug.

Non aliter agunt hujusmodi homines, quam Prometheus, qui Jovi pellem offerebat bovis & ossa, retinens sibi carnem; adeoque pari sunt ultione digni : non à Cinico differunt qui inventâ nuce, Jovi putamen dabat, servato sibi nucleo. Non sic Romani veteres, qui de singulis fructibus primitias consecrabant, utpote delicias gratissimas. Testis est Alexander ab Alexandro : (Romani Adolescentes magnæ indolis, primæ lanuginis barbam Diis consecrare usurpâruntur.] Sic fecit Nero, Suetonius & alii. At nunc exclamare liceat: (O tempora! ô mores! Nunc stipulæ, palea & tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ, Deo offeruntur. Periisse putant, quæ Deo obtulerunt in Ministrorum aut Templi usum.)

Nat. Com. in Mythol. 4. c 6.

Alex. ab Alex l. 5. Gen. c. 18.

Th. Beauxamys t. 1. Harm. Evang.

Nihil dignius, charius aut pretiosius habuit Maria quam puerum Jesum & hunc in templo obtulit, & Simeonis sacerdotis manibus consignavit, qui accepit eum in ulnas suas, & læto corde gratias Deo egit pro singulari isto favore. Sed cur non dicit, quod accepit Jesum in manus suas, sed in ulnas? (Verba sunt Pelbarti) *Quia in ulnis seu brachiis amplexando, propinquiùs cordi ponitur.* Quasi voluisset Jesulo cor suum offerre, quod inter humani corporis membra, nobilissimum est & charissimum.

Pelb. l. 2. p. 2. a. 2. c. 3.

Nec alia de causa voluit, credo, mori, cùm jam Salvatorem teneret manibus, dicendo : *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace,* nisi quia desiderio ardebat, ut Domino victimam velut Magdalena litaret, cor ei donando, spiritum & vitam; tria sibi longè charissima; O felix Simeon! O senex beatissime!

Cantic. Simeon.

Così felice sete
Nel fin de gl' anni, che cantar potete,
E col vostro gioire
Non sentir' il morire;
Mala vita abbraccitate
Epur morir bramate.

Bart. Barc. Mant.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

ARGUMENTUM.

Pondus diei & laboris æstum in hac vita sustineat, quisquis ad æternam quietem aspirat: non enim sine magnis exantlatis laboribus cælestis gloria poterit obtineri. Otium criminum parens est, & errorum omnium receptaculum, ideoque omni studio fugiendum, & ex animo detestandum.

THEMA.

Quid hic statis totâ die otiosi? Ite & vos in vineam meam.
S. Matth. cap. 10.

VErum est (NN.) non datur in hoc vacuissimo orbis theatro præmium sine meritis, rosa sine spinis, nec beneficium sine pensione. *Qua nos afflictant* (scribit S. Basilius) *præcurrunt, beneficium pœnâ est posterius.* Coronam recusat, qui fugit prœlium, ait D. Gregorius: *Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit. Et ad magna præmia pervenire non potest, nisi per magnos labores.* Et seculi hujus lege receptum est. *Ad honores sine labore non pervenitur.* Et pridem est promulgatum: *Honorem habere non possumus sine labore.* Non invenitur triumphantium laurus in amœnis vallibus, nec victorum palmæ, sed in arduis montium verticibus.

Qui laurum, & palmam victricem carpere gaudes,
Montis (si nescis) ardua scande prius:

Romani duo templa erexerant, honoris unum, virtutis alterum. *Hæ ergo ædes taliter erant dispositæ & continuæ,* (ut refert Guilielmus Parisiensis, S. Augustinus & alii) *ut solum per eadem virtutis pateret ingressus ad eadem honoris.* Unde Lycurgus juvenibus præcipit, ut otium vitantes, semper & quovis anni tempore exerceantur, dicens. *Iustus labor honoribus, præmiis & splendore decoratur.* Hoc indicare voluit, eum, qui laboribus assiduis incumbit rectà properare ad mundi gloriam: Unde Ovidius:

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Subscripsit Horatius:

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Euripides ait: *Fortunas ex laboribus venari oportet.* Epicarmus: *Laboribus omnia nobis Dii venditant bona.* Et concludit Sophocles: *Labores subire oportet eos, qui sibi feliciter esse volunt.* Fatetur Philemon hac viâ pervenisse ad felicitatis apicem. *Nisi enim tunc laborassem, nunc minimè gauderem.* Unde allusit ingeniosus aliquis.

Non sotto l' ombra in piaggia molle,
Tra fronti, è fior, tra Ninfe, è tra Sirene.
Ma in cima, à Petro è faticoso colle
De la virtu riposto è il nostro bene.

Nec minus hoc verum est in cælesti curia, & æquè ac in mundo observatum. Deus vult, ut præcesserint sudores, ubi largiuntur præmia. Cælum tenax est, nec coronas dimittit, si non terra præmiserit merita, nec tribulationum antè dederit fructus. Sub climate Divinæ providentiæ non prodibit remunerationum seges, si non priùs inter passionum tribulos pullulet meritum.

Non

B. Basil.

D. Greg. hom. 37. in Evang.

L. 1. c. de excus. artif. lib. 10. Cod. de stat & imag. l. & virt. & in auth. const. de dign. col. 6. Guid. Par. fer. 4. Quadr. S. Aug. l. 5. de Civit. Dei

c. 12. Ti. Livii. Val. Max. Ovidius: Horatius.

Euripides. Epicarm.

Torq. Tass.

Non vult felices absque labore Deus.

Quibus Deus gloriæ mercedem promittit, ad vineam vocat, ut priùs laborent. *Quid hic statis totâ die otiosi: Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis.* Ante seminandæ sunt lacrymæ, quam potiri liceat jucunditatis messe: spargat dolorum tribulos, qui desiderat gaudiorum dulcedinem. *Sine labore* (ait piissimus Scriptor) *non tenditur ad requiem; nec sine pugna pervenitur ad victoriam.* Quam bene addit S. Bernardus: *Non rectè plenè; sed perversi est animi, antè quærere gloriam, quàm exercere virtutem; & velle coronari, qui non legitimè certaverit.* Videndum hoc breviter nostro discursu. Attendite.

Matth. 20.

Thom. à Kemp. de Imit. Chr. l. 1. c. 21.

S. Bern. in Nat. S. Vict. Conf. serm. 2.

PARS PRIMA.

ITe & vos in vineam meam. Virtutum germen non excrescet, nec dabit præmiorum fructum, si non assiduè cultivetur, & sudoris aquâ irrigetur. Non resplendet humana gloria, si non priùs expurgata sit magna patientia. *Hic enim nobis proposita sunt certamina,* (loquitur Sanctus Augustinus) *sed in futuro sæculo certaminum præmia reservata. Hic ergò laboremus, hîc serviamus Deo, & mandata ejus servemus, ut in cælorum Regno æterna præmia capiamus.* Quàm longum iter confecit Abraham, antequam ad terram pervenit à Deo promissam? quot annos servivit Jacob, priusquam in ædibus Laban speratis frueretur divitiis & voluptate? per quot naufragia jactatus est Joseph, antequam in Ægypto honoratus à Pharaone? per quot anfractus & adversitates ivit David, antequam pacificè dominaretur in regno? quàm diu peregrinati sunt Israelitæ, priusquam obtinerent terræ promissionis delicias? Ipse Dei Filius quantum sudavit, quantum passus, quantum sanguinis fudit antequam intraret in gloriam? (Et Christus omnium Sanctorum exemplar, & caput, scribit: hujus ævi commemorator) jejunavit, esurivit, sitivit, tristatus est, sanguinei sudoris grumos toto protulit corpore, raptus, ligatus, flagellatus, spinis coronatus fuit & cruci affixus, priusquam gloriâ resurrectionis & honore coronaretur.)

S. Augustinus Christum in cruce contemplatur, ut præceptorem cælestem è suggestu docentem: *Lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, cathedra fuit Magistri docentis.* Si quid docuerit, scire, velimus, ad S. Joannis Evangelium recurramus, ubi dicit Christum esse viam: *Ego sum via.* Quisquis cælestem patriam meditatur, hanc teneat viam ubique refertam spinis, clavis, lanceis, flagellis & respersam sanguine. *His itur ad astra.* Unde allusit Ovvenus.

S. Aug. t. 19. in Ioann.

Ioann. 10.

Ad cælos vis scire viam, tibi qua sit eundum?
Ad te descendit cælitus ipsa via.

Ovenus. l. 3. n. 101.

Itaque in Crucis pulpito discimus, quomodò nos oporteat per clavos, spinas, lanceam, vulnera & sanguinem tendere ad supernam gloriam. *Nullus ergo potest ingredi in Paradisum* (inquit Albertus Patavinus) *ubi est vita æterna, nisi transeat per gladium.*

Alb. Pat. ser. 5 fer. 5. Doct. 1. Quadr.

Deliciæ terræ promissionis per lac & mel in Sacra Pagina à Deo repræsentantur; ubi ait: *Dabo vobis terram fluentem lac & mel.* Quis non miretur inusitatum loquendi hunc modum? quis unquam vidit terram stillantem mel & producentem lac? congruè magis dictum videatur. *Dabo vobis terram producentem poma, fructus &c.* Lac enim à pecoribus datur, mel ab apibus. Quod ad mel attinet, apum aculeo armatur & conservatur, ita ut, si capere tentes, periculum incurras punctura & maximi cruciatus, antequam obtineas. Quoad lac, docent Philosophi *Lac sanguis est colore mutato.* Priùs sanguis est, post in lac convertitur. Hac ergo metaphorâ innuitur, qui frui desiderat dulcedine lactis & mellis, in terrâ promissionis, opus esse, ut transeat per medias adversitates, etiamsi effundendus sit sanguis. Proinde Mellifluus Doctor: *Donec in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est, patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos.* Et fuit meditatio illius qui Christum in horto Gethsemani sudantem sanguinem contemplatus, ita decinit:

Exod. 3.

S. Bern. serm. 48.

Sangue ché sparso in rivi.
L' Anime nostre auvivi.
Torna quest' alma in vita
Che contro il suo fattor, s' è fatta ardita:
Sò ben' che ejetolto dal corporeo velo.
Più non si và per via di latte al cielo.

Bart. Manti

Ea est Salvatoris nostri liberalis conditio, ut ultrò largiatur; & quodammodo impellitur, ut postulantibus desiderata concedat. Vix dum rogatus, leprosos mundat, cæcos illuminat, infirmos sanat, dæmones fugat: at semel difficilem se exhibuit, neque tum precibus annuit, cùm licuerit

scilicet pro filiis Joanne & Jacobo interpellaret
Matt. 20. Zebedæi uxor, ita supplicans : *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram, & unus ad sinistram in Regno tuo.* Certè exaudiri merebatur, tum propter consanguinitatem, tum quia pro discipulis petebat, & quidem cælestia bona : jure meritoque pateretur repulsam, si pro terrenis institisset.

Respondet Basilius Seleucus esse favores inter se multum diversos: quos enim facillimè concessisse, jam dictum est, meræ gratiæ erant, sed quos Apostoli cupiebant, præmia erant, sedes in cælis, & corona gloriæ, quæ non nisi à violentis & strenuè certantibus impetrantur per ensem
Abulens. & vulnera. Reprehendit ergo *Nescitis quid petatis.* Et postea interrogat : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Abulensis hic: (Accipitur calix pro amaritudine tentationum, & bibere calicem, est tolerare tormenta. Et Sanctus Joannes Chrysostomus : *Ideo Dominus interrogat. Potestis bibere calicem, ut omnes audiamus, quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem Christi fuerit imitatus.* Hoc satis insinuat, non præparari coronas istis, qui *tant totâ die otiosi*, sed qui in vinea Domini desudant & assiduis laboribus fatigant, adversa quælibet æquo animo sustinentes. Sanctum Basilium di-
Ser. 24. cendem audite & credite : *Si leprosus curationem quærit, virtutem exero : si mortuum è tumulo resurgere necessarium est, potestatem exprimo, at si quis regiam potestatem petat, fusi propietate sudoris testes reposco.* Et Cajetanus confirmat, di-
In c. 20. Matth. cens: (Rationem, quare nesciant, quid petant, insinuat esse, quia nesciunt quid sibi immineat, post Christi resurrectionem, ac si apertè diceret: Ideò nescitis quid petatis in mea resurrectione, quia putatis vos perventuros ad Regnum meum, sic viventes, cum ego surgam à mortuis; sed longè aliter est ; quia modus perveniendi ad Regnum meum, est per passionem & mortem : & propterea examinate, si potestis bibere calicem passionis & occisionis.)

Postquam satiâsset Dominus turbam tam copiosam quinque panibus & duobus piscibus, jussit ut discipuli transfretarent ad alteram partem maris Tiberiadis, donec omnis turba recessisset. Ita factum, sed ecce subitò horrenda tempestas, adeò ut navicula jam penè absorberetur. Circa quartam noctis vigiliam venit ad illos Salvator super aquas, illi autem credentes phantasma videre, exterriti sunt. Petrus aut audivit loquentem.
Matth. 14. ex voce agnovit, eumque precatus est : *Domine, jube me venire ad te super aquas*, Cui Christus statim consensit. *Veni.* Petrus, ut erat lætus, & ad difficilia magnanimus, à navi prosilit, & maris fluctus gressibus celerrimis calcat, sed cum acriùs ad spirantis venti agitatus flatibus naufragatur, exclamat: *Domine, salvum me fac.* Nam, ut notat Cajetanus : (Petrus considerans imminentem ex valido vento procellam, actualiter dubitare cœpit, & timere submersionem.]

At in quem finem permisit Christus Petrum in tanto versari periculo; favere videbatur, cum ad se venire super aquas jubet : at quis favorem dicat, ita periclitari ? si nolebat ut Petrus ad se accederet, quare igitur mandat, *Veni?* & si volebat ut super aquas graderetur, oportuit ferre subsidium, non subtraxisse manum, erat enim impossibile propriis viribus incedere super undas. Doctor citatus ita respondet: (Tam diu siquidem *Cajet ubi* scribitur ambulasse super aquas, quousque non *supra,* perdidit securitatem timendo, & fidem dubitando: Statim enim ut dubitavit & timuit, cœpit mergi.) Optimè responsum : sed aptiùs ad rem nostram.

Attendite ad id quod dixerat Petrus: *Domine jube me venire ad te.* Ad Christum ire volebat, & manere cum illo. *Venire ad te.* Ex alio Scripturæ loco capiemus mysterium, & mentem Petri. Promiserat bono Latroni crucifixus in Paradisum hoc die ingressum. *Hodie mecum eris in Pa-* *Luc. 23.* *radiso.* Itane factum; omninò: impletum est promissum quoad effectum, quia paradisum obtinuit; sed non videtur servatum addictum tempus: dixerat enim: *Hodie* tibi dabo Paradisi gloriã. Quomodò hoc verum sit, cum illo die descenderit Christus ad limbum, nec ad cælum ascenderit nisi post quadraginta dies ? Quid ergo promittit *Hodie*, cùm postea non impleat ? Scire hic velim (NN.) quid per Paradisum intelligatis ? an fortassis cælum empyreum quod materiale? non sic, sed quia in eo vident Deum Beati & amant. *Paradisus non dicitur cælum empyreum, sed par-* *Ar. 49. in* *ticipatio beatifica visionis*, asserit Dionysius *c. 23. Luc.* Carthusianus. Et si hoc modo in inferno videretur, infernus jam Paradisus esset. Si ita dixerit Cassandra. *Vbi Helena est, Trojam puto.* & commune hoc sit: *Vbi Papa est, ibi Roma.* Cur non *Seneca* æquè liceat asserere : ubi Deus est, ibi Para- *in Agam.* disus ? Stetit ego promisso Salvator noster *Act. 4.* etiam quantùm ad tempus, quia dicendo : hodie mecum eris, & videbis humanitatem meam gloriosam, simul ac Divinitatem, idem est, ac si dixisset : Hodie eris in Paradiso. Neque

que desunt hujus opinionis Authores, qui probent: quorum unus Innocentius Pontif. Maxim. qui sic ait. *Hodie mecum eris in Paradiso, ac si diceret apertius: Hodie mecum eris, quod est esse in Paradiso.* Subscribit Cardinalis Vigerius. Eris mecum in paradiso. Nescio ego, quis melior paradisus inveniri possit, aut quæri debeat, quàm simul esse cum Domino Jesu Christo jam glorioso, & Deitatem simul cum humanitate monstrante. Quare in paradiso die promissa verissimè fuit. Et alii in hunc locum, confirmant. *Hodie mecum eris &c.* (Non accipitur hic paradisus pro cælo empyreo, quia ad illud ante Christi Ascensionem nullus ingredi poterat, sed accipitur hic pro esse cum Christo, ejusque Divinitatem videre; & sic dici potest, fuisse illo die in paradiso. Idem ergo dictum: esse cum Christo, ac in paradiso. Hoc voluit sanctus Petrus, cum dixit: *Domine, jube me ad te venire.* Sed cum priùs subivit pericula, & naufragium imminens, apertè indicat, haceundum esse ad Deum & paradisum. Audite Ambrosium. *Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, si pervenit ad Dominum, ostendens nobis, quod non nisi per pericula properatur ad Christum.*

Ian. 3. ser. 1. de S. Laur.

Viger. 2. p. codic.

Mich. de Med. fer. 6. in Parasc.

S. Ambr. in c. 16 Matt.

Post ardentissimos solis æstus, post durissimos gelu rigores, post insomnes noctes, expertus Jacob avunculum Laban ingratum, cogitavit de reditu. Terram ergo nativitatis repetit, & in via Angelum obvium habuit, qui ut ejus animos probaret & vires, ad luctam provocavit. Acceptat certamen Jacob, & illicò brachia conserunt & pectora luctatores fortissimi jungunt, adeoque valenter contendunt, ut victoria non exiguo tempore fuerit dubia. Quid hic ageret provocans Luctator? *Cùm videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Vicit tamen Jacob, eique palmam cessit Angelus & præmii loco nomen indidit novum, sublato antiquo *Quod nomen est tibi? Respondit, Iacob: at ille nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Subintulit hinc Hugo de S. Charo. *Qui non fuerit Iacob, non erit Israel.* Quid ita intendit citatus Doctor?

Gen. 32.

Hugo de S. Charo in Gen.

Iacob idem est quod *supplantator*, & *Israel, videns Deum.* q. v. d. Qui ante non est Jacob, id est, qui non pugnat, non strenuè laborat, nec fortiter patitur, non erit videns Deum, *non erit Israel*, non videbit Deum in cœlesti aula. *Qui non fuerit in labore certaminis, non erit in requie aterna visionis.*

Sponsam invitabat ad cæli coronam sponsus: *Veni coronaberis, de capite Amana.* Audite quibus verbis ipsa respondit. *Vadam ad montem myrrhæ.* Antequàm ingredi velit cælum, proponit ascendere montem, ubi crescit myrrha. Quid tamen cælo cum monte? quid coronæ cum myrrha? quæ est illa connexio montis cum paradiso, myrrhæ cum corona, & amaritudinis cum gloria? sciebat utique sponsa cœlestis, quia

Cant. 4.

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.

Ad paradisi dulcedinem invitat me sponsus? Benè est, *Vadam* igitur *ad montem myrrhæ.* Gregor. Nyssen. affirmat, ita hunc locum exponens. *Per quod ostenditur, quòd qui cum Christo fuerit myrrhæ particeps, omninò erit etiam particeps thuris: nam qui fuerit cum eo passus, simul etiam glorificabitur.*

Non semel tantùm expertus sanctus Petrus Apostolus, testis sit hujus veritatis: Thaboris vertice Dominus gloriæ spectaculum edidit, ibi formam demutat, & illuminatam vestem induens solem radiorum luminibus longè vicit. Petrusq; visionis oblectatus gaudio, in has voces importunus erupit: *Domine, bonum est hic esse: faciamus hic tria tabernacula*, in quibus possimus commorari & perfrui cælico hoc bono. Et cui non arrideret ista felicitas, aut veram gloriam non percipit, aut certè mente captus est. *Montis hujus culmina stabiles teneamus* (scribit sanctus Thomas à Villa-Nova) *quæ enim infra, sunt & amara pestiferaque omnia, lethalique tincta veneno: hic pax, hic securitas, hic salus, hic requies, & si quid veri boni in vita est, in hoc solo monte pleniùs possidetur.* Vix Petrus hunc sibi favorem petiverat à Christo (*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos*) & ita gloria abscondebatur. Et quidem Petrus ab Evangelistis arguitur, quasi foret temerè & insensatè locutus. *Nesciebat quid diceret.* Quid autem mali dixerat Apostolus? dono prætendebat gloriam istam cælicam, quæ non nisi sudoris nummo ab aliis comparatur; sciebat utique, quia *honos* sine aspiratione non scribitur, benè autem *onus*, aspirabat ad honorem, non ad onus, non ad labores. Sed non jam solus ipse, ut verum Poeta cecinit.

Matth. 17.

De transfigurat. Christi.

Aspiratur honos, sed non onus; optat honorem.
Quilibet ingratum non amat ullus onus.

Ideoque *adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, apertisque oculis nihil viderunt.* Meritò

Hofmeist. in cap 8. Marc.

ritò reprænensus est Petrus. *Nesciebat quid diceret.* Gloria namque otiosis non datur, sed gnaviter laborantibus. (His ergo revelationibus (concludit sanctus Leo) Petrus Apostolus incitatus, mundana spernens & terrena fastidiens, in æternum quoddam desiderium rapiebatur excessu, & gaudio totius visionis impletus, ibi eum JESU optabat habitare, ubi manifestâ ejus gloriâ lætabatur.) At Christus non concessit hîc gratiam: *Vt ostenderet priùs esse postulandum tolerantiam, quàm gloriam.*

D. Leo ser. de transfig. Dom.

Sancta Ecclesia Salvatorem nostrum ob oculos reponit in monte Oliveti valedicentem Apostolis atque ita loquentem introducit: Discipuli mei charissimi, filii, inquam, dilectissimi, quos gratiæ genui, tandem advenit tempus, ut ad cælum jam eam: affectus, quo vos intimè prosequor, non finit absque dolore sensibili hanc separationem: sed tamen quia jubet Pater æternus, lætè ac alacriter est parendum. Amor paternus ad cælum vocat; sed amor, quo erga vos feror, sistit & retinet; ibo corpore, sed remanebo vobiscum affectu: faciam, ut acerbitas doloris ex meo discessu, mitigetur missione Spiritus sancti paracliti; non tamen ad consolationem faciunt hæc mea verba, ut video, sed lacrymas provocant: vado igitur; valete, pacem meam retinete, laborate pro fidei augmento, sitque vobis omnibus fidelium meorũ unicè cura. Atq; ita subitò nube coruscante, circumdatus, sed tamen *elevatis manibus benedixit eis & ferebatur in calum.* Ut quid elevatis cælo manibus? an fortè ut ostenderet solutum in mensa crucis debitum, quod ab homine veniens in mundum, contraxerat expiandum, pendendo monetam sanguinis, & recepisse testaretur? Hebræi, in manuum charta subscripserant, atque ideò, ut Patri eas monstraret, & in eis legeret satisfactionem; *Elevatis manibus ferebatur in cælum.*

Luc. 4. v. 2

Aut dicamus etiam Christum in cœna humilitatis manibus lavisse Discipulorum pedes, atque ita consormiter ad doctrinam Evangelicam, *Qui se humiliat, exaltabitur*, expediebat eas reliquis citiùs, in cælum efferri. Cajetanus ait, elevatis manibus instruit Apostolos, ut sursum corda semper elevarent, & in necessitatibus ad cælum semper refugerent. *Vt exteriori ad cœlestia mentes discipulorum erigeret.*

Matth. 23. Cajet. in c. 24. Luc.

Sanctus Bernardinus Senensis profundiùs rimatur, ut mysterium latens aperiat, dicitque sic Christum indigitâsse nobis viam, quâ veniamus ad cœlestem patriam. Ad paradisi introitum, positi sunt custodes Angeli, neque ulli permittunt ingressum qui non in terra diuturnis laboribus anteà defatigatus. Cum itaque manus elevavit, vulnerum cicatrices ostendit, quibus gloriam promeruerit, suntque tam gloriæ plagæ testes acerbissimæ passionis, quam pro mundo redimendo sustinuit. *Vt ostenderet* (scribit Sanctus ille) *quod vulnera portabat ad calum, ut qui sanguinem pluerat per vulnera illa in supplicio crucis, per ipsa eadem, tamquam per meritoria instrumenta, abundantiam Spiritus sancti effunderet sublimatus in calis.* Et S. Bonaventura: *Elevatis manibus, quasi diceret. Si ad hanc immortalem gloriam, in qua ego sum, venire vultis, exemplum dedi: quanta pati debeatis.*

D. Bern. ser. 1. de Ascens. Domin.

D. Bonav. ser. 2. de translat. S. Franc.

Ab æstu solis parumper respirabat Moyses sub arboris virescentis gratissima umbra, & cum oculos conjiceret in Oreb montis cacumen, mirabile prodigium! *Videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Cupiditate permotus eò ipse ascendere meditatus est. *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Ut propiùs accessit, audivit vocem, *Moyses, Moyses*, substitit, & arrexit aures, ut distinctè perciperet, & ecce è medio flammarum vox erumpens: *Ne appropies huc. Solve calceamenta de pedibus tuis.* Cave ultrà hic progredi, ante calceos exue.

Exod. 3.

Subintrat S. Noster Thomas à Villa-Nova, & quærit rationem, cur antequam permittatur Moyses ad rubum accedere, jubeatur calceis denudari. Ex sacra Scriptura eruitur, quod Deus in rubo continebatur. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio rubi.* At cur in Dei conspectum venire prohibetur calceatus? præcepisses potiùs caput nudare, flectere genua, in terram prosterni, & alia ejusmodi vera cultûs & honoris Deo debiti signa.

Ea quorundam opinio est; (exuere calceamenta est deponere sive ablegare omnes impuros affectus, ac renunciare omnibus sæcularibus negotiis,) Amalarius Fortunatus, Treverensium Antistes, ad mores ita factum existimat, ut discamus, qualiter nos oporteat in locis Deo sacratis conversari. *Intrantes nos ad sancta loca, ubi Dominus & Angelus ejus est, exuamus nos hic calceamentis.*

Hosmiss. in Act. Ap. c. 7.

Amalar. T. 9. Bib. vet. PP.

Aptiùs ad rem nostram Valentiarum Archiepiscopus ait, montem Oreb fuisse quaqua versum respersum spinis & tribulis: atque adeò omninò erat necessarium, si volebat Moyses ad montis fastigium pertingere, ibique Deum contemplari, calceos extrahere & denudatis pedibus

bus per spinas & tribulos ire, eaque rectissima est ad verum paradisi verticem, Deumque videndum via. *Moyses cum ardentem & incombustum rubum accederet, Divino eloquio prohibitus est: Ne appropies huc: Solve calceamenta de pedibus tuis. Et quid ad locum sanctum calceamenti solutio? quid sanctitati cum calceo? dicas potiùs: Tolle pileum, genua flecte, prosterne te coram Domino, quæ insignia solent esse cultûs & reverentiæ. O magnum ibi latens Sacramentum! locus spinosus erat, ideò calceamenta deponere jubet.*

S.Th.à Villa-Nova conc.2.de Nat.Dom.

Scribit Rabanus Maurus Romanos olim milites gloriari tum maximè solitos, cum in scutis aut insigniis actum aliquem belli heroicum præferebant: unde ea erat Senatoribus consuetudo, dare militibus scuta rasa, nihilque pictum in medio, ut si honorem & gloriam quærerent & scuta insignita, magnis animis inconflictu pugnarent, & stricto gladio decus & insignia compararent. Quidquid honoris & gloriæ Joseph filius Jacob in Ægypto accepit, non aliis mediis acquisivit. Si catenâ aureâ à Pharaone circumdatur, ante compedibus ferreis ligabatur: si honoratus sit vestitu Regio, prius chlamyde spoliatus est, quam in manibus Dominæ calumniantis reliquit; non antè gerit annulum Regis & sceptrum, ut imperet, quàm venditus ut mancipium, & obtemperans ut servus in aula; non antè sedet exaltatus in throno, quàm innocenter detentus in carcere. Adduco verba Ruperti Abbatis: *Pro compedibus, in quibus humiliaverunt pedes ejus, torquem auream suscepit: pro pallio, quo in manu adultera relicto, nudus effugit, stola byssina, Deo judice, indutus est. Pro servili nomine Regium gestat annulum, & pro carceris humilitate, super altum sedet imperii curium.*

Apud Laur.Zan. in monar. myst. l.3.d. 56.§.3.

Tribulationes & passiones in vita, certissima sunt consequendæ salutis æternæ signa. Qui cum Deo censum constituit, exponendo tolerantiæ monetam, non poterit amittere cœlestis gloriæ fructum, & certum proventum. Devota est & pia Melliflui Doctoris meditatio in hæc Salvatoris nostri ad latronem consolatoria verba, cum jam in cruce pendens ultimum spiritum daret. Audite obsecro, & intelligite mysterium. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Edissere Redemptor piissime, inquit Bernard. cuinam dicta sint tam consolatoria verba? non enim capio, quo referendum sy *Tibi*: fortè ad latronem, qui rogaverat, *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quomodò tamen ita sit, si fuerit tam sceleratus ille & impius, ut millies infernum sit meritus; paradisus solis bonis patet, non malis: præmium reservatur iis, qui multis exantlatis laboribus & continuo virtutum exercitio acquisiverint meritum. Omninò contrarium egit latro, quomodo ergo verè de eo sit dictum, *Tibi, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*? Ah respondet sanctus Pater, perpendite attentiùs voculam *Tibi*, ejusque virtutem. Quasi ergo dicebat Crucifixus, *Tibi*, qui mecum in tormentis pendes. *Tibi*, qui in iisdem cruciatibus, *Tibi*, qui easdem pœnas sustines & crucis opprobrium, *dico, hodie mecum eris in paradiso*: non jam attendo, an fueris latro, nequissimus & sceleratissimus: sed modo tuos dolores intueor & acerbissimas pœnas, quibus tibi cælum comparas, & impelli me sentio ex justitia, ut sine replica concedam. Ideò, *Amen dico tibi, qui me confessus in cruce tormentorum, eris mecum in paradiso deliciarum.* Adest Cardinalis Vigueris, & eodem ferè modo discurrit: *Hodie eris in paradiso. Cui dicitur? Latroni: quare? quia patienter sustinuit crucem. Nullum aliud opus fecisse legitur, aut cogitasse, unde tantum præmii assequi debuerit, nisi quod patienter sustinuit pœnam crucis.*

D.Bern. de bon latrone. Vigueur.2. p.Codic.

Credite (NN.) tribulationes *sunt media ad salutem, sine quibus non.* Ita ut, si quis se dicat ad patiendum inhabilem, cœlesti gloriâ declarat indignum & totaliter incapacem. Ut meritò dictum sit ab Abbate Pachomio, *Salus in tempore tribulationis acquiritur, & Apostoli tribulationum passiones excipientes, ad promissa præmia pervenerunt.* Nemo in cælo reperiatur, qui non in hac vita per tribulationes ante probatus. Sanctus Evangelista Joannes semel videre meruit Sanctorum omnium in cælo Societatem. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis.* Et interrogatus, ut diceret, quinam illi sint, & quomodo ad tantam felicitatem pervenissent. *Hi, qui amicti sunt stolis albis qui sunt, & unde venerunt?* Joannes pudore suffusus, plenusque timore respondit. *Domine mi, tu scis.* Audiam ergo: & responsum est. Quotquot in cælo vides, beatorum animæ sunt, eoque per multas tribulationes appulerunt. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni.* Quasi dictum sit: Nemo beatus, qui non per laborum & pœnarum januam transivit: & fallitur, quisquis aliam meditatur viam. Verba sunt S. Archiepiscopi Valentiarum. *Cùm Joannes Apostolus vidisset eos in gloria, & interrogasset Angelum: Qui*

In monitis 4.Bibl.vet. PP.

Apoc.7.

Luc.23.

ſunt iſti, & unde venerunt? dictum eſt ei: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione. Et tu putas, quòd tibi ſoli dabitur privilegium, ut ex deliciis vivens, regnum cælorum poſſideas? non credas: erras, erras, non fiet iſtud. Confirmat Hiſpanus Author. *Hagote ſaber Iuan, que ninguno ay de quantos vees aqui, que la gloria que tiene, no lo aye ganado con grandes tribulationes y trabajos.*

Hernaud. de Æarai p. 1. de pat. Chr. l. 3. d. 4

O quantùm aberrat, qui ſine laboribus ad æternam felicitatem anhelat. Inſenſatos illos exiſtimat Propheta Regius, qui ſibi ipſis abblandiuntur & jactant. *Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Quid hoc eſt, velle prætendere jure hæreditario ſanctuarium Dei? quod hæreditamus, ſine labore acquirimus, & ſine ullo noſtro incommodo, ſudoribus aliorum recreamur. Qui hujuſmodi ſunt, ut ſic æterna tabernacula poſſidere præſumant, confundantur illi, Domine, & de totâ tantæ præſumptionis in infernum præcipites ruant. *Deus meus, pone illos ut rotam* & à dæmonibus ut ſtipula arida in ignem æternum raptentur, & ſpes illorum vana diſſipetur ut folium à vento. *Et ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Videant ultionem tuam & conterantur.

Pſalm. 82.

Cælum non hæreditatur, ſed fatigatione & ſudore accipitur. Lex eſt, *Benè merentibus præmia tribui oportere.* In cælorum granario non reponitur frumentum, quod priùs in mundi horreo non ſit flagellis excuſſum. Et tu, inquit S. Pater Auguſtinus, *aviduses ad mercedem, & piger ad laborem.*

L. Virtut. præm. cum ibi alleg. c. de ſtat & imag. In Mill. verbo Labor.

Qui vult aſſequi intentum, non parcit ſumptibus, non timet incommoda, nec ſubterfugit labores *Nec ratio, nec tempus curari debet, dummodò effectum habeamus.* Nos ergo in hunc mundū ingreſſi ad conſequendum æternam gloriam, otio torpentes & deſides obtinere ſperemus.

L. Hom ſylvar. §. habere ff. de V. ſign.

Si te delectent æterna præmia vitæ,
Magna quidem; ne te terreat ergo labor.

Quàm benè & congruè aſſerit ſanctus Petrus Chryſologus: *Vivi lapides, qui ponendi ſunt in illa cæleſti Hieruſalem, qua ædificatur ut civitas, variis infortuniorum concuſſionibus poliuntur priuſquàm in ædificio cæleſtis habitaculi collocentur.*

Eja igitur fratres, ad vineam Domini properate, ad laborem, ad ſudores: *Ite & vos in vineam meam.* Si patiatur cato flagrorum ictus, delectabitur anima cæleſtibus gaudiis. Non eſt quòd ſupernam ſperet ſine fine lætitiam, qui momentaneam in terris ſubterfugerit paſſionem. Anima, quæ in mundi hujus agro fuerit inter ſpinas roſa, erit inter flores lilium in paradiſo. Unde dictum à pio Dei ſervo.

El che chiſiere en Chriſto conſolarſe
Ygozar de ſu eſſenza verdadera,
Su Cruzha de tomar, yha de negar ſe
Que no ſellega Dio; d' otra manuera.

Et ſi tempus vitæ tuæ nubilum fuerit, & ab adverſitatis tempeſtate obſcuratum, recordare, quod contingere ſolitum,

Venit poſt multos una ſerena dies.

Tibull. l. 3. eclog. 6.

Et quò plura & graviora tormenta, eò glorioſiora ſecutura trophæa. *Pretioſa corona per agonem à nobis acquiritur* (ait S. Irenæus) *& quantò per agonem nobis duriorem evenit, tantò eſt pretioſior.* Res tua agitur cum Deo, qui benignus eſt & fidelis remunerator: *Dabit tibi quod juſtum fuerit.*

Lib. 4. c. 31.

Atque ideò ſervis Dei tribulationes ſunt auguria orituræ felicitatis. (Gloriamur in tribulationibus (ſcribit Ægidius Columna) conſiderantes nobis ex hoc præparari præmium æternæ hæreditatis. Gloriamur in tribulationibus, id eſt, lætamur, ſi preſſuram patimur in hoc mundo: operatur enim in nobis expectationem futuræ gloriæ. Dictum ſatis pro prima parte, ad alteram venio.

In hunc ad Rom. l. 6.

PARS SECUNDA.

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Dixit Philoſophus aliquis hominem, cùm naſcitur, tria habere deſideria, *Omnia ſcire, aliis præeſſe, & ſemper vivere.* Sed videtur ipſe omiſiſſe præcipuum nempe quod homo potiſſimum deſideret *otiari & ditari*, lautè & quietè vivere, atque indies magis magiſque divitiis affluere.

Sapienter factum à Lacedæmonibus, cùm, ne otium eliminarent, & pigros corriperent, tribunal ſtatuerunt contra otium. Solon decrevit, ſi pater non inſtruxerit filium in opere exercendo, filium non obligari ad ſuſtentandum patrem, cùm jam ætate decrepitâ ſenex. Commune hoc effatum Appii Claudii: *Negotium populi Romani melius quàm otium committi.* Cato Cenſorius eos ſolum ad rempublicam admittendos cenſuit, de quorum ſolertia & aſſiduo labore manus

Val. Max. l. 7. de Sap. di.

manus callis obductæ testabantur. In Concilio Carthaginensi, cui interfuit sanctus Pater Augustinus & promovit, *depositum est, ut Clericus, licet eruditus esset & literatus: quærat tamen ab aliquo honesto artificio victum & sustentationem.* Nec in alium finem id credo decretum, quàm ad otium evitandum: nam ut testis est Sanctus Joannes Chrysostomus: *perversi facti sunt ab otio.*

Concil. Carth. 4 c.51. q.53.

Hom.28. in Ioan.

Ut ab otio ferrum contrahit rubiginem, ita etiam, ut scribit Aulus Gellius, (vita humana propè ferrum est: ferrum enim, si non exerceas, rubigo interficit.) Hoc ipsum confirmat D. Hieronymus: *Acutus gladius & levigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine, & splendorem pristini decoris amittit.* Aqua, dum non movetur, citò corrumpitur: ut alluserit aliquis emblemate, addito verbo *Servatur motu.* Quàm verè locutus est Meander. *Quàm multa mortalibus otium facit mala!*

Scivit & Hippocrates quanta sint humano corpori ab otio mala. (Segnities & otium humectat, & corpus debile facit: calor enim quiescens humilitatem ex corpore non consumit? labor autem siccat, & corpus robustum facit.) Et Senecat ait:

2. de dist. tr.24.

Emollit otium vires sicut rubigo ferrum.
Fax immota torpet, ignem agitata restituit.

Indiff.

Et subdit Faustus Andrelinus:

Corrumpunt forti celsas cum pectore mentes.
Otio plumoso desidiosa thoro.

Observatum est à Scipione Nasica: *Res Romanas jam in tuto esse, extinctis Carthaginensibus & Græcis*, respondit ipse, *imò nunc in periculo sumus.* Cùm enim jam cessaret præliandi occasio, succedet otium, quo non possit dari hostis infensior.

Gerard. Zutph. de ref. vir. anim. c. 54. in Bibl. Vet. PP. T. 14 L. 11. lect. antiq. s.1.

Benè perspexerat Gerardus, cùm ita describit. (Otii natura est, ut tædium boni generet, animi torporem causet, mentem gravet tristitiâ, ad dissolutionem inclinet, fratrum contemptum & aspernationem gignit, nil operis libet, maximè spiritualis. Hinc apud Cæsium Rhodiginum legitur de Turaneo nonaginta annorum sene, quem dum Cajus Cæsar vellet sublevare, eximendo à Procuratoris officio ad quod ætas caduca jam reddiderat inhabilem, & laudavisset, quòd tam bene laborioso hoc munere esset perfunctus. Quid ageret senex? domum reversus, præcepit, ipsum famuli tanquam mortuum plangerent, hoc ipso indicans, torpentem otio nil à mortuo differre. Propterea dictum est ab uno Philosopho, otium esse hominis vivi sepulchrum. Unde Seneca hominis otiosi foribus ita inscripsit: *Hic jacet Bathia.*

Picus Mirandula otiosum hominem bestiæ comparavit. (Nihil esse potest in vita nequius aut sceleslius quam tempus somno inertiâque transigere. Qui enim desides, ignavi, oscitantes vivunt, non herculè magis vivunt, quàm stolidæ pecudes & meræ belluæ: neque enim vivunt; sed spiritum trahunt, sicut pecudes solent.) Non aliter sensit Prosper: *Qui otiosâ quiete per fruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vivit.*

De vit. contemp. l.

Servus ille severè correptus est, qui talentum in terra fodit, & per otium vitam transegit. (Porrò (loquitur Hildebertus) munera Dei damno sunt possessoribus otiosis, quibus velle negotiari ad lucrum, probè negotiatur ad supplicium.

Ut creatus fuit Adam, statim à Deo in Paradiso terrestri locatus. *Posuit Deus hominem in Paradiso voluptatis*: at in quem finem? *ut operaretur, & custodiret illum.* Dubium mihi incidit. Terra Paradisi terrestris adeò erat ex se fœcunda & fertilis, ut non esset culturâ opus ad colligendum fructus, sed sponte dabat abundè, absque hominum industria aut impenso labore, ut de ea verè Poeta.

Epist. 15. in Bibl. Vet. PP.

Gen. 2.

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.

Ovidius.

Ut quid ergò Deus ibi collocavit Adamum, ut eam excoleret? verbum enim est: *Deus & natura nihil faciunt frustrà.* Et inde subdit, introduxisse in Paradisum *ut custodiret illum.* Sed à cujus manibus timendum, cùm non essent in mundo nisi solus Adam & Eva? non lædebant nec terrebant animalia, utpote adhuc mansueta. Respondent unanimi consensu ferè Authores omnes, ideò factum, ne Adam otio sit addictus, sed semper incumbat laboribus, & continuis exerceatur occupationibus, non solùm ideò, quia dixit Ordinis Carmelitici Author doctissimus & Poeta piissimus: *Homini labor utilis semper.* Sed quia otium abominatur Dominus, ut vitiorum omnium domicilium. (Sanè illa operatio eo tendebat, ne Adamus otio torperet, cùm Deus in familia suo otiosos non sustineat. (Et Moyses Barcephus: *Ne scilicet otiosus esset, quando ex otio plurima nascuntur mala.*

10. Bapt. Mant. lib. 1. Parth. Serlog. sec. 8. P. 1 de Parad. c. 28.

Quærit Severianus, cur Deus creationem Solis & Lunæ distulerit usque in 4. diem. *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli.* Tam speciosæ creaturæ, quarum una dominaretur diei, altera nocti, & utraque mundo resplenderet, cur non primo die productæ? rationem attulit oportunissimam, scilicet primo die Solem & Lunam non condidisse, ne alioquin feriarentur otio? cùm enim Sol & Luna maximè sublunarium generationi florum & herbarum productioni subserviant, ideò quamdiu non erant hæc in terræ formata, in cælo non admisit luminaria, ne ab opere cessarent, cùm nondum ea essent, *Quia nondum erant terræ nascentia quæ luminarium calore foverentur.*

Huc iterùm voco Doctores, & scire velim quodnam fuerit peccatum Luciferi, ut propterea expulsis sit ex Paradiso & demersus in infernum, Volunt aliqui, fuisse superbiam, cùm aut prætendit reddi æqualis Deo: *Similis ero Altissimo*, aut adorare noluit Humanitatem assumptam à Verbo, aut quia suam beatitudinem ascribere voluit non divinæ gratiæ, sed meritis propriæ dignitatis. Præ reliquis placet sententia D. Bernardi, qui lapsum censet, quòd dixerit: *Sedebo in monte testamenti.* Summè Deo displicuerunt hæ verba, quasi diceret: O Lucifer! creavi te, & constitui supremum ministrum, tu sedere vis otiosus? ex nihilo te condidi, ut Doctoris instar, inferioribus lumen intelligentiæ subministres, & quæris torpere ignaviâ? ego te exaltavi, ut in conspectu meo stante pede semper paratus sis expromptè mea jussa exequi, & jam dicere ausus sis. *Sedebo?* appage, non es me dignus, abi in ignem æternum. *Sola sedet Trinitas* (verba sunt Melliflui Doctoris) *quæ sola habet immortalitatem: tu sedere, id est, otiari tentasti, O impie! propterea tui moti sunt pedes & effusi sunt gressus tui.*

Isa. 14.

D. Bern. serm. 3.

Diabolus magister sibi fuit & discipulus, cùm suo malo didicit otium esse æternæ damnationis matrem. Deplorat Hieremias triste Hierosolymorum excidium, & ut afflictionem augeret, addit, inimicos irrisisse: *Viderunt eam hostes & deriserunt Sabbatha ejus.*

SS. Patres & nominatim Divus Gregorius per Hierusalem in sensu spirituali seu tropologico animam Christianam intelligit? & per hostes, dæmones infernales. Quid ergò intenderit Propheta spiritus illos infernales derisisse animæ nostræ Sabbatha: locus sanè explicatu difficilis. At cur præferunt Sabbatha reliquis hebdomadæ diebus?

Die Dominicâ Sol dominatur, id est superbia: Feria 2. Luna, id est instabilitas: Feria 3. Mars, id est vindicta: Feria 4. Mercurius, id est curiositas: Feria 5. Jupiter, id est ambitio: Feria 6. Venus, id est lascivia: Sabbatho denique Saturnus, qui, ut docent Astrologi, planeta est ad ignaviam inclinans, eò quòd reliquis in motu sit tardior. Luna manet in quolibet Zodiaci signo duobus diebus, sex horis, & conficit cursum suum 27. diebus & 8 horis Mercurius manet in quoque signo 24. diebus & sex horis & complet cursum 359. diebus. Venus in quovis est signo 29. diebus, & Zodaicum percurrit 348. diebus. Sol manet 30. diebus, 10. horis & mediâ, cursumque peficit 365. diebus & 46. horis. Mars 60. diebus & 21. horis & cursum finit 4. annis. Jupiter, 1. anno manet, & cursum terminat 12. annis. At verò Saturnus ut tardissimus & otiosus cursum absolvit 29 annis, mensibus 5 & horis 6. *Saturnus est stella & frigida & tarda, & significat acediam, quæ frigiditatem mentis & pigritiam circa bona opera manifestat.* Quando ergò diabolus videt animam superbam inconstantem, iracundum, curiosam, animosam aut lascivam non exibilat nec jactat ridens: quia semper adhuc timet, ne eam Deus illuminet, & fiat humilis constans, pacifica, sine ambitione, & castata si viderit illi dominantem Saturnum, & sopitam otio, irridet, explodit, improperat, quasi jam ligatam habeat, neque possit evadere. Otio deturbatur è Paradiso, & objicitur perpetuis flammis. Audite Gregorii Pontificis maximi verba. *Hostes Sabbatha derident, cùm maligni spiritus per vacationis otia ad illicita pertrahunt.*

Alb. de Corigula in calilog. l. 7. c. 27.

Michael Empor. in Dom. 1. Advent.

Moral. 5. in c. 1. Thren.

Ubi contrà cælum ei promittitur, qui detestatur otium, & amat labores. Volebat Deus sibi bovem immolari in otio tabernaculi, eratque hoc illi indultum singulare præ ceteris animalibus, quia bos in laborando assiduus. *Lex etiam de sacrificiis præcipit, ut bos offeratur in ostio tabernaculi.* Et Ecce mysterium, dicit Petrus Blesensis: (Quia qui laborant in agro Dominicæ culturæ, liberè possunt cæleste tabernaculum introire.

In c. 1. Levit.

Surgite igitur, *Ite & vos in vineam Dei* Torporē excutite & laboribus in hoc sæculo gnaviter incumbite. Dabit Deus aurum gloriæ, pro guttis sudoris. Ardui sitis & indefessi: ita superabitis ignaviam, & Deus *dabit vobis, quod justum fuerit.*

Pictorius.

Si tibi perpetua vigil est ô cura salutis.
Otia perpetuò deliciosa cave.

DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ

ARGUMENTUM.

Verbum Dei efficax est, cùm non inaniter cadens obedientibus æternam salutem conferat: superbis verò & contumacibus perenne supplicium nunciet hoc ipsum, in quo tota vulnerum animæ Medicina. Profectò & Regia Divini Verbi Majestas, & grandis audientis utilitas ad religiosum cogunt aures obsequium, & sibi totum attentionis studium dicari exposcunt.

THEMA.

Cùm turba plurima convenirent, & de civitatibus properaret ad IESVM, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum. S. Luc. cap. 8.

EFfectus Divini Verbi, quod in Evangelicæ Parabolæ grano mysticè intelligitur, varii sunt, mysterioſi, nec minùs stupendi. Lumen continet, quo tenebras pellat, & luceat currentibus per virtutis viam. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum.* Reverenter audientibus instillat dulcedinem. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Intima cordis ut radius acutissimus penetrat. *Penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ut hasta Achillis, *dum laditur, tunc medetur.* Instar matutini roris animas Fidelium irrigat & fœcundat. *Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* Ignis est pectora accendens, & corda Divino amore inflammans. *Nunquid non verba mea quasi ignis?* Et, ut ait Mellifluus Doctor, *Primùm quid insonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dividit, continùo liquefacit calefacit, vivificat & illuminat. Denique & cibus noster est, gladius, & medicina, & confirmatio, & quies nostra.* O Verbum Dei mirabile in Evangelico semine repræsentatum! *Verbum autem Dei in hac imagine & similitudine proposita semini comparatur, quâ docet nos Dominus IESVS quo studio sit acipiendum Verbum Dei, ut sermo doctrinæ cælestis, si cupimus ex eo fructum exoriri.* Experientiâ videmus, à magnete attrahi ferrum, à succino paleam. Fictum est à Poetis, Herculem harmonico verborum sono homines rapuisse, Orpheum concentu monstra infernalia placâsse, Amphionem voce citharæ muros Thebarum erexisse, Mercurium tactu lyræ Argum somno obruisse: &, si Marco Varroni credimus, insulæ in Lydia ad sonum fistulæ super undas moventur & circumgyrant. Ab Historicis relatum est de Marco Antonio, solâ ipsum facundâ evasisse gladium militum Marii & Cinnæ. Differente Tullio passim omnes ad forum confluebant, relictis domibus, clausisque officinis. Carneades ab Athenienſibus Romam Legatus cum Diogene Stoico & Critolao Peripatetico tanta polluit eloquentiâ, ut totam ad se civitatem convertere potuisset. An non dulcedine linguæ Titus Livius Cives Gadios ex Hispania Romam usque perduxit? Tantus fuit Orator Gregorius Nazianzenus, ut cùm Constantinopoli diceret è suggestu, audientes omnes ab ore quasi penderent immobiles. De Panthera scribunt Naturalistæ, eam suavitate odoris animalia sylvestria allicere: unde formatum emblema, adjectâ epigraphe *Omnia traham.* At longè plus efficacitatis habet Divinum eloquium, plus suavitatis in operando cùm modò attrahat animos ad detestandum vitia, modò corda rapiat ad amplectendum virtutem. Tanta fuit Verbi Salvatoris virtus, tanta prædicationis suavitas, ut propè totum ad se mundum pertraheret, testante Evangelistâ: *Cùm turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum.* Hoc ipsum hodie conabor ostendere: quare silentium peto & attentionem, ut efficax sit mea dictio, & non frustra tempus conteram.

Ps. 106. *Ps.* 118. *Ad Hebr.* 4. *Eccl.* 39. *Eccl.* 9.

Valer. Max l. 8. *c.* 5.

Quintil. l. 8. *c.* 3.

Plin. c. 2. *Ep.* 3.

Orat. 12. *q.* 2.

S. Bernard. de multiplici effectu Verbi Dei

Caspar à Malo in Matt.

Plin. l. 36. *c.* 16. *Cic. l.* 1. *ep.* 8.

Ovid. Met. l. 2.

PARS

PARS PRIMA.

Cùm turba plurima convenirent, &c. Dictum hoc Libanii est: (Pulchritudo sermonibus insita, magnetis vim obtinet. (Quasi dicere velit, non cum tanta efficacia magnetem ad se ferrum alicere, quantâ vi Verbum Dei animos audientiũ & corda. Moysi in deserto agenti vox subitò objicitur *Moyses, Moyses.* Assurgit ille, attentè audit, videtque in vertice montis ardentem rubum: Moyses novitate in stuporem raptus, & examinandi prodigii voto ardentissimo impulsus, celeri gressu involabat, sed iterùm vox retinebat *Ne appropies huc.* Fortassis ne corriperetur à flamma. Sed cur prohibetur accedere, cùm satis esset prudens, ut caveret ab igne, ne lædereret? non appropies, inquit Deus, quia sciebat, quomodò statim ac perciperet Divinum eloquium, non curaret incendium, involaret in ignem? atque adeò moveretur audito verbo, ut nisi cohiberetur, insiliret in flammas redigendus in cineres? quare iterùm oportet, ut interdicatur: *Ne appropies huc.* Audite Rupertum Abbatem: *Idcircò à Deo prohibitus est, ne propius accederet: facilè enim fieri poterat, ut Verbi divini allectus dulcedine, ardentes quoque sibi subjiceret flammas.*

T. 2. serm. de vita.

Exod. 3.

Iterum Moyses, de monte Sina descendens, habito cum Deo colloquio, reperit Aaronem inductum à populo ad erigendum vitulum aureum, & jam reverenter curvato genu adorantibus singulis, ipsum extensâ virgâ dicentem audiens: *Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* graviter, indignatus est Moyses, arreptisque legis tabulis, jussit coram adduci ab Aarone vitulum aureum. Quis credidisset unquam tantum vos ausuros facinus? *Arripiensq; vitulum, quem fecerant, combussit & contrivit usque ad pulverem.* Sed quo usus instrumento, ut in pulverem rediret? nec putandum (etiamsi dicat Scriptura, *combussit,*) projecisse in ignem: facilius namque poterat lique fieri, cùm ex auro esset, quàm in pulveres redigi: attamen cùm expresè sit dictum, *contrivit,* opus erat instrumento ad conterendum in pulveres. Glossa interlinealis habet, à Moyse vitulum aureum fuisse contritum & redactum in pulveres, virtute divini Verbi non secus ac si fragile vitrum esset, mille iteratis malleorum ictibus contusum *Contrivit Moyses vitulum usque ad pulverem à facie venti.*

Exod. 3.

Verbo uno arefacta est arbor fici: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò.* Confirmat Author operis imperfecti: *Sermo Christi quasi flamma descendit.*

Matt. 3.

Hom. 39.

Quis Saulum, lupum illum voracem in agnum mansuetum convertit, & ex persecutore fecit gregis Christi defensorem? Verbum Dei, *Saule, Saule.* Neque id mirum sit, quia *sicut ventus fortissimus turres evertit, si procella altissimas rupet decidere facit, si inundans flumen domum ruinat, si ignis densam comburit sylvam & summâ celeritate consumit? quantò magis vox Domini conterit, animam vertit hominem mutat, & in illam partem voluntatem liberam vergit, ad quam voce Domini homo vocatur.*

Act. 9. l. Suarez. Episc. Comimb. tr. 2. in c. 8. Matt.

Quomodò ita statim territ Salvator armatos milites, qui ut leones ferocissimi in horto Gethsemani insultabant? verbo uno suaviter & cum affectu prolato, *Ego sum: & ceciderunt retrorsum. Quia vocem præsentis Dei ferre non poterant,* asserit Ambrosius. Adstipulatur Cajetanus. (Tanquam vox illa percussisset eos omnes, ita ut non caderent in facies suas, sed evaderent supini in terram: qui enim solâ voce illos sic prostravit, multò magis poterat seipsum salvare.

Ioan. 18. Ambr. in Luc. 12. Cajet. in. Ioann. 18.

Unde tot effectus prodigiosi in Dominica Passione, veli scissio, terræ motus, petrarum contritio, monumentorum apertio, & mortuorum resuscitatio, ut ex Evangelio S. Matth. constat. *Velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, &c.*? quænam est causa? Vox Dei, cùm scilicet Crucifixus *clamavit voce magnâ* Sententia est D. Ambr. *Dedit vocem suam in Passione Dominus, & universa elementa tremuerunt, & omnis terra commota est.*

Matt. 27.

Qualitas in hoc mundo non datur, quæ non habeat in operatione contrarium: dulci adversatur amarum, albo nigrum, calido frigidum, luci tenebræ: at verò Dei verbum nil habet quod se opponat. Unde hoc, quòd terra certis anni temporibus germinet, frondescant arbores, pisces, aves & cætera animantia multiplicentur, atque ita ab ipso mundi exordio usque in finem? attribuendum hoc soli Dei verbo semel prolato, cujus tanta est virtus, ut si mundus in æternum staret, perpetua etiam esset generationum multiplicatio; nec unquam impediret contrarium.

Gen. 1.

Formari possit idem discursus de verbis Sacramentalibus, pronunciatis à Salvatore nostro in cœna ultima super panem, quem transsubstantia-

stantiari credimus vi illorum verborum in Christi Corpus, *Hoc est corpus meum. Ubi scito.* (dicit Cajetanus) *quòd sermo iste Dominicus est non solùm enunciativus veritatis, sed est etiam factivus veritatis significatæ? facit enim quod enunciat.* Sed quod omnium maximè est mirandum, nedum verba illa in ore Christi habent virtutem illam transsubstantiandi, sed etiam in ore cujuslibet Sacerdotis Evangelici omni loco & tempore sine exceptione personarum, aut numeri. Omni loco, in quovis altari, in Ecclesiis, ubivis terrarum. Omni tempore, singulis horis, dum volet Sacerdos, & momentis sine exceptione personarum, Sacerdos bonus sit aut malus, fidelis aut infidelis, sciśmaticus aut hæreticus. Nec numerus aut quantitas limitatur: quia potest consecrare hostiam unam, si placet, centum aut mille &c. ita ut adaptari possit Dei verbo dictum Philosophi, *Verbum Dei, ubicumque ponatur, semper est tale.* O Magna virtus & efficacia Divini Verbi! Doctrinam hanc tradit Ludolphus Carthusianus: (Sicut illa vox quâ dixit, Crescite & multiplicabimini, & implete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore effectum ad generationem operante naturâ: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum, præstat Sacrificio firmamentum.)

Matt. 26. Cajet. Libd

Ant. Guil. disc. 31.

Philosoph.

Ludolph. Carth. 1 p. c. 56.

Elegit Deus Hieremiam Propheram, misitque per orbem, ut prodigia operaretur, & dedit ei plenam authoritatem, ut ad placitum faceret vel omitteret, ut montes dejiceret, civitates funditus deleret, Provincias & integra Regna disperderet. Pace tuâ dixerim Domine (inquit Moyses) non ego sufficio tam stupenda, imò nec mihi sat animi est, ut vel minimum horum perficiam. Melius factum, si Divina tua Majestas fortissimum exercitum mittat: nam quid ego possum terræ vermiculus? & quibus etiam armis aggrederer? Cui Deus: Nil refert: quod dixi, sic fiat: *Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna, ut evellas, & destruas, & dissipes, & disperdes, & ædifices & plantes.* Erecto sis animo, nil cures, aut formides, tibi dabo verba mea, quibus facillimè prævaleas, & superes: *Ecce dedi verba mea in ore tuo*: illorum virtute evinces omnia, tibi cedent Civitates, Provinciæ & Regna. *Vnico Dei verbo opus habet qui universum mundum evertere cupit* Et si plures essent mundi, quàm unquam somniavit Democritus, verbo Dei annihilari momẽto unico possint.

Hier. c. 1.

Did. Ponf.

Paoletti Adventuale.

Neque putandum est (NN.) requiri intervalla temporis inter Dei verbum & illius executionem? quia eodem instanti simul est dictum & factum attestante Psalmistâ: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit & creata sunt.* Aggæus Propheta ut Verbi Dei efficaciam ostenderet, ita loquitur: *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ.* Novus hic est & insolitus dicendi modus, manibus audire, non auribus: dixisset potiùs: Factum est verbum Domini in aure (& non in manu) Aggæi. Auribus convenit audire, at manibus operari, linguæ loqui, & oculis videre proprium est. Absurdè loqueretur qui diceret se videre linguâ, oculis loqui, & ædificare auribus. Quomodo ergò ita loquitur. Aggæus, *Factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ*? Respondet primò Lyranus, voluisse hic indicare Prophetam, quòd Deus ita firmiter stet promissis ac si, dum loquitur, in manu accipias impletionem: *In hoc exprimitur certitudo doni prophetiæ Aggæo dati, ad similitudinem doni corporalis, quod ponitur in manu recipientis.* Aliter interpretatur Sanctus Remigius, & ait Verbum Dei ita infallibiliter connecti cum operatione, quæ à manu & effectu pendet, ac si in eodem instanti existeret, essetque effectivè productum. Ideò *Factum est verbum Domini in manu Aggæi, cujus dixisse fecisse est.*

Ps. 148.

Aggæi. 1.

Lyran.

Et tam efficax est, ut effectum exhibeat, priusquàm sit à lingua prolatum. Veniebat de Monte Sina Moyses, ubi cum Deo conversatus de negotiis egerat concernentibus bonum populi regimen, quem ut videbat, ait: Adesdum Moyse, indica populo voluntatem Dei & placitum, quod nos promptissimè exequemur. *Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus.* Et quod magis difficulter intelligo, est, quia legunt Septuaginta: *Omnia verba Domini, quæ locutus est facimus, & audiemus.* At quomodò possibile sit, implere priùs præceptum, & post audire, quod implendum præcipitur? contra ordinem est naturæ & doctrinæ.

S. Remig.

Exod. 24

Sanctus Pater Augustinus claritatem dare intendens, ut locus iste facilius intelligeretur, legit: *Faciemus & intelligemus.* Pace tamen, & Patris mei bonâ venia dixero, vel sic difficultatem augeri: quod ostendo. Intelligere est actus speculativus intellectus, & facere est actus practicus voluntatis. Jam verò quis nescit, quod actus intellectus præcedat actum voluntatis? *Nihil volitum quin præcognitum, & nihil est in voluntate, quod priùs non fuerit in intellectu.*

Philosoph.

Conformiter ergò ad bonam Philosophiam debuisset Sanctus Augustinus sic loqui : *Omnia quæ locutus est Dominus, intelligemus & faciemus.* Et nisi hoc ordine dixerit, Philosophiam invertit. Ah! inquit ille Sanctus, non habet Aristoteles locum, quia de Verbo Dei tractatur, ubi præcepta Philosophica non curantur. Non est tam celer intellectus ad intelligendum, quàm sit voluntas prompta cum actibus elicitis & imperatis ad exequendum Verbi Dei jussum. Audite doctrinam sancti Doctoris : Pono verba : *Prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito devotionis, quæ non contempta, sed facta sunt, ipse perducat.*

S. Aug. q. 96. in Exod c. 24.

Quidquid a Deo in hoc mundo productum est, singulos effectus Theologi attributo alicui particulari assignant : videlicet creationem universi divinæ Omnipotentiæ, dispositionem Sapientiæ, conservationem Providentiæ, communicationem ad extra Bonitati, remissionem peccatorum Misericordiæ, punitionem delictorum Justitiæ, &c. Sed mortuis dare vitam & mortem vivis, ut in Annæ Cantico est, *Dominus mortificat & vivificat*, soli Verbo Divino attribuendum videtur, nec alteri adscribendum. Utrumque à posteriori demonstrabo ex sacra Scriptura.

1. Reg. 2.

Dominus, id est, Verbum Domini mortificat. Ananias aliquis cum Sapphira uxore possessiones vendiderat, & pretium ferebat Petro Apostolo ad communem pauperum sustentationem, eâ tamen fraude, ut majorem pecuniam sibi & uxori reservaret, Petro imponens, se totum dare. Unde de eo in Actis Apostolorum legitur : *Afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.* At Sanctus Petrus, ut advertit, monuit & leviter reprehendit : *Quare fecisti in corde tuo rem hanc? non es mentitus hominibus, sed Deo.* O mirum dictu ! *Ananias cecidit, & expiravit.* Quod ipsum tertiâ post horâ etiam Sapphiræ evenit. *Confestim cecidit ad pedes ejus, & expiravit.* Itanè crudelis es, Petre? cum misericordiam prædicas, & ipse ferreus sis? tantillum defectum morte punis. Ecquid oligabat, ut omnes pecunias darent: certè tibi satisfactum erat, cùm sponte aliquas deferebant. Respondet Sanctus Joannes Chrysostomus, & sic Ananiam interrogat: *Cur sacram fecisti pecuniam, & postea accepisti? id fecisti ex magno contemptu, facinus veniam non habet, excusatione caret. Ut & cæteri metum habeant, ille punitus est, & alii lucrifacti sunt, ut unius exemplo, centum emendarentur.*

Act. 5.

S. Chrys. hom. 12. in c. 5. Act. Ap.

Origenes autem fundamentum resolutionis capit ex textu, *Audiens autem Ananias verba*, dicitque mortem adscribi debere non Apostoli verbis, quatenus increpatoriis, sed quatenus Dei erant verba Petri ore prolata, quo Deus ut instrumento ibi utebatur. Ut ergò videremus, quia Dei Verbum potens est dare mortem, & auferre vitam, *cecidit ad pedes ejus, & expiravit. Nec Petrum hic existimare debemus interfeciſſe Ananiam: sed illum non sustinuisse acritudinem verborum Petri.* Ita Origenes.

Orig. tr. 8 in Matt. th. 9.

Etiam *vivificat*, & probari possit multis exemplis, quibus Sacræ Historiæ plenæ sunt. Unicum adferam maximè notum, mysteriosum. Plangit & suspirat Dei Filius, ut Lazarum quatriduanum à mortuis revocaret, & vocis imperio compellat. *Lazare veni foras* O sæculis inauditum miraculum ! *Et statim prodiit ligatis manibus & pedibus ? & facies ejus erat sudario ligata.* Ratio ipsa requirebat, ut esset manibus & pedibus liber, quò se levaret ex tumulo ; oculisque develatis, ad videndum, quò pedes & manus exponeret : siquidem ipsemet *prodiit*, non ab alio eductus est, aut extractus. Miratur mecum Rupertus : *Sic ligatus nec pedibus ambulare, nec saltem manibus reptare, sed nec oculis, quò prodiret potuit videre. Quid ergo nobis Evangelista innuit ?* Totum ipse virtuti Divini Verbi attribuit, & Lazarum à mortis vinculis ereptum esse, & vitæ restitutum. *Magnam fuisse fortitudinem vocis vel clamoris, qui mortuum ligatum ad vitam excussit, & excutiendo, de mortuo vivum fecit.*

Ioan 11.

Rup. Abbas lib. 10. Com. Ioann. c. 13.

S. Petrus Chrysologus existimat esse, quasi ipsa tacitè secum conferret : Si non incunctanter obtemperem verbo Christi, Lazarum repetentis ad vitam, vel tantisper moret, ut ei faciam manus, pedes & oculos liberos, fortè crederet me tergiversari, & virtute vocis divinæ reiteratæ cogeret non solùm Lazarum reddere, sed mortuos omnes, quotquot meo subsunt dominio. Agedum Lazare, erumpe foras rametsi ligatus sis & obvelatus, ne de mora ego redarguar, cùm Dei verbum indilatè non haberet effectum. *Tunc Tartarus ligatis manibus & pedibus Lazarum retulit ad superna, timens ac tremens, ne, dum solvit unum, ne, dum moras facit, ne, dum tardiùs refert unũ, omnes cogatur afferre.*

S. Petr. Chrysol. serm 65.

Et Sanctus Augustinus hunc locum expendens, advertit quomodò Christus nomine mortuum compellarit, *Lazare veni foras.* Si modò dixis-

dixisset: *Veni foras*, solus equidem Lazarus resurrexisset: Superfluum ergò nomen proprium addere. Non ita est, respondet Sanctus Pater, quasi dixisset solùm, *Veni foras*: non determinando & limitando vim verbi divini ad solùm Lazarum, mortui omnes consurrexissent: *Ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis ejus, quòd pariter omnes mortui cogerentur exire, nisi per expressionem nominis, virtutem suam ad unum determinâsset.* *S. Augustinus.*

Adefficaciam verbi Dei accedit summa suavitas, quia dulciter ligat, & sensim corda illa queat, & est velut hamus piscatoris *Capit, dum capitur.* Ita habet Ludolphus à Saxonia: *Verbum Dei hamo piscatoris comparatur: quia sicut hamus non capit piscem, nisi ab ipso capiatur? sic nec verbum Dei, hominem capit ad vitam æternam, nisi ipsum verbum mente ejus teneatur.* Statim ut suavitatem illam cælestis sponsa percepit, exclamavit præ gaudio: *Vox tua dulcis.* *Ludolph. Carth. p. 1. c. 29.*

Pericles Athenienſis tam erat in dicendo suavis, ut crederet Eupolis Comicus in labris ejus Suadam sessitasse, quam Latinorum Princeps persuasionis Deam appellat. *Cic. lib. 3. de Orat.*

Cleopatra non tam placuit formæ nitore, quàm dicendi gratiâ: sola enim linguæ dulcedine rapuit Cæsaris, Pompeii & Marci Antonii corda. *Valer. Max. lib. 8. c. 9. Plutarch. in Marc. Ant.*

Cedat hîc Maronis facundia, priscis decantata sæculis, quidquid fingatur in campis Elysiis mulsisse corda mirabili dulcedine, & animas inenarrabili gaudio perfudisse. Nulla est omnis illa suavitas, si cum dulcedine Divini eloquii comparetur.

Sponsa Paradisi Sponsi dilectissimi eximias dotes commendans, ait: *Mel & lac sub lingua tua.* Quasi diceret: Tam in dicendo es suavis, ac si lingua tua stillet mellis & lactis dulcedinem. Isaias idem prædixit: *Butyrum & mel comedet.* Volebat fortassis Propheta alludere ad priscorum figmentum, qui, dum Oratorem audirent ornatè & tersè dicentem, gustasse ajebant in mensa Deorum nectar. Hoc credo intendit Isaias sub metaphora butyri & mellis. *Insinuat cibo ipso, quo puer IESVS cibandus erat dulcedinem maximam in verbis, dulciora super mel & favum eloquia proferens, & sæpiùs faucibus verba illa dulcissima volvens, quorum typum butyrum & mel gerunt. Dulce butyrum, & dulce est mel: sed si cum suavitate verborum Domini conferatur, insipidum est, & amarum apparebit.* *Cant. 4* *Isai. 7.* *Did. Alv. à Medina in 7. Isa. 8.*

Mel, quod reperit Samson in Leonis faucibus, ex quo suscitavit obscurum ænigma, *De eo medente exivit cibus, & de fortitudine egressa est dulcedo*, credendum fuisse typum verborum, quæ prolaturus erat Leo ille de tribu Juda, de quo dictum, *Vicit Leo de tribu Iuda*: sed tamen quæ *dulciora super mel & favum.* Confirmat Franconius Abbas, de verbo Dei sic loquens: *Omne mellis dulcedinem gustatum superat, sæpè namque tanta melliflua suavitatis abundantia exuberat, ut animæ sitienti, atque æstu desiderii sui torrida, instar torrentis influat.* *Iudic. 14.* *Psal. 18.* *Francon. de gratia Dei Tom. 12. Bibl. vet. PP.*

Scribit Sanctus Evangelista, Christum instituisse sermonem ad turbas de cælestis Regni excellentia. *Loquebatur illis de Regno Dei*, & quia jamdiu protexerat, *dies ceperat declinare.* Accesserunt Apostoli indicantes, ut finem imponeret, cùm jam serò esset & turba famelica egeret refocillatione. Miror ergò, quomodò tam patiens hic populus neque ad finem avidè aspirans. Dicam (NN.) tantam degustabant dulcedinem, ut nemo protractionem temporis attenderet, tamque videbatur illis gratum divinum eloquium, ut vel inde confortari viderentur, & sine cibo & potu diem integrum transegissent, atque tam altum erat silentium & attentio, ac si omnes in ecstasim rapti fuissent. Commiserati Apostoli Christo dixerunt: *Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque, quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas* Turbæ autem alium cibum non requirebant: sentiebant enim se confortari, animas trahi, mentes elevari, corda rapi, sic ut quasi immobiles facti, non possent à Salvatoris ore develli. Nemini mirum sit, inquit S. Ambrosius: *Quisquis verbo Christi pascitur, humanum pabulum non requirit: nec enim potest panem hujus sæculi capere, qui pane reficitur Salvatoris.* *Luc. 9.* *D. Amb. serm. 37.*

Mirum etiam videri possit, quod addo, verum tamen, cùm id referant duo Evangelistæ. Ibat Salvator noster Capharnaum, & in illa civitate, domum ingressus est: sed ecce statim miraculorum fama longè latèque dispergitur, & offerunt ei paralyticum. Observate mecum, obsecro, modum, quem servant: Scalis tectum domûs ascenderunt, & *nudaverunt tectum ubi erat, & patefacientes, submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* Quis iste modus agendi, ita tectum conscendere, & detractis tegulis introitum facere? nunquid æquè & melius per portam efferre potuissent infirmum? non poterant præ turba. Sed quomodo eò convenerat tanta multitudo? Sanctus Marcus dat ra- *Luc. 5. Marc. 2.*

tionem: quia *loquebatur eis verbum.* Allecti erant dulcedine verborum Christi, ut expressè Beatus Jordanus à Saxonia: *Quia Christo in domo prædicante tanta multitudo convenerat, ut tota domus esset plena. Cùmque paralyticum offerentes non inveniant quâ parte inferrent eum, per tegulas submiserunt grabatum, in quo jacebat, in medium ante IESVM.* in cap. 5. Luc.

Mecum ego attentiùs meditor, quomodo sic immota hæserit turba, cùm jam tectum perfringerent: neque etiam ad passum unum recesserit ille populus frequens, veritus ne tegularum decidentium impetu læderetur. Ah; tanta erat divini eloquii dulcedo, ut ne vel unus se moveret, ne sic prædicantem Dei Filium interrumperet. Nec timebant tegularum ictus, ne, dum cavere intenderent, maximam hanc consolationem perderent, *Observa*) notat aliquis) *quomodo multitudo tanta, quamvis tegulæ tecti tollerentur, & terra desuper caderet, nullum tamen strepitum aut murmur excitaverit*: eaque est ratio, quia nempe *Christum audiebat.* Thom. de Tragillo.

Scribæ & Pharisæi invidiâ in Dominum æstuantes iniquissimis desiderant votis, & ardentissimis anhelant desideriis ut Christum caperent, atque ideò omni quærunt viâ. Cùm ecce nunciatur, in templo eum esse & prædicare populo: atque sine mora ministros impiissimos dimittunt, qui apprehenderent. Abeunt odio iniquissimo furentes legati, oculis observant omnes in transitu & cautè interrogant, ut Christus sit, & an nondum egressus è templo. *Quærebant eum in die festo, ut caperent, & dicebant: Vbi est ille.* Ad templum propiùs accedentes, vocem dicentis audiunt, & mussitant: Acceleremus, jam noster est, neque facilè evaserit: non curemus, an adhuc in cathedra prædicet, sed alacriter exequamur, quod nostri muneris est, nihil reverentes Irruunt in templum, & ut gratissimam Salvatoris vocem percipiunt auribus, non ausi sunt interpellare, sed & ipsi attentiùs auscultant, hærentque intrepidi usque ad finem. Venit è suggestu, populum dimittit, & jam apprehendere timent ministri & capere ut jussum est, ipsimet capti. *Et nemo misit in eum manus.* Temerè facitis, stupidissimi homines; quid motamini? tempus est & opportuna occasio: væ vobis, si non jam capiatis; alliciuntur, trahuntur & ligantur divini verbi dulcedine, atque jam ipsi dantur in prædam. Audite Origenem: *Verba ipsius fortiora erant ipsum apprehendere volentibus: quamdiu locutus, tamdiu nemo illi insidias struentium, apprehendere eum valet: sed si tacuerit tunc lædetur.* Ioan. 7.

Venetiarum Patriarcha Laurentius Justinianus inquirit, cur Discipuli illi duo ad castellum Emaus contendentes, comitantem Christum, quem peregrinum suspicabantur, & occidente jam Sole, retinere cupiebant, tam instanter obtestantur, ut condescendat. *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit.* Et cùm Dominus ad speciem renueret, *coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum.* Respondet Justinianus, Christum in via non jam peregrinum, sed egisse divini verbi prædicatorem, (*Interpretabatur illis Scripturas*) adeoque flammantia & suavissima verba illorum instillâsse auribus, ut rigentia corda calore cælesti fota gelu dissolverint, & cælestem ardorem non sine maximo oblectamento acceperint, in tantum ut, dum abiturum se finxit, cordis deliquium sentire viderentur. *Insueta tunc cordis percepere gaudia, quando amore dulci æterni Patris secum loquebatur. Verbum, nonnulli cœlestis nectaris rivi profluebant, per quos eorum animi ineffabiliter jucundabantur.* Ita ut mirarentur ipsi, postquam *evanuit ex oculis eorum*, sibi invicem colloquentes: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* ut bene hic annotet Cajetanus: *Testimonium ab externa inflammatione cordis in seipsis causata ex sermone IESV in via, proferunt.* Luc. 24. P. Laur. Iustinian. Cajet. ibid.

Non hic prætereundum est factum Marthæ & Magdalenæ, tametsi omnibus notum. Invitatus à sororibus Christus, domum ingreditur, urbanissimè excipitur & officiis dignissimis honoratur. Vix dum ingressus est, & sedet Magdalena, ut Dominum loquentem audiret. Martha interim currit, recurrit tota sollicita, mensam apparat & cibos, ut apponat: sed ut vidit Magdalenam otiosam obmurmurat: quæ est illa sororis meæ discretio? sudo ego, & illa sedet. Pergit ad culinam, & disponit omnia: quibus paratis ad aulam redit, necdum se movet Magdalena: atque tunc erumpit Martha; quid hoc est soror? solam me vides, neq; sic posse facere omnia? surge tantisper, & manum admove. Magdalena fingit non audire, nec movetur plùs quàm lapis. Surdam te simulas, video, inquit Martha, certè præstitisset non vocari ad convivium Dominū, si non mecum volebas laborare. *Quæ stetit* (scribit Cajetanus) *ægrè ferens oportere se solam distrahi: volebat enim partem curæ sororem subire, ut sic non immineret sibi tanta distractio.* Et ad Magistrum conversa, queritur: Domine, *nonne est tibi* Cajet. in c. 10. Luc.

cura,

Luc 10. *cura, quòd soror me reliquit me solam ministrare?* non sum, ut patienter diutiùs feram? *dic ergo illi ut me adjuvet.* Non jam sedendum & orandum, *Ad compassionem sui Martha intendit provocare Iesum, ut adjuncta sorore relevetur in parte à multitudine operarum.* Magdalena non allurgit, nec compatitur. Quis non miretur, & arguat? Excusat sanctus Augustinus, quia *intenta erat dulcedini Verbi Dei*, ut sopitis quodammodò sensibus absorpta in dulcedinis mari videri posset. *Divelli non poterat* (subdit Cajetanus) *ab auditione verbi.* Et ne tam ingens perderet gaudium & consolationem, non quidem Marthæ verbum respondit. *Maria neque in respondendo voluit laborare* (ait sanctus Augustinus) *si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi attentionem.*

Idem ibid.

Ad molliendum adamantina perversorum hominum corda, ad provocandum lachrymas & suspiria, ad inflammandum amore in Deum animas, detestandum peccata, & ad veram conversionem nihil præstantius aut efficacius, quàm Dei Verbum. Cum ad synagogam sermonem haberet Redemptor noster, ut sentit Cajetanus: (*Prædicabat in domo Synagogæ*) carpebat vitia, flectebat durissima corda, ad humilitatem incitabat superbos, ad charitatem & commiserationem avaros, ad continentiam lascivos, ad mansuetudinem iracundos, ad mortificationem carnis sensualitatibus deditos, ad pœnitentiam peccatores. *Adhuc eo loquente ad turbas, dixit autem ei quidam.* Qui ad portam stabat, ut vidit eminus Mariam & Joseph accedentes, ingressus in Synagogam Christo innuit, ut finem prædicationi imponeret, dicens: *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant quærentes te.* Sed quisnam qui hoc Salvatori indicavit & interrupit? unde venit, quid movet, aut quis misit? Sanctus Joannes Chrysostomus existimat fuisse instigatum à diabolo: *Venit aliquis quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur.* Quorsum ita instigat dæmon? quid ad illum spectat, aut quid illius refert, matrem foris esse, & à parentibus Christum expectari?

Cajet. in Matth. cap. 12.

Matth. 12.

D. Ioan. Chrysost.

Ex alia consideratione, quam habemus à sancto Cyrillo Alexandrino, quæramus hostis infernalis intentum. Convivium Discipulis instruxerat Dominus, & aderat etiam Judas. *Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò. Erat autem nox.* Quid ita festinas Juda? manè saltem, donec Deo cum reliquis dixeris gratias, & illucescat dies. An nescis, quia tam citò & subitò discedens, suspicionem mali omnibus dabis? Respondet sanctus Cyrillus, hoc fuisse diaboli stratagema, ut tam incunctanter abire impulerit, quò sic miserum illum discipulum subverteret & illaquearet. Præsumebat enim, Christum factâ cœnâ ad Apostolos sermonem instituturum, quo illos hortetur ad constantiam, ne facilè abducantur inimicorum insidiis: ubi si adesse Judam contigisset, non levi conjecturâ prævidebat diabolus, quòd verbis piissimi Salvatoris dulciter moveretur Judas, odium mortale deponeret, de inimico fieret amicus, de peccatore justus & de traditore fidelis. Ne ergo verbo Filii tactus converteretur, impulit, ut maturaret egressum. *Timebat diabolus ne morando, locus pœnitentiæ daretur? hac de causa festinat & impellit, timens ne scintilla in ejus animam ascenderet, ac deinde illuminaret & ad meliora retraheret, præcipitem egit celeritate.*

Ioan. 13.

D. Cyrill. Alexand. lib. 9. c. 19.

Idipsum est quod movit Sathanam, cùm misit ad Christum ministrum illum in Synagoga. Prævidebat quòd multi converterentur, Christo prædicante, atque ideò interrumpere studuit, hac usus occasione: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.*

Unde fit, ut Verbum Dei seminatum hodie in cerdibus Auditorum, plerumque sterile sit?

Negari non potest, quin aliquando contingat culpâ quorundam Prædicantium, qui aliud nihil intendunt, quàm vanum populi applausum, ut eloquentes habeantur & oratores diserti, studentes magis placere auribus, quàm prodesse animabus, ut meritò invehatur in eos, qui hujusimodi sunt, Poeta aliquis:

Ignat. Dyck. lib. 2 Epig. 48.

Si juvat è doctis solùm PLACUISSE *cathedris,*
Et plausus hominum pulpita sola vocant.
Vi caret & vitâ, nec ad intima pectora transit
Sermo, sed orantis voce abeunte fugit.
Quæ gracili cantu toties Philomela retexit
Carmina, mox tacitâ voce perisse vides.
Diffluit & mediis oratio perditur auris,
Quæ mera nil prater munia vocis obit.

At, verè ut dicam, vos ipsi sæpè sæpiùs estis in causa, quia ad Ecclesiam itis, & concionem auditis, magis curiositate ducti, quàm ut fructum animabus vestris referatis. Defectus in fomite est, quia fortassis humidus nimis, si scintillis vi ferri è petra excussis, non statim conceperit ignem. Si prædicator reprehendit, juxta Apostoli monitum, *argue, obsecra, increpa*, ille caput movet: alter, quia non capit, ad fabulas convertitur. Si du-

2. Ad Timoth. 4.

bium moveat è Theologia petitum, materiam illam scholasticam dixerint, non concionatoriam & moralem; si graviter dicit & ornatè, verba singula ponderans, perditur ipse in Rethorum floſculis & phaleratis verbis; si ad Spiritum attendit, rigidus ille nimis, & qui, dum non occurrit quod proferat, increpare incipit ad incutiendum terrorem; si quis conatur penetrare sensum scripturalem, nimis ille profundè explicat sacra Biblia, & pro gustu suo conceptus efformat. Denique omnibus depravatus est gustus, & indispositus stomachus ad intromittendum Dei Verbum. Si corda vestra sint vasa in mille partibus rupta & aperta voluptatibus, mundo & carni, quomodo retineant aquam Divini Verbi? *Quemadmodum materiale semen facit fructum, non in quavis terra seminatum sed in terra bona; ita semen verbi Evangelici seminatum, fructum facit in hominibus, qui audiunt, intelligunt & custodiunt illud: sed non in quibuslibet fructum facit: & id quidem accidit, non ex seminantis culpa sed ex audientium vitio, utpote propter crassitudinem cordis & gravitatem aurium.*

10. Drud. de reg. & dog. S. Script. lib. 3.

Accedunt alii, ut concionibus intersint cupidi percipere verba quæ fucis illita, & studio artificioso auro propinantur ornata. Quærunt illi vanissima folia, non veros animæ fructus. Non habent illi cor bonum & optimum, ideoque domum revertentes, paleam continent, non granum. Quàm bene sanctus Valentiæ Archiepiscopus! *Audit corde optimo, qui audit intentione & desiderio proficiendi. Sunt qui audiunt libenter, sed curiosè quærentes sibi magistros prurientes auribus: hi delectationem quærunt & non fructum, paleam & non granum, verborum ornamentum & non sensum: hi volunt audire elegantias, facetias, quæstiones subtiles, & vanam Rethoricam, non doctrinam.*

D. Thom. à Villa Nova Dom. Quinq.

Eccur arbitramini (petit sanctus Antonius de Padua) Verbum Dei appellari à Christo semen? *Semen est Verbum Dei.* Ut projectum in fundum cordis, ibi germinet, feratque fructus contritionis, confessionis & satisfactionis. *Vide quàm bene & congruè dicitur Verbum Dei semen: sicut enim in terra semen seminatum germinat & crescit, sic Verbum Dei seminatum in corde peccatoris faciat herbam contritionis, spicam confessionis & fructum satisfactionis.*

Luc. 8.

D. Ant. de Pad. Dom. Sexages.

Ezechiel de iis loquens, qui Verbum Dei audiunt, plus ut abblandiantur auribus, quàm ut animabus proficiant, ait: *Factum est (id est Verbum Domini) tamquam carmen musicum.* Quid hoc est? Quando adhuc nocte stertit aliquis in lecto, & fortè in platea cantores audit facientes gratam auribus musicam, statim prosilit ad fenestram, allectus harmoniæ dulcedine: quæ, ut finita est semel, iterumque applaudit; quàm bene! ô quàm bene! & sic ad lectum redit, & denuò somno indulget. Defixus es, ô peccator, in scelerum cubili, prædicante audis reprehendentem, nec repudias, imò detestationem peccati concipis: at quamdiu istud propositum manet? quamdiu insonat musica, quamdiu Prædicator te monet, & vix finito discursu, ad solita regrederis mala. *Quasi carmen musicum.* Sciendum omninò hic, quod habet sanctus Gregorius: *Debet retineri Verbum Dei: si cibus non retinetur in stomacho, quid prodest homini?*

Ezech. 28.

Sanctus Jacobus Apostolus illos comparat viro qui formæ nitorem ad speculum explorat. *Si quis auditor est verbi & non factor, hic comparatur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Si tamen magis id proprium & in usu mulieribus speculo se exponere, cur non potiùs ait: Hic comparabitur mulieri? &c. In speculis mulieres sæpè intuentur, ut, quæ in vultu displiceant, abstergant & poliant: at viri ut solum observent qualitatem humoris, animique propensionem ex vultu, atque ita speculum reponunt in angulum, nec amplius recordantur. *Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Verbum Dei quasi in transitu accipitur, atque statim avolat, nec mores correcti, nec exersa animæ fœditas. Nemo Dei Verbo ceu speculo utitur, in quem finem mulieres solent.

Iacob. 1.

Quid modò asserendum de iis, qui inimici sunt, & abhorrent hoc verbum? quisquis hoc non delectatur, neque movetur, feris ipsis, & saxis censendus est durior, nec absimilis cuidam Scytharum Principi, qui cùm audisset cantantem Ismeniam ævi sui celeberrimum musicum, sibi placere magis equi hinnitum, dixit, quam Ismeniæ cantum. Similis erant Ochozias, Joas & Amasias, illi enim, utpote memoriâ hominum indigni, à S. Matthæo Evangelista inter Reges non referuntur, quia execrabantur Dei Verbum, oderant & persequebantur, qui illis hoc prædicabant. Testis mihi est Rupertus Abbas: *Isti soli de memoria præsenti, de libro generationis IESV Christi repulsi sunt, qui verbum audire vel prædicatores Verbi Dei vivere passi non sunt.*

Et, quod longè deterius est, secundùm præsentem justitiam, tales deleti sunt de libro vitæ, à diabolo isti, non à Deo, inferno, non cælo digni.

Hippo-

Hippocrates monet. (In præcipitibus morbis & turbulentis obveniens surditas perniciem minatur.) Quæ infirmitas magis sit præceps ac turbulenta quàm peccatum ? quis miserior & in majori periculo versatur quàm peccator ? si modò surditas obveniat & aures occluserit Dei Verbo, perditus est.

Proinde non habemus, factum esse aliud à Salvatore nostro in sacratissima Passione miraculùm, quàm dum amputatam à Petro auriculam restituit Malcho. *Tempore passionis à Christo legimus operatum nullum aliud miraculum prater Malchi auriculam sanatam.* Ut hoc ipso innueret quantum referat esse sanis & arrectis auribus, ut libenter & benè excipiatur Dei Verbum. Prævidens autem quàm multi forent inviti, & ad conciones impellendi, dixit Discipulis : *Gratis accepistis, gratis date.* Cajetanus in hunc locum scribit : *Hoc præceptum de gratuita est collatione Verbi Divini* ; & meritò : si enim pro audiendo Dei Verbo pendendum fuisset pretium, nemo Apostolis vel obolum dare voluisset. *Pro doctrina autem nemo daret eis pecuniam, si gratis prædicare nollent* (asserit Abulensis:) *quia prædicatio eorum non erat aliquid delectabile hominibus, pro quo pecuniam darent.*

1. *Raulin. t. 2. ser. 58.*

Matth. 10.

Cajet. ibid.

Abulens. ibid. 61.

Attende, mi Christiane : & tu fortassis etiam contemptor es ? an fines ut hoc verbum in corde tuo inefficax sit? Fortènè granum hoc sit, de quo in Evangelio. *Aliud cecidit secus viam & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud* : aut quod cadens supra petram cordis tui durissimi non possit germinare ? *Et natum aruit, quia non habebat humorem* ? aut quod inter spinas malarum cogitationum, quæ suffocant illud ne possit excrescere ? *Qui habet aures audiendi, audiat.* Sator ego, granum seminavi in agro cordis vestri, reddite vos fructum operum charitatis, quod unicè velim.

PARS SECUNDA.

DIvina Majestas jubet, ut quantâ possumus reverentiâ & totis attentionis viribus percipiamus Dei Verbum. Aod Eglonem idololatram adit, secretum se habere verbum testatus : *Verbum secretum habeo ad te, ô Rex.* Ille, ut erat audiendi cupidus satellitium dimittit, sedensque in throno : Profer, ait secretum. Cui Aod. non humanum, sed divinum affero nuncium : *Verbum Dei habeo ad te.* Quid tunc ? nuntium Dei eâ veneratione colit, ut licet obesus esset & *crassus nimis*, è regia sella surrexit, quo studiosiùs & religiosiùs audiret : *Statim surrexit de throno.* Ecce, qui antèa secreta auditurus sedit, Dei verba percepturus, assurgit (ut hîc notat Abulensis) *in reverentiam Verbi Dei, ut non audiret illud sedendo* : ut vel Ethnicus Christianorum de audiendi reverentia confundat ignaviam. Utinam hæc Eglonis Ethnici reverentia multorum hodie Catholicorum non condemnet insolentiam, cùm eâ sacris assistere solent irreverentiâ, ut non tam videantur religiosum præstare cultum, quam ostentare contemptum. Ad confusionem eorum dico, qui sacrificio Missæ intersunt, corpore quidem præsentes, sed mente in mille partes distractâ, rident, nova conferunt, nugantur, & prô dolor ! ea tractant in locis sacris, quæ nec in plateis liceat fieri & pudor vetat, ut proferam. *Qui habet aures audiendi audiat.* Illane devotio est & attentio, quam requirit Ecclesia ?

Rulic. 3.

Abulens. ibid.

Sequebatur Christum turba, ut audiret illum : cùm jam pervenisset ad stagnum Genezareth Salvator, navim à Petro petit, quæ pro pulpito sit. *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de navicula turbas.* Sed quid ei opus erat cymbâ Petri ? nunquid (ut multoties fecerat) stare poterat super aquas ? ut miraculo isto augeretur authoritas ? An non ergo, mi Domine, quidquid placet, hoc efficere possis ? nunquid elementa subjecta sunt & parent ? si mari imperâsses, an non terrâ fuisset solidius ? ut quid ergo navim capis ? certè superfluum est. Non ita, ait Christus : si enim pedibus siccis stem super undas & prædicem, miraculum mirabuntur, nec attendent ad verbum : omnes auditum avertent, & fixis oculis intuebuntur pedum super undas prodigium. Ut hinc discamus attentâ mente & non distractâ audiendum esse Dei Verbum.

S. Pater Augustinus Verbum Dei cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contulit. *Quid vobis videtur, Fratres, majus, Corpus Christi, an Verbum Dei* ? Utrum illorum dignius ? Ut benè responsum sit, dicite : *Non est majus Corpus Christi, quàm Verbum Dei.* Audite modò, quid inde concludat. Ergo non minori reverentia percipiendum est Dei Verbum, quàm accipiamus Corpus sanctissimum : verba sunt Divi Patris : *Unde non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.*

D. P. *Augustin. l. 5. homil. 261.*

Nihil

B. Iord. de Saxon in Dom. 3. Quadr.

Nihil receſſit à ſui & mei Patris ſanctiſſimi doctrina Beatus Jordanus de Saxonia. (Sicut ergo (habet ille) prædicatio Evangelica non eſt nobis major ad ſalutem conſequendam, quàm Corpus Chriſti: ita nec eſt levioris culpæ, imò majoris, ſi Verbum Dei negligenter audimus, & ipſum à corde noſtro labi permittimus, quàm ſi Corpus Chriſti nobis in terram per negligentiam cadere dimittamus.

Ierem. 20.

Tempora nunc relapſa ſunt, poſſitque verificari, quod deploravit olim Hieremias Propheta: *Factus eſt mihi ſermo Domini in deriſum & in opprobrium tota die* Exploditur Dei Verbum, mundi ludibrium eſt & vulgi fabula: ut jam pudeat aſcendere pulpita, niſi vano ornatu & calamiſtro elocutionis adulteratum: & novos dicendi modos excogitare oporteat, & quaſi hiſtrionicam ſacro ſuggeſtu repræſentationem. Si quis verò decenter & ſimpliciter tractet, ut par eſt, *Sermo Domini factus eſt in deriſum & in opprobrium tota die.* Oblectantur hodie vocum canore aures, ſed nihil tranſit ad mentes O tempora! ô mores! jam clamandum eſt iterùm in deſerto, vertendus ſermo ad feras, plantas & lapides, & urgenda terra ut attendat: *Terra, terra audi vocem Domini.* Et fortaſſis major inde quàm ab hominibus ſperati poterit fructus.

Arn. de Vill.

Verùm eſt, neque hîc contradixerim, benevolè & ſumma cum manſuetudine prædicandum, & cavendus rigor. *Cuicumque poteſt per alimenta reſtitui ſanitas, fugiendus penitùs uſus medicinarum.* Exhibenda tenerrimæ charitatis viſcera, quibus prævaleamus, non vultûs indignantis, minæ & aſpera verba, quibus abſterreamus. (Sic quicumque poteſt civem efficere felicem per alium, non debet pœnalium legum viribus uti.

Petr. Can. l. 1. in Alph.

Ita Moyſes ingreſſurus in terram Edom, præmiſit ad Regem Legatos, & precibus tantum petivit, cùm tamen armis commodè compuliſſet.

Num. 20.

Miſit nuncios Moyſes de Cadis ad Regem Edom qui dicerent: Obſecramus, ut nobis tranſire liceat per terram tuam. Quærit Oleaſter: *Quid eſt hoc. Domine Deus, ut non audeas intrare cum populo terram Edom, niſi à Rege permiſſus?* Et doctiſſimè reſpondet ad noſtrum inſtitutum: *Docet nos ſumma ſapientia, nunquam violentia uti, & ſuaviter omnia diſponere. Et conſidera quàm blandè utatur verbis: Fratrem vocat eum, invitat ad gaudium de bono populi.* Diſcant à Moyſe Verbi Dei præcones quam benignè & affabiliter agendum ſit, ſemoto omni rigore.

Oleaſt. ibi.

Et hoc obſervandum, ut Verbum Dei aptare ſtudeant auditorum capacitati. Non ſine myſterio Chriſtus dicebat Apoſtolis: *Vos eſtis ſal terræ.* Cur ſal potiùs quàm aurum, quàm argentum, quàm aqua aut petra, &c.? ſal conformatur tempori: cùm humidum eſt, etiam humectatur, cùm ſiccum, & ſal exſiccatur. *Vos eſtis ſal terræ.* Si dicendum populo doctrinâ exculto, altiori ſtilo etiam prædicate: ſi cum hominibus rudibus & ſimplicibus agendum, vos ſtilum deprimite, & ſolùm ea proferte, quæ ad captum ſint, & ab omnibus facillimè intelligantur. *Et verè Apoſtoli olim, & poſt eos ſucceſſores S. Paſtores,* (annotat hîc Cajetanus) *ſua vita ac converſatione ſal fuerunt terræ condiendo univerſa appetibilia, ut ſaperent guſtui animi bene diſpoſiti.* *Matth. 5.*

Velim ego, ſalis inſtar, eſſe cuique veſtrûm ad guſtum & genium. Dicite ergò, quomodò vultis ut prædicem? quæritis ut adferam alta & ſpeculativa, ut ſic de ſacro ſuggeſtu fiat Theologorum ſchola: non Pater; quid ergo? petis ſubtiles conceptus intricatos hiſtoriis, ſententiis Philoſophorum, doctrinâ Patrum, Legum textu & Medicorum Aphoriſmis confuſos? Pater non. Placebit fortaſſis mille locorum S. Scripturæ contextus, quo uno diſcurſûs filo per horam teneat ſuſpenſos periodus, contra verum dicendi modum, qui requirit clarè fieri intelligibiliter & diſtinctè. *Facturi ſermonem ſtudent magis alta, quàm aperta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum ſui, non ipſorum ſalutem operantes.* *Gilb. in Paul. in lib. Alleg.*

Expectet fortè aliquis ut diſertam linguam, memoriam fertilem vanè oſtentem, aut, ut aliquorum natura fert, cruda quævis & indigeſta promiſcuè effutiam, ut ſic in me cadat Saluſtii dictum: *Satis eloquentiæ ſapientiæ parum?* minimè verò, quia prædicatio ſermo eſt familiaris. Acquieſcetis, ſi monitis durioribus Auditores exaſperem, vitia carpam obviè, inſulsè dicam, & nemini parcam? monere, corripere & arguere conveniens eſt, ſed cùm locus, & tempus ſinunt, & propoſiti Evangelii thema expoſcit. Nunquam pro genio veſtro fecero ſatis, ut video. Gratum fortaſſis eſſet, ſi omnigenâ florum varietate vos delectem, ſtudiosè calamiſtratas concinnataſque periodos inſtillem, & ſic Eccleſiam in forum comutem, & concionem ſacram in ludicram comœdiam? Neque ſic, quia locum ſanctum dedecent iſta, & perſonam concionatoris.

Jam capio, quid velitis, ut brevis ſim, & finitus noſter diſcurſus. Per me licet, ut vobis ſatisfactum ſit. Ite in pace.

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

ARGUMENTUM.

Ea est Divini Numinis conditio, ut talis erga nos sit, quales nos erga illum, & eodem prorsus modo nobiscum agat, ut nos cum illo. Ut Deum semper habeamus ad placitum voluntatis arbitrium, ejus conformemur ad nutum, & accuratiùs observemus præceptum.

THEMA.

IESV Fili David miserere mei. Et IESVS dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit. S. Luc. cap. 18.

CÆlestis sponsa Dei excellentias & attributa deprædicans in Canticis, modò boto assimilat: *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi:* modò fasciculo myrrhæ: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus.* Uva dulcis est, atque ita palato grata: myrrha autem amara, & gustui planè insipida. Cur ergò rebus tam contrariis Deum nostrum exæquat? *Quare dilectus rebus adeò disparibus comparatur à Sponsa?*

Cant. 1.

Ben. Fidel. in Ps. 22.

Maximilianus II. Imperator, ut modum ostenderet subditis, quem in regimine observatum voluit, curavit in symbolo pingi Aquilam, pede uno fulmen tenentem, altero auream coronam, cum lemmate. *In opportunitate utrumque.* Ut hoc ipso sic diceret: Si bene mecum & laudabiliter se gerant subditi, aureas offeram coronas, liberalis ero in largiendis præmiis? si malè, ecce fulmen, ut severè castigem.

Io. Fer. in Th. Gilib. p. 3. l. 5. n. 2. & l. 74. n. 5.

Quàm hoc appositè factum! nec enim est, quò possit meliùs exprimi, quæ sponsæ mens sit, & qualis erga nos Deus. *Fasciculus myrrhæ,* sed iis, qui scelerum colluvie amarescunt. *Botrus Cypri:* illis tamen qui virtutum dulcedine sunt conditi. Ut sic optimè quadret, *In opportunitate utrumque.* Putem sponsam intendisse loqui in hunc modum: (Si ego amara sum, myrrha videtur: si dulcis sum, botrus, quo nihil dulcius. Pro sumentium merito transformare eum vidit, ut, qui dignis est botrus, myrrha sit indignis: amarus his, illis suavis.)

Fidel. ubi suprà.

Cæcus Evangelicus fidelem Christo se probat, de virtute divina non dubitando, sed firmiter credendo. *Et clamavit dicens: IESV Fili David miserere mei.* Et Christus se ei benignum exhibet, visum pro supplicatione misericorditer impertiendo. *Et IESVS dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit.* Hinc moveor, ut in præsenti hoc discursu ostendam, quomodò Deus amarulentis hominibus myrrha sit, objiciat & fulmen: mitibus autem & dulcescentibus botrus sit, ac offerat aurum. *In opportunitate utrumque.* Et, quod Italico dicto expressiùs effertur. *Iddio balla ab nostro suono.* Si fas ita loqui, Deus ad modulos nostros movetur & properat, id est, talem se nobis exhibet, quales ipsi nos præstamus. Modus noster agendi, illi dat normam nobiscum procedendi.

Luc. 18.

Si virtutem præferimus, ille præmia: si nos sceleribus dediti, ille suppliciis intendit infligendis. *Sic ipse nos visitat, sicut eum nos colimus.* Et hanc ego hodie politiam observabo: si modò vos attentione faveatis, conabor ego brevitate. Exordior.

PARS PRIMA.

Gen. 3. PRimò omnium ita Deus egit cum Adamo. Audiens ille vocem Domini clamantis in Paradiso terrestri, & Divinam ultionem veritus, quia jam peccârat, quæsivit latebras, & arborum sub frondibus se abscondit. Quid agis Adam? ô quàm à peccato mutatum te, & dementatum ostendis! itanè latere putas, & declinare conspectum ejus, cui aperta sunt omnia? unde hoc tibi delirium? à peccato est: hoc enim mentem hebetat, & rationem offuscat. Non mihi propositum, hîc rationem dicere, cur fugit Adam, aut se abscondit: solùm tempus observo, & locum, ubi & quando quæsivit illum Deus. Ubi autem? *Ad auram*, ubi aura remissior, & leniter spirans zephyrus. Quo ad tempus, notat Sacra Scriptura fuisse *post meridiem* intensissimo solis æstu declinante. Sed cur Deus quærit auram refrigerantem, & calorem remissum? fortassis ut mitiore hâc aurâ temperet ardorem iræ, intensum nimis, ob peccatum hominis?

Fr. Laured.

Scribit Galenus, hoc oleo esse à naturâ proprium, ut commixtum cum aliis ingredientibus medicinalibus, ejusdem cum illis fiat qualitatis. [Si permisces cum oleo medicinas calidas, fit medicina calida: si frigidas, frigida.] Et hoc ipsum Deo etiam proprium, ait Sanctus Augustinus. Frigescebat per peccatum Adamus in amore divino, ideoque comparens Deus ad auram post meridiem, remittente jam solis æstu, innuebat quòd erga eum frigere etiam cœpisset, instar olei *cum frigidus, ostendens* (dicit Sanctus P. Augustinus) *quòd Dominus ab amore peccantium refrigescit, quia per peccatum in homine refrigeratus est amor charitatis. Cum calido calet Deus, cum frigido friget.*

Galen. 2. de Imp. d. 3. c. 1.

D. Pater Aug. ser. ad Frat. in Eremo.

Describit Propheta Jonas, quod Ninivitis imminebat infortunium, cùm immersi mundi voluptatibus, carnis absorpti desideriis ad interitum præcipitabantur, & æternam perditionem. Nemo in civitate amplissimâ cujus corpus esset, à scelerum veneno illæsum. Quaquaversum radices agebat iniquitas, neque sollicitus aliquis, ut evelleret. Nullum à culpâ præservabat aut sexus, aut ætas, prô pudor! Pueri erant innumeri, sed sine morum disciplina: puellæ carnalibus deditæ: patres & matres rupto fidei maritalis vinculo, honestate pessumdatâ, vivebant bestiarum more: & ut verbo dicam, quorum vis ibi flagitiorum erat sentina. Vidit Deus, iratus est valde & nè tantùm malum diutiùs ferret impune, Jonam expedit. Adesdum Jona, ad Ninivitas accelera, eisque minaciter prædica, quia irascor nimis. *Surge, & vade in Niniven civitatem magnam.* Et hoc à me seriò monitum adde, quia ulciscar ego, funditus evertam & perdam. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Quid jam facies, infelix Ninive? fulminata est sententia, & quis eam revocet, aut temperet? elementa conjurata, & creaturæ omnes in tuam perditionem. Quid audio? an muros collidi & jam fundamenta erui: O Deus? extremum hoc malum est.

Ioan. 1.

Sed quid? Scripturam universam percurrite, nusquam deprehendetis sententiæ hujus executionem, aut civitatem destructam: fortassis crudele nimis fuisset hoc supplicium: at major erat iniquitas: an fortassis iniqua sententia? absit hoc! quia æquissima erat, utpote à Deo ipso justissimo pronuntiata. Ut quid ergo non est facta executio? Ah! nil mirum (inquit D. Hieronymus) Ninive mutaverat mores, ideò Deus sententiam: civitas peccata demiserat, & Deus supplicia. Illa è peccatrice pœnitens, ipse de tremendo judice factus misericors. *Libenter mutavit Deus sententiam, qui vidit eorum opera commutata.*

S. Hieron.

Idem S. Pater aliud notatu dignum observat. Cùm natus esset Salvator mundi, tres ab Oriente Reges advenerant, Dominum obsequenter datis muneribus adoraturi. Obsequiis pro more exhibitis, reditum ad propria meditantes, quia jam advesperascebat, ad hospitium diverterunt ex itinere defatigati, ut sumpto cibo, somnoque confortati revertterentur in Regionem suam. Summo propterea diluculo, adhuc in somnis, monentur, quà essent reversuri. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Sed à quo moniti? quis in somnis apparuit? Opinio hæc est D. Hieronymi,

Matth. 2.

nymi, ab ipsomet Christo monitos esse Magos. *Qui munera obtulerunt Domino, consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum.* Consentit Dionysius Carthus. & dicit: *Responso accepto in somnis per ipsum puerum.*

Dionys. Cart. & Glossa in Catena D. Thom.

Alterum adnectitur dubium, & hîc resolvendum. Cùm vellet Deus indicare Joseph, ut in Ægyptum fugeret cum Matre & puero JESU, atque ita tyrannidem Herodis evaderet, Angelum misit. *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Et hoc intellectu difficile, cur videlicet ipsemet Filius Dei in personâ propriâ apparuit Magis, & ad Joseph non nisi Angelum destinavit? poterat commodè idem ille nuncius ad Magos mitti, nec enim erat tanta necessitas, cur ipsemet Filius Dei interveniret. Quæstionem hanc etiam movet Abdias Babylonius. [Notandum quòd non per Angelum, uti ad Joseph, hæc responsio facta dicitur: sed SS. Patrum traditio est, ab ipso Domino divinitùs imbutos fuisse.] Neque præter hanc rationem, facilè quis aliam dabit, voluisse scilicet Filium Dei ita agere cum Magis, quomodò illi cum ipso: Venerunt illi in personâ, non ab ipsis Legati? quocirca venit ad illos Christus ipse in personâ, non contentus Angelum mittere: & quales erant Magi erga Christum, talis ipse erga illos esse volebat. *Qui munera obtulerunt Domino, consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum.*

Matth. 2.

Lib. 2. in Matth.

Zebedæi uxor Salvatorem accessit, ita supplicans: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad sinistram in Regno tuo.* Respondit ille Jacobo & Joanni: Ferendum id modò, quòd pro desiderio vestro non faciam: quia *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Si candidè loqui mihi licitum, quod sentio. Domine mi, prætexis, ut video, ne beneficium hoc largiaris. An non tu Dominus omnium? an non cælum, terra, & omnia quæ in eis sunt, tuæ ditioni subjacent, & beneplacito? Evangelista in hoc mihi testis. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ubi elucidat Cajetanus: [Et quidem JESU, ut filio Dei, omnia dedit Pater in manu (hoc est, in potestate) ab æterno generando illum omnipotentem. Ei quoque, ut Filio hominis, omnia, nullo excepto, dedit gratuito ab incarnationis mysterio, in manu, hoc est, potestate. Habuit enim JESUS homo ex tunc potestatem super omnia, sivè in cælo, sivè in terra, sivè in inferno.] Ut quid ergo non concedis, quod petunt, licitum & honestum? nôsti, cujus sint filii? Discipuli tui sunt, & sanguine propinqui.

Matt. 20.

Ioan. 17. Cajet. ibid.

Non tamen hoc mirandum, Auditores: Apostoli enim non per se petunt immediatè, sed matrem interpellant. *Accessit mater filiorum Zebedæi adorans & petens.* Cajetanus explicat. *Petebant per os matris.* Neque ego ipse dabo (inquit Christus,) sed hoc faciat Pater, cui id reservatum. *Sed quibus paratum est à Patre meo.* Gratiam à me petitis *per interpositam personã*, sc. matrẽ, ego paritet concedã *per interpositam personam*, sc. Patrẽ meum. Si vos ipsi hanc gratiam à me petiisletis, & ego ipse vobis concessissem: eoque id feci, ut & vos Apostoli sciatis quomodò vos mecum, ita me vobiscum agere. *Quid mirum quod ad Patrem remittantur, quando ipsi non aliter accedunt ad* JESUM, *nisi per Matrem, & is est Dominus, qui talem se exhibet hominibus, quales invenit homines erga se.*

Cajet. ibid.

Did. Ponf. l. 11. cap. 8. §. 25.

Philosophiæ hoc scitum est, formas introduci juxta capacitatem & dispositiones materiæ, & qualis hæc in disponendo, talis illa in informando. Doctrina Theologica est, conferri gloriam juxta captum intellectûs creati, & meritorum mensuram. Pro augmento actuum fidei in homine, auget Deus gratiam & multiplicat beneficia.

Sistunt Hebræi Christo hominem cæcum, ut visum recipiat. Salvator noster, vixdum rogatus, salivam applicat oculis cæci, & *interrogavit eum, si quid videret.* Respondit ille: Utcumque, sed imperfectiori modo, aliquid video moveri, an homines, an arbores, discernere non valeo, *video homines veluti arbores ambulantes.* Magna nimis (ait Deus) differentia est inter arbores & homines, unde si vix discernis, vix adhuc aliquid vides. Sine, ut iteratò manum admoveam: cœpitque paulatim videre perfectiùs, *ita ut clarè videret omnia.* Videtur certè Christus pareus valdè in dandâ luce interpolatis vicibus. Eccur non simul & semel plenam dat lucem & visum perfectum? equidem vetissimum est, *Dei perfecta sunt opera.* Ab ente perfectissimo esse imperfectum nihil potest. Christus se gerit in dandâ luce, quomodò cæcus ille in præstandâ Christo fide.

Marc. 8.

Psal. 91.

Cæcus quidem initio, modicæ fidei, & Christus dat modicum lucis ; crescit cæcus in fide, crescit Christus in dandâ luce : cæcus tandem perfectè credit, & Christus perfectè illuminat, *ita ut clarè videret omnia.* Observatio est Cajetani in hunc locum. *Cajet. in cap. 8. Marci.* (Est in hoc miraculo singulare, quòd paulatim JESUS cæco visum restituit, primo imperfectè, deinde perfectè, ut intelligamus, quantus erat defectus alienæ fidei.) Et non nisi tum demum perfectè videre potuit (ait Euthymius) quando perfectè credidit. *Augmentum fidei, augmentum promeruit sanitatis.*

Filius Dei regionem Gerasenorum petens, ascendit naviculam, comitantibus Discipulis, ut transfretaret. *Matth. 8* *Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum Discipuli ejus.* Ecce subitò tempestas horrida, & insurgentibus undique procellis evidens naufragii periculum. Quid facerent. Discipuli jam penè metu exanimes ? ad anchoram spei confugiunt, & Magistrum interpellant : *Domine, salva nos, perimus.* Audit JESUS & experrectus ventorum rabiem frænat, & tempestas sedatur. *Tunc surgens imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Evangelista Matthæus indicare volens Apostolorum stuporem ex tempestate tam subita, his utitur verbis : *Porrò homines mirati sunt; Homines* ? Origenes miratur, quòd Discipulos nominaret communi vocabulo *homines.* *Orig. in Matth. 8.* Cur non Apostolos, aut Discipulos ? *Nusquam prater honorem invenimus dictos Discipulos ; sed semper aut Apostoli aut Discipuli nominantur.* Ut quid ergò modò vocat homines, quasi verò extranei sint & incogniti ? Mysterium hîc penetrat Abulensis, & responsum format ex eo, quod Apostolis dictum de Christo, *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei ?* De Christo interrogant & tractant, quasi persona foret incognita, neque unquam vidissent ; uno verbo, sic eum habent hominem alienigenam, quocum antèà non conversati. *Qualis est hic ?* Unde etiam meritò sic tractantur quasi extranei, quos suo Salvator nunquam dignatur consortio. *Porrò homines mirati sunt.* *Abulens. 6.* Audite verba Abulensis. (Loquitur Matthæus de illis tanquam de extraneis, quia illi loquuntur de Christo tanquam de extraneo & incognito ab eis, dicentes : Qualis est hic?

Nec est absimile, quod Magdalenæ post resurrectionem evenit. Venerat ad sepulchrum illa, ut ungeret Corpus JESU ; sed cùm non reperisset illud, furtim ablatum credidit, & tantus indè illi dolor obortus, ut tota profunderetur in lachrymas, alta edens suspiria. Cùm ecce illi obviam factus viator, eò conversa hominem videt incognitum, & quia rustico apparebat vestitu, hortulanum putavit, Deum suum non agnoscens. *Nesciebat, quia* JESUS *est, existimans quòd hortulanus esset.* Ille propiùs accedentem & amarè plangentem cernens, petit, quæ sit tanti doloris causa. *Mulier quid ploras ?* cur ita *Ioann. 20* luges ? quid tibi deest, mulier ? Dic, amabo te, pissime Redemptor, nosti, quæ sit hæc mulier, quam alloqueris ? an non esse Magdalenam, vides ? Ut quid ergo subtices nomen, nec dicis: *Magdalena, quid ploras ?* Communi eam vocabulo nominas, quasi incognitam & nunquam hactenus visam, dicendo *Mulier ?* Respondet S. Ambrosius, Christum voluisse ita tractare Magdalenam, quomodò ipsum illa. q. d. Non me recognovit illa ut Dominum, sed ut extraneum, neque ego illam pro Magdalena mea cognosco, sed pro muliere extranea : illa me æstimat hortulanum, & illam ego plebejam mulierem, quales in pagis circumvicinis. Si me non profitetur magistrum suum, neque illam ego discipulam. *Quando non credidit, mulier est* (inquit S. Ambrosius) *quando convertì incipit, Maria vocatur.*

Affine est, quod Sequitur. Sanctus Evangelista Matthæus scribens de Simone illo, qui Christum Dominum excepit hospitio & opiparâ mensâ, nomine leprosi eum appellat: *Cùm esset* JESUS *in domo Simonis leprosi.* Fuerat *Matth. 26* quidem anteà infectus leprâ, sed ab eâ purus, quando Christum excepit convivio. Expressè id asserunt Venerab. Beda & S. Hieronymus. *Non quòd leprosus illo tempore permaneret, sed quòd anteà leprosus, postea à Salvatore mundatus est.* Unde igitur Evangelista vocat leprosum?

Volunt plerique Scriptores, speciatim Cajetanus, & S. Augustinus, Simonem leprosum eum *Cajet. in c. 3. Luc. S. Aug. Luc. 7.* esse, quem D. Lucas Pharisæum nominat, ideoque huic dictum à Christo : *Simon, habeo aliquid tibi dicere.* Simon ille itaque videns Magdalenam ad pedes Salvatoris prostratam, obloqui cœpit inter convivas : *Hic si esset Propheta, sciret*

utique

utique qua & qualis est mulier qua tangit eum, quia peccatrix est. Quomodo? *Peccatrix est?* ah Simon! iniquus es, & pessimè loqueris: dixisses saltem: *Quia peccatrix erat:* excusari tum faciliùs poteras; sed dicere: *Quia peccatrix est,* nunc, de præsenti, cùm scil. peccata sua plangit, pedes Salvatoris lavat lachrymis, tergit capillis. Et adhuc peccatrix est? itane? quinimò jam pœnitens est, justa est & sancta. Ideò de illa scribit S. Lucas: *Et ecce mulier, qua erat* (& non quæ est) *in civitate peccatrix.* Non ergò mirum est, si de Simone loquens, leprosum nominet. *In domo Simonis leprosi.* Quasi vellet dicere Redemptor noster: Tu Simon, malè tractas hanc mulierem & peccatricem nominas, tametsi sancta sit; & ego volo ut meus Evangelista leprosum te dicat, licet modò à lepra sis mundus; & sic eâdem monetâ tibi compensatum sit.

Rectè igitur Deo nostro adaptamus nomen myrrhæ, & uvæ, amaritudinis & dulcedinis. Optimè illi convenit Maximiliani Symbolum, in quo generosa Aquila coronam præmiorum exhibet & fulmen suppliciorum. *In opportunitate utrumque.* Nec putem aliud inculcatum velle Apostolis, ubi hortatur, *Sint lumbi vestri præcincti.* q. v. d Si vos invenero promptos & sedulos in iis, quæ vestram concernunt salutem & proximi, eâdem ego viâ disponam vobis æternæ felicitatis præmia. Sensus hic est Dionysii Carthusiani in hunc locum: *Estote parati ad exequendum opera Dei, & ad ambulandum in via Domini; Christus etiam præcinget se, id est, disponet ad dignam felicitatis æternæ dandam mercedem.* Sed econtrà, si vos præcingitis & disponitis *ad exequendum opera diaboli, & ambulandum in via malitiæ, Christus erit præcinctus ad dandam vobis æterna infelicitatis gehennam.* At verò videndum nunc (NN.) an verbis ejus, effectus respondeant.

Luc. 12.

Dionys. Carthus. ibid.

Cùm penderet Christus ipse in cruce inter duos latrones medius, illorum alter Dysmas ad Salvatorem conversus, humiliter deprecatus est; ut posset in Paradisum comitari. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et statim exoravit: quia ad eum conversus Dominus & misertus, ait: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hodie? Paradisum à te petit, hodie? donas? ut quid non mittitur priùs ad limbum, aut certè ad locum ubi pro sceleribus patratis meritas luat pœnas? vel cur saltem hanc ei gratiam non in crastinum differs? Multifariam hîc SS. Patres respondent: at Sacræ scripturæ abyssum quis penetret, & ubique fundum attingat? Cajetanus hîc ita resolvit: *Latroni ex hoc ipso, quòd illo die promittitur ei beatitudo, dimissa est, non solùm culpa, sed pœna omnis.* Subdit modernus Author: *Hodiè, scilicet sinè diutina hora, ut magis florida gratia eluceseat.* Sed conformiùs ad intentum nostrum S. P. Ambrosius; ut clarè demonstratum sit, quòd ubi *sunt præcincti ad ambulandum in via Domini,* ibi paratus etiam Deus *ad dignam felicitatis dandam mercedem.* Statim ergo atque latroni hæc de Christo incidit cogitatio, quòd verè Dei Filius esset, sine mora sceletum detestator & pœnitens, ad fidem est conversus, atque confessus, quia verè Filius Dei erat. Et quid facit Christus? ad Paradisum admittit illicò, & ne vel diem unum differt hanc gratiam. Quid mirum? promptus erat latro ad conversionem, & Redemptor pronus ad miserationem ac gratiæ largitionem. *Pulcherrimum datur affectanda conversionis exemplum.* (Concludit S. Ambrosius) *Cito ignoscit Deus, quia citò ille convertitur.*

Cajet. ib. Mich. de Med. fer. c. in Parasc. fer. 48.

In Cat. D. Th.

Hanc quoque politicam observavit erga sanctissimam Virginem Matrem, uti attestatur S. Joannes in Apocalypsi, ubi narrat à se visam esse ad portam cælestis Hierusalem Matronam sole formosiorem in vestitu deaurato, cui Sol & Luna cum stellis ornatum splendidissimum subministrabant. *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona Stellarum duodecim.* Sed quorsum (Deus bone!) tam sumptuosus in Matre tua castissima apparatus, ut etiam à Sole, Luna ac Stellis decor requiratur? ad quid tanta in Virgine Genitrice (cujus hæc mulier typum expressit) magnificentia & selectissima pompa? Nil mirandum (ait S. Bernardus) qualis erga Filium mater, talis erga Matrem Filius in cælis. Ornat eam decore cœlesti, quæ vestiverat nudum in terris. Supra cæli solium exaltat illum, quem deficiente molli strato, reclinavit in durum & vile præsepium. *Vestis eum* (dicit S. Bernardus) *& vestiris ab eo; vestis eum de substantia tua carnis, vestit ille te gloria sua majestatis; vestis solem nube, & sole ipsa vestiris.*

Apoc. 12.

D. Bern. sup. Missa.

Hoc tamen addendum, & verum. Scis quomodò cum malis agat? Contra illos qui se præcingunt *ad exequendum opera diaboli,* & ipse Deus præcinctus est *ad dandam æterna infelicitatis gehennam.* Illis & myrrha est & Aquila armata suppliciorum fulmine. Dives Epulo, qui immersus deliciis in apparato convivio Lazarum audit mendicantem, nec ejulatu movetur: sed ne ana-

lecta quidem famelico indulget. Siccine pauperes meos excipis? itáne (loquitur Deus) amicos meos tractas, & ne vel scintillula in te charitatis ad miserandum? Quid mirum (NN.) si nec ipse Epulo in mediis flammis exauditur ab Abraham, neque refrigerium accipit, dum aquæ guttulam non potest obtinere? Sic voluit factum Deus, ut quo modo tractaverat Lazarum ipse, eo tractaretur ab Abraham. Doctrina est D. Joannis Chrysostomi. *Ideo non meruit guttam, quia non fecit misericordiam: si enim dedisset, accepisset.* Credite, quia sic vobiscum proceder Deus, si & vos clauseritis viscera charitatis. Permittet aliquando Dominus, ut gravis necessitas premat, nec aliquis sublevet; & quod longè pessimum, vestrâ evenerit culpâ, ubi tunc nil proderunt iterata lamenta; immites fueritis & avari; nec mitis erit Dominus, nec liberalis.

D. Chrys. in Ps. 25.

Scio plerosque in adversis velle Deum arguere, sed immeritò. Ubi est (garriunt illi) divina Providentia, quando calamitatibus undique obruimur, nec adest Deus, ut attendat, & eripiat? Quis crederet, mi Pater, quòd Dominus mei curam gerat? nemo facilè persuaserit. Semper ego in tribulationibus ab incunabulis; nec scio, quid sit consolatio, quid lætitia, aliquandiu me carcer detinuit miserum, & postea lectus infirmum: jam verò prodire in publicum vetat pudor, quia ære alieno sum gravatus; sic ut firmiter credam, quòd non recordetur mei Dominus, neque necessitates meas attendat, ut succurrat & liberet.

Hæc, & deteriora meremini, quia & vos oblivi estis attendere, & ad Deum recurrere. Vivitis, quasi non sit Deus, Atheorum more, dixerim, & pejus. Bestiarum ea est vita: & vos à bestiis dissimiles, non, nisi quòd nomine homines estis. Cuilibet de se examen est liberum; perpendant hujusmodi homines, quoties frequentent ecclesias: conciones abhorrent, ne veritatem audire debeant: nunquam confessionem instituunt, ne de meliori vita cogantur deliberare: pietatem erga beatissimam Virginem Matrem, & Sanctos non curant: quotidie mortaliter peccant, & ne vel semel in anno bonum opus perficiunt: & quis scit, an non dicant fortassis in corde suo: *Non est Deus*; Ergonè mirum est (NN.) si nec illorum recordetur Dominus? jure merito Deo cordi non sunt, è quorum ille corde & memoria obliteratur: illos neque curat, neque auxilio est in extremis necessitatibus, si demeritis correspondeant.

De Deo fortassis quereris, quòd paternam ejus benevolentiam non expertus? unde hoc? non te erga Deum geris ut filium, sed spurium ostendis. Quandò Rex David exercitum ordinavit, ut acceptam à filio Absalone injuriam retunderet armis, hoc dedit mandatum tribus ducibus exercitus, sc. Joab, Abisai & Ethai, ut servaretur illæsus Absalon. S. Ambrosius observat hic modum loquendi, *Servate mihi puerum Absalon.* Cur non dicit *Servate mihi filium*, sed *puerum Absalon?* David non ut patrem se exhibet, filium nominando; quia non se filium exhibuit ille, ut patrem amando. Audiamus verba S. Ambrosii: *Quærendum, quâ ratione puerum dixit? Puer erat, quia parricidio petebat Patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis.* *2. Reg. 18.* *D. Amb. in Ps. 118. ser. 17. n. 5.*

Si Deo rebellis es, & scelerum armato exercitu contendis; quomodò paternum speres affectum? *Sic ipse nos visitat, sicut eum nos colimus. Cum frigido friget Deus, & cum calido calet.* *D. Thom. Aquin.* *D. P. Aug.*

Si Deum odio persequeris, si contemnis enormiter peccando; favorem expectes & honorem? In ejus obsequio torpes, & in adjutorium tuum celerem quæris? *Qualis te paraveris Deo;* (loquitur S. Bernardus) *talis apparet Deus. Cum amante est amans, cum vacante vacans. Sollicitus est,* sed *cum solicito.* *Serm. 70. in Cant.*

Legitur in Prato Florido de homine divite, qui pauperibus durus erat & inhumanus, adeò ut, cùm eleëmosynam peterent, aures ipse occluderet. Moritur, & cùm efferretur corpus sepeliendum, Religiosis in choro concinentibus *Requiem æternam*, Crucifixus ad feretrum erectus decussis manibus obturat aures, ne exaudiat fusas preces pro eo, qui similiter pauperibus fecerat. *Qui obturat aures suas à clamore pauperum, & ipse clamabit; & non exaudietur.* Si desideratis, ut mitiùs agat vobiscum Deus, date eleëmosynam.

PARS SECUNDA.

STans autem JESUS *jussit illum adduci ad se, & cùm appropinquâsset, interrogavit illum dicens: Quid vis ut faciam tibi? At ille dixit: Domine, ut videam.* Si ab infirmo peteret Medicus, quid velit, an non supervacaneum hoc esset? *Luc. 18.*

quo-

quomodo igitur non superfluum, quòd petat à cæco Dei Filius, quid velit? nam absdubiè visum petit, nihilque illi desideratius. *Domine ut videam.* Hoc peto, hoc unicum rogo. Ut quid ergo petit, *Quid tibi vis faciam?* Cæcum enim esse sciebat. Voluit Salvator noster voluntatem conformare, & facere pro cæci placito hoc ipso innuens, quàm sead nutum nostrum accommodet. A Lorino vocatur Hostia Sacra. *Numisma triticeum,* quod est moneta grani, vel panis. Et Author Monilis Animæ sic ait: *Panis in modum denarii formatur.* Quid monetæ cum Hostiâ? Ex illâ sæpe perditio corporis & animæ; ex hoc verò & corporis & animæ salus. Monetam soli divites possident; at sacratam Hostiam accipiunt promiscuè dives & pauper, magnus & parvus, nobilis & plebejus. Diceret aliquis, nec malè, ideò vocari *Numisma,* quia, teste Sapiente, *Pecuniæ obediunt omnia.* Fideles autem omnes voluntatem & intellectum submittunt, sanctum hoc mysterium fide inconcussâ tenentes & venerantes. Ut proinde meritò dixerit S. Eligius: *Corpori & sanguini Christi totus mundus subjugatus est.* Vel, ut legit Vatablus: *Pecuniæ obediunt omnia.* Qui pecunias, ille omnia possidet. Et Christus, ubi Corpus suum Sacramentaliter dedit Apostolis, omnia bona dedit. Unde verè dixerit post sacram Communionem devota anima: *Omnia bona Dei mecum porto.* Et meritò; quandoquidem, ut notat Franciscus Ribera, *nihil habet Deus melius, aut pretiosius eo, quod nobis dat in sanctissima Eucharistia.* Et S. Augustinus ait: *Cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.*

Lorin. in Ps. 110.

Eccl. 5.

S. Eligius Vatabl.

Serm. 84. Joann.

Meo tamen judicio visi sunt prædicti Authores attribuisse Christo in sanctissimo Sacramento nomen monetæ, quia ad monetam acclinatus est homo, & cumulandis pecuniis inhiat: ideò Deus noster volens ab homine desiderati, sollicitè quæri, & amari, pro genio nostro & gustu se acclinat, nomen assumens & figuram sphæricam monetæ, *Numisma triticeum.* Sic etiam, ait Origenes, manna in deserto erat ad gustum omnium, ut avidè id omnes apeterent. *Venit traditio talis ad nos de Christo, quòd unicuique apparebat secundùm quod fuerat dignus: secundùm quod de manna est scriptum, quoniam Deus filiis Israel panem misit de cælo omne delectamentum habentem, & ad omnem gustum convenientem.*

Orig tr. 35. in Matth.

Confirmationem audite. Ego (inquit Christus) vellem omnibus & singulis dare cælestem gloriam, sed paucos video sollicitos ad acquirendum. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quivis recusat. Quid facto opus, ad excitandum hominem, ut appetat, & avidè quærat gloriam meam, nec oblatam contemnat? Exhibebo sub specie denarii, & inducam, ut monetam esse credat. Ideo Patersamilias otiosos illos in vineam mittit, addictâ laboris impensi mercede. *Conventione factâ de denario diurno, misit illos in vineam suam.* Per denarium hic Origenes, D. Remigius & alii intelligunt æternam beatitudinem. *Denarii nomine beatitudinem significari dicunt,* ait Paulus de Palatio, quam accepturi sunt illi, qui fideliter in servitio divino labores impenderint. Sed quare non de beatitudine dicit quod Theologi ex Boëtio, *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Vidit Deus hominem denariorum cupidum, voluisset eum & cælestis gloriæ esse, ideoque sub metaphora ostendit denarii, & allicit *denario diurno.*

Matt. 22.

Matt. 25.

D. Remig. P. de Pal. in Matt.

Cùm aliquando intendisset Salvator movere homines, & incitare ad cælum quærendum, his usus est verbis, *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Mirum sanè: Christus alias solitus divitias detestari, cum ait: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et hoc expressè commendavit Discipulis observandum in itinere: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Cajetanus ibi explicat: [In quo prohibet pretium pro viatico, sivè in auro, sivè in argento, sivè in ære.] Quare ergo nunc ad acquirendos thesauros animat? S. Petrus Chrysologus miratur. *Ecce docet avaritiam, qui cœperat suadere contemptum.* Ad thesauros excitat, non terrenos, qui *veterascunt, aut deficiunt;* sed cœlestes, qui *nunquam veterascunt aut deficiunt.* Proponitur igitur cœlestis beatitudo sub terreni thesauri ornatu, ut gustui nostro sit satisfactum; & ut nostrum expleat desiderium Redemptor, etiam inclinationibus se conformat. *Qui thesaurizantes temporaliter* (prosequitur Chrysologus) *arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sacculos sine fine perquiri. Christe! quò te pertrahit amor tuorum? Vt aurum lucrifacias, facis eum, quod desideret, non quod potest, audire. Sacculos imperas, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari;*

Luc. 12.

Matth. 5.

Matt. 10.

Cajet. ib.

Serm. 24.

S. Petr. Chrysol. ubi supr.

ri; ut avarus, dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.

Cant. 2. Sponsa cœlestis Deo nomen floris attribuit, & quidem ipse fatetur: *Ego flos campi.* Varii sunt flores, & coloribus diversi: alius enim est ruber, alius flavus, alter purpureus, & alius coloris mixti &c. Christus itaque flos est: sed quis illi nativus & proprius color? colorem habet non distinctum, sed qui pro diversis occurrentiis nunc ruber appareat, nunc albus, &c. illis qui charitate sunt purpurati, fit rosa purpurea; Virginibus lilium candidum, &c. cujusque proprietati & virtuti factus conformis & similis. Audite hic

Hugo de S. Charo. Hugonem. *Quòd autem generaliter florem se dicit, non determinando aliquem, inde est, quòd non unico modo floret in campo Ecclesiæ; sed, ut ita dicam, rubet in martyribus, candet in Virginibus, viret in Confessoribus, pallet in Pœnitentibus, rutilat in Prædicatoribus, in nos perpetim transferens, nostris coloratur affectibus.*

S. Cyrill. Hierosol. Cath. 10. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus observat varietatem nominum Dei in S. Ecclesia; ut quòd illi detur jam nomen ostii, modò vineæ, &c. ut patet ex multis S. Scripturæ locis, & appositè ad intentum nostrum discurrit, additque rationem. *Vnicuique varius fit Salvator ad utilitatem: qui enim indigent recreatione, & lætitiâ, illis fit vinea: qui opus habent, ut ingrediantur, his construitur ostium, summusque Sacerdos habentibus peccata, ut pro ipsis mactetur, ovis: & omnibus fit omnia ipse, idem naturâ permanens qui est.*

Etiam nos conformemus divino placito, & petenti, *Quid vis ut faciam tibi?* cum cœco illo Evangelico liberè respondeamus, *Domine ut videam.* Domine Deus, mentes nostras illumina, ut videamus & observemus modum, quo tibi placere, & perfectè obsequi possimus, ut tandem inveniamur digni cœlestis gloriæ æternæ lumine.

Amen.

Videri poterit ejusdem argumenti Discursus in Sylva loc com. Calamato Dom. 1. Advent.

***

FINIS.

INDEX

INDEX

Ad formandas Conciones pro toto Anno.

Dominica prima Adventûs pro Ecclesiis Germaniæ. Matth. 21.

Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim &c.

Mira hæc est illatio Christi, si dixeritis me opus habere illis jumentis, sine contradictione statim vobis illa dimittet. Sed quæso qualis consequentia? Nonne videmus Christum multa mandare, & præcipere, nec tamen audiri? an non Christus sæpè in pauperibus aliquibus indiget, quæ tamen ei non dantur? Nihilo seciùs argumentum Christi optimum est. Christus observabat præcepta Patris, hinc sciebat quòd Dominus ad quem spectabant jumenta, etiam sibi ob ea iturus erat, patre nimirum flectente eorum voluntates; sicut enim nos agimus cum Deo, sic ille ait cum nobis, Dominicâ Quinquagesimæ.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis JESVS.

Hic elucet mira obedientia, & prudentia horum discipulorum: non cunctantur, non tardant, non differunt executionem præcepti à Christo iis impositi; & ideò quia statim abierunt, nullus iis contradixit: timebant ne Dominus jumentorum voluntatem mutaret, & qui jam contentus erat, quod fortè postea reluctaretur. Ex quo discimus proposita bona statim esse adimplenda, nec occasiones bonas esse negligendas, cùm cœlestia videmus adesse auxilia, Festo Epiphaniæ.

Osanna filio David clamabant dicentes, &c.

Illi qui hodie tot faustis acclamationibus eum recipiunt, post paucos dies diris, blasphemiis, aliisque dicteriis eum petierunt; & clamabant non Osanna, sed crucifige, crucifige. Quàm citò hi populi sunt mutati? Sanè nil hoc miri, quia nihil est in hoc mundo ex omni parte beatum, nihil stabile, sed omnia vicissitudini sunt obnoxia. Dominicâ quintâ post Epiphaniam. De eadem materia vide Engelgrave in Dominica Palmarum & Joannem de la Hay Tomo primo in Genesin in Indice Concionum.

Paoletti Adventuale.

Feria Quarta Cinerum. Matth. 6.

Cùm jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

Esto sacri Doctores varias afferant causas, ob quas hodie Sancta Mater Ecclesia fidelium capita cinere aspergat; illa meo judicio etiam una videtur, ut dum hac Quadragesima plura opera pietatis exercere debemus, ut jejunare &c. quàm aliàs per annum, fugiamus vanam gloriam, nec ea coram hominibus jactemus, & ideò hodiernum Evangelium legit. Non sic multi, qui falsas virtutes ostentant, & vitia apertissima palliant Dom. infra Octavam Epiphaniæ. De hypocrisi vide etiam Galvo in hac die, & de la Hay in indice hujus diei.

Amen dico vobis receperunt mercedem suam.

Tanta est Dei bonitas, & clementia, ut etiam bonum quod est in operibus Hypocritæ velit remunerari, ac mercedem rependere; nec id miror, quia tanta est Dei in homines beneficentia, ut omnem stuporem superent, ita ut hoc vix fides credat, & humana fragilitas non solùm repleatur, sed onusta fatigetur. Dom. tertiâ post Epiphaniam.

Nolite thesaurizare vobis, &c.

Nam iis qui anguntur cupiditate divitias obtinendi miseri sunt, & plurima mala hujusce rei causâ patrant Dom. tertiâ Adventus. ubi ostenditur, quàm misera, & calamitosa sit hominis avari conditio, & quod effrenata cupiditas habendi & thesurizandi sit pestiferum malum & hominibus innatum.

Feria Quinta Cinerum. vide Dom. tertiâ post Epiphaniam ubi habes integram concionem.

Feria Sexta Cinerum. Matth. 17.

Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros &c. ut sitis &c.

Magnum revera est præmium quod Deus inimicos diligentibus pollicetur, cùm dicat illos futuros filios Patris cœlestis, & cùm sint filii, erunt etiam hæredes. Sed cur dilectione tantùm tam eximium præmium spondet? Ratio est, quia est actio difficillima, & valda ardua: Nam nil efficacius est ad aspera & dura superanda, quã recogitare præmium cœleste. In Festo S. Stepha.

Ego autem dico vobis, &c.

Magnum pondus habet in se hic terminus *Ego*, ac si diceret, hoc non dicunt vobis Prophetæ, Patriarchæ, vel alii vestri antecessores, sed ego, ac ideò debetis meum verbum audire, nam si illud audieritis, vobis conferet salutem, si illud non audieritis supplicium. Ut ergò salvemini, hoc est, ut sitis filii Patris vestri audite verbum meum. De verbi Dei efficacia vide Dom. Sexag.

Vt sitis filii patris vestri.

Filius participat indolem Patris, cùm ergò Deus maxime sollicitus sit pro peccatoribus, qui sunt ejus hostes, sic vult ut inimicos diligamus, quia in se omnia tentat ut peccatorem convertat. In festo D. Thomæ part. 2.

Dom. 1 Quadrag. Matth. 4.

Ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à Diabolo.

Mirum est, quod ex 30. annis, quibus vixit Christus, nil recenseant Evangelistæ, præter discessum ex Ægypto, & triduum, quo mansit in templo: an nil præterea egit? res non caret mysterio. Christus illo tempore quietam vitam egit, ne ergò absque laboribus putemus cælum obtineri, nil de hoc narrant Evangelistæ. Ideò ait Fevardentius in Ruth. c. 1. n. 5. jejunavit, esurivit, & sitivit, &c. antequam coronaretur gloria resurrectionis & honoris. Dom. Septuag.

Angelis enim suis Deus mandavit de te.

Hic manifestatur astutia singularis Diaboli, præcipitium suasit Christo, quod ex se erat peccatum, tentationis crimen afficit titulo virtutis & vendit tanquam virtutem. Multos habet hodie Diabolus in hoc asseclas, qui virtutes falsas ostentant, & vitia palliant etiam apertissima, Dom. infra octav. Epiph.

Hæc omnia tibi dabo &c.

Hanc tentationem velut ultimum arietem adhibet, quo Christum sperabat dejiciendum; dum enim illum putabat purum hominem, sciebat, quàm innata sit hominibus effrænata cupiditas acquirendi bona, &, quod propter eam enormia & gravia peccata committant. Fer. 2. Advent.

Fer 2. Dominicæ 1. Quadrag. Vide Dom. 1 Adventus ubi habes integram concionem de judicio.

Fer. 3. Dominicæ 1. Matth. 21.

Commota est universa civitas dicens, quis est hic?

Hoc Evangelium agit de ingressu victorioso, quo Christus Dom. Palmarum ingressus est Hierosolymam. Gebernatores ergò & Principes, & Scribæ, dum audirent jubilos, & acroamata quibus à plebe, & populo celebrabatur, dum eum viderent pauperem, & filium fabri, ideò credebant eum non posse fulgere tot excellentiis, & audientes pueros clamantes O sanna, indignati sunt dicentes. *Quis est hic*, ac si dicerent, hic nimis vilis est & miser, ut sit Messias, sed errabant, quia Dei proprium est eligere infirma mundi, ut confundat fortia, Fest. D. Andreæ.

Populus autem dicebat hic est IESVS.

Hoc solo nomine populus convicit Pharisæos, & prostravit. Nam hoc nomen Jesus idem est quod Salvator, venit enim nos omnes salvos facere. De hujus nominis efficacia, ac virtutibus vide festi Circumcisionis partem 2. Et Calvo Assumpto primo hac die.

Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanavit eos.

Prudenter fecerunt illi infirmi, quod templo se ingessierint nec extra expectarint. Nam necessaria, & grata est Deo sollicitudo, qua bona proposita exequimur, & si expectassent poterat esse periculum, ne Christus ad alios diverteret, uti & factum est; nam iis relictis abiit extra civitatem. Hinc disce occasiones non negligere, & dum adest subsidium cæleste, ad illud est recurrendum. Fest. Epiph. Vide & Fidelem consideratione tertiâ hac die.

Fer 4. Dominicæ quartæ. Matth. 12.

Magister volumus, &c.

Magna fuit stultitia Pharisæorum, quòd velint, ut Deus se accommodet eorum voluntati, quin imò potiùs se debeant ejus voluntati adaptare, quia talis est conditio Dei, ut ipse eo modo agat nobiscum, quo nos cum eo agimus. Hinc si velimus ut ipse faciat omnia ad nutum nostrum, nos ejus debemus accommodari nutui. Dom. Quinquag. Vide & Fidelem Fer. 2. Paschæ & Lanuza hom. 25.

Volumus videre.

Rectè ostendunt se cæcos, & fatuos, & stultè in omnibus procedere; cùm enim Christus esset Deus, volebant illi imperare, & imperiosè ab eo extorquere miraculum; nil hoc miri, erant enim peccatores; Peccator autem ità est cæcus,

eus, & demens ut non nisi stulta loquatur. Festo Divi Thomæ.

Viri Ninivitæ.

Esto etiam essent mulieres quæ egerunt pœnitentiam, tamen eos omnes vocat vitos ut ostenderet, quàm efficax sit virtus pœnitentiæ, ita ut non solùm restituat amissam per peccatum gratiam, sed & plura conferat: Dominicâ quartâ Adventus,

Feriâ quintâ Dominicæ primæ. Matth. 15.

Filia mea malè à Dæmonio vexatur.

Si filia ejus vexabatur, cur petit ut misereatur sui & non filiæ; Sciebat afflictiones sæpè proli-bus evenire ob peccata parentum, quod verum est; nam sæpè proles ob peccata parentum puniuntur. Dominicâ quartâ post Epiphaniam folio 192. Vide & Lanuzam 23. Ideò curent parentes ut proles bene educentur. Dominicâ infra Octavam Nativitatis Domini.

Egressus IESVS secessit in partes Tyri, &c.

Paucis non potest Deus benefacere, sed omnium necessitatibus succurrere vult, est enim ipsi valde odiosa partialitas, nam & ideò Jesus vocari voluit, id est omnium Salvator. Vide partem secundam Festi circumcisionis.

Ecce mulier Chananæa egressa, &c.

Non sine mysterio Sacer Evangelista videtur addere illam particulam *ergo*, ut denotaret diligentiam, & sollicitudinem hujus mulieris in quærendo remedio, quia, dum aderat cœleste auxilium, illud non neglexit, nam potuisset fieri, ut occasio negligeretur. Vide Festum Epiphaniæ.

Feria Sexta post Dominicam primam.

Joan. 5.

Iacebat multitudo magna languentium.

Nil miri illum morbum contraxisse, qui inter languidos & infirmos vixerat; Nam & ipsi Apostoli, dum essent in societate Judæ, periclitati sunt in mari, & timebant naufragium, quia ut à vito probo oritur tranquillitas, sic à malo exoritur sæva tempestas; & uno peccante puniuntur multi.

Dominicâ Quartâ post Epiphaniam,

Erat autem homo ibi. &c.

Cùm nec Deus nec Angeli possint infirmari, cur dicitur ibi *homo*? Non sine mysterio dicitur, imò & necesse fuit dicere, ut significaretur, quòd exuerit hominem, & induerit naturam bestiæ; peccatum enim hominem in bestiam transformat. In Festo D. Thomæ.

Vis sanus fieri?

Si Medicus ab infirmo peteret, quid vellet, an non hoc esset superfluum, cùm certum sit quòd petat sanitatem? Cur ergò filius Dei petit ab hoc infirmo, quid velit, cùm absque dubio petat sanitatem? Voluit se conformare voluntati infirmi, ut ostendat quàm se accommodet ad nostrum nutum, ideo enim vocatur moneta. Dominicâ Quinquagesimâ parte secundâ.

Dominica Secunda Quadragesimæ.

Matth. 17.

Assumpsit IESVS Petrum, &c.

Sed cur istis tribus tantùm hic favor conceditur? qui ad ulteriora se accingebant, quàm obligabantur. Vide Festum purificationis fol. 133. ubi ostenditur, quòd opera supererogatoria debemus facere.

Transfiguratus est ante eos.

Nempè ut spe gloriæ eos alliceret ad labores tolerandos; Nil enim ad hoc efficacius est, quàm consideratio gloriæ & beatitudinis, ut patet in D. Stephano, & Apostolis. Vide partem primam Fest. D. Stephani.

Nesciebat quid diceret.

Meritò dicitur Petrus nescire quid dicat; volebat enim percipere gaudia cœlestia ante laborum pugnam, Deus autem non solet conferre gloriam nisi postquam portavimus pondus diei & laboris. Dom. Septuagesimæ parte primâ.

Feria Secunda post Dominicam Secundam.

Joan. 8.

Ego vado.

Dolorem suum hìc exprimit, quo afficiebatur, dum ire debebat ad mortem; tanto enim desiderio flagrat conversandi nobiscum, ut summè doleat, dum debet à nobis discedere; ut patet in horto Olivarum, ubi per vim à Discipulis avelli debuit. In Festo Nativitatis parte primâ fol. 80.

Ego vado, & quæretis me.

Dicere voluit Christus, quia cùm me non quæsieritis, dum vobis adessem, postea me non invenietis, occasionem neglexistis me inveniendi, & remedium obtinendi. Ne ergò & nobis hoc contingat bona proposita non differamus, sed statim exequamur, & occasiones benefaciendi non omittamus. Festo Epiphaniæ parte primâ.

Quæretis me & non invenietis.

Si dicas, quod omnis, qui quærit, invenit, quomodò hi te non invenient, dum te quærent? Credo ego quod publicè, & ubique clamando quæsierit, ubi esset Christus, ut sic venarentur auram populatem. Ut ergo Christus ostendat quantum sibi displiceat vana gloria, ait, quod eum sint quæsituri, nec tamen inventuri, vide Dominica infra Octavam Epiphaniæ, ubi ostenditur, quàm nociva sit vana gloria.

Feria tertia post Dom. secundam. Matth. 23.

Super cathedram Moysis sederunt Scribæ &c.

Cùm loquatur de hominibus actu in dignitate constitutis, cur non dicit, *sedent* in præsenti? Ostendere voluit, quàm brevia & transitoria sint hujus sæculi bona, quæ sanè momentanea sunt, & instar fluminis transeunt. Dominica quinta post Epiphaniam.

Omnia quæcunque dixerit vobis, facite.

Non debemus ea discutere, quæ nobis præcipiuntur, sed in omnibus obedire, etiam in supererogatoriis. Vide festum purificationis parte primâ, ubi ostenditur quòd obedientia debeat esse spontanea, & alacris, nea noc debere esse curiosos in obediendo, & quòd inobedientiam Diabolus mutet.

Amant primos recubitus.

Parum sciunt de genio, & consuetudine Dei; Deus enim non solet aliquem exaltare, nisi se prius humiliet. fol 208.

Feria quarta post Dominicam secundam vide Dominicam Quinquagesimæ, & Festum Divi Jacobi, & in indice verbo Tribulatio.

Feria quinta post Dominicam secundam. Lucæ 16.

Erat Dives &c.

Sufficit absolutè, quòd Deus illi tribuat hoc nomen *Dives*, & dicat illum esse Divitem; ex hoc enim sufficienter colligimus, illum pluribus vitiis fuisse irretitum; cupiditas enim habendi est pestiferum malum, quod innumera post se vitia trahit, Dominicâ secundâ Adventus parte primâ.

Crucior in hac flamma.

Hoc est supplicium omnium gravissimum, quod aliquis à Christo ad æternas flammas damnetur. Dominicâ primâ Adventus parte secundâ.

Mitte Lazarum &c.

Cur non petit haustum vini, vel aliquam aliam refocillationem? cur petit tantum sciphum aquæ? sicut ipse avarus fuerat, & parcus, sic credebat, quòd Deus erga se futurus esset. Dominicâ quinquagesima.

Feria sexta post Dominicam secundam.

Homo quidam erat paterfamilias. Matth. 21.

Cùm de vineâ plantandâ & ornandâ agitur, hoc est de homine, Deus inducitur tanquam paterfamilias, qui bonus solet esse. Et sanè Deus ad benefaciendum promptissimus est, & adeò promptus, ut divinæ largitatis dona miranda sint, & ita miranda, ut fermè incredibilia sint. Dominicâ tertiâ post Epiphaniam.

Et fodit in ea torcular.

Hieronymus interpretatur altare, vult enim Deus sibi sacrificium offerri, nec debemus ei deteriora, sed meliora offerre, cujus tamen contrarium fit, quia mundo meliora, & Deo pejora offerimus. Festo purificationis parte secundâ.

Locavit eam Agricolis

Ut enim ad æternam quietem perveniamus, vult ut laboremus in hac vitâ; nam gloria sine magnis laboribus non poterit obtineri. Vult etiam ut otium fugiamus, nam est omnium errorum parens, & otiosos non donat cælo. Dominicâ Septuagesimæ.

Dominicâ tertiâ Quadragesimæ. Lucæ 11.

Erat Iesus ejiciens Dæmonium.

Per dæmonium rectè peccator intelligitur; sicut ergo, dum dæmonium ejecit, illud nil replicare potuit, sic dum Deus peccatores in suptemo judicii die redarguet de peccatis commissis, ac bonis operibus neglectis, nil replicare poterit, sed omninò obmutescet. Dominicâ primâ Adventus parte prima.

Et illud erat mutum.

Secundùm plures fuit etiam cæcum. Videm miseriam & calamitates in quas Dæmon peccatorem dejicit, ut sanè sanguineis lachrymis deploranda sit; nam peccator non solum est cæcus, sed & bestia. Festo Divi Thomæ parte primâ.

Factum est autem &c.

Cùm nullus est, qui Christi partes tueretur, Deus mulierem suscitat, quæ in ejus laudes prorumpat. Sed cur non elegit aliquem virum, qui hoc meliùs facere posset? Deus ad facta illustria, & gloriosa uti solet mediis abjectis, & infirma mundi elegit, ut fortia confundat. Festo Divi Andreæ parte secundâ.

Feriâ 2. post Dominicam tertiam.

Fac & hic in patria tua Matth. 4.

Isti prætendebant, ut Christus faceret miracula, ut tunc lucrum acquirerent, in quo graviter deliquerunt. Hæc est cupidorum sors, ut pessimi sint. Dom. 3. Advent.

Quando clausum est cælum.

Verisimile est plures justos & sanctos illo tempore cum aliis nocentibus fuisse passos, ob quorum peccata cælum clausum fuit; nam quod mali perpetrant, boni luunt, & ob unius peccatum integræ provinciæ puniuntur. Dom. 4. post Epiph.

Duxerunt eum usque, &c.

Si erant ejus concives, quomodò contra eum ita commoventur, ut illum velint præcipitare? nil miri: dicebat veritatem, illa autem ingratissima est, & ubique odiosa. Dom. 2. Advent.

Fer. 3. post Dominicam tertiam Matth. 18.

Si peccaverit in te frater tuus.

Hoc est unum ex difficillimis præceptis totius Evangelii, quia nil est quod exponat homines periculo, quam si dicatur veritas; illa enim opprimitur & morte sæpè luitur: Dom. 2. Advent.

Vade corripe, &c.

Hoc est statim, nec differt correptionem, quia si jam paratus sit, postea forsan non erit; nam moras nectere est periculosum. Fest. Epiph. part. 1.

Non dico tibi septies, &c.

S. Petrus videbatur multum facere, quod extenderet remissionem peccatorum usque ad septem vices, sed Deus usque ad terminum vitæ eam extendit, est enim efficax; vide Dominicam 4. Adventus, & Dæmon salvaretur, si pœniteret. Fol. 68.

Fer. 4. Dominicæ tertiæ. Matth. 15.

Qui maledixerit patri, & matri, morte moriatur.

Filius parentes debet honorare, revereri, & iis obedire. Hoc fecit Samson & alii, sed si filii parentibus non obediant, sed irreverentiâ afficiant, graviter à Deo punientur, ut patet in Cham, & Chananæa. Dom. infra octavam Nativitatis.

Populus hic labiis me honorat.

Et ideò eorum sacrificium est Deo ingratum, quia deteriora, scilicet exteriora Deo tantùm offerebant, meliora verò scilicet interiora servabant, sic & multi hodie faciunt. Fest. Purific. part. 2.

Sine causa colunt me.

Corde corrupto nil sunt faciendi exteriores corporis motus & oris ostentationes, nam Deus non curat, quòd virtutes fucatas ebuccines, sed quòd illas præstes; sunt autem multi, qui de virtutibus falsis se jactant, & volunt videri quod non sunt. Dom. infra octavam Epiph.

Fer. 5. Dominicæ tertiæ. Luc. 4.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Esto Petrus esset Dei amicus, & ejus socrus mulier sancta, tamen visitata fuit infirmitate gravi; Deus enim non vult electis suis dare gloriam, nisi priùs illam per labores & dolores promereantur. Dom. Septuag.

Continuo surgens ministrabat ei.

Viden quàm sit efficax unum verbum Dei. Mox ut per verbum imperat febri, infirma surgit, & Christo ministrat, de efficacia verbi divini, vide Dom. Sexag. Si ergo verbum Dei sit tam potens, quomodò non terrebuntur ad vocem Christi peccatores in judicio, ut patet in discipulis, & Judæis; Dom. 1. Advent. part. 1.

Cum autem Sol occidisset, omnes.

Ut Christus humanas laudes fugeret, & popularem auram declinaret, post solis occasum beneficia, & sanitatem conferebat, ut doceret nos debere humilitatis involucris virtutes nostras tegere, & opera bona velare. Dom. infra octav. Epiph.

Fer. 6. Dominicæ tertiæ. Joan. 4.

Jesus fatigatus ex itinere.

Notanter hic exprimitur nomen Jesus, ut sciremus causam, cur eum oportuerit transire per Samariam; cum enim hoc nomen sit idem ac Salvator, significatur, quod per omnium salutem venit, & ideò omnes regiones peragrare debuit.

Festo Circumcisionis part. 2.

Da mihi bibere.

Dum Christus ab illa haustum aquæ petit, rotundè illum negat, sed dum Christus ipsi aquam promittit, statim clamat: *Domine, da mihi hanc aquam.* Mulieribus enim est innata cupiditas habendi. Dom. 3. Adv.

Quinque viros habuisti, &c.

Audite quid ad hæc verba dicat: *Patres nostri in hoc monte adoraverunt.* A bove transilit ad asinum,

num, Christus loquitur de quinque viris, & de eo, quem modò habet, & illa discursum divertit ad adorationem, ad Prophetas. Scitis cui? Christus dicebat veritatem, mulieres autem eam valdè oderunt. Domin. 2. Advent. part 1.

Dominica 4. Quadrag. Joan. 6.

Vt manducent hi.

Congruè loquitur Christus, curam illi habent de me, & suum in sequendo erga me testantur affectum, & bonam voluntatem, ergò ego etiam debeo eorum curam suscipere, & illis respondere, nam hic est genius Dei, ut, quales nos sumus erga ipsum, talis & ipse sit erga nos. Dom. Quinquag. part. 1.

Colligite quæ superfuerunt fragmenta.

Non miror, quòd ex duobus piscibus & quinque panibus satiaret homines, omnes enim creaturæ ejus subjiciuntur imperio, sed quod tot fragmenta supersuerint, obstupesco; Cur ille excessus? nonne Deus abundantiam execratur? Hebræi veritati miraculi patrati nolebant credere, ideò miraculum patrare debuit, homines enim valde amantes sunt mendacii. Dom. 3. Advent. part. 2.

Implevertunt duodecim cophinos fragmentorum.

Nihil Deus vult vilipendi, sed etiam res minimas curari, ut te doceat minima & levia vitare; nam illa augentur, ac ad majora disponunt, & quæ seorsum sunt parvi momenti, conjunctim sunt magni ponderis, sollicitè ergò cavenda sunt venialia. Dom 6. post Epiph.

Fer. 2. Dominicæ quartæ. Joan. 8.

Ascendit Iesus, &c.

Hæc ascensio contigit circa festum Paschatis, Judæi enim ter in anno debebant Hierosolymam ad templum ascendere, & quamvis ipse illâ lege non obligaretur, tamen ascendere voluit, ut suo exemplo nos doceret promptè obedire, & opera supererogatoria facere. Festo Purif. part. 1.

Vendentes boves & oves.

Pessima hæc fuit illorum iniquitas; nam sub prætextu cultûs divini, ac quòd gratiam præstarent sacrificare volentibus, venditabant illas actiones licitas; sic multi sunt, qui jactant virtutes fucatas. Dom. infr. octav. Epiph.

Zelus domûs tuæ comedit me.

Deus tantò zelo flagrat erga nos, qui sumus ejus templum juxta illud Apostoli: *Templum Dei estis vos*, ut continuò velit esse nobiscum, & maximo flagret desiderio nostrâ societate fruendi, ita ut grave sit tormentum illum à nobis avelli. Fest Nativ.

Fer. 3. Dominicæ quartæ. Joan. 7.

Quomodò hic litteras scit cùm non didicerit?

Videntes illum exponere altissima S. Scripturæ mysteria mirabantur, sed præ malitia excæcabantur, nec convertabantur, in quo ipsi magis admirandi sunt, cum verbum Dei tam efficax sit, unde de iis dici potest, quòd sint deleti de libro vitæ. Dom. Sexag. fol. 143.

Mea doctrina non est mea, &c.

Deo adscribendum est, quidquid boni facimus; nam omnia opera bona procedunt ab ejus gratia, & auxilio: nec sine gratia divina aliquid boni fieri potest. Fest. Epiph. part. 2.

Sed ejus, qui misit me patris.

Ex eò quod sermo prædicationis sit verbum Dei, meritò excitari deberemus, ut illud summâ cum attentione, & reverentiâ audiremus, nam si Deus è cælo ad te Epistolam mitteret, nonnè maxima cum reverentia acceptares illam. Domin. Sexag part. 2.

Fer. 4. Dominicæ quartæ.

Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

Nullum est dubium ob parentum peccata sæpè proles puniri, ideò etiam parentes sollicitè cavere debent ut filios benè educent, ut & ipsi in prolibus puniantur. Dom. 4. part. 1 post Epiph. Nam si ob aliena peccata quis puniatur, maximè punietur ob propria, hinc ridendi sunt, qui ad constellationes recurrunt, cum quodlibet peccatum habeat suam pœnam. Ibid. part. 1.

Venit nox, quando nemo poterit operari.

Si in una nocte quis operari possit, cur non possit in alia? Per noctem intelligitur hora mortis, & senectus, quando illa venit, sæpè pœnitentia infructuosa est, hinc non est differenda. Dom. 4. Adv. part. 2. nam moras trahere sæpè periculosum est. Fest. Epiph. part. 1.

Abiit ergo, & lavit.

Annon poterat replicare, cur me mittit ad natatoria Siloen? an non est omnipotens? Cur ergo me non statim sanat? Docuit nos qualis debeat esse

esse obedientia, nempè hilaris, prompta, & cæca. Fest. Purif. part. 1.

Fer. 5. Dominicæ quartæ. Luc. 7.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus.

Cur ô Deus affligis hanc viduam in viduitate? annon sufficiens sit ei crux, quod sit orbata marito suo? Cur ergo afflictæ addis afflictionem? In bonum ejus hoc Deus fecit, nam non dat gloriam nisi post labores, & afflictiones. Dom. Septuag. part. 1.

Ibat Iesus in civitatem, quæ vocabatur Nain.

Ut advertit Joannes de la Hay non dicit S. Evangelista *ivit* in perfecto, sed *ibat* in imperfecto, ut Christum doceret semper operatum esse, & nunquam otio indulsisse; nam otiosis gloria cœlestis non datur, sed à cælo excluduntur, ut patet in Lucifero qui ideo è cælo deturbatus est. Dom. Septuag part 2.

Adolescens tibi dico surge.

Cum hodie Evangelista sub oculis nobis ponat adolescentem in optimo ætatis flore mortuum, debemus cogitare quàm caduca, & fragilia sunt bona hujus vitæ, quæ brevissimo tempore putrescunt & marcescunt, & ideò comparantur flori. Dom. 5. post Epiph. per totum.

Fer. 6. Dominicæ 4. Joan. 11.

Ecce quem amas infirmatur.

Mirum est quod sorores Lazari eum non dicant esse mortuum, sic enim facilius movissent Christum ad hoc, ut veniret, & sanitati eum restitueret; sed sorores hoc esse superfluum censebant; noverant enim beneficentiam, & prodigalitatem Christi, qui, ut audit nos aliquid petere, non solùm statim petita concedit, sed & pluta addit Dom. 3 post Epiph.

Lazarus amicus noster dormit.

Si erat verè mortuus, quomodo dicit dormit? an Christus nescit quantum differat mors, & somnus? Christus voluit hoc dicto docere homines, ut vanam gloriam evitent, & ideò illud factum deprimit, ac si Lazarum tantum à somno excitaret. Dom. infr. octav. Epiph.

Et statim prodiit ligatis manibus.

Si pedibus & manibus erat ligatus, & facies sudario involuta, quomodo poterat ire, & videre? Hinc patet magna efficacia verbi divini: de quo vide Dom. Sexag. part. . & ideò etiam ad verbum Christi in judicio peccatores consternabuntur. Dom. 1. Adv. part. 1.

Dominicâ passionis Joan. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

O Domine cum scias, quòd toties vitæ tuæ insidiati fuerint, eccur tam liberè hodie illos aggrederis, & petis ab iiis, *quis ex vobis arguet me de peccato?* Christus erat sanctus & innocens, bonæque conscientiæ, & ideò illos non timebat; nam sicut bona conscientia est juge convivium, sic prava est grande tormentum. Dom. 1. Adv. part. 1.

Si veritatem dico vobis &c.

Nil miri, quòd abhorreant veritatem; nam esto, ex natura nostræ conditionis veritatem semper pronuntiare deberemus, tamen communiter homines, & maximè mulieres amant mendacium, ut per fas & nefas illud sustineant. Dom. 2. Adv. part. 2.

Tulerunt ergo lapides, &c.

Si beneficia innumera iis contulit, cur nunc lapidibus volunt eum opprimere? Ratio in promptu est. Dixit iis veritatem; veritas autem odium parit, & ubique ingrata est. Dom. 2. Adv. part. 1.

Fer. 1. Dom Passionis. Joan. 7.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros.

Videntes Christi miracula, & quòd propterea totus mundus in illum crediturus esset, & ipsi forsan regno exuendi, cogitârunt eum occidere, & ideò mittunt ad eum ministros, ex hoc videmus, quam grave malum sit avaritia, & cupiditas habendi, & quanta vitia secum trahat. Dom. 3. Advent.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum.

Cur Christe te non armas legionibus Angelorum, vel satellitum contra hos ministros? cur non adhibes dracones, sicut contra Chananæos, vel leones sicut contra Samaritanos? Solum simplex verbum adhibuit; nam illud potentissimum est, & illos solo prosternere potest. Vide Dom. 1. Advent. part. 1 & Dom. Sexag.

Si quis sitit veniat ad me.

Propinat tibi aquas mundus bibendas, sed non sunt limpidæ, sed turbidæ; bona enim mundi quæ per aquas denotantur, sunt instabilia, nec diu durant, & in eorum abundantia est miseria. Dom. 4. post Epiph. per totum.

Fer. 3. Dominicæ Passionis. Joan. 7.

Non enim volebat in Iudæam ambulare.

Videm maximum amorem quo flagrat Christus cum hominibus conversandi; esto enim non posset cum Judæis agere, qui volebant eum occidere, attamen modò pergit in Galilæam, ut saltem cum iis possit agere, maximè enim anxiatur, ut cum hominibus agat. Fest. Nativit. part. 1.

Vade in Iudæam, ut & discipuli videant.

Patet hos esse pravos, & cæcos consiliarios, dum suadent, ut Christus opera sua bona in conspectu discipulorum faciat, cum tamen potiùs deberent consulere, ut illa occultaret: sic enim practicavit Christus: Dom. infra octav. Epiph. sed nil miri, erant enim peccatores; peccator autem fere semper stultè loquitur fest. D. Thomæ part. 1.

Me odit, quia testimonium perhibeo de illo, &c.

Habes causam, cur me mundus odio habeat, quia planam, & expertam iis dico veritatem, eorumque vitia reprehendo; nihil enim magis oderunt homines, quàm veritatem. Dom. 2. Advent. part. 2.

Fer. 4. Passionis. Joan. 10.

Facta sunt encænia in Hierosolymis, & hiems erat.

Encænia interpretatur renovatio, sicut ergò encænia quotannis celebrabantur, hoc est, Festum in memoriam expurgationis templi profanatum per Antiochum, sic quilibet Christianus per pœnitentiam animam maculatam per peccatum mortale expurgare debet, ad quod illa valde conducit. Dom. 4. Advent.

Ambulabat in Porticu.

Christus in perpetuo motu fuit, & hinc inde semper discurrebat, nec unquàm otio indulgebat; nam cælum per labores debet obtineri, & otiosi à cælo excluduntur. Dom. Septuag. per totum.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei.

Non dicit in nomine meo, sed in nomine Patris mei, ut doceret omnia opera nostra bona Deo esse attribuenda; sine ejus enim gratia nullum fieri potest. Fest. Epiph. part. 2.

Fer. 5. Passionis. Luc. 7.

Ut cognovit, quòd Iesus in domo Pharisæi accubuit.

Cur convivium misces lachrymis? cur non expectas alium commodiorem locum Christum adeundi? Sciebat bona desideria non esse differenda, sed statim executioni mandanda: nam ubi adest divinum auxilium, moras nectere periculosum est Fest. Epiph.

Vides hanc mulierem?

Simon judicas quidem hanc mulierem esse peccatricem, & valde malam, sed id tibi concedo, si loquaris de præterito, sed si de præsenti, erras, nam dum pœnitentiam elicuit, statui innocentiæ est restituta, & justis præferenda, hi enim sunt effectus pœnitentiæ, ut docet Concio Dominicæ 4. Advent. part. 1.

Et stans retrò pedes.

Cur manes à tergo? cur te ponis retro? cur non prodis in conspectum Salvatoris? an forte te pudet quod Deum offenderis? Principalem causam judico fuisse, ne videretur, & laudaretur; optimum enim consilium est bona opera celare. Dom. infra octav. Epiph.

Fer. 6. Passionis Joan. 11.

Vos nescitis quidquam.

Magnâ cæcitate Christi causam judicant, imò præcipitant, nulla mora, nullo juris ordine, nullo tempore concesso judicibus ad deliberandum; in hoc videre est eorum perversitatem, & cæcitatem, sed id non est mirum, quia erant peccatores; Peccator autem cæcus est, & stulta loquitur. Fest. D. Thomæ.

Venient Romani, & tollent gentem nostram.

Qualis est hæc connexio, quòd regno sitis exuendi ob miracula Christi? Cupidi & avari erant, & ideò talem prætextum adhibebant, ut possent occidere Christum. Hic est genius cupidorum, ut pessima quæque attentare audeant. Dominicâ tertiâ Adventûs, parte primâ.

Pro Dominica Palmarum vide Dominicam primam Adventûs, quia juxta Ecclesias Germaniæ est idem Evangelium, similiter pro die Veneris sancto. Vide festum Circumcisionis, ubi agitur de desiderio patiendi, quo Christus flagravit.

Dominicâ Resurrectionis. Marci 16.

Et valde mane unâ Sabbathorum.

O Dominæ cur tam mane exitis? an non exponitis pudicitiam vestram confusioni? an non mulieres decet solitudo? summo manè exierunt, ut docerent bona desideria non esse differenda. Festo Epiphaniæ.

Surrexit non est hic.

Non miror quod priùs apparuerit Magdalenæ, & mulieribus, quàm Apostolis; cum enim illæ ferventiores fuerint in inquirendo Christum, Christus etiam erga eas se clementiorem exhibuit; nam hic est genius Dei, ut quales nos erga eum sumus, talis sit ipse erga nos. Dominicâ Quinquagesimæ.

Et Petro.

O Deus cur præ aliis Apostolis nominas Petrum? an non das ansam, ut forsitan murmurent, dum vident Petrum qui te negavit aliis præferri? Petrus pœnitentiam egit, & ideò aliis præferri meruit. Hæc est vis pœnitentiæ, ut peccatores justis suo modo præferri faciat. Dominicâ quartâ Adventûs, Vide & Calvo concin. 37. Assumpto tertio.

Feriâ secundâ Paschæ. Luc. 24.

Cognoverunt eum in fractione panis.

Quomodò hic panis eos illustrare potuit? an fuit potentior facie Christi, quàm sæpè viderant. Panis est symbolum verbi Dei, per verbum ergo Dei illuminati sunt, de ejus efficacia. Vide Dominicam Sexagesimæ, & Calvo concione sextâ, assumpto tertio, numero tertio.

Potens in opere & sermone.

Si Christus fuit potens in opere, & sermone, quomodò ergo discipulos non convertit ab infidelitate eorum? veritatem iis dixit, *O stulti corde &c.* & quia veritas valdè odiosa est, ideò ad illa verba non attenderunt. Dominicâ secundâ Adventûs, parte primâ.

O stulti corde, nonne oportuit Christum pati?

Multò magis exprobrabitur tibi, quòd stultus sis, si tibi persuasum habeas, quòd sine tribulationibus, & laboribus gloriam obtinere possis, nam Deus illam sine laboribus non dat. Dominicâ Septuagesimæ parte primâ.

Feriâ tertiâ Paschæ. Lucæ 24.

Venit Jesus & stetit in medio.

Cur se non posuit in capite, vel alio honorificentiori loco? Docere voluit, quàm sit sibi odiosa partialitas, & ad hoc ostendendum in medio terræ mori voluit, & vocari Jesus, hoc est Salvator omnium. Festo circumcisionis parte secundâ.

Obtulerunt ei partem piscis, & favum mellis.

Optime teste Tertulliano post fel producitur mel, ut credas, te non posse gustare mel beatitudinis, nisi priùs gustaveris fel laborum. Dominicâ Septuagesimæ parte primâ. Vide & Lanuzam homiliâ 36. Num. 37. & hom. 15 Nu. 14. Calvo concione 16. Assumpto primo, Momigno Dominicâ secundâ Quadragesimæ.

Et prædicare in nomine ejus pœnitentiam?

Hoc est intentum Christi, ut per pœnitentiam obtineamus remissionem peccatorum; nam illa efficacissima est ad illa remittenda, & nullum est, quod per illam deleri non possit. Dominicâ quartâ Adventûs per totum.

Dominicâ in albis. Joan. 20.

Cum serò esset &c.

Si valde manè apparuit mulieribus, cur differt apparere discipulis, usque ad vesperum? an potiùs hoc mysterium concernit mulieres quàm viros? Ostendere voluit ad præclara opera se mediis sæpè uti abjectis, & diligere infirma, ut confundat fortia. Festo S. Andreæ parte primâ.

Accipite Spiritum sanctum, &c.

Si promiserat, quod daturus iis esset Spiritum sanctum sacro die Pentecostes, cur eum dat illis hodie? Cum iis non conversabatur continuo, sicut faciebat ante resurrectionem; ut ergo semper cum iis posset esse, dedit iis Spiritum sanctum, cum quo est ejusdem essentiæ; siquidem valde delectatur nostrâ conversatione. Festo Nativitatis.

Sicut misit me pater, & ego mitto vos.

Christus est missus ad crucem, mortem, labores, antequam gloriam obtineret, cum ergo ipse nobis disposuerit regnum sicut ei datum est à Patre, priùs pati, & laborare debemus. Dominicâ Septuagesimæ.

Dominicâ secundâ post Paschæ. Joan. 10.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

Si nil charius sit quàm vita, quomodo quis possit illam fundere pro alio? Fateor id esse durum, sed redderetur facilè, si in martyrio gloriam quandam & beatitudinem consideremus. Vide Festum sanctorum Innocentium parte primâ.

Mercenarius fugit.

Nil hoc miri; cum enim proprium tantum quærat commodum, obligationem suam negligit & in necem subditorum consentit, avaritia enim pestiferum est malum, & pluta post se vitia trahit. Dominicâ tertiâ Adventus.

Lupus rapit, & dispergit oves.

Per Lupum intelligitur Diabolus, hic ut caulam animæ intravit, omnibus bonis eam spoliat, ita ut misera sit conditio animæ peccatricis, & sanguineis lachrimis deplorari debeat. Festo D. Thomæ.

Dominicâ tertiâ post Pascha. Joan. 16.

Modicum & non jam videbitis me.

Cum statim erat moriturus dicit, modicum erit, & me non videbitis, & quia erat resurrecturus; paulo post dicit, modicum erit, & me videbitis; sic quia bona hujus mundi sunt instabilia & transitoria, possunt dici modicum. Dominicâ quintâ post Epiphaniam.

Modicum, &c.

Præmonet & hortatur Apostolos, ne modicum, id est, minima spernant & negligant, & ideo illud modicum ita iis inculcat, ut discamus peccata levia vitare; esto enim videantur levia, tamen, dum crescunt, ad majora disponunt. Dominicâ sextâ post Epiphaniam.

Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Si gaudia, & præmia consideres, quæ promereris per labores, & tribulationes, hilari animo omnia perferes, consideratio gloriæ ad hoc est valde efficax, ut patet in sanctis. Festo Divi Stephani.

Dominicâ quartâ post Pascha. Joan. 16.

Vado ad eum qui misit me.

Non ait vadam, sed vado, ita & tu dicere debes; non agam crastinâ die pœnitentiam, sed hodie; nescis enim, an crastinâ die sis victurus, nec credo, quòd Deus illud tibi revelaverit. Dom. quartâ parte secundâ.

Nemo ex vobis interrogat me, &c.

Non est necesse ait Dominus, ut aliquis me interroget quo vadis, hoc enim ego scio, an ergo aliquis sit qui nesciat? quinimo peccator, ejus enim sors est adeò misera, ut cæcus, & ignorans sit. Festo D. Thomæ.

Nemo ex vobis interrogat me &c.

Domine, supposito nos scire quo vadas, quid adhuc restat interrogandum? multum quidem, nempe quid sub morte, & passione lateat, cui interrogationi ipse respondebit, quòd immortalis beatitudo; nam sub amato martyrii cortice invenitur cælestis gloria. Festo sanctorum Innocentium.

Dominicâ quintâ post Pascha. Joan. 16.

Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo.

Deus nil honorificentius æstimat, quàm ut eum rogemus, & aliquid ab eo petamus, cum enim sit liberalissimus, & maximè prodigus in concedendis donis, maximam sibi ducit gloriam, si aliquid petas. Dominica tertia post Epiphaniam.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo &c.

Sed dicis, jam sunt plures anni, quibus petii ab hoc vel illo malo liberari, nec tamen exauditus sum, imò majora mala me invadunt. Verum tibi dico; considera an voluntatem Dei facias, talis enim erit erga te, qualis tu es erga ipsum. Dominicâ Quinquagesimæ.

Ut gaudium vestrum sit plenum.

Hæc tua debet esse continua petitio, ut tibi Deus largiatur gaudium plenum, hoc est cælestem gloriam; nam in hoc mundo omnia sunt turbulenta, & mixta doloribus, nec hic est felicitatis granum, quod non habeat secum zizania miseriæ Dominicâ 5. post Epiphaniam.

Festum solemne Ascensionis Marci 16.

Euntes in mundum universum, &c.

Cur Domine mittis homines ignorantes, viles, contemptibiles? an non præstaret mittere sapientes, & divites quos opponeres Monarchis? Nequaquam; nam Deus solet uti instrumentis abjectis ad opera heroica perficienda. Festo S. Andreæ parte primâ.

Prædicate Evangelium omni creaturæ.

Magnum est beneficium, quod Deus nobis annuntiari faciat suum verbum; nam ita est efficax, ut obedientibus conferat vitam æternam, illud verò contemnentes excludantur à cœlo. Dominicâ sexagesimæ parte primâ.

Elevatis manibus ferebatur in cælum Actorum primo.

An ut ostendat in mensa crucis solutum debitum, quod contraxit expiandum, dum pro homine nasceretur? an forsan ostendit monetam sanguinis quam Hebræi in chartâ manuum ejus scripserant? minime, ostendere voluit viam, quâ cælum obtinuit nempe tribulationibus illud obtinendum. Dominicâ septuagesimæ parte primâ.

Domi-

Dominicâ sextâ post Pascha. Joan. 15.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.

Postquam Christus ingentes labores, & afflictiones Apostolis prædixisset, ne planè mœrore conficerentur, promisit iis Spiritum sanctum, à quo erant solatium accepturi, nam nil ita prodest ad labores patienter tolerandos, quam si consideremus, quod in gloria simus solatio afficiendi, Festo S. Stephani.

Quem ego mittam vobis spiritum veritatis.

Videtur afflictionem addere afflictis, nam sequenti die est in crucem agendus, & hoc eodem vespere, quo hunc sermonem servavit, à discipulis est avellendus, & tamen dicit se Spiritum veritatis missurum, cùm veritas odium pariat, & sit odiosa. Ita est, sed mundanis & perversis, ut ostendit Dominica 2. Adventûs.

Arbitretur se obsequium præstare Deo.

Hæc erat pharisaica perversitas sub titulo divini obsequii gravissima occultare peccata, & suas populare virtutes; sic multi sunt, qui virtutes fucata ebucciuant, & vitia palliant. Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

Festum solemne Pentecostes Joan. 14.

Si quis diligit me, sermones meos servabit.

Verus Christianus, & qui Deum diligit debet conari, ut ejus sermones servet prompte, & hilariter, & non eos dijudicando, nec debet tantùm adimplere sermones præceptos, sed etiam non præceptos; nam opera supererogatoria sunt facienda. Festo Purificationis parte prima.

Mansionem apud eum faciemus

Non debemus timere, quòd Deus discessurus sit ab homine; nam amor ejus erga hominem est tantus, ac adeo singularis, ut dici possit quòd impatiens fiat, nisi cum homine conversetur. Festo Nativitatis parte primâ.

Feriâ secundâ Penteostes. Joan. 3.

Sic Deus dilexit mundum ut filium suum, &c.

Esto mundus Dei esset hostis inimicissimus, tamen eum adeo dilexit, ut donum ei dederit pretiosissimum proprium scilicet Filium, maxima est enim Dei prodigalitas erga homines. Dominicâ tertiâ post Epiphaniam.

Vt omnis qui credit, &c.

Æqualiter, quantum est ex se, vult omnibus dare salutem; odit enim maximè partialitatem, & ideo in medio terræ pati voluit, ne videretur magis pro hoc quam pro illo passus. Festo Circumcisionis parte secundâ.

Non misit ut judicet mundum.

Hæc est causa, cur ultimo judicii die pœnæ magis augebuntur; objicientur enim beneficia præstita, inter quæ & illud, quod, dum punire potuit, non punivit, & ideo cruciabuntur damnati, quòd à Christo damnabuntur. Dominicâ primâ Adventûs parte secundâ.

Feriâ tertiâ Pentecostes. Joan. 10.

Ego sum ostium, &c.

Ostium est illud, per quod in cubiculum intramus, cùm ergò ipse per crucem intravetit cœlum, sequitur quod crux ostium sit. Ne ergo credas, quòd cœlum obtenturus, nisi priùs portaveris pondus Dei, & æstus. Dominicâ septuagesimæ.

Ego sum ostium.

Sicut non potest quis intrare domum, nisi per ostium; sic nullus potest facere aliquod opus bonum absque gratia Christi. Festo Epiphaniæ parte secundâ.

Et non intellexerunt.

Meritò non intelligunt, quamvis clarissimè iis res proponatur; sunt enim peccatores: peccator autem cœcus est, & bestia carens intellectu. Festo D. Thomæ.

Dominicâ sanctissimæ Trinitatis. Matth. ultimo.

Euntes docete omnes gentes

Omnes indifferenter vult doceri absque distinctione Judæi, vel Græci, divitis, vel pauperis; pro omnibus enim mortuus est, & omnium vult Salvator dici. Festo Circumcisionis parte secundâ.

Euntes docete omnes gentes.

Ergonè homines adeò rudes & viles totum mundum instruant & doceant? an non potuisset melius mittere potentes & divites? imo, sed vult ostendere mediis uti abjectis ad heroica opera facienda. Festo S. Andreæ.

Docentes eos servare omnia quæcunque &c.

Ne cogitet baptizatus se omnia fecisse eo ipso, quo baptismum recepit; nam positus est in Ecclesia, quæ denotatur per vineam, ut labo-

ret, & hinc si otio indulgeat, à cælo excludetur. Dominicâ Septuagesimæ parte secundâ.

Festum sanctissimi Sacramenti. Joan. 6.

Caro mea verò est cibus.

Hodie esse festum amoris ex eo maximè constat, quòd seipsum nobis in cibum dare voluerit; cum enim nos maximè amet, & ex amore nobiscum conversari summoperè desideret, constat institutionem hujus Sacramenti ex maximo amore processisse. Festo Nativitatis parte primâ.

Caro mea verè est cibus.

Sub specie panis hoc Sacramentum instituit, ut omnes eo vesci possent, ne partialis haberetur, pro omnibus enim nasci, & pati voluit. Festo Circumcisionis parte secundâ.

Caro mea verè est cibus.

Eò ipso, quo in persona Christi Sacerdos profert verba jam substantia panis convertitur in corpus Christi. Hinc vide Verbi Divini efficaciam. De quo vide Dominicam Sexagesimæ parte primâ, & ideò nil miri, quòd ad Christi verbum in judicio impii consternentur. Dominicâ primâ Adventûs.

Dominicâ secundâ post Pentecosten.

Quia Ecclesiæ Germaniæ hac die legunt Evangelium de divite Epulone, ideò vide feriam quintam Dominicæ secundæ Quadragesimæ, ubi idem continetur.

Dominicâ tertiâ post Pentecosten. Lucæ 14.

Homo quidam fecit cœnam magnam.

Hoc convivium non vocatur prandium, sed cœna, quæ fit vesperi & in fine diei, & postquàm quievimus, post prandium verò iterum oportet redire ad laborem. Ex quo patet bona hujus mundi esse instabilia, fluxa &c. Dominica quinta post Epiphaniam.

Juga boum emi quinque.

Interrogat D. Bernardus cur hic dicat se emisse quinque juga boum, & non quinque boves. Et respondet in sacra pagina esse observatum omnes quotquot avaritiâ laborant esse sub jugo, hoc est pravos, & pessimos. De pravitate avaritiæ. Vide Dominicam tertiam Adventûs.

Vxorem duxi, & ideò non possum venire.

Alii se rogant haberi excusatos, hic autem simpliciter dicit se non posse venire, sed quis eum impedivit? forsitan uxorem pessimam habuit, quæ ei magna crux fuit. Dominica secunda post Epiphaniam.

Dominica quarta post Pentecosten Lucæ 15.

Erant appropinquantes peccatores ad Jesum.

In Novo Testamento sæpiùs fit mentio, quòd peccatores accesserint ad Jesum, quàm ipsi justi; nam pœnitentia tantæ est efficaciæ, ut peccatores justis quasi præferri faciat, & ad majorem dignitatem, quam ante elevet. Dominica quarta Adventûs.

Hic peccatores recipit.

Domine an nescis quod des ansam murmurandi contra te, eò quòd magis converseris cum pravis, quam cum bonis? Christus aliter facere non potuit; nam cum peccatores ad eum venirent, ipse eos recipere debuit, ita enim agit nobiscum, sicut nos agimus cum eo. Domin. Quinquag.

Quis ex vobis homo &c.

Viden clementiam, & misericordiam Christi, quantâque sollicitudine studeat oves errantes ad caulam reducere, ita ut paratus sit pro iis de novo mori, & crucifigi. Festo S. Thomæ, parte secunda.

Dominica quinta post Pentecosten. Lucæ 6.

Estote misericordes sicut pater vester misericors est.

Deus adeò est misericors, & liberalis erga homines, ut ejus dona miranda sint, ita ut illi, qui ea recipiunt, id non credant, & quasi ancipites hæreant, & ipsa humana capacitas fatigetur. Dominica tertia post Epiphaniam.

Nolite condemnare, & non condemnabimini.

Nam is est Dei genius, & mos, ut, sicut tu ejus mandata observas, sic ille vicissim se habeat erga te. Dominica Quinquagesimæ.

Dimittite, & dimittetur vobis.

Sanè hoc præceptum arduum est, & difficilè, sed ut facilè illud sibi reddatur, considera præmium, quod ejus observatione obtinebis; ad ardua enim superanda valde conducit spes præmii. Festo sancti Stephani.

Dominicâ sextâ post Pentecosten. Luc. 5.

Innuebant sociis, qui erant in alia navi, &c.

Esto Petrus, & alii ejus comites indigerent sociorum ope in trahendis ad littus piscibus, tamen eos non vocarunt insulsis clamoribus, ut solent piscatores, sed nutibus eorum auxilium petierunt. An forte erant muti & surdi? non, sed quia Jesus prædicabat, docebant verbum Dei audiendum esse cum reverentia. Dominicâ Sexagesimæ, parte secundâ.

Exi à me, quia homo peccator sum.

Sicut Petrus per humilitatem cathedram Ecclesiæ obtinuit, sic, si exaltari velis, debes priùs te humiliare; nam qui se humiliat, exaltabitur.

In verbo autem tuo laxabo rete.

Miram hîc promptitudinem, & obedientiam Petrus ostendit, dum statim naviculam à terra nonnihil reducit, & postea in altum trahit, sic tu statim obedire, debes & promptè mandatis divinis. Festo Purificationis parte primâ.

Dominicâ septimâ post Pentecosten.
Matth. 5.

Nisi abundaverit justitia vestra, &c.

Pharisæi exteriora, quæ sunt vilia, tantum curabant, & per ea se Deo satisfacere putabant, interiora verò, & pretiosiora negligebant, nec Deo offerebant, & ideò justitia eorum Deo non fuit grata. Si velis, tuum sacrificium sit Deo acceptum, Deo meliora debes offerre. Festo Purificationis parte secundâ.

Idem Thema.

Pharisæi esto curarent quædam gravia peccata, ut homicidium, adulterium, &c. tamen quædam interiora, utpote iram, odium, & alia minora negligebant; Deus autem vult nostram justitiam esse majorem, & minora etiam à nobis curari, nam disponunt ad majora. Dominicâ sextâ post Epiphaniam.

Idem Thema.

Cur negligebant interiora? nonne satis expressè in lege habebatur non concupisces? sola exteriora præstabant, ut viderentur ab hominibus, & vanam gloriam quærerent, illa autem annullat bona opera. Dominicâ infra octavam Epiphaniæ.

Dominicâ octavâ

Quia Evangelium Dominicæ octavæ est fermè idem cum Evangelio Dominicæ quartæ Quadragesimæ, ideò vide ibi.

Dominicâ nonâ post Pentecosten.
Matth. 7.
Attendite à falsis Prophetis.

Sed quinam sunt hi falsi Prophetæ? illi scilicet, qui virtutes fucatas ebuccinant, & vanam gloriam quærunt. Hos tu fuge, quia vana gloria valdè nociva est. Dominicâ infra octavam Epiphaniæ.

Nunquid colligent de spinis uvas, &c.

Meritò Deus peccatores vocat spinas; nam sicut spinæ ad se accedentes pungunt, & cruentant, sic qui est inter peccatores, punitur ob eorum peccata. Dominicâ quartâ post Epiphaniam.

Omnis arbor, quæ non facit, &c.

Per arborem intelliguntur homines juxta illud, *video homines sicut arbores ambulare*; sicut ergò arbor infructifera exciditur, & mittitur in ignem, sic homo otiosus cœlo excluditur & damnatur. Dom. Septuagesimæ parte secundâ.

Dominicâ decimâ post Pentecosten.
Lucæ 16.
Quid hoc audio de te?

Hoc erit maximum, & gravissimum tormentum, quod patietur peccator in extremo judicio die, dum Christus illi dicet; quid? hoc audio de te, de te ô Christiane quem tot beneficiis affeci? Vide Dominicam primam Adventûs parte secundâ.

Quid faciam, quia Dominus meus, &c.

Hoc est, quod maximè torquebit peccatores, dum se à Christo ad judicium vocari audient; nam ejus vox est efficacissima, ut patet in Judæis qui ad illam consternati sunt Dominicâ primâ Adventûs parte primâ.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.

Deus nos omnes constituit villicos, ut coleremus vineam animæ nostræ, & sine dubio hic

villicus amotus fuit à villa, quia in vinea non laboravit, sic tu, si sis otiosus, à cœlo excluderis. Dominicâ Septugesimæ parte secundâ.

Dominicâ Undecimâ post Pentecosten.
Lucæ 19.

Videns Iesus civitatem flevit super eam.

Cùm lachrymæ sint signum animi pusillanimis, cur flevit, qui pusillanimes consolatur? flevit, quia cives illius urbis erant peccatores; Peccatoris autem sors deploranda est. Festo S. Thomæ.

Eò quòd non cognoverit tempus.

Hoc multis dicetur qui pœnitentiam procrastinant, ne ergò & hoc tibi dicatur, eam statim age, quia non es certus an crastinâ die vives. Dominicâ quartâ Adventûs parte secundâ. Et moras traherere periculosum est. Festo Epiphaniæ.

Et quidem, quæ ad pacem tibi sunt, &c.

Heu quantis hæc dici possunt mundanis, qui non aperiunt oculos, nec considerant quid lateat sub bonis humanis, nempe quod sint instabilia, dolore mixta &c. Dominicâ quintâ post Epiphaniam.

Dominicâ duodecimâ post Pentecosten.
Lucæ 18.

Stultus videtur hic Pharisæus dum etiam suos parentes accusat, quòd sint injusti, adulteri, raptores &c. sed hoc non est mirum, peccator erat; peccator autem fermè semper stulta loquitur. Festo D. Thomæ parte secundâ.

Idem Thema.

Esto hic Pharisæus plura opera bona fecerit, nempe quòd jejunârit, &c. ut ex ejus panegyrico constat, tamen illa ipsi non profuerunt, quia vana gloria omnia illa consumpsit. Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Gratias tibi ago Deus.

Esto in aliis peccarit, tamen hic bene orat: adscribit enim opera sua Deo, & id tibi etiam faciendum est, quia nullum opus bonum sine ejus gratia fieri potest. Festo Epiphaniæ parte secundâ.

Dominicâ decima tertia post Pentecosten
Marci 7.

Exiens IESVS de finibus Tyri venit per Sidonem.

Christus nunquam quievit, nec ulli labori pepercit, ut hominum saluti consuleret, hinc de loco ad locum sempet perrexit: hinc patet ejus sollicitudo pro peccatoribus convertendis. Festo D. Thomæ parte secundâ.

Et deprecabantur eum.

Sed quid deprecabantur? sine dubio ut illi linguæ, & aurium usum restitueret. Cur ergò hoc non dicunt? sciebant liberalitatem, & prodigalitatem Dei, quâ solet preces prævenire. Dominicâ tertia post Epiphaniam.

Apprehendit seorsim de turba.

Sed cur hoc? an non est omnipotens, & ubique aliquem curare potest? propter nos hoc fecit, ut diceremus, quàm nociva sit vana gloria. Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

Dominicâ decima quartâ post Pentecosten.
Lucæ. 24.

Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho.

Allegoricè per hos latrones intelliguntur Juristæ & Advocati, & an non sunt latrones, dum omnibus bonis spoliant, & ad mendicitatem miseros litigantes redigunt, & relinquunt semivivos? Dominicâ tertiâ Adventûs parte secundâ fol. 46.

Descendebat ab Ierusalem in Iericho.

Descendit ab Jerusalem nempe visionis loco in Jericho, quo denotatur luna, quæ ex se non habet lucem, sic peccator cæcus est, ita ut sors ejus sit miseranda. Festo S. Thomæ.

Quodcunque supererogaverit, &c.

Magni fecit Deus supererogatoria; nam non solùm sunt accepta Deo, sed & abundè eà præmiat, ut patet in Zachæo, quem ideo visitavit, & sua præsentia recreavit. Festo Purificationis maximè fol. 222.

Dominicâ decima quintâ post Pentecosten.
Lucæ 17.

Occurrerunt ei decem leprosi

Si leprosi debebant vivere ab hominib. separati, quomodò nunc occurrunt ei prope castellum? nonne poterant eum expectare in campo, vel in via, quâ eum sciebant egressurum? Timebant se perdituros hanc occasionem, ideo illa usi sunt, nam moras nectere est periculosum. Festo Epiphaniæ parte primâ, vide & Calvo Concione 38. Assumpto primo. Num. 11.

Dum irent, mundati sunt.

Poterant explicare: Sacerdotibus data est potestas inter lepram & lepram discernendi, &

non

non eam curandi, si hoc possent, ad te non veniſſemus, ex quo diſcimus obedientiam debere eſſe ſimplicem, & promptam; Feſto Purificationis.

Tranſibant per medium.

Ubique elegit medium Chriſtus ut ſe non partialem ſed Redemptorem omnium oſtenderet. Feſto circumſionis parte ſecundâ.

Dominicâ decimâ ſextâ poſt Pentecoſten.
Matth. 6.

Non poteſtis Deo ſervire, & Mamonæ.

Amor Dei erga homines magnus eſt, ideo cum illis converſari ſummoperè deſiderat, & quaſi ab iis avelli debet. Feſto nativitatis. Vide & Fidelem Feria ſecunda poſt Dominicam quartam conſid. 2.

Ne ſolliciti ſitis, &c.

Tam enim eſt beneficus Deus erga homines, ut prodigus videatur, & ejus prodigalitas ſit quaſi incredibilis. Dominicâ tertiâ poſt Epiphaniam.

Reſpice volatilia cœli.

Deus rerum minimarum curam gerit, ut doceat nos peccata minima vitare, quia ad majora diſponunt. Dominicâ ſextâ poſt Epiphaniam.

Dominicæ decimæ ſeptimæ Evangelium vide Feriâ quintâ Dominicæ quartæ.

Dominicâ decimâ octavâ poſt Pentecoſten,

Si Chriſtus erat virtutum exemplar, quomodò vadit ad convivium, maximè cùm ſe ſciat obſervandum? ſciebat illos mendaciis deditos, nec ullum eſſe qui illis diceret veritatem, ideo hunc aſtum invenit, ut cum iis prandet & converteret; nulli enim parcit labori, ut peccatores convertat. Feſto D. Thomæ parte ſecundâ.

Ipſi obſervabant eum.

Ipſum invitârunt ob proprium commodum & lucrum, cupidi & avari peſſimi ſunt. Dominicâ tertiâ Adventûs.

Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

Videtur hic homo incivilis, quòd non exſpectet finem prandii, ſed ſe convivio ingetat, verùm excuſandus eſt; ſcivit enim, quàm ſit periculoſum moras nectere. Feſto Epiphaniæ.

Dominicâ decima nona poſt Pentecoſten.
Matth 22.

Interrogavit eum unus ex iis.

Nil miri, quòd Chriſtum adeò perſequerentur, nam iis veritatem dicebat ſi non verbis, ſaltem re; veritas autem odium parit. Dominica ſecunda Adventus.

Dicunt ei David?

Si erant Doctores, quomodò tam craſsè errarunt, cùm Scripturæ teſtentur Chriſtum non eſſe purum hominem, ſed & Deum, quod ex miraculis etiam cognoſcere poterant? Peccatores erant, illi autem ſunt cœci. Feſto Divi Thomæ.

Magiſter quod eſt mandatum, &c.

Eſto nil minus curarent quàm neſcire legem, tamen ſe ſimulabant, & jactabant zeloſos; hoc faciunt impii, ut vitia pallient, & virtutes fucatas propalent, Dom. infra Octavam Epiphaniæ.

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.
Matth. 9.

Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris.

Phariſæi cogitationes velut parva peccata æſtimabant, ideo reprehenduntur; nam minima etiam curanda ſunt. Dominica ſexta poſt Epiphaniam.

Remittuntur tibi peccata tua.

Ille petiit tantum ſanitatem, at Chriſtus illi etiam remiſſionem peccatorum dedit, ex quo patet ejus liberalitas & prodigalitas. Dominica tertia poſt Epiphaniam.

Confide fili, &c.

Si peccator, quomodo filius? an non peccator hoſtis Dei? hic videtur efficacia pœnitentiæ. De qua vide Dominicam quartam Adventûs.

Dominicâ vigeſimâ primâ poſt Pentecoſten.
Matth. 22.

At ille obmutuit.

Quomodo obmutuit? an non ſe potuit excuſare, quòd talis venerit, qualis invitatus fuit? remorſus conſcientiæ eum obmutescere fecit, hæc enim ejus eſt vis. Vide Dominicam primam Adventûs.

Liga-

Ligatis manibus, & pedibus.

Hæc erit maxima molestia & crux in die judicii, quòd impii à Christo damnabuntur. Vide eandem Dominicam.

Amice quomodò huc intrasti, &c.

An non servi hunc defectum in vestibus agnoverunt? Videtur mihi quòd coram illis vestem suam vanè jactâarit, sed Christus illam vanam gloriam punivit. De hac vide Dominicam infra Octavam Epiphaniæ.

Dominicâ vigesimâ secundâ post Pentecosten. Joan. 4.

Hic cum audisset, &c.

Tò Audisset est observandum, nam occasionem nactus eam non neglexit, quia periculosum est bonas inspirationes differre. Festo Epiphaniæ.

Credidit homo sermoni, quem dixit ei IESVS.

Ipse tantùm petierat filii sanitatem, & nunc propriam obtinet salutem, in quo magna Dei prodigalitas cernitur. Dominicâ tertiâ post Epiphaniam.

Cujus filius infirmabatur.

Non credas morbos tuis prolibus fortuitò contingere; obveniunt enim iis ob peccata. Dominicâ quartâ post Epiphaniam.

Dominicâ vigesimâ tertiâ post Pentecosten. Matth 18.

Iussit venundari, &c.

Sed quid fecit uxor, & libeti? justissimè etiam cum marito venduntur, quia ob unius peccatum alii puniuntur: Dominicâ quartâ post Epiphaniam.

Tenens suffocabat eum.

Antea tam humiliter rogavit, & nunc tam durum se ostendit? agebatur de damno, ejus cupiditas autem est maximum vitium. Dominicâ tertia Adventûs.

Sic faciet Pater meus, &c.

Nam qualis tu fueris erga Deum, talis erit ille erga te. Dom. Quinquagesimæ.

Dominicâ vigesimâ quartâ post Pentecosten. Matth. 22.

Non respicis personam hominis.

Et ideò Jesus vocatur, quia pro omnibus mortuus. Festo Circumcisionis parte secundâ.

Vt caperent eum in sermone.

Sciebant eum veritatem dicere, nec vitia dissimulare: veritas autem odium parit. Dominicâ secundâ Adventûs.

Licet censum dare Cæsari?

Magnus illi paratur laqueus, si enim neget concitabit contra se Cæsarem, quia cupiditas est magnum vitium. Dom. tertiâ Adventûs.

Dominica vigesima quinta post Pentecosten. Matth. 9.

Ecce mulier quæ sanguinis fluxum, &c.

Hæc mulier auditâ famâ miraculorum, statim accurrit ad Christum, quia moras nectere est periculosum. Festo Epiphaniæ.

Ejectâ turbâ, &c.

Turbam ejecit ne vanam gloriam venaretur: est enim pessimum vitium. Dominicâ infra Octavam Epiphaniæ.

Et statim surrexit.

Vide efficaciam verbi divini, & ideo impii in judicio ad vocem Christi ita consternabuntur. Dominicâ Sexagesimæ & primâ Adventûs.

Dominicâ ultimâ. Matth. 24.

Cùm videritis abominationem desolationis.

Vocatur desolatio abominationis, quia civitas fuit destructa ob peccata civium; à peccatis enim proveniunt pœnæ. Dom. quarta post Epiphaniam.

Sol obscurabitur, &c.

Si Creaturæ insensibiles ita consternentur, quid facient peccatores habentes conscientiam pravam? Vide Dominicam primam Adventus.

Orate ne fiat fuga vestra Sabbatho.

Id est, ne differatis pœnitentiam usque ad extremum vitæ, nam nescitis, an cras victuri sitis. Dominicâ primâ Adventûs parte secundâ.

INDEX

AD FORMANDAS CONCIONES

Pro Festivitatibus Sanctorum.

Festum Divi Matthiæ Apostoli. Matth 11.

Confiteor tibi Pater, &c.

UT interpretatur D. Augustinus, Confessio hic non significat actum peccatoris; sed potiùs gratiarum actionem, quâ opera Deo tribuuntur, ita & tu debes opera tua bona Deo tribuere, quia nullum sine ipsius gratia fit. Fest. Epiph. part. 2.

Ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te.

Hoc debet quilibet cogitare in præceptis divinis, ut illa impleat, quia Deus illa tulit; sic erit obedientia prompta & humilis, quæ mandata Dei non examinat. Festo Purif. part. 1.

Iugum enim meum suave.

Sed quomodo jugum Christi sit suave, cùm in eo valdè dura præcipiantur? an jejunia, mortificationes, & similia sint opera levia & facilia? quinimò; dummodò consideretur præmium, quod per ea obtinebimus: hæc enim consideratio ea facilia reddit. Festo D. Stephani.

Festum S. Ioſephi. Matth. 2.

Hæc eo cogitante, &c.

Quid demeruit uti tam sanctus & justus, ut tam gravi afflictione conflictari deceret? quin imò; quia justus erat id fieri debuit; quia Deus non solet gloriam conferre nisi iis, qui portârunt pondus diei & æstûs. Dom. Septuag.

Pariet filium, &c.

Gabriel non dixit *pariet tibi*, sed *pariet*, quamvis ad Zachariam dixerit, *pariet tibi*, odit enim Christus partialitatem, & ideo in medio terræ mori voluit, ut pro omnibus se natum ostenderet. Festo Circumcis. part 2.

Ioseph fili David, &c.

Ex omnibus patentibus meminit solius David, sed cur omisit omnes alios ut Abrahamum & similes viros justos? voluit ostendere efficaciam pœnitentiæ, quæ peccatores quasi justis præponit. Dom. 4. Adv.

Festum Annuntiationis. Luc. 1.

Ad Virginem desponsatam.

Ex hoc patet Virgines conjugatis præferri, non solùm quia sunt liberiores à molestiis, sed etiam quia Deo acceptiores sunt. Dom. 2. post Epiph.

Dominus tecum.

Videtur Angelus imperfectè locutus; nam cur non dixit *Dominus est tecum?* Respondet D Bonaventura, ut significetur Deum semper cum illa fuisse, & ideo nunquam in ullo peccato fuit. Fest. Immacul. Concept. maximè fol. 30.

Fiat mihi secundùm verbum tuum.

Vide efficaciam verbi divini; quidquid enim vult facit. Dom. Sexag. part. 1. Et ideo ad verbum Christi impii in judicio valde torquebuntur. Dom. 1. Advent. part. 1.

Festum SS Apost. Philippi & Iacobi

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Io. 4.

Hæc verba efficacissima sunt, ut omnia adversa & difficilia patienter toleremus; ad hoc enim maximè conducit consideratio beatitudinis. Fest. D. Stephani part. 1.

Vi ubi ego sum, & vos sitis.

Maximo flagrat desiderio, ut Christus sit, & conversetur nobiscum, & fit quasi impatiens, dum esse nobiscum non potest, hinc magnus erga nos amor colligitur. Fest. Nativ. part. 1.

Ego sum via & veritas.

Si Christus sit veritas, & per illam veniamus ad cælum, timendum est, quod pauci ad illud veniant; nam veritas odiosissima est, & pauci eam volunt audire, & maximè mulieres. Dom. 2. Advent. part. 1.

Festum Inventionis S. Crucis. Ioan. 3.

Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine.

Cur dicit homo? an aliquis hic potuit in dubium vertere? ad Christum venit, & se convertit, & sic rursùs hominem induit; nam peccatores belluæ sunt, & ideo deplorandi Festo D. Thomæ.

Venit igitur ad Ieſum nocte.

Sed cur venit in nocte? nonne poterat venire in die? credo, quòd timebat se in pecunia puniendum, & ideo hoc opus necessarium usque ad noctem distulit, quia proprio lucro dediti, pravi sunt, & vitiosi, Dom. 3. Advent,

Si terrena dixi vobis, quare non creditis mihi?

Cur hoc vel illud Deus jubeat non est examinandum, nam obedientia debet esse simplex, hilaris, & non curiosa. Festo Purif. part. 1.

Nativitas sancti Ioannis Baptistæ.

Luc. 1.

Et factum est in die octavo, &c.

Tam maritus quam mulier concordes fuerunt, ut circumcideretur, & vocaretur Joannes, & ideo illorum matrimonium fuit felix: porro ubi conjuges discordes sunt, ibi crux est, & vinum lætitiæ deficit. Dom. 2. post Epiph.

Apertum est os Zachariæ.

Plures dicunt quòd ejus dubietas non fuerit peccatum grave sed leve, & tamen tam graviter punitus fuit, ut discas peccata levia, & venialia vitare; nam disponunt ad gravia. Dom. 6. post Epiph.

Erit magnus coram Domino.

Sed per quod medium erit magnus? per annuntiationem veritatis; quia enim illam dixit, fuit martyrio affectus, quod est initium gloriæ, & beatitudinis. Fest. Innoc. part. 1.

Festum Principum Apostolorum.

Beatus es Simon Bariona Matth. 16.

S. Marcus dum eandem historiam recenset, nil dicit de laudibus Petri, sed cur hoc? an mutilè historiam conscripsit? plures dicunt, quòd illud Evangelium priùs quàm conscriberetur à S. Marco, fuerit compositum à S. Petro, hic ergo ut vanam gloriam effugeret, subticuit illam laudem Christi. Quam nociva sit vana gloria. Vide Dom. infra octav. Epiph.

Alii Ioannem Baptistam, &c.

Si erant scribæ & Doctores, quomodo non viderunt, quòd Christus non posset esse Joannes an non habetur in Scriptura, quod Christus sit Deus & homo, Joannes vero purus homo? non est mirum quod ita erraverint, quia erant peccatores, peccator autem cæcus est, & fermè semper stulta loquitur. Fest. D. Thomæ.

Tu es Petrus, &c.

Si Petrus gravissimè peccârat pro omnibus Apostolis, cur pro omnibus eum evehit ad pontificatum? id pro nostro solatio fecit, ut videremus efficaciam pœnitentiæ; nam Lucifer salvaretur, si pœnitere posset. Dom. 4. Advent.

Festum Divi Iacobi Apostoli. Matth. 20.

Nescitis quid petatis.

Si dixit, petite & accipietis, cur hodie matri filiorum Zebedæi postulata denegat? petebat quæ concedi non poterant, nempe gloriam ante labores & afflictiones. Dom. Septuag.

Non est meum dare vobis, &c.

Nonne Pater omnia ipsi tradidit in manu sua, cur ergo iis non possit concedere postulata? agebat cum iis sicut illi agebant cum eo, illi postulabant per matrem regnum, & ille vult iis dare per Patrem; nam sicut tu te habueris erga Deum, sic ille se habebit tecum. Domin. Quinquag.

Dic ut sedeant hi duo filii, &c.

Cur non petit seniori dexteram, juniori sinistram? non se voluit ostendere partialem, id & Christus fecit, ideo Salvator omnium dici vult. Fest. Circumcis. part. 1.

Festum D Laurentii Martyris. Ioan 12.

Nisi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, &c.

Inter paradysum & martyrium parum distat, nam martyrium est quædam inchoatio beatitudinis, & sub cortice martyrii gloria invenitur. Fest. SS. Innocentum.

Vbi ego sum, illic sit & minister meus.

Tanto flagrat Christus amore erga nos, ut summo desiderio feratur nobiscum conversandi, & nisi hoc fiat, dolet. Fest. Nativ. part 1.

Me sequatur.

Sicut ergo ipse non obtinuit gloriam nisi per crucem & tribulationes, sic & tu non speres, quòd aliter eam obtenturus sis, nam illa non datur nisi ei, qui portavit pondus diei, & æstûs. Dom. Septuag.

Festum glorioſæ Assumptionis. Luc. 10.

Sedens audiebat verbum illius.

Omni intentione audivit verbum Christi, & ad id animam & corpus impendit; nam verbum Dei maxima cum reverentia audiendum est. Dom. Sexag. part 2.

Sedens retro pedes Domini.

Meritò Magdalena propiùs sedit prope Christum quàm Martha, ut videamus, quàm efficax sit pœnitentia, quæ facit, ut justi anteponantur peccatoribus. Dominicâ quartâ Adventûs.

Domine non est tibi curæ.

Maria optimam dicitur partem elegisse, quia secreto opera sua faciebat, ne venaretur vanam gloriam: Martha vero hinc inde discurrebat, ut evidenter diligens, & ideo reprehensa fuit de vana gloria, vide Dom. infra octavam Epiph.

Festum Divi Bartholomæi.

Exiit Iesus orare.

Optimum medium à Deo aliquid obtinendi est oratio; Cum enim Deus sit valde liberalis,

& prodigus, sufficit ut necessitates tuas tantùm ei insinues; nam statim habebis quod petis. Dom. 3. post Epiph.

Elegit duodecim, quos Apostolos nominavit.

Cur ad tantum opus, quale est conversio mundi, eligit homines adeo stupidos? ut doceat se eligere infirma, ut confundat fortia. Festo S. Andreæ.

Et Iudam qui fuit proditor.

Mirum est, quod Judas in tanto collegio tam sancto ceciderit, sed stupor cessabit, si consideremus, quod fuerit avarus; avaritia est enim pessimum vitium. Dominicâ tertiâ Adventûs.

Festum Nativitatis Deiparæ. Matth. 1.

Filii David, Filii Abraham.

Cur præponitur David ætate junior Abrahamo? id Deus non fecit sine mysterio, ut doceret regnum cælorum non nisi tribulationibus obtineri; David enim semper afflictus fuit. Dom. Septuag.

Genuit Salomonem ex illa, quæ fuit Uriæ.

Mundus dum aliquis peccavit, semper putat talem peccatorem, non sic Deus, qui post pœnitentiam magis æstimat peccatores, quàm ante. Dom. 3. Advent.

De qua natus est IESUS.

Vocatus est Jesus, quia est Redemptor omnium, & ideo in medio terræ mori voluit, festo Circumcisionis, part. 2.

Festum Divi Matthæi, Matth 9.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.

Cum festa sint instituta in honorem sanctorum, cur hoc Evangelium legitur, in quo recensentur ejus peccata? hoc ad gloriam ejus fit, ut ostendatur, eum ad majorem dignitatem per pœnitentiam evectum quàm ante. Domin. 4. Advent.

Vidit hominem sedentem.

In hoc consistebat ejus miseria, quòd sederet, & ambulare non posset; erat enim peccator, qui cæcus est, & bellua ut deplorari mereatur. Fest. D. Thomæ.

Surgens secutus est eum.

Non est cunctatus, nec traxit moras, nam inspirationibus divinis est statim obediendum, & moras trahere est periculosum. Fest. Epiph. part. 1. Dom. 4. Adv. part. 2.

Festum SS. Apostolorum Matth 18.

Quis putas major est.

Non credo graviter in hoc deliquisse Apostolos, sed tantùm leviter, & tamen tam soleter illum defectum emendat; nam à peccatis proveniunt pœnæ. Dominicâ quartâ post Epiphaniam.

Nisi conversi fueritis.

In hoc debemus imitari parvulos, ut simpliciter obediamus, nec mandata discutiamus. Vide festi Purif. partem 1.

Videte ne contemnatis unum de parvulis istis.

Peccata etiam minima curanda sunt, quia ad majora disponunt. Dom. 6. post Epiph.

Festum SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.

Ioan. 15.

Si mundus vos odit, &c.

Similibus verbis compescuit filios Zebedæi; nam si ille per labores gloriam obtinuit, & nos sic illam debemus obtinere. Dom. septuagesimæ.

Si me persecuti sunt &c.

Cum vos prædicaturi sitis veritatem, patiemini, sicut ego, nam veritas odium parit. Dom. 2. Advent.

Hæc facient vobis, &c.

Nec mirum: erant enim peccatores, qui cæci sunt. Fest. D. Thomæ.

Festo omnium Sanctorum Matth 5.

Beati pauperes spiritu.

Væ divitibus & avaris, quia videntur à cælo excluſi, nec mirum, quia avaritia est pessimum vitium. Dom. 3. Adv.

Beati qui lugent.

Hoc est pœnitent, quia ad majorem dignitatem evehentur. Dom. 4. Adv.

Gaudete & exultate, &c.

Id cogita in tuis laboribus, & afflictionibus, sic omnia dulcescent. Festo S. Stephani.

FINIS.

INDEX LOCORUM S. SCRIPTVRÆ IN ADVENTVALI.

EX LIBRO GENESIS.

CAP. I.

IN principio creavit Deus cælum & terram. 33
Fiat lux: & facta est lux. 81
Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. 10
Producant aquæ reptile animæ viventis, &c. 196
Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, &c. Ibid.
Dominamini piscibus maris & volatilibus cæli. 212
2. Tulit unam de costis ejus. 17
De omni ligno paradysi, &c. 215
Requievit die septima. 182
Tulit unam de costis ejus & ædificavit costam in mulierem. 182
Faciamus ei adjutorium simile sibi. 112
Præcepit nobis Deus ne tangeremus. 218
3. Audivit vocem deambulantis in paradyso. 87
Adam, ubi es? ibid.
Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries filios tuos: in laboribus comedes: in sudore vultûs tui vesceris pane tuo. 175
4. Omnis qui invenit me, occidet me. 8
Qui occiderit Cain, septuplum punietur. 8
Hic cœpit invocare nomen Domini 19
6. Omnis caro corruperat viam suam super terram. 87
Pœnitet me fecisse hominem. 196
Fenestra erat crystallina. 94
9. Pudenda patris sui 133. 200
12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi 98
21. Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem & utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, &c. 185
22. Abraham, ne extendas manum tuum super puerum tuum. 84
27. Quomodò tam cito invenire potuisti Fili mi? 45.
Det tibi Deus de rore cæli, &c. 185
28. Proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, &c. 96
Vidit Iacob scalam; summitas ejus cælos tangebat. 83
29. Date potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite. 96
Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui; nam gregem ipsa pascebat. ibid.
37. Vidi per somnium Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me. 40
43. Incurvaverunt se, & adoraverunt proni in terram. 39
44. Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum, invenit, &c. 198
48. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat. 141

EX LIBRO EXODI.

CAP. 3. Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur. 236
Apparuit ei Dominus in flamma ignis, in medio rubi. ibid.
Moyses, Moyses. 242
16. Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, & nullus relinquat ex eo in mane. 86
Cur eduxisti nos de terra Ægypti, ubi sedebamus super ollas carnium? utinam mortui essemus in Ægypto! 94
19. Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, in quo scripsisti. 34
32. Hi sunt dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 34
34. Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus. 243

EX LIBRO LEVITICI.

CAP. 20. In lege Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. 202

EX LIBRO NUMERORUM.

CAP. 1 *Invenerunt hominem colligentem ligna in die Sabbathi.* 218
16. *Eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat.* 94
17. *Quem ex iis elegero, germinabit virga ejus.* 184
20. *Misit nuncios Moyses de Cades ad Regem Edom, qui dicerent: Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam.* 250
22. *Paratus est Rex noster honorare te.* 39
Vtinam haberem gladium, ut interficerem te. ibid.

EX LIBRO DEUTERONOMII.

CAP. 10. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* 14
Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab jubente Domino, & sepelivit, &c. 107

EX LIBRO JOSUE.

CAP. 7. *Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate.* 201
10. *Dominus, & non Deus.* 33

EX LIBRO JUDICUM.

CAP. 3. *Verbum Dei habeo ad te.* 249
14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* 245
De forti egressa est dulcedo. 99
Odisti me, & non diligis, idcircò problema propositum filiis populi mei non vis mihi indicare. 56
15. *Heu filia mea! decepisti me.* 230
16. *Tanquam removendo prohibens.* 221

EX LIBRO PRIMO REGUM.

CAP. 2. *Dominus mortificat, & vivificat.* 241
31. *Totum pondus belli versum est in Saul.* 177
14. *Extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu.* 207
6. *Fiebat manus Domini interfectionis magna nimis.* 200
17. *Non possum sic incedere.* 165
18. *Quem suscitabo tibi? Suscita mihi Samuelem.* 3

EX LIBRO SECUNDO REGUM.

CAP. 23. *O si quis mihi daret potum aquæ, quæ est in cisterna Bethlehem juxtà portam!* 229
12. *De pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in sinu illius dormiebat.* 48
18. *Filius qui natus est tibi, morte morietur.* 194
Servate mihi puerum Absalon. 256
Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua & infixit eas in corde Absalon. 10
23. *Noluit eam bibere, sed libavit eam Domino.* 229

EX LIBRO TERTIO REGUM.

CAP. 3. *Non est ita, ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.* 27
21. *Canes comedent Iezabel in campo Iezrael.* 208

EX LIBRO QUARTO REGUM.

CAP. 2. *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar à te.* 210
4. *Non habeo nisi parum olei, quo ungar.* 230

EX LIBRO ESTHER.

CAP. 5. *Si Regi placet, veniat & Aman tecum ad convivium, quod paravi.* 206

EX LIBRO JOB.

CAP. 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar.* 227
2. *Nunquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis?* 178
3. *Pereat dies in qua natus sum.* 203
4. *Tigris periit, eo quòd non haberet prædam.* 214
Vidi impios stante Deo periisse. 10

EX PSALMIS.

PSALM. 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.* 19
Omnia subjecisti sub pedibus ejus, &c. 205
Minuisti eum (id est hominem) paulò minus ab Angelis. 75
11. *Ordinatione tuâ perseverat dies.* 33
17. *Commota est, & contremuit terra.* 189
14. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* 93
17. *Eripuit me Dominus de manibus inimicorum meorum, & de manu Saul.* 74
127. *Filii tui sicut novella olivarum.* 14
28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* 33
50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* 48
Peccatum meum contra me est semper. 14

59. *In Idumeam extendam calceamentum meum.* 14
68. *Infixus sum in limo profundi, & non est, &c.* 213
82. *Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.* 238
101. *Delectamini in Domino, & exultate in Deo Iesu vestro.* 91
118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* 241
115. *Omnis homo mendax.* 28
118 *Super senes, super omnes docentes me intellexi.* 49
Latum mandatum tuum nimis. 93
131. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ.* 89
136. *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* 212

EX LIBRO PROVERBIORUM.

CAP. 6. *Piger vade ad formicam.* 222
Vade ad apem, & disce quàm operaria sit 165
8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* 37

EX CANTIC. CANTICORUM.

CAP. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* 186
Nigra sum, sed formosa, Filiæ Hierusalem 62
Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. 224
Lectulus noster floridus. 88
2. *Ego flos campi.* 257
3. *In lectulo meo quæsivi, quem diligit anima mea.* 88
Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. 217
4. *Tota pulchra es (Maria,) & macula non est in te.* 32
Veni coronaberis de capite Amana. 224
Mel, & lac sub lingua tua. 245
6. *Videntes eam filiæ Sion beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* 166
7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia principis.* 31
2. *Surge propera amica mea, speciosa mea, & veni.* 83

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. 3. *Tempus loquendi, & tempus tacendi.* 21
9 *Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* 241
35. *Penetrabilior omni gladio anceps.* ibid.
49. *Præter David, & Iosiam omnes peccatum commiserunt.* 60

EX ISAIA.

CAP. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint, &c.* 60
6. *Butyrum, & mel comedet.* 245
14. *Sedebo in monte testamenti.* 240
Omnis caro fœnum. 198
Omnis gloria ejus, quasi flos agri. 209
38. *Dispone domui tuæ, quia morieris.* 61
56. *Canes muti non valentes latrare.* 45

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. 4. *Acerbo luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem.* 120
4. *Tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra, & sacrificia, &c.* ibid.

EX DANIELE.

CAP. 33. *Vt Dominus, secundùm imperium suæ divinæ voluntatis.* 31
5. *Mane, Techel, Phares.* 208
Facies Regis commutata est, & cogitationes conturbabant eum. 6
13. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* 8

EX JONA.

CAP. 1. *Dormiebat sopore gravi.* 1

EX DIVO MATTHÆO.

CAP. 1. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.* 199
Ex ea quæ fuit Viæ. 74
2 *Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno.* 96
Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. 252
Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus. ibid.
5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* 257
Vos estis sal terræ. 250
6. *Præcepit amputari caput Ioannis in carcere.* 23
9. *Domine, filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* 167

10. *Nolite possidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* 257
11. *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ* 34
Venit inimicus homo, & superseminavit zizania. 20
13. *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod minimum, &c.* 13
Cum autem creverit; factum est majus omnibus oleribus, & fit arbor. 215
14. *Domine jube me venire ad te.* 234
16. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* 168
Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c. 186
Et portæ inferi non prævalebunt adversus eum. 11
17. *Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* 123
Faciamus hic tria tabernacula. 197
Timuerunt valdè, & ceciderunt in faciem suam. 3
Ecce nubes lucida obumbravit eos. 3
Tributum non exigitur à filiis propriis, sed ab alienis. 31
18. *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* 25
20. *Quid statis totâ die otiosi? ite & vos in vineam meam.* 233
Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & alius ad sinistram in regno tuo. 114. 253
Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, &c. 211
Obmutuit. 6
22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* 257
25. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere.* 9
Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere. 5
Conventione autem facta de denario diurno, misit illos in vineam suam. 257
Et ibunt hi in supplicium æternum. 4
26. *Venerunt duo falsi testes.* 25
Non bibam amodò de hoc genimine vitis. 4
Hoc est corpus meum. 237
27. *Projecit pecuniam in Templo.* 41
Quem vultis vobis de duobus dimitti? 42
Innocens ego sum à sanguine justi hujus. 40
27. *Angariaverunt sibi Simonem quendam, ut tolleret crucem Iesu.* 225
Viso terræ motu timuerunt valdè. 189
Velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. 242

EX DIVO MARCO.

CAP. 2. *Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* 195
5. *Crucifigatur.* 190
Qui à Dæmonio vexatus fuerat, cœpit Iesum deprecari ut esset cũ illo, & non admisit eum. 167
6. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* 21
Postula à me, quod vis, & dabo tibi, &c. 213
14. *Ut quid perditio hæc? poterat unguentum istud venundari plusquàm trecentis denariis & dari pauperibus.* 41
Cœpit pavere, tædere, & mœstus esse. Tristis est anima mea usque ad mortem. 17
15. *Mirabatur si jam obiisset.* 16
16. *Ite, dicite Discipulis ejus, & Petro, quia surrexit.* 74
8. *Interrogavit eum, si quid videret.* 254

EX DIVO LUCA.

CAP. 1. *Ave gratia plena, Dominus tecum.* 32
Benedictus fructus ventris tui. 80
Dominus tecum. 32. 85
Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. 34
Et regnabit in domo Iacob in æternum.
2. *Transeamus usque Bethleem.* 91
Et erat Anna Prophetissa de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem. 181
Tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. 229
4. *Ostendit illi omnia regna mundi.* 212
Ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis. ibid.
5. *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de navicula.* 249
7. *Et stans retrò secus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* 167
8. *Cùm turba plurima conveniret, & de civitatibus properarent ad eum.* 241
9. *Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasq; quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas.* 245
10. *Incidit in latrones, & despoliaverunt eum.* 40
11. *Cùm oratis, dicite: Panem nostrum quotidianum.* 24
12. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem.* 257
13. *Citò proferte stolam primam, induite illam.* 64
19. *Zacchæe festinans descende.* 227

16. Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. 199
18. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit. 251
Stans autem Iesus jussit illum adduci ad se, &c. 256
19. Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus. 228
22. Quantum jactus est lapidis. 88
Sequebatur eum à longè. 46
23. Non invenio causam in hoc homine. 41
Emendatum ergo illum dimittam. 42
Imposuerunt illi portare crucẽ post IESVM 225
Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? 146
Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. 15
Si filius Dei es, descende de Cruce. 147
21. Videbunt filium hominis venientem. 215
23. Memento mei, dum veneris in regnum tuum. 4. 15. 79. 186
24. Stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. 32
Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum. 236
27. Verè filius Dei erat iste. 90

EX DIVO JOANNE.

CAP. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. 219
Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. 24
Verbum caro factum est. 17
8. Vade, & jam amplius noli peccare. 4
Languores nostros ipse tulit 17
Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. 19
2. Fili, vinum non habent. 134
4. Mulier, da mihi bibere. 25
Ego misi vos metere; alii laboraverunt, & vos in labores eorum introïstis. 97
6. Ex quinque panibus, & duobus piscibus satiavit Dominus, &c. 25
Ego sum panis vivus. 17
11. Ecce quem amas, infirmatur. 254
Lazare, veni foras. 188. 244
Non poterat hic, qui aperuit oculos Cæci nati, &c. 212
13. Quo ego vado, vos non potestis venire modò. 197
Cùm accepisset buccellam, tunc in eum inimicus intravit. 175
Non lavabis mihi pedes in æternum. 216
14. Non turbetur cor vestrum neque formidet. 191
18. Quem quæritis? IESVM Nazarenum. 5
Petrus stabat ad ostium foris. Exivit ergo Discipulus alius, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. 46
Tu es Rex Iudæorum? Ergo Rex es tu. 22
19. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. 42
Cùm audisset Pilatus hos sermones. 42
Et bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. 225
Consummatum est. Et inclinato capite emisit spiritum. 145
19. Inclinato capite. 113. 189
Unus militum lancea latus ejus aperuit. 164
20. Nesciebat quia IESVS est, existimans, quod hortulanus esset. 254
Noli me tangere. 188
21. Conversus Petrus vidit illum Discipulum, &c. 74

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

CAP. 5. Afferens partem quandam ad pedes Apostolorum. 244
6. Stephanus plenus Spiritu Sancto. 97
7. Durâ cervice, & circumcisis cordibus, vos Spiritui Sancto resistitis, sicut & Patres vestri, ita & vos. 23
Domine, ne statuas illis hoc peccatum. 97
Sol justitiæ Christus. 92
12. Lumen refulsit in habitaculo. 46

EX EPIST. AD CORINTHIOS.

CAP. 4. Momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 95
11. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, &c. 95
Si Christus non surrexisset, inanis esset fides nostra. 420

EX APOCALYPSI.

CAP. 10. Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. 16
12. Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim. 255
Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: ut cum peperisset, filium ejus devoraret. 179
14. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. 61

INDEX RERUM MAXIME MEMORABILIVM QUÆ IN HAC PARTE ADVENTUALIS DISCURSUUM PRÆDICABILIUM CONTINENTUR.

ABIES.

Cur jussus est ululare. 201

ABRAHAM

Non indicat famulis de sacrificio. 165
Promptitudo ejus in sacrificio. 145
Parcus erga Ismaelem. 185
Patriam & cognationem relinquit. 98
Sollicitus pro Isaac, ne desponsaretur cum Chananea.

ABSALON

Occiditur. 16
Parenti rebellis. 129
Vocatur à patre puer. 256

ACTÆON

In cervum conversus à canibus discerpitur. 52.

ÆGEUS

In Mare se projicit. 129

ÆNEAS

Pius erga patrem. 31

ÆTHIOPES

Cur nigri & infames. 27

AGESILAUS

Interrogatus de amplitudine sui regni quid responderit 15

AMBITIO.

Quid illa sit, & qualis ambitiosus. 127
Ambitio Romuli, Luciferi, & Herodis. 125 *& seq.*
Ambitiosus est traditor perfidissimus. 127
Ambitiosus quodvis peccatum committit. 127

S. ANDREAS APOSTOLUS,

Detegit fallaciam dæmonis. 20
Miracula ab eo patrata. 15. 16
Devotio erga hunc Sanctum commendatur. 20
Continet perfectiones reliquorum Sanctorum, & ideò colitur ab Ecclesia die ultimâ Novembris. 18
Splendore cælico moriens honoratur. 17
Cur Andreas & Petrus vocati à Christo. 11. *& seq*
Fuit Christi imitator. 12
Assimulatur Coralio. 12
Piscatus est non hamo, sed reti, quare? 13
Fuit Christi coadjutor in acquisitione animarum. 13
Propagavit Ecclesiæ principatum. 14
Vicarius Christi. 14
Exturbavit è dominio Sathanam. 14. *& seq.*
Adimplentur in eo verba Christi, *Omnia traham ad meipsum.* 18
Crucifixus in transversum, quare? 15
Labores ejus pro Ecclesia. 16
Lætus ad Crucem properat. 17
Primogenitus inter Apostolos & hæres Christi. 18
Pependit triduo in Cruce, & Christus tribus horis. 16
Solvit pro Christo, amoris debitum. 16
Mortuum suscitat pedum contactu. 15
Fecit mirabilia in mari & in terra. 15
Extendit in Cruce manus ad 4. mundi partes. 15
Crucifixus aliter quàm Christus, quare? 15
Lucratus terras & integra regna Christo. 15
Figuratus in benedictione Jacob. 14
Crux ejus facta ex lignis olivæ & inserta Palma. 14

ANGELUS,

Non videt Balaam Angelum. 39
Angelum videt Joannes in Apocalypsi. 15
Angelus ad sepulchrum facit expressè mentionem de Petro. 64
Angelus impedit Abraham, ne sacrificet. 74
Angelorum cantus in Nativitate Christi. 78

Lazarus ab Angelis multis portatur. 177
Angeli pinguntur in ætate juvenili. 96

ANIMALIA.

Adamo rebellant. 51
Quid eis innatum. 99
Diluvio etiam absorbentur. 186
Visio Ezechielis mysteriosa. 107
A Deo non fuerunt benedicta. 185

AQUA.

Scotusæ aqua miranda. 59
Aqua quid designet. 164
Apponitur in calice consecrationis. 77
Conjunctio ejus cum luce. 54

ARCA NOE

Facta ex lignis quadratis. 111
Fenestram habebat in summitate. 48

ACRHANGELUS

Gabriel salutans B. V. M. cur non ait: *Dominus est tecum*? 31
Legatio ejus describitur. 75

ARCHIAS.

Dum procrastinat, occiditur. 149

ARCHIMEDES.

Occiditur incognitus. 83

ARGUS.

Obdormit adsonum fistulæ. 38

ARIMASPI.

Auro inhiant. 39

ARISTOBULUS.

Matrem fame occidit. 129

ARISTODEMUS.

Duos habuit filios maximè similes. 95

ARISTOTELES.

Platoni erexit epitaphium. 101
Monitum politicum. 174

ARTAXERXES.

Legem condit contra mendacia. 28
Tenax nimium cautè reprehenditur. 174

ASINA.

Sensatè locuta est Baalam. 40

AVARITIA, AVARUS.

Ejus descriptio. Vide tot discurs. Dom. 3. Advent. 38
Avarus ejusque proprietas. 39
Causa est multorum malorum. 40
Avari plures recensentur, & quid egerint. 39
Avari cupiditas pejor Tyranno. 39
Avarus instar cameli. 39
Tales fuit Jacob. 40
Avaritia surdos & cæcos efficit. 40
Ira Baalam contigit. 40
Cyrus avarus. 40
Avarus nec proprio sanguini parcit, ut videre est in filiis Jacob. 40
Avaritiâ prævaluit Judas. 40
Judæ proditoris cupiditas pessima. 40
Pilatus quid fecerit avaritiâ impulsus. 41
Mulieres maximè avaræ. 42
Eryphile talis erat. 42
Romanorum lex olim quid vetans? 42
Mulier pravâ cupiditate accensa quidvis audet & licitum putat. 43
Avari cupiditas insatiabilis. 43
Avarus furta sua Deo attribuit, exẽplo Jacob. 45
Legem sibi format & interpretatur. 45
Ubi regnat avaritia, lex non curatur, ut patet in Samaritanis. 45
Etiam in curiis hoc vitium reperitur. 45
Avarus justitiam non curat. 46
Avari Judicis propensio. 46
Nemo ab hac cupiditate liber. 46
S. Joannes gratus in aula Pilati, quare? 46
Qui non stupet proprio commodo, Angelus ipse. 46

AUGUSTUS IMPERATOR.

Oculis ceu fulgure terrebat. 5

AULICI.

Avaritia capti, ut canes sunt. 45

AUTOLIA.

Affligitur ob mortem Ulyssis. 118

AUXILIUM DIVINUM.

Ad benè operandum est necessarium. 150. *& seq.*
Asserit Christus. *ibid.*
Confirmat S. Paulus. 151
Sponsa cœlestis trahi desiderat. *ibid.*
Stella Magos dirigit. *ibid.*
Dominus innixus scalæ quid innuit? *ibid.*
Cur dicimus: *Adveniat regnum tuum.* *ibid.*
Frustra vigilamus, si non custodiat Deus. *ibid.*
Neque ipsum malum vitare possumus sine Dei ope. *ibid.*
Ideò orabat sapientissimus Salomon. *ibid.*
Qui humanum quærit auxilium, sæpiùs perdit Divinum *ibid.*

BACTRIANI.

Parentes jam senes canibus laniandos objiciunt 138

BALAAM.

Surdus & cæcus. 40

BALTHASAR.

Cruciatur à conscientia. 7
In pleno convivio turbatur. 198

BAPTISMUS.

Quid sit, ejusque affectus. 59

BELIDES.
Torquentur extremis suppliciis. 48
BELISARIUS.
Repentè fit miser. 199
BENEDICTIO.
Mysteriosa Benedictio Jacob. 14
BENEFICIA.
Unum à Deo collatum beneficium ad altetum dandum invitat. 183
Exprobrabuntur in die judicii. 10
BESSUS.
Conscientiæ patitur stimulum. 7
BIZANTIUM
Civitas Philippo Macedonum Regi desideratissima. 78
BONA TEMPORALIA.
Rosæ comparantur. Vide toto discursu Dominicæ 5. post Epiphaniam. 198
Momentanea sunt. 202
Instar fluminis transeunt. *ibid.*
BULLÆ PONTIFICIÆ.
Conceptionem Deiparæ immaculatam ostendunt. 35
BUTYRUM.
Quid Butyrum & mel significent. 79
CÆLUM.
Cæli contemplatio labores mitigat. 83. *& seq.*
Deus fenestram petit in Arca Noë, quare? 84
CÆSAR.
Quomodo salvet Commentarios? 31
Pompejum tarditatis arguit. 143
Occiditur. 9
CAIN.
Patrem & Matrem honorat ipse licet impius. 119
Deformatus per peccatum. 52
Munera ejus Deo non grata. 145
Conscientiæ sentit remorsum. 9
Obtulit Deo pessimum. 215
CAMBYSES.
Inimicus veritatis. 23. *& seq.*
CAMILLA.
Vidua noluit inire secundū matrimonium. 171
CAPILLI.
Magni pretii apud mulieres. 215
Venditi ab Absalone ducentis siclis. *ibid.*
CARITAS.
Annonh caritas describitur. 188
CARNEADES.
Facundus eloquio. 131
CAROLUS.
Octavus Gallorum Rex, ejusque dictum. Carolus V. Horologium habuit mirabile. 25
CERA.
Virginea cera aquam salsam indulcorat. 89
CERVUS.
Quid facit naturali instinctu. 92
CHAM.
Patrem derisit, ideò Chananæi sunt opprobrio. 128
CHANAAN.
Cur maledictus? 52
Maledictionem Patris sustinet. 190
CHRISTUS.
Advocatus fit adulteræ. 4
Sudare fecit terram Seïr & Regionem Edom. 5
Prosternit milites in horto Gethsemani, quomodo? 5
Inexorabilis in die judicii. *ibid.*
Enecabit flatu in die illa tremenda. 20
Exprobabit beneficia collata. 10
Cur elegit duos Apostolos Petrum & Andream. 12
Piscator animarum. 13
Crucifixus junctis pedibus, non Andreas. 14
Satisfacit strictè justitiæ, non ita videtur amori. 16
Pependit in cruce 3. horis, Andreas 2. diebus. *ib.*
Ad aspectum Crucis trepidat Christus, non Andreas. 17
Nathanaelem ad Apostolatum non admisit. 19
Voluit ut superessent 12. cophini fragmentorum. 24
Lavare voluit pedes Apostolorum, quare? 32
Quomodo dederit Apostolis pacem. *ibid.*
Conceptionem Virginis Matris immaculatam declarat. 34
Salvator MARIÆ. 36
Tantum faceret pro salute unius animæ, quantū pro redemptione totius generis humani. 65
Quam desideraverit Thomæ salutem. *ibid.*
Ostendit Thomæ cor suum. *ibid.*
Fit medicus ad curandum Thomam. *ibid.*
Plus videtur propensus ut peccatoribus faveat quam justis. *ibid.*
Gloriatur se natum ex stirpe David. *ibid.*
Cur nascitur mundo? 76
Prognosticatio Christo facta. *ibid.*
Desiderat & delectatur cum hominibus conversari, ut patet ex mixtione aquæ in calice, & ex successione ejus ab Apostolis in horto Gethsemani. *ibid. & seq.*
Prædicitur quod butyrum & mel comeder, cur? 235

Circumcisio ejus, toto discursu. 130
Videre Christum, recreat in tormentis. 10
Ideò lapides Stephano dulces visi. 87. & toto discursu.
S. Joseph in fuga Ægypti molestias non sensit, quia præsens erat JESUS. *ibid.*
Dulces Stephano lapides viso Christo. *ibid.*
Apparet Adolescenti Senensi Novitio in Ordine S. August. 91
Spiritum suum dedit Joanni. 96
Cur dicitur interrogasse & audivisse Doctores, non verò docuisse? 167
Mediâ nocte nascitur. *ibid.*
Ad discipulorum consortium non admittit ex iis, quos miraculosè sanavit quare? 157
Magis adorantibus non loquitur. 300
Odit vanam gloriam. 157
Non respondet malos fore ut dæmones in Inferno, cùm jam dixisset bonos fore ut Angelos in cœlo. 172
Liberalissimus. V. de toto discursu Dominicæ 3. post Epiphaniam. 173. *& seq.*
Cur dicitur regnaturus in domo Jacob? 174
Sollicitè expectat ut gratias largiatur, & preces sæpè prævenit. 175
In Cruce pendet manibus clavis perforatis, cur? *ibid.*
Plus largitur quàm fert petitio. 177. *& seq.*
Noluit à Magdalena tangi, quare? *ibid.*
Lazarum mori permisit ut majorem sororibus præstaret gratiam. 178
Glotiatur de liberalitate. *ibid.*
Gratias agit latroni quod Paradisum petierit. 179
Terræ motus liberalitatem in Passione expressit. *ibid.*
Inclinato capite moriens, quare? 180
Cur latus à Longino aperiri sibi voluit? *ibid.*
Non opus à Christo petere auxilium, sufficit necessitatem & desiderium innuere, patet ex diversis. 181. *& seq.*
Obliviscitur quodammodò sui ut aliis donet ib.
Hebræi volebant illum lapidare cum adultera. 192.
Imago ejus confracta ab impiis luforibus. *ibid.*
Inclinavit caput ad dextrum latus, quare? 110
Ut obediret Patri, rogatus ab Hebræis de Cruce descendere noluit. 120
Discipulum unum ex duobus non admisit, quare? 126
Matrem honorat usque ad mortem. *ibid.*
Sanguis in circumcisione effusus quid significet? 131
Cur nasci voluit ex semine Hebræorum. *ibid.*
Similis febricitanti 133
Non voluit in corpore habere membrum unum illæsum. 135
Mortem anticipat ad duos annos, quare? *ibid.*
Cur datum ei nomen JESUS. 138
Non fuit ei partialiter affectus. 139. *& seq.*
Commendat Patri spiritum, non carnem. 145
Cur potiùs assumat Petrum, Jacobum & Joannem ad Transfigurationis gloriam, quàm alios Apostolos. 218
Fertur in cælum & cicatrices manuum ostendit. 226
Dulcissimus ejus sermo. 235. *& seq.*
Cur restituit Malcho auriculam. 239
Visitat personaliter Magos. 242. *& seq.*
Comparatus est flori. 258

CICONIA.

Pietatis officia exhibet parentibus caducis. 127

CLEOPATRA.

Prodiga fuit. 181
Ejus facundia. 235

CONCILIUM.

Approbat Conceptionem immaculatam B. V. M. 35

CONJUGATI.

Non reperiuntur in cœlo. 177

CONSCIENTIA.

Remorsus conscientiæ intolerabilis. 5
Experti sunt conscientiæ remorsum Nero, Balthasar, Judas, Theodoricus, Herodes, Susanna, Bessius Patricida, Petrus & Cain. 5. *& seq.*
Cur aliqui remorsum conscientiæ non sentiat. 8
Serpenti comparatur. 9

CONSUETUDO.

Judas quid facere solitus? 40
Mos Romanorum. 93
Romani in nuptiis nuces spargebant. 166
Caspii parentes fame enecant. 127

CONVIVIUM.

Balthasaris convivium refertur. 198

CORALIUM.

Quid sit, ejusque proprietas.

CORNELIUS DOLABELLA.

Ad summam calamitatem redactus. 48

CORNELIA ROMANA.

Nil in mundo testatur habere charius quàm liberos. 118

CROESUS.

Quid illi mirum acciderit?

CRUDELITAS.
Herodes crudelissimus. 25
Nationes erga parentes inhumanæ. 127
CRUX.
Dulcis facta clavis Christi. 19
Crux à S. Thoma lapidi impressa. 57
Crucifixio somno repræsentata quid? 115
Crux Petro Apostolo datur in præmium. 109
Est victorum corona. ibid.
Magis desiderabilis est quàm gloria. 110
CUPIDO.
Emblemate exprimitur 197
Lachrymis flectitur à Psiche. 215
CURRUS.
Platonis currus describitur. 128. & seq.
S. CYRILLUS.
Martyrium accepit pro mercede. 110
CYRUS.
Avarus. 40
Liberalis. 179
DALILA.
Astutia ejus. 56
DAMNATI.
Illorum tormentum in die judicii. 5
Ultro ibunt in infernum. 5
Cur multi damnati? 6
Confundentur vulneribus Christi. 10
DAVID.
Cur credidit parabolam de ove esse veram? 40
Occidit gigantem. 53
Cur dictus in Scriptura non peccasse? 60
Lubens laborat propter retributionem. 83
Victo Goliath ensem Deo consecrat, non lapidem. 156
Offert Deo aquam. 214
DESIDERIUM.
Magno æstuabat desiderio Christus, ut pro genere humano pateretur & sanguinem funderet. Vide toto discursu in fest. Circumc. 130
Cur natus ex stirpe Hebraica? 131
Petrum ut sathanam tractat Christus & Judam ut amicum, quare? 132
Orat ut transeat calix, quia nimis parvus. 133
It obviam militum cohorti. ibid.
Conqueritur quod tam cito debeat mori. 134
In cœna non aderat Virgo Deipara. ibid.
Vide *Christus.*
DEUS.
Utitur instrumentis infirmis ut confundat fortia. 29. & seq.
Petit veritatem à Adamo, non Eva. 25
Deus se totum impendit in creatione hominis. Desiderat esse cum hominibus, &c. ibid. & seq.
Acceptat opera facta in abscondito. 154
Omne bonum nostrum à Deo est. 165
Liberalis valde, ne dicam, prodigus. 174. & seq.
Talis erga nos Deus est, j quales nos erga illum. Vide *toto discurs. Dom Quinquag.* 141
DEXTRA.
Quid significet dextra? quid sinistra? 110
DIABOLUS.
Ejus astutia. 152
Tentat Evam in forma serpentis, cur non columbæ.
Si pœnitere posset, Deus ignosceret. 67
Accusat peccatorem agonizantem. 211
Tentat in parvis, ut ad gravia pertrahat. ibid.
DIES.
Initium anni, si à Dominica, quid signet. 130
Septem hebdomadæ diebus prædominantur Planetæ. 233
DIFFERENTIA.
Inter granum seminatum à Villico, & illud quod à formica sub terra reconditum. 212
Inter prodigalitatem & liberalitatem. 179
Inter *ambulare* & *deambulare.* 77
Inter *Deum* & *hominem.* 33
Inter propositionem universalem *politicè*, & universalem *Logicè.*
DIFFICULTAS.
Circa immaculatam conceptionē exponitur. 36
DILUVIUM.
Ejus descriptio. 58
DIOMEDES.
Equus ejus fatalis describitur. 48
DISCORDIA.
Sopitur à Lycurgo. 38
DIVITIÆ.
Salutem animæ impediunt. 43
Datæ sunt à Deo, ut iis benè utamur. 44. 45
DOMITIANUS.
In conflictu læsus quid dixerit. 131
DUELLUM.
Concertant humanum & divinum suppositum in Incarnatione Verbi. 33
Bellum inter naturam humanam & gratiam divinam. ibid.
ECHO.
Describitur. 176
EDUCATIO.
Filii magnâ curâ educandi. 128
EGEON.
Verbum Dei reverenter excipit. 230

ELIAS.
Quomodo non senserit ardorem flammæ; 87
Quam Deus illi cum Enoch dabit mercedem? 169
ELISÆUS.
Cur petivit duplicem spiritum? 200
Cur imposuit silentium Giezi? 144. & seq.
ENOS.
Quid significat? 29
Hic primus prædicator. ibid.
EPAMINONDAS.
Occidit proprium filium.
Moriens quid fecit? 103
EPITAPHIUM.
Platonis Epitaphium. 101
Alexandri Magni. 204
ERYPHILE.
Quid fecerit ex avaritia. 34
ESAU.
Honoravit parentes. 119
EVA.
Odit veritatem. 25
Prudenter respondit, *Vetuit Deus, ne tangeremus.* 208
EUCHARISTIA.
Cur dicta moneta panis? 247
FEBRIS.
Undi oritur, & omnis infirmitas? 191
FELICITAS.
In mundo nulla sincera est & constans. Vide toto discursu Dom. 5. post Epiph. 195. & seq.
Diagoras gaudio immoritur. ibid.
Aman in felicitate fit miser. 196
Jonathas in dulcedine mellis mortis amaritudinem reperit. 197
Somnium est, ibid.
Lia & Rachel habuerunt spinas & flores. ibid.
Felix homo papilioni comparatur. ibid.
Balthasar in apice felicitatis perit. 198
In contractu sponsorum mentio fit mortis. ibid.
Jezabel devorata à canibus in campo Jezrael. ibid.
Felicitas præsens segeti amœnissimæ æquiparatur. 199
Flori comparatur. ibid.
Sejanus & Belisarius ostendunt quàm sit fallax mundi felicitas. ibid.
Felix timere debet. 200
FENESTRÆ.
Cur in summitate Arcæ Noe? 84
FERVOR.
Servorum Dei tria genera. 149
Quis fervidus? ibid.
FICUS.
Quantò magis irrigatur, magis sterilescit. 181
Cur à Deo maledicta? 186
Quomodo arefacta? 232
FIDES.
Quomodo repræsentata ab Antiquis? 57
FIGURA.
Quadrata quid sit? 111
FIILIUS.
Filii simillimi. 95
Filii Moncada dormientes. 174
Filius prodigus exaltatus per pœnitentiam. 63
Filii patiuntur ob parentum delicta. 188 & seq.
Filiæ erga matrem pietas. 121
Filii honorent patrem & matrem. ibid.
Obediendum parentibus. 122. & seq.
Primum præceptum secundæ tabulæ. ibid. & seq.
Utilitas filiorum qui honorant & amant parentes. ibid.
Punitio eorum, qui malè parentes tractant. ibid.
Exosi sunt inobedientes, &c. ibid.
Succurrendum parentum necessitatibus. 123. & seq.
Christus repudiat filios ingratos, &c. 125
Sollicite in pueritia educandi. 128
Monendi & arguendi à parentibus. ibid. & seq.
Ad statum sibi competentem promovendi. 129
Parentes cantant filii officium mortuorum. ibid.
Non ita perditè amandi. ibid.
FLOS.
Comparatur flori humana felicitas. 199
FOECUNDITAS.
An optanda magis quam sterilitas? 121
FOENUM.
Typus humanæ felicitatis. 205
FONS.
In Epiro frigidissimus fons est, in quo faces extinctæ accenduntur. 56
FORMICA.
Quomodo fiat leo? 209
Quis naturæ instinctus? 212
FRUCTUS.
Qui crescunt in Petra Pentapolis. 159
GABELLA.
Imponitur mendaciis. 28

GALLUS.
Conscientiæ symbolum. 59
GLORIA.
Cœlestis gloria repræsentata per denarium. 247
GOLIATH.
Quomodo à Davide occiditur. 194
GRANDO.
Cremonæ lapidi inscriptum I.N.R.I 138
HÆREDITAS.
Primogenito competit. 18
HAMUS.
Verbum Dei hamo piscatorio comparatur. 235
HEBRÆI.
Illorum servitus describitur. 84
HERODES.
Quam crudelis. 25
Torquetur à conscientia. 6
Ambitiosus. 115
HERODIAS.
Quid egit, ne à Joanne iterum audiret veritatem. 26
HERCULES.
Ejus facundia. 231
HIERUSALEM.
Civitas beata sculpta in annulis Hebræorum. 85
HOMO.
Mendax est. 28
Dementatur per peccatum. 48. *& seq.*
Transformatus in bestiam, &c. 25. *& seq.*
Homo deliciæ Dei & paradisus. 79
Quomodo armandus contra dæmonem. 193
HONOR.
Filii parentes honorent. 122. *& seq.*
Vide. *Filius.*
HORA.
Per horas diei Apostoli repræsentantur. 57
HUMANITAS.
Christi humanitas, ejusque virtus. 76
HUMILIS.
Qui se humiliat exaltatur. 216
HYPOCRITÆ.
Similes fructibus Pentapolis. 159
Vulpinum occultant, quod agninum ostentant. 161
JACOB.
Quid responderit patri. 44
Quomodo benedixerit Manassem & Ephraim. 44
Quomodo sustulerit lapidem de ore putei.
Liberalis erga filios. 174
Reprehendit filium Joseph de somnio. 120
IDOLOLATRIA.
Quit sit & unde orta? 210
JEPHTE.
Sacrificare voluit quod habebat vilius. 211
JESUS.
Nomen virtutis admirabilis. 138. *& seq.*
Dæmones contremiscunt. *ibid.*
Filius Dei cur vocetur hoc nomine? 139
S Augustinus devotus nomini JESU. 141
Beatus ille, qui invocat nomen JESU. *ibid.*
JEZABEL.
Cur in campo Jezrael devorata sit à canibus. 198
IGNORANS.
Confundit argutissimum Philosophum. 20
INCARNATIO.
In annulo Salomonis repræsentata. 78
Quam desiderata à Verbo. Vide toto discursu in festo Nativ. Domini. 71
Cur non incarnatur Pater, non Spiritus S. 53
INFANTES.
Idonei ad laudandum Deum. 20
INFELICITAS.
Magis optanda quam felicitas. 201
INGRATITUDO.
Multæ nationes ingratæ erga parentes. 127
INNOCENTES.
Glorificati sunt quando martyres facti. 107
Evenit illis quod equo pictoris. 111
Sicut arena, palma, & Phœnix. *ibid.*
Vide *Martyrium.*
INSTABILITAS.
Nullum in mundo stabile. 202. *& seq.*
Regna mundi instabilia Christo in ictu oculi monstrata. 203
Bona mundi instabilia instar aquæ currentis. *ibid.*
Pro tripudio offeruntur. 204
Romulus ea fœno comparavit. *ibid.*
INVENTOR.
Primi rerum inventores. 99
S. JOANNES APOSTOLUS.
Gratus erat in aula Pilati.
Lilio comparatur. Vide tot. disc. Festi. 94
Erat Christo similis. 95
Accepit Christi spiritum. *ibid.*
Pingitur juvenis, moritur senex. 96
Videbatur Christus sacramentatus. *ibid.*
Particeps quasi divinitatis. 97
Corpus ejus non reperitur, quare? *ibid.*
Doctrinâ excellentior Apostolis & Evangelistis. *ibid.*

Primus edidit Theologiam. 99
Privilegiatus in amore Christi. *ibid.*
Comparatur horologio Principis, &c. 100
Horologium & scutum Christi, &c. *ibid & seq.*
An sit mortuus? 103. & 104
Plusquam martyr. *ibid.*

S. JOANNES BAPTISTA.

Natus ad prædicandum veritatem. 24
Vide *Veritas*.

JONAS.

Naufragium ejus describitur. 1. & 2
Mavult mori quam haberi mendax. 27

JOB.

Opera supererogationis perfecit. 217
Ad dextram orientis calamitates prodiisse, ait: 110
Prudenter factum. 152
Detestatur noctem conceptionis. 193

JONATHAS.

In mellis dulcedine amaritudinem mortis repetit. 197

JOSEPH.

S. Joseph sponsus B.V. Mariæ fugiens in Ægyptum non fatigatur. 88
Proficiscitur in Bethlehem cum MARIA. 75. *& seq.*
Affectus ejus erga Jesum. 80 *& seq.*
Joseph Hebræus Patriarcha patri obedit. 111
Reprehenditur à Patre de somnio. 120
Joseph, id est, accrescens. 183
Honoratur à fratribus in Ægypto. 40

ISABELLA VALERIA.

Ejus symbolum.

JUDAS.

Tradit Christum Judæis. 5
Patitur conscientiæ remorsum. 7
Ejus avaritia pessima.
Vide *Avaritia, Desiderium, punire, Verbum Dei.*

JUDICIUM.

Judicium universale. Vide toto discursu Dom. 1 *Adv.*
Rex semper tristis meditato judicio. 2
Samuel expavescit comparationem ad judicium recogitans. 3
Apostoli terrentur in monte Thabor. 3
Adulteram Christus à peccato coercet timore futuri judicii. 4
Latro metu judicii perculsus, fit Deo supplex. 4
Damnatos plus torquebit judicium imminens, quam totus infernus. 5
Christus Judex terrebit voce & vultu plus quam Aurelius Victor Imperator. 5
Expertus est Judas & cum eo militum cohors in horto Gethsemani. 5
Christus sudare fecit terram Seir & regionem Edom, & quomodo? 5
Petræ contererentur si non judicii expertes sint. 5
Sanctus Hilarion trepidat moriens intuitu judicii. 5
Damnatis non erit ibi excusandi locus, ut ostenditur ex eo qui *obmutuit*. 6
Christus erit inexorabilis, &c. 6
Maximus reproborum cruciatus conscientiæ remorsus. 7
Quantus sit ex conscientiæ remorsu dolor, ostenditur ex diversis eventibus, Neronis pura, Balthasaris, Judæ, Herodis, Theodorici, Susannæ & Cain. 7 *& seq.*
Cur multi damnati, multi salvati, dicetur in die judicii. 8
Alterum damnatorum tormentum longe gravissimum, à Christo Salvatore plecti æternæ mortis sententiâ. 9
Demonstratur ex tristi eventu Regis Sennacharib, Absalonis, ex mente impiorum, cæcitate Tobiæ. 9. & 10
Vulnera Christus ostendet ad peccatoris confusionem. 10

JULIUS CÆSAR.

In mare prosiliens quid fecerit? 30

LABOR.

Dulcescit cæli intuitu. 83. *& seq.*
Adam à Deo in paradiso ponitur, ut laboret. 229
Vide *Otium, Tribulatio.*

LACHRIMÆ.

In pretio sunt apud mulieres. 220

LATRO.

Timet in cruce.
Egit pœnitentiam primâ horâ. 68
Vide *Christus, Pœnitentia.*

LAZARUS.

Portatur in cælum à multis Angelis. 177
Cur permissus mori. 178
Mors ejus describitur. 43

LIBERALITAS.

DEI & hominum liberalitas expenditur. Vide toto discursu Dom. 3. post Epiphaniam. 174
Vide *Christus.*

LIMBUS.

Paradisus Christi intelligitur. 79

LUCIFER.

Peccat ambitione. 116
Ex cælo deturbatur, quia otiosus esse volebat. 230

MAGDALENA.

Tria obtulit Christo. 220
Ter unxit corpus Christi. 105
Vocatur à Domino mulier. 244
Noluit ab ea Salvator tangi. 178
Vide *Promptitudo, Verbum Dei.*

MAGI.

Non defatigantur in via. 87
Citò pergunt ad Regem natum. 143
Christus personaliter eis indicat. 242

MARIA.

MARIA Virgo adumbrata variis hieroglyphicis. 29
Assimilata domui Rahab. 30
Sicut Arca in transitu Jordanis. 30
Sicut Jonas & Daniel. 30
Sicut arbor in India. 30
Sicut mulier primos maturos fructus ad civitatem deferens. 31
Accepit beneficium gratiæ absque pensione culpæ. 31
Ejus immaculata Conceptio demonstratur ex Incarnatione Verbi. 31
MARIA exauro purissimo. 31
Cur gressus ejus quàm pulchri laudentur? 31
Cur filia Aminadab? 32
Fuit sine macula omni tempore. 33
Probat Angelus dicendo: *Dominus tecum.* 33. & 34
Contenduntur in Deipara natura & gratia. 35
Liber sine menda. 36
Immaculata declaratur à Christo. 36. & 37
Probatur ex legibus, Conciliis & Bullis summorum Pontificum. 35
Miraculum factum intuitu Conceptionis. 35
Redempta est *ante lapsum*, non *post lapsum.* 36
Habuit debitum contrahendi, non tamen contraxit peccati maculam. 36
Redempta à Christo, quomodo? 36
Melius est hominem præservare ne in servitutem redigatur, quam jam redactum redimere. 36
Adam & Eva creati in gratia, & sine macula peccati, cur non MARIA? 37
Maluisset insilire in infernum quàm labem originalem contrahere. 37
S. Thomas Aquinas apparet Faustino Episcopo Paduano, eumque informat de Immaculata Conceptione B.V.M. 37
Ipsamet revelat S. Brigittæ. 37
Scala Jacob. 73
Nativitas ejus à Deo desiderata. *ibid.*
Complementum SS. Trinitatis. 74
Parturiens describitur. 76
Vadit in Bethlehem. *ibid.*
Affectus erga Jesulum recens natum. 81
Orat pro sancto Stephano. 89
Dignitatem suam acceptam Deo refert. 163
Dicit Filio, vinum deficere, non petit miraculum. 182
Imagines ejus contritæ à lusoribus 192
Cur non in cœna cum Christo 255
Cur voluerit purificari. 214
Præmiatur à Christo. 245

MARTHA.

An avaritiæ obnoxia? 43

MARITUS.

In veteri lege permissæ plures uxores, non in nova. 167
Unus projecit uxorem in mare ut onus gravissimum. 169
Aliqu s sustulit humeris uxorem, cùm alii crucem. 169
Alius quærit submersam uxorem adverso flumine. *ibid.*
Diabolus est uxoris. 169
Deliberandum sollicitè pro ducenda uxore. 169
Multi uxores quærunt, ut qui vulpem. 171
Plus curant dotem quam uxoris personam. 170
Uxorem amare debet utpotè ex costis ejus desumptam. 172
Fœlix ille qui uxorem sortitur bonam. 173
Surdus esse debet. 172
Vide *Matrimonium, Vxor.*

MARSYAS.

Ab Apolline excoriatus. 121

MARTIA.

Nihil hac vilius & pejus habuit Cato. 170
Noluit iterum nubere. 171
A fulmine non læditur. 162
Subito supplicio mortis plectitur. 199

MARTYRIUM.

Dulce Apostolis visum. 88
Semper comitatur gloria. Vide toto discursu in Festo SS. Innocent. 106

MATRIMONIUM.

Status matrimonii describitur toto discursu Dom. 2. post Epiphaniam. 163
Dolores in eo plurimi. *ibid. & seq.*
S. Paulus non valet miserias satis exprimere. 164
Tertullianus cum manna comparat. 165
Æquiparatur pomo paradisi. *ibid.*
Assimilatur nuci, senectuti, piscibus. *ibid & seq.*
Non reperitur in cælo. 166
Nil miserius. *ibid & seq.*
Abraham non fruitur visitatione Dei mortuâ uxore. *ibid.*
Matrimonium cur dictum potiùs à matre quàm à patre. 172
Maritare quasi mari dare. 171
Quare mulier propriè nubit, non vir. *ibid.*
Vide *Maritus, uxor.*

MELIORA.

Deo offerenda optima. 219

MENDACIUM.

Commune est, & ubique prævalet. 27
Probatur in sacra Scriptura ex mattibus illis recurrentibus ad Salomonis tribunal. 27
Jonas maluit mori quàm argui de mendacio. 28
Diabolus Author mendacii. 28
Diabolo mendacior est mulier. 28
Mulieres plerumque mendaces, ideò testari prohibentur. 28
Principi consulitur imponere gabellas mulierum mendaciis. 28
Omnis homo mendax, quomodo verum? 28
Leges Persarum contra mendacium. 28
Artaxerxes mendaces crudeliter punit. 29

MINIMA.

Cavenda sunt. 204

MONITUM.

Observandum à marito & uxore. 172
Dictum à Ptolomæo. 174
Docet Aristoteles. *ibid.*
Inculcat Pythagoras. 175

MORA.

Detestabilis in agendis. *141. & seq.*
Alexander militem parum morantem repudiat. 149
Archias dum nimis moratur, crudeliter occisus. *ibid.*
Divinis inspirationibus statim obtemperandum. *ibid.*

MORS.

Est incerta. 70
Mortis signa. *ibid.*

MOYSES.

Attrahitur Verbo Dei. 237
Contrivit vitulum aureum. *ibid.*
Annulum dedit Hebræis cùm in servitute. 85
Mandatur ut calceos extrahat. 226

MULIER.

Inimica veritatis. 24. 18
Potens est. 21
Mendax est. 24. 28
Vetula speculum repertum abjicit. 28
Discipula diaboli in mentiendo. 28
Diabolo falsior. 28
Non potest testari. 28
Mendaciloqua intitulatur. 29
Exempta à Gabellis in civitate quadam. 30
Vide *Avaritia, mendacium, uxor.*

MUNDUS.

Non habet mel sine felle. Vide toto discursu Dom. 5. post Epiphaniam. 195
Vide *Felicitas, Infœlicitas, Instabilitas.*

MUSCA.

De ea refert S. Augustinus. 209

NATHANAEL.

A Christo ad Apostolatum non admittitur, quare? 19

NATIVITAS.

Hominum natalis olim celebris. 95
Natalis Christi. 71. *& seq.*

NATURA.

Occultat pretiosissima. 153

OBEDIENTIA.

Filii obtemperare debent parentibus. 119. *& seq.*
Ut perfecta sit, quid requiratur. 214 *& seq.*

OCCASIO.

Mali omnis occasio vitanda. 211

OPERA.

Supererogationis opera facienda. 219. *& seq.*
Bona opera non ostentanda. 153 *& seq.*

OTIUM.

Fugiendum est. 218

PAPILIO.

Candelæ lucem ambit & perit. 197

PARADISUS.

Ubi reperitur. 79

PARENTES.

Causa punitionis filiorum. 188 *& seq.*

PARTIALITAS.

Odiosa est, & Christus eam abhorret. 138 *& seq.*

PAUSANIAS.

Avaritiâ impulsus quid egit? 39

PHARAO.

Crudelis in servos. 207

PECCATOR.

Ejus tormentum in die judicii. 6. *& seq.*
Status miser. Vide toto discursu in Festo S. Thomæ. 47

PECCATUM ORIGINALE.

Quomodo contrahatur. 29
Diversis similitudinibus exprimitur. 30
Origo omnis mali. 195

PECCATUM MORTALE.

Peccatum comparatur equo Diomedis. 48
Dementat Regem David, sanctum Petrum, Filium prodigum, Cain, servum Evangelicum, Pilatum, Jonam, Adam & Evam, denique S. Thomam Apostolum. 49
In bestiam transformatur peccator, ut contigit Adamo & Evæ, Caino & Chanaan, Giganti, Goliath. 51
Idem ostenditur ex incarnatione Verbi. 55
Peccator ipsis inanimatis pejor. *ibid. & seq.*
Peccatum origo infinitorum malorum in anima. 54
Assimilatur fascino, veneno, scorpioni, gladio ancipiti, dæmonio. *ibid.*
Serpens est cerberus triceps. 59
Deturbat ex statu innocentiæ. *ibid.*
Non cadendum est animo ob gravitatem peccati. 66
Peccator non fidat exemplo boni Latronis. 69
Terreatur exemplo Latronis mali. 70
Peccator similis Tantalo, & Persicæ. *ibid.*
Peccatum animæ exitium minatur. *ibid.*
Diabolus peccatorem moribundum arguit. 71

Quot è peccato damna? 191
Simile est pomo exhibito à statua. 193
Ut magnes ferrum, ærumnas attrahit. 193
Devoratorium salutis. ibid.
Damna expenduntur. ibid.
Peccatum Luciferi ambitio. 116
Peccatum idololatriæ quid. 210

PECCATUM VENIALE.

Etsi minimum sit, omni studio vitandum. Vide toto discursu Domin. 6. post Epiphan. 204

S. PETRUS APOSTOLUS.

Peccato fit demens. 49
Joannem non appellat nomine, cur? 187
Inimicus tarditatis. 147
Novit demum Angelum, cum recesserat. 46
Conscientia eum torquet. 5
Vide *Punire, vana gloria.*

PHOENIX.

Avis est unica, &c. 82

PIGER.

Moro similis. 149
Homo non est piger in vanitatibus. ibid.

POENITENTIA.

Describitur toto discursu Domin. 4. Advent. 58
Effectus pœnitentiæ. 59
Statum innocentiæ restituit. ibid.
Baptismus dicitur, & quare? ibid. & seq.
Lavat & purificat animam. 60
Delet cicatrices peccati. 60
Virginitatem restaurat. 61
Animæ reddit amissam pulchritudinem. 62
Exaltat magis quàm peccatum depressit, ut pater in filio prodigo & S. Petro. 63
S. Petrus factus pœnitens reliquis Apostolis præfertur. ibid.
Salomon factus Regni hæres non Adonias, quare? 64
Latroni satisfacit Christus in Cruce antequam MARIÆ Matri. 65
Pœnitens videri possit Deo gratior quàm justus. ibid.
Supra Angelos extollitur. ibid.
Pœnitentia est acus. ibid.
Navis est, post naufragium tabula, medicina, scala Jacob. 66
Pœnitens similis frondibus arboris in Hybernia. ibid.
Si diabolus pœnitentiam facere posset, Deus ignosceret. 67
Nullum peccatum tam grave quod non deleat pœnitentia. ibid.
Quod dictamnus cervis, chelidonia hirundinibus, hoc pœnitentia animæ. ibid.
Latro egit pœnitentiam primâ horâ, quomodo intelligendum. 69
Cur Ecclesia non celebret Festum boni latronis? ibid.
Pœnitentia non differenda. 70 & seq.
Qui pœnitentiam differunt, similes sunt Tantalo & Persicæ. ibid.
Pœnitentia quo intuitu facilis. 67

POMUM.

Paradisi pomum matrimonio comparatur. 165

PRÆDICATOR.

Qualis esse debeat. 240
Cur sæpè non fructificat? 237

PRÆMIUM.

Nullum datur sine dolore. Vide toto discursu Dom. Septuagesimæ. 222.
Propositum labores mitigat. 83. & seq.

PRODIGALITAS.

Est vitium. 174
Differt à liberalitate. 177
Dei sancta prodigalitas. 174
Vide *Liberalitas.*

PTOLOMÆUS.

Berenicen accipit in uxorem. 171
Sapienter dictum. 174

PROMPTITUDO.

Laudabilis est, detestanda ignavia. 142 *& seq.*
Suetonii monitum. *ibid.*
Alexander Magnus felicissimus, *nihil differendo. ibid.*
Magi ad Christum prompte accelerant. *ibidem.*
Rodigina Regina Persarum non cunctabunda. 143
Cæsar Pompejum de morâ redaurguit. *ibidem.*
Alexander moratum impatiens. *ibid.*
Abraham in sacrificio promptus. *ibid. & seq.*
Idem in excipiendis hospitio tribus peregrinis. 144
Elisæus mandat Giezi ut festinet. *ibid.*
Deus respexit ad munera Abel, non Cain. 145
Magdalena promptitudinis amans. 146
Seraphim alati quare? *ibid.*
Sponsa cælestis manus habet tornatiles. *ibid.*
S. Petrus Apostolus ad Salvatorem festinat. 147.
David in observantia mandatorum Dei celer. 149
Zachæi promptitudo Christo grata. 148
Vide *Fervor, Mora, Stella,*

PUNIRE.

Maximum peccatori supplicium in die judicii & conscientiæ remorsus. 5
Nec minus tormentum ab ipsomet Christo damnari. 5. *& seq.*
Senatus Laconicus severè punit. 24
Midas quomodò punitus. 24
Justus luit pro peccatore. Vide toto discursu. Dom. 4. post Epiphan. 184
Montes Gelboe maledicti propter mortem Saulis. 185
Arbor siti aresacta ob peccatum Adami *ibid.*
Animalia producta sexto die à Deo non benedicta propter serpentem. 186
Bestiæ etiam diluvio submersæ propter peccatum hominis. *ibid. & seq.*
Præsente Judâ periclitantur in mari Apostoli. 185
Non omnes Apostoli assumpti ad montem Thabor. 187
Turbantur in cœna omnes propter negationem Petri. *ibid.*
Filius luit delictum patris. 188
Fratres arguuntur furti propter Benjamin. *ibid.*
Patiuntur Ochozias, Joas & Amasias. 189
Filii Cham ferunt opprobrii pœnas. 190
Propter unius culpam puniuntur integra Regna. *ibid.*
Ob peccatum Acham Deus toti exercitui minatur pœnas. 191
Peccatum Adami luunt omnes posteri. 191
Moritur filius Davidis. 184

PULCHRITUDO.

Quomodo cum nigredine consistat. 60

PYGMALION.

Ex avaritia factus crudelis. 39

RACHEL.

Primogenito imponit nomen Joseph. 183
Pulchra quidem, sed sterilis 197

REMEDIUM.

Non differendum. 70

REMORA.

Minima est, & navim retinet. 205

SACRIFICIUM.

Abraham sacrificare impeditur ab Angelo. 47

SAMUEL.

Terretur judicium cogitans. 13

SANGUIS.

Christi sanguis in Circumsione prognosticus. 131. *& seq.*

SENNACHERIB REX.

Occiditur à propriis filiis. 9

SEPULCHRUM.

Moyses ubinam sepultus, non scitur. 97
Sepulchro mariti & uxoris cujusdam inscriptum. 114

SIMPLICITAS.

Vir simplex & idiota in Concilio Niceno confundit superbum Philosophum. 20

SOMNIUM.

Crucifigi in somnio quid denotet. 196
Dulcia comedere quis somniat. 197

SPES.

In Deo collocanda. 151
Speratum præmium alleviat laborem 83. & seq.
Vide *Præmium.*

STELLA.

Stella Magorum dicitur stella Dei. 148

S. Stephanus.

Lapidatur quia prædicat veritatem. 23
Phœnici comparatur. 82
Lapides illi dulces. 83
Archimedi similis. *ibid.*
Cœlum jam possidere videbatur. 88
Dum lapidatur, pro ipso B. Virg. Maria orat. 89
Petra erat quadrata. *ibid.*
Ut Orpheus & Amphion. *ibid.*
Avis paradisi. 90
Ejus mors. 91
Habebat vultum quasi Angeli, quare? *ibidem.*
Viduarum custos. *ibid.*
Cur tam juvenis moritur, nondum Sacerdos? 92
Morte celebrat Natalem Christi. *ibid*
Moriendi dat exemplum. *ibid.*
Cervos imitatur. *ibid.*
Paradysus Sanctissimæ Trinitatis. *ibid.*
Virtus vestium S. Stephani, & florum. 93
Miraculum. *ibid.*
Cur hujus sancti festum medium inter Natalem Christi & solemnitatem S. Joannis. 95

STERILITAS.

An sit præoptanda. 118

SUSANNA.

Mori maluit quàm pati conscientiæ remorsum. 2

TARDITAS.

Detestata. 142. & seq.
Vide *Promptitudo.*

TARPEIA.

Avaritiæ dedita. 39

TEPIDUS.

In malo statu versatur. 149
Moro comparatur. *ibid.*
Nugatorie agit. 150

S. THOMAS APOSTOLUS.

Quam infelix in infidelitate. 48
Peccato dementatur. *ibid.*
Pingitur habens manu trullam. 55
Eleëmosynas erogabat. *ibid.*
Infernus erat pauper & errans, à Christo sanatur, ditatur & ad pascua vitæ reducitur *ibid.*
Sal Agrigenti in Sicilia. 56
Instar facis accenditur. *ibid.*
Dixit, *Non credam,* ex desiderio videndi plagas Christi. *ibid.*
Dalilæ comparatur. *ibid.*
Magnum ejus gaudium visis Christi vulnebus. 57
Confessus est Divinitatem & humanitatem. *ibid.*
Summam hausit doctrinam ex Christi vulneribus.

Cur ab Ecclesia sexto loco ponatur in Canone. *ibid.*
Similis horæ sextæ diei. *ibid.*
Cur pingatur cum lancea. *ibid.*
Apostolus fidelis dictus antonomasticè. *ibid.*
Ipso festo distribuit quotannis communionem.

S. THOMAS AQUINAS.

Conceptionem immaculatam Deiparæ expressè probat. 37
Fantano Episcopo opinionem suam revelat. *ibid.*

THOMAS MORUS.

Lætus ad mortem ut portum accelerat. 200

TOBIAS.

Affligitur excæcatus, & quare? 9

TRIBULATIO.

Deus eam immittit, ne obliviscamur ad illum recurrere. 202
Conducit ad coronam & gloriam. 222. *& seq.*
Christus est via. 223
Deus Israëlitis paradysi delicias promittit sub methaphora mellis & lactis. *ibid.*
Christus facilè desiderata concedit omnibus, sed non annuit petitioni matris filiorum Zebedæi. *ibid.*
Vult ut Petrus calcet maris fluctus antequam ad illum perveniat. 224
Jacob luctari debet cum Angelo antequam nominetur Israel, id est videns Deum. 225.
Sponsa invitata ad coronam, priùs petit ire ad montem myrrhæ. *ibid.*
Petrus in monte Thabor arguitur quòd vellet perfrui glorià sine tribulatione. *ibid.*
Christus in cælum ascendens manuum cicatrices ostendit. 226
Moyses ad pedem montis excalceare se jubetur. *ibid.*
Joseph Ægypti Pro-rex, antè compedibus vinctus, quàm coronâ redimitus. 227
Latro salvatur, quia in cruce moritur. *ibid.*
Omnes sancti ingressi sint cælum per tribulationis januam. *ibid.*
Fallitur qui cælum ut hæreditatem prætendit. 228.

VANA GLORIA.

Ab hominibus studiosè vitanda. 153. *& seq.*
Inimici plures vanæ gloriæ, puta & Abraham, &c. 154. *& seq.*
Comparatur formicæ, &c. 141

VERBUM DEI.

Efficax & suave. Vide toto discurs. Dom. Sexag. 231.

VERITAS.

Potens est. Vide toto discursu Dom. 2. Adventûs. 21
Exosa apud omnes. 22. *& seq.*
S. Joannes Baptista, quia prædicat veritatem, occiditur. 22 &23.
Veritas contemptui est. 22
Charidemus morte punitur ob dictam Dario veritatem. 22
Explodituŕ à Pilato. 23
S. Stephanus propter veritatem lapidatur. 23.
Cambyses Rex audita veritate fit crudelissimus. 23
Servo Dei quid responsum à Sultano de veritate. 24
S. Joannes Baptista in mundo necessarius ad asserendam veritatem. 24
Voluit Salvator ut supersint duodecim fragmentorum cophini testes, ne de miraculo dubitaretur. 24
Veritas semper proditur, ut patet in Mida. 25
Caroli V. Horologium furto sublatum veritatem propalat. 25
A sanctissima Trinitate defenditur veritas. 25
Quid fecit Herodias, ne audiret ultrà veritatem à S. Joanne Baptista? 25
Deus petit veritatem ab Adamo & Eva. 25
Samaritana non vult Christum audire dum veritatem ei diceret. 26
De vetula leprdum aliquid. 26
Herodias crudeliter tractat linguam S. Joannis Baptistæ ob dictam ei veritatem. 26

VIRGINITAS.

Præfetenda mattimonio. 164
Virgines Christo similes. 95
Virginitatis laus. ibid.

VOLUNTAS.

Anima est operum meritoriorum. 215

VULNERA CHRISTI.

Sigilla redemptionis, &c. 55. & seq.

UXOR.

Mariti crux est. 164
Uxor Job describitur. 168
A diabolo servatur ad perditionem mariti. 169
Gravissima mariti sarcina. ibid.
Quæritur à marito adverso flumine. ibid.
Est infernus mariti. 170
Attentè deliberet ante desponsationem. 170
Tædium ejus & infelicitas. 171. & seq.
In inferno non agnoscetur à marito. 172
Debet esse cæca. ibid.
Domicilium amoris mariti. ibid.
Vide *Maritus, Matrimonium.*

ZACHÆUS.

Deo gratus, quare? 148
Opera supereogationis implevit. 218

ZACHARIAS.

Obtinet à Deo plus quàm petebat. 177

ZIZANIA.

Typus mundanæ felicitatis. Vide toto discursu Dom. 5. post Epiphaniam. 195

ZOROASTRES.

Nascitur ridendo. 130

FINIS.

SANCTUARIUM;

HOC EST

SERMONES UTILISSIMI,

& omni conceptuum genere refertissimi,

PANEGYRICI SANCTORUM OMNIUM,

QUORUM MEMORIAM SIVE SOLEMNITATEM PER TOTIUS anni decursum celebrat Sancta Mater Nostra

ECCLESIA ORTHODOXA ROMANO-CATHOLICA;

OMNIBUS ANIMARUM PASTORIBUS, DIVINI VERBI PRÆCONIBUS, & vitæ spiritualis & Ascеticæ studiosis utiles & apprimè necessarii:

EDITI OPERA ET STVDIO ADM. R. P. M.

AUGUSTINI PAOLETTI,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS EXIMII,

Ordinis Eremitarum S. Augustini, Provinciæ Senensis Prioris Provincialis, Viri communis boni promovendi studiosissimi.

Cum quinque Indicibus; I. Sanctorum, qui laudantur II. Materiarum, sive Argumentorum, quæ tractantur. III. Authorum, qui citantur. IV. Rerum & verborum memorabilium. V. Denique locorum Sacræ Scripturæ.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud HERMANNUM DEMEN, Anno M.DC.LXXVII.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.



Nos Magister Fr. *Petrus Lanfranconius Ordinis Eremit. S. Augustini Vicarius Generalis licet indignus.*

ELaboratum ac per R.P.AUGUSTINUM PAOLETTUM Montis Ilcini sacræ Theologiæ Magistrum elucubratum opus, cui extat titulus (Santuario) per nostros Examinatores deputatos maturè discussum & perpensum, eorum nobis ita suadente relatione ut ad Concionatorum levamen, ad posterorum utilitatem, ad Dei Sanctorumque laudem typis mandetur dignum adjudicantes, facultatem necessariam, quoad nos spectat benignè concedimus, ac in Domino elargimur. Datum Romæ die 4. Januarii 1659.

Fr. *Petrus Lanfranconius Anconitanus*
Vicarius Generalis.

PIæ, doctæ, & eruditæ Conciones Sanctorum per annum occurrentium R.P.Magistri Augustini Paoletti Ord. Eremit. S. Augustini, ex commissione Reverendiss. P. Magistri Petri Lanfranconii Anconitani Procuratoris Generalis, & Vicarii ejusdem Ord. diligenter fuerunt perlectæ atque adeò sacratum Literarum. SS. Patrum, Historiarum, & orthodoxa eruditione plenæ repertæ ut piis Lectoribus, & verbi divini declamatoribus, non tantùm utiles, verùm etiam necessariæ fuerint judicatæ à me.

Fr. *Ioanne Paulo Stuppa Magistro Augustiniano.*

DE mandato Reverendiss. P. Magistri Petri Lanfranconii Aconit. nostræ Augustinianæ Religionis Vicarii & Procuratoris Generalis; nec non Reverendiss. P. Magistri Francassini Inquisitoris Generalis Venetiarum, Opus, cui titulus (Santuario) elaboratum à P. Magistro Augustino Paoletto Ilcinensi, diligenter & accuratè perlegi. Et cùm in eo non solùm nihil fidei orthodoxæ, nec morum integritati dissonum repererim; verùm plurima ejusdem authoris doctrinam attestantia, junctisque sacris & eruditis Lectoribus profutura cognoverim, dignum & peregregium opus, quod in lucem edi possit, censeo

Ego Magister Fr. *Antonius Gagliardus Bergomensis Regens in Conventu D. Stephani, & revisor librorum pro Reverendiss. Patre Inquisitore Generali Venetiarum.*

INDEX CONCIONUM IN HOC OPERE CONTENTARUM.

1. *In Festo Circumcisionis.*
2. *In Festo Epiphaniæ.*
3. *In Festo Purificationis.*
4. *In Festo S. Matthiæ Apost.*
5. *In Festo S. Thomæ de Aquino.*
6. *In Festo S. Josephi.*
7. *In Festo S. Benedicti.*
8. *In Festo Annunciationis B. M. V.*
9. *In Festo dolorum B.M.V.*
10. *In Festo Francisci de Paula.*
11. *In Festo S. Marci Evang.*
12. *In Festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi.*
13. *In Festo Inventionis S.* ✠
14. *In Festo S. Matris Monicæ.*
15. *In Festo S. Antonii de Padua.*
16. *In Festo S. Joan. Bapt.*
17. *In Festo S. Petri Apostoli.*
18. *In Festo Visitationis V. M.*
19. *In Festo S. Eliæ Prophetæ.*
20. *In Festo S. Jacobi Apostoli.*
21. *In Festo S. Annæ Matris B. Virginis Mariæ.*
22. *In Festo S. Dominici.*
23. *In Festo S. Laurentii.*
24. *In Festo S. Philippi Benizzi.*
25. *In Festo Assumptionis B. V. M.*
26. *In Festo S. Bartholomæi Apostoli.*
27. *In Festo S. P. Augustini.*
28. *In Festo Nativit. B. V. M.*
29. *In Festo S. Patris Nicolai de Tolentino.*
30. *In Festo S. Matth. Apost. & Evang.*
31. *In Festo S. Michaelis Archangeli.*
32. *In Festo S. Francisci Assisinatis.*
33. *In Festo SS. Apostolorum Simonis & Judæ.*
34. *In Festo omnium Sanctorum.*
35. *In Festo præsentationis B. V. M.*
36. *In Festo B. M. Magdalenæ de Pazzi sermo Encomiasticus.*
37. De eadem *sermo Panegyricus.*

INDEX ARGUMENTORUM

Quæ in quolibet discursu tractantur.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

NOmini quo sumus insigniti, per facta correspondere debemus; prout Christus fecit, mox ut ei nomen IESVS in die Circumcisionis fuit impositum.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Monentur fideles, ut se Magis Dominum ac Redemptorem nostrum visitantibus socios adjungant, illisque aurum, thus, & myrrham offerentibus, ipsi corda sua ei donent.

IN FESTO PURIFICATIONIS.

Celebratur humilitas B. Virginis, quæ cum non esset legi Purificationis subjecta, nihilominus per actum humilitatis inter alias mulieres comparere voluit in templo purificanda.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

Ostenditur illum felicem sortem assecutum esse, quando ad Collegium Apostolicum post Iudæ lapsum assumptus fuit.

IN FESTO S. THOMÆ DE AQUINO.

Meritò hic sanctus vocatur Doctor Angelicus, quia in omnibus operationibus suis Angelum se esse probavit; & quidem specialiter in doctrina & scientia plusquam Angelus fuit.

IN FESTO S. JOSEPHI.

Ejus excellentia & dignitas in duobus hisce punctis præcipuè elucet, scilicet quod sit pater legalis vel putativus Christi, & quod sit sponsus Mariæ Virginis.

IN FESTO S. BENEDICTI.

Magnus hic servus Dei fuit quoddam virtutum Cardinalium & Theologicarum erarium, prout in quovis casu obvio ex ejus operibus elucet.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. M.

Maria virgo per annuntiationem Gabrielis Archangeli declarata fuit mater Dei, quæ post divinitatem maxima dignitas est, quæ potest uspiam reperiri.

IN FESTO DOLORUM B. V. M.

Ostenditur quanti fuerint dolores quos beatissima virgo tempore passionis D.N. IESV Christi sensit, & quanta fuerit ejus in illis perferendis constantia.

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA.

Ostenditur hunc sanctum eximium fuisse in humilitate, quia se & ordinem minimum vocari voluit: In charitate quia hanc religioni suæ voluit symbolum assignavit: denique in abstinentia, quia hanc rigidè observationis, & ad illam religiosos suos quarto voto adstrinxit.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ.

Fuit hic Leo quidam mysticus, id est, vigilans in suo officio, fortis & constans in tyrannicis persecutionibus tolerandis, & gratus erga Deum, & magistrum suum S. Petrum.

IN FESTO SS. PHILIPPI & JACOBI.

Hi duæ rosæ purpureæ fuerunt per charitatem, quarum folia viruerunt per spem, cinctæque fuerunt spinis pungentibus, vel tormentis quæ sustinuerunt in martyrio.

IN FESTO S. CRUCIS.

S. Crux est armatura nostra defensiva & offensiva, per quam omnes inimicos nostros vincere poterimus, id est, homines dæmones, & mortem.

IN FESTO S. MATRIS MONICÆ.

Hæc sancta mulier ter martyr extitit, scilicet primò per patientiam in toleranda ferocitate Patritii mariti sui. Secundò per desiderium conversionis Augustini filii sui. Tertiò per Christum Dominum in morte.

IN FESTO S. ANTONII DE PADUA.

Celebrantur laudes linguæ hujus sancti, utpote quæ prodigiosa fuit, & immortalis, & divina potius quàm humana extitit.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Iudicantur hujus sancti Præcursoris perfectiones, quæ in eo consistunt, quod similis fuerit filio Dei nascens & moriens.

IN FESTO APOSTOLORUM PETRI & PAULI. DE S. PETRO.

Ex defectibus & imperfectionibus suis orta sunt ejus progressus, ex ignominiis gloria, ex jacturis lucra & excellentia.

IN FESTO VISITATIONIS B. V. M.

Cum Elisabeth per salutationem Mariæ repleta sit Spiritu sancto, & Ioannes sanctificatus fuerit in utero materno, manifestum sit Deiparam gratiarum divinarum esse dispensatricem.

IN FESTO PROPHETÆ & PATRIARCHÆ. S. ELIÆ.

Agitur de ardenti zelo honoris divini, quem adversus idololatras exhibuit, quas intrepidè dispersit & profligavit.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

Hic sanctus Apostolus alter Cæsar vocari meretur, quia & virtute gladii tanquam belli dux dimicavit, & per librum docuit tanquam magister: ac proinde meritò de ipso dici potest in utroque Iacobus

IN FESTO S. ANNÆ.

Excellentias suas hæreditavit & accepit à Christo redemptore, & à Maria virgine: Ab illo quidem, quia nepos ejus fuit, ab hac autem, quia fuit ejus filia.

IN FESTO S. PATRIARCHÆ DOMINICI.

Verum quoddam fidei prodigium fuit, quia omnes suas actiones miraculosas, magnæ fidei virtute, quàm vivens & moriens habuit, operatus fuit.

IN FESTO S. LAURENTII.

In igne & craticulæ incendiis pœnas non sensit, sed videbantur ei esse refrigeria, quia divini amoris ignem in suo pectore ardentem habuit.

IN FESTO B. PHILIPPI BENIZZI.

In operibus & cogitationibus suis magneti se similem esse probavit, quia non versus terram, sed

sed versus polarem cœli stellam semper conversus & directus fuit.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. V. M.

Beata Virgo Maria tanta majestate & elegantia vestita ingressa est cœli regiam, ut omnes Angelici spiritus admirati sint incomparabilem ejus pulchritudinem.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Excoriari, & detractam pellem in brachio vel humeris suis deferre voluit, in attestationem quod inter Apostolos nullum unquam primatum quæsiverit, prout nonnulli perperam attribuunt.

IN FESTO MAGNI PATRIS ET PATRIARCHÆ S. AUGUSTINI.

Est sol mysticus S. Ecclesiæ, luminosum hunc planetam imitando in oriente per radios doctrinæ: in meridie per charitatis fervorem; in occasu per humilitatis demissionem.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. M.

Cum B. Virgo verè liber quidam sit in lucem hodie editus, solus consideratur frontispicii libri hujus titulus, qui est Maria, nomen videlicet, dignum, utile, & delectabile.

IN FESTO S. NICOLAI TOLENTINATIS.

Magnus hic sanctus, verus fuit Dei plenipotentiarius, utpote cui à Deo datum est, ut possibile reddat, quicquid impossibile esse videtur.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Meritò lapidi chrysolito comparatur, cujus proprietates expressè refert, quæ multa sunt & valdè admiranda.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Michael est Archimandrita Christianismi, sicut olim synagoga Hebræorum Præses extitit, ab omnibus nos inimicorum corporalium & spiritualium insultibus in quibusvis casibus occurrentibus nos tuetur & defendit.

IN FESTO S. FRANCISCI ASSISINATIS.

Franciscus mysticus Abel est lucis Evangelicæ, & tanquam talis figura quædam Christi est, innocentis nimirum & martyris, candidi & rubicundi.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS & JUDÆ.

In omnibus actionibus suis hi sancti Apostoli diligentes se exhibuerunt observatores hujus de amore & charitate eis impositi præcepti: hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Ostenditur paradysi gloriam tam excellentem esse, ut oculus intellectus illum nequeat comprehendere; auris illam non possit percipere, nec lingua exprimere, denique cor humanum satis capax non sit, ut illam valeat capere.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. M.

S. Marcella utero B. Virginis Mariæ titulum beatitudinis acclamavit, quia fuit fons omnium gratiarum plenissimus. Denique exhibetur in hoc discursu computus imperceptibilis graduum gratiæ DEI quos in anima sua habuit.

INDEX AVTHORVM

QVIBVS AVTHOR HVIVS LIBRI usus est.

A

Abdias Babylonicus.
Abraham Aben Ezra.
Abraham Bzovius.
Achilles Tacius.
Adrichomius.
Ægidius Romanus Columna.
Ægidius Lusitanus.
Ælianus.
Æmilius.
Æneas Sylvius.
Agellius.
Ailgrinus Cardinalis.
Albertus Magnus.
Albinus Flaccus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Mindicis.
Alexander de Ales.
Alexander Pelegrinus.
Alexander Monachus.
Aloysius Lipomanus.
Aloysius Novarinus.
Aloysius Torelli.
Alphonsus Tostatus Abulensis.
Alphonsus Cardinalis Palæotus.
Alphonsus Salmeron.
S. Ambrosius Ecclesiæ Doctor.
Ambrosius Calepinus.
Ambrosius Marlianus.
Ambrosius Staibanus.
Ambrosius Ansbertus.
Ambrosius Episcopus Lamocensis.
Ambrosius Perez.
Ammianus Marcellinus.
Anastasius Antiochenus.
Anaxagoras.
Andreas Hierosolymitanus.
Andreas Eborensis.
Andreas de Arcones.
Andreas Cretensis.
Andreas Gelsominus.
Andreas Cherneus.
Andreas Pintus Ramirez.
Andreas Clichtovæus.
Andræas Ducheſne.
Andreas Alciatus.
Angelomus.
Angelus Possenti.
Annæus Seneca.
Anselmus Boetius.
S. Anselmus.
S. Antoninus Episcopus Flor.
Antonius Possevinus.
Antonius dictus Discipulus.
Antonius Pizzamanus.
Antonius Pigafetta.
Antonius Ricciardi.
Antonius Escobar.
Antonius Panormitanus.
Antonius Scainus.
Antonius Glielmus.
Aratus.
Arias Montanus.
Aristoteles.
Arnobius
Arnoldus Carnotensis.
Arnoldus de Saxonia.
S. Athanasius.
Athenæus.
S. Augustinus.
Avicenna.
Aulus Gellius.

B

Balthasar Paez.
Balthasar Arias.
Balthasar Farinacius.
Baptista Ramusius.
Baptista Fulgosius.
Bartholomæus de Pisis.
Bartholomæus Gavanti.
Bartholomæus Chassannæus.
S. Basilius Seleucus.
Beda Venerabilis.
Beierlinck.
Benedictus Fernandius.
Benedictus Mendina.
Benedictus Peterius.
S. Bernardus.
S. Bernardinus Senensis.
Bernardinus de Busti.
Blandus Flavius.
S. Bonaventura.
Breviarum Gallicanum.
Breviarium Romanum.
S Brigitta.
S. Bruno Carthusianus.
Budæus.

C

Calixtus Papa.
Camerarius.
Canisius.
Carolus Sigonius.
Carolus Giangolinus.
Cassidorus.
Catechismus.
Cœlestinus Brunus.
Cœlius Rhodigininus.
Cæsar Baronius.
Cæsar Nostrada.
Cæsar Campana.
Cherubinus Maria Odale.
Christophorus de Avendagno.
Christophorus à Costa.
Claudius de la Valle.
Claudius Paradivus.
S. Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Collegium Conimbricense.

Constantinus

Constantinus de Notariis.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Jansenius.
Chromatius Polonus.
Chronicon Ord. PP. Minorum.
S. Cyprianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.

D.

Demosthenes.
Didacus Diez.
Didacus de Avendagno.
Didacus de Baeza.
Didacus de la Vega.
Didacus Nyssenus.
Dydimus Asterius.
Diodorus Siculus.
Dion. Nicæus.
S. Dionysius Areopagita.
Dionysius Carthusianus.
Dioscorides.
Dominicus Nanus.
Donatus Calvus.
S. Dorotheus Tyrius.

E.

Egesippus.
Egnatius.
Elias Spartianus,
Emanuel Naxeta.
S. Epiphanius.
S. Ephrem Syrus.
Evangelista Patavinus.
S. Encherius Lugdunensis.
Euripedes.
Eusebius Cæsariensis.
Eusebius Gallicanus.
Euthymius Zigabonus.

F.

Famianus Strada.
Felix Astulphus.
Ferdinandus Quirini.
Flavius Vopiscus.
Folengius.
Fortunatus Scachus.
Franciscus Picus Mirandulanus.
Franciscus Labata.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Toletus.
Franciscus è Puteo.
Franciscus Mendoza.
Franciscus Vallesius.
Franciscus Boninsegnius.
Franciscus Turianus.
Franciscus Bene.
Franciscus Suarius.
Franciscus Mayrenis.
Franciscus Quaresmius.
S. Fulgentius Episcopus.

G.

Gabriel Vasquez.
Gabriel Flamma.
Galenus.
Gaspar Sanctius.
Georgius Venetus.
S. Germanus.
Gilibertus Abbas.
Glycas.
Glossa Interlinearis.
Glossa Ordinaria.
S. Gregorius Papa.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Thaumaturgus.
S. Gregorius Nyssenus.
Gregorius Papa X
Gregorius Nicomediensis.
Gregorius Mastrillus.
Gregorius Sayrus.
Gricherius Bsialeensis.
Guerricus Abbas.
Guido Biturienſis.
Guilielmus Durandus.
Guilielmus Parisiensis.

H.

Haymon Haberstadiensis.
Haymon Corii
Henricus Spondanus.
Hernande de S. Jacobo.
Herodotus Halicarnassæus.
S. Hesychius.
Hector Pintus.
Hieremias Drexelius.
S. Hieronymus.
Hieronymus ab Oleastro.
Hieronymus Lauredanus.
Hieronymus Cardinalis de Lapide.
Hieronymus Platus.
S. Hilarius Arelatensis.
Historia Scholastica.
Homerus.
Honophrius Manescal.
Horatius.
Horatius Tursellinus.
Hugo à S. Victore.

I.

Iacobus de Valentia.
Jacobus Tyrinus.
Jacobus de Voragne.
Jacobus Aconensis.
Jansenius.
Idiota.
S. Ignatius Martyr.
S. Ildephonsus.
Ildephonsus Nicienſis.
Incognitus.
Innocentius Papa III.
Innocentius Papa. VI.
S. Joannes Chrysostomus.
S. Joannes Damascenus.
Joannes de S. Geminiano.
Joanes de Carthagena.
Joannes Lorinus.
Joannes Ravisius.
Joannes Zomarraca.
Joannes della Haye.
Joannes Boccacius.
Joannes Antonius Velazquez.
Joannes Papa XXII.
Joannes Gerson.
Joannes Folengius.
Joannes Ferus.
Joannes Trithemius.
Joannes Baptista Wenus.
Joannes Baptista Poza.
Joannes Baptista Mantuanus.
Joannes Lopez, Episcopus Monopolit
Joannes Hierosolomytanus.
Joannes Aubanus Teutonicus.
Joannes Maldonatus
Joannes Pineda.
Joannes Arboreus.
Joannes Marquez
Joannes Nebur.
Joannes Baconius.

Joannes Lanſpergius.
Joannes de Pigna.
Joachim Abbas.
Jordanus de Saxonia.
Joſeph Hebræus.
Joſephus dictus Hmilis.
Joſeph de la Zerda.
Irenæus Epiſcop. Lugdun.
S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis.
Iſidorus Peluſiota.
Iſidorus Iſolanus.
Iſidorus Clarus.
Judocus Clichrovæus.
Julius Solinus.
Julius Clarus.
Julius Frontinus.
S. Juſtinus Martyr.
Juſtus Lipſius.
Juvenalis.

L.

Laertius.
Lancellottus.
Lactantius Firmianus.
S. Laurentius Juſtinianus.
Laurentius Chryſologus.
Laurentius Surius.
Laurentius Zamorra.
Lælius Ptolomæi.
Leonardus de Udine.
S. Leo Papa.
Leo Caſtrius.
Leo Oſtienſis.
Lucanus.
Ludolphus Carthuſianus.
Ludovicus Vives.
Ludovicus Bartema.
Ludovicus Alcazar.

M.

Magiſter Hiſtoriæ Scholaſt.
Maphæus Vegius.
Malvenda.
Marcus Antonius Coccius.
M. Antonius Zimara.
Marcus Tullius.
Marcus Marulus.
Marcus Polus.
M. Antonius Muretus.
Marcellinus de Piſe.
Marianus Scotus.
Martinus del Rio.
Matthæus Bredembachius.
S. Maximus.
Meander.
S. Methodius.
Michaël Solon.
Michel Riccius.
Michaël de Palatio.
Michaël Ghislerius.
Michael de Ayguanis.
S. Milition Martyr.
Mineus Capella.
Moyſes Barcepha.

N.

Natalis Conti.
Nicephor. Calliſt.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Riccius.

O.

Odo Abbas.
Odericus Rainaldus.
Oppianus.
Origenes Adamantius.
Ortellius.
Otto Petruvius.
Ovetanus.
Ovidius.

P.

S. Panthaleon Diaconus.
S. Paſchaſius.
S. Paulinus Epiſcopus Nolanus.
Paulus Palenterius.
Paulus Manutio.
Paulus Oroſius.
Paulus Areſius.
Paulus Jovius.
Pauſanias.
Pelbartus.
Perſius.
S. Petrus Chryſologus.
Petrus Comeſtor.
Petrus Beſſæus.
Petrus de Natali.
Petrus Blenſenſis.
Petrus Aloyſius.
Petrus Matthæi.
S. Petrus Damiani.
Petrus Lombardus.
Petrus Berchorius.
Petrus Hiſpanus.
Petrus Caniſius.
Petrus Bungius.
Petrus Galatinus.
Petrus Juſtiniani.
Petrus Crinitus.
Petrus de Alcia Aſtorgai.
Petrus de Valderama.
Plato.
Platina.
Plinius.
Ploſius.
Plutarchus.
Polianthea.
Polybius.
Polydorus.
Pontanus.
S. Primaſius Epiſcop. Afer.
Procopius Gazæus.
S. Poſſidonius.

Q.

Quintus Curtius.

R.

Rabanus Maurus.
S. Remigius.
S. Remigius Antiſiodorenſis.
Richardus de ſancto Victore.
Richardus à Sancto Laurentio.
Robertus Holkoth.
Robertus de Licio.
Robertus Bellarminus.
Rudolphus Agricola.
Rupertus Abbas.

S.

Sabellicus.
Salignacus.
Salmeron.
Saluſtius.
Salvianus.
Sanchez.
Scaphæus.
Scipio Bargaglius.
Scipio Glareanus.
Sebaſtianus Barradas.
Seneca.
Septuaginta Interpretes.
Sidonius Apollinaris.
B. Simon de Caſſia.
Simon Metaphraſtes.

Simon Majolus.
Symbolum Apostolorum.
Simmachus.
Sixtus Senensis.
Socrates.
Solinus.
Statius.
Stephanus Eduensis.
Stephanus Mendez.
Strabo Fuldensis.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.

T.

THadæus Perusinus.
Theatrum vitæ humanæ.
Theodoretus Cyrenensis.
Theophylactus.
Theophylus Antiochenus.
Theodulphus Episcopus. Taurin.
S. Thomas de Aquino.
S. Thomas de Villa Nova.
Thomas de Vio Cajetanus.
Thomas Anglicus.
Thomas Garzoni.
Thomas de Trusillo.
Thomas Bracchius.
Thomas Porracchus.
Titus Livius
Titelmannus.

V.

VAlerius Maximus.
Valerius Zimenes.
Ubertinus de Casale.
Vegetius.
Villalpandus.
S. Vincentius Ferrerius.
Vincentius Belluacensis.
Vincentius Lyrinensis.
Vincentius Mainardus.
Vincentius Gilibertus.
Virgilius Maro.
Volaterranus.

X.

XEnophon.
Xiphilinus.
Xiphilus.

Z.

ZAcharias Constantinopolitanus.
S. Zeno Veronensis.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM, quæ in hoc Opere Sanctoralis continentur.

Primus numerus significat Sermonem, Secundus Paragraphum.

A Litera quid significet, 28. 17. A. & R. literæ quid significent, serm. 28. n. 17.
Abagarus Rex à S. Juda Thadæo curatus fuit, serm. 33. n. 6.
Abel fuit innocens, 31. 9.
Abel non timuit Cain, & cur? 33. 8.
Abietes in Indiis Orientalibus aves producunt, vide 7. 1.
Abraham primus circumcisus est, 1. 3.
Cur Abraham non sacrificarit Isaac? 22. 21.
Abraham & ejus denominatio, 9. 1.
Abraham vicit quinque Reges, 13. 4 & 22. 12.
Abraham etiam in altera vita vult esse charitativus, 27. 17.
Abraham ante aliud nomen habuit, 28. 8.
Abraham desiderat filium, 14. 13.
Abraham in sacrificio à S. Michaële impeditur, vide serm. 31. n. 3.
Abraham ejusque gloriæ & maximæ divitiæ quales, serm. 21. n. 8.
Cur Abraham demiserit Agar & Ismael, vide serm. 33. n. 14.
Absalon & ejus erga patrem perfidia, 33. 15.
Abstinentia, vide Parsimonia.
Achab infirmus ad Eliam misit, 19. 10.
Achates lapis qui in Sicilia nascitur, 30. 1.
Achillis opera ab Homero descripta, 27. 1.
Achilles & hasta ejus vulnerabat & sanabat, 7. 13.
Achilles sepultus in promontorio Trojano, 3. 4.
Achilles à Paride occiditur, 3. 4.
Achilles unde nomen sumpserit, 3. 8.
Achilles leonum medullis educatus, 3. 8.
Achitophel promittit occidere David, 33. 15.
Accurrius ejusque significatum, 28. 4.
Adamas non habet maculam, 23. 25.
Adamas ferro & igni resistit, 23. 1.
Adamas Caroli Ducis Burgundiæ, 2. 16.
Adamas magneti suam virtutem tollit, 24. 1.
Adamas & virtus ejus, 30. 1.
Adam qualiter factus sit à Deo, 26. 6.
Adam pomum comedit in gratiam Evæ, 14. 3.
Adam è quatuor terræ generibus formatus, 13. 19.
Adami nomen formatur literis stellatum, 13. 19.
Adami erga conjugem suam amor, 12. 7.
Adamus Evæ nomen imposuit, 12. 6.
Adam & Eva comederunt legumina, 30. 14.
Adam mentitus est Deo, 7. 9.
Cur Adam Deo similis esse voluerit, 7. 15.
Adam à Dœmone victus, 7. 15.
Adam ejusque denominatio, 19. 1.
Adam cur pellibus vestitus? 26. 6.
Adam à S. Michaële defensus, 31. 11.
Adam in ademptione costæ suæ non sensit dolores, 32. 10.
Adonibezech amputatæ fuerunt extremitates digitorum, 20. 7.
Adoratio latriæ Cruci defertur, non MARIÆ, 8. 12.
Adra melech & Sarasar occiderunt patrem, 14. 4.
Adrianus VI. & sepulchri ejus Epitaphium, 8. 2.
Adrianus Episcopus Lindesfarnensis, 15. 18.
Adrianus Imperator cuidam servo colaphum dari jussit, 16. 4.
Adrianus ad gratias concedendas promptissimus, 18. 1.
Ægina, Aristodemus & filii ipsorum, 16. 1.
Ægeus Rex Athenienſis, ejusque ergà Theseum amor, 2. 4.
Ægidius Minorita, ejusque pro virginitate MARIÆ factum miraculum, 8. 8.
Ægyptii & eorum hieroglyphicum propter vigilantiam, 11. 2.
Ægyptii Diis suis Persicum sacrificabant, 15. 19.
Ægyptii leonem censebant signum vigilantiæ, 11. 2.
Ægyptus culicibus vexata, 14. 6.
Ægyptus Rex à Danao fratre regno pulsus fuit, 26. 3.

Ælius Samius magnus luctator, 8.1.
Ælius Verus Imperator magni faciebat librum Ovidii de amore, 24.18
Æmilia Neapolitana in matrem degeneravit, 6.1
Æmilius fortuitò consortem suam occidit, 33.6
Æneas dictus est pius, 7.7
Ænigmata diversa circa cor facta, 2.10 & 2.8
Agamemnon à Timante depictus, & quomodo, 9.8
Agamemnonis ex leone emblema, 11.12
Agesilaus Apelli infirmo munera misit, 18.1
Agesilaus craterem optimo amico propinavit, 20.3
Agesilaus & ejus dictum, 3.12
Agesilai dictum Lacedæmoniis datum, 16.3
Agnus, hæc dictio est abbreviatio nominis Augustinus, 27.13
Agrippa Clementi similis, 16.1
Agrippa & ejus ambitio, 26.3
Agrippina & ejus felicitas, 6.1
S. Albertus Carmelitanus, 19.16
Albius Tullius, & membrorum ejus dispositio, 3.5
Albutius & Terentiana conjux ejus, 6.5
Alcamenes, ejusque parsimonia, 7.10
Alcestes, & amor ejus versus Admetem Thraciæ Regem, 33.7
Alexander Pheræus occisus à muliere, 14.2
Alexander Papa & ejus ex Filo Carphatio vestitus, 23.10
Alexander Severus facilis ad gratias concedendas, 18.1
Alexander III. Venetiis in S. Marco Missam dixit, 19.8. & 21. Idem Duci Veneto rosam donavit, 2.1
Alexander Magnus cum fulmine depictus, 20.9. & 20.5
Alexander cur Magnus dictus sit, 18.1
Alexander processit ad bellum contra Thasilum Regem Indiatum, 18.1
Alexander statuam Orphei sudare vidit, 16.20
Alexander heros Macedoniæ, 20.1
Alexander inertem militem reprehendit, 1.13
Alexander duos fontes scaturire vidit, 1.17
Alexander prostravit mœnia Thebarum, 1.18
Alexandri responsum Dario datum, 2.17
Num Alexander plus à Cratero, quàm ab Ephæstione armatus fuerit 4.6
Alexandri responsum Philippo datum, 5.3
Alexander Eupimenem remuneravit, 6.1
Alexander Corinthi factus est civis, 6.15
Alexander ejusque thronus, 8.5
Alexandri dictum Sisigambi matri Darii datum, 10.6
Alexandri vigilantia, 11. & 11.5
Alexander depictus cum pelle leonis, 11.12
Alexander militibus omnia sua erogavit, spe sola sibi reservata, 12.14
Alexander maritus Theophaniæ, 6.5
Alexandria civitas in medio Ægypti, 11.12
Alexandria Leopolis dicta, 11.12
Alexandria unde nomen habeat, 11.9
Alexandria ejusque principia, 11.13
Alexander Severus Verruvium fumo interfecit, 34.4.
Alectorius lapis & virtus ejus, 10.1
Anfredus Rex Angliæ & charitas ejus, 34.14
Alma & Halma in quo differant, 8.8
Alphonsus Cantaber dictus Catholicus, 1.1
Alphonsus Rex Aragoniæ libros permagni æstimavit, 24.18
Alphonsus Rex Neapolis stragem passus est à Philippo Visconti, 19.1
Altitudo corporis indecora, 3.20
Amaritudines myrrhæ sponsæ videbantur esse dulcedines, 23.9
Amaritudinem & dulcedinem inter quænam sit differentia, 23.8
Amaritudines passionis Christo dulces esse videbantur, 23.22
Amalthea Sybilla & libri ejus à Tiberio venditi, 28.3.
Ambitiosi titulorum, 6.4
Ambitio eorum qui superioritatem prætendunt, 26.1
Ambitio Julii Cæsaris, 26.3
Ambitio Evæ marito præferre volentis, 26.5
Ambitiosorum in conquirendis honoribus proprietas, 26.16
S. Ambrosius simul Mediolani & Turoniæ præsens adfuit, 8.1
Amethystus lapis & ejus proprietas, 4.1
Amici quales esse debeant, 4.6
Amicitia Dæmonis & Pythiæ, 6.1
Anulus & Sigefridus ambitiosi, 26.3
Amor Jacob erga Rachaelem, 27.21
Amor Davidis erga Michol, 27.21
Amor Moysis erga suos, 27.21
Amor Augustini erga Deum & proximum, 17.14
Amor per munera demonstratur, 2.1. & 2
Amor Artaxerxis erga filium, 2.4
Amor Ægei erga Theseum & Demetrium, 2.4
Amor Solonis erga filium, 2.4
Amor est mensura doloris, 9.3
Amor est beneficium, 12.3. & 4
Amor Alcestis erga Admetum Regem Thessaliæ, 33.6
Amor Reginæ conjugis Henrici, 33.6
Amor Evadnis erga Capaneum maritum suum, 33.6
Amor equitis cujusdam erga Henricum Caroli IX. Germanum, 33.18
Amurathes à Joanne Huniade victus, 13.1
Anacreon singultum sibi dentibus præscidit, 26.13

Anagramma pro S. Marco & Venetia, 11.3
Anagramma pro S. Nicolao Tolentinate, 29.2
Anaxagoras pauperratis amicus, 9.16. & 29.17
Anaxarchus ejusque constantia, 30.18
S. Andreas Corsinus Carmelitanus, 19 16
Androcidus claudus militiam adire voluit, 12,8
Androdus ejusque cum leone historia, 11.18
Angeli hominem formarunt, solo corde excepto, 2.13
Angeli formam humanam assumunt, 5.1
Angeles non indidit nomen Regi Davidi, 6.23
Angeli ambulant in obscuro noctis & in claritate diei, 5.4
Angelus tenuit à S. Joanne adorari, 5.8
Angeli boni sunt veraces, 5.15
Angeli Dii vocantur, non Patres, 6.14
Angeli canunt introitum Missæ de S. Alberto Carmelitano, 16.19
S. Angelus Martyr Carmelitanus, 19.16
Angeli superiores inferiores illuminant, 5.17
Angeli habent species sibi connaturales, 5 18
Angelus officii nomen est, non naturæ, 5.19
Angeli sunt inflexibiles & humiles, 5.20
Angeli plura objecta simul intelligunt, 5.22
Angeli sunt hominibus præsidio, 31.1
Angeli depinguntur juvenes, 5.23
Angeli nil præter Deum volunt, 5.24
Angeli assumunt corpora aerea, 5.25
Angeli sunt resplendentes & agiles, 5.26
Angeli depinguntur alati, 5.26
Angeli intra sphæram suam activitatem habent, 5.28
Angeli sub Missa B. Philippi Benizzi cecinerunt sanctus, 24.9
Angelus in quodam templo Indiarum Crucem fecit, 13.15
Angelus luctatus est cum Jacob, 25.9
Angelus Gabriel describitur, 25 10
Angeli Gabrielis Mariæ delata salutatio, 18.9
Quomodo Angelus non potuerit superare Jacob, 23.14
Angelus ejusque potentia, 23.14
Angeli eorumque gratia, 35.14
Angelorum numerus, 35.14
Angeli infimi chori pauciores sunt quàm chori superioris, 35.14
Quantò magis Angeli multiplicantur, tantò plus crescunt in gratia & numero, 35 14
Angeli infimi chori in tanto sunt numero, ut Deus ex iis cuilibet homini qui fuit, est, & erit, decem ad minus æstimare potuisset, 35 15
Angelus detulit cor S. Augustini Sigisberto Episcopo Lugdunensi, 27.10
Angeli sunt digni nominare Mariam, 28.19
Angelus consolatus est Virginem nomine Mariæ, 28.21
Angeli S. Nicolao Tolentinati modulos musicos præcinunt, 29 16
Angeli nomẽ Mariæ nominati audientes gaudent, 2.10
Annia Romana secundas nuptias abnuit, 6.1
Anianus à S. Marco curatus, 11.6
Anianus calceum S. Marci reficiens manum sibi perforat, 11.9
Anni creationis mundi usque ad Christum, 5199. & sæcula 52. vide, 35.14
Annis mundus durabit ex multorum sententia 6000. id est sæculis 60. vide 35.14
Anonymus claudus ejusque responsio, 12.8
De S. Anna sermone 21 per totum.
S. Anna ejusque gloria ex Moyse deducitur, 21. 3. & 4
Prærogativæ S. Annæ nascuntur ex eo quod fecit mater Mariæ, & avia Christi, 21.4
Annæ excellentia comparata Davidi, quando comitabatur arcam Dei, 21.6
Annæ major dignitas fuit, esse matrem Mariæ quàm si Regina fuisset, 21.7
Anna glorisior, quàm Abraham dives, 21.8
Anna comparatur Regi Ezechiæ, 21.9
Anna à Christo & Maria dignitatẽ suam accepit, 21.10
Anna Jericho, rosa verò Mariæ similis est, 21.3
Anna finos comparatur, 21.12
Annæ nobilitas à Christo & Maria desumitur sicut nobilitas scientiæ ab objecto, 21.12
Annæ dignitas à Maria desumitur, 21.13
Annæ dignitas sacerdotium superat, & quomodo, 21.13
Cur Anna ab Evangelistis non nominetur, 21.14
Maxima Annæ excellentia est quod sit mater Mariæ, 21.15
Anna gloriam suam Christo & Mariæ in acceptis refert, 21.15. & 16
Anna & Maria fuerunt creaturæ Christo maximè proximæ, 21.15. & 16
Anna radix, Maria virgultum fuit, unde flos Christus progerminavit, 21.16
Anna fuit ager, in quo inventus est thesaurus, 21.17
Anna statuæ Luculli similis, 21.17
Anna similis margaritæ, 21.17
Anna idem quod Pyrrhus dicere potuit, 21.18
Annæ uxoris Helcanæ gaudium ob filium masculum, 34.17
Annulus Pyrrhi cum septem musis, 30.1
Antianira Regina virum claudum duxit, 12.8
Antigonus non doluit ob mortem filii, 29.17
Antigonus quantum à Demetrio amatus, 2.4
Antigonus gratiarum suarum avarissimus, 18.1

Antigoni dictum ad filium, 24.11
Antiochi Regis de Elephantibus inventio, 20.8
Antiochus Seleuci filius mortuus est amore Stratonicæ, 13.10
Antotidi pictura ingeniosa, 21.14
Antonii Spasa Neapolitani conjux in marem conversa est, 6.1
Antonius Paduanus quid avaro dixerit, 2.15
Antonii Paduani lingua, 15.2. & 3. & seqq.
S. Antonius Paduanus describitur, 15. per totum.
S. Antonii Pad. lingua miraculosa, 25.3. & seq.
Lingua S. Antonii penna quædam fuit, 15.4
Antonius Pad benignum & severum se exhibuit, 15.4
Antonius Pad. linguam pro armis habuit.
S. Antonii Pad. lingua divina fuit, 15.6
S. Antonius Pad. semper Deum benedicebat, 15.7
S. Antonius Pad. multos peccatores convertit. 15.8
S. Antonius Pad. cuidam Notario martyrium prædixit, 51.10
S. Antonius Pad. uno eodemque tempore in pluribus locis fuit, 15.11
S. Antonius Pad. dicitur arca Testamenti, 15.12
Effectus linguæ S. Antonii Pad 13.8. & seq.
S. Antonii Pad piscibus prædicans describitur. 15.13
S. Antonii Pad. lingua clavis est cæli, 15.14
S. Antonii Pad humilitas, 15.15
S. Antonii Pad lingua inalterabilis, 15.16
S. Antonii Pad lingua innocens, 15.16
Lingua S. Antonii similis est manui S. Osvvaldi Regis Britanniæ, 15.18
S. Antonii lingua cælo similis est, 15.19
Lingua S. Antonii Paduani glorioſa fuit, 15.19
Miracula S. Antonii Pad. 15.20
S. Antonius Paduanus uno die Padua Ulyssiponem profectus est, 15.20
S. Antonio Paduæ moriente, Ulyssipone campanæ ultrò sonuerunt, 15.20
Antonius Triumvir duos sibi similes juvenes eruit, 16.1
Apellis inventio ad venustandas picturas, 17.7
Appellis dictum ad suum discipulum, 34.8
Picturæ Appellis, 19.3
Apelles apud Agesilaum favorem habuit, 18.1
Apis quædam una ala integram triremem contexit, 10.2
Apes visæ sunt in ore S. Ambrosii & Pindari, 5.2
Apium denominatio, 9.1
Apis amica florum, 16.10
Apollonii Thianæi temperantia, 3.1
Apostoli martyrii sui instrumenta deferunt, 26.1
Apostoli sunt cæli, 4.8
Apostoli vocantur amici Christi, & cur, 4.6
Apostoli sunt operarii in vinea Dei, 47
Apostoli elegerunt septem viros, qui fidelibus assisterent? 5.11
Apostolorum denominatio, 9.1
Apostoli à Christo missi sunt, ut merant ubi non seminarunt & cur, 14.11
Significatio nominis Apostolus, 20.1
Apostoli glorioſi sunt veluti milites sancti Jacobi, 20.2
Apostoli similes Elephantibus, 20.8
Apostolorum ad symbolum adjecti articuli, 20.20
Apostolica dignitas quanta, 15.9
Apostoli à Christo lux vocantur, 16.12
Apostema Jasonis Thessali, 7.13
Apponia ejusque admirabilis fons, 2.19
Aqua Regi Cyro oblata, 2.3
Deus Moysi aquam & panem promittit, 7.11
Aqua à Tullia in cribro allata, 8.1
Aqua maris quomodo indulcescat, 8.13
Aqua in nuptiis Canæ in vinum mutata, 24.16
Aqua S. Nicolao Tolent. in vinum mutata, 29.10
Aqua S. Nicolao Tolent obedit. 29.10
Aquila ejusque lapis Ethites, 30.1
Emblema ab aquila conceptum, 11.1
Aquila ex amore se in ignem conjecit, 23.11
Aquila Rhodope calceum in Memphim detulit, 2.14
Aratus ejusque milites in obsidione Pollenæ, 2.7
Arbogastes, Eugenius, & Flavianus à Theodosio victi, 13.13
Arbor quædam oratione mediante à S. Francisco de Paula divisa fuit, 10.8
Arbores sunt in Indiis Orientalibus è quibus aves nascuntur, 7.1
Arbor Ciceræ unicum duntaxat fructum producit, 7.1
Arbor à verecundia nominatus in Predisatania, 7.1
Arbores exultant & cur, 4.16
Arbores farina plenæ, 7.1
Arbores Insulæ Giæceæ earumque proprietates, 7.1
Arbores earumque folia in Britannia, 7.1
Arbores variis raris proprietatibus præditæ, 7.1
Arbores Insulæ Hispanidæ fructus venenosas producunt, 7.1
Umbra ejusdem arboris ejusque effectus, 7.1
Arbor Bassana radices habet venenosas, fructus autem antidotum adversus illas producunt, 7.1
Arbor Ombria aquam effudit, 7.1
Arbor Oco mel scaturit, 7.1
Arbor Persil in Hermopoli Thebaidis, 7.1
Arca figura est Mariæ, 21.6
Arca in templo Dagon, 19.22
Arca in domo Obededom, 6.9
Archelaus craterem Euripedi donavit, 18.1

Archi-

Archelaus præfectus Mithridatis, 23.20
Archidamus Rex Lacedæmoniorum turpem duxit uxorem, 25.2
Aristippus à tempestatibus conquassatus, & spes ejus. 12.14
Aristides Atheniensis ejusque paupertas, 6.12
Aristodemus Ægina, & eorum filii, 16.1
Aristogiton claudum se esse finxit, 12.9
Arnea uxor Ulyssis in mare conjecta, 1.1
Aaron Rex Saracenorum sepulchrum Christi Carolo Magno donavit, 2.1
Aaron Rex Persarum Carolo Imperatori Horologium quoddam donavit, 2.1
Aaron & Moyses culices producunt, 14.6
Arthabani & Xerxis historia, 26.14
Artamon maritus Reginæ Laodice, 16.1
Artamenes similis Regi Antiocho, 16.1
Artaxerxes dexteram sinistra longiorem habebat, 1.1
Artaxerxes 115 filios habuit, 2.5
Asteriæ avis proprietates, 5.4
Asbesti lapidis proprietates, 35.11
Asta Bassa à Roberto Eghemberg victus, 13.1
Astyages Rex martyrio affecit S. Bartholomæum, 26.18
Astrion lapidis proprietates, 4.13
Astromori linguam non habent, 25.2
Atheuienses grati sunt erga filios Aristidis, 10.1
Atis filius Crœsi mutus loquitur, 8.1
Attrebati in Francia tres dies lana pluit, 25.1
Attali munus, quod ei Senatus Romanus dedit, 7.7
Avis Paradysi ejusque natura, 24.7
Avis Asteriæ proprietates, 5.4
Avis Asteriæ proprietates, 5.4
Avium quæ sunt in India Orientali natura, 15.19
Aves S Francisco Assisinati obediunt, 32.9
Augurtia diversa, 1.1
Auguria infantibus accepta, 5.2
S. Augustinus matrem suam Monicam martyrio affecit, 14.14
S. Augustinus Carthagine discedit, 14.15
S. Augustini tituli, 27.1
S. Augustino à Christo acclamatum fuit, 27.1
S. Augustinus est sol mysticus. 27.3
S. Augustinus hæresum tenebras dissipat, 27.4
S. Augustinus confundit hæreticos, 27.5.& seqq.
S. Augustinus eodem cum Pelagio tempore nascitur, 27.5
S. Augustinus malleus est hæreticorum, 27.7
S. Augustinus dicitur vir, & cur, 27.8
S. Augustinus Theologorum & Doctorum Magister est, 27.6
S. Augustinus Theologis lumen dedit, 27.7. & 8
S. Augustinus David in doctrina similis, 27.7
S. Augustinus in visione Ezechielis, repræsentatus, 27.8
S. Augustinus est Ecclesiæ firmamentum, 27.8
S. Augustinus est candelabrum à Zacharia visum 27.9
S. Augustinus doctrinam suam Doctoribus participat, 27.9
S. Augustini libri sunt in magno numero, 27.13
S. Augustini cor valdè est mirabile, 27.10
Religio S. Augustini in fine mundi cum Antichristo dimicabit, 27.11
Doctrina S. Augustini similis est soli 27.12
S. Augustinus scripturæ sensus explicavit, 22.13
S. Augustinus est agnus Apocalypticus, 27.13
S. Augustinus plus scripsit, quàm aliquis toto vitæ decursu agere posset, 27.13
S. Augustini digitus asservatur in civitate Montis Illcini in Tuscia, 27.14
S. Augustinus magnam erga Deum & proximum charitatem habuit, 27.15
S. Augustinus plus proximum quam seipsum amavit, 27.15
S. Augustinus magis charitativus fuit quam S. Petrus, 27.16
S. Augustinus salutis suorum valdè cupidus fuit, 27.17
S Augustin. magis fuit charitativus quam Abraham, 27.17
Quid S. Augustinus facturus fuisset si fuisset Deus? 27.21
S. Augustinus sicut Petrus à Christo interrogatus fuit, 27.21
Excessus amoris S. Augustini, 27.22
S. Augustini humilitas, 27.33.& seqq.
S. Augustinus composuit libros retractationum, 27.13.& 24
S Augustinus in templo Hierosolymitano velut sol depictus, 27.26
S. Augustinus panem verbi Dei & aquam salutatis doctrinæ adfert, 27.26
S. Augustinus in pectore solis ænigma defert, 27.26. *in fine.*
Augustinus Imperator Romam nobilitavit, 4.15
Augusti Cæsaris felicitas, 6.1
Augustus Imp. juveni similis, serm. 9
Aureliani Imperatoris benignitas, & memorabile dictum, 19.1
Aurelius idem est quod sol.
Aurelii nomen datum Augustino, 27.3
Aurum ejusque ænigma, 11.1.& 30.8.& 30.8
Aurum est symbolum charitatis, 30.13.& 14
Auri proprietates. ibid.

B

BAla mater naturalis Dan. 16.9
Balaam pactum cum dæmone habuit, 31.12
Balaam consilium Regi Balac datum, 5.12
Balaam Madianitis insidias prædicit, 15.4
Balaam à S. Michaële Archangelo in suo itinere impeditur, 12.2
Balac Rex legatos ad Balaam mittit, 5.12
Balac curat rogari Balaam ut Israelitis maledicat, 31.12
Balduinus Gotifredus victoriosus ante Califfam, 31.1
Balnea B. Philippi Benizzi, 24.19
Barach pugnat cum Sisara, 13.7
S. Barnabas sepultus est cum Evangelio S. Matthæi, 4.24
S. Barnabas cum Evangelio S. Matthæi operatur miracula, 30.19
Cur Barnabas non fuerit electus Apostolus, 4.18
S. Bartholomæus est quidam Ecclesiæ Hercules, 26.2
S. Bartholomæus vicit seipsum, 26.2
S. Bartholomæus non fuit ambitiosus, nec prætendit primatum inter Apostolos, 26.2.& seq.
Cur S. Bartholomæo detracta fuerit pellis, 26.6.& seq.
S. Bartholomæus renuntiavit omnem majoratus prætensionem, 26.11.& 12
S. Bartholomæus renuit crucifigi ut Christus, 26.12
Bartholomæum nonnulli Indum & nobilem esse volunt, 26.16
Cur S. Bartholomæus pelle exutus fuerit, 26.17.& seq.
Quid significet Bartholomæus, 26.17
S. Bartholomæus fuit crucifixus, 26.17
S. Bartholomæus fecit opera supererogationis, 26.18.
S. Bartholomæus fuit decollatus, 26.18.
S. Bartholomæus pelle exutus fuit, ut facilius cœlum, ingredi posset, 26.19.
S. Bartholomæus pellem suam fidelibus reliquit, 26 20.
S. Bartholomæus pepulit Dæmones, 26.20.
S. Bartholomæus pelle sua Dæmones fugavit, 26.20.
Bassa Generalis Turcarum munera, 2.1.
Bassa Budensis superatus à Friderico Tieffenbach, 31.1.
Bassa Assa superatus à Roberto Eghembergh, 13.1.
Bassiani Imperatoris dolor ob Gethea fratrem suum, 9.8.
Beati in patria peregrini sunt, non cives, 34.8.
Beatorum cognitio qualis sit, 34.8.
Beati gloriæ excellentiam explicare non possunt, 34.13.
Qua ratione intelligatur quòd Beati gloriam bibant, 34.32.
Beati similes sunt homini bibenti depicto, 34.12.
Beati gloriam semper sitiunt, 34.12.
Beatitudo cœlestis, vide v. Gloria.
Beati in Paradyso totum Deum vident, 18.15.
Bech Medinus in factione quadam Christianorum occiditur, 13.1.
Belisarius, ejusque actiones, 4.1.
Beltuphus Godolenam sponsam suam occidit, 5.1.
Benedictus, ejusque laudes, 7.1.& seqq.
S. Benedictus fructiferæ arbori similis, 7.1.
Ordinis S. Benedicti congregationes, 7.2.
Prælati & magnates qui prodierunt ex ordine S. Benedicti, 7.2.
S. Benedictus laudatur ex quatuor virtutibus Cardinalibus & tribus Theologicis, 7.3.
Benedictus in utero materno cecinit, 7.4.
S. Benedictus Roma discedit, & studia deserit, 7.5.
S. Benedictus amicus justitiæ, 7.7.
S. Benedictus Totilæ deceptionem cognovit, 7.8.
S. Benedictus per impactum colaphum Dæmonem pellit, 7.9.
S. Benedicti patrimonia, 7.10.
S. Benedictus vixit 90 annis, 7.11.
S. Benedicti temperantia, 7.11.
S. Benedicto signo crucis poculum veneno imbutum confregit, 7.12.
S. Benedictus exosus fuit Florentio, 7.12.
S. Benedictus in forma merulæ à Dæmone tentatus 7.13.
S. Benedictus in spinas se conjicit, 7.13.
S. Benedictus Mauro præcipit, ut Placidum in flumine periclitantem adjuvet. 7.15.
S. Benedicti fides, spes, & charitas, 7.16.
S. Benedictus sedet super Cherubim, 7.16.
S. Benedictus in spe Moysen antecelluit, 7.17.
Magna S. Benedicti fides 7.18.
S. Benedicti opera per fidem facta, 7.18.
Benedictus Papa VII. Henrico II. Crucem dedit, 13.5.
Benedictus Papa IX. fuit Carmelitanus, 19.16.
Benedictio à Jacobo Judæ filio suo data, 20.5.
Benedictio à Jacob data Issachar. 23.5.
Benevolentia laudatur, 19.1.
Benignitas Pittaci, Theodosii, Aureliani & Philippi Visconti, 19.1.
Benignitas laudatur, 19.1.
Benivillus hæreticus, 5.8.

Berengarius Rex Italiæ, 8. 5.
S. Bernardini Senensis desiderium, 28. 19.
Berilli lapidis proprietas, 11. 15.
Berosii statua Athenis, 15. 16.
Bersabea cur in Genealogia Salvatoris non sit proprio nomine expressa, 5. 3.
Biantes ejusque dictum de spe, 12. 14.
Biantis dictum de virtute, 10. 1.
Birbitta similis Dorimaco, 16. 1.
Blasphemi puniti fulmine, 24. 19.
Blemi in humeris oculos portant, 24. 3.
Bohemia integro septennio à fœminis gubernata fuit, 14. 1.
Bonifacius ejusque significatum, 28. 4.
Bonitas & pulchritudo unum & idem sunt, 25. 2.
Bononia ejusque denominatio, 9. 1.
Boni triplex genus, sanctitatis pulchritudinis & divitiarum, 25. 2.
Bos quidam ad Vespasiani pedes se prostravit, ejusque prognosticum, 1. 7.
Bos in curru Ezechielis factus est Cherubim, 5. 14.
Bovinæ linguæ proprietas, 15. 5.
Botrus uvæ signum fertilitatis, 26. 1.
Bruta capita in terram prona habent, 24. 3. & 4.

C

CAbestanus à Soliano ex zelotypia occisus, 2. 10.
Cain iratus, 12. 7.
Cain cor sibi in sacrificio suo retinuit, 2. 12.
Caja Ennia uxor Publii Rubii, 5. 29.
Cajus loco Jovis adorari voluit, 6. 4.
Calcaneus mulieris Dæmoni insidiosus, 3. 4.
Calcaneus quid significet, 3. 4.
Calceus S. Marci ab Aniano refectus fuit, 11. 9.
Calcei iter impediunt, 11. 5.
Calcei Judith rapuerunt cor Holofernis, 2. 14.
Calceus Rhodopes ab Aquila raptus fuit, 2. 14.
Caleb in prælio Josue salvatus fuit, 1 8.
Calista à Balduino Goffredo victus, 23. 1.
Callionymus Piscis in capitis vertice oculum portat, 24. 3.
Calix quid significet, 14. 5.
Calixto Papæ II. quæ acciderint, 20. 15.
Camaleon magnum nomen & modicum corpusculum habet, 1. 16.
Cambysis contra Samniten crudelitas, 9. 8. & 9. 16.
Camelus quid in Scriptura significet, 26. 19. & 1. 10.
Cananeæ dolores ob filiam infirmam, 9. 5.
Candidati quinam apud Romanos fuerint, 26. 13.
Canduaris mors per propriam conjugem procurata fuit, 14. 2.
Canum Regni Goto proprietates, 5. 1.
Canis à matre S. Dominici in somnio visus, 21. 1.
Canes cur à Græcis educati, 22. 4.
Canes symbolum sunt fidelitatis, 22. 1.
Candaces Regina, 21. 1.
Cantabria ejusque mons Magneticus, 8. 4.
Canutus Rex Angliæ coronam deposuit, 10. 4.
Capilli capris similes, 3. 7.
Capillorum proprietates, 3. 7.
Capilli Magdalenæ quid significent, 27. 19.
Capilli quomodo instar sagittæ cor transfigant, 3. 7.
Capilli quid significent, 3. 6.
Cæpreæ Insulæ Pazos in monte Ægeo, Cefalu, Africa, & Galaad, 3. 7.
Caprarum silvestrium proprietates, 3. 7.
Carbunculus Regis Portugalliæ, 20. 19 & 19. 19.
Carolus Dux Burgundiæ, quantum amatus à Patre, 24.
Caroli Ducis Burgundiæ Adamas, 2. 16.
Carolus Dux Burgundiæ Belluacum obsidet, 14. 1.
Carolus Magnus ejusque victoriæ, 13. 1.
Carolus Magnus sepulchrum Christi dono accepit, 2. 1.
Carolus Magnus solem firmiter stare fecit. vide. 29. 15.
Carolus V. Imperator horologio donatus est, 2. 1.
Carolus V. fortunatus in numero, 24. 13. 5.
Carolus VIII. Rex Franciæ ex Gallia in Italiam venit, 25. 1.
Carolus filius Ludovici Regis Franciæ dictus calvus 1. 1.
Cardinales, Pontifices, & alii Prælati præcipui in Ecclesia ex ordine S. Benedicti 7. 1.
Cardinalis Palvæus tympana audiens horret, Vide. 34. 7.
Cardundan ejusque altissimi montes, 8. 4.
Carmelus mons est fertilissimus, 8. 4.
Carmelitæ eorumque præconia, 19. 16.
Carmelitana Religio dedit duos summos Pontifices, 19. 16.
Carmelitanus habitus valdè est miraculosus, 19. 24.
Carmelitanæ Religionis Martyres & Doctores, 19. 16.
Carnem pluit in Liguria, 25. 1.
Carthaginenses stragem passi sunt à Timoleonte Corintho, 13. 1.
Castitas Niceræ & Aniani Episcopi, 3. 1.
Castor ejusque felicitas, 6. 3.
Catea civitas pulchriorem semper eligebat in Regem 25. 2.
Catonis planctus, 9. 8.
Catonis temperantia, 3. 1.

Cæsar ejusque nomen fulminatum quæ prodigia fecerit, 24. 3.
Cæsaris Augusti felicitas, 6. 1.
Cæsar erat omnia, quâ ratione intelligendum, 11.10.
Cæsar ne agnosceretur, chlamydem suam exuit, 26. 14.
Cæsar dictus est Dictator perpetuus. 20. 1.
Cæsar cur hoc nomine vocatus fuerit, 11.
Celsus Dux Venetus posuit cornu Ducale super caput Christi crucifixi, 32. 16.
Celtibri legati, eorumque Alexandro data responsio, 34. 7.
Centurio celebratur à Christo, 1.24.
Cephas quid significet, 1. 12.
Cervi eorumque proprietas, 20. 6.
A cervis desumptum Emblema, 11.1.
Chalcedonii lapidis proprietates, 20. 17.
Charitas repræsentatur in Rosa, 12. 3.
Charitas Henrici III. Imperatoris, 38.18.
Charitas similis est fructui arboris Malabeorum, 33. 16.
Charitas S Francisci de Paula, 10.8.
Charitas Ulpii Trajani erga milites, 12.13.
Charitas Adæ versus Evam, 12.7.
Charitas Apostolorum Philippi & Jacobi, 12.8.
Charitas Dei versus Cain, 12.6.
Charitas aliis virtutibus vitam ministrat, 10.8.
Charitas. Vide Amor.
Charitas S. Laurentii, 23.2. & seq.
Charitas Phocionis, 12.13.
Charitas Leonis Papæ IX. versus suos, 27.16.
Charitas S. Augustini, 27.15.& seqq.
Charitas Alphonsi Regis Angliæ, 27.15.& seq.
Charitas debitum est, quod nunquam completè solvitur, 83 10.
Cherubim sunt Thronus Dei, 7.16.
Christus S. Petrum cruce honorare voluit, 17.6.
Christus moriens cur caput suum in latus dextrum inclinaverit, 18.13.
Christus de cruce descendere noluit, & cur? 18.10.
Christus in horto à S. Michaële confortatus fuit, 31. 14.
Christus nomini suo operibus respondit, 12.
Christus cur circumcisus, 1.3.
Christus Jesu nomen nunquam mutavit, 1.8.
Christus paralyticus non requisitus juravit, 1.18.
Christi in cælis gaudium, 4.17.
Christus turbatur & iterum lætificatur, 4.16.
Christus quid Sadducæis responderit, 5.10.
Christus varia variis consignavit, 5.29.
Christus corpus suum sacramentatum S. Thomæ de Aquino recommendavit, 5.29.
Christus paternitatem non concessit, nisi soli Josepho, 6.15.
Christus nequit dici Filius Spiritus Sancti, 6.16.
Christus per acceptum colaphum satisfecit pro mendacio, cujus Deum arguere voluit, 7.7.
Cur Christus Eucharistiam sub specie panis instituerit, 31. 13.
Christus ubicunque fuit, semper sui memoriam reliquit, 32.13.
Christo passionis amaritudines dulces esse videbantur, 23. 9.
Christus passionem suam gloriam esse existimavit, 23. 12.
Christi responsum de gloria interroganti datum, 34.9
Christus compatiebatur abstinentiæ S Benedicti, 7.11
Christotocos inter & Theotocos quænam sit differentia, 8.7.
Christus lapis seu petra dicitur, 8.18.
Cur Christus in horto sanguinem sudavit, 11 7.
Christus plus nostros quam suos dolores persensit, 11. 8.
Christus plus passus est per clavos manuum, quàm pedum, 11.9.
Christus erga Petrum gratus, 11.24.
Cur Christus matrem suam Joanni potiùs quàm Jacobo recommendavit, 12. 12.
Cur Christus modum panem comparandi à Philippo interrogavit, 12.16.
Christus cum SS. Philippo & Jacobo spolia divisit, 12. 20.
Christus per crucem dæmonem vicit, 13. 15.
Christus in cruce non nominavit Mariam, 28. 11.
Cur Christus non biberit vinum myrrhatum, 28. 22.
Christi responsum Mariæ in nuptiis datum, 29. 9.
Christus subitò paradysum latroni dedit, 14.11.
Christus jubet Discipulis, ut metant quæ non seminârunt, 14.12.
Christus Monicam moribundam amplectitur, 14.19.
Christus animas in peccato originali mortuas è lymbo non liberavit, 29.14.
Christus qui descendit ipse idem est, & qui ascendit, quomodo intelligatur, 30. 5.
Christus vult Lazarum manibus pedibusque ligatis resurgere. 30.11.
Christus non vult Samaritanos igne punire, 19.10.
Christus à dæmone in deserto ad tempus relictus, 16. 12.
Christus à Joanne creditus est fuisse Joann. Baptist. 16. 11.
Christus Discipulos suos lucem vocavit, 16.12.
Christus S. Petrum ad majorem ejus gloriam reprehendit, 17. 6.

Christiani amorem pro lege habere debent, 33.2.
Chrysolitus est lapis durus, 30.20.
Chrysolitus in die aureus, in nocte igneus esse videtur, 30.20.
Chrysolitus colorem marinum refert, 30.21.
Chrysoliti virtus refert S. Matthæum, 30.1. & seq.
Chrysolitus est coloris aurei, 30.2
Chrysolithi natura, 30.3
Chrysolitus emittit scintillas, 30.16.
Chrysolitus est septimus lapis palatii cœlestis, 30.16
Chrysolytus valet contra multas infirmitates, 30.19
Chrysolytus ei qui illum gestat animositatem subministrat, 30.9
Chrysolitus fugat timorem, 30.19.
Cibi Adæ & Evæ post creationem legumina erant, 10.34
Ciborea & Ruben fuerunt genitores Judæ Iscarioth, 4.10
Cithara Davidis fugat dæmonem, 3.18
Cithara Eunomii repræsentat collegium Apostolicum, 4.13
Circumcisio cur instituta fuerit, 1.2
Cyrillus Alexandrinus fuit Præses, 19.6
Cyrus se Solem amplexatam esse somniavit, 10.3
Cyri egregia remuneratio, 2.4
Cyri exercitus à Thomitida Schytarum Regina dissipatus, 3.1
Cyrus ad gratiam præstandam promptus, 18.1
Cyrus eodem die quo Nabuch nascitur, 27.5
Cyprianus librum Tertulliani permagni fecit, 24.18
Claudia Vestalis cingulo navem traxit, 8.1
Clavis aurea donata est S. Gregorio Rechatedo Hispaniarum Regi, 2
Claudi in bello vel pugnare vel mori debent, 12.9
Claudi responsum, 12.9
Claudus erat severus Imperator, 12.9
Cleantis dictum, 16.16
Clemens se Agrippam esse fingebat, 16.1
Cleomenus Rex Lacedæmoniorum ejusque astutia, 3.1
Cleomenes in templo Jovis sactificare voluit, 24.5
Cleopatræ in loquendo gratia, 3.5
Cleopatra à Marco Antonio amata, 17.20
Clericalis corona quomodo inventa fuerit, & quid significet, 10.4
Clericus S. Benedicto cibum defert, 7.11
Clericus memoriam amisit, & qua ratione eandem recuperavit, 8.1
Clericus pulchritudinem B. Virginis conspexit, & quomodo, 25.15
Clodius ejusque divitiæ, 21.1
Clodoveus Rex Franciæ vicit Alemannos, 1.19
Cognati inidonei ad officia eligi non debent, 4.18.
Cognitio Beatorum in Patria, 34.8
Cognitio matutina & vespertina quales sint, 34.8
Colaphus à S. Benedicto dæmoni datus, 7.8
Collegium Apostolorum, 4.12
Collyridianorum hæresis, 18.5
Collum Ecclesiæ est MARIA, 18.3
Columbus mundum novum invenit, 34.1
Colossus Rhodius à Lydio Lysippi Discipulo factus, 27.1
Columba olivam ferens pacis signum est, 33.12.
Columna ducens Moysis exercitum luminosa & tenebrosa erat, 31.5
Comit vermis & sui sanguinis virtus, 1.5
Congregationes S. Benedicti, 7.2
Conimbria civitas à Saracenis obsessa, 20.16
Consalvus pugnavit cum Duce Neomagensi, 23.21
Continentia & virginitas quomodo differant, 3.9
Convivium & modus in iis bibendi, 3.22
Cor Germanici, 15.16
Cor S. Augustini ejusque effectus, 27.20
Cor S. Augustini scutum & fortitudo Ecclesiæ est, 27.10
Cor S. Augustini quàm admirabile, 27.10
Cor Leonis bonum est pro febri quartana, 11.2
Cor matrum à corde parentum valde differt, 9.4
Cor à capillis veluti sagittatum, 3.6
Cor Cabestani à Saliano ex Zelotypia datum est ad manducandum, 2.10
Corda infantum sacrificantur in Mexico, 2.8
Cor diis falsis valde gratum, 2.8
Cor in pectore victimæ non repertum, 28.9
Cordis inimici, 2.8.& 11
Cor sponsæ sigillo Dei obsignatum, 2.7
Cor est in medio pectoris, 2.6
Cor est primogenitum nostrum, 2.4.& 3
Cor simile est fonti Aponiæ, 2.19
Cor simile est scypho ex hædera facto, 2.19
Cor stultè dæmoni datur, 2.14
Cor amantis ubi residet, 2.15
Cor avari, 2.15
Cor & homo à quo formentur, 2.15
Cor Cain sibi reservavit, 2.12
Cor Deo sacrificari debet, 2.3
Corallus quomodo formetur, 4.13
Ex corallo desumptum Emblema, 11.1 & 17.15
Corduba civitas per S. Nicolaum à contagio liberata, 29.15
Coriolanus matri suæ Vetruviæ obediens, 8.16
Corpus S. Marci ejusque odor, 11.22
Corpus S. Marci quomodo Venetiis inventum, 11.23.

Corpus aliquod in duobus locis esse potest, 8.1
Corpus S. Vincentii à corvis custoditum, 4.14
Pro corpore Moysi inter Michaelem Archangelum & dæmonem pugnatum fuit, 31.14
Corpus S. Matthæi quiescit honorifice Salerni, 30.25
Corpus S. Francisci in pedes stat erectum, 32.14
Corpora gloriosa, eorumque dotes, 24.2. & seq.
Corinthii Alexandrum suum convicem fecerunt, 6.15
Corona spinea S. Francisco Assisinati data non fuit, 32.15
Coronæ tres symbolum Henrici III. fuerunt, 10.4
Corona à Prete Joanne Regi Lusitaniæ data, 21.1
Corona militis cujusdam Romani, 10.4
Corona Canuti Regis Angliæ, 10.4
Corona à Tito Vespasiano recusata, 10.4
Corona dabatur cuilibet patri ob natum sibi filium masculum, 10.4
Coronam ferre non debent servi & mancipia, 10.4
Corona à Mithridate & Tigrane abjecta, 13.1
Corti ingens & tenax memoria, 8.1
Contadus Imperator obsedit Weinsperch, 6.4
Corvus gulosus, & corvi abstinentes, 4.14
Corvi custodierunt corpus S. Vincentii, 4.14
Cosrhoæ Regis Persarum thronus, 8.5
Constantinus Imperator vidit crucem in aëre, 13.14
Constantini Magni felicitas, 6.1
Constantini Magni ensis, 2.1
Constantinus S. Nicolao Bartensi Episcopo librum Evangeliorum donavit, 2.1
Constantini Imperator. Labarum, 13.12
Constantini ensis custodiebatur per unum ex clavis Domini, 2.1
Constantinus IV. Imperator ambitiosus erat, 26.3
Constantini Porphygrageniti thronus, 8.5
Constantinopolis & Roma sunt ambæ civitates primæ, 26.11
Constantia Mariæ in passione Christi, 9.16
Constantia Mariæ fuit exemplum constantiæ Joannis, 9.15
Constantia Joannis ante crucem Christi, 9.15
Coris Rex Thraciæ duo vasa bellica rupit, 7.12
Crœsi mutus filius loquitur, 15.3
Cribrum aqua plenum à Tullia Vestali defertur, 8.1
Crassus invidebat gloriæ Pompei, 19.9
Crateris Hædetacæi proprietates, 2.19
Crater veneno imbutus à S. Benedicto per signum crucis rumpitur, 7.11
Craterem epotatum Nero rumpebat, 20.3
Cratet ab Agesilao ebibitus, 20.3
Crater ab Archelao Euripedi donatus, 18.1
Crater in sacco Benjamin inventus, 31.24
Crucifixus erat B. Philippi Benizzi liber, 24.17
Crucifixus est Liber architectonicus, 24.18
Crux clavis est & porta cæli, 12.19
Crucis virtus, 32.15
Crux est victoriarum nostrarum causa, 13.2
Crux palma dicitur, 13.2
E cruce desumptum emblema, 13.2
Crucis emblema à Theodoro Trivultio formatum, 13.3
Crucis emblema à Duce Guisio factum, 13.3
Crux à Benedicto VIII. Henrico II. data, 9.10
Crux & ejus quatuor partes quid significent, 13.3
Crucis figura effecit ut Abraham vinceret, 13.4
Crux à Joele formata dum Sisaram occideret, 13.7
Crux brachiis Davidis efformata, 13.8
Crux brachiis Moysis facta, 13.9
Crux à tribus pueris in fornace formata, 13.10
Crux Jonam è ceto & mari liberavit, 13.11
Crux in Labaro constantini Imperatoris, 13.14
Crux bajulum suum in prælio defendit, 13.11
Crux Theodosio victoriam attulit, 13.13
Crux à Constantino in aëre visa, 13.14
Crux debet portari in fronte, 13.14
Crux triumphat contra Dæmonem, 13.15
Crux ab Angelo in templo quodam Indiæ facta, 13.15
Crux mortificavit Dæmonem, 12.17
Crux figuratur in cithara David, 13.18
Crux est antidotum contra mortem, 13.19
Crux ab Helena Constantini matre inventa, 13.19
Crux figurata in feretro Naimitico, 13.19
Crux in quatuor stellis repræsentata, 14.19
Crux ab Elia & Elisæo formata, 13.20
Crux mortuos resurgere facit, 13.20
Crux ab Asino in humeris defertur, 13.21
Crux Christo visa est esse gloriosa, & cur? 13.12
Crudelitas Cambysis contra Samnitem, 9.8
Crudelitas Sultani Ormutz, 19.2
Crudelitas Arpagi, 19.2
Crudelitas Mezentii, 19.2
Crudelitas Ducis Albiniæ, 19.1
Culicum proprietates, 4.23
Culices Ægypti magnum intulere tormentum, 14.6
Curiositas matris Papyri Prætextati, 3.1
Currus à formica quadam protractus, 10.2
Currus mysticus ab Ezechiele visus, 5.14
Currus igneus Eliæ, 19.19
Curab equis protractus, 19.20
Curtius in flammas sese conjecit, 13.1
Curtius Sicinius cur Dentatus appelletur, 1.1
S. Cunibertus Episcopus Alfredo Angliæ Regi apparet, 34.14

D

DAgon coram arca in terram decidit, 19 22
Damon & Pithias magni amici, 6.1
Dan quomodo filius Rachelis, 16.9
Daniel in speluncam latronum positus fuit, 31.7
Darius Danielem inter leones poni jussit, 31.6
Darii pactum cum Alexandro, 2.13
Cur David Psalm. Venite exultemus composuerit, 1.6
David quomodo Goliath gygantem occiderit, 1.16
David Michol in uxorem poposcit, 5.9
David 200. Philisthæos occidit, ut Michol habere posset, 5.9
Davidis divitiæ, 6. 1
David quando Rex dictus sit, & quando non, 6.23
David non fuit ab Angelo Rex vocatus, 6.23
David cur solum se Deum offendisse dicat, 10.10
David qualiter à Nathan reprehensus fuerit, 10.11
David brachiis suis crucem efformabat, 13.8
David cur gygantem in fronte vulnerarit, 13.14
David regiam abjiciens vestem à Michol reprehensus fuit, 26.8
Davidis amor erga Michol, 26.8
Davidis sacrificium patientiæ, 14.5
Davidis magnæ divitiæ, 6.1. & 21.1
Davidis sepulchrum, 11.1
David lætatus est ob mortem filii quem ex Bersabea habuit, & luxit mortem Absalonis, 29 17
David prostravit Goliath gygantem, 30.24
David saltat ante arcam Dei, 21.6
Davidis tanquam proavi Christi & Mariæ excellentia, 21. 7
David filius Roberti III. Regis Scotiæ, 19.2
Dæmon cum Michaële pugnavit propter corpus Moysis, 3.4
Dæmon Christum reliquit *usque ad tempus*, 16.11
Dæmon comparuit in forma Æthiopis, 16.20
Dæmon à cruce mortificatus, 13.17
Dæmonis dolus quo Simeonem Stylitam est aggressus, 1.21
Dæmon Christi crucifixionem impedire conatus suis, 13.16
Dæmon in forma Draconis damnosus est suis, 12.5
Dæmon per impactum colaphum à S. Benedicto expulsus, 7.9
Dæmon invidebat sancto Machario, 3.4
Dæmon insidiatur calcaneo mulieris, 3 4
Dæmon vicit Adamum, 7.15
Dæmon Deo mendacium affingere voluit, 7.9
Dæmon hortatur Judam ad pœnitentiam, 13.16
Dæmon sonum cytharæ Davidicæ fugit, 13.18
Demetrius vetus Mithridatis amicus, 4.6
Demetrii amor erga filium, 2.4
Demetrius insulam Rhodensem obsedit, 9.1
Deus apri ejusque magnitudo, 2.1
Dentium Zenobiæ candor, 3.5
Descripto quatuor sensuum corporis, 15.1
Descriptio hominis, 15 1
Descriptio Narcissi, 14 19
Descriptio B M.V. in Paradisum assumptæ, 25.11
Descriptio Gabrielis Archangeli, 6.10
Descriptio Jacobi cum Angelo luctantis, 25.9
Descriptio sancti Thomæ de Aquino, 5.6
Descriptio sancti Antonii prædicantis piscibus, 15.13
Descriptio nihili, 3.19
Descriptio sancti Josephi moribundi, 6.20
Descriptio mensis Maii, 12.1
Descriptio Eunomii & Aristodemi, 4.12
Desiderium populi Mosaici causa fuit idololatriæ, 14. 14
Desiderium quo mulier filios à se natos videre desiderat, 14.13
Deucalion ejusque fabula, 5. 1
Deus & Dominus quomodo differant, 8.10
Deus in corde nostro solus esse prætendit. 2.17. & seq.
Deus in medio stare vult, & cur? 2.6
Deus cor sibi in sacrificium à nobis exigit, 2.5
Deus cor sponsæ sigillavit, & cur? 2.7
Deus zelotypus est respectu nostri cordis, 2.7
Deus unus, dicit præceptum ut adoretur, & non dicet trinus, quamobrem? 2.22
Deus honorat humiles, 3.3
Deus non potest dici Dei Deus, 3.24
Deus à Maria excellentiam quandam accepit, 3.25
Deus MARIÆ dexteram in cælo dedit, 3.2
Deus respectu hominis Dominum se vocat, 6.11
Deus à Moyse prius describitur operans quàm existens, 7.5
Deus nequit esse otiosus, 7.5
Deus sedet super Cherubim, 7.16
Deus stabat supra petram à Moyse percussam, 7.17
Deus cum Maria se habet ut Deus, & ut Dominus, 8.10
Deus zelotypus est respectu maternitatis MARIÆ, 8.12
Deus ex Maria pius factus est, 8.13
Deus similis est aquæ nubis ab Elia visæ, 8.14
Deus est ignis in rubo non urens, 8.20
Deus soli similis est, 8.21
Deus Eliezer Moysis filio mortem minatur, 9.5
Deus erga Cain charitativus, 12.7
Deus cur quievit die septimo, 12.11

Deus vult ut Gedeon cum paucis militibus pugnet, 13.5
Deus compendiavit in Maria omnem pulchritudinem, 25. 5
Deus Adamo vestem pellitam adfert, 26.13
Dei nomen Jehovah ineffabile, 28.10
Deus etiam in hoc mundo præmiat, & cur? 15.6
Deus linguæ curam habet, 15.6
Deus & os ejus quis sit? 5.8
Deus est in omni loco, 15.11
Deus filium viduæ mori fecit ad mitigandum zelum Eliæ, 19.8
Deus definitur per negationem, 16.18
Deus libenter præstat gratiam, 18.1
Deus intuitu Mariæ gratias dispensat, 18.2. & seqq.
Deus dulce amaro miscet, 36.23
Deus vestitur tenebris, & cur? 34.5
Deus Moysis & populi sui incredulitati indignatur, 22.6
Deus est Mariæ debitor, 18.5
Deus placatur in gratiam Mariæ, 18.5
Deuteronomium & ejus significatum, 9.1
Diagoras & ejus filii, 34.14
Diana filia Isidis ejusque fabula, 17.17
Didacus uno die in carcere incanuit, 8.1
Dies cæli à die terræ differt, 35.11
Dies justos, nox peccatores significat, 30.10
Difficultas ab Esdra proposita, 35. 3
Difficile est adire Paradisum terrestrem, 34.2
Difficultas in operibus arduis, 34.1
Difficile est loqui de gloria cælesti, 34.2
Differentia inter Christothocos & Theotocos, 8.7
Differentia inter Deus & Dominus, 8.10
Digitus Pollex manus Adonibezech amputatus fuit, 10.7
Digitus pollex manus dexteræ S. Augustini in magna veneratione asservatur in Hetruriæ civitate Montis Ilcini, 27.14
Dignitas & excellentia S. Josephi, 6. per totum.
Dignitas ex humilitate nascitur, 3.17
Dignitas MARIÆ est quod sit mater & virgo, 8.10
In dignitate positi, sunt invidiæ meta & signum, 4.7
Diocletianus Imperator viles habuit natales, 3.17
Diocletianus Zoë uxorem Nicostrati Martyris fumo interfici curavit, 34. 4
Diogenis parsimonia, 7.10
Dionysii Tyranni Syracusani timor, 35.10
Dionysius Papa Carmelitanus, 16.16
Diomedes ab Augustino defensus, 3.1
Divitiæ à Zenone Philosopho amissæ, 34.18
Divitiæ Senecæ, Madoniæ, Ægyptii cujusdam, Clodii, Pallantis, & Regis Indiarum aliorumque, 21.1
Divitiæ Pithii Celeni & donorum ejus, 21.1
Divitiæ Josephi ab Arimathæa, 6.21
Divitiæ Regis Scotiæ, 4.9
Divitiæ Candacis Reginæ Æthiophum, 21.1
Divitiæ Soldani Babyloniæ, 21.1
Divitiæ magnæ Regis Davidis, 21.1
Divitiæ Salomonis incredibiles, 21.1. & 6.1
Divitiæ Plinii junioris, 21.1
Divitiæ veræ in virtutibus consistunt, 21.1
Dux Venetiarum rosam auream ab Alexandro III. Pont. Max. in sancto Marco accipit, 2.1
Dux Venetiarum Celsus cornu sive mitram ducalem Christo crucifixo imponit, 32.16
Doctrina sancti Augustini malleo similis, 27.4. & seq.
Doctrina sancti Thomæ cur Angelica dicatur, 5.12
Dolores Cananeæ, 9.5
Dolores Patrum propter filios, 9.8
Dolores MARIÆ cur ab Evangelistis non fuêre descripti, 9.8
Dolor MARIÆ ejus amori adæquatur, 9.3
Dolores Filii, MARIÆ dolores erant, 9.5. & seq.
Dolores filiorum in Genitores redundant, 9.6.& 7
Dolor effecit quod Maria in passione Filii non fleverit, 9.8
Dolores Christi in Maria reflexum quendam habuerunt, Serm. 9.8. & 9
Dolores Christi in corde Mariæ epilogati, Ibid.
Dolores Mariæ quo sensu majores fuerint quam dolores Christi, 9.9
Dolores Mariæ omnibus doloribus majores fuêre, 9.10
Dolores quem lancea Mariæ attulit, 9.11
Dolor Mariæ, 9.1
Dolus Cleomenis Regis Lacedæmoniorum, 3.1
Domitiani ambitio, 6.4
S Dominicus, Serm. 21. per totum.
S. Dominicus comparatur lilio, itidi, phœnici, lauro, stellæ, cælo, 22.1 & seq.
S. Dominicus prodigium fidei fuit, 22.1. & seq.
S. Dominicus quando, à quibus, & ubi natus fuerit, 22.1
S. Dominicus in specie canis à matre in somnio visus fuit, 22.1
S. Dominici fides cani & faci accensæ similis fuit, 22.1
S. Dominicus dignitates sibi oblatas recusavit, 22.2
S. Dominicus multas provincias per fidem suam Deo obedientes reddit, 22.3
S. Dominicus per fidem dimicavit cum Albigensibus, 22.3

S. Dominicus per fidem actiones justitiæ operatus est, 21.4
S. Dominicus similis canibus Dauliæ, 22.4
S. Dominicus libros vendebat, ut auxillaretur pauperibus, 22. 4
S. Dominicus se vænum obtulit, ad liberandum è servitute mancipium, 22.4
S. Dominicus monetam aliquam subito in terra comparere fecit, ne nauta naulo suo defraudaretur, 22. 4
S. Dominicus omni nocte trinies se disciplinabat, 22. 5
S. Dominicus debita propria & aliorum Deo per sanguinem suum exsolvebat, 22. 5
S. Dominico dum infans Missam auscultaret, à sacerdote acclamatum fuit hisce verbis: Ecce mundi reparator, 22.6
S. Dominicus mundum à divinis suppliciis liberavit, 22. 7
S. Dominicus ab Innocentio III. visus fuit sustentare Ecclesiam Lateranensem, 22. 7
S. Dominicus reparavit damna Collegii Apostolici, 22. 7
S. Dominicus quidquid petiit impetravit, 22.7
S. Dominicus per fidem dæmonia vicit, 22. 8
S. Dominicus Novitium quendam, & alium quendam religiosum à tentatione Religionem deserendi liberavit, 22. 9
S. Dominicus Dæmonem quendam obmutescere fecit, 22.9
S. Dominicus ut novem fœminas nobiles converteret, integra quadragesima in pane & aqua jejunavit, 22. 9
S. Dominicus dæmones per signum crucis factum expulit, 22.9
S. Dominici libri non comburuntur in igne, 2.10
S. Dominicus suscitavit quinquaginta Anglos in mari submersos, 22. 11
Liber quidam S. Dominici in flumen Aregiam cecidit, ibique hæsit triduo, nec tamen fuit inde madefactus, 22. 11
S. Dominicus à SS. Petro & Paulo monitus est, ut fidem prædicaret, 22. 13
S. Dominicus fecit ut vasa inania vino plena inverentur, 22. 16
S. Dominicus cum Simone Monfortio & hæreticis præliatur, 23. 13
S. Dominicus infirmum sanitati restituit, 22. 14
S. Dominicus per fidem mortuos suscitavit, 22. 15
S. Dominicus in vita & post mortem miracula fecit, 22. 16
S. Dominicus portis clausis monasterium ingressus est, 22. 6
S. Dominici manus odoriferæ à juvene quodam osculatæ eundem ex lascivo castum fecerunt, 22. 16
S. Dominicus effecit ut Angeli panum copiam ad conventum deferrent, 22. 16
S. Dominicus quendam ab igne liberat, 22. 16
S. Dominici loricati ferrum quo cinctus est, emollitum ex ejus contactu cœpit, 23. 28
Domitiani mors per prodigium insinuata fuit, 10. 3
Domus Heli per gulam exterminata fuit, 10. 33
Dona à diversis principibus facta, 2. 1
Donum Tambutho Regi Fezio datum, 2. 1
Donum pennæ cujusdam avis Ruch, & dentis apri cujusdam, 2. 1
Donum à Prete Joanne Regi Lusitaniæ datum, 2. 1
Donum à Bassa quodam Regi Zifit datum, 2. 1
Donatum est Carolo Imperatori à Rege Persarum horologium quoddam. 2. 1.
Donum clavis aureæ à Reçatedo Rege Hisp. S. Gregorio datum, 2. 1
Donum Rosæ aureæ ab Alexandro III. datum, 2. 1
Donum Coronæ ex plumis pavonis factæ ab Urbano III. Henrico II. Angliæ Regi datum, 2. 1
Donum ensis Constantini Imperatoris ab Hugone Rege Franciæ Henrico Regi Saxoniæ datum, 2. 1
Donum Constantini Imperatoris quod dedit S. Nicolao de Bari, 2. 1
Donum à Regina Saba Salomoni datum, 2. 1
Dona à Magis Christo data, 2. 2
Dona à Polimio Rege S. Bartholomæo transmissa, 46. 8
Dona Plinii Junioris, 21. 1
Donum Pithei Celeni, 21. 1
Dormivit Epimenides Annis 50. & alius quidam vide, 9. 1
Dorcas resuscitata à S. Petro, 14. 20
Dorimachus & Babirra similes, 6. 1
Dotes corporis glorioſi sunt quatuor, 24. 1
Duces in Israël ex tribu Juda erant, 20. 5
Duces victorioſi, 13. 1.

E

EBrietatis remedium à Platone inventum, 7. 10
Ebur & ejus significatum, 8. 5
Ecclesia est corpus quoddam mysticum, 18. 3
Ecclesia est hortus, 35. 1. & 2
An Ecclesia in qua sanguis martyris alicujus effundirur polluta censeatur, 32. 26
Ecclesia Alexandrina, 11. 21
Eddatus Rex Brittanniæ, 4. 9

Edoardus I. Rex Angliæ ejusque mancipium, 10.4
Eduardi Regis Angliæ vas, 29.19
Edmundo Archi-Episcopo Cantuariensi Christus apparuit, 1.22
Ephestionis aspectus, 3.5
Ephestion alter Alexander, 10.6
Ephestitis lapidis proprietates, 4.13
Elcanæ qualitates, 30.3
Elcana habebat duas uxores, ibid.
Elcana erat vir solus, quomodo intelligatur, ibid.
Elephantis in Lusitania proprietates, 2.16
Elephas tardè nascitur, 29.3
Elephantis natura, 10.8
Elephantes quomodo animentur, 10.8
Elementorum transformatio, 5.1
Electorius lapis, 30.1
Eleemosyna valde grata Deo, 31.16
S. Elias divisit mare, 29.13
Elias comparatur aliis sanctis, 29.13
SS Elias & Eliseus quomodo mortui resurgent, 13.21
S. Elias cur vestem Eliseo dimiserit, 26.10
S. Elias zelat honorem Dei, 19.3
SS Elias & Moyses recedunt à monte Thabor, 32.3
Cur S. Elias adeò severus fuerit, 19.2
S. Elias Deũ juramento adstrinxit, ut non plueret, 19.4
S. Eliæ juramentum, 19.4
S. Elias nil curat adversa pati dummodo non sit bene idololatris, 19.6
S. Elias ejusque significatum, 19.18
S. Elias non respexit ad bonum proprium, sed ad honorem Dei, quod non fecit Samson, 19.7
S. Eliæ zelus a Deo mitigatus, 19.8
S. Elias anxius & dubius hærebat, 19.8
S. Elias in zelo honoris divini tenax est, 19.8
S. Elias valdè dolebat, quod Deus in bonum Idololatrarum pluere vellet, 19.9
S. Elias oculos claudebat, ne pluviam videret, 19.9
S. Elias ignem è cælo evocavit, 19.10
S. Elias Regi Ochoziæ obedire noluit, 19.11
S. Elias ignem de cælo impetravit non verò Jacobus & S. Joannes, 19.11
S. Elias pro libitu cælum claudit & aperit, 19.11
S. Elias Leviathan dicitur & cur? 19.12
S. Elias ex zelo honoris divini Religionem Carmelitanam instituit, 19.12
S. Elias Religionem Carmelitanam instituit, ut læsum Dei honorem resarciret, 19.12
S. Elias fecit Religiosos suos Prophetas, 19.13
S. Elias Religionem suam instituit, ut semper laudaret & glorificaret Deum, 19.13
S. Elias habuit duo monasteria in monte Thabor ædificata ad instantiam S. Petri, 19.14
S. Elias Dei honorem magis zelavit quam Phinees & S. Petrus, 19.15
S. Elias fecit sacrificium, 19.15
S. Elias occidit Prophetas Idolorum, 19.15
S. Elias remuneratus est à Deo per tot celebres Religionis suæ Doctores & Prædicatores, 19.16
S. Eliæ & religionis suæ Carmelitanæ gloria, 19.16
S. Elias raptus in curru igneo, 19.17
S. Elias similis soli, 9.18
S. Elias pallium suum Eliseo reliquit, & cur? 19.24
S. Elias a curru suo igneo læsus non est, 19.19
S. Elias virgo fuit, & ideò in curru igneo illæsus permansit, 19.19
S. Elias Angelus ob virginitatem fuit, 19.19
S. Angelus ob virginitatem fuit. 19.19
Cur curtus S. Eliæ ab equis tractus sit, 19.20
Quomodo S. Elias in curru igneo in cælum deductus sit, 19.20
S. Elias totum mundum ex zelo Dei devastasset, 19.20
S. Elias zelantior erat honoris divini quam vitæ propriæ, 19.20
S. Elias & pallium ejus Idolis & Idololatris formidabile fuit, 9.24
Eliezer filius Moysis incircumcisus, 9.6
Eliezer tulit munera Rebeccæ, 35.9
S. Elisabetha Ungara amica Paupertatis, 6.12
S. Elisabetha Principissa Hassiæ, 9.2
S. Elisabethæ Principissæ Thuringiæ patientia, 3.1
S. Elisabetha à Maria visitata, 33.11
Eliseus fecit natare ferrum & lignum demergi, 8.1
Eliseus quidnam ab Elia petierit, 30.9
Eliseus cur ab Elia vestem receperit? 26.10
Eliseus duplicem spiritum petiit, 29.13
Eliseus territorium Jericho sale fœcundavit, 21.4
Eliseus Naaman ad Jordanem misit, ut se lavaret, 30.9

Emblemata.

Circa ferrum, 24.10
Circa corallum, ibid.
Circa laurum, 23.11
Circa margaritam, 21.18
Circa aurum, 21.17
Circa mitram ducalem Ducis Venetiarum, 32.16
Theodori Trivulii circa crucem, 13.3
Ducis Guisii circa galeam & ensem Ducis, 13.3
Circa ornamenta Galeæ per multas nullas, 13.3
Circa solem, 17.1
Circa palmam, 13.2
Circa pyramidem & scopulum, 5.5
Circa adamantem, 5.5
Circa rosam & spinas, 17.4

****

Circa

Circa aquam,10.38
Circa roſam,29.7
Circa laticen,5.6
Circa hyacinthum,10.38
Circa ſcopulum,9.13
Circa lunam,10.3
Circa ſolem,27.12
Circa humilitatem,10.7
Circa lunam,10.38
Circa ſolem,10.38
Circa carbunculum,10.38
Circa tres coronas,10.4
Circa ſolem,10.4
Circa fontem,flumen,mare, corallum, ſcopulum, navim,amaranthum, roſam, vitem, palmam, pinum, cervum,aquilam,petram,flammam, olympum,aurum, ſolem,11.1
Circa flammam,23.16
Circa mappam mundi, 23.23
Circa malleum,27.6
Circa horologium,27.13
Circa carbunculum,20.19
Enigma circa cor,2 8
Enigma ſecundum circa idem,2.10
Enigma tertium circa idipſum,2.10
Enos filius Seth fuit primus qui nomen Domini invocavit,11.10
Enos appellatus eſt Deus,& cur? 21.10
Enſis Witembergæ in ſole viſus,25.1
Enſis Conſtantini Imperatoris cuſtodiebat pro ſui cuſtodia clavum Domini noſtri,1.1
Enſis Conſtantini Imperatoris donatus Henrico Regi Angliæ ab Hugone Rege Franciæ,2.1
Enſis Philoſophicus à S. Thoma Aquinate inventus qui incudem quandam per medium ſcindebat, 15.14
Epaminondas vigilans,12.10
Epicurei Deum otioſum eſſe dicebant,12.11
S. Epiphanius vinum in aquam tranſmutat,5.1
Epimen ab Alexandro remuneratus,6.1
Epimenides dormivit 30.annis,8.1
Epiſcopus vigilans eſſe debet, inſtar Chamaleratis vide,1.24
Epitaphium in ſepulchro Adriani VI.8.2
Equites in aere prælium agentes viſi ſunt Mediolani, 25.1
Equites S. Jacobi generoſi,20.14
Eroſtratus medicus Antiochi infirmitatem agnovit, 23.10
Error Petri in lotione pedum,2.11
Eſchii fabula circa Dianam,17.17
Eſſicontabitus lapis ſexaginta colores referens, 35.11
Eſdræ ab Angelo propoſita difficultas,35.3
Ethytes lapis mirabilis,30.1
Eva ambitioſa,quia marito præferri voluit,26.6
Eva adjutorium mariti,14.3
Eva quid ſignificet,11.6
Eva cur formata ex coſta Adami,14.3
Eva omnium malorum noſtrorum cauſa,18.9
Evadnes erga Capaneum maritum ſuum amor, 33.6
Evangeliſtæ Mariæ miracula non ſcribunt,8.6
Evangeliſtæ de doloribus virginis nihil ſcripſerunt, 9.8
Cur Evangeliſtæ nullam S.Annæ mentionem faciant, 21.14
Evangelii ſecundum Matthæum virtus,30.19
Euchariſtia totum Deum in quolibet minimo fragmento continet,2.20
In Euchariſtia nobis totus Deus datur, ut nos viciſſim totum cor noſtrum Deo demus,2.20
Euchariſtia hominem in Deum tranſmutat, vide 5.1
Cur S.Thomas pingatur Euchariſtiam manu ſua ferens,5.29
Euchariſtia origo martyrii dicitur & cur,4.17
Eudoxia ob humilitatem ſuam Imperatrix facta,3.10
Eugenius, Arbogaſtes & Flavianus per crucem victi, 13.13
Euripides & Themiſtocles abeunt in Perſidem,3.12
Euripides Archelai craterem dono ſibi datum accepit,18.1
Euriſthenes & Proclus fratres ſimiles,16.1
Exercitus Sennacherib à S. Michaele Archangelo deletus,31.4
Exercitus Pompei ab Ægytio quodam diſſipatus, 21.1
Exercitus ſine duce quid ſit? 20 2
Exercitus Cyri à Thomiride Regina in confuſionem actus,3.2
Exodus ejuſque ſignificatum,9.1
Expectatio magnum deſideranti tormentum adfert. 14.7
Ezechias Rex cur mortem ſuam defleverit,2.19
Ezechias ex podagra infirmus,11.4
Ezechias Meſſiam ſe eſſe credebat,11.4
Ezechias petebat ut horologium retrogrederetur, 24.14
Ezechiel cur dicatur homo,16.12
Ezzelinus mittit in S. Antonium de Padua ſicarios, 15.3.

F.

FAbius Annibalis ſtratagemata fugit,34.1
Fabula Heculæ,Achillis,& Paradis,3.4

Fabula Deucalionis, Midæ, Narcissi, Periclis, Nymphæ, Iphigeniæ, Agamemnonis, & aliorum, 5.1
Fabula Pandoræ, 15.8
Fabula Vulcani, 27.7
Fabula Narcissi describitur, 14.19
Fabula Eschyli & Dianæ, 17.17
Facies Dei æternam gloriam significat, 34.6
Facta nomini correspondere debent, 1.1. & 2
Magnam deformitatem adducit, si facta nomini non correspondeant, 2.23. & seq.
Famagusta à Turcis obsessa, 14.1
Felicitas ubi inveniatur, 6.1
Felicitas Q. Morelli & Agrippinæ, 6.1
Felicitas Constantini Magni, Nicolai Papæ & aliorum, 6.1
Felleonis utile, 11.2
Ferdinandus Rex Neapolitanus à S. Francisco de Paula reprehensus, 10.11
Ferettum Naimiticum crucis figura fuit, 13.19
Feretra ejusque denominatio, 9.1
A Ferro desumptum emblema, 13.27
Ferrum S. Dominici Loricati mollefactum est, 23.28
Ferrum quo Carnifex sanctum Vercellensem septies cæcidit, tanquam ceta factum est molle, 23.28
Fides valet contra ignem, 22.10
Fides est ensis ad pellendum Dæmonem, 22.9
Fides ab Apostolis prædicata in multis locis defecit, 11.3
Fides S. Dominici prodigiosa, 22.1. & seq.
Fides S. Benedicti ingens & operativa, 7.18
Fidelitas Philocratis erga Dominum, 3.1
Fidelitas repræsentata in cane, 22.1
Filius Crœsi mutus loquitur, 15.3
Filius ab Harpago datus est Astagi ad comedendū, 19.2
Filii absque parentum dolore mortui, 29.17
Filii Davidis, 29.17
Filii Aristodemi & Æginæ similes, 16.1
Filii Tarquinii oraculum conveniunt, 3.21
Filii Dragoræ coronati, 4.2
Filii relatio ad Patrem, 6.14
Filii matribus similes, 8.13
Filii Samnitidis à Cambyse malè tractati, 9.8
Filius Policarpi tormentis afflictus, 9.9
Filius Tucidis crucifixus, 9.9
Filii similes sunt parentibus, 21.2
Filius in puteum lapsus à S. Nicolao liberatur, 29.15
Filius à S. Nicolao ab igne ereptus, 29.15
A Flamma desumptum Emblema, 24.2
Flamma super caput Servii Tullii apparuit, 24
Flammæ prognosticum, 24.19
Flavius Vespasianus erga Vitellium benignus, 18.1
Florentius odio S. Benedictum prosequebatur, 7.11
Florentius S. Benedicto venenum propinavit, 7.11
A Flumine desumptum emblema, 11.1
Fluminis denominatio, 9.1
Flumen Hermus producit metalla, 35.5
Flumen Arimaspus arenas aureas habet, 35.5
Flumen Hydaspes gemmas producit, 35.5
Flumen Paradysi terrestris, 35.5
Flumen Odera in Pomerania, 35.5
Fluminis sabbatii proprietates, 35.5
Flumen Narvia in Lithuania, 35.5
Folia arboris cujusdam in Britania ejusque proprietates, 7.2
Fontes aquarum miræ virtutis, 1.17
Fons Debri in Garamantho, 1.17
Fons Meandri, 1.17
Fons Illitiæ & Heminiæ, 1.17
Fons Aphrodisii, 1.17
Fons Arcadiæ, 1.17
Fons Insulæ Dandri Baccho dedicatus, 1.17
Fons Apollinis in Calophone, 1.17
Fontes qui scaturire cœperunt in præsentia Alexandri Magni, 1.17
Fontes in monte Tilaro, 8.4
Fons Apponiæ admirabilis, 2.19
Fons Olei Romæ manans, 25.1
Fontes qui sanguinem manant, quales sunt in Lotharingia, Genuæ, in Britannia, Toleti, 35.1
Fons qui in Baja mirabiliter apparuit, 35.1
Fons Insulæ Itlandæ ejusque proprietates, 35.1
Fons Carmonensis in Hispania, 35.1
Fons in Garamanto ejusque proprietates, 35.1
Fons S. Petronillæ in littore Tyrrheno, 35.1
Fons in civitate Novo comensi, 35.1
Fons Cambajæ in Indiis Orientalibus, 35.1
Fontes juxta mare Timaum admirabiles, 35.1
Fons in Basilicata amica silentii, 35.2
Formica currum post se trahit, 10.2
Formicæ denominatio, 9.1
Fortunæ proprietates, 21.1
Franciscus Assisius multis Patriarchis & Prophetis similis fuit, 32.1
Franciscanæ religionis Prælati & Pontifices, 32.1
S. Franciscus Assisius fuit mysticus Abel legis Evangelicæ, 32.1
S. Francisci Assisii significatum ex literis nomen ejus componentibus exponitur, 32.1
S. Franciscus Assisius Christo similis est, 32.3
Cur S. Francisci Assisii corpus non videatur, 32.3
Actiones S. Francisci Assisii similes sunt actionibus Christi, 32.6
S. Franciscus visus est ense S. Pauli armatus occidere Principem quendam Hiberniæ, & cur? 32.8

S.Franciſci Aſſiſii innocentia,32.9
S Franciſcum Aſſiſium aves amore & obedientia proſecutæ ſunt.32.9
S. Franciſcus Aſſiſius fœminæ cujuſdam tentationes vincit.32.10
S.Franciſcus Aſſiſius in ignem ſe conjicit,32.10
S. Franciſcus Aſſiſius contumelis affectus tacet, 32.11.
S. Franciſcus Aſsiſius habitavit in horridis Alverniæ Sylvis,37.13
S.Franciſcus Aſsiſius Chriſti ſtigmata recipit, 32.13
Caro S. Franciſci innocens,32.15
S Franciſcus non habuit coronam ſpineam,32.15
S.Franciſcus crucem in corde portabat,32.15
S.Franciſcus ſe ſpinea corona indignum æſtimavit, 32.16
Cur corpus S. Franciſci in pedes erectum ſubſiſtat,32.18
S.Franciſcus fuit martyr in deſiderio, 32.19
S.Franciſcus ad prædicandam fidem in Syriam navigavit,32.21
S. Franciſcus Saracenis obviam ivit ut martyr fieret, 32.21
S Franciſcus fuit Chriſti dilectus,& ab eo mare regum Æthiopiæ tractatus,32.23
S.Franciſcus vera paſſionis Chriſti effigies fuit, 23.24
S Franciſci ſtigmata ſigna fuerunt amoris non odii, 32.26
S.Franciſci de Paula virtutes, 10.1.& ſeq.
S.Franciſcus de Paula multa futura prædicit,10.1
S. Franſciſcus de Paula fornacem ardentem ingreſſus, illæſus egreditur,10.35
S.Franciſcus de Paula ſolis leguminibus paſcitur,10 34
S.Franciſci de Paula charitas,10.8
S Franciſcus oratione ſua arborem per medium diviſit,10.8
S.Franciſcus navigat in Franciam & Marſiliæ appellit, 10 9
S.Franciſcus de Paula Ferdinandum Regem Neapolis repræhendit,10.11
S Franciſcus de Paula monetam argenteam frangit, inde ſanguinem elicit, 10 11
S Franciſcus de Paula vadit Aſsiſium,10.1
S.Franciſcus de Paula ſe ſubducit in deſertum,10.1
S Franciſcus de Paula vigilat & contemplatur Crucifixum, 10.1
S. Franciſcus de Paula amicus virginitatis,10.1
S.Franciſcus de Paula fuit obediens & ædificavit Eccleſias,10.1
S. Franciſcus de Paula fuit humilis,10.2.& ſeqq.
S Franciſcus de Paula nobilis fuit, licet humilibus Parentibus natus,10.3
S.Franciſcus de Paula in capite coronam monaſticam deferre noluit,10 4
S Franciſcus de Paula ſimilis grano ſinapis,10.5
S.Franciſcus de Paula, utpote minimus divini aliquid in ſe habuit,10.6
Franciſcus Bandivus fortunatus in numero nono, 13.6
Fratres ſimiles, 16.1
Fraxinus odio eſt ſerpentibus,13.18
Fructus maximus alicujus arboris in Malabai, 33 16
Non quilibet fructus bonas in ſe qualitates habet 30.23
Fructus in ſaxa mutantur,5.1
Fuga Jonæ in Tharſin,19 5
Flumen ejuſque affectus,20.9
Fulmen Saracenos in monte Garſano occidit, 20.9
Fulmen in Norcia diſsipavit omnes ſerpentes, 20.9
Fulmen Martiam tangit & non offendit,8.1
Alii fulminis effectus,20 9
Fumum in Paradyſo eſſe quomodo intelligatur, 34.4

G.

GAbriel qualiter ſalutaverit B Virginem,8.10
Gad repræhendit Jeroboam ad altare,19.13
Galatiæ lapidis proprietates,4.13.& 30.1
Galli proprietates,2.17.& 24.5
Galidanis lapidis mediæ qualitates,35.11
Gedeon eum paucis militibus multos vicit 13.5
Geneſeos ſignificatum,9.1
Generoſitas S.Petri unde naſcatur,13.4
Gentilis anima à S. Nicolao ab Inferno liberata, 29.14
Germanici cor,15.16
Ghildimius prætor tanquam mancipium divenditus, 16
Giezi avide accepit munera Naaman.16.7
Goliath a Davide proſtratus,34.9
Goliath cur in fronte vulneratus,13.14
Gigliolus Rex Maluccharum 600.filios habuit,2.5
Gloria Paradyſi quam ingens,34.2.& ſeqq.
Gloriam Paradyſi copioſam eſſe quomodo intelligatur,34.2
Gloria Paradyſi omnia in ſe bona continet,14.6
Gloria Paradyſi ſimilis eſt peregrinationi,34.8
Gloria Thabor monſtrata diſcipulis,34.7
Gloria cur Tabernaculum dicatur,34.8
Gloria inexplicabilis,34.9
Gloria cœleſtis ab homine capi non poteſt,34.12
Gloria cœleſtis à beatis inexplicabilis eſt,34.12
Gloria cœleſtis parvi fit ab hominibus,34 12
Gloriæ cœleſtis acquirendæ cauſa relinquendum ſenſuale, & bonum amplectendum,34.12

Gloria cœlestis quomodo acquiratur, 7.5.6.
Gloria cœlestis cordis nostri capacitatem transcendit, 34.15.
Pro gloria cœlesti comparanda quid fieri debeat, 34. 18.
Gloria cœlestis paupertate acquiritur, 34. 18.
Gloria cœlestis pugnando comparatur, 34. 18.
Godolena à Betulpha sponso suo acciditur, & ex ejus sanguine pretioso nascuntur gemmæ, 5. 1.
Gonzalez Sylveira effigiem Mariæ ad Regem Indiarum detulit, 25.17.
Granum symbolum abundantiæ & fertilitatis, 8.3.
Granzon ejusque bellum à Suizzeris factum, 2.19.
Gratia quotuplex sit, 35. 3.
Gratia Mariæ quanta fuerit, 35.3.
Gratia à Christo duobus modis recipitur, 35. 3.
Gratia Mariæ major fuit quavis alia cujusvis puræ creaturæ, 35. 4.
Gratia Mariæ data instar fluminis, 34.5.
Gratia cum majore plenitudine in Maria fuit, quàm in Elisabetha, Stephano, Apostolis & aliis, 35.6.
Gratia Mariæ major quàm aliorum Sanctorum, 35.7.
Gratiæ Marianæ infimus gradus major fuit supremo gradu cujusvis alterius sancti, 35. 8.
Gratia Mariæ tanquam matris Dei, 35. 9.
Gratia Mariæ tanta fuit, ut Joseph se ob eam indignum judicaret qui illi propinquus assisteret, 35.10.
Gratia Mariæ fuit sine privatione, 35. 11.
Gratiam Maria sibi acquisivit in quavis sacra Communione. 35.13.
Gratia correspondet amori, 35. 13.
Gratia ejusque gradus multiplicati quos Maria acquisivit, fuerunt in numero imperceptibili. 35.13.
Gratia minima Mariæ maximam Angelorum incomparabiliter excedit, 35. 14.
Gradus gratiæ quos Maria habuit, in majori numero fuerunt, quàm sint grana arenæ in 1024. mundis, 35.15.
Gratiæ obtinentur mediante Maria, 18. 3.
Gratiæ conceduntur à Deo intuitu Mariæ, 18. 5.
In gratiam Mariæ peccatum homini remissum fuit, 18.6. & 7.
In gratiam Mariæ Deus Hebræis favores præstabat, 18. 8.
In gratiam Mariæ Lazarus resuscitatus fuit, 18.10.
In gratiam Mariæ Christus de Cruce descensurus fuisset, 18 11.
In gratiam Mariæ latro fuit salvatus, 18.13.
In gratiam Mariæ Deus placatur, 18.14.
Qui gratiam desiderat, Mariam monente Christo accedat, 18. 11.
Gratiæ ab Elisabetha & Joanne mediante Maria acceptæ fuerunt, 18.16.
Gratias à Maria obtinet qui justus est, 18.16,
Gratia ab Adamo deperdita à Maria inventa est, 18.17
Gratitudo Leonis versus Androdum, 11. 18.
Gratitudo Josephi versus Dominum, 7. 7.
Gratitudo Atheniensium versus Aristidem, 7. 7.
Gratitudo Gruis quandam gemmam benefactori adferentis, 7. 7.
Gratitudo Regis Attali versus Senatum Romanũ, 7.7
Gratitudo S. Marci versus S. Petrum, 10.21.
Gratitudo Christi versus S. Petrum, 11.24.
Gratitudo S. Benedicti, 7.7.
Græci à Cleomene Rege Lacedæmoniorũ decepti, 31
Gregorius IX. vocavit S. Antonium de Padua Arcam Testamenti, 1.15.n. 12.
S. Gregorii Thaumaturgi prodigia, 8. n. 1.
Gregorius XI. fortunatus fuit in numero septimo, 23. n.6.
S. Gregorius Recharedo Hisp. Regi clavem auream donavit, 2. n.1.
Grimoldus Rex Longobardorum ejusque mors, 4. n. 1.
Grus grata versus mulierem quandam Tarentinam, 7. n. 7.

H.

HAnnibilis à Fabio recessus, 34. n.1.
Hastiludium in Britannia habitum, 11. n.10.
Hæderæ proprietas, 2. n.19.
Hædera Jonæ siccata est, 14. n.6.
Hæretici à S Augustino convicti, 27.n.4.
Hæretici fugiendi sunt, 22. n. 8.
Hæresis Albigensium à S Dominico extirpata fuit, 22 n. 10.
Hæresis Collyridianorum qualis fuerit, & cur necessaria, 18. n.5.
Hecuba uxor Priami mater Hectoris & Troili. 3.n.4.
Helena ab Apellis discipulo quodam opulenter sed non pulchrè depicta, 34 n.8.
Helena à Zeuxe depicta, 32. n.1.
Helena & Flora à B. Philippo Benizzi conversæ, 34. n.16.
Heli infortunati casus, 10.n.33.
Heliogabali timor, 35.n.10.
Heliogabalus dispensabat gratias juxta petitionem aulicorum, 19. n.1.
Henricus II. ab Urbano IV. munere seu dono honoratus, 2. n.1.
Henricus Rex Saxoniæ donum accepit ab Hugone Rege Franciæ, 2. n.1.
Henrici III. Emblema de tribus Coronis, 10. n.4.
Henricus II. accepit Crucem à Benedicto VIII. 13 n.3

Henricus Germanus Caroli IX. obsedit Ruppullam, 33. n. 18.
Henricus III. Imperator contagione afflictus, 33. n. 18.
Herostratus medicus cognovit Antiochi infirmitatem, 23. n. 10.
Heraclitus cur fleverit, 9. n. 8.
Herba nascitur in loco, ubi Marcus martyrio fuit affectus, & ejus proprietates, 11. n. 16.
Herba illa succisa sanguinem fundit, 11. n. 16.
Herba Cabuia in filium reducta ferrum præscindit, 23. n. 27.
Hermatitus Thamar, 6. n 16.
Hercules leonem superavit, illiusque exuivias portat, 26. n. 2.
Hercules repræsentat S. Bartholomæum, 26. n. 2.
Herculis facinora, 10. n. 1.
Herculem Pygmæi formidarunt.
Hermes cur Trismegistus vocetur, 3. n. 8.
Hieroglyphicum Ægyptiorum ad indicandam vigilantiam, 11. n. 2.
Hippopotamus piscis Nili, ejusque proprietates, 7. n. 12.
Hircanus Pontifex ejusque Antiocho facta oblatio, 6. n. 1.
Hispania non admittit infideles, 20. n. 11.
Historia alicujus bovis, se projicientis ad pedes Vespasiani, 1. n. 7.
Historia Marcelli Ceruini, id est Julii Tertii. 1. n 13.
Historia Xerxis est Artabani, 4. n. 21.
Historia Policratis, 4 n. 2.
Historia Rhodope, 2. n. 14.
Historia militum Arati in obsidione Pollenæ, 2. n. 7.
Historia alicujus Elephantis in Portugalia, 2. n. 91.
Historia Eudoxiæ Imperatricis, 3. n. 20.
Historia Romani & Valeriani Imperatorum, 4. n. 1.
Historia Cleomenis Regis Lacedæmoniorum, 3. n. 1.
Historia Cambysis & Sannitidis, 5. 9. n. 8.
Historia unius gruis & mulieris Tarentinæ, 7. n 7.
Historia Justiniani Imperatoris, 7. n. 12.
Historia uxoris Phocionis, 6. n. 4.
Historia Domitiani, 10. n. 3
Historia Androsi & Leonis, 11. n. 18.
Historia Sempronii Gracchi cum mancipiis, 11. n. 14.
Historia duorum militum ad bellum euntium, 11. n. 20.
Historia Vincentii Samotoli, 17. n. 15.
Historia Roberti III. Regis Scotiæ, 19. n. 2.
Historia Solimani, qui obsedit Rhodum, 26. n 15.
Historia Phidiæ, & statuæ Jovis, 27. n. 25.
Historia Tarquinii & Dei Termini, 20. n. 11.
Historia Lycurgi, 16. n. 17.
Historia Timanthis, & Agomemnonis. 9. n. 8.
Historia Polycarpi, 9. n. 9.
Historia Themistoclis & Euripidis, 3. n. 12.
Historia Eddati Regis Britanniæ, 4. n. 9.
Historia Jasonis Thessali & sui apostematis, 7. n. 11.
Historia Alexandri, qui in prælio vidit ante se erumpere duos fontes, 1. n. 17.
Historia de donis factis à diversis Principibus, 2. n. 1.
Historia Pauli Æmilii & Legati Macedoniæ, 20. n. 18
Historia Ludovici XII. Regis Franciæ, 17. n. 6.
Historia statuæ Servii Tulii, 17. n 8.
Historia Riccardi Regis Britanniæ, 16. n. 1.
Historia Mexicanorum sacrificantium corda, 1. n. 8.
Historia Phocæ Imperatoris, ejusque infortunium, 4. n. 1.
Historia Totilæ Regis Longobardorum, 7. n. 8.
Historia belli Gransonis, 1. n. 16.
Historia cujusdam fontis in Aponia, 2. n. 19.
Historia Phocionis cum Alexandro, 12. n. 3.
Historia populi Megarensis, 13. n. 15.
Historiæ diversæ, 8. n. 1.
Historia Pompei, suarumque actionum, 4. n. 1.
Historiæ Agesilai Regis Lacedæmoniorum, 3. n. 11.
Historia Ptolomæi Regis Ægypti, 6. n. 2. & n. 11.
Historia Alexandri facti civis in Corintho, 6. n. 15.
Historia Cotiis Regis Thraciæ, 7. n 12.
Historia Sisigambis matris Varii, 10. n. 6.
Historia Xerxis & Artabani, 26. n. 4.
Historia Sybillæ Amaltheæ, 28. n. 3.
Historia Samnitici sacrificantis, 20. n. 4.
Historia Epaminondæ animantis militis, 31. n. 2.
Historia Luculli reperientis statuam continentem thesaurum, 21. n. 17.
Historia Urrascæ Gusmanæ & Isabellæ Ubediæ, 23. n. 11.
Historia Regis Demetrii obsidione Rhodensi, 18. n. 7.
Historia Cabestoni & Saliani, 2. n. 10.
Holofernes rapi sibi permisit cor & oculos à Judithæ sandaliis, 2. n. 14.
Homo proximum juvare & amare debet 33. n. 3.
Homo iratus in vindictam pronus est, 33. n. 11.
Homo describitur, 15. n. 1.
An homo à Deo creatus Ab Angelis formatus sit, 2. n. 13.
Deus homini de intellectu, voluntate, lingua & manu providit, 31. n. 1.
Homines multitudine filiorum à Deo donati, 2. n. 5.

Homi-

Homines opera virtuosa exercentes, 1. n. 1.
Homo qui nunquam manducavit, 8. n. 1.
Homo ejusque denominatio, 9. n. 1.
Homo capite versus cælum erectus est, 24. n. 2.
Homines capite carentes oculos verò ferentes in pectore, 14. n. 3.
Homo armatus Mediolani in aëre visus est, 25. n. 2.
Homines à monte Vesuvio occisi, 25. n. 1.
Homines superioritatem ambientes, 26. n. 3.
Homo describitur ejusque vultus, 15. n. 1.
Homines in morte filiorum constantes, 19. n. 17.
Homo quomodo Deo similis esse possit, 16 nu. 15. & 32. n. 2.
Homo caret armis ad se defendendum, 31. n. 1.
Homines intra 100. annos nascentes ascendunt ad 500. milliones hominum, 35 n. 14.
Homo 20. mulieribus successivè nuptus, 6. n. 1.
Horatius Pulvillus non turbatur ex morte filii, 9. n. 6.
Horatius Cocles ejusque generositas, 3. n. 1.
Horologium admirabile ab Aarone Persarum Rege donatum, 1. n. 1.
Horologium & ab illo desumptum Emblema, 27. n. 1.
Humilitas Mariæ, 3. per totum.
Humilitas capillo similis est, 3. n. 7.
Humilitas Mariæ Junæ similis, 3. n. 8.
Humilitas Nardo similis, 3. n. 18.
Humilitas fuit medium incarnationis, Ibid.
Humilitas facit ut Maria Josepho se postponat, 3. n. 12.
Humilitas Mariæ negativè est infinita. 3. n. 19.
Humilitas Mariæ Deo magnificentiam addit, 3. n. 24.
Humilitas Mariæ fecit quod Deus dici possit Deus de Deo, Ibid.
Humilitas Mariæ magnificavit Deum, 3. n. 25.
Humilitas Mariæ in visitatione Elisabeth resplenduit, 3. n. 5.
Humilitas sancti Augustini, 5. 27. n. 23. & seq.
Humilitas sancti Petri, 10. n. 7.
Humilitas sanctum Petrum ad Papatum extulit, Ibid.
Humilitas sancti Pauli, 3. n. 11.
Humilitas sancti Francisci de Paula, 5. 10. num. 3. & seq.
Humilitas sancti Antonii de Padua, 15. n. 15.
Humilitas sancti Maccharii dæmoni exosa fuit, 3. n. 4.
Humilitas causavit ut Eudoxia Imperatrix fieret, 3. n. 20.
Hugo Rex Franciæ dono affecit Henricum Regem Saxoniæ, 2. n. 1.
Hugo Rex Franciæ ejusque vox admirabilis, 30. n. 1.

I.

JAcobus & Philippus sunt duæ rosæ Majales, 12. n. 1.
SS. Jacobus & Philippus eorumque charitas, Ibid. n. & seq.
Sanctus Jacobus minor ejusque in Hierusalem facta prædicatio, 12. n. 5.
Sanctus Jacobus minor ejusque in pellendis dæmonibus beneficium, Ibid.
Sanctus Jacobus ejusque interpretatio, 12. n. 8.
Sanctus Jacobus ex pulpito dejectus claudus remansit, Ibid.
Sancti Jacobi vigilantia, serm. 12. n. 10.
Sanctus Jacobus minor habebat callum in genibus, Ibid.
Sanctus Jacobus camelo similis. Ibid.
Sanctus Jacobus dictus est justus atque ab utero matris sanctus fuit, 12, n. 11.
Sanctus Jacobus solus sancta sanctorum ingrediebatur, Ibid.
Sanctus Jacobus à sancto Paulo Hierosolymis est visus. Ibid.
Sanctus Jacobus fuit similis Christo. Ibid.
Sanctus Jacobus fuit virgo, Ibid.
Sancti Jacobi martyrium, 12. n. 13.
Sanctus Jacobus majori charitate exarsit quàm sanctus Stephanus, Ibid.
Sanctus Jacobus vovit se non manducaturum nisi videret resurgentem Magistrum suum Cælestem, 12. n. 17.
Spes sancti Jacobi de Resurrectione Christi, Ibid. n. 8.
SS. Jacobus & Philippus duobus militibus similes, 12. n. 20.
Sanctum Jacobum adimplesse ea quæ desunt passioni Christi quomodo intelligatur, 12. n. 22.
Sanctus Jacobus de Monte præcipitatus est, crura ejus fracta fuerunt, lapidatus est & sustinuit ignominiam, Ibid.
Sanctus Jacobus ropazo similis, Ibid.
Sanctus Jacobus major, Dux fuit & Magister, 20. n. 1. & n. 20.
Sanctus Jacobus major, Dux fuit militiæ Apostolicæ, ibid n. 2.
Sanctus Jacobus in Hispania septem Christi militiæ ascripsit, Ibid.
SS. Jacobus & Joannes prætenderunt esse milites Christi, Ibid. n. 3.
SS. Jacobus & Joannes voluerunt ambo esse primi Ibid. n. 5.

S. Ja-

S. Jacobus ebibit Calicem atque ideò Dux est, 30. n. 4.
S. Jacobus primus transivit mare rubrum martyrii, 20. n. 5.
S. Jacobus ab Herode martyrio affectus, Ibid. n. 6.
S. Jacobus fuit velut pollex manus, 20. n. 7.
S. Jacobus animavit alios Apostolos, 20. n. 8.
S. Jacobus similis fuit Machabæis, Ibid.
S. Jacobus dictus est Boanerges, & cur? 10. 9.
S. Jacobus operatus tonitrui effectus, ibid.
S. Jacobus profligavit Saracenos Conimbriam obsidentes, Ibid.
S. Jacobus in fugam egit Mauros Ramirum oppugnantes, Ibid.
Sanctus Jacobus fulmini similis, Ibid.
Sanctus Jacobus corpus suum in Compostellam detulit, 20. 10.
Sanctus Jacobus cur in Gallitia sepultus? 10. 10.
Sanctus Jacobus est fortalitium Hispaniarum, Ibid
Sanctus Jacobus in Hispania Deo termino similis est 20. num. 11.
De protectione sancti Jacobi, Ibidem & n. 22.
Sanctus Jacobus defendit Hermagoram à Dæmonibus, 20. 13.
Equite Sancti Jacobi sunt generosi, Ibid. n. 14.
Sanctus Jacobus fuit Magister doctrinæ Evangelicæ, 20. n. 16.
Sanctus Jacobus conservavit Calixti Papæ librum, 20. n. 15.
Sanctus Jacobus apparuit Calixto Papæ adhuc juveni, Ibid.
Sanctus Jacobus apparuit Episcopo cuidam Græco incredulo, 20 n. 16.
Sanctus Jacobus fuit Magister & docuit, 20 num.
Sanctus Jacobus veluti Magister habuit rationem libri Calixti secundi, ibidem n. 15.
Sanctus Jacobus similis fuit Calcedonio, 20. 17.
Sanctus Jacobus docuit sanctum Paulum, 20 18.
Sanctus Jacobus similis fuit Carbunculo, 20. 19.
Sanctus Jacobus paraclitum sanavit, Ibid.
Sanctus Jacobus quartum symboli Apostolici Mysterium prædicavit, 20. 20.
Sanctus Jacobus similis Cæsari: In utroque Jacobus, Ibid.
Sanctus Jacobus luctatur cum Archangelo Michaële, & cur? 31. n. 8.
Jacob adoravit virgam Joseph, 1. n 15.
Jacob in Ægypto sepeliri noluit, Ibid. & 20. n 10.
Jacob in figura nomen Jesu veneratur, 1. n. 15.
Jacob se veste Esau induit, serm. 26. n, 15.
Jacobi amor erga Rachelem, serm. 27. n. 21.
Jacob filiis suis futura prædicit, serm. 20 n. 5.
Labores Jacob pro Rachele habenda, 25. n. 3.
Jacob sustulit lapidem à puteo pro Rachele, 25. n. 6.
Jacobus & Joannes volebant ignem è cœlis evocare, 19. n. 11.
Joël in virtute Christi Sisaram occidit, 13. n. 7.
Jason & Thessala ejusque Apostema, 7. n. 13.
Jaspidis proprietas, serm. 17. n. 16.
Iberius Milesius Orator servo similis, 16. n. 1.
Ivonis & Pericles Arneam in mare projecit, 1. n. 1.
Jehu præcepit occidi Jazabelem, serm. 7. n. 16.
Jeroboamo manus exaruit, 19. n. 23.
Jeroboam non vidit altare in terram collapsum, sed solum dexteram sibi artefactam præsensit, Ibid.
Jesus à Magis inventus mediante Maria, 18. n. 10.
Jesus quid significet, serm. 1. n. 1 & serm. 1. n. 20.
Jesus Sancto Eadmundo apparuit, serm. 1 n. 21.
Jezabel præcipitatur è fenestra à Rege Jehu, 7. n. 16.
Jezabel cur vocetur maledicta, Ibid.
Impatientia causavit Idololatriam in Israel, 14 n. 14
Imperatores & Reges vilissimè nati, 3 n. 17.
Imperator Romanus Phocas & Valerius infelices, 4. n. 1.
Imperator Theodosius Eudoxiæ amore captus est, 3. n 20.
Indiæ Orientalis voluctes, 15. n. 19.
Infinitum negativum & positivum describitur, 3. n. 19.
Innocentia Abelis, 32. n. 9.
Innocentia S. Francisci Assisinatis. Ibid
Insula Rhodensis à Solimanno obsessa est. 26. n. 15.
Invidia Magnates afficit, 4. n. 7.
Invidia Crassi contra Pompejum, 19. n. 9.
Infantes fornacis Babylonicæ, 10. num. 37. & serm. 31. n 7.
Idem infantes formabant Crucem, 13. n. 10.
Infantes à Pharaone mortis condemnati, 18. n. 12.
S. Joannes Evangelista quomodo biberit Calicem Christi, 22. n. 12.
Quomodo S. Joanues Evangelista cum Christo crucifixus fuerit, Ibidem.
S Joanni Damasceno manus præcisa fuit, 19. n 16.
S. Joannes Evangelista constantiam à Maria didicit, 9. n. 15.
S. Joannes Evangelista Angelum adorare voluit, 5. n. 8.
Joannes 22. quid de S. Thoma Aquinate dixerit, 5. n. 30.
Joannis Buliologi Regis Scotiæ dictum, 10 n. 4.
Mors familiæ Joannis Hunniadis.
Joannes Austriacus in pugna navali Selim devicit, 14. n. 1.
Joannes Hunniades Amuratem vicit, serm. 15. n. 1.

Joannes Caroli Magni ſcuti fer 300. annis vixit, 6.n.1
S Joannis Baptiſtæ Epiteuna, ſerm.16. n.2
S Joannes Baptiſta Chriſto ſimilis, 16.n.4.& ſeq.
S Joannis Baptiſtæ Nativitas participat de generatione æterna & temporali Chriſti Nativitate, 16. n. 4.& 5
S.Joannes Baptiſta cur appellatus homo ? 16. n.5
Nativitas S. Joannis Baptiſtæ ab Angelo Chriſti Nativitati comparatur, 16.n.6
S.Joannes Baptiſta Chriſto in magnitudine ſimilis,19. n. 7
S.Joannes Baptiſta natus eſt ſub aſcendente ſole quando ſol erat in ſigno Virginis, Ibid.
Quomodo S. Joannes Baptiſta dici poſſit filius altiſſimi, 16. n. 8
Quomodo Nativitas S. Joannis Baptiſtæ ſit ſupernaturalis, Ibid.
S.Joannes Baptiſta eſt filius adoptivus Mariæ Virginis, 16.n.9
S. Joannes Baptiſta Chriſto in Jordane ſimilis extitit, 16.n.10
S. Joannes Baptiſta fuit flos Chriſto ſimilis, Ibid.
S. Joannes Baptiſta à dæmonio Chriſtus eſſe credebatur, 16.n.11
Sanctus Joannes Baptiſta reprehendit Herodem & ab eodem decollatus eſt, Ibid.
Sanctus Joannes Baptiſta exiſtimatus eſt ab Herode reſurrexiſſe, Ibid.
S.Joannes Baptiſta non fuit dictus lux, 16. n.12
S. Joannes Baptiſta fuit maximus inter alios Sanctos, Ibid.
Cur ſanctus Joannes Baptiſta ejuſque Mater, cur ſint poſiti in Genealogia Chriſti, 16.n.13
Sanctus Joannes Baptiſta de Cælo veniſſe creditus fuiſſet niſi huic opinioni remedium tuliſſet ſanctus Joannes Evangeliſta, 16.n.13
In ſancto Joanne Baptiſta conſiderabilia ſunt habitatio, victus, amictus, & actiones illius, 16.n.14
S. Joannes Baptiſta habuit quid divinum, 16. n. 16. & 17
S. Joannes Baptiſta fuit vox verbi & quaſi vice verbum, Ibid.
S.Joannes Baptiſta teſtimonium perhibet de Chriſto, Ibid. n.17
S.Joannes Baptiſta fuit medius ſanctiſſima Trinitate, Ibid.
S. Joannes Baptiſta fuit æſtimatus verus Meſſias, Ibid.
S. Joannes Baptiſta ſe Meſſiam non eſſe declarat, Ibid. n. 18
S. Joannes Baptiſta Chriſtum verum Meſſiam & Regem eſſe declarat, Ibid.
S. Joannes Baptiſta interrogatus ſemper negat, Ibid.
S. Joannes Baptiſta non fecit miracula, & cur ? Ibid. n. 19
S. Joannes in utero materno ſanctificatus, 18.n.1
Jobi patientia, 14.n 5
Cur Job vir dictus fuerit, 6.n.4
Cur Job veſtem laceraverit, ſerm. 6.n.8
Quomodo Job nocti maledixerit, ſerm.14.n.7
Quomodo ſe Jonas in ventre ceti ſalvavit, 13.n.12
Jonas mœſtus fuit quod hedera exaruiſſet, 4.n.6
Cur Jonas in Tharſis fugerit, ſerm.19 n.5
Cur Jonathas cum Gigante non pugnarit, 30. n.16
Jonathas & Scutiger ejus animoſus, ſerm.33.n.7
Quod Jordanus currat & mare fugiat quid ſignificet, 23.n.8
Joſeph de carcere egreſſus nova fuit veſte indutus, 26. n. 9
Joſeph captivis ſomnium interpretatus, 18. n. 4
Joſephi ab Arimathia quales fuerint, 6. n.12
Joſeph quantum habuerit ſe fratribus ſuis manifeſtandi deſiderium, ſerm.14. n.9
Joſeph in Ægypto incarceratus eſt, ſerm.7.n.4
Joſeph erga Dominam ſuam gratus fuit, 7. n.7
Joſeph quid ſignificet ? 6.n. .
Joſeph ſponſus Virginis cur ſponſam ſuam deſerere voluerit, ſerm. 15.n.10.& ſerm.3. n.12
Sanctus Joſeph Davide fœlicior, ſerm.6. n.13
S. Joſeph ſtetit inter lilia virginitatis, 6.n.22
S. Joſeph ſimilis fuit Joſepho vice Regi Ægypti, 6. n.20
S. Joſeph ſimilis fuit Cherubim cuſtodi Paradyſi terreſtris, 6.n.19
S. Joſeph Petro, Jacobo, & Joanni felicior fuit, 6.n.18
Quomodo S. Joſeph dicatur filius felicior, 6. n. 18.
Quomodo S. Joſeph dicatur filius Jacob & Heli, 6. n.16
S. Joſeph & nemo alius dictus eſt Pater Chriſti, 6.n.14
S. Joſeph Obededon fortunatior extitit, 6.n.9
S. Joſephi aliàs juſti ingentes laudes, 6.n.8
Sanctus Joſeph ſimilis ſtellæ Veneris, 6.n.8
Excellentiæ ſancti Joſephi, 5. 6. per totum.
S. Joſeph fœlix fuit, Ibid.
Virginitas S. Joſephi, 6. n.3
Cur S. Joſeph vir dictus fuit, ſerm.6. n.3.& 6
S. Joſeph Eliſabetha fœlicior, ſerm. 6.n.10
Dignitas S. Joſephi divinæ dignitati comparata, 6.n.13
S. Joſeph moriens deſcribitur, ſerm.6. n.24
Joſue ejuſque transformationes, ſerm.5.n.1
Joſue duo nomina habuit, 1.n.8
Joſue idem eſt quod Jeſus, Ibid.
Joſue nomini ſuo à Moyſe impoſito non reſpondit, 1. n.9

Josue stravit Cananæos, 1. n.8
Josue cum cultris circumcisionis sepultus fuit, 4.n.14
Josue solem per jejunium stare fecit, 10.n.36
Josue Jericho obsidet, 28. n. 13
Josue cur in Tamnassar sepultus, serm.20. n.10
De statua Josue ei per mortem erecta, 20.n.20
Iphigeniæ historia, 9. n.8
Irenes Augusta filio suo oculos erui jussit, 32. n.11
Isabellæ Ubediæ obedientia erga Vrascum Husmannam, 23.n. 11
Cur Isaac ab Abrahamo non fuerit sacrificatus, 2. n.21
Isaias Paradisum apertum vidit, serm.34.n.4
Israëlitæ Cytharædi pollicem sibi amputarunt ne Cytharas tangere cogerentur, 6.n.13
Issachar asinus fortis dictus est, serm. 23. n.5
Isicreate à socia Mithridatis in conflictibus, 33. n 6
Ita in Græco tantundem valet quantum octo, 13. n. 6
Judas à Dæmone exagitatus est ad pœnitentiam, 13. n.16
Judas in quadam fiscella mari expositus fuit, 4. n. 10
Judas occidit filium Principis & Patrem, & Matrem propriam in conjugium duxit, serm.4. n.10
Judas Corvo similis, 4. n. 14
Julius Cæsar recusavit titulum Imperatoris, 20.n.1
Julii Cæsaris ambitio, 26. n. 3
Dictum Juli III. 1. n. 3
Julius II. adamantem sibi comparavit, 2.n.16
Jumentum Crucem in humeris habet, 13 n.21
Junius Brutus, 13. n.21
Juramenta contra proximum irrita sunt, 30.n.22
Justi repræsentantur per diem, reprobi per noctem, 30. n. 22
Justinianus Benevolus erga Regem Gothorum, 3. n. 1
Justinianus Imperator vindicativus, 7.n.12
Juvencula virgo superba, 3. n. 27
Juvenis amore oculorum virginis cujusdam captus, 3. n.6

L

LAbarus Constantini Imperatoris, 13. n. 12
Labores sunt fœlicitates, 23.n.5
Labores quam boni, 23 n.5
Labores quomodo manducentur, Ibid.
Labores sunt quædam beatitudinis species, Ibidem.
Labores Jacobi ob Rachaelem suaves, ibidem, n.6
Lacena filium suum Claudum ad bellum misit, 12. n. 8
Lachrymæ doloris indicium, 9. n.8
Lachrymæ beati Philippi Beruzzi, serm.24. n.19
Lacrius virtutis amicus, 10 n.1
Lætitia Christi in cælo qualis fuerit, 4.n.17
Lætitia repræsentatur in vino, Ibid.
Lætitia & exultatio arborum, serm.4. n.16
Lætitia prudentiæ signum est, serm.7. n.3
Lamusius electus Rex Longobardorum, 3. n.17
Lanam in Francia pluit, serm. 25. n. 1
Lancea latus Christi aperuit, non vulneravit, 2. n.15
Lancea plus Mariam quam Christum vulneravit, ibid.
Laodice Arthemonem in maritum elegit, 16.n.1
Lapis magneticus ejusque mirabilis virtus, 30. n. 1
Lapis melavar ejusque virtus, ibid.
Lapis qui fuit in annulo Pyrri novem musas in se referens à lapide desumptum emblema, ibid.
Lapis vel petra figura Christi.
Lapis à Davide in gigantem Goliath adactus, 1. n.16
Lapidum diversorum virtutes, serm. 20.n.1
Lapis Astrion Ephestites & alii eorumque proprietates, 4. n.13
Lapidis Galaatidis proprietates, Ibid.
Lapides cur in passione Christi sciisi sint, ibid.
Lapides seu petræ honorem ex negatione Petri deperditum recuperarunt, ibid.
Lapides in homines mutati, serm. 5. n.1
Lapis Asbestus, 35. n.11
Lapis Sirtites, Gasidanes, Essecontalitus, ibid.
Lattria qua adoratur crux & non Maria, 8 n.12
Latro cur & quomodo salvatus sit, 18. n. 13. & 1. n. 19
Latronis boni tormentum in exspectando, 14.n.11
Latronum spoliandi modus, serm.30. n.1
Latus Christi non vulneratum sed apertum, 2. n 15
Cur latus Christi apertus sit, ibid.
Laudes PP. Minimorum sancti Francisci de Paula, 10. n. 38
S. Laurentius flammarum ardores non sensit, 13. n. 1
S. Laurentii charitas erga Deum, 23. per totum.
S. Laurentius per amorem Dei ignem superavit Tyranni, Ibid.n.3
S. Laurentius non timuit quia Deum amavit, Ibid. n. 4
S. Laurentii constantia unde nata fuerit, ibid.
S. Laurentius adamanti similis, ibid. n. 25
S. Laurentius expertus est benedictionem Isachar, ibid. n.5
S. Laurentius in laboribus Jacob similis fuit, ibid. n. 6

S. Laurentius similis est Cordi Germanici Imperatoris, ibid. n. 7
S. Laurentius in tormentis gaudebat consolationibus, ibid. n. 9
S. Laurentius amaritudines veluti dulcedines apprehendebat, ibid.
S. Laurentius in igne quasi in flore stetit, ibid. n. 10
S. Laurentius magno suo erga Deum amore quemvis alium superavit, ibid n. 11
S. Laurentius in igne & craticula existens in Paradiso se esse credebat, ibid. n. 10
S. Laurentii pœnæ gloria ipsius erant, ibid. n. 12
Cur S. Laurentius dixerit mea nox obscurum non habet, ibid. n. 12
S. Laurentius pati volebat, & ideo poterat resistere, ibid. n. 14
S. Laurentii corpus gaudebat quatuor dolotibus gloriosis, ibid. n. 16
S. Laurentii corpus velut si glorioſum fuisset in duobus locis erat, ibid.
S. Laurentius loquitur cum Tyranno Decio, ibid. & n. 17
S. Laurentius Servio Tullio similis, ibid. n. 19
S. Laurentius similis lauro, ibid n. 21
Significatum nominis S. Laurentii ex ejus literis elicitur, ibid. n. 19
S. Laurentius similis est Alexandro, 23. n. 21
S. Laurentius in igne velut in sublimatorio à Deo distillabatur, ibid. n. 23
S. Laurentius sali similis, ibid. n. 25
S. Laurentius velut adamas omnis maculæ expers erat, ibid.
S. Laurentius similis grano sinapis, ibid.
S. Laurentii ignis ardorem auram suavem esse censebat, ibid.
S. Laurentius in craticula similis fuit tribus pueris in fornace Babylonica constitutis, ibid.
S. Laurentius similis fuit avi paradisiacæ, ibid. n. 26
S. Laurentius similis urso, ibid.
S. Laurentius amore superavit Seraphinos, ibid.
S. Laurentius fuit incensum velut in igne positum, ibid.
S. Laurentius similis fuit Samsoni occidenti leonem, ibid. n 28
Lazarus resuscitatus ob gratiam Mariæ, 8. n. 10
Lazarus cur pedibus & manibus ligatis resurrexit, 30. n. 11
Læna quinquies parit, & quomodo? 11. n. 2
Legati Celtiberorum quid Alexandro responderint, 34. n. 7
Legati à Ptolomæo convivio excepti, 33. n. 1
Leguminibus vescebantur Adam & Eva. 10. n. 34
Leonis noni charitas erga suos, 27. n. 16
Leo Phocas Imperator ejusque infelicitas, 4. n. 1
Leo in Græco Rex dicitur, 11. n. 2
Leonis cor bonum est pro febri quartana, 11. n. 2
Leonini fellis utilitas, 11. n. 2
Leo apertis oculis dormit, ibid.
Leo ambulans cauda vestigia delet, ibidem.
Leo mox ut natus est triduo dormit, 11. num. 9
Leonis oculi nocte splendent, 4. num. 23
Leonis proprietates, 11. num. 2
Leo navium securitati consulit, & quomodo, ibid.
Leo ab Hercule superatus ejusque pellis, 26. n. 1
Leo est animal gratum ut videri est in Androdo, 11. n. 18
Leo à Lisimacho per pallium superatus, 3. n. 12
Leo ad portas templi in Micena, serm. 11. n. 2
Leo symbolum vigilantiæ, ibid.
Leo rugitibus suis terret, ibid.
Leo parum dormit, ibid.
Leonis cibus, ibid
Leonis anhelitus suavis, Ibid.
Leones tricolores inveniuntur, Ibid.
Leo dedicatus erat soli, Ibid.
Leonis ossa instar lapidis dura sunt, Ibid.
Leo emblema Agamemnonis, serm. 11. n. 12
Leo S. Marci duos pedes habet in mari & duos in terra, 11. n. 3
Leonides Dux Græcorum ejusque dictum ad milites, 34. n. 18
Leoncius filius Theusidis crucifixus, 9. n. 9
Lepra supplicium fuit Mariæ sororis Moysis & Aaronis, 11. n. 5
Leprosi abstinere debebant à conversatione hominum, Ibid.
Leviathan quid significet, 19. n. 12
Leviticus ejusque significatum, 9. n. 1
Lex Solonis data maritis, 14. n. 2
Lex Solonis, 2. n. 17
Lex quarundam rerum publicarum, 33. n. 1
Lex Parthorum, 2. n. 3
Lex Christianorum est amor, 33. n. 2
Lex Persarum, 2. n. 3
Lex Pharaonis contra Hebræos, serm. 28. n. 10
Lex Ægyptiorum circa patres filiorum occisores, 9. n. 5
Lex Hebræorum circa mulieres, serm. 6. n. 16
Lex Moysis cur igne dicta sit, serm. 5. n. 13
Liæ lætitia in partu Zelphæ, 6. n. 1
Lia fæcunda sed turpis, 30. n. 25
Libanus mons fructiferus, 8. n. 4
Liber Evangeliorum sancto Nicolao Barrensi à Constantino donatus, serm. 2. n. 1

Liber beati Philippi Bennizzi erat crucifixus, 24. n. 18
Liber sancti Bonaventuræ erat crucifixus, Ibid.
Liber retractationum sancti Augustini ejus humilitatem demonstrat, serm. 27. n. 23
Libri Sybillæ Amalthea, 18. n. 3
Libri & Libraria Ptolomæi Regis Ægypti, Ibid.
Liber est expressivus Beatæ Virginis Mariæ, serm. 28. per totum.
Libraria Sereni Sammonicæ Philosophi, 28. n. 3
Liber Tertulliani valde æstimatus à sancto Cypriano, 24. n. 28
Liber Ovidii magni habitus ab Ælio Imperatore, Ibid.
Libri Alphonso Arragoniæ Regi auro cariores fuêre, Ibid.
Libri à Martino Siliceo Toletano comparati, Ibid.
Liber Calixti Papæ secundi à sancto Jacobo conservatus, 20. n. 15
Libros sancti Dominici nec ignis consumpsit, nec aqua madefecit, 22. n. 1
Libri Albigensi ab igne consumpti, serm. 22. n. 10
Licurgus Rex esse recusat ejusque digna actio, 16. n. 17
Lidius Lisippi discipulus solis Colossum fecit, 27. n. 1
Libia virginitatis symbolum, serm. 8. n. 3. & serm. 5. n. 8
Lilia ab Noidio Minorita baculo terram percutiente producta, 8. n. 8
Liliolus Rex Maluccarum sexcentos filios habuit, 2. n. 5
Lingua bovis ejusque proprietas, serm. 15. n. 5
Lingua quis sit privatus, ibid n. 2
Lingua quam sit necessaria, ibid.
Linguæ officium, ibid.
Lingua sancti Antonii de Padua, ibid. per totum.
Lingua ejusdem est incognita, & quomodo, ibid. n. 3
De lingua sancti Antonii nescitur an viva sit, vel mortua, ibid. n. 3
Effectus linguæ ejusdem sancti, ibid. per multos numeros.
Lingua ejusdem similis est hastæ Achillis, 15. n. 3
Lingua ejusdem sancti penna quædam fuit, ibid. n. 4
Lingua ejusdem sancti divina, serm. 15. n. 6. & seq.
Lingua ejusdem sancti semper benedicebat Deum, ibid. n. 7 & 8
Lingua ejusdem sancti lingua Dei fuit, Ibid. n. 8
Lingua ejusdem prædixit futura, Ibid. n. 8. 9. 8. 10
Lingua ejusdem virga, lex & manna fuit, 15. n. 12
Lingua ejusdem fuit clavis cœli, 15. n. 14
Lingua ejusdem conservatur intacta, Ibid. n. 16
Lingua ejusdem est invariabilis, Ibid.
Lingua ejusdem innocens est, Ibid.
Lingua ejusdem similis est manui Osthaldi Regis Britanniæ, 15. n. 18
Lingua ejusdem similis est cœlo, estque gloriosa, 15. n. 19
Lingua Jobi intacta, Ibid. n. 17
Lingua quam efficax, Ibid. n. 3
Linum Carpatium vel ex Amianto contextum ejusque virtus, 23. n. 20
Lisander ejusque inventio ad fugiendum inimicos, 4. n. 1
Lisandri parsimonia, 17. n. 10
Lisimachus pallio Leonem vincit, 3 n. 2
Lisimachus ab Athenienſibus locupletatus, 7. n. 7
Longobardi Lamusium in Regem elegerunt, 3. n. 7
Locus medius honorificus est, 16. n. 4
S. Lucas cum effigie B. Mariæ sepultus fuit, 4. n. 24
Lucerna Ametisti inextinguibilis, 4. n. 10
Lucifer carena vinctus est in inferno per mille annos & quomodo intelligatur, 31. n. 13
Lucilius filius Bruti verus amicus fuit, 4. n. 6
Ludovicus Rex Franciæ cur balbus dicatur, 1. n. 1
Ludovicus frater Caroli Magni dictus est pius, 1. n. 1
Ludovici Regis Franciæ erga filium suum affectus, 1. n. 4
Ludovici Salernitani filiæ in mares degenerarunt, 6. n. 1
Ludovicus XI. desiderabat videre S. Franciscum de Paula, 10. n. 9
Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus æmuli fuere, 6. n. 3
Ludovicus XII. Rex Franciæ filius Caroli Octavi, 17. n. 6
Lucullus vicit Mitridatem & Tygranem, 13. n. 1
Luitbrandus Episcopus Cremonensis legatus fuit, 8. n. 5
Lumen obfuscat visum, 22. n. 1
Lumen quid significet. Ibid.
Lunæ tres visæ sunt in cœlo, 25. num. 2
Lunæ proprietates, 3. n. 8
Luna symbolum B. V. Mariæ, Ibid.
Luna virginitatem & maternitatem Mariæ denotat, 8. n. 2
Luna respicitur à sole, & quinam inde proveniant effectus, 8. n. 2
Lunæ denominatio, 10. n. 3
Luna quanto remotior est à sole, tanto splendidior efficitur, Ibid.
Luna in infimo cœlo humilitatis symbolum, 10. n. 3
Lux mundi dicuntur Apostoli, 16. nu. 12

M

S. Macarii humilitas dæmoni invisa, 3. n. 4.
Machabæorum inventio circa Elephantes, 10. n. 8.
Machabæorum inscriptio in vexillis, 31. n. 10.
S. Maria Magdalena cur vocata sit mulier, & alias Maria, 3. n. 9.
S. Mariæ Magdalenæ capilli, 27. n. 19.
B. M. Magdalena de Pazzi Carmelitana, 19. n. 16.
Magi per stellam ad Jesum adducti, 18. n. 18.
Magorum dona Christo oblata, 2. n. 2.
Magnetis admirabilis virtus, 30. n. 1.
Magnetus mons in Cantabria, 3. n. 4.
Magnetis natura, 24. n. 1.
Magnes qui ferrum à se repellit, 24. n. 1.
Magnes cur ita appellatus, Ibid.
Magnes quomodo inventus, Ibid.
Magnes templi Serapidis, Ibid.
Magnes communicat suam virtutem ferro, Ibid.
Magnes quomodo virtutem suam amittat. Ibid.
Magnes semper versus stellam polarem vertitur, Ibidem.
A Magnate desumptum emblema, 24. n 10.
Majus mensis describitur, 12. n. 1.
Manna pluit in Francia, 25. n. 1.
Mannæ proprietates, 27. n. 12.
Manus cuidam militi à S. Marco restituitur, 11. n. 9.
Manus Osibaldi Regis Britanniæ, 15. n. 18.
Manus Aniani perforata à S. Marco sanatur, 11. n. 9.
A Mappa mundi desumptum emblema, 24. n. 5.
Marcella Lennii urbem Covinensem defendit, 14. n. 1.
Marcellus Cervinus ejusque dictum, 5. 1. num. 13.
Marcelli interpretatio, Ibid.
Marci Antonii intrepidus animus, 9. n. 2.
Marcus Antonius Cleopatræ nomen audiens fit redivivus, 17. n. 20.
S. Marcus similis Leoni, 11. per totum.
S. Marcus vigilans similis est Angelo Apocaliptico, 11. n. 3.
S. Marcus ab Alexandria Venetias translatus fuit. Ibid.
S. Marcus Alexandriæ vigilans fuit, 11. n. 5.
S. Marci calcei non resistunt itineribus, 11. n 5
S. Marcus primum inter Evangelistas locum habet, 11. n. 6.
S. Marcus de humanitate & divinitate Christi scripsit. Ibid.
S. Marcus majorem dolorem sensit de malo alieno quam de proprio Ibid. n. 7
S. Marcus pollicem sibi amputavit, 11. n. 9.
S. Marcus Aniani manum curat. Ibid.
S. Marcus manum cujusdam militi sanam efficit. Ibid.
S. Marcus curat manus aliorum, non verò suam. Ibid.
S. Marci miracula, 11. n. 11.
S. Marcus Ecclesiæ Alexandrinæ ministros multiplicat. Ibid.
S. Marcus ædificat in Ægypto monasteria, Ibidem.
S. Marcus Convertit Hermagoram, Ibid.
S. Marcus fuit fortis & constans, 11. n. 12.
S. Marcus similis est Berillo, 11. n. 15.
Sanguinis S. Marci effectus, 11. n. 18.
S. Marcus terret per minas Evangelii, 5. 11 n. 17.
S. Marci gratitudo erga S. Petrum, 5. 11. n. 20.
S. Marcus primam Ecclesiam in honorem S. Petri ædificavit, Ibid.
S. Marci Ecclesia Alexandrina prima est post Romanam, serm. 11. n 21.
S. Marcus domum suam Christo ad cœnam instituendam mutuo dedit, Ibid.
S. Marcus fuit ille, de quo dicitur *lagenam aquæ bajulans*, Ibid.
S. Marci corpus Alexandriam optimo odore implevit, 11. n. 22.
S. Marcus protector est Venetiarum in bello, 11. n. 23.
S. Marcus scripsit defectus & imperfectiones S. Petri, 17. n. 1.
Marcus consul in senatu Romano, 2. n. 14.
Marcus lepidus tanquam tutor in Ægyptum missus, 6. n. 2.
Marcus Julius Licinius, 3. n. 17.
Mare fugit & Jordanis convertitur retrorsum, 23. n 8.
A Mari desumptum emblema, 11. n. 1.
Maris denominatio, 9. n. 1.
Mare rubrum & mare Phrigiæ, 9. n. 14.
Mare Curlandiæ, Ibid.
Margarita quomodo formetur, 5. n. 1.
A Margarita desumptum emblema, 21. n. 18.
Margaritæ à Bassa quodam Regi Ziphis donatæ, 2. n. 1.
Maria soror Moysis lepra punita, 11. n. 5.
Maria nunquam mutavit nomen, 1. n. 11.
Maria cur Deum Dominum vocarit, 3. n. 15.
Maria similis lunæ, 3. n. 8.
Maria idem significat quod gutta maris Ibid.
Mariæ gressus laudati, 3. n. 5.
Maria virgo & mater, 8. n. 1.
Maria Deum magnificavit, 3 n. 24.
Maria similis est multis montibus, serm. 8. n. 4.
Mariæ virginitas & maternitas se habent sicut lilia & triticum, 8. n. 3.
Maria est Christothocos & Theotocos, 8. n. 7.
Maria qualiter à Gabriele salutata fuerit, 8. n. 10.

Maria similis nubi ab Elia visæ, serm. 8. n. 14.
Maria similis throno Salomonis, 8. n. 5.
Maria dici debet mater misericordiæ, non divinitatis, serm. 8. n. 19.
Maria visitat Elizabeth, & quænam inde profectæ sint gratiæ, 6. n. 10.
Maria conterit caput serpentis, serm. 3. n. 4.
Maria ex humilitate se Josepho postponit, 3. n. 12.
Maria in circumcisione Christi flevit, 1. n. 17.
Maria repræsentatur per rubum Moysi, 8. n. 20.
Maria similis est Zodiaco, 8. n. 2.
Mariæ dolores 9. per totum.
Maria non flevit in passione & morte Christi, 9 n. 8.
Maria constans fuit in passione filii, serm. 9. n. 13. & seqq.
Maria sensit dolores lanceæ, 9 n. 10. & 11.
Significata nominis Maria, 9. n. 2.
Maria stella maris, 9 n. 14.
Maria 6. Philippum Binnizi ad suum currum invitat, 24. n. 5.
Mariæ pulchritudo. Vide Pulchritudo Mariæ.
Maria dicitur proxima Dei, & cur? 25. num. 6.
Maria quid significet, 1. n. 13.
Maria idem est quod humilitas, 3. n. 9.
Mariæ humilitas, 3. per totum.
Maria nomen & omen habuit, serm. 1. n. 15.
Maria se gravidam esse Josepho non revelavit, 3. n. 11.
Maria cur mulier dicta, 3. n. 14.
Maria ab Angelo salutata turbata est, 3. n. 10.
Maria in purificatione duas columbas attulit, serm. 3. n. 16.
Maria humilitate sua Deo magnificentiam addidit, 3. n. 12.
Maria fecit ut dici possit Dei Deus, 3. n. 24.
Mariæ uterus lilia & rosæ sunt, serm. 8 n 3.
Maria trium montium proprietates habet scilicet Libani, Carmeli & Saron. 8. n 4.
Maria an vivens miracula fecit, serm. 8. n. 6.
Maria opus Dei perfectum, serm. 8. n. 9.
Maria non adoratur lattia veluti crux, 8. n. 12.
Maria Deum benignum reddidit, 8. n. 13. & seqq.
Maria incarnatione cordis sui sanguinem Deo dedit, 8. n. 17.
Maria quomodo ab æterno creata intelligatur, 25 n 7.
Maria assumpta ad cælum describitur, 25. n 11.
Maria in die assumptionis purgatorium spoliavit, 25. n. 13.
Maria quando nata sit in mundum, 25. n 7.
Maria eodem die nascitur, quo Eva formata fuit, 27. n. 5.
Maria est liber quidam, serm. 28 per totum.
Significata nominis Maria, 28. n. 4.
Literæ nominis Maria exponuntur, 28. n. 5.
Mariæ nomen à Deo uno & trino compositum est, 28. n. 7.
Maria semper hoc nomen retinuit, 28. n. 8.
Maria & Mara quomodo differant, 28. n. 9. & 13.
Mariam nominare non merentur Angeli, 26. num. 10.
Mariæ nomen quàm utile, 28. n. 12.
Mariæ nomen consolationem & gaudium parit, 28. n. 21.
Mariæ nomen oleo simile, 28. n. 15.
Mariæ nomen efficax pro peccatoribus, 28. n. 16.
Maria virginitati semper est conjuncta, 5. 28. num. 18.
Mariæ numen S. Josepho consolationem attulit, 28. n. 20.
Maria turbata est in sermone Angeli, 28. n. 21.
Maria visitavit S. Nicolaum Tolentinatem infirmum, 29. n. 12.
Maria similis rosæ Jericho. 11. n. 4.
Maria tribus mensibus in domo Zachariæ permansit, 16. n. 9.
Maria nativitati Joannis Baptistæ præsens adstitit, Ibid
Maria gratia & merito omnes sanctos superavit, 18. n. 15.
Mariæ gratia in communione & aliis actionibus acquisita, 35 n. 13.
Maria in charitate & gratia semper crevit, 35. n. 12 13. & seq.
Mariæ actiones, Ibid.
Maria in primo instanti conceptionis suæ plures gradus habuit quam supremi Seraphini, Ibid. n. 4.
Maria etiam dormiens gradus gratiæ adauxit, 35. n. 15.
Maria virgo & Mater Simeoni demonstrata fuit 8 n. 8.
Maria est fons gratiæ gratia plenum, 35. num. 2. & seqq.
Maria plenitudinem gratiæ habuit, Ibid. 1.
Maria non rivos sed flumina gratiæ emanavit, 25 n. 5.
Maria majorem plenitudinem gratiæ habuit quam Elisabetha, Stephanus, Apostoli, & alii, 35. n. 6.
Maria fuit mons in vertice montium, 35 n. 7.
Maria dies cœli, non vero terræ dicitur, 35. n. 11.
Maria est collum Ecclesiæ, Christus caput, 18. n 3.
Maria similis est viti, 18. n. 4.
Maria Deum debitorem habuit, serm. 18. n. 5.
Maria efficit ut peccatum hominis esset remissibile, 18. n. 17.
Mariæ salutatio ab Angelo allata, serm. 18. n. 9.
Maria origo omnium gratiarum, Ibid.

Maria à Christo in cruce dispensatrix gratiarum constituitur, 18. n. 12.
Maria fuit causa cur latro salvaretur, 18. n. 13.
Maria placat Deum, Ibid.
Maria in cœlo fungitur officio advocatæ peccatorum, 18. n. 15.
Maria invenit gratiam ab Adamo amissam, 18. n. 17.
Maria est medium inveniendi Deum, 18. n. 18.
Mariæ sanctitas. Vide sanctitas Mariæ.
Maria cur mulier & non mare appellatur, 16. n. 5.
Maria est mater S. Joannis Baptistæ per adoptionem, 16. n. 9.
Mariæ tituli à sanctis patribus ei attributi, serm. 18. n. 2.
Maria est mediatrix inter Deum & hominem, Ibid.
In Maria sola conservata est fides tempore passionis Christi, 22. n. 1.
Maria puteola Armigera, 14. n. 1.
Marius Coriolanus cur hoc nomine appelatus, 1. n. 1.
Mariæ constantia, 30. n 23.
Mariti cum uxoribus suis pacifici, serm. 6. num. 1.
Maritus qui viginti uxores habuit, serm. 6. n 1.
A Martello desumptum emblema, serm. 27. n. 6.
Marcia fulmine percussa læsa non fuit, 8. n. 1.
Martinus Silitius Archiepiscopus Toletanus, 24. n. 18.
An martyris effusus in Ecclesia sanguis, faciat pollui Ecclesiam, 32. n. 26.
Martyrium esse potest sine morte, 32. n. 21. & 5. 14. n. 5.
Martyrium S. Joannis Baptistæ in utero materno, 14. n. 17.
Martyrium S. Monicæ, serm. 14. n. 3. & seqq.
Martyrium S. Francisci, serm. 32. n. 19. & seqq.
Martyrium duplicis generis, serm. 32 n. 19.
Martyrium SS. Philippi & Jacobi simile passioni Christi, 12. n. 20.
Mater Joannis Baptistæ cur posita in Genealogia, 16. n. 13.
Mater Machabæorum septies martyr, 9. n 7.
Matris Papinii Prætextati curiositas, 3. n. 1.
Mater Machabæorum mulier constans, 9. n. 2.
Matres tenerius amant filios quam patres, 6. n. 3.
Matrum cor dissimile est a corde patris, 9. n. 4.
Maternitas Mariæ & virginitas per lunam exprimitur, 8. n. 2.
Maternitas repræsentatur in tritico, serm. 8. n. 3.
Maternitas Mariæ ingens dignitas, serm. 21. n. 14.
S. Matthæus similis Chrysolito, serm. 30. per totum.
S. Matthæus similis est auro, serm. 30. n. 2.
S. Matthæus similis est Elcanæ, sponsæ, & Christo, serm. 30. n. 34. & 5.
S. Matthæus omnia Deo attribuebat, serm. 30. n. 8. & 9.
S. Matthæus ex telonio ad Apostolatum sublimatus fuit, 30. n. 12.
S. Matthæus est velut aurum liquefactum ab igne amoris, 30. n. 13.
S. Matthæi charitas, 30 n. 14.
S. Matthæus fugavit duos dracones aërem intoxicantes, Ibid.
S. Matthæus respicit munera argenti & auri, Ibidem.
S. Matthæus Ippigeniam ab Hittaco tyranno defendit, Ibidem.
S. Matthæus præstantissimus est inter Evangelistas, 30. n. 5.
S. Matthæus similis est flumini Phison, Ibid.
S. Matthæus fuit Apostolus Evangelista & martyr. Ibidem.
S. Matthæus resplendet sicut Chrysolitus, 30. n. 17.
S. Matthæus alios Evangelistas ad scribendum excitavit, 30. n. 18.
Convertit Æthiopiam, Ibid.
Fuit velut alter Moyses, 30. n. 19.
Notificavit verbum incarnatum, Ibid.
Velut Chrysolytus Ipphigeniam & socias ejus animavit, 30. n. 20.
Curavit multos infirmos, 30. n. 21.
S. Matthæus merus amor erga bonos, & merus erga malos furor fuit, ibid. n. 22.
Martyrizatus fuit per lanceam, dum in altari celebraret, Ibid n. 23.
Velut Chrysolitus mari similis fuit, Ibid. n. 24.
Multas habuit à Deo prærogativas, Ibid.
S. Matthæus multas in se gratias recollectas habuit, Ibid. n 25.
S. Matthæi corpus quiescit Salerni, 30. n 27.
S. Matthæus fuit velut manna, 4. n. 5.
Fuit similis soli, 4. n. 22.
Fuit similis moro, 4 n. 21.
S. Matthias cum duobus lapidibus sepultus fuit, 4. n. 14.
Fuit contradictorium Judæ, 4. n. 10.
Fuit similis Eddaro Regi Britanniæ, 4. n. 9.
Habuit omnes perfectiones Judæ debitas, 4. n. 11.
Resarcivit honorem collegii Apostolici 4. n. 12. & seq.
Admissus fuit ad secreta Christi, 4. n. 6.
Licet ultimus ordine, primus tamen fuit dignitate, 4. n. 7.
Dignior fuit aliis discipulis, 4 n. 20. & seqq.
S. Matthias similis Ametisto, Ibid.
S. Maurus Placido in flumen lapso succurrit, 7 n. 15.
Mauritanorum usus & consuetudo, 2. n. 7.

Mauritii Imperatoris patientia, 3. n. 1.
Mediator quod officium habeat, 18. n. 2.
Medium est locus honoris, 16. n. 4.
Medium est locus Deo debitus, 2. n. 6.
Medium participat de extremis, 16. n. 4.
Megarensium historia de arbore quadam, 13. n. 15.
Melania ob peccati mariti mortem turbata non fuit, 9. n. 2.
Melchisedech sine patre, sine matre, & sine Genealogia extitit, 16 n. 13.
Memoria perdita & per apertionem venæ recuperata, 8. n. 1.
Memoria ingens hominis alicujus Corsici, Ibid.
Memnonis statua artificiosa, 27. n. 2.
Menectratis Medici ambitio, 6. n. 4.
Mensis Majus describitur, 12 n. 1.
Mercatoris Lusitani inventio ad vendendum Smaragdos, 4. n. 13.
Merula avis tentavit S. Benedictum, 7. n. 13.
Mevii Centurionis Augusti constantia, 30. n. 23.
Mexentii crudelitas in eo emicuit, quod Christianos occiderit colligendo eos vivos cum mortuis, 14. n. 3.
Mexicani filios occidebant, ut eorum corda Idolis sacrificare possent, 2. n. 8.
Michaël Imperator dictus est Balbus, & cur? 1. n. 1.
S. Michaël Archangelus est noster Archimandrita, 31. n. 1.
In omnibus casibus nobis assistit, Ibid.
Ejus Festum, omnium pariter Angelorum festum est, 31. n. 2.
Cur hastam & scutum teneat, Ibid.
Retinuit Abrahæ dexteram, 31. n 3.
Destruxit exercitum Sennacherib, Ibid. n. 4.
Exercitum in promissionis terram deduxit, Ibid. n. 5.
Danielem à leonibus defendit, Ibid. n. 6.
Tres pueros è fornace liberavit, Ibid n. 7.
Luctatus est cum Jacob, & cur, Ibid. n. 8.
Effecit ut David contra Goliath triumpharet, 31. n. 9.
Apparuit Moysi in rubo, Ibid. n. 10.
Facinora ab eo patrata, Ibid.
Capitaneus fuit Machabæorum, eorumque descriptio, Ibid.
Adamum post peccatum à Dæmone liberavit, Ibid. n. 11.
Jumentum Balaam in itinere impedivit, ibid. n. 12.
A Dæmone nos defendit, ibid.
Dæmonem vinxit in inferno quoadusque præsens durabit mundus, Ibid. n. 13.
Michaël cum Dæmone pugnavit propter Moysis corpus, Ibid. n. 14.
Michael Christum in horto confortavit, Ibid. n. 15.
Nos defendit in puncto mortis, Ibid. n. 16.
Michaël Davidem propter depositam chlamydem regiam reprehendit, 16. n. 8.
Midæ fabula, 5. n. 1.
Midæ timor, 31. n. 10.
Miles quidam Romanus coronam in capite suo ferre detrectavit, 10. n. 5.
Miles traditor ab Alexandro remuneratus fuit, 6 n. 1.
Milites generosi licet pauci, exercitum Turcæ dissiparunt, 13. n. 1.
Militis Atheniensis generositas, 30. n. 23.
S. Milito Episcopus Sardiniæ, serm. 1. n. 24.
Miltiades in campis Maratoniis victor evasit, vide 13. n. 1.
Minimi S. Francisci de Paula laudati, 10. n. 38.
Miracula à S Benedicto per fidem patrata, Vide 7. n. 18.
Miracula facta à S. Marco, 11. n. 11.
Miracula S. Francisci de Paula, 10. n. 12. & seqq.
Miracula B. Philippi Benizzi, 24. n. 19.
Miracula S. Nicolai Tolentinatis, 19. n. 15.
Miracula S. Antonii de Padua, 15. n. 20.
An B. Virgo miracula patravit, serm. 8. n. 7.
Quomodo & quo fine facta fuerint miracula, Ibidem.
Myrrha ejusque virtus, 28. n. 12.
Myrrha sponsæ dulcis esse videtur, 28. n. 9.
Mœnia Thebana à Phryne reædificata, 1. n. 18.

S. MONICA MATER DIVI AUGUSTINI.

S. Monica, serm. 14. per totum.
S. Monica facta est Martyr, 14. n. 1. & 2.
S. Monica ob maritum suum martyr patientiæ, Ib. n. 2.
S. Monica à marito suo martyrio affecta fuit, Ibid.
Convertit Patritium maritum suum, Ibid. n. 7.
Ab Augustino filio suo martyrium passa est, Ibidem. n. 7. & seqq.
Martyrium passa est expectando diem conversionis B. Augustini, Ibid. n. 7 & seq.
Quantum conversionem D. Augustini desideravit, Ibid. n. 9.
Fuit bis mater S. Augustini, n. 13.
Nihil æquè desideravit ac conversionem S. Augustini, Ibid
Magis desiderabat conversionem Augustini quam Abraham filium habere desideravit, 14. n. 14.
Ob discessum Augustini Romam versus valde mœsta fuit, 14. n. 15.

Infirma existens non potuit obstante catharro recipere SS. Sacramentum, 14. n. 17.
A Christo Sacramentata Martyrium passa est, Ibid. n. 17. & seq.
Martyrium ejus intolerabilius fuit mertyriis aliorum, Ibid.
Moribundam Christus est amplexatus, Ibid. n. 19.
Multi sancti homines & religiones valde obligati S. Monicæ, Ibid. n 20.
Mons in Saxonia ex improviso obortus, 25 n. 1.
Montes Pervaceni admirabiles, 35. n. 7.
Mons Atho prolongat vitam usque ad 150. annos vide, Ibid.
Mons intra quem navis quædam inventa est, quæ multa cadavera humana continebat vide, Ibid.
Mons Balassiæ altissimus, Ibid.
Mons in Polonia varia generat vasa, Ibid.
Tres montes in Persida. valdè mirabiles, Ibid.
Mons Ilcini civitas Tusciæ digitum pollicem dextera manus D. Augustini in magna veneratione conservat, 27. n. 14.
Mons figura est Mariæ Virginis, ser. 35. n. 7.
Montes repræsentant Sanctos, Ibid.
Moralitas contra Prælatos qui ad beneficia seu honores non eligunt digniores, 4. n. 18.
Moralitas contra ambitiosos.
Moralitas contra mulieres malæ vitæ, quæ Mariæ nomine indigitantur, 26. n. 16.
Moralitas adversus illos qui non habent zelũ honoris Dei, nec respiciunt aliud quàm proprium interesse, 19. n. 21.
Moralitas invectiva contra quorundam Religiosorum vanitates, 16. n. 14.
Moralitas in eos qui non curant cœlestem gloriam, 34 n. 12.
Mors requiritur ad martyrium, 32. n. 19.
Mors bonorum non debet defleri, sed malorum tantum, 29 n. 17. & 18.
Mors familiæ Joannis Hunniadis, Ibid. n. 17.
Mortui in virtute Crucis resuscitati, 13. n. 19.
Mortui ex fumo, 34. n. 4.

MOYSES.

Fuit humilis, serm. 24. n. 12.
Habuit commissionem loquendi ad lapidem vide, serm. 30. n. 10.
De splendore vultus sui, 25. n. 14.
Brachiis suis crucem formavit, 13. n. 9.
Denominationis suæ origo, 1 n. 1.
Carbones ignitos comedit, 5. n. 13.
In fiscella scirpea bituminata mari impositus fuit, 28. n. 12.
Cur ejus lex ignea dicatur, 5. n. 13.
Cur fuerit balbutiens, Ibid.
Ejus amor erga suos, 27. n. 21.
Facies ejus resplenduit, 21 n. 5.
Desiderabat videre faciem Dei. 34 n. 6.
Promissio ei à Deo facta, 22. n. 2. & 6.
Nec ipse nec populus ejus firmam fidem habuit quando percussit petram, Ibid. n. 6.
Oseæ nomen Josue imposuit, 1. n. 8.
Coronam Pharaonis è capite sublatam in terram projecit, 5. n. 13.
Deum primo operantem, postea existentem descripsit, 7. n. 5.
Non sperabat aquam à petra elicere, serm. 7. n. 17.
Fertilitatem ex botro uvæ conjecit, serm. 26. n. 1.
Non tenebatur providere aquam populo suo, 29. n. 10.
Mora & tardatio ejus in monte causa fuit Idololatriæ, 14. n. 14.
Cur declaratus sit Deus Pharaonis, serm. 15. n. 15.
Cur Moyses & Elias in monte Thabor disparuerint, mox ut Patris vocem audierunt. 32. n. 3,
Historia mulieris cujusdam Tarentinæ è civitate Heracleæ, 7. n. 7.
Mulieres non recensebantur in Genealogia, 16. n. 13.
Tormentum mulierum quod patiebantur expectando nativitatem filiorum, 24. n. 9.
Mulier & ejus significatum, 28. n. 22.
Mulieres variæ earumque virtutes, 25. n. 4.
Mulieres variæ earumque pulchritudo, Ibid.
Mulieres Lennii maritos suos una nocte occiderunt, 14. n. 1.
Mulier veneno pasta & cibata, 8. n. 1.
Mulieres fortes in obsidione Famagustæ, 14. n. 1.
Mulieres Bohemiæ septem annis regnarunt, Ibidem.
Mulieres defenderunt civitatem Bellovacensem, Ibid.
Mulieres Teutonicæ profectæ sunt ad bellum Hierosolymitanum, Ibid.
Mulier quid significet, serm. 1. n. 26. vide Fœmina.
Mulier à Joanne in Sole visa figura fuit Mariæ, 3. n. 14.
Mulier quæ viginti duobus maritis nupsit, vide, 6. n. 1.
Septem mulieres unicum tantum habueré maritum, Ibid.
Mulieres in masculinum sexum degenerantes, vide, Ibid.
Mulieres magno erga maritos amore ardentes, 6. n. 5.
Mulieres generosæ & fortes, 14. n. 1.
Mulieres Archivæ, Hiberiæ, Gothicæ, & aliæ valdè generosæ, Ibid.
Mulieres Pervacenæ & Lacenæ, Ibid.
Mulierum Scythicarum mores in nuptiis, Ibid.

Mundus est quoddam à Deo patratum miraculum, 28. n. 1.
Musica tempore Cæsaris in aure audita, 25. n. 1.
Mutii Scævolæ actiones, 30. n. 23.
Mutus nomine Athis Cræsi filius, 8. n. 1.

N.

NAaman Syrus.
Ejus fides in Eliseum, serm. 12. n. 14.
Obtulit munera Eliseo, 26. n. 7.
Ab Eliseo ad Jordanem lavandus mittitur, 30. n. 11.
Nabuchodonosor tres pueros in fornacem mitti fecit, 31 n. 7.
Nabuth nascitur eodem die quo Cyrus, 27. n. 5.
Naimiticus quomodo resuscitatus, 13. n. 19.
Neapolitanæ urbis denominatio, 9. n. 1.
Narcisci fabula, serm. 5. n. 1.
Narcissus ad fontem describitur, 14. n 19.
Nardus symbolum humilitatis, 3. n. 18.
Nativitas Mariæ quando acciderit? 25. n 7.
Nativitas Joan. Baptistæ similis Nativitati Christi, 16. n. 4. vide Joan. Baptista.
Nativitas Joan. Baptistæ quomodo supernaturalis fuerit, 16. n 8.
Nasci sub ascendenti signo Solis felicitatem connotat, 16. n. 7.
Nathan quomodo Davidem reprehenderit, 10 n. 10.
Navis Claudiæ cingulo sursum tracta, 8. n. 1.
A navi desumptum emblema, 11. n. 1.
Nazarenus Nezarcus & florem significat, 16. n 10.
Negationes S. Petri ejusque imperfectiones laudabiles, 17. n. 1.
Neronis opus admirabile & opulentum, 25. n. 7.
Nero scyphum postquam eum ebiberat, frangebat, 20. n. 3.
Nero sub planeta Solis nascitur, 16. n. 7.
Neronis timor, 35. n. 10.
Nicanor insidiator Philippi Macedonũ Regis, 3. n. 1.
Nicetæ castitas, Ibid.
Nicocreon Tyrannus Cypri, 30. n. 23.
S. Nicolaus Barensis à Constantino donum recepit, 1. n. 2.
Nicolai Papæ V. felicitas, 6. n. 1.

S. NICOLAUS DE TOLENTINO.

ID quod impossibile erat, possibile reddidit, 29. n 4.
Panis ejus mutatus in rosas, 29. n. 7.
Contemplatur crucifixum, 29. n. 8.
Quasi consolatione corpus suum restauraverit, Ibid.
Mirabilis fuit in Nativitate, vita, & morte, 29. n. 1. & seq.
Nativitas ejus, Ibid.
Fuit compendium perfectionum quæ sunt in omnibus Sanctis, Ibid.
Fuit alter Joannes Baptista, Ibid.
Cur tardaverit nascendo, cùm ejùs Nativitas adeò fuerit à parentibus suis expetita? 29. n. 3.
Nativitas ejus similis nativitati Elephantis, Ibid.
Charitativus fuit erga pauperes, 29. n. 1.
Panis ejus cur in rosas mutatus, 29. n 7.
Ab incunabulis tribus diebus qualibet septimana jejunabat, & cur? 29. n. 4.
In Missa Christum sub specie infantis in hostia vidit, 29. n. 5.
Ejus opera virtuosa, 29. n. 1.
Aquam in vinum convertit, 29. n 9.
Duos perdices reviviscere fecit, serm. 29. n. 11.
Aquam inter saxa è terra scaturire fecit, serm. 29. num. 10.
Ejus abstinentia, ibid. n. 8.
Infirmus à B. Virg. est visitatus, serm. 29. n. 12.
Ejus panis benedictus, ibid.
In cœlo, terra, & inferno miracula fecit, 29. n 14.
Stella quædam est eum insecuta, 29. n 14.
Angeli musica quadam eum recrearunt, ibid.
Multas ex purgatorio animas, item unam ex Lymbo, & alium ex inferno liberavit, ibid. n. 14
Lampadem à Dæmone confractum restauravit, 29. n. 15.
Dæmonis insultus vicit, ibid.
Ejus miracula, ibid.
Mutus ejus præcepto obedivit, ibid.
Mortis condemnatos ab eadem liberat, ibid.
Brachiorum sanguine Ecclesiæ adversitatem præsagivit, ibid.
Liberat puerum in puteum collapsum, ibid.
Liberat à veneno, ibid.
Flumina inundantia coërcet, nec noceant, ibid.
Miraculum ejus Cordubæ factum, ibid.
Angelica musica est honoratus, ibid.
A Christo ad cælum est invitatus, ibid.
Statua ejus sanguinem sudavit, ibid.
Transmutat aquam in vinum, ubi suprà.
Nithardus frater S. Bernardi, 3. n. 2.
Nobilitas in Sole repræsentatur, 10. n. 3.
Noë Chanaan filio Cham maledixit, 9. n 5
Noëmi vult Mara appellari, 1. num. 1.
Nomen factis, & facta nomini respondere debeat serm. 1. per totum.
Nomen Jesu quid significet, 1. n. 2.
Nomina Josue duo fuerunt, ibid. n. 8.

Nomina mutatis officiis quoque mutantur, ibid.
Nomen Josue idem est quod Jesu, ibid.
Nomen Oseæ à Moyse in Josue commutatum, ibid.
Nomen Jesu à Christo nunquam mutatum, ibid.
Nomina mutata sunt Abrahæ & Jacobo, ibid.
Nomen Mariæ Virginis nunquam mutatum, ibid.
Nomina quomodo & cur imponantur, 1.n.1.
Nomen Noëmi in Maria mutatum, 1.n.11.
Nomen Petri mutatum, 1.n.12.
Nomen Jesu à Jacobo moribundo adoratum, ibid n.15.
Nomen Anti-christi quid significet, 1.n.20.
Nomen Jesu fortis est adversus Dæmonem armatura, n.21.
Nomina Magorum qualia fuerint, & quæ sint eorum significata, 2.n.1.
Nominis Achillis significatum, 3.n.8.
Nomnis Mariæ significata, 9 n.1.
Nomen Mariæ & literæ illud componentes, 18 n.5.
Nomen à Deo uno & trino compositum, ibid n.6. & 7.
Nomen Mariæ ex thesauro divinitatis extractum, ibid.n.7.
Nominis Jehovah significatum, ibid.
Nomen Abrahæ & Simonis mutatum, ibid.n.8.
Mariæ nomen nunquam mutatum fuit, ibid.
Nomen Mera mutatum fuit in Maria, ibid n.9.
Mariæ nomen Angeli non merentur nominare, ibid. n.15.
Nomen Dei Jehovah ineffabile, 18. n.10.
Nomen Mariæ quam utile, ib. n.12.& seq.
Nomen Mariæ Virgini consolationem attulit, 28. n.21.
Nomen mulieris quid significet, ibid. n. 22.
Nomen Mariæ Magdalenæ consolationem peperit, ib.n.23.
Nomen Mariæ oleo simile, ib.n.15.
Nomen Mariæ quam sit peccatoribus efficax, ib.n.16.
Nomen Mariæ cum virginitate conjungitur, ibid. n.18.
Nomen Mariæ quam sit delectabile, ibid.n.19.
Nomen Mariæ Josepho consolatorium fuit, ibid. n.2.
Nomen Angelorum, eorumque significata, ib.
Nova data Philippo Regi Macedoniæ, 4. n.2.
Nox repræsentat peccatores, & dies justos, 30.
Numeri sunt Mystici, 13. n.6.
Numerorum libri Moysis significatum, 9.n.1.
Numeri Atithmetici proprietas, 4. n.15.
Numerus 300. significat Crucem, 13. n.6.
Num.18.idem significat quod Jesus, ibid.

O.

OBededom felicitas propter arcam, 6. n.9.
Octavianus Imperator noluit vocati Dominus, serm.6.n.23.
Oculi Leonis nocte lucent, 4.n.23.
Oculos in capite habere quid significet, serm. 24.n.3. & 4.
Quinam oculos in pectore & humeris habeant, Ibid. n.3.
Oculi nostri ad videndam gloriam cœlestem sunt oculi talpæ, 34. n.5.
Oculi nostri improportionati sunt gloriæ beatæ, 34. n.6. & seq.
Ocius arbor mel scaturit, 7. n.1.
Oleum ab Eliseo multiplicatū quid significet, 34.n.6.
Oleum exprimit nomen Mariæ, 28.n 15.
Oleum Elisei & quinque stultarum virginum quomodo differat, 34. n.16.
Olei fons Romæ manavit, 25 n.1.
Cur oliva noluerit esse Rex arborum, 10.n.34.
Olivæ Megarensis prognosticum, 13.n.15.
Oliva signum pacis, 33. n.12.
Ab Olympo desumptum Emblema, 11. n.1.
Onychinus lapis in annulo Hugonis Regis Franciæ, 30. n.1.
Opera gratiæ digniora sunt naturæ operibus, 5.n.27.
Opera admiranda, 8.n.1.
Opera mirabilia gratiæ, 8.n.1.
Opera prodigiosa S. Gregorii Thaumaturgi, 8.n.1.
Opilius Macrinus Imperator antea servus fuit 3.n 17.
Oraculum Apollonis ejusque responsum, ser. 3. n.21.
Orpheus ejusque statua sudavit coram Alexandro, 16 n. 20.
Ornamenta mulierum maritatarum, & virorum uxoratorum quæ sint, 6. n.5.
Osvvaldi Regis Britanniæ manus post mortem intacta inventa fuit, 15. n.18.
Ossa Leonum eorumque proprietates, 11. n.1.
Otium argumentum est imprudentiæ, 7. n 5.

P.

PAlanthis magnæ divitiæ, serm. 21. n.1.
Palatium admirabile Magni Cham in Cohalu, 34. n.11.
Palatium Regis Chinensis, Ibid.
Palatium potentissimi Domini Zipangu in Oriente. Ibid.
Ex Palma desumptum Emblema, serm. 13. n.4. & serm. 11. n.1. serm. 11. n.15.

Palmæ Indicæ proprietates, 13. n. 2.
Pallidis Statua, 17. n. 3.
Pallio ejusque mons quinque in se civitates comprehendens, 8. n. 4.
Palveus Cardinalis territus est ex sono tympani, 34. n. 7.
Pandoræ fabula, 25. n. 8.
Panis S. Nicolai Tolentinatis mutatus in rosas, 29. n. 7.
Panis à Florentio D. Benedicti discipulo intoxicatus 7. n. 12.
Panem & aquam Deus Moysi promittit, 7. n. 1.
Panis Sancti Nicolai Tolentinatis miraculosus, 29. n. 12.
Papa Alexander III. Duci Veneto rosam auream donavit, 29. n. 8.
Papa Joannes XXII. doctrinam S. Thomæ laudavit, 5. n 30.
Papæ Nicolai V. felicitas, 6. n 1.
Papyrii Prætextati ingenium, 3 n. 1.
Paradisum fumo plenum esse quommodo intelligatur, 34. n. 4.
Paradisus terrestris inaccessibilis, 34. n. 1. & 2.
Paradisi qualitates, 34. n. 3.

PARRALLELI.

Inter Moysen & S. Matthæum, 30. n. 19.
Inter Euchristam & martyrium, serm. 14. n. 17.
Inter Rosam & Mariam, 12. n. 3.
Inter linguam & pennam, 15. n. 4.
Inter nativitatem S. Joannis Baptistæ & Christi, 16. n. 3.
Inter Sanctum Franciscum & Christum, 32. n. 6.
Paralyticus a Christo sanatus est, sanitate ab eo minimè postulata, 1. n. 18.
Paris quomodo Achillem occiderit, 3. n. 4.
Parentes seu cognati inepti non sunt ad officia eligendi, serm. 4. n. 8.
Parsimonia vitam longævam facit, serm. 7. n. 11.
Pars Mariæ in cælo qualis sit, 18. n. 15.
Parsimonia quorundam mira, 8. n. 1.
Parthi & eorum leges, 2 n. 3.
Passio a Christo gloriosa æstimata, serm. 23. n. 12.
Pater æternus omnia quæ habuit, Filio dedit, 12. n. 4
Pater æternus non est in Cruce Filium consolatus, 9. n. 4.
Pater æternus sibi complacuit in Filio, ibid.
Patres minimi S. Francisci de Paula laudati, 10 n. 8.
Patrum corda à materno corde multum differunt, 9. n. 4.
Patris filium occidentis supplicium, serm. 9. n. 6.
Deus Pater & Filius in cælo sedent, sed Spiritus sanctus non item, 33. n. 5
Patres qui multos habuerunt filios, 2. n 5
Patres ex filiis ingentem dolorem concipiunt, 9. n. 6

PATIENTIA.

Davidis eximia, 14. n. 5
Jobi fuit sacrificium Deo, ibid.
Elisabethæ Thuringiæ, 3. n. 1
Philippi II. Regis Hispaniarum, ibid.
Mauritii Imperatoris & aliorum, ibid.
Patientia usi, speciei quædam Martyrii, 14 n. 4
Patritius maritus S. Monicæ ferox fuit, 14. n. 2

S. PAULUS APOSTOLUS.

Contulit suas difficultates cum S Jacobo, 20. n. 18
Omnia erat, quomodo intelligatur, serm. 11. n. 10
Pingitur ad dexteram S. Petri, & cur? 4 n. 21
Una cum Timotheo in Phrygiam & Galatiam abire prohibitus fuit, 22. n. 8
Locutus est cum S. Francisco, 32
Ejus humilitas, 3. n. 11
Didicit ab Angelis, 5. n. 16
Accessit ad scholam S. Thomæ Aquinatis, ibid.
Sanctæ Paulæ dolor ob mortem filiorum, 9. n. 6
Pauli Esquilini visio circa S. Thomam de Aquino, 5. num. 16
Paulus Æmilius ex morte filii non est turbatus, 9. nu. 16
Paulus Æmilius mortuus delatus est à Macedonibus, 10. n. 12
Paupertas Epaminondæ, Aristidis, & aliorum, 6. n. 11
Paupertas medium est ad acquirendam gloriam, 34. nu. 18
Pax est filia charitatis, 33. n. 12
Peccatores significantur per noctem, justi verò per diem, 30. n. 22
Peccata justorum sunt ornamenta, & quomodo, 17. nu. 3
Peccata justorum non deprimunt, sed erigunt, ibid.
Peccatum Dæmonis cur irremissibile, 18. n. 6
Pellis sancti Bartholomæi quid significet, 26. n 1
Pelles inimicorum à belli ducibus morientibus iis qui inter cæteros chariores sunt, relinquuntur, 16. num. 20
Pelliti quinam fuerint, & cur sic appellati, 26. n. 5
Penelope cur sic appellata, 1. n. 1
Penna lapsa è pavonibus Jovis, 15. n. 4
Penna avis Ruch permaxima, 2. n. 1
Pericles Athenienſis industrius, 34. n. 1

Periclis tolerantia, 3 n.1
Pericles & Icarus Arneam Ulyssis conjugem in mare projecerunt, 1 n.1
Perdicca à sancto Nicolao Tolentinate resuscitata, 19.n.8
Perides deflevit mortem Parali filii sui, 9.n.8
Persecutores similes sunt apibus, 23 n.9
Persecutiones sunt medium ad comparandam gloriam, 34.n.18
Persarum mos in bello, 23.n.17
Persicus arbor ab Ægyptiis sacrificatur Deo, 15.n.19
Persil arbor Hermepolis in Thebaide, 7.n.1
Persil arbor se inclinavit coram Christo & Maria, quando fugiebant in Ægyptum, ibid.
Personarum divinarum authoritas, 3 n.26
Petri Castilia crudelitas in Utracam Gusmannam, 23. nu.11
S. Petrus Thomæ Carmelita fundavit Collegium Theologorum Bononiæ, 19.n.16

S. PETRUS APOSTOLUS.

Generosus fuit in horto quia amabat, 13.n.4
Timidus fuit in atrio quia non amabat, ibid.
Oravit ut in monte Thabor extruerentur tria monasteria religionis Carmelitanæ, 19.n.14
Ejus remuneratio ob amputatam Malcho auriculam, 19.n.15
Ad solum bonum suum respiciebat, serm. 27.n.16
Ei mutatum est nomen, 1.n.11
Apellatus est satanas & cur? ibid.
Erravit in lotione pedum & quomodo, 2.n.11
Ejus modestia in lotione pedum, ibid.
Ponitur ad sinistram sancti Pauli, & cur, 4.n.21
Fuit humilis, 10.n.7
Ob humilitatem factus est Papa, 10.n.7
Fuit primus qui portavit coronam clericalem & quomodo, 10.n.4
Nunc constans erat, nunc tremebundus, 13 n.21
Ejus imperfectiones laudabiles & dignæ, 17.n.1
Negationes illius causa fuerunt suæ exaltionis, ibid. n.2.& 3
Ejus imperfectiones fuerunt sicut spinæ in rosa, 17. num.4
Ob modicam fidem quam semel habuit factus est in fide firmior, 17.n.5
Ex timido factus est animosus, ibid.
Fuit reprehensus à Christo, ibid.n.6
Christus illum reprehensionibus & cruce honoravit, ibid.
Fuit appellatus satanas, id est, contrarius, idque cessit ad ejus gloriam. ibid.
Christum præ cæteris Discipulis amavit, ibid.n.7.
De quinque imperfectionibus veniam obtinuit, ibid.
Christus illum præ cæteris Apostolis dilexit, ibid. nu. 7. & 8.
Fuit similis Servio Tullio, ibid.n.8.
Cur ipse & non alius Apostolus factus sit Papa, ibid. n. 9.
Ejus authoritas, ibid.
Per tres negationes suas ad Papatum se sustulit, ibid. n. 9.
Christus illum post resurrectionem visitando honoravit, ibid.n.14.
Fuit petra firma, ibid.n.15.
Similis fuit Vincentio Samotolo, ibid.
Similis fuit Corallo & Hidaspi, ibid.
In fide stabilis fuit, ibid.n.16.& 17.
Ejus fides prædicata Romæ semper stabilis mansit, ibid. n. 17.
Confessus est Christum verum esse Dei Filium, ibid. n. 17.
Post peccatum factus est Joanne major, 17. n.11.
Quando acceperit claves potestatis, 17.n.12.
Cur speciatim ab Angelo Matiis sit nominatus, ibid. n. 13.
Petronillæ fons miraculosus in maritimis Senarum, 35.n 1.
Phaltis filius Lai cur dictus Phaltiel, 5.n.9.
Phaltis continens erga Michol, ibid.
Pharaonis Lex adversus Hebræos, serm.28.n.12.
Phœnicis denominatio, 9.n.1.
Phœnicis proprietas, 24.n.10
Phidias & Protogenes quomodo nomen suum picturis à se factis inscripserint, 8.n.9.
A Phidia facta Jovis statua, 17.n.25.

B. PHILIPPUS BENIZZI.

Ejus lachrimæ, 24.n.19,
Discurrit de Theologia. ibid.
Ejus miracula, ibid.
Magnum miraculum fecit convertendo duas mulieres, 24.n.16.
Convertit Helenam & Floram Thodienses, ibidem.
Thodum veniens prædicit suam mortem, ibid.n.15.
Similis est magneti, 24 n.1.
Semper in cælum conversus fuit, ibid.
A puero Eleemosynarius extitit. serm.24.n.4.
A B. Virgine ad currum suum est invitatus serm.24. n.5.
Instar magnetis omnia terrena dimisit, 24.n.10.&n.5
Currus ejus currui Eliæ comparatur, ibid n.5.
Habitu servorum vestitur, ibid. n.6.

Noluit esse superior, ibid. n. 8
Sacerdotium detrectavit accipere, ibid. n. 9
Obediens fuit superioribus, ibid.
Dum primam missam cantaret, Angeli intonarunt sanctus, ibid.
Trina vice è cælo celebratus est tanquam sanctus. ibid. num. 9
Omnibus mundi bonis renunciavit, serm. 24. n. 10
Post monitionem cœlestem generalatum acceptavit, ibid.
Renunciat Papatui & fugit ex urbe Romana, ibid. num. 11
Comparatur 70. senioribus cæli, ibid. n. 13
Respuendo Papatum magnum fecit miraculum, ibid. num. 14
Moriens librum suum postulat, ibid. n. 17
Baculum suum in terra plantavit, deque aquam emanare facit, ibid. n. 19
Hiberno tempore uvas ex vite legit, ibid.
Sagittam è cælo venire fecit, ibid.
Confirmationem religionis suæ à Papa obtinuit, ibidem.
Leprosos veste sanavit, ibid.

S. PHILIPPUS APOSTOLUS.

Ejus charitas, 12. per totum.
Ejus denominatio, 12 n. 13
Baptizavit Eunuchum, ibid.
Ejus prædicatio & martyrium, ibid. n. 15
Anno ætatis suæ 87. martyrium intrepidus subit, ibid. num. 15
Spes ejus in Christum, ibid. n. 14
Non diffidit Christo quando dixit : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt*, ibid. n. 16
Fuit rosa oblepta spinis martyrii, ibid.
Fuit cubicularius Christi, ibid. n. 19
Philippus & Jacobus similes duobus militibus, ibid. num. 20
Fuit constantior Petro in cruce, ibid. n. 21
Erutus in pedes sepultus fuit, ibid.
Philippus Rex Franciæ prælatus est contra Ottonem Imperatorem.
Philippus Franciæ cur dictus sit pulcher, 10. n. 3
Philippi Regis Hispaniarum patientia, 3. n. 1
Philippi Visconti benignitas, 19. n. 1
Philippus Rex Macedoniæ ædificavit Alexandriam, 11. n. 13
Cur dictam urbem Alexandriam vocaverit, 11. n. 9
Ejusdem somnium, 11. n. 12
Idem tria nova felicia habuit, 4. n. 2
Ejusdem actiones generosæ, 3. n. 1
Philocrates Domino suo fidelis, 3. n. 2
Philo ex herba calvia ferrum præscidit, 32. n. 2
Phinees honorem divinum celavit, 19. n. 15
Idem Zambri & mulierem Moabitidem occi[illegible], ibid. num. 16
Idem ob hanc occisionem à Deo remuneratus est, ibidem.
Phison fluminis proprietas, 30. n. 15
Phocæ Imperatoris infelicitas, 4. n. 1
Phocionis charitas, 12. n. 13
Phocion virtutis amicus, 10. n. 1
Phocionis de uxore sua responsio, 6. n. 4
Phrigia, ejusque mare, 9. n. 14
Phrines mœnia Thebarum reædificavit, 1. n. 18
Pictor S. Ursulam cum sodalibus in minimo quodam spatio depinxit, 6. n. 24
Pictura Andoridi, 21 n. 14
à Pino desumptum emblema, 11. n. 1
Pirausta vivit in igne, 23. n. 1
Pirrhi iis qui eum celebrabant datum responsum.
Pirri annulus lapidem continebat cui natura, non arte novem musæ insidebant, 30. n. 1
Pisces Penelopis Penelopem à naufragio salvarunt, 1. num. 1
Piscis Callionimus supra caput oculum habet, 24. num. 3
Pisces in diluvio manserunt illæsi, serm. 28. n. 13
Pitacus mortem filii vindicare noluit, 19. n. 1
Pithagoræ opinio circa transmigrationem animarum, 16. n. 11
Pithia & Amon amici charissimi, serm. 6. n. 1
Pithii Celeni divitiæ & munera, serm. 21. n. 1
Placido in flumen collapso Maurus succurrit, 7. n. 15
Platonis opinio circa transmigrationem animarum, 16. n. 11
Platonis contra ebrietatem inventio, 7. n. 10
Plato nastes apes in ore habuit, 5 n. 2
Plinii Junioris divitiæ, 21. n. 1
Pluvia sanguinis in Germania accidit, 15. n. 1
Pluviæ admirabiles in terram lapsæ, ibid.
Polycarpi cruciatus ejusque ad Judicem responsio, 9. num. 9
Policrates fortunatus, 4. n. 2
Polimius Rex magna munera S. Bartholomæo misit, 26. n. 8
Polixena filia Hecobæ, 3. n. 4
Pollices manus à Donibisec præcisi fuerunt, 20. n. 7
Pollices manus dextræ S. Augustini magna cum veneratione conservat urbs montis Illini in Tussia, 27. n. 14
Pollio per sententiam Augusti absolutus, 3. n. 1
Pompei actiones, 4. n. 1

Pom-

Pompæus recusavit titulum Imperatoris, 20. n. 1
Pompei exercitus à quodam Ægytio gubernatus, 21. num. 1
Pontifices & Prælati Ordinis S. Benedicti, 7. n. 2
Populus Romanus Octaviano titulum Domini dare volebat, 6. n. 23
Populi non habentes caput, oculos autem in pectore vel in humeris habentes, 24. n. 3
Præcedentiæ, 3 n. 12
Præcedentia Euripidis & Themistoclis, ibid.
Prædisetania ejusque arbor verecundiæ, 7. n. 1
Prælati ad officia eligere debent idoneos, 4. n. 18
Prælati religionis Carmelitanæ ejusque Pontifices, 19. num. 16
Præsaspis dictum datum Cambisi ob mortem filii, 9. num. 26
Prætejanni Lusitaniæ Regem muneribus affecerunt, 2. nu. 1
Priamus Rex 120 filios habuit, serm. 2. n. 5
Priamus à Homero honoratus, 16. n. 4
Primislaus quando Rex acclamatus fuit, super vomete ferreo manducabat, 23. n. 24
Primogenitus quid sit, 2. n 5
Principes faciunt quod volunt, non quod debent, 10. num. 10
Princeps quid significet, 1. n. 26
Principes subditos gabellis vexare non debent, 10. num. 11
Princeps debet esse vigilans, 11. n. 3
Probus juvenis vir dicitur, 1. n. 1
S. Probus caput suum in manu portat, 8. n. 1
Proculus & Eutisthines fratres simillimi fuerunt, 16. num. 1
Procedere verbum ex cognitione objecti primarii & secundarii quid significet, 29. n. 2
Prodigia ignis, 23. n. 20. 21. 22
Prodigia naturæ & gratiæ, 8. n. 1
Prodigia in terra, aere & cælo apparentia, 11. n. 13
Propheta in Scriptura idem est, quod Cantor, 19. num. 13
Propheta Oldæ, 1. n. 6
Prognosticum flammæ apparentis, 22. n. 23
Prognosticum Primislai, 23. n. 24
Prognosticum, vide Prodigium.
Protogenes & Phidias picturis suis nomina sua subjecerunt, 8. n. 9
Protogenis pictura in Insula Rodiensi, 18. n. 7
Proverbium natum ab Aristogitones, 12. n. 9
Prudentia per hilaritatem manifestatur, 7. n. 4
Prudentia & Justitia sunt sodales, 7. n. 7
Publico Scipioni consignata fuit statua Cibilis, 6. num. 3
Publii Rubii uxor Caja Ennia, 6. n. 5
Publius Ennius Consul à Teuca Argonis conjuge occisus est, 14. n. 1
Pulchritudo, serm 25. per totum.
Pulchritudo Mariæ, ibid.
Pulchritudo à quibusdam vituperatur, ibid. n 2
Pulchritudo & bonitas sunt unum & idem, ibid.
Digna est corona, ibid.
Conservatur cum sanctitate, ibid. n. 4
Pulchritudo Mariæ tanta fuit, quanta illius sanctitas ibid.
Pulchritudo mulierum variatum, ibid.
Omnes pulchritudines à Deo in Maria compendiosæ collectæ fuerunt, ibid, n. 5
Pulchritudo Mariæ admirabilis, ibid.
Pulchritudo Mariæ ab æterno facta quomodo intelligatur, ibid. n. 7
Pulchritudo Mariæ mensuratur æternitate, ibid. n. 7
Pulchritudo Mariæ Deum inopem fecit, bid n. 7
Pulchritudo Mariæ vim in se continet omnipotentiæ divinæ, ibid. n. 9
Pulchritudo Mariæ major quam Angelorum, ibid. 1
Eadem similis est auroræ, ibid.
Eadem obstupescere fecit Angelos, ibid. n. 11
Eadem objectum est gloriæ accidentalis, ibid. n. 12
Eadem desideratur ab Angelis, ibid.
Eandem conjectura assecutus est Moyses, ibid. n. 14
Eadem à Clerico quodam visa est, ibid. n. 15
Eadem visa est à quodam juvene, ibid. n. 16
Pulchritudinis Mariæ depictæ effectus, ibid. n. 7
Pulchritudo Mariæ depicta à Gonzalo delata est ad Regem Indiarum, ibid.
Purgatorium in die Assumptionis à B. Virgine evacuatum est, ibid. n. 13

Q.

Quantitas est causa divisibilitatis, 18 n. 15
Quæstiones S. Thomæ circa Eucharistiam, 5. num. 29
Quinquagenarii ab Elia igne consumpti, serm. 19. num. 10
Quintus Metellus fuit felix, 6, n. 1
Quintus Metellus cur dictus sit Macedonicus, 1. n. 1

R.

R Litera quid significet, 18. n. 17
Raab domus in bello Jerichontino illæsa permansit, 18 n. 13
Rachel quomodo dicatur fuisse mater Dan, serm. 30. num. 15

Rachel pulchra, sed sterilis, ibid.
Rebecca vestivit Jacob veste Esau & cur? 26.n.5
Recaredus Rex Hispaniarum à S. Gregorio clavem auream dono accepit, 2.n.1
Respublicæ & earum leges, 33.n.1
Regis Chinæ ingens palatium, 34.n.11
Regis Æthiopiæ cæremoniæ, 32.n.23
Regis Indiarum divitiæ, 21.n.1
Regis Antiochi inventio quoad Elephantes, 20.n.8
Rex Josias solis statuas è templo sustulit, 17.n.26
Rex Polimius S. Bartholomæo camelos mittit muneribus onustos, 26.n.8
Reges cur oleo ungantur, 8 n.15
Rex Cambajæ nutritus est veneno, 8.n.7
Rex Jehu Jezabelem occidit, 7.n.16
Rex Persidis Sapor ejusque tituli, 6.n.4
Rex Balac mittit Legatos ad Balaam, 5, n.12
Rex Scotiæ Rinandus, 4.n.9
Rex Britanniæ Eddarus, ibid.
Rex Tambutti munera misit ad Regem Fez. 21 n.1
Rex Lusitaniæ affectus est muneribus à Prætejannis, ibid.
Rex Ziphit à quodam Turcarum Bassa Generali Macheranunturcicam dono accepit, ibid.
Rex Sarracenorum Carolo Magno sepulchrum Christi donavit, ibid.
Rex Hispaniarum Recaredus à S. Gregorio clavem auream accepit, ibid.
Reginæ Saba munera Salomoni allata, ibid.
Rex Sanneticus captus est amore Sandaliæ Rhodopeæ, 2.n.14
Regis Cyri gratitudo & remuneratio, 2.n.3
Rex Athenarum Ægeus ejusque amor erga filios, ib. num.4
Regis Franciæ amor erga Carolum filium suum, ibid.
Rex Ziambe habuit 315. filios, ibid.n.5
Rex Priamus habuit 320. filios, ibid.
Rex Moluccarum habuit 600. filios, ibid.
Regis Macedoniæ Philippi actio generosa, 3.n.1
Regis Lacedæmonum Cleomenis illusio quam Græcis intulit, ibid.
Regis Hispaniarum Philippi II. patientia, ibid.
Regum Orientis, id est, Magorum, eorumque nomina apud Græcos, 2.n.2
Rex Longobardorum Grimoaldus, 4.n.1
Regis Bisnagæ tituli, 6.n.4
Regis Chinæ thronus, 8.n.5
Rex Persarum vigilans, 11.n.2
Reginæ Sabæ inventio ad tentandam experientiam sapientiæ Salomonis, 16.n.10.
Regnum Ptolomæus filio suo renuntiavit, 2.n.4.
Regnum cælorum à Christo subitò promissum est, & cur? 14.n.11.
Religiosi imitari debent S. Joannem Baptistam, 16. n. 14.
Religiones Augustinianæ valdè obligantur a S. Monicæ 14. n.20.
Religio Carmelitana instituta est ab Elia ad restaurandum Dei honorem, 19.n.12.
Religiosi sancti Eliæ omnes sunt Prophetæ, ibid. n.13.
Religio Carmelitana habet duo monasteria in monte Thabor in gratiam S. Petri, ibid. n.14.
Religionis Christianæ Leges quæ sint, 33.n.2.
Responsio Alexandri Dario data, 2.n 17.
Responsio Papyrii Prætextati data curiosæ matri suæ, 3. n.1.
Responsum Androcidi Claudi, 12.n.8.
Responsum Annomi Claudi, ibid.
Resurrectio Lazari facta in gratiam M. Magdalenæ non verò Marthæ, 18. n.10.
Rhodis insusa à Solimanno obsessa, 26.n.17.
Rodii incarcerati spes, 12. n.14.
Rhodopis historia, 2. n. 14.
Richardi Regis Britanniæ inventio, 9.n.8.
Robertus Egenbertus vicit Assa Bassa, 13.n.1.
Robertus III. Rex Scotiæ & filius ejus, 19. n.2.
Roma & Constantinopolis ambæ primæ civitates dicuntur, 24. n. 1.
Roma obsessa à Coriolano, 8.n.16.
Roma nobilitata ab Augusto & Sixto Quarto, 4.n.15.
Roma nunquam admisit duos patronos, vel Dominos, 2.n.17.
Romani non ædificarunt templum Deo, ibid.
Romani honorabant virgines, 5.n.4.
Romani Imperii infortunia, 4, n.1.
Romulus raptus in aëra nec amplius visus, 21.n.1
Juxta Runcis vallem habitum est prælium à Carolo Magno Imperatore, 29 n.13.
A rosa desumptum emblema, 11.n.1.& 29.n.8.
Rosa repræsentat Mariam Virginem, 21. n.3.
Rosa venenum est Scarabeo, ibid.
Rosa symbolum est eloquentiæ, 29.n 1.
Rosa data ab Alexandro III. Duci Venetiarum, 19. n. 8.
Rosa aurea cur benedicatur à Papa Dominica IV. Quadragesimæ, ibid.
Rosæ effectus, 12 n.3.
Rosa symbolum charitatis, ibid.
Rosæ Jericho quales fuerint, 21.n.3.
Rosæ ex Latonæ sudore natæ, ibid.
Rosæ sine spinis, ibid,
Rosæ Chinenses in nocte Natalis Domini floruerunt, ibid. n.4.
Rosæ fuerunt SS. Apostoli Philippus & Jacobus, 11. n.3.

Ruben & Siborea fuerunt genitores Judæ Iscariotis, 4. n. 10
Rubini in sandaliis Judithæ quomodo cor & oculos Holofernis rapuerint & ipsorum significatum, 2. n. 14
Rubus figura est Mariæ, 8. n. 10
Ruch avis permaxima, 2. n. 1
Rudolphi Imperatoris inscriptio in vexillis & signis suis dum præliaretur contra Turcam, 23. n. 3
Rutilia ex morte Cottæ filii sui minimè turbata est, 10. n. 1
Rutilia cum filio è patria in exilium migravit, 14. n. 15

S

SAbæ Reginæ inventio ad pervestigandam sapientiam Salomonis, 16. n 10
Sacerdotium quantam dicat dignitatem, 21. n. 11
Sacramentum Eucharistæ est in custodia S. Thomæ de Aquino, 5. n. 29
Sactificium cordis nostri debetur Deo, 2. n. 3
Sacrificium Cain cur Deo ingratum fuerit, 2. n. 11
Sacrificium Abrahæ cur à Deo fuerit impeditum, 2. n. 21
Sacrificati Deo debet primogenitum & quodnam illud sit, 2. n. 4
Saducæorum cacullationes, 5. n. 10
Salamandra vivit in igne, 23. n. 1
Salasar & Adramalech occiderunt patrem, 14. n. 4
Salerni conservatur corpus S. Matthiæ, eademque civitas laudatur, 30. n. 27
Salianus occidit Cabestanum ex zelotypia erga conjugem, 2. n. 10
Salomonis thronus, 8. n. 5. & 11. n 2
Salomon muneribus affectus à Regina Saba, 2. n. 1
Salomonis divitiæ, 6. n. 1. & 21. n 1
Salomonis prudentia in decidendis differentiis, 3. n. 1
Salutatio Angeli turbavit Mariam & cur? 3. n. 10
Samson ob erutos sibi oculos vindictam sumpsit curando ruinam templi, 19. n. 7
Samneticus Rex captus est viso calceo Rodopis, 2. n. 14
Samnitici sacrificantis historia, 7. n. 4
Samnites qualibus tormentis à Cambise affectus fuit, 9. n. 8
Sanctitas Mariæ quanta, 25. n. 4
Sanctitas conservat pulchritudinem vultus, 25. n. 4
Sanctitas Mariæ gratiæ correspondit, 35. num. 15
Sanctitas Mariæ tanta fuit ut viatrix simul & comprehensior fuerit, Ibid.
Sanctitas Mariæ celebratur à Spiritu S. Ibid. n. 17
Sanctitas Mariæ tanta fuit, ut Spiritui S se illam sufficienter explicare non posse videretur, Ibid.
Sanguis Godolenæ à Beltolpho sponso suo occisæ, 5. n. 1
Sanguis martyrum an polluat Ecclesiam, 32. n. 16
Sanguis brachiorum S. Nicolai Tolentinatis, 29. n. 15
Sanguis vermis Comir ejusque virtus, serm. 1. n. 5
Sanguis cordis humani dulcior alio, serm. 8. n. 17
Sanguis cordis à Maria in incarnatione datus est verbo, Ibid.
Sanguinem sudavit Christus in horto, 11. n. 7
Sanguis martyrii S. Marci ejusque effectus, 11. n. 16
Sanguis cur à Christo in circumcisione fusus fuerit, 1. n. 5
Sanguis Jesu Christi virtus, Ibid.
Sanguinem pluit Genuæ, 25. n. 1
Sanguinea pluvia Romæ duobus diebus cecidit, Ibid.
Saporis Regis Persarum tituli, 6. n. 4
Sara mulier pulcherrima, 25. n. 4
Saracenorum ritus, 2. n. 7
Sarcophagi lapidis virtus & proprietas, 30. n. 1
Saron mons copiosus fructuum, 8. n. 4
Satan quid significet, 1. n. 11
Satan idem est quod contrarius, 17. n. 6
Satisfactio quid sit & in quo consistat, 22. n. 5
Saul prophetavit, 16. n. 19
Saul à dæmone obsessus fuit, 28. n. 14
Saxa pluit in monte Albano, 25. n. 1
Saxum vel petra figura Christi, 8. n. 18
Sciphus vide crater.
Scipio dictus Africanus, serm. 1. n. 1. 20. n. 1
Scipio Asiaticus, 1. n. 1
Ejus furor in patriam, 10. n. 10
Scythæ eorumque pelliceæ vestes, 26. n. 3
Scriptura similis Mannæ, 27. n. 11
A scopulo desumptum emblema, 11. n. 1
Scutiger Jonathæ animosus, 33. n. 7
Scutum magni æstimatum à militibus Thebanis, 20. n. 15
Sæcula mundi præterita usque ad Christi adventum sunt numero 52. à Christo usque in præsens tempus fluxerunt sæcula 16. & medium, sed usque ad diem Judicii ventura creduntur 600. secula, serm. 35. n. 14
Sedere quid significet, 33. n. 5
Seminare & messem diu expectare tormentum est, 14. n. 11
Semiramis viliter nata, 4. n. 2
Sempronius Gracchus ejusque quoad mancipia inventio, 12. n. 14

Senatus Romani munera Attala Regi oblata, 7. n. 7.
Seneca per fortunam locupletatus, serm. 21. n. 1.
Senecæ responsum Neroni datum, serm. 25. n. 7.
Seniores coronas in terram demittunt, 24. n. 13.
Sennacherib à filiis occisus fuit, 14. n. 4.
Sensus corporales describuntur, serm. 15. n. 1.
Sensus hominis est equus indomitus, serm. 19. n. 20.

SENTENTIÆ.

Cleantis, 16. n. 16. Aureliani Imperatoris, serm. 19. n. 1.
Apellis: serm. Ibid. Theodosii Imperatoris, Ibid.
Agesilai ad Lacedæmones, serm. 3. n. 12. Senecæ ad Neronem, serm. 25. n. 7. Thaletis, 12. 14. Severi Imperat 12. 9. Marcelli Cervini ser. 1. n. 13. Leonidis ad milites, serm. 34. n. 18. Agesilai. serm. 3. n. 12. Lacenæ ad filium claudum, 12. n. 9.
Sepulchrum Christi donatum Carolo Magno, 2 n. 1.
Sepulchrum Davidis opulentissimum, serm. 21. n. 1.
Seraphini sunt thronus cui Deus insidet, 7. n. 16.
Seraphini eorumque gradus quos habent in gratia, 35. n. 14.
Serapidis templum, 24. n. 1.
Serenus Sammonicus ejusque libraria, 28. n. 3.
Serpens fugit umbram Fraxini, 13. n. 18.
Serpens insidiatur calcaneo mulieris, 3. num. 4.
Serpentes dissipati à quodam fulmine in Norcia, 20. n. 9.
Servorum Dei peccata illos ornant, 17. n. 2.
Servii Tullii historia, serm. 17. n. 8.
Sesostres Rex Ægypti ejusque filii obedientes, 23. n 11.
Severitas detestanda in Magnatibus serm. 59. n. 1.
Severitas Mezentii, ibid. n 2.
Severus imperator claudus, ejusque dictum, 12. n. 9.
Sibillæ Amaltheæ libri sunt igne consumpti & venditi, serm. 28. n. 3.
Sicarii ab Ezelino contra S. Antonium de Padua emissi, vide v. Anton. de Padua.
Sicinii dentati reportatæ victoriæ earumque coronæ, 13. n. 1.
Sigefridus & Amilus ambitiosi, 26. n. 3.
Sigebertus Episcop. Lugdun. habuit cor S. Augustini, 27. n. 10.
Signum quid sit, 26. n. 1.
Signum Crucis à S. Simeone stylita factum, 1. n. 21.
Sylla turrim quandam ligneam allumine obductam comburere non potuit, 32. n. 20.
S. Simeon Stylita signo Crucis Dæmonis illusiones superavit, 1. n. 1.
S. Simeon expunxit ex Bibliis aspirationem dictionis Halma, & quid inde acciderit, 8. n. 8.
Similitudo, vide V. Parraleli.
Similitudo hominis cum Deo, 16. n. 15.
Item an talis similitudo inveniatur, 16. n. 1.
Similitudo quid sit, Ibid.
Similitudo inter multos reperta, Ibid.
Similitudo inter Christum & S. Joannem Baptistam, 16 n. 3.
Simon Monferre præliatur cum hæreticis, 12. n. 13.

SS. SIMON ET JUDAS.

Amoris legem à Magistro suo conditam observarunt, 32. n. 2.
Nati sunt Canæ in Galilæa, Ibid. n. 4.
Quonam prædicandi causa iverint, Ibid.
Peregrinabantur ex motivo charitatis erga proximum, Ibid. n. 5.
Charitate motus curavit Abagarum, Ib. n. 6.
Judæ Thadæi charitas erga multos, Ib. n. 7.
Intrepidi per charitatem, Ibid n. 7.
Generosiores fuere armigero Jonathæ, Ibid.
Non timuerunt tyrannos Ibid. n. 9.
Eorum charitas erga Euphrosinum & alios, Ibid. n. 10.
Infantem recens natum loqui fecerunt, Ibid. n. 10.
Xerxi Regi Babyloniæ pacem prædixerunt, Ib. n. 11.
Non permiserunt ut sacerdotes Idolorum castigarentur, Ibid. n. 13.
Liberarunt oppressos à Dæmone, Ibid.
SS. Simon & Judas eos qui à serpentibus mordendo læsi sunt, liberarunt, Ibid.
Permiserunt magos per triduum atrocissimis doloribus torqueri. Ibid.
Feras noxias cicurarunt. Ibid.
Converterunt supra septuaginta millia hominum, Ibid.
Converterunt Regem Xerxem, Reginam Evinam & filium Eutropium, Ibid.
Dæmones ab Idolis pepulerunt, Ibid.
Magos per triduum omni cibo carere fecerunt, Ib. n. 14.
Fuerunt charitativi erga Magos, ibid.
A Magis passi sunt persecutionem, Ibid. n. 15.
Majori quam David charitate præditi fuerunt, Ibid.
Ipsorum charitas quamvis aliam excedit, Ibid. n. 18.
Charitas eorum Moysis charitatem excessit, Ibid. n. 19.
S. Symphorosa non fuit turbata ex morte filiorum, 9. n. 16.
Sinistra apud aliquos nobilior est dextra, 3. n. 22.
Syracusani à Calippo offensi, eorumque vindicta, 32. n. 11.

Syrtites lapis ejusque qualitas, 35. n 10.
Sisara qualiter à Jaële occisus, 13. n. 7.
Sisigambis mater Darii Regis, 10. n. 6.
Sixtus IV. præcepit S. Francisco de Paula ut iret in Franciam, 10. n. 9.
Sixtus IV. nobilitavit Romam, serm. 4. n. 15.
Smaragdus lapis, 4. n. 13.
Socratis paupertas, 6. n. 12.
Soldani Babylonici divitiæ, 21. n. 1.
Soledanus Patri Servo Domini titulum dabat, 6. n. 4.

SOL.

Est planeta indifferens, 8. n. 21.
Ejus denominatio, 9. n. 1.
Ejus effectus quoad lunam, 5. 8. n. 2.
Est planeta adferens felicitatem, 16. n. 7.
A sole desumptum emblema, 27. n. 1. & n. 4. serm. 11. n. 1. & serm. 29. n. 2.
Steterit jubente Josue. 10. n. 36.
Ejus significatum, 4. n. 22. & 10. 36.
Qualiter fuerit repræsentatus ab Egyptiis, 27. n. 26.
Ejus virtus, ser. 5. n. 1.
Tempore Augusti visus est sine lumine, 25. n. 1.
Romæ visus est corona cinctus, 10. n. 3.
Tres soles visi sunt Wittenbergæ, 15. n. 1.
Symbolum est nobilitatis, 10. n. 3.
Ejus statua in Templo Jerosolymitano, serm. 37. n. 26.
Solimannus traditorem insulæ Rhodiensis decoriati fecit, 26. n. 15.
Solimanni tituli, 6. n. 4.
Solonis lex, 2. n. 17.
Solonis lex pro maritis, 14. 2.
Solonis amor erga filium, 2. n. 4.
Somnium Philippi Regis Macedoniæ ser. 11. n. 12.
Somnia Pincernæ & Magistri Pistorum Regis Pharaonis, 18. n. 4.
Somnium Matris Judæ. 4. n. 10.
Somnium matris S. Dominici, 22. n. 1.
Sonus Cytharæ Davidis Dæmonem pepulit, 28. n. 14.
Sophia mulier constans, 9. n. 6.
Sors duplicis generis, 4. n. 1.
Sors favorabilis fuit S. Matthiæ, serm. 4. per totum.
Sors exaltat & humiliat, ibid. n. 2.
Spes quid sit, 12. n. 18.
Spes Rhodii, 12. n. 14.
Spes est refrigerium malorum, ibid.
Spes S. Jacobi de resurrectione Christi, 33. n. 12.
Spinæ albæ proprietates, 7. n. 13.
Spinæ in quas se S. Benedictus conjecit, Ib.
Spinæ quid significent, 12. n. 19.
Spinæ per peccatum productæ sunt, 32. n. 17.

SPIRITUS SANCTUS.

An habeat authoritatem Originis, 3. n. 26.
Non potest dici pater Christi, 6. n. 16.
Est sponsus Mariæ, ibid.
In Jordane similis Api, 16. n. 10.
Splendor vultus Moysis, 26. n. 14.
Sponsæ amaritudo myrrhæ dulcis est, 23. n 9.
Sponsa non contristatur ob adversitates, 30 n. 4.
Cur sponsus virginibus fatuis non aperuerit, 18. n. 11.
Stare temporis Paschalis quod significet, 32. n. 18.

STATUA.

Nabuchodonosoris, 31. n. 7.
Quæ ponebantur in templo fortunæ, 17. n. 8.
Orphei sudavit coram Alexandro, 16. n. 20.
Titi Livii, 15. n 2.
Deæ Palladis, 31. n. 2.
Servii Tullii, 17. n. 8.
Berotii in Athenis, 15. n. 19.
Erecta in honorem Josue. 20. n. 20.
S Nicolai Tolent. sudavit sanguinem & ejus prognosticum, 29. n. 19.
Inventa à Lucullo thesauro onusta, 21. nu. 17.
Solis in templo Jerosolymitano, 27. n. 26.
Jovis facta à Phidia, 27. n. 25.
Memnonis artificiosa, 27. n. 2.
Templi Serapidis, 24. n. 1.
Cibele consignata Publio, 6. n. 1.
S. Stephanus visus est in vultu Angelico, 5. n. 11.
Stephanus Græcus Episcopus non credebat S. Jacobum protegere Hispanias, 20. n. 16.
Stella quæ duxit Magos, 18. n. 18.
Stellæ Veneris proprietates, 6. n. 8.
Stella ejusque denominatio, 9. n. 14.
Stellæ velut Cometæ visæ vivente Augusto. 25. n. 1.
Stellæ fixæ figurant crucem, 9. n. 15.
Stigmata S Francisci Assisinatis, 32. n. 14.
Stigmata glorioso Christi & S. Francisci. Ibid. n. 25.
Stigmata S. Francisci mecum amorem referunt sine ullo odio, Ibid. n. 26.
Stoici virtutum amici, 10. n. 1.
Struthionis proprietas, 1. n. 5.
Stupor naturæ & gratiæ, 8. n. 1.
Sultani thesaurus in monte Arabiæ, 8. n. 4.
Superbia cujusdam juvenculæ virginis, 3. n. 27.
Supetfluitas expressa in capillis, 27. n. 19.

Debet esse parcus in victu, 10.n.34
Debet esse vigilans instar leonis, 11. n.2
Debet bene vestire, 26. n.8
Sunt sicut Philisthæi erga Deum suum Dagon. 19. n. 22
Sunt similes Regi Jeroboam, Ibid. n. 23
Supplicium Patris occidentis filium, 9. n.6.& 7

T

T. Litera in Græco 300. numerum significat, 13. n. 6
Tabitha resuscitata est à S. Petro, 14. n.20
Tacere an expediat, an vero loqui, 16.n.16
Tardatio Moysis causavit Idololatriam, 14.n.14
Tarquinius & filius ejus, 3. n 21
Tarquinii historia cum Deo Termino, 20. n.11
Thaletis dictum de spe, 2.n.14
Thamar uxor Her 6.n.16
Thassilus Alexandro Magno se opposuit, 18.n.1
Thæbanorum cura de scuto, 20. n.15
Themistocles & Euripides procedunt contra Persidem, 3. n.12
Theodoricus caput piscis cujusdam caput Symmachi esse putavit. 16. n.12
Theorici Trivultii Emblema, 13. n.3
Theodosii benignitas ejusque dictum, 19.n.1
Theodosius Imp. dilexit Eudoxiam, 3. n. 20
Theophania uxor Alexandri, 6.n.5
Theophrasti dictum de amicitia, 4.n.6
Theologi sunt discipuli sancti Augustini, serm. 27. n. 6
S. Theresiæ Carmelitanæ actiones, 19. n.16
Thesauri Magni Sultani in monte Arabiæ, s.8.n.4
Theucides ejusque filius crucifixus, s.9.n.9
Theseus quantum ab Ægeo Rege patre suo fuerit amatus, 2. n.4
Theuca uxor Regis Agronis armavit se contra Romanos, serm.14. n.1
Thimantes depinxit sacrificium Iphigeniæ, serm. 9. n. 8
Thimoleon Corinthus Carthaginensibus magnam stragem intulit, 13.n.1
Thyrrenus traditorie occisus, serm.19.n.1
Tholomæus regnum filio cessit, 2.n.4
Idem Romanis tutorem petiit, 6. n.2
Ejusdem libraria, 28. n. 3
Multos legatos ad convivium invitavit, 33. n.1
Fuit Angelus, serm. 5. per totum.
Cur Religionem S. Dominici elegerit, ibid.n.4
Cum adhuc infans esset, delectabatur libris, ibid.n.2
Similis est avi Asteriæ, ibid. n. 4
Similis est Angelis qui Abraham & Loth conveniebant, ibidem.
Impugnatus à suis, ibid. n.5
S. Thomas de Aquino in tentationibus veneris constans fuit, ibid.
Doctrina ejus cur Angelica dicatur, ibid. n. 13. & seq.
Chartulam cui inscriptum erat Ave Maria, avidè comedit, ibidem.
Ex bove factus est Cherub, idem. n.14
Semper verum dixit, ibid. n. 15
Panem in rosas convertit, ibidem.
Angelorum proprietates præ se tulit, ibid. nu.17. & seqq.
Cur torquem auream in pectore habeat, ibid. n.27
Pluribus uno eodemque tempore dictabat, ibidem, n. 28
Custodiam SS. Sacramenti manu sua tenet, ibidem, n. 29
Hæmorrhoissam quandam curavit, ibid. n.30
Mortem suam prædixit, ibid.
Moritur in Conventu Fossæ novæ, ibid.n.31
Ejus ensis philosophicus, 15. num.14
Suam doctrinam per doctrinam S. Augustini confirmavit, 27.n.6
Thomæ Sarzani felicitas, 6.n.1
Thomyris Scythatum Regina Cyri exercitum dissipavit, 3. n.1
Therni multorum regum præstantissimi, s.8.n.5
Tiberius recusavit titulum Imperatoris, 20.n.1
Tiberii Cæsaris humilitas, 3.n.15
Tiberus nocte æquè ac de die sine lumine videbat, 8. n. 1
Tiberius libros Sybillæ Amaltheæ sibi comparavit, 18.n.3
Timor tyranni Dionysii & aliorum, 35.10
Timor S. Petri unde natus, 23.n.4
Titus Imp. facilis ad gratias concedendas, 18.n.1
Titus Vespasianus coronam acceptare noluit, 10.n.11
Titi Livii statua, 15.n.2
Tituli à multis magnatibus usurpati, 6.n.4
Tituli recusati à multis, 20.n.1
Tituli dati, ibid.
Tituli dati Matiæ, 18. n.2
Tolerantia Periclis, & unius Ephebotum Alexandri, 3.n.1

Tonitru quomodo generetur, 20. n. 9
Tonitru Saracenos in monte Gargano occidit, ibid.
Tonitru ejusque effectus, ibid.
Totila Rex Longobardorum, 7. n. 8
Traballi Philppum Macedonem in latere vulnerarunt, 12. n. 9
Transmutatio multarum rerum, 5 n. 1
Trasillus Cynicus pro Antigono gratias poposcit, 18. n. 1
Tritemem integram una apis ala contexit, 10. n. 2
Trismegistus quid significet, 3. n. 8
Troglodidites lingua carent, 15. n. 2
Tullia Vestalis aquam in cribro portavit.
Tullius filius Orisiæ electus est Rex Romanorum, 3. n. 17
Turanius duos juvenes sibi invicem simillimos vendidit.
Turpitudo contemptibilis, 16. n. 1

V

VAlentinianus Imperator funificis alicujus filius fuit, 3 n. 17
Valeriani Imperatoris fortuna adversa, 4. n. 1
Valerii cum Senonibus præliaturi prognosticum, 1. n. 1
Vasa confracta à Cotis Thraciæ Rege, 7. n. 11
Ubedia virgo Urracæ Cusmanæ obediens, 23. n 11
Udislaus Rex Poloniæ veniam dedit Vincentio Samorolo, 17. n. 15
Venceslaus Rex Bohemiæ ejusque vindicta, 32. n. 11
Venenum Germanico propinatum cor ejus ab igne præservavit, 23. n. 7
Venenum à Florentio S. Benedicto propinatum, 7. n. 12
Venenæ effectus in Rege Cambajæ, 8. n. 1
Venenum cuidam mulieri factum est naturalis ejus cibus, Ibid.
Venetiæ denominatio, 9. n. 1
Venetia protegitur à S. Marco in bello, 11. n. 25
Venetia monetur devotionis concipiendæ erga S. Marcum, Ibid.
Verbum æternum è corde Mariæ sanguinem suum accepit, 8. n. 17
Verbum divinum procedit ex cognitione objecti primarii & secundarii, 29. n. 2
Vermis Comit ejusque virtus, 1. n. 5
Vestis Alexandri Papæ facta ex lino Carphatio, 23. n. 20
Vestes regiæ à Xerxe Atthabano datæ, 26. n. 15
Vestis significat dignitatem, 26. n. 5
Vestis fœminea à viris portari non debet, ibid. n. 5
Vestes Scytharum pelliceæ erant, ibid.
Vestem pelliceam Deus Adæ attulit, ibid. n. 6
Vestes sunt hieroglyphicum superioritatis, 26. nu. 8
Vespasianus debebat liberare Romam à jugo Vitellii, 1. n. 7
Vetronius mortuus est fumo, 34. n. 4
Vetruria mater Coriolani, 8. n. 16
Vetruvius liber architecturæ Regis Alphonsi, 24. 18
Victoriæ à Machabæis virtute S. Michaelis obtentæ, 31. 10
Victoriæ à Ducibus reportatæ, 13. n. 1

VIGILANTIA.

Philippi Macedonis, 12. 10
S. Marci & Leonis, 11. 2. & 3. & 6
Regis Persarum & Alexandri, ibid. n 2
S Jacobi Minoris, 12. 11
S. Vincentii Martyris corpus custoditum fuit à corvis, 4. 14
Vincentii Samatoli historia, 17. 15
Vini mirrhati proprietas, 28. 22
Vinum & aqua in scypho hæderaceo eorumque effectus, 2. 19
Vinum symbolum lætitiæ, 4. 17
Virginitas repræsentata in lilio, 8. 3
Virtus est pulcherrimum ornamentum animæ, 10. n. 1
Virtus sine charitate non valet, serm. 10. num. 8
Virtus pretiosi sanguinis Christi, 1 n. 5
Virtus S. Antonii de Padua, 15. n. 2
Visio Pauli Equilini circa S. Thomam de Aquino, 5. n. 16
Vita Judæ ejusque scelera, 4. n. 10
Vita longa desideratur à Magnatibus, 6. 1
Vita longa S. Severi & aliorum, ibid.
Vita longa ex parsimonia nascitur, 7. n. 12
Vitellius Romam sub jugo tenebat, 1. n. 7
Vitellius viliter natus, 4. n. 2
Vitis ejusque emblema, 11 n. 1
Vitis figura Mariæ, 18 n. 4
Vitius Marcellus ejusque passio mutavit sirum, 25. n. 1
Vittiges Rex Gothorum à Justiniano bene habitus, 3. n. 1
Ulysses stetit in insula Ogyge Nymphæ Calissi, 33. n. 4
Ulpius Trajanus charitativus ergà milites, 12. n. 13
Umbra arboris Hispanidæ valdè noxia, 7. n. 1
Umbrius arbor aquam manat, ibid.

Unicornis proprietas, 27. n.7
Voluntas potest quod vult, 23.n.14
Velle idem est quod posse, ibid.
Vranoscopus piscis, unum oculum suprà caput habet, 14.n.3
Urbanus III. dedit coronam Henrico Regi Angliæ, 2.n.1
Urraca Gusmana igni tradita est à Petro de Castilia, 23.n.11
Ursula cum undecim millibus virginum in parvo quodam spatio depicta, serm.6.n.14
Usus Mauritanorum, 2.n.7
Vide leges.
Usus militum Arati in obsidione Pollenæ, ibid.
Usus Mexicanorum occidendo filios, ibidem n.8
Uterus Mariæ lilia & rosæ, 8.n.3
Vulcanus ejusque professio, 27.n.7

W

WEnceslaus, vide Venceslaus.

X

XEnophon non turbatur ob mortem filii, 9. num.16
Xerxes Rex declaratus fuit non Arthabanus, 4.n.22
Xerxis historia cum Arthabano, 26.n.14
Xerxes à Phitio Celino muneribus affectus, 2.n.1
Xexes ejus generalis in Babylonia, 33.n.11
Xeuxes quomodo depinxerit uvas, 25.n.5

Z

ZAchariæ lingua divina, 15.n.7
Zacharias aliquamdiu mutus fuit, 16.n.8
Ziniphes proprietates, 4.n.23
Ziniphes Ægypti quale tormentum attulerint, 14. n.16
Zelus Eliæ pro honore divino, 5.19. per totum.
Zelus Phinees & S. Petri, 19.n.15
Zelo Elias Phinees & S. Petrum superavit. Ibid.
Zamir vermis ejusque virtus in sanguine, 1.n.5
Zenobiæ dentes candidi, 3.n.5
Zenon ob amissas divitias est gavisus, 34. nu.18
Ziambes Rex Indiarum 325. filios habuit, 1.n.5
Ziphia animal Hispaniarum ejusque proprietates, 15. n.16
Zisca Dux ejusque pellis post mortem, 6.n.7
Zoë uxor Nicostrati mortua est fumo, serm. 34. n.4

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

GENESIS CAP. I.

IN principio creavit Deus cœlum & terram, ser.7.nu.5. & s.8. n.10
Factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei, s.7.n.15.
Luminare minus, s.10.n.3.
Faciamus hominem, ad imaginem &c. s.20.n.34
Et præsit piscibus maris, &c. ibid.
Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, ibid.
Vocavit Dominus Adam, & dixit ei, ubi es? serm.26. n.26
Crescite & multiplicamini.
Dominamini piscibus maris, ser.28.n.13
Congregationes aquarum appellavit maria, ibid.
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ser.32.n.2
Et factum est vespere & mane dies unus, ser 35.n.11
II. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, ser.6.n.13
In quocunque die comederis morte morieris, s.7.n.9
De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, & serm. 12. n.6
Requievit ab omni opere quod patrarat, s.12.n.11
Faciamus ei adjutorium simile sibi, s.14.n.3
Erant duo in carne una, ibid.
De ligno scientiæ boni & mali, serm.12.n.6
Eritis sicut Dii scientes bonum & malum, s.18.n.6
In dolore paries filios tuos, s.32.n.10
III. *Sub viri potestate eris*, s.3.n.12
Collocavit ante Paradisum Cherubim ad custodiendum, s.6.n.19
Nequaquam moriemini, s.7.n.9

Eritis

Eritis sicut Dii, ſ.7.n.15
Vidit igitur mulier quod esset bonum lignum, &c. ſer.12. n. 6
Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, ibid.
Eva eò quod mater esset cunctorum viventium, ibid.
Eritis sicut Dii, ſ. 26. n. 3
Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, ſerm. 14. n. 10
In pulverem reverteris, ſ. 15. n. 16
Non vocabis Sarai sed Sara, ſ. 28. n. 9
Mulier dedit viro suo qui comedit, ſ. 26. n. 6
Timui quod nudus essem, & abscondi me, ibid.
Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, ibid.
IV. *Ipse cœpit invocare nomen Domini*, ſ. 12. n. 17. & ſ. 21. n. 10
Fuit Abel pastor ovium, ſ. 32. n. 1
Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain, &c. ſ. 2. n. 12
Egrediemur foras, ſ. 33. n. 8
Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus, &c. ibid.
VI. *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ*, ſ. 21. n 11
Delebo hominem quem creavi à facie terræ, &c. ſer. 28. n. 13
Pœnitet me fecisse eos, ibid.
VIII. *Dimisit corvum qui egrediebatur & non revertebatur*, ſ. 4. n 14
Dimisit columbam ex arca.
IX. *Quod cum vidisset Cham pater Chanaan verenda scilicet patris sui esse nudata, &c.* ſ. 9 n. 5
Maledictus Chanaan servus servorum erit, &c. ibid.
XII. *Descendit Abraham in Ægyptum, &c.* ſ. 25. n. 4
Novi quod pulchra sis mulier, eò quod cum viderint te Ægyptii, &c. ibid.
Dic ergo obsecro te, quod soror mea sis, ibid.
XIII *Bene mihi est propter te*, ſ. 35. n. 3
XIV. *Ne quæso sit jurgium inter me & te, recede à me obsecro, &c.* ſ. 13 n 4
Itaque Rex Sodomorum & Rex Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt ibi & qui remanserunt fugerunt ad montem, ibid.
Quod cum audisset Abraham, captum videlicet Loth, enumeravit expeditos vernaculos suos 300. decem & octo irruitque super eos nocte, &c. ibid.
Reduxit omnem substantiam ipsius, mulieres quoque, &c. ibid.
XV. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum*, ſ. 14. n. 13
Domine Deus quid dabis mihi, ibid.
Ego vadam absq; liberis quia mihi non dedisti semen. Ibid.
XVII. *Masculus cujus præputii caro præcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo*, ſer. 9. n. 5
Serviam tibi pro Rachel filia tua septem annis, ſ. 23. n. 6
Multiplicabo te vehementius nimis, ſer. 28. n. 8
Dixit quoque Deus ab Abraham, Sara uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, ſ. 28. n. 9
Nec ultra vocaberis nomen tuum, ſ. 1. n. 10
XVIII. *Peccatum eorum aggravatum est nimis.*
Habebit filium Sara uxor tua, ſ. 5. n. 4
XIX. *Versa est in statuam salis*, ſ. 5. n. 1
Salva animam tuam in monte salvum te fac, ſ. 7. n. 6
XL *Alter Pincernis præerat, alter pistoribus*, ſer. 18. n. 4
Somnium vidimus & non est qui interpretetur nobis, Ibid.
Post tres dies recordabitur Pharao ministerii tui & restituet te in gradum pristinum, ibid.
Tria Canistria tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum & suspendet te in cruce, Ibid.
In uno Canistrio quod erat excelsius portare me putabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eis, Ibid.
XXIX. *Nam gregem ipsa pascebat*, ſ. 23. n. 6
Quam cum vidisset Iacob amovit lapidem, &c. Ibid.
XXI. *Ejice ancillam hanc, &c.* ſ. 33 n. 14
Cum vidisset Sarar filium Agar, &c. Ibid.
Vestibus Esau valde bonis quos apud se habebat domi induit eum, ſ. 26. n. 5
XXII. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac & offer, &c.* ſ 31. n. 3
Abraham Abraham ne extendas manum tuam, &c. ibid.
Tulit quoque ligna holocausti, ſ. 2. n. 21
Vidit post tergum arietem inter vepres, &c. ibid.
XXII. *Abraham tolle filium tuum quem diligis*, ſer. 2. n. 21
XXIV. *Puella decora nimis Helena*, ſ. 8. n. 8
Abiit ex omnibus bonis portans secum, ſ 21. n. 8
XXVII. *Frumento & vino stabilivi eum*, ſ. 11. n. 13
XXVIII. *Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via, per quam ego ambulo, &c.* ſ. 7. n. 11
XXX. *Da mihi liberos alioquin moriar*, ſ. 14. n. 10
XXXII. *Et ecce vir luctabatur cum eo*, ſ 7. n. 14
Dimitte me jam enim ascendit aurora.
Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis, &c. ſ. 16. n. 6
Placabo illum muneribus, quæ, &c. ſ. 31. n. 8
Si contra Deum fortis fuisti, ſ. 31. n. 8
Vocaberis Israel, ſ. 1. n. 10
Qui cum videret quod eum superare non posset.
XXXVIII. *Justior me est*, ſ. 16. n. 7
Ad suscitandum semen fratris tui, ſ. 6. n. 16
XLI. *Collo ejus torquem auream posuit, &c.* ſerm. 5. n. 27

XLI. *Tu eris super domum meam & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, &c.* ſ. 26. n. 9
Eductus eſt de carcere Ioſeph, ibid.
XLIII. *Commota fuerant viſcera ejus ſuper fratre ſuo, &c.* ſ. 14. n. 9
XLIV. *Invenit ſcyphum in ſacco Benjamin,* ſerm. 23. n. 24
XLVII. *Facias mihi miſericordiam, &c.* ſerm. 20. n. 10
Non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, ſ. 1. n. 15
Adoravit Iſrael Dominum converſus, &c. Ibid.
XLIX. *Congregamini ut annuntiem quæ ventura ſint vobis in diebus noviſſimis,* ſ. 20. n. 2

EXODI.

CAP. I.

Filii Iſrael creverunt & multiplicati ſunt, ſerm. 28. n. 12
Dixit Rex Ægypti obſtetricibus Hebræorum, quando obſtetricabitis Hebræo, ſi maſculus fuerit interficite eum, ibid.
Quidquid maſculi ſexus natum, ibid.
Ecce conſtituite Deum Pharaonis, ſ. 15. n. 15

CAP. III.

Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, ſerm 3. n. 24
Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem, ſ. 24. n. 12
Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, ſ. 18. n. 8
Et educam de terra illa in terram bonam, &c. ſ. 22. n. 6
Projecit virgam & verſa eſt in colubrum, ſ. 5. n. 1

CAP. IV.

Impeditoris & tardioris linguæ ego ſum, ſ. 5. n. 13
Volebat occidere eum, ſ. 9 n. 5

CAP. III.

Verſa eſt in colubrum, verſaque eſt in virgam, ſerm. 8. num. 1

CAP. IV.

Obſecro Domine non ſum eloquens, ſ. 24. n. 12
IV. *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es,* ibid.

CAP. VI.

Loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, ſ. 15. n. 15
Incircumciſis labiis ego ſum, &c. ibid.

CAP. VIII.

Loquere ad Aaron extende virgam tuam, &c. ſerm. 14. n. 6
Percute pulverem terræ, &c. ibid.
Et facti ſunt Ciniphes in hominibus & jumentis, ibid.
Digitus Dei eſt hic, ſ. 27. n. 14

CAP. XIII.

Sacrifica mihi primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſrael, ſ. 2. n. 4
Primogenitum aſini mutabis ove, ſ. 13. n. 5
Odia inexplicabilia & implicabiles inimicitias ad pœnam & concordiam revocavit, ſ. 15. n. 5

CAP. XIV.

Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam in columna nubis, &c. ſ. 31. n. 5

CAP. XVII.

Da nobis aquam ut bibamus, ſ. 29. n. 10
Moyſes & Aaron & Hur aſcenderunt per verticem collis, ſ. 13. n. 9
Murmuraverunt contra Moyſem dicentes, cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos & liberos noſtros & jumenta ſiti, ſ. 7. n. 17
Sume virgam qua percuſſiſti fluvium, ego, &c. ibid.

CAP. XXIII.

Servietis Domino Deo veſtro ut benedicam, &c. ſerm. 7. n. 11
Non apparebis in conſpectu meo vacuus.

CAP. XXXII.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me, &c. ſerm. 33. n. 19
Congregatus populus adverſus Aaron dixit, ſurge fac nobis Deos, ſ. 14. n. 14
Videns autem populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, &c.

CAP. XXXIV.

Cumque deſcendiſſet Moyſes de monte, &c.

LEVITICI.

CAP. XIII.

Omni tempore quo leprosus & immundus solus habitabit extra castra, serm. 11. n. 5

NUMERI.

CAP. II.

Accensus in eos ignis Domini devoravit, &c. serm. 30. n. 10. & serm. 8. n. 20

CAP. XII.

Locuta est Maria ad Aaron contra Moysen, &c. serm. 11. n. 5

Maria apparuit candens lepra, &c. ibid.

CAP. XIII.

Vocavit Moyses Oseæ filium, &c. serm. 1. n. 8

CAP. XIV.

Omnes viri mortui sunt atque percussi in conspectu Domini, serm. 1. n. 8

CAP. XX.

Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis, serm. 21. n. 6. 7

Loquimini & illa dabit aquam, ibid.

Congrega populum tu & Aaron, serm. 30. n. 10

CAP. XXII.

Necunctaris venire ad me, paratus sum, &c. serm. 31. num. 12

Si dederit mihi Balaac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini &c. ibid.

Surrexit Balaam mane & strata asina sua, &c. ibid.

Paratus sum honorare te & quicquid volueris dabo tibi, serm. 5. n. 12

Quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.

CAP. XXIV.

Do tibi consilium quod populus tuus populo huic faciat, &c. serm. 5. n. 12

CAP. XXV.

Fornicatus est populus cum filiabus Moab, serm. 19. n. 15

Et occisi sunt 24. millia hominum.

Erit tam ipsi quàm semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, ibid.

Et arrepto pugione ingressus est post virum, &c. serm. 19. num. 16

DEUTERONOMII.

CAP. II.

Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.

CAP. XV.

Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei, ser. 8. n. 18

Haccine populo stulte & insipiens, ibid.

Constituit eum super excelsam terram, &c. ibid.

CAP. XXII.

Non induceatur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea &c. serm. 26. n. 5

CAP. XXV.

Accipiet eam frater ejus uxorem ut suscitet semen fratri suo, serm. 5. n. 10

CAP. XXXV.

In manu ejus ignea lex, serm. 5. n. 13

JOSUE.

CAP. XXVI.

Interfecerunt omnia quæ erant in ea à viro usque ad mulierem ab infante usque ad finem.

Rahab verò meretricem & domum patris ejus & omnium quæ habebat fecit Iosue vivere, ibid.

CAP. X.

Stetit sol in medio cæli &c.

Sol contra Gabaon ne movearis stetit.

CAP. XXIV.

Et lapis iste erit vobis in testimonium.

Sepelierunt que eum in finibus possessionis suæ in Thamorathsare quæ est in monte Ephraim.

JUDICUM.

CAP. V.

Qui sponte abstulistis de Israel animas vestras ad periculum benedicite Domino, serm. 27. n. 3

CAP. VII.

Quem persecuti comprehenderunt, serm. 20. n. 7

Cæsis summitatibus manuum ejus & pedum, ibid.

Adhuc populus mutus est, serm. 13. n. 5

Qui lingua lambuerint aquas, solent sicut canes lambere, ibid.

Fuit itaque numerus eorum, qui lambuerant aquas trecenti viri, ibid.

Reliqua multitudo revertatur in locum suum, ibid.

Ipse cum trecentis viris dedit se certamini, ibid.

CAP. IV.

Præcepit tibi Dominus Deus Isaac, vade & duc exercitum. & Sisaram Principem exercitus Iabin & currus ejus tradam &c. 13. n. 7

In tantum ut Sisara de curru desiliens fugeret, ibid.

Tulit itaque Iahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa, &c. ibid.

CAP. IX

Impera nobis nunquid possum deserere &c. 10. n. 34

CAP. XVI.

Eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt, 19. n. 7

Domine Deus mentómei, & redde nunc mihi fortitudinem pristinam, ibid.

RUTH.

CAP. I.

Nolite me vocare Noemi, sed vocato me Mara, 28. n. 9

Quia amaritudine valdè replevit me omnipotens, 1. n 11

I. REGUM.

CAP. I.

Exagitabat eum spiritus nequam, serm. 28. n. 14

Iubeat Dominus noster ut servi tui, qui coram te sunt quarant hominem scientem psallere cithara, &c. ibid.

David psallebat citharam & percutiebat manu sua, &c. ibid.

Hic habuit duas uxores nomen uni Anna, & nomen secunda Phenenna, 30. n. 7

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim & nomen ejus Eliana, serm. 30. n. 7

CAP. II.

Dominus concluserat vulvam ejus, serm. 34. n. 17

Flebat & non capiebat cibum, ibid.

CAP. IV.

Postula quod vis ut faciam tibi antequam tollar à te, 19. num. 13

Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus, ibid.

Duo filii Heli Ophni, & Phinees mortui sunt, 10. n. 33

Irruerunt enim in eam dolores, ibid.

Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen, 5

CAP. XIII.

Percussit stationem Philistinorum qua erat in Gabaa, 30. n. 26

CAP. XIV.

Et ecce multitudo prostrata, & huc, illucque diffugiens, 30. n 26

Dixit Ionathas ad adolescentem armigerum suum veni, & transeamus ad stationem Philistinorum, serm. 33. num 7

Erant inter ascensus per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum, ibid.

CAP. XVI.

Ad hoc relictus est parvulus, & pascit oves, serm. 3. n. 20

Surge & unge eum ipse est enim, ibid.

David psallebat cithara, & percutiebat manu sua, &c. serm. 1. n. 18

CAP. XVII.

Percussit Philisthaum in fronte ejus & cecidit, &c. serm. 13. n. 14

Tulit unum lapidem, & funda jecit, & percussit Philisthaum, serm. 31. n. 9

Nunquid ego canis sum quid tu venis ad me cum baculo, serm. 1. n. 16

CAP. XVIII.

Sic loquimini ad David non habet Rex sponsalia nisi centum præputia Philistinorum : placuit sermo in oculis David ut foret gener Regis, serm. 5. n. 9

Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem, ibid.

CAP. XX.

Iuxta lapidem, cui nomen erit Ezel, serm. 4. n. 24

CAP. XXIV.

Iustior tu es quàm ego, serm. 6 n. 8

CAP. XXV.

Saul autem dedit Michol filiam suam, &c. serm. 25. n. 9

CAP. XXVII.

Audiens autem Saul, & omnes Israelita sermones Philisthæi stupebant & mirabantur nimis, ser. 30. n. 26

II. REGUM.

CAP. III.

Redde uxorem meam Michol, quam desponsi mihi centum præputiis, serm. 5. n 9

Misit ergo Isboseth & tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais, ibid.

CAP. IX.

Et habitavit Arca Domini in domo Obededon Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededon, & omnem domum ejus, serm 6. n 9

Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discoperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris.

David, & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in jubilo, & clangore buccinæ, serm. 21. num. 6

CAP. XI.

Vidit mulierem se lavantem, erat enim pulchra nimis, serm. 2 . n. 7

Missis itaque David nunciis, tulit eam, ibid.

Ponite Uriam ex adverso belli, ut percussus intereat, ibidem.

Et mortuus est Urias Hethæus. ibid.

CAP. XII.

Hæc dixit Dominus Deus Israel, ego unxi te in Regem super Israel, & eruite de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, &c. serm. 21. n. 7

Etsi parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora, ibid. & serm. 4. n. 15

Accidit autem ut moreretur infans, serm. 29. n. 17

Mortuus est puer surrexitque David de terra, ibid.

Psal. XVIII.

Dixit Achitophel ad Absalon, eligam mihi, & serm. 33. num. 15

CAP. XVIII.

Servate mihi puerum Absalon, ibid.

Ascendit cœnaculum porta & flevit; fili mi Absalon, ser. 29. n. 18

III. REGUM.

CAP. III.

Dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri, serm. 5. num. 1

Justus es Domine & rectum judicium tuum, ibid.

CAP. X.

Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, ser. 8. n. 5

Non est factum tale opus in universis regnis, ibid.

Launculi stabant super sex gradus hinc atque inde, serm. 11. n. 2

Et venit tentare eum in anigmatibus. serm. 16. n. 10

Fecit ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta est lapidum, serm. 21. n. 1

CAP. XIII.

Extendit manum suam de altari dicens, &c. ser. 11. n. 4

Psal. XVII.

Corvi deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem & carnem vespere, serm. 4. n. 14

Expandit se, atque manus suas super puerum, serm. 13. num. 20

Vivit Dominus Israel in cujus conspectu sto, si erit annis hiros & pluvia, nisi juxta verba oris mei, serm. 19. num. 4

Domine Deus meus etiamne viduam, apud quam ego uteunque justentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus, ibid. n. 8

Psal. XVIII.

Domine Deus Abraham & Isaac, & Israel, ostende quia tu es Deus Israel: exaudi me Domine, exaudi me, ut discat populus ipse quia tu es Deus, serm. 19. n. 15

Erat autem fames vehemens in Samaria, & facta est pluvia grandis, serm. 8. n. 14

Ecce nubecula parva, &c. ibid.

IV. REGUM.

CAP. I.

Descendat ignis de cælo, & devoret te, &c. serm. 19. num. 10

CAP. II.

Cumque pergerent & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei, &c. serm. 19. n. 17

Sanavi aquas has, & non erit ultra sterilitas, ser. 21. n. 4

Postula quod vis, ut faciam tibi antequam tollar à te, serm. 21. n. 4

Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus, ibid.

Rem difficilem postulasti, ibid.

Attamen si videris me, quando tollar à te; erit tibi quod petisti; si autem non videris, non erit, ibid.

Elisæus clamabat & videbat, ibid.

Et levavit pallium Elisæus quod ceciderat ei, ibid.

CAP. IV.

Incubuit super puerum, posuit os ejus, & oculos super oculos ejus, serm. 3 n. 20

Addam diebus tuis 15. annos, serm. 24. n. 14

Et hoc erit signum à Domino, ibid.

Quid vis ut faciam tibi, serm. 34. n. 16

Vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, ibid.

Cumque plena fuissent vasa, ibid.

CAP. V.

Rectè Dominus meus misit me ad te dicens: da ei talentum, &c. serm. 16. n. 7

Ligavit duo talenta argenti in duobus saccis, &c. ibid.

Nunc igitur accepisti argentum, ut emas &c. ibid.

Vade, & lava septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, serm. 30. n. 9

CAP. VI.

Misit Elisæus lignum in aquam, &c. serm. 8. n. 1

CAP. IX.

Ite & videte maledictam illam, & sepelite eam, serm. 7. num. 16

CAP XIV.

Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit, &c. serm. 13. num. 20

CAP. XIX.

Cumque adoraret in templum Nestoch, Deum suum Adramelech, & Sallassar filii ejus percusserunt eum gladio, serm. 14 n. 4

Quamobrem hæc dixit Dominus de Rege Assiriorum non ingredietur urbem hanc, nec mittet, &c. serm. 13. n. 4

Factum est igitur nocte illa venit Angelus Domini & percussit in castris Assyriorum, &c. ibid.

Et recedens abiit, & reversus Senacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive, ibid.

II. PARALIPOMENON.

CAP. XXXV.

Porro Cantores filii Asoph stabant in ordine suo, serm. 19. num. 13

ESDRÆ IV.

CAP. IV.

Pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem, quæ præteriit, serm. 35. num. 3

CAP. VI.

Et tunc conservasti duas animas, nomen uni vocasti Enoch, & nomen secundæ vocasti Leviathan, serm. 19. n[illegible] 14

TOBIAS.

CAP. XII.

Rogare cæpit ut dignaretur dimidiam partem omnium, quam attulerat acceptam habere, serm. 5 n. 23

Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus, qui fecit nobiscum misericordiam suam, ibid.

JOB.

CAP. I.

Vir erat in terra Hus, nomine Iob, serm. 6 n. 7

Tunc surrexit & scidit vestimenta sua, serm. 26. n. 18

Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc, ibid.

Consurgens diluculo offerebat holocausta ex singulis, sic faciebant cunctis diebus ne forte peccaverint, serm. 14 n. 5

Repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, ibid.

Credo videre bona Domini in terra viventium, ibid.

Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum, ibid.

Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. serm. 15 n. 17

CAP. II.

Percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis, serm. decimoquinto, n. 17

CAP. III.

Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus antiquis, nec numeretur in mensibus, sit nox illa solitaria.

Antequam comedam, suspiro, serm. vigesimo nono, num. 6

CAP. IV.

Deus in Angelis suis reperit pravitatem, serm 5, n. 15

CAP. VII.

Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum, serm. 2. n. 15

CAP. XIV.

Homo cum dormierit, non resurget donec alteretur cælum non evigilabit, nec consurget de somno suo, serm. 16. n. 11

CAP. XIX.

Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos, ser. 15. n. 17

CAP. XXXI.

Ab infantia crevit mecum miseratio, & de ventre matris meæ egressa est mecum, serm. 8. n. 13

CAP. XXXIV.

Iustus sum & Deus subvertit judicium meum, serm. 6. num. 8

CAP. XXXVIII.

Requies mensæ suæ erit plena pinguedine, serm. 10. n. 34

LIBER PSALMORUM.

PSAL. I.

Et erit tanquam lignum, serm. 7. n. 1

Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, serm. 11. n. 1

Psal. IV.

Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, serm. 29. n. 1

Psal. XIV.

Domine quis habitavit in tabernaculo; aut &c. serm. 34. n. 8

Psal. XV.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim, &c. serm. 4. num. 8

Psal. XVI.

Torrente voluptatis tuæ potabis eos, serm. 34 n. 12

Psal. XVIII.

Cæli enarrant gloriam Dei, serm. 4 n. 8

Psal. XXI.

De ventre matris meæ Deus meus es tu, serm 3. 24

Ego sum vermis & non homo, serm. 23. num. 1

Foderunt manus meas & pedes meos, ibid. n. 7

Psal. XXVI.

In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos, serm. 12. n. 4

Psal. XXVIII.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, serm. 8. n. 10

Psal. XXIX.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi serm. 14. n. 20.

Psal. 31. XXXI.

Conversus sum in ærumna mea dum, &c. serm. 7. 13.

Psal. XXXVI.

Cùm ceciderit justus non collidetur, quia Dominus supponit, &c. serm. 17. n. 3.

Psal. XXXV.

Judicia Dei abyssus multa, serm. 22. n. 1.

Psal. XXXIX.

Non est qui similis sit tibi, serm. 31. n. 2.

Psal. XLIX.

Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, serm. 15. n. 4.

In beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum, serm. 21. n. 15.

Psal. XLVII.

Justitia plena est dextera tua, serm. 18. n. 6.

Psal. XLVI.

Deus sedens super Cherubin super solium excelsum & elevatum, serm 33. n. 5.

Psal. L.

Si voluisses sacrificium dedissem utique, holocaustis non delectaberis, serm. 2. n. 3.

Tibi soli peccavi, serm. 10. n. 10.

Psal. LV.

Fluminis impetus latificat civitatem DEI, serm. 35. n. 5.

Psal. LX.

Dies super dies Regis adjeci, serm. 4. n. 15.

Psal. LXVIII.

Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam, serm. 11. n. 22.

Psal. LXXIII.

Operatus est salutem in medio terræ. serm. 13. n. 3.

Psal. LXXIX.

Qui sedes super Cherubin, ser. 7. n. 16.

Psal. LXXXIII.

Ibunt de virtute in virtutem, ser. 5. n. 4.

Psal. LXXXIV.

Benedixisti Domine terram tuam. ser. 8. n. 13.

Psal. LXXXVIII.

Thronus ejus sicut dies cœli, ser. 35. n. 11.

Psal. XCIV.

Venite exultemus Domino, serm. 1. n. 6.

Psal. LCV.

Exultabunt omnia ligna silvarum, serm. 4. n. 16.

Psal. CIII.

Hoc mare magnum & spatiosum manibus, ser. 9. n. 14.

Psal. CV.

Irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses, qui exacerbaverunt spiritum ejus, serm. 29. n. 10.

Psal. CVIII.

Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiet alter, serm. 4. n. 11.

Psal. CIX.

Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, serm. 33. n. 5.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te. serm. 29. n. 2.

Psal. CX.

Justitia ejus manet in sæculum sæculi, serm. 18. n. 6.

Psal. CXIII.

Mare vidit & fugit, Jordanis conversus est retrorsum, serm. 23. n 8.

Psal CXV.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi, serm. 14. n. 5.

Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo, Ibid.

Psal. CXVII.

Circumdederunt sicut apes, serm. 23. n 9.

Psal. CXXV.

Qui seminat in lachrymis, in exultatione metent, serm. 14. n. 10.

Psal. CXXXVIII.

Magna & mirabilia sunt opera tua Domine, serm. 28. nu. 1.

Si ascendero in cœlum tu illic es, &c serm 15. n. 11.

Psal. CXLII.

Expandi manus meas ad te, serm. 15. n. 8.

Non justificabitur in conspectu tuo, ser. 6, n. 8.

PROV. SALOMONIS.

CAP. III.

Honora Deum de tua substantia & de primitiis frugum, &c. serm. 7. n. 7.

CAP. VI.

Zelus, & furor viri, non parcet in die vindictæ, nec acquiescet, serm. 32. n. 11.

CAP. XIII.

Spes quæ differtur affligit animam, serm. 23. n. 6.

CAP. XVI.

Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam, serm. 15. n. 5.

CAP. XXIII.

Fili præbe mihi cor tuum, serm. 2. n. 9.

CAP. XXV.

Fortitudo & decor indumentum ejus, serm. 11. n. 1.

CAP. XXIX.

Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ, serm. 21. n 11.

CAP. XXXI.

Mulierem fortem quis inveniet? ser. 14 n. 1.

Vana est pulchritudo, ser. 25. n. 2.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu verò supergressa es universas, ser. 21. n. 2.

CAP. XXIV.

Septies in die cadit justus, 32. n. 18.

CANT. CANTIC.

CAP. I.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, 35. n. 17

Collum tuum sicut monilia, ser. 18. n. 3.

Dum esset Rex in accubito suo, nardus meas dabit, &c. ser. 3. n. 18.

CAP. II.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter ubera mea commorabitur, ser. 3. n. 18.

Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia, ser. 6. n. 22.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, ser. 23. n. 10.

CAP. III.

Collum tuum sicut turris David, ser. 18. n. 3.

Dilectus meus candidus & rubicundus, ser. 29. n. 7.

CAP. IV.

Fons hortorum puteus aquarum, ser. 35. n. 2.

Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis, s. 25. n. 12.

Vulnerasti cor meum, in uno crine colli tui, ser. 3. n. 6.

Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, ibid.

Capilli tui sunt greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. ibid. n. 7.

CAP. V.

Inebriamini charissimi, ser. 34. n. 12.

Quæramus eum tecum, ser. 18. n. 18.

CAP. VI.

Quæ est ista quæ ascendit; quasi aurora consurgens, ser. 2[illegible]. n. 9.

Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, ser. 28. n. 1.

Pulchra es amica mea suavis & decora, ser. 3. n. 25.

Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerant, ibid.

Pulchra ut luna, ser. 3. n. 8.

CAP. VII.

Quam pulchri sunt gressus tui filia Principis, ser. 3. n. 5.

Ascendam in palmam, ser. 13. n. 2.

Collum tuum sicut turris erbunea, ser. 18. n. 3.

CAP. VIII.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ser. 2. n. 7. serm. 28. n. 2. ser. 24. n. 19.

Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi, ser. 28. n. 11.

LIB. SAPIENTIÆ.

CAP. III.

Iustorum animæ in manu Dei sunt, ser. 6. n. 8.

Tanquam aurum in fornace probavit electos, serm. 30. n. 22.

CAP. VIII.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, s. 28. n. 1.

Quando præparabat cælos aderam, &c. ser. 8. n. 9.

ECCLESIASTICUS.

CAP. V.

De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias pecccatum super peccatum, ser. 4. n. 15.

CAP. XXI.

Non est homo justus in terra, ser. 6. n. 8.

CAP. XXIV.

Quasi plantatio rosæ in Iericho, ser. 21. n. 3.

CAP. XXVI.

Mulieris bonæ beatus vir, ser. n. 5.

CAP. XXVII.

Stultus ut luna mutatur, ser. 3. n. 8.

CAP. XXXI.

Quis est hic & laudabimus eum, ser. 7. n. 15.

CAP. XLIV.

Non est inventus similis illi, ser. 10. n. 1.

CAP. XLV.

Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis post te, ser. 19. n. 13.

CAP. XLVI.

Qui fuit magnus secundùm nomen suumm, aximus in salutem electorum Dei. 1. n. 8.

ISAIÆ PROPHETÆ.

CAP. I.

Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eorum, ser. n. 14.

CAP. II.

Egredietur virga de radice Iesse, &c. ser. 18. n. 14.

Et erit præparatus intus domus Domini in vertice montium, ser. 35. n. 7.

CAP. III.

Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui ser. 26. n. 7.

Vestimentum tibi est, Princeps esto noster. ibid.

CAP.

CAP. IV.

Tantumodo invocetur nomen tuum super nos, serm. 6. n. 1.

Annunciate quæ ventura sunt in futurum, ser. 15. n. 10.

CAP. V.

Sanctus, sanctus, sanctus, ser. 34. n. 4.

Domus repleta est fumo, ibid.

CAP. VI.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, ser. 33 n. 5.

CAP. VII.

Ecce virgo concipiet & pariet filium, ser. 8. nu. 8. & serm. 11. n. 4.

Et vocabitur nomen ejus Emanuel, ser. 11. n. 5.

CAP. X.

Requiescet manus Domini in monte sancto isto, ser. 11. n. 1.

CAP. XIV.

In cœlum conscendam, supra astra exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, ser. 24. n. 7.

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris, ib.

CAP. XIX.

In die illa erit altare Domini in medio terra Ægypti ser. 11. n. 4.

CAP. XXXV.

Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & ser. 8. n. 4.

CAP. XXXVIII.

Ægrotavit Ezechias usque ad mortem, ser. 11. n. 4.

Dispone domui tuæ, quia morieris, & non vives, serm. 21. n. 9.

Et flevit Ezechias fletu magno, Ibid.

Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, serm. 11. n 4.

Adjiciam super dies tuos quindecim annos, ser. 4. n. 51.

CAP. LV.

Rorate cæli desuper & nubes pluant justum, s. 8. n. 14.

CAP. XLIV.

Ecce in manibus meis descripsi te, ser. 11. n. 9.

CAP. LIII.

Oblatus est quia ipse voluit, ser. 11. n. 7.

CAP. LV.

Ecce dedi eum ducem, ac Præceptorem gentibus, ser. 10. n. 1.

CAP. LX.

Leva oculos tuos, & vide omnes isti, & ser. 14. n. 20.

Qui sunt isti qui ut nubes volant, ser. 11. n. 3.

CAP. LXI.

Spiritus Domini evangelizare misit me, serm. 3. num. 26,

JEREMIÆ.

CAP. I.

Antequam exires de ventre sanctificavi te, ser. 6. n. 3.

Virgam vigilantem ego video, ser 11. n. 2.

Aa ab aquilone pandetur omne malum, ser. 30. n. 6.

CAP. XII.

Justus quidem es tu Domine, ser. 81. n. 6.

CAP. XV.

Si separaveris pretiosum à vili quasi os meum eris, ser. 15 n. 8.

CAP. LXIX.

Et succendam ignem in muro Damasci, & devorabit mœnia Benadad, ser. 23. n. 17.

EZECHIELIS.

CAP. I.

Similitudo vultus eorum facies hominis & facies leonis à dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis, &c. ser. 5. n. 14.

Et facies leonis à dextris ipsorum quatuor, ser. 11. n. 1.

CAP. II

Fili hominis super pedes tuos, & loquar tecum, ser. 6. n. 7.

CAP. X.

Facies una facies Cherub. & facies secunda facies hominis, &c. ser. 5. n. 14.

CAP. XIX.

Filius non portabit iniquitatem patris, ser. 9 n. 5.

DANIELIS.

CAP. I.

Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, ser. 19. n. 37.

Tollebat cibaria, & vinum, & potus eorum, & dabat legumina, Ibid.

CAP. III.

Eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis, 1. n. 7

Statuam auream quam erexisti non adoramus, Ibid.

Præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat, Ibid.

Missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, & ambulabant in medio flamma laudentes Deum, s. 31. n. 7.

Ecce video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, Ibid.

Ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, serm. 10 n. 37.

CAP.

CAP. VI.

Tunc Rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit, serm. 13. n. 6.

Deus meus concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, Ibid. n. 7.

CAP. VII.

Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei, serm. 6. n. 14.

CAP. XII.

In perpetuas æternitates, serm. 22. n. 1.

CAP. XIII.

Angustiæ mihi ſunt undique, ser. 31. n. 1.

OSEÆ.

CAP. II.

Vadam poſt amatores meos, serm. 7. n. 13.

AMOS.

CAP. VIII.

Quid tu vides Amos unicinum pomorum ser. 26. n. 16.

Stridebunt cardines templi in die illa, ser. 26. n. 6.

JONAS.

CAP. I.

Cecidit ſors ſuper Ionam, tulerunt eum, & miſerunt in mare, ser. 4. n. 3.

CAP. II.

Surge vade in Niniven civitatem magnam, & prædica in ea adhuc, ser. 19 n. 5.

CAP. III.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur, ser. 14. n. 6.

CAP. IV.

Petivit anima ſuæ, ut moreretur dicens, melius eſt mihi mori quàm vivere, ser. 14 n. 6.

NAHUM.

CAP. III.

Facies ejus ſicut nigredo ollæ, ser. 30. n. 18.

ZACHARIÆ.

In ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos. ſ. 1. n. 5.

MALACHIÆ.

CAP. III.

Et purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, ser. 11. n. 1.

CAP. IV.

Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ, ser. 11. n. 1.

I. MACHABÆORUM.

CAP. VI.

Et Elephanti oſtenderunt ſanguinem uvæ, & mori ad acuendos eos in prælium, ser. 20. n. 8.

II. MACHAB.

Bono animo ferebat, & ſingulos eorum hortabatur ser. 9. n. 2.

S. MATTHÆUS.

CAP. I.

Voluit occultè dimittere eam, serm. 3 n. 11. & ser. 18. n. 20.

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, ser. 30. n. 11.

Ioſeph autem vir ejus, ser. 6 n. 7.

Quod enim ex Maria natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, ser. 6. n. 16.

Liber Generationis Ieſu Chriſti Filii David, ser. 6 n. 23.

De qua natus eſt Ieſus, ser. 8. n. 6.

David autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ, ser. 23. n. 3.

CAP. II.

Et ecce ſtella quam viderant in Oriente antecedebat eos, ser. 18. n. 18.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minimaes in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael, ser. 10. n. 3.

Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham, ser. 2. n. 2.

CAP. IV.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, ser. 32. n. 6.

Cùm jejunaſſet quadraginta diebus, ser. 22 n. 6.

CAP. V.

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis, ser. 34. n. 2.

Et qui

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, serm. 34. n. 18
Et qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam suam tollere, dimitte ei & pallium, serm. 26. n. 18
Vos estis lux mundi, serm. 4. n. 22. & s. 16. n. 12
Bene facite his qui oderunt vos, serm. 11. n. 1

CAP. VI.

Pater tuus qui videt te in abscondito reddet tibi, &c. ser. 19. n. 7
Panem nostrum quotidianum da nobis, &c. ser. 29. n 10
Sic orabitis: Pater noster, &c. serm. 32. n. 6
Cum facis eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, serm. 5. n. 15
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ser 8. n. 3
Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, ser. 15. n. 20

CAP. VIII.

Non inveni tantam fidem in Israel, serm. 1. n. 26
Non sum dignus, ut intres sub tectum tuum, serm. 6. n. 8

CAP. IX.

Messis quidem multa, operarii autem pauci, s. 14. n. 12

CAP. X.

Estote prudentes, sicut serpentes, serm. 26. n. 18

CAP. XI.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam, &c. serm. 34. n. 18
Regnum cœlorum vim patitur, &c. Ibid.

CAP. XII.

Ecce ego mitto Angelum meum, serm. 5. n. 27
Ecce Mater tua, & Fratres qui foris stant quærentes te, &c. serm. 6. n. 15

CAP. XIII.

Et sanata est filia ejus ex, &c. serm. 32. n. 6
Ceciderunt in terram bonam, serm. 29 n. 6
Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, s. 21. n. 17
Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, Ibid. n. 18
Simile est regnum cælorum sagenæ, &c. n. 7

CAP. XIV.

Hic est Ioannes Baptista ipse surrexit à mortuis, ser. 16. n. 11
Navicula in medio mari jactabatur, &c. serm. 11. n. 15
Præ timore clamaverunt, Ibid.
Habete fiduciam ego sum, Ibid.

CAP. XV.

Cor eorum longe est à me, serm. 2. n. 3
Miserere mei fili David filia mea malè à Dæmonio vexatur, serm. 9. n. 5
De corde enim exeunt mala cogitationes, &c. ser. 8. n. 17
Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, serm. 7. n. 8

CAP. XVI.

Tu es Christus filius Dei vivi, serm. 13. n. 4
Quem dicunt homines esse Filium hominis: Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, serm. 15. n. 9
Abiit unus de duodecim qui dicebatur Iudas, ser. 4. n. 13
Beatus es Simon Bariona, serm. 12. n. 21
Et oportet eum ire Ierosolymam. Ibid.
Vade post me Satana, scandalum es mihi, Ibid.
Oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis, serm. 1 n. 12
Absit à te Domine, Ibid.
Nolite possidere aurum neque pecuniam, serm. 32. n. 1

CAP. XVII.

Bonum est nos hic esse, si vis faciamus, &c. ser. 17. n. 16
Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, serm. 32. n. 3
Et ecce vox de nube dicens, serm. 6. n. 14
Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jejunium, serm. 7. n. 9
Paterna vox audita est, filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, serm. 9. n. 4
Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias loquentes cum eo, serm. 19. n. 14
Assumpsit Petrum, Iacobum & Ioannem fratrem ejus & duxit in montem, &c. ser. 34. n. 7
Timuerunt timore magno, & ceciderunt in faciem suam, serm. 34. n. 7
Hic est filius meus dilectus, &c. Ibid.

CAP. XVIII.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, &c. serm. 24. n. 7

CAP. XIX.

Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum, serm. 26. n. 19
Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto, ser. 1. n. 8
Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Ibid.
Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, Ibid.
Exi à me Domine quia homo peccator sum, ser. 6. n. 8

CAP. XX.

Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram & unus ad sinistram, serm. 10. n. 3. & 5. 26. n. 11
Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, ser. 20. n 3. & serm. 32. n. 22
Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, serm. 4. n. 7
Circa undecimam vero exiit, & invenit alios stantes & dixit illis, &c. Ibid.
Accepit & ipse singulos denarios, Ibid.
Volo huic novissimo dare, sicut & vobis, Ibid.
Murmuraverunt adversus patremfamilias dicentes, si novissimi, &c. serm. Ibid.

CAP. XXII.

Diliges proximum tuum sicut teipsum, ſer. 27. n. 15
Vnus veſtrum me traditurus eſt, ſer. 17. n. 10
In tenebras exteriores, ſer. 31. n. 12

CAP. XXIII.

Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, ſer. 10. n. 34

CAP. XXIV.

Mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, ſer. 5. n. 19

CAP. XXV.

Date nobis de oleo, veſtro quia lampades noſtræ extinguuntur, ſer. 34. n. 16
Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, &c. ſer. 34. n. 16

CAP. XXVI.

Et relicto eo omnes fugerunt, ſer. 17. n. 7. & ſer. 20. n. 8
Neſcio quid dicis non novi hominem, ſer. 23. n. 4
Et tu de illis es, nam & loquela tua, &c. ſer. 17. n. 16
Petræ ſciſſæ ſunt, ſer. 4. n. 13
Et contriſtati valde, ibid. n. 16
Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c. ibid. n. 17
Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis, &c. ſer. 5. n. 29
Et exemit gladium, & percuſſit ſervum, &c. ſerm. 9. n. 15
Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt, ibid.
Tranſeat à me calix iſte, ſer. 11. n. 7
Veruntamen non ſicut ego volo ſed ſicut tu, ibid. n. 8
Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha, &c. ſer. 11. n. 21
Effudit ſuper caput ipſius recumbentis, ſer. 3. n. 9

CAP. XXVII.

Facta eſt tranquillitas magna, ſer. 15. n. 13
Nihil tibi, & juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum, ſer. 13. n. 16
Si filius Dei es deſcende de Cruce, ibid.
Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia, ſer. 32. n. 12
Et non reſpondit ei ullum verbum, &c. ibid.
Ioſeph involvit illum in ſyndone, &c. ibid. n. 14
Cùm autem ſerò factum eſſet, venit, &c. ſer. 6. n. 12
Et accepto corpore Ioſeph involvit, ibid.
Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui, &c. ſer. 33. n. 9
Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus, ibid.

SANCTUS MARCUS.

CAP. I.

Vox facta eſt de Cælis, ſer. 6. n. 14
Ecce ego mitto Angelum meum, ſer. 5. n. 19

CAP. II.

Et dedit poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia, ſer. 28. n. 8

CAP. III.

Simon qui & Zelotes, ſerm. 20. n. 1
Boanerges, id eſt, filius Tonitrui, ibid. n. 9

CAP. IV.

Quod minimum eſt omnibus ſeminibus, ſerm. 10. n. 5
In quacunque menſura menſi fueritis, &c. ſer. 11. n. 17

CAP. VI.

Cogitaverunt phantaſma eſſe, ſer. 27. n. 16
Venit ad eos ambulans ſuper mare, ſer. 15. n. 13

CAP. VII.

Qui maledixerit Patri vel Matri, morte morietur, ſer. 11. n. 17
Adhuc cæcatum habetis cor veſtrum & non auditis, ſer. 11. n. 17

CAP. IX.

Bonum eſt nos hic eſſe; neſciebat quid diceret, ſ. 26. n. 16
Non enim ſciebat quid diceret, ſerm. 27. n. 16
Surdos fecit audire & mutos loqui, ſerm. 32. n. 6

CAP. X.

Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, & ſer. 11. n. 7
Qui voluerit fieri major, erit veſter miniſter, Ibid.
Multi venient in nomine Dei dicentes, quoniam ego ſum, & multos ſeducent, ibid.

CAP. XIV.

Cæpit anathematizare & jurare, quia neſcio hominem iſtum quem dicis, ſerm. 4. n. 13
Vnus quidam de circumſtantibus, ſerm. 17. n. 1
Negavit, dicens, neque ſcio, neque novi quid dicas, ibid.
At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum, ſer. 20. n. 10

CAP. XV.

Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes, ſerm. 31. n. 12
Non reſpondes quidquam? vides in quantis te accuſant, ibid.
Dabant ei bibere myrrhatum vinum, ſerm. 28. n. 22
Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me, ſerm. 9. n. 4

CAP. XVI.

Qui non crediderit, condemnabitur, ſer. 11. n. 17
Sedet à dextris Dei, ſer 33. n. 5

SANCTUS LUCAS.

CAP. I.

Turbata eſt in ſermone ejus, ſer 3. n. 10
Beata quæ credidiſti quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino, ibid. n. 15
Magnificat anima mea Dominum, ibid.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ſer. 3. n. 19
Erit magnus coram Domino, ſer. 3. n. 25
Benedictus fructus ventris tui, ſer. 4. n. 16

Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph, serm. 6. n. 7. & serm. 32. n. 6
Exurgens Maria abiit in Montana cum festinatione, &c. ser. 6. n. 10. & ser. 18 n. 1
Ex quo facta est vox salutationis tuæ in, &c. ser. 6. n. 10
Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, ser 6. n. 10
Ave gratia plena Dominus tecum, ser. 25. n. 10
Et statim discessit Angelus ab ea, ibid.
Eris tacens & non poteris loqui, serm. 16. n. 8. & n. 1. & ser. 15. n. 7
Spiritus Sanctus superveniet in te, ser. 28. n. 2
Et virtus altissimi obumbrabit tibi, ibid.
Ave gratia plena, &c. ser. 28. n. 10. & 21
Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus, serm. 28. n. 21
Vocabis nomen ejus IESVM, serm. 16. nu. 3. & serm. 1. n. 10
Vocatum est nomen ejus Iesus, serm. 1. n. 10
Et nomen Virginis Maria, ibid. n. 17
Invenisti gratiam apud Dominum, ser. 18. n. 17
Ecce Ancilla Domini, ser 25. n. 13
Magnificat anima mea Dominum, ser. ibid. n. 16
In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris, ser. 35. n. 18
Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, serm. 16. n. 7
Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco, ser. 16. n. 6
Et multi in nativitate ejus gaudebunt, ibid. n 3
Elisabeth impletum est tempus pariendi, ibid.
Missus est Angelus Gabriel, ibid.
Gabriel Angelus locutus est Zachariæ, dicens, ibid.
Quis putas puer iste erit, ser. 16 n. 2
Apertum est os Zachariæ & prophetavit dicens, ib n. 1
Et postulans pugillarem scripsit, dicens, &c. ser. 15. n. 7

CAP. II.

Evangelizo vobis gaudium magnum, ser. 16. n. 3
Impleti sunt dies ut pareret, ibid.
Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione &c. ser. 3. n. 5
Vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei, ibid.
Requirebant eum inter, &c. ser. 3. n. 12
Stupebant omnes qui eum audiebant, ibid.
Fili quid fecisti nobis sic, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, ibid.
Tuam ipsius animam pertransibit, &c. ser. 9 n. 2

CAP. III

Et ecce vox de nube dicens, hic est filius, &c. ser. 6. n. 14
IESVS putabatur filius Ioseph, ibid. n. 16
Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie, ser. 6. n. 10

CAP. IV.

Et consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo usque ad tempus, ser. 16. n. 11

CAP. V.

Vt audirent verbum Dei, ser 11. n. 24
Et docebat de navicula turbas, ibid.
Duc in altum & laxate retia vestra, &c. ibid.
Et concluserunt piscium multitudinem copiosam, ibid.
Erat pernoctans in oratione, ser. 26. n. 19

CAP. VI.

Propheta magnus surrexit in nobis, &c. ser. 29. n 6
Et ecce mulier quæ erat in civitate, &c. ser. 18. n. 18

CAP. VII.

Hic si esset Propheta sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, ser. 17. n. 7
Vnus debebat denarios &c. ibid.
Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque, ibid.
Quis ergo eum plus diligit? ibid.
Æstimo quia is, cui plus donavit, ibid.
Rectè judicasti, ibid.
Cui minus dimittitur, minus diligit, ibid.
Noli flere Adolescens, tibi dico, surge, ser. 13. n. 19
Et resedit qui erat mortuus, & dedit illum, ibid.

CAP. IX.

Nesciens quid diceret, ser 27. n. 16
Et non receperunt eum, ser 19. n. 11
Cum vidissent Discipuli ejus dixerunt Domine, &c. ibid.
Et conversus increpabat illos, dicens: nescitis cujus spiritus estis, ibid.

CAP. X.

Martha satagebat circa frequens ministerium, serm. 18. n 15
Maria sedens secus pedes Domini, ibid.
Homo quidam descendebat de Ierusalem, &c. serm. 28. n. 15
Appropians ligavit vulnera ejus, ibid.
Deus propitius esto mihi peccatori, ibid. n. 6

CAP. XII.

Nolite timere pusillus grex, ser. 24. n. 6

CAP. XV.

Non veni vocare justos, sed peccatores, ser. 32. n. 6

CAP. XX.

Filii resurrectionis æquales sunt Angelis in cælo, s. 5. n. 2
Non reliquerunt semen, & mortui sunt, ser. 5. n. 10
In resurrectione ergo cujus erit uxor, ibid.
Neque nubunt, neq; ducunt uxores æquales, &c. Ibid.

CAP. XXII.

Mulier non novi illum, ser. 20. n. 10
Tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire, 13. n. 4
Ecce satanas expetivit vos ut cribraret, &c. ser. 32. n. 7
Pater in manus tuas commendo spiritum meum, 5. n. 29

Hodie mecum eris in paradiso, ibid.
Et factus est sudor ejus sicut gutte sanguinis, &c. 11. n. 7
Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, serm. 22. n. 9

CAP. XXIII.

Hic est Rex Iudæorum, serm. 12. n. 22
Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, serm. 14. n. 13. & serm. 1. n. 19
Hodie mecum eris in Paradiso, serm. 1. n. 19
In manus tuas commendo spiritum meum, ser. 24. n. 18

CAP. XXIV.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni, s. 17. n. 14
Stetit in medio, & dixit eis, pax vobis: serm. 32. n. 6
Mitte manum tuam in latus meum, serm. 32. n. 6

SANCTUS JOANNES.

CAP. I.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, serm 16. n. 4
Fuit homo missus à DEO cui nomen erat Ioannes, ibid.
Et verbum caro factum est, ibid. & serm. 3. n. 24. & ser. 28. n. 2
Ego vox clamantis in deserto, serm. 16. n. 8
Non sum ego Christus, non Elias, non sum Propheta, ser. 16. n. 18
Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi, 16. n. 17
In testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ib.
Fuit homo missus à Deo, ibid. n. 13
Non erat ille lux, serm. 16. n. 12
Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus & adduxit fratrem suum Simonem ad Iesum, serm. 20. n. 20
Miserunt ab Ierosolymis Sacerdotes, & Levitas ad Ioannem ut interrogarent eum: Tu quis es? serm. 2. n. 6
Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis; ipse est, &c. ibid.

CAP. II.

Initium signorum fecit IESVS in Cana Galilea, & manifestavit gloriam suam, serm. 14. n. 16
Deficiente vino dixit Mater IESV ad eum, vinum non habent: Quid mihi, &c. serm. 29
Accepit panem, & distribuit discumbentibus, ser. 32. n. 6

CAP. III.

Misit Deus filium suum in mundum, serm. 3. n. 16

CAP. V.

Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis, s. 11. n. 14
Alius est qui testimonium perhibebit de me, ser. 16. n. 16
Ego testimonium non perhibeo de meipso, ille testimonium perhibebit de meipso, testimonium meum non est verum, ibid.

CAP. VI.

Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? serm. 11. n. 14
Dicit ad Philippum, unde ememus panem, ut manducent hi, s. 12. n. 16
Ipse enim sciebat quid esset facturus, ibid.
Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, ut unusquisque modicum quid accipiat, ibid.
Et responderunt ei Discipuli sui, unde illos, &c. ibid.
Est puer unus hic qui habet quinque panes, & duos pisces, sed hæc, quid sunt inter tantos, ibid.

CAP. VIII.

Tulerunt lapides ut jacerent in eum, s. 12. n. 22
Ego sum lux mundi, s. 6. n. 12
Ego gloriam meam non quæro, s. 32. n. 6
Dæmonium habes, tulerunt ergo lapides, &c. ibid.
Pater noster Abraham est, s. 1. n. 13
Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, ibid.

CAP. X.

Ioannes nullum signum fecit, s. 16. n. 19

CAP. XI.

Nonne duodecim horæ sunt diei, s. 4. n. 7
Lazare, veni foras, &c. s. 30. n. 11

CAP. XII.

Maria ergo accepit libram unguenti Nardipistici pretiosi, s. 3. n. 9
Et unxit pedes ejus, ibid.
Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, s. 13. n. 15

CAP. XIII.

Turbatus est spiritu, s. 4. n. 16
Non lavabis mihi pedes in æternum, serm. 17. num 7
Cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum, serm. 13. n. 16
Nunc clarificatus est filius hominis, serm. 4. n. 16
Capit lavare pedes Discipulorum suorum, serm. 2. n. 11
Domine, tu mihi lavas pedes, ibid
Non lavabis mihi pedes in æternum, ibidem.
Si non lavero tibi pedes, non habes partem mecum, ibid.
Non solum pedes, sed etiam manus & caput, ibidem.

CAP. XV.

Pater meus usque modo operatur, & ego operor, serm 12. n. 13
Hæc mando vobis ut diligatis invicem, serm. 33. num. 2
Mittam vobis Spiritum Sanctum, serm. 3. n. 26
Iam non dicam vos servos, serm. 4. n. 6
Quia servus nescit quid faciat Dominus ejus, ibid.

CAP. XVI.

Multa habeo vobis dicere, serm. 34. n. 10
Non potestis portare modò, ibid.

CAP.

CAP. XVIII.

Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servum. serm. 23. n. 4.

CAP. XIX.

Apprehendit Pilatus IESVM & flagellavit s. 2. n. 13.
Cùm gustasset noluit bibere, s. 28. n. 12.
Mulier ecce filius tuus, s. 16. n. 5. & s. 28. n. 22.
Vnus militum lancea latus ejus aperuit, s. 2. n. 15.
Stabat juxta Crucem mater ejus, s. 9. n. 8.
Mulier, ecce filius tuus, deinde dicit Discipulo, ecce mater tua, s. 3. n. 12.
Beati pauperes, s. 6. n. 12.
Non fregerunt ejus crura, s. 12. n. 22.
Consummatum est, ibid.
In sepulchro novo, in quo nondum quisquam positus fuerat, s. 32. n. 14.
Vnus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, s. 9. n. 11.
Cùm vidissent eum jam mortuum, Ibid.
Inclinato capite tradidit spiritum, Ibid.
Cùm vidisset ergo IESVS Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat IESVS, ibid. n. 15.

CAP. XX.

Stabat ad monumentum foris plorans, s. 28. n. 23.
Propter metum Iudæorum, s. 20. n. 8.
Ianuis clausis intravit ad Discipulos, s. 23. n. 15.

CAP. XXI.

Simon Ioannes diligis me plus his? etiam Domine; tu scis quia amo te, s. 10. n. 7.
Conversus Petrus vidit illum Discipulum quem diligebat Iesus sequentem, s. 17. n. 11.
Pasce agnos meos, ibid. n. 12.

ACTA APOSTOLORUM.

CAP. I.

Hi omnes erant perseverantes in oratione cum mulieribus, & Maria Matre IESV, s. 3. n. 12.
Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus, s. 4. n. 10.
Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris, s. 4. n. 4.
Cecidit sors super Matthiam, ibid.
Ioseph, qui cognominatus est justus, ibid. n. 5.

CAP. VI.

Et intuentes in eum omnes qui sedebant in concilio viderunt faciem ejus tanquam, &c. s. 5. n. 11.
Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, s. 35. n. 6.

CAP. VII.

Domine, ne statuas illis hoc peccatum, s. 12. n. 13.
Domine Iesu, suscipe spiritum meum, s. 12. n. 13.

CAP. IX.

Vas electionis es mihi, s. 20. n. 1.
Circumfulsit eum lux de Cælo, apertisque oculis nihil videbat, s. 22. n. 1.
Ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas, s. 14. n. 20.

CAP. XII.

Lumen refulsit in habitaculo, s. 4 n. 26.

CAP. XVI.

Transeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia, s. 22. n. 8.
Excitaverunt persecutionem in eos, & ejecerunt eos de finibus, &c. ibid.

D. PAULI APOSTOLI

AD ROMANOS.

CAP. III.

Contra spem, in spem credidit, s. 12. n. 16.

CAP. VII.

Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &c. s. 7. n. 8.

CAP. VIII.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ser. 17. n. 1.
Si Deus pro nobis, quis contra nos, s. 11. n. 1.
Charitas nunquam excidit, ibid.

CAP. IX.

Optabam ego anathema esse à Christo, &c. s. 33. n. 19.
Spe gaudentes, serm. 12. n. 18.

CAP. XIII.

Nemini quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis, s. 33. n. 10.
Qui diligit proximum suum, legem implevit, ibidem. n. 16.

CAP. XIV.

Bonum est non manducare carnem, s. 10. n. 32.

AD CORINTHIOS I.

CAP. II.

Quæ sunt hominis nemo novit nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita, & quæ sunt Dei, &c. s. 18. n. 5.

Oportet hæreses esse, serm. 18. n. 5.
Alii quidem datur sermo sapientiæ, alii scientia, &c. s. 30. n. 24.

CAP. VIII.

Scientia inflat, serm. 3. n. 13.

CAP. X.

Qui se existimat stare, videat, ne cadat, serm. 32. n. 18.
Petra autem erat Christus, s. 8. n. 18.

CAP. XIII.

Charitas non quærit quæ sua sunt, s. 12. n. 10.
Major horum est charitas, s. 6. n. 16.
Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem, &c. s. 10 n. 8.
Major autem horum est charitas. s. 30. n. 14.

CAP. XVI.

Viriliter agite, & confortamini Domino, s. 7. n. 14.

AD CORINTHIOS II.

CAP. III.

Non poterant intendere in faciem Moysis propter gloriam vultus ejus, s. 22. n. 1.

CAP. VI.

Quæ societas lucis ad tenebras? s. 30. n. 22.

CAP. XI.

Transfigurat se in Angelum lucis, s. 5. n. 1.
Cùm infirmor tunc potens sum, s. 11. n. 11.

CAP. XII

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor, &c. s. 34. n. 2.
Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum usque ad tertium cælum, s. 3. n. 11.
Audivit arcana verba, s. 5. n. 16.
Non licet homini loqui, s. 34. n. 2.

CAP. XIII.

Charitas non quærit quæ sua sunt, serm. 33. n. 17.

AD GALATHAS.

CAP. I.

Alium Apostolum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini, s. 12. n. 12.

CAP. II.

Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus, s. 5. n. 1.

AD EPHESIOS.

CAP. IV.

Qui descendit, ipse est, qui ascendit, serm. 30. n. 22.

CAP. V.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, serm. 30. n. 22.

CAP. VI.

Penetrabilius est verbum Dei omni gladio ancipiti, serm. 20. n. 2.

AD PHILIPPENSES.

CAP. I.

Cupio dissolvi & esse cum Christo, serm. 12. n. 2.

CAP. II.

Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum, serm. 33 n. 7.
Formam servi accipiens, serm. 14. n. 6.

CAP. III.

Quorum Deus venter est, serm. 16 n. 14.

CAP. XIII.

Vocabitur nomen ejus Iesus, serm. 1. n. 2.
Nomen super omne nomen. Ibid.

AD COLOSSENSES.

CAP. I.

Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, serm. 12. n. 12.

CAP. III.

Super omnia autem hæc, charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, serm. 10. n. 8

AA THESSALONICENSES. I.

CAP. V.

Omnes vos filii lucis estis, & filii diei, non sumus noctis, neque tenebrarum, serm. 30. n. 22.

AD

AD TIMOTHEUM. I.

CAP. I.

Soli Deo honor, & gloria, serm. 24. n. 15. & serm. 30. n. 11.

AD TIMOTHEUM II.

Reposita est mihi corona Iustitiæ, serm. 10. n. 4.

AD HEBRÆOS.

CAP. I.

Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, serm. 31. n. 1.

CAP. VII.

Melchisedech sine patre, sine matre, sine Genealogia assimilatus, &c. serm. 16. n. 13.

CAP. IX.

Sine sanguinis effusione non fit remissio, serm. 1. n. 5. & serm. 22. n. 5.

CAP. XI.

Et adoravit fastigium virgæ ejus, serm. 1. n. 15.
Effugerunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello, castra verterunt, &c. serm. 22. n. 12.
Sancti per fidem vicerunt, &c. serm. 22. n. 1.

CAP. XII.

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, serm. 11. n. 7.

D. PETRI.

EPIST. I.

CAP. V.

Charitas operit multitudinem peccatorum, ser. 33. n. 10.

PETRI II.

CAP. I.

Alii datur operatio virtutum, alii prophetia: Hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, serm. 19. n. 13.
Effecta divinæ consors naturæ, serm. 15. n. 7.

D. JOANNIS.

EPIST. I.

CAP. I.

Tenebræ in eo non sunt ullæ, serm. 34. n. 5.

CAP. II.

Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ, s. 24. n. 11.

CAP. III.

Cum apparuerit similes ei erimus, serm. 16. n. 1. & ser. 31. n. 2.
Filioli diligite alterutrum, serm. 33. n. 16.

CAP. IV.

Deus Charitas est, serm. 10. n. 9.
Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, serm. 11. n. 1.

CAP. V.

Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, serm. 16. n. 17.
Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas, Ibid.

JUDÆ APOST.

EPIST.

CAP. I.

Cum Michael Archangelus altercaretur de corpore Moysi, serm. 31. n. 14.

APOCALYPSIS.

CAP. II.

Apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas & ligavit eum per annos mille, serm. 31 n. 31.

CAP. III.

Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, serm. 30. n. 22.
Angelo Ecclesiæ Sardis scribe, scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es, serm. 1. n. 25.

CAP. IV.

CAP. IV.

Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in Throno & adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, serm. 24. n. 13.

Et in capitibus eorum corona aurea, f. 6. n. 23.

Mittebant coronas suas ante Thronum, Ibid.

Et animal primum simile leoni, secundum animal simile, &c. f. 11. n. 6.

Quatuor animalia plena oculis ante & retro. Ibid.

CAP. V.

Et accepit de dextera sedentis in Throno librum, f. 6. n. 2.

CAP. X.

Et vidi alium Angelum, & habebat in manu sua libellum apertum, f. 5. n. 2.

Accepit librum apertum de manu Angeli, Ibid.

Et abii ad Angelum dicens ei, ut daret mihi libellum, Ibid.

CAP. XII.

Mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, f. 3. n. 14.

CAP. III.

Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex, f. 1. n. 20.

CAP. XIV.

Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium cælum voce magna clamantem, f. 5. n. 1.

CAP. XIX.

Vide ne feceris, conservus tuus sum, f. 5. n. 8.

CAP. XX.

Vidi Angelum descendentem de cælo habentem clavem abyssi, & catenam magnam, &c. f. 13. n. 17.

CAP. XXI.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim, & Apostolorum Agni. f. 4. n. 20.

Et adeptus est repromissiones, serm. 22. n. 7.

***



SERMO PRIMUS.
IN FESTO CIRCVMCISIONIS D. N. JESU CHRISTI.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS. S. Lucas cap. 2.

1. NOmina hominibus nequaquam casualiter, aut fortuitò imponuntur, prouti cuivis benè regulato judicio manifestum est. *Nomina non temerè ac fortuitò non casu, nec pro cujusque hominis arbitrio indita fuerunt*, inquit Possevinus. Sunt enim diversa motiva, à quibus nominum argumenta ducuntur. *Nomina sumuntur à diversis causis*, veluti *à naturali proprietate*. Sic Artaxerxes, quia dexteram sinistra longiorem habuit, dictus est *Longimanus*. Curtius dicimus, quia nascens dentes habuit, *Dentatus* est appellatus. Famosissimus ille Mundi Imperator, eo quod comam ex matris utero secum attulerit, quæ Latinè *Cæsaries* dicitur, aut quia *cæsus* fuit *ex utero matris*, *Cæsaris* nomine est insignitus. Sic quoque Michael Romanorum Imperator, & Ludovicus Rex Franciæ ob linguæ impedimentum *Balbi cognominati sunt*. Philippus quoque Rex Franciæ, quod mira vultus elegantia à cœlo decoratus esset, *Pulcher* per antonomasiam est vocatus. Alii à singulari aliquo & proprio accidenti sua sunt nomina sortiti. Unde quia Valerium cum leonibus dimicantem ad Solis ortum corvus quidam circumvolitabat, hinc sumpta est mox occasio eundem *Corvinum* appellandi Quod Carolo, Ludovici Francorum Regis filio capilli ad nudum usque capitis verticem elapsi essent, *Calvi* cognomentum accepit. Arnea uxor Ulissis à Pericle, & Icaro in mare præcipitata, ab avibus autem nonnullis quæ Penepole vocabantur, præservata fuit, ideoque eam *Penelopem dictam volunt*. Apud Ægyptios *Ly Moy*, idem est, quod *aqua*, *ses* vero idem quod *Salvatus*, dicitur, unde puerulo qui populi Israelitici generalis Dux postea fuit, eo quod ab aquis salvatus esset *Moysis* nomen inditum fuit. Multi quoque *ab aliqua particulari actione* cognomen suum sunt assecuti, quorum etiamnum viva fama in mundi memoria conservatur. Sic Marius Coriolani nomen sortitus est, *in memoriam Coriolarum urbis à se expugnatæ*. Q. Metellus *à domita Macedonia* dictus est Macedonius: è duobus Scipionibus unus post subjugatam Africam *Africani cognomen tulit*: Alter vero post Asiam devictam *Asiaticus dictus est*. Antoninus, & Ludovicus germani Caroli Magni fratres ob insignem quam erga subditos exercebant pietatem, Pii nomen acceperunt. Alphonsus Petri Cantabriæ Ducis filius ob extirpatam Arrii hæresin, *Catholicus est cognominatus*. Hoc quoque sensu Cassiodorus subdit: *Suscepisti nomen ex meritu, custodi, ut semper lateris veritate vocabuli* Ad eum prope modum quo de Probo legitur: *Erat Adolescens sui nominis vir*. Adhæc dici quoque potest, nomina hominibus ad hoc præcipue imponi, ut sint assidui, & diligentes significati nominis sui imitatores, nam ut docet Doctor Angelicus *Nomina debent rerum proprietatibus respondere*; quod fit dum actionibus suis nomini, quo sunt insigniti, respondent: *Nimis enim absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici, quam possit in moribus inveniri*. monet nos Cassiodorus.

2. Hodierna die Filio Dei in sua Circumcisione nomen JESU imponitur: *Nomen super omne nomen*. Nomen quod revelatum Mariæ ab Angelo fuit: *Vocabitur nomen ejus* JESUS. Quia verè juxta doctrinam S. Hieron. JESUS *Hebræo sermone Salvator dicitur*, unde Angelus *Etymologiam nominis significat dicens: Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*; Id-eo huic nomini Filius Dei in ipsomet Circumcisionis

De cultu inven l. 1. c. 14 p. 13. A. B.

Chrysost. t. 1. inc. 26. Gen. Homil. 32 fol 85. col 3 G. Aulus. Gell. l. 2. c. 11. Ambr. Calep. v. Cas. Mich. Ritius Neap. lib. 1. de Regib. Franc. Vol l. 23. Anthr. The. vit. hum pag. 1376 col. 2. Rit. l. 1. de Reg. Franc. Alex ab Alex.

lib. 2. c. 11.

Idem ib. Mich. Rit. Neap. lib. 1 de Reg. Franc. Cass. l. 8. Epist. 10. Felix apud Vopiscum.

D. Th. 1. p. c. 37. Art. 2.

Ad Philipp. c. 2.

in Cat. D. Th. in c. 1. Matt. fol 7. col 4. A.

sionis actu egregiè respondit, dum eximium salutis nostræ opus per sanguinis sui effusionem exordiri voluit : *Merito sanè dum circumciditur puer, qui natus est nobis*, inquit Bernardus, *Salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam cæperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Ad nostram igitur doctrinam hinc discendum nobis erit, unumquemque nostrum obligari, ut nominis, quo insignitus est, dignitati bonitate vitæ, morumque integritate exactè respondeat. Vos interim, ô Auditores, qui hoc nomen homo humanitatis ac benevolentiæ expressivum obtinetis, curate, ut vos ejusdem in ipsomet effectu imitatores exhibeatis, illius proprietatem dum ex hoc loco vobiscum loquor exprimendo in corde, hujus verò characteres demonstrando in facie. Exordiamur.

Serm. 1. de Circ pag. 90. col. 1. D.

3. Primus, qui sacrum hunc Circumcisionis ritum executioni mandavit, Abraham fuit ; prouti ex multis Scripturæ locis apparet, & ab Haymone Episcopo Halberstadiensi expressè confirmatur, dum inquit : *Ritus, id est, Circumcisionis consuetudo. & religio à B. Abraham' sumpsit exordium.* Quòd sanctus Justinus Martyr confirmat dicens : *Circumcisio carnis ab Abraham initium habuit.* Causarum autem finalium, ob quas hujus sanctæ Cæremoniæ ritus institutus est, sanctus Irenæus unam fuisse dicit, ut videlicet Hebræus populus Deo tantopere charus, à quavis alia ratione posset discriminari. *Imposita fuit Circumcisio, & in signum eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ.* Sanctus Thomas autem una cum aliis scriptoribus Scholasticis docet, quod *Circumcisio fuerit remedium contra originale peccatum.* Unde Doctores omnes suspensi obstupescunt, quod filius Dei, qui ut Bernardus asserit, *nec in peccato genitus, nec in peccato circumcisus fuit*, huic se legi subjicere voluerit, cum certò sciamus quod *cessante fine, cessant ea, qua sunt ad finem.* Unde Haymon subjungit : *Quid opus fuerit Domino circumcidi, cum nullum peccatum omnino haberet, quod per ejus circumcisionem tolleretur?* Et S. Zeno se nullam videre necessitatem asserit, quæ illum ad hujusce ritus observantiam permovere potuerit : *Cur signaculum carnis accepit, si ei necessarium non fuit?*

Haym. in Bibl. Hom. t. 1. pag. 444. col. 1. D. in dial. cum Tryph adv. Iud. p. 12. D. Advers. har. l. 4. c. 30 pag. 257. 3. p. 237. A. 1.

Serm de Circ. pag. 90. col. 1. D.

Haym. ubi sup.

In Bibl. vet. PP. sæculo 3. pag. 111. col. 2. G.

4. Verum enim vero non desunt variæ à SS. Patribus in hanc rem allatæ responsiones ; Inter quos Theophylactus Bulgarorum Episcopus, ideo Dei filium circumcidi voluisse dicit, ut Manichæorum ora concluderet, qui corpus Christi non verum, sed fictum, & apparens corpus fuisse asserebat : *Revereantur qui dicunt, quod Christus incarnatus sit apparenter tantum.* B. Laurentius Justinianus ideo Christum circumcisum esse existimat, ut tum Judæorum confundat calumnias ; tum Dæmoni Incarnationis suæ celaret mysterium. *Cum circumcidi se passus est, calumniam Iudæis confundit, & audaciam Diabolo, ne Incarnationis mysterium agnosceretur, velamen imposuit.* Beatus autem Simon de Cassia id factum esse autumat, ut quisquis hanc sanguinis effusionem videt, Christum non aëreum aut Phantasticum corpus sibi assumpsisse firmiter persuadeat : *Testimonium accepte carnis pervalidum fuit, quod in octava die circumcisus est, fusisque sanguis, quod verum humanum corpus non phantasticum habuit.*

In Bibl. Hom. t. 1. pag 446. col. 1.

Serm. de Circ pag. 262. col. 3. n 20.

De myst. Verbi incarn. c. 10. pag. 8. col. 1.

5. At vero de vestra, ô Auditores, humanitate confido, quod non displicebit, si omnibus hisce, multisque aliis, quæ in hanc rem adduci possent, responsionibus, aliam quandam subjunxero. Refert Magister Historiæ scholasticæ Salomonem sapientum omnium Regem prohibuisse, ne in Templi fabrica ad findendos, expoliendos, elaborandosque lapides cujusvis ferri usus adhiberetur, quin potius certi cujusdam animalis, vel vermis, Zamir, vel comir appellati sanguine uterentur, utpote cujus naturalis virtus lapidum duritiam vincere atque diffidere valet. Id quod Salomon non ex sola sciebat herbarum, lapidum, & cujusvis animalis proprietatum cognitione, verùm insuper ex ipsamet modo sequenti didicit experientia. Nam quendam Struthiocamelum paulò ante natum, & vitreo, satisque capaci vasi, velut aviario incluſum, in loco quodam collocavit, ubi à matre sua commodè videri, & visitari poterat, quæ cum ex Naturæ suæ indole in vehementia affectus erga pullos suos neminem ex avibus parem sibi habeat, pullum suum huic carceri incluſum cernens, ad desideratam illi libertatem procurandam nullo non medio usa quidem est, verum omnem suum conatum irritum fuisse advertens, & supradicti comir sanguinis singularem virtu-

Hist. Schol. in c. 3. Reg.

tem

tem instinctu quodam naturali cognoscens, animal istud diu sollicitè quæsivit, ac tandem feliciter repertum, supra vas illud vitreum allisit, & occidit. Unde carcer ille vitreus hujus animalculi sanguine vix imbutus, subitò confractus & contritus, charo viscerum suorum pignori libertatem restituit. O admirabilem sanguinis hujus virtutem! veruntamen si quis animalculi hujus sanguinem, cum sanguine Redemptoris nostri conferre contendat, idem faciet, ac si punctum aliquod mathematicum vasto universi globo comparet. Universum genus humanum, velut mancipium quoddam, peccati catenis in abyssi carcere, sub Sathanæ tyrannide constrictum jacebat, unde libertatem suspirans, per Prophetas exclamabat; *Educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & umbra mortis*: Jesus autem Dei filius, sanguinem suum, ad comparandam nobis ubertatem, oportunum valdeque efficax scicns esse remedium, quippe *sine sanguinis effusione non fit remissio*, eundem hodie in Circumcisione effundere incipit, ut nos non à carcere vitreo, sed peccato, & à crudelibus Sathanæ manibus liberaret, dicente Zachariæ Propheta: *In sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos*; opus verè eximium, nominique JESU aptissimè respondens: *Convenienter vocatum est nomen ejus* JESUS (inquit Angelicus Doctor) *id est Salvator, ut per ipsum omnia salvarentur.* Pulchrè igitur se nomini JESU respondisse facto ipso probavit.

Eccles. in Adventu Domini Ant. 4. O clavis. D. Paul. ad Hebr. 9.

D. Tho 3. p. 37. A. 2 in Corp.

6. Refert Theodoretus Episcopus Cyrenensis Oldam Prophetissam, & Davidem multas populo Hebræo patiter & gentili imminentes longè ante prævidisse adversitates atque augustias: *Olda Prophetissa graviora & difficiliora toti populo prædixit.* Et quidem sanctus pientissimusque Rex David, tentaturus si possibile esset miserias illas Deum placando evadere, Psalmum nonagesimum quartum composuit: *Hæc igitur cum B. David propheticis oculis à longe prævidisset, hunc Psalmum in illorum & omnium hominum doctrinam & utilitatem conscripsit*, omnesque creaturas ad laudandum Deum invitans dixit: *Venite.* Sed quomodo veniemus? *Non passibus corporis sed mentis, & affectu cordis, ac imitatione virtutum*, exponit Carmelitanus incognitus. *Venite*, inquit Hugo Carensis, *passibus Fidei, quia per fidem appropinquatur Christo.* Quid autem facturi veniemus? *Exultemus Domino.* q. d. Jubilet Hebræus, plaudat gentilis, eique in hymnis, & canticis obviam cuncti procedant, *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos*, id est, supremum in omnes Reges dominium obtinet; quare nil penitus timentes alacriter venite, nos enim velut dilectos suos recipiet libenter: Manibus suis totum universum sustentat, montiumque altitudines procul ipse conspicit. Maris quoque Dominus est, & omnipotentiæ suæ dexter prima jecit terræ totius fundamenta. *Venite, exultemus Domino.* Libenter equidem, ô David, veniam, veruntamen quisnam Dominus ille sit, scire prius velim. Cajetanus legit: *Exultemus petræ salutis nostræ.* Hugo Carensis: *Exultemus Domino Christo.* S. Hieronymus & sanctus Isidorus ita exponunt: *Iubilemus Deo*, id est, *Iesu petræ, nempe Christo salutari nostro.* Itane? Ergo JESUS est ille Dominus, ad quem nos David invitavit? At vero dic nobis, ô Propheta, qua ratione illum tractare debemus, cum quonam cæremoniarum apparatu nobis cum ipso agendum erit? Non est coram illo aliis cæremoniis opus, inquit David, quàm ut in ejus conspectum venientes, ad ejus nos pedes prosternamus: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum.* Alii legunt: *prosternamus & incurvemur nos*, aut cum S. Athanasio: *Procidamus ipsi Christi Regi nostro.* Quibus in verbis diligenter notanda est actio illa, ad quam, ut calamitates nostras subterfugiamus, Propheta nos exhortatur *Procidamus, prosternamur ante Iesum.* O quam est hæc pulchra inventio!

249. col. 3.

Psal. 94.

Cajet. ib. pag. 157. col. 2. S. Isid. & Hier. apud. Lorin. ibid. pag. 184. col. 2. Ioan. Lorin. t. 2. ibid. pag. 989. col. 2. D.

Theod. in Ps. 94. pag. 217. col. 1.

Theod. ibid.

Incognitus ibid. pag. 634. col. 1. B.

Hugo Car. ibid. pag.

7. Refert Pierius Valerianus, quod cœnante Vespasiano Imperatore, bos quidam Palatium ejus ingressus, rectaque ad ejus mensam contendens, capite ad pedes ejus prostrato, coram ipso prono corpore in terram prolapsus fuerit: *Decusso jugo triclinium, in quo cœnabat Vespasianus, irrupit, ac fugatis ministris, quasi derepente defessus, procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque submisit.* Improvisus hic eventus multa multis cogitandi causam præbuit, tandem vario casu hoc maturè, multaque cum prudentia ponderato, prognosticum quoddam significare concluserunt, nimirum futurum esse, ut Vespas. Romani

P. Val. 3. pag. 28. E.

Imperâ subditos, à diræ tyrannidis, quàm Vitellius exercebat, intolerabili jugo liberaret. *Idem. ibid.* *Quod portendere visus est bos iste, nisi terrarum orbem amarissimo vitelliana dominationis jugo oppressum opem à gente Flaviana deposcere, quæ jam rerum esset potitura?* Ecce igitur causam, cur Sacer Psalmista nos invitet, atque ut ad hujus incarnati Verbi, Jesu scilicet pedes prosternamur, exhortetur, *Procidamus, prosternamur, incurvemus. Petræ Iesu nostro*, ut tantarum miseriarum, quas ipse, & Olda Prophetissa longe ante prædixerant, à nobis auferat intolerabile jugum; Jugum, *quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus*; nobisque ab angustiis, quas per peccatum contraximus, liberatis per sanguinis sui virtutem salutem denuo restituat diu desideratam, *ut eos qui sub lege positi, legis onera portare nequiverant, sua compassione juvaret*, inquit Beda & Simon de Cassia subdit, ut nomini Jesu & Salvatoris corresponderet, *Dura in levibus, & levia, in levioribus, & leviora in levissimis in corpore permutavit.* Atque ad hunc præcipue finem Pater Levinus Davidem omnes gentes invitasse existimat, quando dixit: *Venite procidamus ante Deum; Adventus Christi ad nos, & ad curandas infirmitates corporis & animi, ad perditos reducendos, ad vitam abundanter tribuendam nos invitat, ut videlicet accedamus, tanquam ægri ad medicum, & laborantes, onerati reficientem.* Adeo nimirum, ut JESUS nomini suo responderet, conveniens erat.

Beda in Cat. D. Tho. c. 2. Luc. pag. 141. col. 4. F. E Simon de Cassia de Miss. verbi incarnati c. 10. p. 8. col. 3. Io Lorin. ib. p. 184. col. 1. E.

8. Etenim Josue duobus fuisse nominibus insignitum, ex sacris literis constat, quorum unum ei à genitoribus suis, alterum verò in ætate provectiori, quando generosus Mosaici exercitus miles erat, à Moyse ei inditum fuerat. Primus enim Oseas appellatus fuit, postea verò à Moyse Josue est vocatus: *Vocavitque Moyses Osee filium Nun, Iosue.* Scire hoc loco percuperem, quo fine institura fuerit hæc nominum mira mutatio? Dices fortasse, quod Moyses ipsum in militiæ suæ ducem, & primicerium eligens, voluerit, ut officium, statumque suum notabiliter immutans, & adaugens nomen quoque suum mutaret. Verum ratio ist hæc nequaquam mihi satisfacit, simul enim & capitaneus esse, & *Oseas* vocari poterat. Laborabatne forsitan Moyses superstitione aliqua muliebri, qua crederet nomen *Osee* sinistrum quoddam involvere augurium, quo illum in conflictu superandum significaretur, econtra verò *Iosue* nomen, in actionibus ad mortem tendentibus felicissimorum eventuum certum esse prognosticum? Nequaquam, quin potiùs pro intelligentia advertendum est, nomen *Iosue* idem esse quod *Iesus*, sic enim à Septuaginta interpretibus transfertur *Iosue, id est, Iesus.* Hoc autem nomen ei datum est, quando adversus Chananæos, & Amalechitas eligebatur in militiæ ducem, uti affirmant Origenes, S. Augustinus, Theodoretus, Oleaster, & alii; idque quia *Iesus* idem significat quod *Salvator*, ut nimirum in actuali cum inimicis suis conflictu, iis præcipuè actionibus intenderet, quæ nomini suo propriissimè convenirent, salvando milites suos, adversarios verò suos gloriosè detri umphando. Et hoc præcipuè consilio nomen *Oseas*, in gloriosam JESU nomen commutatum fuit. Unde Ecclesiasticus de eo loquens dicit: *Qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei*, inferre volens, quod nominis sui significatum generosis factis, & operibus suis propriè adimplesset. Verum enimvero nescio, qua ratione celebre, & glorioſum istud encomium Josue ab Ecclesiastico veridicè dari poterit, siquidem in lib. Numerorum ipsi omnino contrarium accidisse deprehendo. Totus enim ejus exercitus dissipatus & destructus fuit, occisi quoque omnes milites illius, adeo ut præter Josue, & Caleb, qui malum Moysi nuncium referrent, nulli alii manserint de exercitu superstites: *Omnes viri mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.* Quod si igitur gentem suam salvare minimè prævaluit, non video quomodo ipsum Josue aut Jesu nomini, quod Salvatorem significat, integrè respondisse dici ab Ecclesiastico potuerit. *Solum Iesum Nave* (inquit sanctus Ambrosius) *nominis sacri similitudo servavit.* Certe si se solum non verò alios sibi à Moyse commissi exercitus milites salvando, nomi nis sui significatum executioni mandavit, quòd attinebat ut Moyses cum ex *Osea* in *Iosue* commutaret, & Ecclesiasticus illum adeo celebraret dicendo: *Fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei?*

Num. 13. *Num. 14.* *In Psal. 118. serm. 18. lib. 4. pag. 734.*

9. Scriptor quidam modernus, paucis quidem verbis, sed valde sententiosis, egregiam hanc difficultatem resolvendi rationem suggerit, dicens: *Mutationem hanc divino afflatus spiritu fecit Moyses, ut Iosue Iesum totius mundi Salvatorem.* *Eman. de Nax. in Iosue §. 4. præl. pag. 5. col. 1.*

vatorem expressiùs adumbraret. Moyses enim prævidit, verum Messiam *IESV* nomine appellandum esse, ideoque per Josue actiones, ejus proprietates exprimere voluit. Cum hac tamen differentia, quòd Josue nomini suo correspondent, semetipsum duntaxat in propria persona ab inimicorum suorum manibus salvando: Christus Jesus autem nullo habito vitæ propriæ aut proprii sanguinis respectu, universalem omnium salutem stabiliverit, suique nominis significato incomparabiliter melius quàm Josue plene responderit: *Vocatum est nomen ejus IESVS* (inquit Chrysostomus) *quod interpretatur Salvator, editus enim est ad totius orbis salutem, quàm suâ Circumcisione præfiguravit.*

Ap. D. Th. in Cat. c. 2. Luc. p. 141. col. 4. H.

10. At verò paulatim ad magis peregrinas speculationes altiùs nos erigamus. Priusquam Verbum æternum incarnaretur, Angelus Mariæ filium ejus Jesum appellandum esse revelavit: *Vocabitur nomen ejus IESVS.* Item, dum circumciditur, Jesu quoque nomen mox obtinet, *Vocatum est nomen ejus IESVS.* Nequaquam Dei filium nomen suum aliquando mutâsse, quin potiùs idipsum ad mortem usque invariatum conservâsse reperio; tametsi enim in Cruce diversis fuerit linguis exaratum, alteratum tamen, aut mutatum nunquam fuit I. N. R. I. cùm tamen eo tempore, quo Rex Hebræorum esse in Crucis titulo declarabatur, aliquantulum mutari debuisse meritò videri possit. Quando enim Deus Abrahamum sublimare voluit, eligendo ipsum in multarum gentium patrem, ejus quoque nomen nonnihil variavit: *Ne ultrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te.* Angelus quoque generoso colluctatori suo nomen Jacob (quod supplantator significat) in Israel nomen commutavit, *vocaberis Israel,* quod significat *videns Deum.*

Gen. 17.

Gen. 32. v. 28.

11. Similiter mulier illa, cujus lætitia in mœrorem, & amaritudines transmutata fuit, *Noema,* id est, pulchra, deinceps appellari noluit, quia potiùs *Mara*, id est, mulierem ab amaritudinibus conturbatam se vocandam esse, apertè satis insinuavit, *Quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Cur igitur Dei filius tam in Nativitate quàm in vita & morte; idem semper Jesu nomen sibi reservavit? Eadem quoque difficultas circa Beatissimæ Virginis Deiparæ nomen moveri potest, quæ cùm à tribus personis Divinis ad supremam Matris Dei dignitatem electa

Ruth. c. 1. v. 20.

esset, idem tamen Mariæ nomen semel sibi inditum desinenter retinuit. *Et nomen Virginis Maria.* Et tamen excellentia Virginis ex hoc quod Mater Dei esset, longè Abrahæ dignitatem superabat. Cur igitur hujus, non vero illius nomen mutatur? Jacob Deum non tamdiu vidit, nec tanta illi cum eo familiaritas intercessit, quanta Mariæ, & tamen hoc non obstante illius, non verò hujus nomen mutatum fuit? Afflictiones Mariæ illis Noëmi angustiis incomparabiliter extitêre majores, & tamen Mariæ nomen invariatum semper permansit: Maria ante partum, Maria post partum: Maria priusquam Deum videret, suisque brachiis sustineret, & portaret, Maria quoque postquam millies mille vicibus eundem contemplata fuit: Maria priusquam per filii sui dolores & afflictiones amaricaretur, idemque Mariæ nomen etiam post dolores invariatum semper, & immutabile conservavit.

Luc. c. 1.

12. Etenim spero, quòd difficultatis hujus punctum, persequentis scripturæ ponderatione feliciter attingemus, & in ea reconditum aperiemus mysterium. Notum siquidem est ex Scripturæ variis locis, incarnatum æterni Patris Sapientiam variis Apostolorum Principem appellasse nominibus, eaque sicut distincta significata connotant, ita quoque in diversis eventuum occurrentiis fuisse imposita, nunc enim *Simon*, alias *Bar-Iona*, deinde *Cepha*, mox *Simon Ioannis*, denique *Petrus* appellatus fuit. Tandem verò cùm in particulari discipulis suis, se brevi passurum, & moriturum esse, manifestè diceret: *Oportet eum ire Ierosolymam multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi,* mox S. Petrus amore, quo erga ipsum ferebatur commotus, *pietatis affectu*, inquit Hieronymus, contrarium ei persuadere contendit: *Absit à te Domine;* at verò quo ipsum tunc nomine Redemptor appellârit, audite! *Vade post me, Satana.* Ehem, quodnam est diabolicum nomen istud, quo Apostolum tuum afficis? Paulò antè eum veluti beatum canonizasti: *Beatus es Simon Bar Iona*, nunc verò eum oculis tuis adeò abominabilem esse perhibes, ut illum è conspectu tuo abigas, & Dæmonem vocites? Attamen. Audirores desinite admirari, siquidem inter nomen, ipsumquè consequentia opera bona semper esse debet correspondentia. Petrus dicendo: *Absit à te Domine* se voluntati Christi ostendebat esse contrarium: *Petrus* autem idem est quod stabilitas, & firmitudo, *Si-*

Matt. 15. v. 21.

In Cat. D. Th. ibid. fol. 61. col. 1. B.

Matt. 16.

mon idem quod obediens, *Cephas* constantiam significat, unde cùm Petrus actionibus neutri prædictorum nominum debitè correspondet, agedum, inquit Christus, cum tu actionibus tuis mihi semper contrarieris, ideoque nomine insigniaris operibus tuis minus proportionato, opportuniori te nomine compellare nequeo, quàm si te Sathanam, id est, contrarium appellavero. *Ideo quia contraria loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari; Sathan enim interpretatur adversarius, sive contrarius*, inquit S. Hieronymus

D. Hier. ubi sup.

13. Ex hoc igitur eventu, qui S. Petro accidit, facilè arguere licet, tunc vel maximè nomen mutandum esse, quando opera a priori nomine discrepare incipiunt. Sic ter maximus ille Macedoniæ Monarcha, quendam exercitus sui militem, cui nomen Alexander erat, nomen hoc indignis in bellis vitæ suæ actionibus probrosum reddere intelligens, eundem coram se mox accersitum graviter reprehendens, dixit; aut nomen muta, aut dignam Alexandri nomine vitam ducito. Sic quoque dum Hebræi sese Abrahæ filios esse gloriarentur: *Pater noster Abraham est*, Christus eisdem respondit: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Econtrà verò nulla tunc mutandi nominis occurrit necessitas, quando vitæ operi cum nomine perfectissimè conveniunt. Unde Cardinalis Cervini, dum post mortem Julii III. ad supremum sedis Apostolicæ imperium fuisset electus, monitus, ut pro solemni Pontificum Romanorum more, electione feliciter completâ, nomen suum in aliud commutaret, respondit: *Nec nomen nec mores, Marcellus fui, Marcellus ero.* Marcellus enim nomen quoddam est, ex Mari & Cælo compositum, quasi dicere voluisset. Ex quo nunc in alto Sanctæ Ecclesiæ mari constitutus, & naviculæ S. Petri gubernaculo admotus sum, cælum semper respicere decrevi, unde Dei gratia adjutus, nequaquam me per actiones à nominis mei significato disgregando, efficiam, ut nulla sit mutandi nominis mei futura necessitas *Marcellus fui, Marcellus ero.* Mirum igitur non est, quòd Mariæ nomen Deiparæ Virgini semper constanterque permanserit, siquidem Maria, ut S. Ambrosius exponit: idem est, quod *Deus ex genere meo*, cui cùm Beata Virgo per Filii Dei generationem egregiè respondent, nullam dedit mutando nomini occasionem. *Habuit enim nomen & rem*; & nomen quidem eò præcipuè sive è cœlo sibi impositum obtinuit (inquit Gregorius Nyssenus) ut per hoc ipsam Dei matrem futuram esse exprimeretur: *ut per nomen impositum divinitùs, munus significaretur.*

Ioan. 8.

Theatr. vit. Human pag. 1376. col. 1.

D. Amb. lib. 1. c. 5. de Instit. virg pag. 120.

Orat. de Nat Christi apud Ioan. Mariam Zamorra ut in lib. 3. c. 2 pag. 374. col. 2. n. 6.

14. Idem similiter de sanctissimo Jesu nomine concludendum est, scilicet verbum incarnatum idipsum semper, usque in & post mortem invariatum retinuisse, eò quòd nulla urgeret ad illud variandum necessitas, eò quod illi semper, omni cum solicitudine & industria, ipsâ operum veritate respondent, omnes suas actiones, sanguinem, & vitam ipsam pro nostra salute adhibendo, ideoque dicere potuerit, *Iesus fui, Iesus ero.* Siquidem *Recens natus vocabuli honorem induit, quod vitæ serie & gestis fidelissimum prodit.* Et S. Zeno concludit *Verus omnium Salvator esse cognoscitur, & factis & nomine.*

Em. Max. Tr Appen. in Iosue §. 9 p. 727. col. 2. n. 41

Jacob Patriarcha ultimum vitæ suæ diem terminaturus erat, cùm ecce à dilectissimo filio suo Josepho Ægypti Vicerege visitatus, gratiam ab eodem poposcit, nimirum ut sub jurejurando, ossa sua permissione suâ in Ægypto nequaquam sepelienda esse, promitteret: *Ne sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum Patribus meis, condasque me in sepulchro majorum meorum*; cujus petitioni Joseph libentissimè condescendens pollicitationi factæ fidem se daturum esse promisit. Unde pius Senecio consolatione plenus, *adoravit Dominum conversus ad lectuli caput.* Circa quæ verba Scriptores Sacri, quemnam Dominum Patriarcha adoratit, curiosè investigant: Theodoret per Dominum hunc Josephum intelligit: *Somnium Ioseph completum est, vidit enim Solem, & Lunam, & stellas undecim adorantes eum.* Idem quoque Chrysostomus confirmat, dum ait: *Vide senem decrepitum Patriarcham adoratione honorem Ioseph declarare, & reipsa complere visionis eventum.* Veruntamen quod hanc opinionem attinet, minimè convenire videbatur, ut tanti meriti Pater filium suum honoraret, eidemque sese humiliaret, cùm potiùs accidere contrarium debuisset, ac proinde legit Ambrosius: *Adoravit Israel summitatem virgæ ejus.* Septuaginta Interpretes legunt: *Adoravit fastigium virgæ ejus.* Sic quoque S. Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos, expressè dicit: *Et adoravit fastigium virgæ ejus.* Sistit hic non nihil Theodoretus, & causam investigat cur Israël, id est, Jacob summitatem aut fastigium ejus quam Joseph, tanquam Vicerex Ægypti, in manu sua deferebat, virgæ adorârit? *Quid est hoc adoravit Israel ad summitatem virgæ?* Cui difficultati multi cum

D. Zeno in Bibl. vet. PP. fac. 3 pag. 111. col. 2. G. Gen. 47.

Theod. ibid. pag. 25. col. 1.

Ibi p. 107. Hom. 66. col. 2. M. Abul. ib. p. 720. col. 1. I.

Apud D. Thom. ibid lect. 5 p. 226. col. 4 H. ad Hebr. 11. v. 21. E.

Theod. ubi sup.

Gloss. or.

Glossa respondent, dicendo, quòd *adoravit sceptrum Ioseph non in se, & absolutè, sed in quantum erat signum & figura potestatis Christi.* Remigius Episcopus & Primasius, ambo velut unâ eâdemque linguâ hisce formalibus verbis respondent: *Iacob cognovit designari per illam virgam Ioseph, regnum Christi, per fastigium verò, id est, summitatem virgæ, potentiam & honorem regni Christi.* Et S. Thomas de Aquino eandem opinionem adferens, dicit: *Adoravit Christum significatum per virgam illam sicut & nos adoramus Crucifixum & Crucem ratione Christi passi in ipsa.* Verum quidem est, hisce responsionibus nihil in contrarium opponi posse, veruntamen nequaquam à vero alienum fore credo si quis affirmaret, Jacobum illo tempore oculo prophetiæ vidisse, quicquid in persona Christi eventurum erat, quasi in hæc verba vitæ suæ terminasset periodum: virga ista quam in signum authoritatis tuæ in manu tua defers (ô Joseph) Crucem illam mihi repræsentat, in qua Messias ab ipsimet Hebræis nostris est crucifigendus, atque ideo hisce oculis meis video & corde adoro summitatem seu fastigium illius, in quo ignominiosis characteribus verum Messiæ nomen descriptum prævideo, scilicet Jesus Nazarenus, quod idem est quod Salvator; Et quidem certus sum, quòd factis & operibus ab hoc nomine suo minimè discordabit, siquidem vitâ suâ propria comparabit Hebræos, & sanguinis sui pretio redimet Gentiles. O Sanctissimum nomen! Ego te hîc reverenter adoro, devotumque hoc adorationis obsequium in hoc ultimo vitæ meæ termino venerabundus offero. *Illa virga significat Crucem Christi: Illius summitatem adoravit Iacob, quia cum in inscriptione Crucis Christi contineatur Iesu nomen, dum adoravit summitatem virgæ illius, visus est adorasse sanctissimum Iesu nomen.* Unde S. Zeno optimè arguit: *Quod Christus verus omnium Salvator esse cognoscitur factis & nomine.*

D. Primasius in Bibliot PP. tom. 6. p. 2. pag. 140. col. 2. F.

Remigius Episcopus tom. 5. p. 3. pag. 102. col. 1. A.

D. Thom. in cap. 11 ad Heb. lect. 5. pag. 116. col. 4. H.

Honophr. Manesc. Conc. de Cruc. pag. 149. col. 3.

D. Zeno in Bibl. PP. tom. 3. pag. 111. col. 2. E.

15. Non erit abs re si veritatem istam per alium quendam scripturæ locum confirmaverimus. Notum etenim est ex primo Regum libro, quam insupportabilis fuerit Goliath gigantis arrogantia: Terror enim quem solo sui aspectu incutiebat, generosissimorum etiam militum animos dejiciebat: solus David pastorculus ne quicquam eum extimuit, quin potius animo intrepido ad singulare cum eo certamen ineundum generosè se obtulit; Non illum perterrefecerunt gravia armorum pondera quibus erat accinctus, nec formidabile hastæ ferrum, quo erat munitus, ideoque heroico ausu solo baculo, fundo, & lapidibus instructus obviam illi processit, adeò ut Gigas adolescentuli temeritatem demiratus, eum deridendo dixerit: *Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo.* David interim lapidem industriè sibi seligens, fundæ eundem inseruit, tantoque cum impetu fronti gygantis impegit, ut is in pedibus consistere non valens, in terram prolapsus paulò post miserè expirârit. Ita communiter accidere iis solet, qui alios contemnentes, nimium de se præsumunt. Portò ea est nonnullorum opinio, quòd David tribus singulari cum industria conquisitis lapidibus, trinies caput illius petiverit, è quibus tamen solus tertius eum mortuum in terram prostraverit. Inter cæteros Hugo Carensis dicit: *Revera David tres lapides jecit, quibus percussit Goliam, sed uno prostravit.* Verùm, inquies, quænam igitur inter hosce lapides fuit differentia? Num fortè tertius hic lapis cæteris fuit ponderosior? aut verò manu Davidis in Gygantis frontem validius impactus? vel fronti directius infixus? Idem Hugo *In virtute nominis Domini* id accidisse respondet, ubi notanter observandum, quòd non dicat: *In virtute Domini*, sed *in nomine Domini.* Etenim quale istud Domini nomen fuisse existimas? utique non aliud, quàm sanctissimum Jesu nomen lapidi à Davide inscriptum: *In medio lapidis, quo David prostravit, & interemit gygantem, inventum fuit sanctissimum illud nomen Iesu.* Verùm enim verò attentos vos hîc esse desidero Auditores. Suprà diximus, quòd Jesus idem significet, quod Salvator, ac proinde cùm lapis hic à Davide in gygantis frontem valide infixus Jesu nomine fuerit insignitus, evidens est, lapidem hunc conformiter inscripto sibi nomini fuisse operatum, dum gyganti vitam eripuit, Davidem sospitem servavit. Israëlitis quoque salutem attulit, & optatam in prælio victoriam; Et hoc quidem in figura accidit. Cæterum reverà petra seu lapis iste Christum Dominum nostrum significat: *Petra autem erat Christus.* Et S. Gregorius: *Lapis in sacro eloquio Dominum & Redemptorem nostrum significat.* Mysticus autem lapis iste sanctissimo Jesu nomine fuit insignitus: *Vocatum est nomen ejus Iesus*, idemque cum infernali gygante dimicavit, eumque fortiter prostravit; & vicit: *Subvertit potentias Diaboli*, nobisque ab ejus tyrannide feliciter liberatis nominis sui significato aptissimè respondit: *In illo quidem tunc figuratum est, quòd in Domino Iesu Christo completum est* (inquit S. P. N. Augustinus) *venit enim verus David Christus, qui contra spiritualem*

1. Reg. 17.

Hugo Card. ibi. pag. 232. col. 2. F.

Hugo ibi.

Ioan. de Carthag. de SS. Trin. arcan. lib. 1. hom. 9. pag. 51.

D. Greg. 1. Reg. c. 7. pag. 958. col. 1. c.

Ser. 179. de temp. tom. 2. pag. 225. col. 4. L.

lem Goliath, id est, contra Diabolum pugnaturus, crucem suam portavit, sicut enim baculus, crucis typum habuit, ita etiam lapis ille, quo percussus est, Christum Dominum figurabat.

16. At verò pro majori evidentia duos in Circumcisionis actu causatos effectus singulariter observemus, quorum unus in Christo, alter in Maria: unus in sanguine, alter in aqua, & lachrymis accidit. Eo namque temporis momento quando Sacerdos, vel alter quispiam ad sacratissimæ humanitatis incisionem cultrum applicuit, quidam sanguinis rivus ex inflicto vulnere dimanare visus fuit: Virgo autem Mater dolori dilecti filii sui tenerrimè compatiens quin ex oculorum venis copiosum lachrymarum rivum scaturiret, continere se minimè potuit. Quod tametsi Scriptura S. expresè non asserat, ex affectus tamen materni vehementia valde redditur credibile, prout etiam nonnulli Scriptores tanquam verisimile recensent; *Indubitatum est interfuisse Virginem beatam, similiter concepisse immensum dolorem ex aspectu sanguinis filii sui decurrentis; Quanam margaritæ defluebant ab oculis suis virgineis per genas, cùm cerneret rutilantem cultrum imminere carni filii sui?* Etenim duos valde admirabiles sanguinis & aquæ fontes mihi hoc in loco ex improviso ob oculos obversantes videre videor, non jam ejus naturæ, cujus erat ille Debri in Garamantis, qui ut Solinus scribit diurno tempore frigidus, nocturno vero calidus erat: *Alternis vicibus die friget, nocte fervet, interdum ignito vapore æstuat, interdum glaciali algore algescit.* Nec fonti Meandri similis, in quo lapis quidem nascitur quem qui ad collum suspensum defert, mox in delirium incidit. *Pectori alligatus infantem parit*, inquit Textor. Nec ita noxius prouti Fons Aphrodisii erat, cujus aqua à mulieribus potata, sterilitatem post se relinquit: *steriles reddit mulieres:* Nec adeò malignus, ut fuit Fons ille Arcadiæ, cujus aqua ut Plinius affirmat, prope Nonacriam & Styx scaturiens, bibentibus illam mortem subitam accersit. Verùm incomparabiliter admirabiliores sunt Fonte illo Illirici, cujus aquis (tametsi eæ frigidissimæ sint) si desuper pannos expandas, flammæ erumpunt, pannosque accendunt. Prodigiosiores etiam sunt Fonte Neminiæ, qui locum persæpè mutat, eâque mutatione anni ominatur sterilitatem, vel abundantiam: Ratiores quoque sunt Fonte, qui in Insula Dandri in quodam Bacchi templo scaturit, qui quovis redeunte anno, Kalendis Januarii in vinum transmutatur: Admirabilior quoque est Apollinis fonte, qui in Calophone manat, & hac præditus esse virtute perhibetur, quod qui ejus aquam potaverit, futura certò prædicat. Et quidem si admirabiles horum sacratorum fontium qui hisce Kalendis, hoc est, in ipso totius anni exordio scaturiêre, virtutes intelligere desideratis, revocandum vobis in memoriam erit, quod magno illi Macedonum Monarchæ accidit. Hic enim dum unà cum exercitu suo in aperto campo consisteret, jamque exercitus sui, quà peditum, quà equitum acie in optimum ordinem depositus, atque ad hostilia castra impetenda, prompta, & expedita, tympana quaquaversum resonare cœpissent, mox duo limpidissimi fontes ex improviso coram Alexandro visi sunt scaturire. Quo improviso miroque eventu conspecto, magnus hic heros substitit, significatumque inexspectati hujus eventus cognoscendi percupidus, Philosophos coram se accersiri jussit, inter quos unus cui nomen Aristarchus, prognosticum utriusque fontis hunc in modum exposuit, scilicet, unum illorum fontium significare, quod robore & generositate suâ viram salutemque exercitus sui esset assecuraturus: alterum verò certissimum esse ingentis victoriæ indicem quam de suis hostibus gloriosè reportaturus esset. Etenim si ab hisce fontibus, ad illos, qui hodierno die scaturire cœperunt, fontes digredi velimus, quorum unus sanguinem manabat è Christi sacratissima humanitate erumpentem, alter verò lachrymas ab oculis Virginis Matris copiosè stillantes effudit, quidnam hi aliud innuere voluerunt, quàm quòd hic circumcisus infantulus, ut sanctissimi nominis sui Jesu significato perfectè responderet, de inimicis nostris veluti Salvator noster gloriosè triumphans fidelium suorum totiusque generis humani exercitui proprio sanguine suo salutis securitatem infallibilem esset procuraturus? Hodie duo hi mystici fontes Angelorum redemptionem, hominumque salutem certo nobis præsagiunt. *Idem quippe & Angeli Salvator & hominis* (inquit Bernardus) *sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.* Hodie in Circumcisione ad horum lacrymas & sanguinem manantium fontium scaturiginem, Passionis suæ seriem exordiens, nobis innuit, quòd ut actiones suas cum nominis sui significato conformet mundi totius Redemptor pariter & Salvator declaretur. *Cùm primùm nomen Jesu accipit, sanguinem Circumcisionis emittere voluit: quasi diceret, ut cognoscat mundus, me non inane ac vacuum nomen Salvatoris habere velle.*

Corn. à Lap. in c. 2. Luc v. 22. pag. 55. col. 1.

Did. de la. Vega in Festo Circumcis. pag. 214.

Iul. Solin. c. 42. pag. 85. n. 1.

Io. Text: t. 2. de Nat. mir. aquar. 415.

Ca. Plinus lib. 1. cap. 106.

Petrus de Valdera. map 1. sem. 2. de Circumc. pag. 218. col. 1.

Serm. 1. de Circumc. pag. 87. col. 1. L.

Franc. Lab. Tom. 2. de nom. Jesu Proph. 5. pag. 12.

17. Matthæus

17. Matthæus Evangelista refert quod mox ut Filius Dei in civitate sua appulit, multi pietate moti infirmum paralysi graviter vexatum in corpore, in anima vero gravius infestatum peccato, coram eo adduxerint. *Et ecce offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto.* Mox autem ut verbum incarnatum eundem conspexit, absque eo quod infirmus vel minimum signum ederet, desideril recuperandæ sanitatis expressivum aut cœlesti hunc Medico supplicaret, spontaneè & *motu proprio* dignatus est eundem primævo integræ, optimæque sanitatis statui restituere. *Dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ecce eum, quod animæ sanitatem attinet, perfecte redintegratum: *Surge tolle lectum, & vade in domum tuam.* Ecce itidem eundem membrorum suorum pristino vigori perfecte restitutum. Circa hunc locum modernus quidam scriptor meditationes suas passum fistit, & stupefactus considerat: *Si paralyticus hic veniam & remissionem minime poscit, cur eam illi sic concedit Christus?* Ubinam sunt ejus lachrymæ, quæ linguæ officium supplent? ubi sunt illius suspiria, quæ interna cordis desideria exprimunt? Ergone dona sua adeo faciliter egentibus tribuit, tametsi eadem non dignentur petere? Legitur quod cum Alexander Magnus Thebanæ civitatis mœnia ab ipsis fundamentis totaliter diruisset, mulier quædam locupletissima, cui Phrines nomen erat, civitatis miserata eam denuo reædificare, pristinoque statui restituere fuerit aggressa, idque ab ea ultro citroque absque ulla sollicitatione prævia præstitum fuit, hoc solum desiderans, ut omnibus se mœnium Thebanorum testauratricem fuisse innotesceret, quo fine hanc Epigraphen mœnibus inscribi curavit: *Alexander Magnus hæc mœnia diruit, Phrines vero reparavit.* Pari quoque ratione, cum infirmus hic à paralysi in terram dejectus esset, & in anima sua magnopere damnificatur. Christus utrumque spontaneè & motu proprio restaurat, atque in anteriorem gratiæ statum reædificat, quæ à culpatum & inimicorum infernalium exercitibus diruta & desolata erant, volens nimirum nomini Jesu, quod Reparatorem significat, per omnia perfectissimè satisfacere & respondere, ut vel sic unusquisque dicat, quod id, *Quod peccatum diruit, Iesus reparavit.* Unde eruditus author præfatus inquit: *Advenit Christus, ut quod everterant regionis tartareæ principes, reficeret ipse; quod ille illustrius indicavit ut inde sibi nomen voluerit imponi, & ideo vocatum est nomen ejus Iesus*, & ad propositum de præfato paralytico, ulterius scribit: *Sic Christus facile veniam non petenti concessit, ut hinc constet, quam vere Salvator ipse sit.* Corporis nimirum & animæ Restaurator.

Matt. 9.

Franc. Lab ubi inferius.

Franc. Lab c. 1. de Nom. Iesu Prop. 31. pag. 284. col. 2.

idem. c. 3. Prop. 5 de Nom. Iesu fol. 647. col. 2.

18. Solent à sacris scriptoribus multæ piæ meditationes super illa petitione, quam Crucifixus latro Redemptori nostro proposuit instituit scil. *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Nam circa hæc verba duæ considerationes præcipue mihi suggeruntur. Prima est, cur, & ex quo motivo latro hic inductus fuerit, ad dicendum: *Memento* Secunda est, cur Christus adeo prompte latroni responderit, dicendo: *Hodie mecum eris in paradyso.* Quantum attinet ad verbum *Memento*, ita discurro; vidit latro Titulum illum Crucis summitati inscriptum & Salvatoris vertici imminentem. J. N. R. J. & cogitare cœpit, Jesus idem est quod Salvator. Quare O *Domine memento mei*, cura salvando animam meam, ut glorioso nomini tuo, quo es insignitus, perfecte apteque respondeas. Imo verò, inquit Dominus, juste id à me poscis, ideoque petitam gratiam tibi abnuere haud quaquam possum: *Hodie mecum eris in paradyso.* Verum inquies, nunquid latro iste vir impius est, qui propter gravia scelera sua infernum sæpius est promeritus, de quo proinde S. Gregorius scribit: *Non legitur quod unquam fecerit aliquod bonum, semper fuit malus & vitiosus*, quomodo igitur idem hunc in mortis agone constitutus cum Dæmone confligens vincet infernum, & triumphabundus ingredietur Paradysum? Occurrit hoc loco, quod cum Clodovæus Francorum Rex, etiamnum gentilis, cum Alemannis dimicaret, à quibus ob dissipatum ab illis exercitum cum victoriam desperaret, ut ab inimicorum suorum manibus liberari, victoriæque palmam securam sibi reddere posset: *Elevatis oculis in cælum, compunctus corde, commotus in lachrymas ait: Iesu Christe quem Clothildis* (quæ Regina consors sua, atque Catholica erat) *prædicat filium Dei; qui dare auxilium laborantibus, victoriam in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito, ut si mihi victoriam super hos hostes indulseris, credam tibi & in nomine tuo baptizer.* Quid fit? *Cum autem hæc diceret, Alemanni terga vertentes in fugam labi caperunt.* Dei Filium sub sanctissimo Jesu titulo invocavit, & quia nomen istud Salvatorem, & Redemptorem significat, ideo redemptus & salvatus;

D. Greg. apud B. Vincent. Fer. serm. de Nat. B V. 150. col. 3. Baron. t. 6. An. Ch. 499. fol. 464. n. 16. E.

vatus; imo victorioſus permanſit, omniaque cæteris aut mortis pericula evaſit : Simili modo cum latro in temporalis & æternæ mortis conflictibus verſaretur, & victoriæ palmam ſibi ſecuram reddere, ſuamque animam è manibus Dæmonum & inferni faucibus ſalvare poſſet, ex viſo in Crucis vertice ſanctiſſimo Jeſu nomine animatus fuit, ut ſe Chriſto enixè recommendaret, ut velut Jeſus, id eſt, Salvator, in periculoſo mortis agone ſibi impertiretur ſalutem. Unde piiſſimus Redemptor noſter, ut glorioſi nominis ſui ſignificato reſponderet, ipſum ab æternis Inferni incendiis, & ſathanæ tyrannide clementiſſimè liberavit, eique Paradiſum liberaliter donando plenam quoque ſalutem indulſit : *Hodie mecum eris in Paradyſo.*

19. Conformiter ad ea, quæ hactenus diximus diſparitatem, quæ inter nomen Jeſu & Antichriſti intercedit, velim obſervemus. S. Joannes Evangeliſta in ſua Apocalypſi peſſimas Antichriſti qualitates deſcribens, in particulari de Nomine ejus refert, quod ſi literæ Nominis ſui per viam numeri Arithmetice numerentur, aſcendant ad conficiendam ſummam *666. Et numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* Ubi modernus quidam author bene advertit, quod *Antichriſti nomen ex ſenariis conficiatur :* Glorioſum vero Jeſu Nomen juxta Græcorum calculis factum computum aſcendit ad ſummam 888. idque ſequenti modo oſtendunt: Nam litera I. 10. ſignificat: H. 8. Σ. 200. O. 70. Υ. 400. Σ. 200. Qui omnes numeri ſimul juncti faciunt 888. *Nomen Ieſu* igitur *ex octonariis conſtat* Etenim nunc obſervate, obſecro, myſterium. Quandoquidem numerus ſeptenarius requiem, & ſalutem ſignificet : Senarius econtra, quia ad ſeptenarium non attingit, innuit omnino contrarium, inquietudinem videlicet & perditionem. Unde Antichriſtus quoque vitæ ſuæ geſtis, & factis nomini ſuo perfectè reſpondebit. Numerus autem per ſanctiſſimum Jeſu nomen expreſſus contrarium omnino infert, ſiquidem octonarius æternam nobis beatitudinem indicat, ac proinde octo quoque ſunt beatitudines, prouti ex Evang. diſcere poſſumus. *Quia ſenarius non pervenit ad ſeptenarium, qui numerus requiem ſignificans, octonarius verè eſt gloriæ ſymbolum* Ut igitur Chriſtus ſanctiſſimo Nomini ſuo apte reſpondeat, obligatus quodammodo eſſe videtur, ad conferendam nobis cælorum quietem, æternamque Paradyſi gloriam, prout reapte in latrone cernitur, cui dixit: *Hodie mecum eris in Paradyſo.*

Apoc 13. v. 18.

Honoph. Meneſ de Circum. Chriſti. col. 148. fol. 2.

20. Quapropter licet exurgat contra nos infernalium exercituum Princeps Sathanas, ſuæque militiæ nequiſſima arma contra nos quantumvis potentiſſime levet, nihil eſt tamen quod nos conturbare poſſit, ſiquidem Archiſtrategus noſter Jeſus vires ejus diſſipabit, conſilia infatuabit, noſque à doloſis ſtratagematibus illius potenter ſalvabit. Eſtne qui hac de re dubitare poſſit? Et quomodo id poterit, ſi ad dulciſſimum Jeſu, id eſt Salvatoris nomen reſpicere velit ? unicum duntaxat validiſſimi præſidii adducam exemplum, quod pro millenis aliis quæ in hanc rem declarandam in medium adduci poſſent, abundè ſervire poterit. In vita namque S. Simeonis Stylitæ legitur, quod barbarus humani generis hoſtis, ſanctitatis amictu indutus, atque in Angelum lucis transformatus, eximii illius ſervi Dei Simeonis Stylitæ bonitatem & ſimplicitatem per aſtutias, fraudeſque ſuas ſubſannaturus acceſſerit, eidemque lætu vultu ſignificarit, Deum in ejus orationibus, jejuniis, ſanctitate &c. miram habere complacentiam & ſatisfactionem, ac proinde cum eum ob vitæ integritatem, variaſque abſtinentias, velut alterum quendam Eliam æſtimet, decretum Deo eſſe, ipſum haud diſſimilibus ſublimare honorum præmiis, hocque fine ſe à Deo expeditum eſſe, ut in adducto ſecum de cælis, igneo curru ad cælum ipſum transferret. Quapropter ingredere, inquit, igneum, flammeumque currum iſtum, nec recuſes favores, quos Divina benignitas, atque clementia tibi dignata eſt impertiri ? Neque ullam tui læſionem ab hiſce flammis timeas, cum corpus tuum per tot abſtinentias & macerationes ferè ſit glorificatum, Deuſque ab hujus ignis flammis concurſum ſuum ſuſpenderit, ne activitate ſua lædere, aut offendere te aliquâ ratione poſſint. Dubitaſne forſitan ne ſemitæ è terra in cælum dirigentes, difficulter admodum inveniri poſſint? Omnem pone metum, ego namque divinorum præceptorum executor, millies iter iſtud eundo & redeundo confeci, tibique vitæ dux, & currus iſtius auriga ero. An non vides equos hoſce igneos moræ ulterioris impatientes, tuam diutius tardationem ſuſtinere nequaquam poſſe? Simeon igitur ex falſis hiſce perſuaſionibus, & fallaci invitatione, ad credendum valde diſpoſitus, & inclinatus, currum ingreſſurus dexterum pedem expendit, ſimul tamen eodem tempore invocato ſanctiſſimo JESU Nomine, quaſi dicere voluiſſet: Quod ſi ſub hoc curru aliqua latet Diaboli illuſio, atque

Anton. diſcipuli ejuſdem Simeonis in vita ejus c. 5. apud Roſweidum pag. 172.

atque deceptio, ab insidiis inimici, si quæ subsunt, me liberato, ut Nomini tuo, quo Salvator diceris, respondisse censearis. Hoc autem Nomine pronuntiato, in unico momento, & currus disparuit, & evanuit dolosus ejus auriga: *Simeon jam ascensurus pedem alterum in fallacissimo curru posuit, sed Dominum Jesum inclamans, mox currus, & auriga evanuerunt.* Ecce qualiter magnus hic Dei servus sola Nominis JESU invocatione, ab illusionibus Diabolicis subitò fuerit liberatus. Cum enim Nomen istud in semetipso significatum contineat salutis, dictus hic Dei servus salutem hanc in propria persona reipsa verè fuit expertus, mox enim ut Nomen istud labiis suis devotè expressit, destrui cœpit ficta hæc machina, extinctæ sunt flammæ ignis, disparuere equi ignei, omneque mendacium evanuit, adeoque fraudulentus ille Averni tentator confusus fugere debuit. Unde sicut apparente sole, tenebræ in unico instanti subito in nihilum resolvuntur, ita quoque omnibus Diaboli consiliis & dolis dissipatis, Sanctus Simeon ab eo salvus remansit. Quod Simeoni hac in re accidit, servire mihi hoc loco poterit ad assumpti hujus corroborationem, vobis autem velut vivum quoddam exemplum ad imitandum vobis propositum, ut scilicet in quovis casu obvio, quo hostis vester infernalis insidiosas animæ vestræ strueret insidias, Jesus semper sit in vestro corde, Jesus vestræ infixus maneat memoriæ, Jesum linguæ vestræ pronuntient in quavis obvia necessitate, sic enim infallibiliter, juxta Nominis sui significatum, ejus quoque feliciter potiemini effectibus.

Hierem. Drexel. T. 4. p. 2. c. 1. Palestra Christiana. Pag. 702. col. 2.

Verum dicet fortasse nonnemo, ex antecedenti aliquo particulari minime inferri posse conclusionem aliquam universalem. Neque ego idipsum diffiteor. Verum nec vos mihi negare poteritis quod non tantum huic Dei servo, verum etiam omnibus aliis sanctissimum Jesu nomen devote invocantibus, Redemptor noster promptum semper attulerit auxilium, cunctosque sancto Nomini sui correspondentes, semper sit exhibiturus salutis effectus. Ut proinde Vincentius Bellovacensis, & alii, de S. Edmundo Cantuariensi Archiepiscopo non immeritò scribant, quod eidem, dum adhuc puer parvulus esset, orationi dedito Christus Jesus in specie parvi pueri apparens, ipsum hisce verbis salutaverit: *Salve charissime*, ex qua visione Edmundus plurimum territus, mox tamen à parvulo Jesu, his verbis animatus fuit, *Ne timeas*, respice vultum meum, & frontem meam observa, quod dum Sanctus Edmundus faceret, vidit, & legit fronte ejus literis aureis inscripta duo hæc pretiosa nomina: *Iesus Nazarenus.* Cui proinde Jesulus subjunxit. Huic Nomini semper esto devotus, illudque menti tuæ impressum, in corde semper portato atque in cunctis obviis eventibus, tam nocte quam die, pollice manus tuæ fronti tuæ inscribito, promitto enim tibi firmiter, quod per me ab omnibus tibi imminentibus corporis, & animæ periculis, siniströque casibus sis liberandus: *Scribe fronti tuæ noctibus singulis nomen hoc; quo facto non est quod subita morte, aut altero periculo timeas præveniri.* Salvator enim noster (subdit alius quidam Scriptor modernus) ad hoc se obligatum esse censet, ut nominis sui Etymologiæ firmiter respondeat: *Vt beneficio Ethymologiæ Nominis sui, quod salus sonat, perfectam animæ obtinere mereatur salutem.* Quapropter, Auditores, ad imitationem Christi curandum nobis quoque erit, ut illustrissimo, quo insigniti sumus Christiani nomini perfectè respondeamus opera exercendo charitatis. Hoc mane enim multi pauperes vestrarum Eleëmosynarum subsidia præstolantes, insignem charitatis exercendæ occasionem subministrabunt. Estote igitur benigni & charitativi erga inopes; In secunda namque parte de iis, qui contrarium omninò faciunt, sermo instituetur. Interea nonnihil quiescamus.

Did. Vega serm. de Circ. pag. 197.

Vinc. Bellov. 4. p spec hyst. lib. 32. Pomer. ser. de Circ.

PARS SECUNDA.

2. Quis non horreret, si librum aliquem, hac pia inscriptione (*Opera Divi Augustini vel Moralia S. Gregorii*) notatum videns, postea apertum pervolutando librum, illum præter Arrii & Calvini hæreses aliud nihil continere deprehenderet? Similiter quanta futura esset deformitas & dissonantia, si qui defensoris glorioso titulo insignitur, omnem ab aliis inferenda mala adhiberet industriam, aut si qui Protector appellatus, opere ipso destructorem potius se esse probavit; aut si quis charitative nomen usurpans, externis operibus rabidum potius canem exprimeret? vel si quis Secretarii munere fungens, Principis sui secreta revelaret? aut si qui Magistri nomine gloriatur, ipsa esset ignorantia & stupiditate ignorantior: Denique

si, qui Pastor est, lupum se vitæ motibus ostenderet? aut, si is qui pius, impius, qui illuminatus passim appellatur, verè cœcus esse deprehenderetur! O quantæ hæ fututæ essent exorbitantia! *Reatus impii est pium nomen* (inquit Salvianus) *magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat.*

Salis. lib. 3. & 4. de guber.

22. Nescio profecto an Christus, quando Centurionem vivacissima fide pro salute corporali servi sui sollicitantem audiens, ad circumstantes conversus dixit: *Non inveni tantam fidem in Israel*, nescio, inquam, an per hoc Verbum incarnatum Centurionem hunc dignis voluerit laudibus celebrare, an verò non potius omnes voluerit Israelitas reprehendere. Verum etenim est quod Dominus Centurionem tanquam fidelem à fide sua commendet, attamen ipsum uno eodemque tempore Israelitas tanquam Infideles reprehendere, quis non videt? verè enim propter obstinationem & malitiam suam reprehendi merebantur, & ideo mirum non est, si illos pro merito suo reprehenderit, sed potius miror quod dum adversum ipsos lamentatur, illos Israelitarum nomine appellet: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Cur non dicit: *In Capharnaum? In Ierusalem? In Hebræis.*

Matt. c. 6.

23. Hujus Scripturæ intelligentiam facile acquiremus, si quod S. Joannes Evangelista in mystica sua Apocalypsi scripsit, debita cum attentione observaverimus. Præcipit Deus Secretario suo ut literam quandam duriusculam ad Sardinæ Episcopum dirigendam exaret. *Angelo Ecclesiæ Sardis scribe:* Quidnam est quod scribere debeo? *Scio opera tua, quia nomen habes quos vivas, & mortuus es,* Hunc Episcopum nonnulli S. Melithonem fuisse volunt, qui postea Martyr pro Christi fide necatus est: Lyranus autem supposita, qua Episcopus hic fulsit, vitæ integritate & sanctimonia, in contratiam opinionem declinat. Verum utut sit, literæ tenorem observandum esse existimo: *Scio opera tua. Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Quæ verba S. Augustinus exponens dicit: *Multi in corporibus vivis animas mortuas portare noscuntur* Ambrosius Ansbertus inquit: *Hunc Angelum nomen habere dicit, quod vivat, operibus verò mortuum designat.* Quod idem est ac si diceret: Magna est deformitas, quando opera non correspondent nomini. Pater Alcazar scripturam hanc matis exprimens dicit: *Respicitur ad ipsum Episcopi nomen quod græcè significat inspectorem sive speculatorem* id est vigilantem.

Apoc. c. 3. Hist. Eccl. l. 5. c. 24. Lyranus ibid.

D. P. Aug. ib. hom. 3. pag. 142. col. 3 H. Ambr. Ansb. in Bibl. vet. SS. PP. p. 2. fac. 9. pag. 343. fol. 2. H.

Unde ideo ipsum reprehendit, quod, cum tanquam Episcopus vigilantis nomen obtinet, ipse tamen mortis somno obdormiscat, quasi diceret, indecens valde est, & prorsus absurdum in Prælato, & quovis alio homine, vitam ducere, moribus præditum esse, vel operationes exercere, à nomine quod obtinet, prorsus differentes. *Non satis est arborem vivere, & vivere, fructus tamen debitos non habere,* inquit Primasius.

Aleaz. in c. 3. Apoc.

24. Hoc etenim est punctum illud, quod supra in casu Centurionis tangitur. Deus de Hebræis, utpote veris Israelitis lamentatur: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Ponderandum enim est hoc nomen *Israel*, quod videntem Deum significat: *Israel, id est, videns Deum,* quasi Salvator diceret: vos, ô Hebræi, nomen *Israelis*, quod *videre Deum*, significat, retinetis, cum tamen actiones vestræ opera sint cœcitatis, vivitis enim tanquam cœci, qui nec videre, nec cognoscere quidquam desideratis. Unde Basilius Seleucus cum eodem Israelita loquens dicit. *Nomen quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum est ut amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur appellationi, cujus virtute cares, contumeliam irrogas? Quid gestas cognomen, quod personæ probro sit factus appellationem impugnans, & calumnia nomen tuum afficis.* Multi, qui vitam à nomine suo plurimum discrepantem agunt Chamæleonte similes evadunt, qui nomen magnum, & corpus minutum valde habet ut notat Tertullianus. Magnates appellamus *Principes*, quia tanquam pedes principales subditorum suorum corpus sustentare debent, verum nomini suo minimè respondent, quin potius volunt, ut subditi, veluti pedes eorum ipsos sustentent, hoc namque fine reditus ipsorum levant, Datias & gabellas imponunt & consimilibus extorsionibus & iniquitatibus subditos bonis suis paulatim exuunt, & spoliant. Unde non Principes, sed Tyranni sunt appellandi. Multi Prælati, qui Pastores esse, suumque gregem gubernare deberent, eundem intra lupi dentes relinquunt, oves suas ad sanguinem usque emulgant, lanam detondent, imo pellem omnino decoriant. Eheu! quot sunt qui nobilitatis nomine gloriantur, cum tamen nihil in se nobilitatis, præter solum nudum nomen obtineant; talia enim committere non dubitant, quæ gens cæteroquin vilissima absque verecundia facere non posset. Quid, obsecro, hoc nomen Sacerdos importat? utique personam sacram propriè significat, cum tamen multi illorum vana-

D. Primas. in c. 3. Apoc. l. 1 c. 2. in Bibl. PP fol. 155 col. 2 F.

D. Basil. Seleucus orat. 19.

Tertull. l. de Pallio c. 3.

nam

nam prophanamque prorsus vitam ducant, imò pejorem, quam sæculares agere soleant, omnem dissolutionem sibi licitam esse arbitrantes, loquendo, se vestiendo, incedendo, conversando sacerdotii sui gradum & dignitatem deturpant. Dum is, qui caput familiæ est moritur, mox è cognatis proximus, declaratur esse tutor. Qua autem ratione, ut huic nomini latis faciat, sibi commissos tuetur; veluti spongia quædam totam sibi substantiam exsugit, pupillis & orphanis fame, & nuditate pereuntibus. Quot sunt mulieres, quæ cum Mariæ nomine sunt insignitæ, pejus vivunt quam vixerit Magdalena, quando *erat in Civitate peccatrix?* Volunt audire Domina, cum vera sint dæmonis mancipia. Nos omnes Christiani libenter dicimur, cùm Turcicè, imo bestialiter vivamus, nihil de Christianismo, præter solum nomen, circumferentes. *Christianus vocatus es, parce huic nomini, propter te blasphemetur Dominus noster Jesus Christus, sed luceant bona opera tua.* Demum vero discursum hunc cum insigni quadam S. Ambrosii exaggeratione concludam, qui dicit: *Nomen Christi pratenditis, & substantiam denegatis.*

D. Chr. Ieros. Cath. 10. D Ambr. de spir. c. 18. lib. 3. pag. 163.

SERMO SECUNDUS.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Et apertis Thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matt. c. 2.

1. QUemadmodum in Lapide Lydio auri perfectionem experiri solemus, ita amoris integritas in donorum exhibitione exhiberi consuevit: *Amor sentitur in donis*, inquit Magnus ille Pontifex S. Gregorius, & modernus quidam subjungit: *Dilecto non tam comprobatur affectibus, quam muneribus.* Unde Rex Tambuttinus in Africa ingens quoddam Regi Fezzano misit donarium, scilicet quinquaginta mancipia nigra, totidemque puellas, Decem Eunuchos, duodecim Camelos, struthiones decem, sedecim animalia, à quibus muscus sive zibettum provenit, ac denique sexcentas pelles Alcium. Ex Insula Magastarienſi Magno Chamo penna quædam Ruck allata fuit, quæ adeo magna avis est, ut Elephantem apprehendens in aëra sublevet, ejus quoque penna nonaginta palmos longitudinis, duos vero palmos latitudinis, seu crassitiei in se continet; cui quidam dens apri adjunctus erat, quatuordecim in pondere libras obtinens. Presbyter quoque Joannes ad magis stabiliendam cum Lusitaniæ Rege contractam benevolentiam, eidem per Abdenago Epheborum suorum præfectum, legatum suum locupletissima dona transmisit, speciatim vero idemmet, quod in vertice suo deferre solebat capitis sui diadema, simul declarans se hac corona nihil in sua potestate pretiosius habere. insuper egregia illi offerebat tum in victualibus subsidia, tum in militibus, & auro necessario subventiones, tum ad munimentorum suorum præsidia & conservationes, tum etiam ad augendum ejus adversus Mauros congregatum exercitum. Rex Zifit magno Bassæ, qui magni Turcæ exercitum maritimum, seu classem bellicam per mare ducebat, Machæram quandam, seu ensem falcatum, multis monilibus, lapidibusque pretiosis opulentissimè distinctum, doni loco obtulit, cui adjunxit longam quandam margaritarum lineam, quarum singulæ sex scrupulos continebant; & prætereà aliam lineam, sive torquem ex meris quoque margaritis confectam, quarum singulæ octodecim scrupulos in pondere suo habebant. Anno Domini 807. Aaron Persarum Rex per quendam Legatum suum, cui nomen Adella erat, Carolum Imperatorem horologio quodam donavit, quod æneis pilis horas resonans, quandam cymbali harmoniam referebat, horis vero indicatis, successivè tot equites prodibant, quot horæ insonuerant, quorum quilibet suam portam saperiens, redeundo eandem, denuo post se claudebat Ita refert Majolus Episcopus & Vincentius Belluacensis. Verum quid pro-

D Greg. Did. de Celada in Iud. c. 12. v. 1. §. 3. n. 14. fol 454. Bapt. Ram. t. 1. p 2. de Navig. in Afric. fol. 26. col. 2. D. Marc. Polus vol. 2. l. 3. c. 35. fol. 58. D. Idem ib. fol. 259. col. 2. c. 105. via. Æthiop.

Ram. t. 1. p. 2. fol. 308. fac. 2. in fine vita ad civit. Dei.

Vinc. Belluac. l. 24. c. 10. fol. 310. col. 1. & Majolus col. 23. fol. 10

phana recensemus, quando sacra in magna satis copia ob oculos se nobis objiciunt? Maximus ille Doctor & Pontifex S. Gregorius Recaredo Hispaniarum Regi dono transmisit Clavem quandam auream, illatum catenarum ferro artificiosè segmentatam, quibus S. Petrus Neronis tempore Romæ vinctus crudeliter fuerat. Alexander III. Venetiis subsistens, atque in S. Marci Basilica Missam solemniter celebrans, Serenissimo Venetorum Principi Rosam obtulit auream. Henricus II. Angliæ Rex ab Urbano III. Corona quadam donatus est aurea, admirabili cum prodigio præparata, id est, ex Pavonum plumis, iisdemque plurimis rubinis, carbunculis, adamantibus, hyacinthis pretiosissimè distinctis. Hugo Rex Franciæ alia sui erga Henricum Regem Othonis Saxoniæ Ducis filium magni affectus expressiva signa adinvenire minimè potuit, quàm donationem ensis Constantini Imperatoris, cujus custodia ex ferro unius clavorum, quibus totius universi Redemptor Crucifixus fuit, facta affabre erat. Aaron Rex Sacracenorum ad suam exprimendam benevolentiam Carolo Magno Imperatori ipsissimum Jesu Christi sepulchrum liberè donavit. Constantinus Magnus Sancto Prælato Nicolao magno Myrensium Episcopo librum Evangeliorum transmisit, gemmis, & monilibus pretiosissimè adornatum, de quo dono sacer quidam scriptor loquens dixit: *Mirus amor, mira veneratio* Sabæorum Regina Salomoni doni loco attulit centum viginti auri talenta, aromata quoque & alia dona pretiosissima, idque solum ad contestandam suam erga Salomonem, ejusque regiam coronam, amoris ingentem benevolentiam. *In argumentum amoris.*

Spec. Hist. Bar. t. 8. fol. 100. n. 38. B.

Idem t. 12. fol. 457. A.B.

Ibid. fol. 496. c.

Bar. tom. fol. 361. n. 31. E.

Cornel. à lap. t. 1. in Proph fol. 2. col. 1.

3. Reg. c. 10.

2. Hujus quoque Politicæ (quod scilicet *amor sentiatur in donis*) tres Orientis hodierni Reges, strenui fuere professores; quorum primus in Hebræo appellabatur Apellius, id est, fidelis: secundus Amerus, id est humilis: tertius verò Damascus id est, pius Græce dicebatur primus Magalath, id est, nuntius; secundus Galgalath id est, devotus, Tertius Saracin, quod gratiam significat: Nobis verò primus Balthasar, secundus Melchior Tertius Gaspar dicitur; Hi inquam in contestationem amoris quo erga recens natum Judææ Regem ferebantur, opulentissima, quæ in thesauris suis conservarant, obtulerunt munera: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Potrò Beatus Laurentius Justinianus hoc mane nos invitat, ut Regum istorum imitatores esse contendamus, ad recens natum Regem debitè adorandum teneri amoris passibus poperando: *Currite affectus, non corpore, votis, non pedibus, ut Regem vestrum in præsepio inveniatis Christum, mysticus vero munerum species deferte vobiscum,* Et S. P. Augustinus *Offeramus & nos dilectissimi fratres syncera & sancta munera Deo nostro.* Non aurum, non incensum, non myrrham, sed corda nostra. Hæc illi offere debemus, quia grata prorsus illi erunt valdeque accepta.

Zachar. Christopolit. in Bibl. vet. PP. t. 12. lib. 1. c. 8. fol. 26. col. 1. E.

Matth. c. 2.

B. Laur. Iust. ser. de Epiph. fol. 263. col. 4. n 30. & 40.

D. P. Augustin.

3. Dedit olim Deus Moysi, & Aaroni varia præcepta bonum Israëlitici populi regimen & gubernationem concernentia, quorum unum fuit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus* Quæ verba Lyranus exponens ait: *Coram me, id est, in loco sacrificii, vacuus, id est, sine sacrificio & oblatione.* Et Abulensis: *In loco sanctuarii nullus debet vacuus apparere, sed offerre munera Domino secundum differentiam tuam.* Verum enim vero præceptum istud inde magnam in se difficultatem continet, adeo ut vix sit aliquis illius exequendi modus possibilis. Primo enim certum est, quod Deus totius universi sit Dominus, qui proinde opus non habet ut aliquod à substantia, nostris mendicet subsidium, quo bonorum nostrorum indiget. Præterea qua ratione possibile erit, quod pauperes variis necessitatibus pressi, hoc possint adimplere præceptum? Siquidem Magnatibus modicum non satisfacit, nisi donum ordinatiorum munerum sphæram longe transcendas: pauperes autem perpetuum fecerunt cum auro divortium; aut verò tametsi copia illius mire abundarent, hoc tamen apud Deum majoris valoris non est quàm lutum. Unde S.P. Augustinus dicit: *Quid ergo offeremus Deo? sic (id est, vacui) veniemus ad Deum?* Pro hujus igitur præcepti faciliori intelligentia advertendum est quod David cum Deo loquens dicit: *si voluisset Sacrificium dedissem utiq;*: quasi diceret: Ad hoc ut coram te non compaream manibus vacuis, & Sacrificia Majestate diu digna tibi offeram, mihi equidem nec arietes desunt, nec tauri, nec quævis alia armenta, verum tamen scio omnino quod hisce oblationibus minimè oblecteris: *Holocaustis non delectaberis.* Unde Remigius Altissiodorensis: *si voluisses Sacrificium, scil. externus, dedissem oves, & boves, & victimas multas.* E cujus Doctrina facile arguere licet, quod Deus à nobis non externas, sed internas victimas offerri desiderat. Quamnam autem è victimis internis Deo acceptiorem, quam cor nostrum offerre poterimus? *Sane in te*

Exodi cap. 23. Lyran. ibid. Abul. ibid. fol. 464. col. c. F.

Psal. 15.

D. P Aug. t. 8 fol. 108. col 3. G Psal. 50. Psal. 50.

Remig. Altissiod. in Psal. 50. in Bibl. Vet. PP. 2. sec. 9. fol 718. col. 1. C.

D.P. *Aug. ubi supra.* *te habes quod offeras*, inquit S.P. Augustinus. *Noli extrinsecus thura comparare, sed dic: in me sunt Deus vota tua quæ reddant laudationes tibi? Noli extrinsecus pectus quod macles, inquirere, habes in te quod occidas. Prorsus spernit taurum, hircum, arietem, tam non est tempus ut hæc offerantur*, cum solùm gaudeat, & oblectetur cordis nostri oblatione: *Cor contritum & humiliatum, Deus non spernit.* Cum igitur Deus sacrificia extrema, & supradictas victimas parvi æstimet, consequens est, ut in illo Exodi præcepto: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, dicere quasi voluerit; volo ut quotiescunque ingrediendo sanctuarium in meam prodibis præsentiam acceptissimum mihi offeras cordis tui donarium. Unde Theodoretus ait: *Tu enim dixisti ferarum sacrificia non placere tibi, ideo sacrificium tibi gratum offeram. Propterea cum cor meum valde depresserim, & veluti contriverim, & valde ipsum attenuaverim, acceptum sacrificium tibi offeram.* Heu. quot sunt, qui sanctuarium ingrediuntur, id est, in Ecclesia coram sacro altari astant, in conspectu Dei comparentes, sed manibus omnino vacuis, quia Divino præcepto obluctantes cor suum Deo dare renuunt! *Cor eorum longè est à me.* Parthis olim hæc lex posita erat, ne quis in conspectum Regis, eundem salutaturus, aut veneraturus, prodiret, nisi pro possibilitatis suæ ratione gratum aliquod ei donum exhiberet: Reges *Parthos nemo potest salutare sine munere*, inquit Seneca. Simile quid de Persarum Regibus affirmat Cœlius Rhodiginus, dum ait: *legem inviolabilem fuisse, ut quando Persarum Reges sua Regna visitabant, subditi variis muneribus eis obviam irent.* Unde pauper quidam Rusticus nil, quod Cyro Regi suo offerre posset, inveniens, *Aquam manibus colligens Regi illam obtulit, quam ipse tanti fecit, ut jusserit statim pro munere illo aureum poculum, ac mille nummos aureos illi reddi.* Hanc eandem legem Deum in Exodo Hebræis, & universo per consequens Christianismo præcepisse reperio. Et quidem ut id verum esse perspiciatis, omni fugato mentis fastidio, diligenter velim me auscultare.

Theod. in Ps. 50. fol. 152. *Matth. c. 15.* *Seneca Epist. 87.* *Cœl. Rhodig. lib. Antiq. le.*

4. Optimus Deus, qui est ipsissima in abstracto bonitas, quique se nobis maximos largiri benignitatis effectus gloriatur, Hebræis, quos tantopere prius amarat, se postea excessive rigorosum exhibuisse videtur, dum intolerabilem, & hominis naturæ valde adversantem legem hanc illis præcepit, ut scilicet omne primogenitum ei sacrificarent: *Sacrifica mihi primogenitum, quod aperit fulvam in filiis Israel*, Hoc est, inquit Tostatus: *Applica ad cultum meum omnia primogenita, omne enim quod ad Dei cultum applicatur, sanctificatur.* Quantum lex ista Patri, & matri generare fastidium debuit, quando filium suum primogenitum, oculorum suorum pupillam, à se abdicare, & vi legis istius religioni & cultui Divino consecrare debebant; *Per ferrum, per flammas itur intrepidè* (inquit eruditus quidam scriptor) *si filiorum charitas postulet, nullius incolumitas homini suavior, nullum funus acerbius aut luctuosius.* Artaxerxes ingenti, quo filium suum prosequebatur, amore inductus est ut *contra morem Persarum* Coronam Regni capiti suo subtraheret, & vertici filii sui imponeret, ut se vivente totius Regni absolutum teneret Imperium, atque Dominium. Demetrius Asiæ & Medorum Rex, Seleuci mancipium fieri potius elegit, quàm Antigonum filium suum à successione Regni exclusum videre: *Pater sui negligens volebat parci filio, filiique regno*, inquit Plutarchus. Ptolomæus Rex Ægypti, ut de illo scribit Fulgosius, nimia erga filium benevolentia persuasus, sceptrum regni ultro illi resignavit. *Majori affectus gaudio, quod Regis pater, quam quod Rex ipse esset*, Ægeus Athenensium Rex navim Thesei filii sui Creta redeuntem insigni lugubri adventum explicato instructum cernens, exindeque filium suum mortuum fuisse existimans: *Ex alta specula in subjectum sese pelagus præcipitavit.* Solon ille, ob datas Athenensibus leges, in Græcia & Asia adeo celebris, cum una cum Thalete, uno ex septem Sapientibus, Mileti subsisteret, eique per iocum duntaxat mors filii sui nuntiaretur, mox in terram collapsus, vestes suas scidit, capillos è capite evellere cœpit, dolorque nimius ad alias plures actiones gravitati & prudentiæ minus decoras & conformes impulit: *Consternatus animo, repente sese humo affixit, capillum & barbam utraque manu evellicans, fœdansque injectu pulveris ora, palliumque capit laniare.* Ludovicus quoque Rex Franciæ cum filium suum primogenitum Carolum Burgundiæ Ducem, in venatione amisisset, adeo ex hoc affligi & conturbari cæpit, ut se nec cibum nec somnum capturum esse, juramento affirmavit, donec, quem amiserat, filium

Exodi cap. 13. *In Theat. vit. hum. lib. 17. fol. 1110. col. 1. ibid.* *Plutar. in Regum. Apopht. in Demet. c. 340. A.* *Bapt. Fulgos. lib. 5. c. 7. fol. 140. col. 2. Sabell. lib. 3. c. 4.* *Idem ib.*

filium reinventum videre, & paternis ulnis amplecti posset. Ejusmodi historiis plenæ sunt scripturæ tam sacræ, quam prophanæ, ex quibus velut argumento nimis perspicuo, ingens illemotis excessus, quo filii à genitoribus sui diliguntur, facilè colligi potest. Atque ideo quamobrem Deus Hebræis rigorosum adeo præceptum de primogenitis offerendis imponere voluit? *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Facilis equidem cuivis parentum fuisset legis istius executio, si cuiliber illorum datum fuisset habere 325. Filios prout habuit Ziambre Rex Indiarum, aut 115. prout habuit Artaxerxes, aut 120. prout habuit Rex Priamus, vel 600. uti habuit Gisolus Molvecharum Rex, tunc enim non primogenitum duntaxat, verum etiam una cum ipso secundo, & tertio genitum sacrificare, omni prorsus caruisset difficultate: at verò eos, quibus non erant plures, quàm unus tantum, vel duo, aut tres filii, eodem præcepto onerare, durum nimis erat, & rigorosum; ne dicam observatu impossibile. Pro hujusce difficultatis intelligentia, à literali sensu, ad intelligentiam moralem, & mysticam transitum faciamus, & statim Deum nostrum non adeo rigorosum fuisse deprehendemus, sicut ex illo sæpedicto Exodi præcepto videri poterat. Et quidem ante omnia *quid per primogenitum accipiendum sit examinemus*, inquit sacer quidam scriptor. Hic enim terminus, *Primogenitus*, æquivocus est, valdeque ambiguus, nisi bene distinguamus; de omnibus namque rebus illis, quæ generatione aut nativitate prima sunt, intelligi facile poterit. *Primogenitus est post quem alii, & ante quem nullus est genitus*, inquit Plinius; inter quos (si Aristoteli credendum est) Cor etiam humanum, & præcipuè quidem locum habet. *Cor est quod primum vivit, & ultimum, quod moritur*, adeo ut verè dici possit, *Primogenitum hominis cor est.* Hoc igitur Deus à nobis ad sacrificandum exposcit, dum inquit: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Sacrificium namque cordis longè illi gratius erit, quàm Balthasaris aurum, aut incensum Melchioris, & Jaspari myrrha, unde Dominus in eo præcepto quasi dicere videtur: *Cor tuum est primogenitum in cæteris membris; Nolo cor illud creaturarum obsequio mancipari.* Cor tuum mihi soli debetur, & ideo à te præter hoc nihil aliud exposco, hoc solum mihi sufficit, & omnino satis facit.

Marcus Polus lib. 3. cap. 6. Anton. Pigaset.

Pet. Bess. Dom. 12. post Penth. fol. 298. Plin. lib. 11. c. 40. Arist. l. de generat. Anim. c. 4. & Zimara fol. 31. col. 4.

Marce. de Pise. t. 1. in die Penth. sect. 1. fol. 143. col. 1.

5. Refert S. Joannes Evangelista, ab Hierosolymis ad Joannem præcursorem Domini expeditos fuisse legatos, ut speciatim quisnam esset ab eo exquirerent: *Miserunt ab Ierosolymis sacerdotes & levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum. Tu quis es?* quibus ille apertè, & rotundo, ut dicitur, ore declaravit, se nec Christum, nec Eliam, nec aliquem ex Prophetis esse, sed vocem esse Domini prædicantem in deserto, viamque qua ad Dominum Salvatorem nostrum eatur, clarè insinuat rem. Ipsis autem replicantibus, qua authoritate igitur baptizet, si non est Christus, nec Elias, aut Propheta aliquis, mox ille subjunxit: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*; Et quidem verba illa de Christo Dei filio intelligenda esse, præterquam certum sit, insuper ex verbis sequentibus manifeste nimis arguitur, quibus Joannes dicit. *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, &c.* Quod enim locus medius utpote dextra, & sinistra longe dignior, Deo præ cæteris vel maximè conveniat, nemo est qui dubitet; Neque enim apud solos Numidiæ populos *Locus dignior est in medio*; verum etiam tanquam honorabilior, ab omnibus passim nationibus æstimatur: *Dicitur honorari quis ex quo est in medio duorum vel plurium*, inquit Cassanæus. Unde locus medius personis semper nobilioribus solitus est exhiberi. Jam verò in præsenti observandus est modus loquendi Joannis præcursoris, qui non loquitur de medio *ut sic* absolute, sed dicit *Medius vestrum* determinatè. Quænam autem est pars illa, quæ in toto corpore humano medium obtinet? Certè non alia, quàm cor humanum. *Cor est in medio, quia hic est locus Regis, ad hoc ut sit regimen hujus proportionatum omnibus membris & circumferentiis, & etiam ut melius custodiatur*, inquit Philosophorum nonnemo. Et Angelicus Doctor S. Thomas ait: *In medio hominis est cor.* Quod idem est dicere, ac si dicas, Deus in corde nostro vult habitare, & per eius realem possessionem absolutus ejus fieri & esse Patronus ac Dominus, unde Origenes Adamantius inquit: *In medio nostrum extitit, ex eo quod principale, id est, cor in medio totius corporis insitum est.*

Ioan. c. 1.

Salust. Iugurth. Bart. Cassan. in Catal. Glor. mundi p. 1. Consid 13. fol. 3. col. 2. Zimara in Tab. fol. 32. col. 1. D. Thom. in Ioan. c. 1 t 14. lect 13. fol. 11. col. 3. c. Origines in Cat. D. Thom. ibid fol. 216 col. 4. G.

6. Non est adeo facile investigatu, quidnam sponsus cælestis poposcerit, quando cum dilecta sponsa sua loquens eidem dicebat: Desiderabilius nihil evenire mihi posset, quam si me veluti signum cordi tuo imprimeres, & quidem si in hanc petitionem meam condescenderes, gratiarum mearum pretiosum scrinium ultro tibi aperirem, indeque non minus promptum, quàm

quam liberalem me in omni petitione tua utique experiteris: *Pone mo ut signaculum super cor tuum.* Ecquis enim hic non dicat, Ardua res illa ô Domine, mihi esse videtur quam à sponsa tua exposcis; quis enim Dei alicujus immensitatem intra humani cordis limitare angustias posset, Neque enim cor sponsæ proportionatum est ad capiendam immensam Dei vastitatem, quæ tota cælorum amplitudine comprehendi planè nequit. Deinde quam obtem super cor sponsæ veluti signum quoddam collocari desideras. signo enim proprium est uti constat rem aliquam in particulari significare aut demonstrare: *signum res est quæ ad significandum aliquid adhibetur*, inquit S. Augustinus. Quid enim signum istud cordi sponsæ impressum significat? Responderi forsitan poterit, sponsum desiderare, ut sponsa certarum quarundam nationum, speciatim vero Mauritanorum, & Saracenorum consuetudini sese conformet, qui pectori suo, & præcipue immediate super regionem cordis earum personarum, erga quas per affectum minimè ordinarium inclinabantur, signa, & characteres impressos habeant. *Moserat quarundam gentium, quæ eorum, quos diligebant notas, & signa quædam igne sibi imprimebant.* Deus enim noster à dilecta sponsa sua amari desiderans, desiderabat se ejus cordi insculptum, seu impressum esse, ut signaculum istud velut quoddam viscerosissimæ, qua erga illum flagraret, charitatis insolubile sigillum esset: *A sponsa exposcit ejus dilectus, ut scilicet ita ipsum unum diligat, desideret, cogitet, ac meditetur, ac si ejus impressam imaginem haberet super cor*, inquit doctus quidam interpres Philo Charpathius loco *signum* legit *Sigillum*: *Pone me ut sigillum super cor tuum.* Sed quo fine Dei sigillum sponsæ cordi imprimetur? In sigillis arma seu insignia familiæ communiter imprimuntur, atque ideo dum in cor sponsæ Dei sigillum imprimi desiderat, Dei arma seu insignia inibi impressa esse cupit, sed quo fine id requirit? Causa ex sequenti exemplo facile intelligetur. Postquam nobilis aliquis elegans aliquod exstruxit palatium, vel villam, omnibus, quas imaginari sibi quis potest, delitiis instructam, tandem in portæ fronti spicio arma familiæ suæ lapidi cuidam insculpta curat suspendi; quo fine id facit; Ad demonstrandum quod nobilis ille loci illius habeat dominium, vel possessionem; sitque verè directus illius & absolutus Dominus. Dicit itaque Deus, Magnopere desidero, ô sponsa mea, cordis tui esse Dominus, ideoque sigillum sive insignia Divinitatis meæ, in eo imprimi aut erigi cupio, ut hac ratione omnibus me solum illius absolutum Dominum esse constet: *Pone me ut sigillum super cor tuum.* Verum enim vero absq; eo quod ab expositione procul recedam, quandam vobis à Plutarcho relatam recensebo historiam. Postquam Arati milites in Peloponeso appulerant, urbem mox Pollenæ obsidione cinxerunt, quæ tandē post longa multaque certamina, & varios illatos insultus inimici potestati cedere debuit. Quotquot erant in exercitu nobiliores milites, penes quos summa erat rerum potestas, ad depopulandum incolas civitatem ingredientes, alias non fecere prædas, quam quod tam maritas mulieres, quam puellas, quæ pares sibi in pulchritudine nullas habebant, abducerent. Vix miles aliquis erat, qui non earundem sive mulierum, sive puellarum aliquam genio suo respondentem elegisset. Ei autem quam semel elegerant, ne ab aliis fortasse raperetur, aut in alterum distorqueretur affectus, galeas propriis capitibus ademptas, mulierum puellarumque capitibus inferebant. Unde tametsi nonnulli milites essent, quibus nulla mulierum illarum in prædam adhuc cesserat, hi tamen illam, vel illas, quarum capita galeis insignita erant, rapere minimè audebant: *Duces & Centuriones circumeuntes, Pelleneorum conjuges & filios diripiebant.* inquit Plutarchus; *Et exuentes galeam illarum capitibus imponebant, ne quis alter cognitas abduceret, sed ex ipsis galeis, cui quæque cessisset Domino appareret.* Et quis scit, an non eædem fuerint divini sponsi cogitationes, quando sponsam suam instanter ut eum super cor suum signaculi loco poneret, rogabat? *Pone me ut signaculum super cor tuum.* quasi diceret: Ego ipsemet cordi tuo imprimi volo ut omnibus creaturis signi loco serviam, quo cor tuum meum esse insinuetur, nemoque te mihi rapere præsumat, cujus ego possessionem teneo patiter & Dominium. O quam egregium amoris signum Deus cordibus nostris superimponit, in cujus virtute illud adeo suum esse prætendit, ut una, eademque cum Deo res evadat, & inseparabilitet Deo, non vero ahis adhæresçat. *Per signaculum cordis debemus intelligere impressam dilectionem, per quam una fiat anima cum Deo ei inseparabiliter adhærendo.* inquit. Ægidius Columna; idque ut cuilibet cor nostrum Dei esse innotescat, nec quicquam aliud desiderat. Quare cum tribus Magis nos hodie intromittere, illisque aurum, thus, & myrrham Christo offeren-

Cant. 8.

D. P. Aug. l. 1. de Doctr. Christ. c. 2.

Mich. Ghis. in c. 8. Cant. fol. 995. col. 1. D.

Idem ib. col. 2. B.

Philo Carpath.

Plut. in vita Arati fol. 363. B.

Ægidium Columna in c. 8. cant. lect. 19. fol. 17. col. 2. A.

ferentibus nos corda nostra offerre debemus.

Robert. Holkot. in Prov. Salom. lect. 12.

7. Leppidum quoddam ingenium, amicum eximio dono quodam honorare volens, cor suum in charta calamo delineatum, subjunctis hisce verbis transmisit: *Mitto tibi cornua lunæ, rotunditatem solis, & quartam partem rotæ.* per *cornua lunæ*, Literam C. per *rotunditatem solis* Literam O. per *quartam partem rotæ*. R. Litteram intelligens, quæ grammata simul juncta hanc dictionem *Cor* aptissimè efformant. Et profecto corde nihil gratius aut acceptius dari possit aut recipi. Unde ut refert Valerius Max. cum gentiles Diis suis sacrificare volentes, post divisum, seu apertum victimæ pectus, nullum in eo cor deprehendissent, ad sacerdotes suos, ut causam hujusce ominis intelligerent, subitò se receperunt. Qui idipsum felicis augurii portentum esse responderunt, eò quod Dii, sacrificium istud eis gratissimum esse, neque invictissimis aliquid, quod corde acceptius esset, offerri posse, per cor illud victimæ divinitus ereptum, significare voluerint. Eadem quoque de causa, Cæsare Jovi sacrificante. *Non fuit inventum cor.* Multi quoque scriptores tradunt, quod in unica duntaxat civitate Mexico, incolæ ejus, qui gentiles erant, & idolis dediti, ut Deorum suorum desiderio responderent, quovis anno ex quadam nimis crudeli ac barbara pietate, viginti parvulorum innocentum millia trucidarint, cordaque eorumdem è pectoribus evulsa, prunis injecta Idolis suis sacrificarint: *singulis quibusque annis plusquam viginti millia puerorum, & puellarum Diabolo fuisse jugulata in victimas, ut potissimum corda tot innoxiorum tyranno illi offererentur.*

Plut. in c. Cæs. fol. 586.

Pier. Valer. fol. 242. B. V. vita Ioan Zamaraga B de la Nuza p 5. Drexel. t. 3. fol 321 §. 12. col. 1

8. O quanta erat hæc genitorum erga proprios filios impietas, atque barbaries; & tamen hæc omnia promptissimus animis, vultuque ridente, & sereno præstiterunt gratius se Diis suis dignum offerre non posse credentes: & Christianus, ad offerendum Deo cor suum, ab eo tantopere desideratum, invitus erit & obluctabitur? & quod pejus est, idemmet cor postea in sordido veneris prostibulo, Idolo sacrificabit inhonestatis & impudicitiæ? mirum non est, si postea oculos sensus aperiens, scortum, quod oculorum suorum esse credebat paradisum, esse, deprehendat loculorum suorum purgatorium, animæque horrendum infernum. O quanto melius saperet, si illud Deo donaret, ejusdemque manibus consignaret. Nihil penitus à re aliud exposcit. *Deus ergo ab homine donum exposcit, sed quod?* Attende breve responsum: Cor, prouti nos infinita monet & exhortatur Sapientia, dum inquit, *Fili præbe mihi cor tuum.*

Cornel à Lap. Commen. in cap. 23.

Prov. fol 263. col. 1. D. Prov. 23.

9. Et quidem, quod si te ad donum istud faciendum resolveris, minime dubito, quia super aurum, thus, & myrtham à tribus Orientis Regibus oblata, gratum et futurum sit, longeque magis acceptum. Narbonæ insignis quidam valdeque spectabilis vir, Sallianus nomine, velamenti quadam suspicione agitatus, quasi inter conjugem suam, & alium quendam nobilem amicum suum, nomine Cabestanum, secreta quædam, malaque intercederet intelligentia, honori & famæ suæ valde præjudiciosa, ex zelotypiæ furoribus pravisque suspicionibus adactus, Cabestanum ad se evocatum, in secretiori quodam Palatii sui conclavi clam occidit, extractumque cor ejus in multas partes dissecuit, & coctum mensæ accumbens, conjugi suæ manducandum porrexit, quæ ejus funesti facinoris nescia, porrectam sibi cordis particulam, utpote carnem humanam, ab alio cibo, nec per visum, nec per gustum discernere valens, mox manducavit. A Salliano autem postea quomodo caro illa sapuisset? & num placuisset? interrogata, cum respondisset. *Ita jam; nunquam lautius epulata sum.* Itane? respondit maritus. Agedum igitur, veni mecum & videbis unde hanc, quam tanto cum gustu, & aviditate manducasti, carnem deprompserim. Cum conclave illud ingressi essent, in quo homicidium fuerat perpetratum, caput ei demonstravit à Cabestani busto detruncatum, dicens: *Ecce hominem, cujus cor amore flagrans antea devorasti, satiare adhuc capite: si supperit appetitus.* In mensa Deo nostro ex bonorum operum nostrorum ferculis præparata, lautius, Deoque gratius ferculum exhibere minime possumus. Unde Religiosus quidam Eremita *quidnam Deo gratius offerret* scire desiderans, per ænigma sequens responsum suum accepit:

Caesar Nostradam in hist. Gal. Narbo sub anno 1207. apud Marc. de pisc Encyc t. 2. conc. de S. Ioan. Apost. fol. 229. p. 2. hom. col. 2. Philip. Diez in Dom. 15. post pent. Cornel à Lap. in cap. 23. Prov. fol 293. col. 2.

Dimidium lunæ, lunam cum Principe Roma
Postulat à nobis Divinus conditor orbis.

10. Medietas Lunæ fit, quando formatur medius circulus, quo Litera C. effingitur: Luna quintadecima quæ perfectus est circulus, Litera O formatur Princeps Romæ est prima Litera hujus dictionis Roma, scil, R. Hæ literæ simul in unam syllabam redactæ *Cor* efficiunt. Unde dicere volebat, Deum aliud, quam cor nostrum, à nobis non poscere. Aut verò ut alii simili pro-

prorsus ænigmate eodemque modo interpretato dixerunt:

Pet. Ble. Dom. 15. post pent. fol. 416.

Tolle caput Corvi, caput oris, viscera Cervi
Offer ista Deo inde beatus eris.

11. Denique nemo est, qui non exclamet, & moneat, Cor nostrum Deo offerendum esse, imo ipsemet Deus, se à nobis præter Cor nostrum nihil aliud exposcere, satis declarat, cùm dicit: *Fili præbe mihi cor tuum*, quia pro ejus gustu majores inveniri delitiæ aut gratiores penitus nequeunt: *Parum quidem est omnia nostra illi offerre, nisi cor etiam illi offeramus.*

Cartag. t. 3. fol. 61. col. 2.

Id quod ex eo, quod S. Joanne Evangelista referente, inter Christum Dominum & S. Petrum Apostolum contigit, expressè deducitur. Nam ut Christus Dominus ingentem, quo discipulos suos prosequebatur, amorem demonstraret, eosque esse in virtuosis humilitatis actibus exercere doceret, lavare pedes eorum voluit, quando candido linteo præcinctus, post aquam in vas quoddam effusam, in ipsorum præsentia genuflexus *cœpit lavare pedes discipulorum suorum*. Petrus autem Magistrum suum actioni adeo vili deditum cernens, continere se nequaquam potuit, quin omnino invitum & obluctantem se ostendens, quasi extra se positus diceret *Domine tu mihi lavas pedes?* Creator, Creaturæ? Sanctus peccatori? Nequaquam erit istud? *Non lavabis mihi pedes in æternũ*: Non quidem id eo fine dicebat, quasi se Christi actionibus vellet opponere, quin potius ideo ut dicit S. P. August quia *tunc Petrus expavit*, scil. præ admiratione. At vero Filius Dei illi respondit: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*, quasi diceret: Considera bene id, quod facis, nam periculosæ admodum sunt istæ tuæ protestationes, resolutiones tuæ velut infausti planetæ erunt, quæ tibi irreparabiles comminabuntur ruinas: O Domine (replicat Petrus) inconsideratos meos condona sermones, affectu potius meum quo in te feror considerans, neque enim voluntatis tuæ beneplacito contradicere, quin potius ei quã tibi debeo reverentiæ minime deesse erat animus; Cum igitur clarè nunc videam, me arcana tua nequaquam penetrasse, ex nunc totum me tuo consigno arbitrio, de me quod voles statuto, neque enim jam pedes tantum, sed & manus, & caput lavandum lubens offero *Non solum pedes sed & manus, & caput*. Dionysius Carthusianus hæc Apostoli verba magna cum advertentia considerans dicit. *Nimius fervor amoris in Christum fuit erroris occasio.* At vero dicat aliquis, quemnam, potuit Apostolus errorem committere, cum Origines ipsum reverentia morum hæc dixisse affirmet? *Solus Petrus nullam aliam considerationem conferens tanquam Iesum reverens, non præbebat pedes suos ad lavandum.* Et S. P. Augustinus subdit: quod *usque ad suos pedes humilem Christum videre non potuit sustinere.* Cum igitur voluntas ejus bona, & finis rectus fuerit, qua ratione dicendus erit? *Fuit erroris occasio.*

Joan. c. 13.

D. Pat. Aug. in Catena. D. Tho. in c 13. 10 fol. 206. col. 3.

Carthus. Dion. in ca. 13 Io. f. 30. B.

Origen in Cat ubi supr. D. Pat. Augustin.

12. Ad hunc errorem Apostoli investigandum, nequaquam me erraturum existimo, si ad errores Caini, quos Geneseos liber recenset, confugero. Hic igitur, num debitos Deo honores redditurus, an verò fratrem ad certamen provocaturus, nescio, Deo sacrificare constituit. Quapropter multis secum comportatis fructibus, foras in agrum se recepit, fructusque illos ibidem totius universi Creatori in altari quodam à se erecto obtulit: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Ad verò Deum non vidit, neque oblationẽs ejus æque ac Abel fratris sui acceptæ fuerunt: *Non respexit Dominus ad munera Cain.* Etenim Deus casualiter non operatur, atque ideo causam aliquam utique habuit, cur juvenis istius sacrificium, eo, quo diximus, modo recusaverit. Ecquænam autem illa fuit? num forte in hoc defectus ejus sterit, quod terræ fructus Deo offerre voluerit? Nequaquam; nam in hoc multum excusabilis fuisse videtur; Quia nemo dat quod non habet, unde qui id, quod habet, donat, ad plura non obligatur, imo scio quod si nihil præsto esset ad donandum, Deus æqui bonique habeat bonam voluntatem. Quidnam igitur mali in hoc sacrificio latuit, unde ingratum adeo, & coram Dei oculis abominabile factum fuit. Stephanus Episcopus Eduensis notabilissimum errorem à Caino commissum fuisse respondet. *nam etsi recte obtulit, tamen rectè non divisit*, neque enim bonam, inter ea quæ Deo offerebat, aliaque, quæ sibi reservabat, divisionem instituit. Fructus namque terrenos Deo obtulit, sibi vero Cor reservavit: atque ideo *non benè divisit, quia sibi cor retinuit.* Error profectò ex omnibus, qui committi possunt, longè maximus fuit, semper enim erat, quisquis Deo, retento corde, quævis alia sacrificat, aut præsentat. *Male ille dividit, qui id quod Deo magis placet, scilicet Cor ei non tribuit*, inquit scriptor ille supra nominatus. Quod cum ita se habeat, quis

Gen. c. 4.

Stephan. Episc. Eduen. lib. de Sacram. al. cap. 13.

Sanctum Petrum defendere audebit, quin erravit, quando in pedum lotione Christo Dei filio dixit: *Non solum pedes sed etiam manus & caput?* Optimè idipsum Dionysius Carthusianus notavit dicens: *Nimius fervor amoris in Christum fuit erroris occasio.* Cur ita? Quia *non bene divisit*, sibi enim ipsi reservato corde Salvatori pedes, manus, & caput obtulit. O quam bene dixisset, imo quantò melius divisisset, si ita locutus fuisset: *Non solum pedes sed etiam cor.* Hoc enim Deus solum desiderat, non vero pedes, nec manus, nec caput: *Male igitur Petrus divisit, quia id quod Deo magis placet, scilicet Cor, ei non tribuit.*

13. Hac occasione curiosa quædam menti meæ incidit quæstio, scilicet, à quonam homo, qui opus quoddam est adeo spectabile, & eximium, in primæva creatione sua formatus fuerit? Scio quod animosè, incunctanter, & sine multa deliberatione responsuri sitis Moyse referente certum esse, quod à Deo formatus sit homo: *Fecit Deus: Formavit Deus; Creavit Deus hominem*, verum quid si vobis respondero ly *fecit formavit, creavit imperative: non vero executive* intelligendum esse? Quo sensu in actis Apostolorum dicitur: *Misit Herodes Rex Manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia, occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Quæro enim an Herodes Jacobum manibus propriis occiderit? utique dicetis, minime id Herodem, sed Carnificem potius fecisse: Herodes quidem præcepit: Carnifex autem præceptum istud est executus. Simili modo dicit S. Joannes Evangelista, quod *Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Itane? Ergone Pilatus se in adeo vile ingesit officium, ut propriis manibus flagellarit Salvatorem? Scio quod responsuri sitis, *executive* Christum flagellasse Pilati ministros, Pilatum verò *imperative.* Agedum igitur, eodem prorsus sensu intelligendi sunt supra citati termini: *Fecit, Formavit, Creavit.* Sed quærendum ulterius, quisnam igitur hominem executivè formaverit? Est nonnullorum opinio, *Angelos collegisse pulverem, compegisse materiam, eamque in speciem & similitudinem humani corporis conformasse atque figurasse:* Ejusdem quoque sententiæ Philo Hebræus fuit, dum inquit: *Deum habuisse Angelos cooperatores, & ad eos locutum fuisse cum dixit: Faciamus hominem &c.* In eandem quoque opinionem Abulensis inclinare videtur, cum ait: *Angeli formaverunt lutum illud*, Et conformiter ad præscriptam illis à Deo hominis formandi Idæam, admirabili cum artificio omnes dispposuerunt externas humani corporis partes. Porro completa hac membrorum exteriorum plasmatione, in procinctu quidem erant, ut partes quoque interiores formarent: at vero Deus illos ulterius progredi prohibuit, quasi dixisset. Sistite, operatum satis est, hic oportet quiescere. Cor primum vivens est, ideoque ego solus idipsum formare decrevi, nemo se huic operi temerè ingerat. Quapropter ipsemet apprehendit terram, & cor inde formavit. Hoc Davidem insinuare voluisse credo, quando dixit: *Qui finxit singillatim corda eorum.* Cajetanus ex Hebræo transfert: *Creans simul cor eorum.* Dionysius Carthusianus: *Dominus creavit singulariter, id est seorsum.* Et Sidonius Apollinaris; *Qui mortalium cor manu fabricavit solus.* Verum sistamus nonnihil hoc loco. Ergone Angeli, qui juxta opinionem prædictam reliquum corpus formare noverant, & præsertim oculos tot tunicis cartilaginibus, & humoribus aqueis instructos, in solo formando corde majorem habuisse difficultatem existimatis? Doctissimus P. Agellius idipsum ideo factum esse opinatur, quia nimirum Deus solus, & nemo alius cordis humani esse voluit absolutus Dominus. Ei namque à quo animam accepimus, eandem quoque reddere, & referre debemus. Quod si ab Angelis cor nobis formatum datumque fuisset, obligati quoque essemus illis idem cor restituere. Dicit ergo Deus? Nequaquam erit istud, ego ipsemet illud formare, hominisque pectori inserere volo, ut mihi & non aliis idipsum obligatus sit restituere. Unde Angelus: *Seorsim efformavit corda eorum, id est, nullo adjumento, aut subministrantium aut adjuvantium Angelorum.* Et modernus quidam postquam interrogavit: *Cur in cordis tantum efformatione Angelorum ministerio Deus usus non sit, cum in aliarum partium constitutione Angelos in adjutores & instrumenta adhibuerit?* Tandem idemmet respondet: *Rationis diversitatem ex Dei zeloypia petendam existimo, earumque cordis & amoris nostri tenetur Deus.* Mira profectò res est, tametsi Angeli clarissimi amici illius sint, sustinere tamen nequaquam potest, ut cor nostrum tangant, nedum respiciant. Et tamen homo adeo est ingratus & impius, ut illud Deo denegatum, Dæmoni præsentet & sensualitatis Idolo offerat.

14. Omnes Salvatoris nostri actiones, præsertim verò, quæ amarissimam ejus Passionem con-

Act. Apost. c. 12.

D. Ioan. 19:

Bened. Perer. l. 4. de creo. homin. c. 2. v. 7. q. 2. n. 93. fol 130. col. 1. & Phil. Hebr. l. de opific. mundi

apud Sudo oper. sex dier. l. 3. c. 1. f. 1. 1. col. 1. n. 4. Abul in c. 3. Gen. q. 195.

Psal. 33. Caie ib. f. 115. n. 15. Et Hugo Car. ibi Cartus ibi fol 57. B. id t. poll. ap. Lorin. in Ps. 32. fol. 468. col. 2 H. Agell. apud Bened. Mendin for. 6. Dom. 1. Quad. c. 9 f. 155. col. 1. Bened. Mend. ibi supr.

contingunt profundissimis mysteriis refertas esse fatis scio, è cæteris autem quinque sacratissimæ humanitatis suæ vulnera palmam, & coronam omnibus præripiunt. Circa quorum numerum solum considerandum hic paulisper morabor. Quid enim, si unicum tantum vulnus habuisset, nunquid illud millenis mundis redimendis non sufficiens solum, verùm etiam superabundans fuisset. S. Thomas inquit: *In his, quæ Christi sunt, nihil fuit superfluum*, unde si minimus ejus dolor *sufficeret ad finem salutis humanæ*, quantò magis unicum tantum crudele vulnus? quo igitur fine huic quatuor alia superadjicere voluit? Fortè id fecit, quia cura illi fuit, ut figuratum figuris suis perfectè correspondere: Etenim Templum Salomonis Christi figura erat, unde ipsemet dixit: *Solvite templum hoc; hoc enim intelligebat de templo corporis sui.* In hoc autem Templo quinque porticus erant, atque ideò in Christi corpore quinque etiam vulnera inprimi debebant. Portò me quod attinet præsenti difficultati sacra quadam adhibita historia respondere decrevi. Legitur itaque Judith cap. 16. quod Assyriorum Dux generalissimus Holophernes, obsidione civitatem Bethuliæ adeò fortiter cinxerit, ut non minus summa qua premebantur necessitate, quàm militum copioso exercitu cincti essent, qui tandem post interciscos & alio deductos aquæductus impeditosque, per quos annonæ aut militiæ subsidium permeare debuisset viarum transitus, ad eas usque fuerant calamitates redacti, ut civitatem suam dedere, seque in inimicorum manus ultrò citroque tradere Bethulienses coacti fuerint. Audiens autem idipsum Judith, sapiens illa & sanctissima vidua, opus quoddam generosum aggredi, suamque patriam à tot calamitatibus liberare decrevit. Hocque fine se ea qua potest exactissima cura, & diligentia, quovis se mundi muliebris ornatu, atque elegantia exornati, & expoliri curavit, junctaque sibi alia quadam annis & consilio matura fœmina, in inimici exercitus conspectum procedens ad Holophernis tentoria introduci, seu admitti postulavit, simulque obtinuit; demum sacro textu id affirmante Holophernes hoc pulchritudinis prodigio conspecto *captus est in oculis ejus* (quod tanti non facio, cum muliebris elegantia & pulchritudo magnes semper esse censeatur oculorum) quod autem in maximam me admirationem rapit, est, quod facer textus dicit, nimirum: *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*: Cur non potiùs comæ, aut vultus pulchritudo, quæ in Juditha eximiè emicuit, eum rapuisse dicitur? Ergone possibile est, calcei seu sandalii unius pulchritudinem, vultus miram elegantiam superasse? Aut verò adhibita est à Juditha major in concinne adaptando calceo, quàm in vultu cutiosè venustando sollicitudo & diligentia? Imò verò quod maximè mirandum est, septuaginta Interpretes legunt: *rapuerunt cor Holophernis.* Quis enim non miretur, quod sicut magnes ferrum, succinum paleas, ita sandalia corda rapiant? Scio equidem illius temporis fœminas omnes in sandaliorum ornamentis procurandis operam adhibuisse, Plinio, Clemente Alexandrino, pluribusque aliis idipsum attestantibus. *Olim fœminæ nobiles calceos & cothurnos ornabant margaritis, gemmis & auro.* Unde nonnemo ex hujus historiæ expositoribus dicit: *Puto pretiosa & elegantia sumpsit Judith sandalia, utpote fœminæ elegantissimæ, & locupletissimæ, & quæ sumptuosius se ornavit ad alliciendos Holoferni oculos.* Veruntamen tametsi hæc omnia vera sint, & benè dicantur, paradoxoum tamen non mediocre censendum videtur, vultus autem æque alicujus comæ pulchritudinem negligere, ut curiosius lignum aliquod corio obductum exornetur sandalium, de Rodope adolescentula Ægyptia Ælianus refert, quod cùm in suo viridario æstivo tempore sub viridantium arborum ramis, juxta fontem sedens sese, relictis in loco ubi se discinxerat vestibus, lavaret. Aquila quædam deorsum devolans unum venustissimæ hujus puellæ sandalium unguibus prehensũ in Memphim Ægypti metropolim, in qua Rex Sanneticus ut plurimum residebat, deportarit, ubi in dicti Regis Palatium advolans, eo tempore quo Rex in solio suo regio sedens, omnibus liberam dabat audientiam, sandalium istud in solii regii gradus labi permisit. Unde Rex obstupefactus, sublato propriis manibus sandalio, lætus ordinavit, ut per totum Regnum quaquaversum, cujusdam calceus illi foret investigaretur, dumque sandalium istud ad Rhodopen spectare post multas adhibitas disquisitiones, certo fuisset deprehensum, eandem in Conjugem suam, adoptatam, Reginam regni sui consortem magnificis adhibitis cæremoniis declaratam esse voluit. Ecce qualiter unus calceus, sive cothurnus Regis hujus oculos pariter & cor rapuerit, qui si elegantem Rhodopis conspexisset faciem, calceum ejus utique neglexisset: at verò Holo-

D. Tho. 3. p q 46. a 6 fol. 456. a 6.

Franc. Quaresmii de vuln. fig. c 7 sect. 2. f. 77. E.

Septuag. Interpr.

Plin l. 9. c. 35. fol. 82. col. 1.

Clemens Alex in pedag. l 2. c. 11. C. fol. 76.

Cornel. à Lap. c. 7. v. 1. in Cãt sensu 3. fol. 379. col. 2.

Corn. à Lap. in Iudith. c. 10. v. 3. § 12. fol. 347. col. 1. n. 9.

Eliano l. 13. var. hist. c. 33.

Iudith. c. 10.

pher-

phernes pulchertimum Judithæ viderat faciem comamque ejus auream, & tamen tantam tamque raram vultus pulchritudinem, calcei cujusdam elegantiæ posthabere non dubitat ; quis hanc dementiam non obstupescat? Unde Poeta quidam cecinit:

Petr. Aloys. in Centur. 2. Epigr. fo. 112.

Inclyta bellatrix, Solymeæ gloria gentis
Impavido subiit barbara castra gradu
Primo hostem fixisse Syrum pede dicitur aureo,
Dehinc ferra Syrum dissecuisse caput.
Par laus & manibus, par pulchris debita plãtis,
Summa dedere manus, vulnera prima pedes.

15. Verùm enimvero ne animos vestros suspensos diutius teneam, ad nostræ difficultatis punctum revertamur, cujus apud Isidorum Clarium pulchram & ingeniosam reperiemus resolutionem. Refert namque citatus jam scriptor, Juditham raro quodam artificio sandalia sua, quinque rubinis admodum pretiosis locupletata, mirè adornasse. *Posuit in sandaliis suis quinq; Rubinos.* Pape! quàm aptè rubini isti hisce sandaliis quadrabant, in quibus scintillantes rutilantesque ridebant, ac una cum oculis ipsum quoq; cor rapiebant Holophernis? *Rapuerunt oculos*, sive cum septuaginta: *Cor Holophernis.* Ecce tibi hic vult in plano positam quæstionis nostræ resolutionem, cur nimirum Christus in Cruce suspensus quinq; in sacratissima sua humanitate acceperit vulnera; nec plura nec pauciora? Videns enim Pater æternus, quinq; illos in Judithæ sandaliis rutilantes rubinos cor Holophernis rapiendi virtutem habere, ideò cùm præter corda nostra aliud nihil desideret, Unigenitum suum in terras misit, ut non jam in calceis, sive sandaliis, sed in pedibus, manibus, & latere, per clavos & lanceam ab Hebræis quinque formarentur rutilentia vulnera, utpote ad rapienda hominum corda oportunissima media. *Posuit in sandaliis suis quinq; rubinos, qui quinq; Christi plagas repræsentabant* inquit Isid. Ac proinde sicut Judith per quinque rubinos cor Holophernis rapuit; ita Christus per sacra vulnera sua aliud nihil desiderat, quam ut per illa corda nostra rapere sibi possit. Nam si Marius Consul Romanus nudato in publico senatu pectore, monstratisq; cicatricibus, senatorum sibi benevolentiam conciliavit; id quod alius quoque miles coram Augusto Imperatore faciens, pro votis omnia obtinuit, quid mirum est, si Salvator noster in Cruce suspensus, suorum quoque vulnerum exhibeat cicatrices? cùm id nullo prorsus alio fine facit, quàm ut tu inde permotus, cor tuum illi liberaliter dones. Omnia namque vulnera in totidem ora transformata hæc auribus nostris verba insonare videntur: *Fili præbe mihi cor tuum.* Qua igitur fronte adeò inurbanus esse poteris ut spiritu contradictionis afflatus, pertinaciter quod ipse tantopere desiderat, denegare audeas? Muta consilium, teque trium horum Magorum jungas societati atque ad pedes Salvatoris prostratus, omni cum urbanitate cordis tui illi exhibe donativum.

Isid. Clarius Iudit. c. 16. apud Avendag. in conc. S. Franc. fol. 196.

Salust. de bello Iugart. & Ioseph. de bello Iudaic. l. 1. c. 9.

16. Etenim cùm de facto in conspectu Christi Crucifixi constituti simus, absit ut ab eo recedendo pedem nostrum alio referamus, quin priùs una cum S. Bonaventura circa vulnus, per Longini lanceam Christi Salvatoris nostri Lateri inflictam, devotam quandam instituerimus meditationem. *Vnus militum Lancea latus ejus aperuit.* Lanceæ proprium est vulnerare, ad clavem autem aperire pertinet; quomodo igitur Lancea, quæ vulnerat, aperire dicitur? vulnerat, & perit, ac proinde vulnus pariter, & apertura fecit. Respectu Lanceæ vulnus fuit, respectu autem Christi apertura, dum enim Lancea vulneraret, Christus Crucifixus aperiebat. Unde congruè Lancea clavis dicitur, quæ scrinium, sive ærarium Filii Dei reseravit, ut cordis sui gemmam valoris infiniti donare nobis posset. Audite Seraphicum Bonaventuram idipsum expresse affirmantem. *Pro nimio*, inquit *amoris sui fervore velut Lancea suum Latus aperiri, ut demonstraret, quod tibi tradidit cor suum.* Maximus profectò hic est liberalitatis & benevolentiæ actus. Quod si enim Job admiratus est cor Dei erga hominem adeò pronum esse atque propensum, ac proinde rei novitate victus occasionem quæsivit Deum magna cum instantia interrogandi, dicendo: *Quid est homo quia magnificas eum, aut quia apponis erga eum cor tuum!* quidnam in præsenti facturus esses si videres, quod Dei Filius *voluit lancea suum Latus aperiri, ut demonstraret quod homini tradidit cor?* Equidem veram justamque Job habuit admirandi causam, quandoquidem hæc divini cordis erga hominem pia propensio tantæ Dei Majestati, tantæque hominis vilitati repugnet prorsus, & contradicet: idque tantò magis quando homo favores sibi de cœlo præstitos minimè recognoscit, & veluti ingratus benefactori suo tanta cum inurbanitate respondet, ac proinde homo potiùs à Deo flagellis castigandus quàm divinissimi cordis sui prætioso mu-

D. Io. c. 19

D. Bon. in stim. amor

Iob. 7.

munere honorandus meritò esset. Hunc porrò in modum utique discurrere & ratiocinari posset cur Dei in nos propensissima indoles nota & perspecta non esset, at verò, cùm de illa nec quicquam dubitare valeam, potiùs credo, Deum cor suum donare nobis, ut nos justitiam commutativam, vel compensativam *Do ut des*, observantes, cor nostrum Deo vicissim promptissimè restituamus, quasi diceret, cor meum ultrò citróque tibi cedo, ut tu sine replica aut quavis exceptione tuum mihi vicissim præsentes. Agedum igitur Longinus lanceâ suâ in hoc sanctiss. Christi latere portam quandam aperiat, sic enim meum tibi cor commodius dare potero, tu verò illud ipsum cum minori incommoditate valebis recipere *Pro nimio sui amoris fervore voluit lancea suum latus aperiri*. Quamobrem; *ut demonstraret quod tibi tradidit cor suum*. Et quo fine illud mihi donavit? ut ipse tuum cor ipsi præberes, juxta illud: *Fili præbe mihi cor tuum*, inquit S. Bonav. Verùm, quanta est, eheu! hominis ingratitudo atque protervia! qui Salvatoris sui desiderium nequaquam apprehendentes, cuilibet altari præterquam Deo cor suum consignat, & possidendum relinquit? Nunc enim illud deditum esse facit sensuum delitiis animæ vehementer adeò præjudicantibus; mox illud negotiationibus consecrat & iniquis usurarum lucris, extorsionibusq; illicitis: aliàs auro quod in scriniis suis adeò sollicitè conservat, & veluti Deum reveretur & adorat, turpiter subjicit, pronti magnus ille Dei famulus S. Antonius Paduanus in corde defuncti cujusdam usurarii experientiâ commonstravit, quod non insolito pectoris loco, ubi residere consuevit, sed in armario quodam auro & argento permixtum, ipso id prædicente, jacere compertum est, tritum illud verificando proverbium. *Cor magis est ubi amat, quàm ubi animat*. Alii similiter absque ulla ad probrum & contumeliam, quàm Christo Crucifixo irrogant, reflectione in absolutum Dominum suum ipsummet Dæmonem iniquissimè eligant, noluntque ut hic sui velut arcis cujusdam possessionem liberè capiat ibidemque funesta æternæ damnationis insignia explicet. Et tamen quàm est ingens inter utrumque hunc Dominum, Deum scilicet inter & Dæmonem, differentia! Dæmon hominem sibi vendicat, ut torqueat, & æterno igni subjiciat: pientissimus autem Deus noster eundem hominem desiderat, ut ipsum sanctificet, & gloriosum in cælis efficiat, & nihilominus tanta est eheu nostra stoliditas, ut Dæmoni nos libenter subjiciamus, Deum verò velut hostem nostrum subterfugimus, unde peccator hodie cum tribus illis Orientis Regibus contendere, illisq; in faciem contradicere eosq; hunc ferè in modum alloqui velle videtur: Ite vos; ô Reges, ad Christum vestrũ, eiq; aurum, thus & myrrham vestram quantò cum affectu potestis offerte, non vos morabor: ego autem ex adverso simul cum cordis mei dono obsequia minimà debita tenebrarum principi præstabo, unde animatus Dæmon (ita enim mihi persuadeo) hæc Deo improperia in faciem impudenter exprobare non dubitat dicendo: Tibi, ô Deus, compatiendum est valdè; neque enim ego cor hominis ab eo postulo, & tamen is cor suum sponte offert. Nullo mihi pretio homo constat, & tamen quiete illum possideo. Tu verò illum inæstimabili sanguinis tui pretio comparasti, illumque consequi, aut in potestatem tuam redigere minimè vales. Ego hominem aggredior ut illum digno efficiam supplicio, & tamen in potestatem meam libenter cedit; tu illum exposcis, ut eum beatifices, & tamen pedibus manibusque te acceptare renuit.

D. Bon. ubi supr.

17. Idq; exinde provenire existimo, quod videlicet tu ô homo nescias aut exaffectata ignorantia nescire velis, quanti valoris, quantæq; æstimationis sit inæstimabile illud cordis tui pretiosum monile, sicut evenire solet hominibus simplicibus qui gemmam pretiosam ob pretii nescientiam, pro frustro panis, ut dicitur divendere solent. Helveti civitatem Granson hostiliter aggressi, eandem armorum vi fortiter ingressi prædæ exposuerunt, adeò ut supra tres aurimilliones in spolis facilè sint consecuti. In cæteris spolis speciatim adamas quidam fuit quondam Carolo Burgundiæ Duci furto sublatus, hic à prædatore Helveto pro uno duntaxat floreno divenditus, ab emptore autem postea pro tribus francis revenditus fuit. Accidit autem quod tandem à Mercatore quodam Genuensi, qui ejus cognoscebat valorem atque præstantiam undecies mille florens fuerint numerati, qui demum Julio II. Pontifici maximo oblatus ab eodem vigesies mille florenis comparatus fuit. Quis hic non admirabitur vehementer Adamantem tantæ excellentiæ, & pretiositatis ab Helvetis præstantiæ hujus ignaris unico duntaxat fuisse floreno divenditum? Crede mihi, ô Homo, quisquis es, cor tuum apud Deum qui justus, & æquus est rerum omnium æstimator & judex, pluris valet, quàm

Petrus Matth. in hist. Ludovici Reg. Franciæ Volum. 2. lib. 7. fol. 637.

quàm omnes totius mundi adamantes, & tamen tu illlud tam parvi æstimas, ut illud, velut si vilissima res esset, non jam dico pro vilissimo voluptatulæ cujusdam pretio dæmoni, mundo, carni vendas, quin potiùs pro nihilo dones, & abs te projicias, O miseria sanguineis lacrymis deploranda! Cur enim Deo cor tuum tanta cum instantia à te postulante: *Fili præbe mihi cor tuum.* In ejus traditione adeò te invitum exhibes atque protervum? Pro magna tui confusione sequentem attentis auribus ausculta historiam, in qua terminabo discursum. Habebat in Lusitania mercator aliquis Elephantem, per quem mercimonia sua ad mare navigio inferenda deportari faciebat. Contigit autem die quodam bestiam illam ob finem prædictum meretibus variis graviter onustam adeò firmiter subsistere, ut nulla potuerit quantumvis magna adhibita vi & violentia à loco dimoveri aut ad ambulandum induci, verba adhibebantur bona, deliniebatur delitiis, multus ei præter morem dabatur cibus, sed irrito prorsus effectu. Novæ iterum adhibebantur benevolentiæ artes excogitatæ, nec tamen quicquam efficiebatur. Mercator igitur blanditiis in sævitiam commutatis pessimè Elephantem tractavit, qui æquè mansit pertinax, & immobilis. videns autem jam dictus mercator se hanc miram bestiæ obstinationem & perfidiam, quocunque etiam verberum rigore adhibito, non posse vincere, ridendo bestiam precatus est ut saltem in gratiam Lusitaniæ Regis loco se movens ulterius procederet. Mira res! & summè admirandus hujus bestiæ instinctus, nam haud secus, ac si intellectu prædita fuisset, in hasce voces clamando prorupit *Hoo Hoo*, quæ in Lusitana Lingua idem significant quod *volo, volo.* quasi in gratiam Regis illius procedere rogata diutius reluctari non posset, ideoque ulto citroque libens obediret. Ad hanc bestiæ illius patitionem erubescat, & confundatur pertinax & stolida humana malitia, & dicat: Bestia, quæ Regem aliquem esse, ejusque authoritatem prorsus ignorat, promptè paret, seseque loco movet, & ambulet, & tamen ego, qui creatura sum ratione, & intellectu prædita, qui certo scio Deum illum, qui cor meum à me exposcit, Dominum & Creatorem esse totius universi, ejus preces respuam, & contemnam? Deus est qui præcipit, & ego non obediam? Audio non illum hisce me vocibus rogantem: *Fili præbe mihi cor tuum,* & ego permanebo obstinate invitus, meque ad offerendum ei toties à me postulatum cordis mei donum immobilis manebo, & ne uno quidem passu progrediar? Certè quavis bestia deterior essem, si id facerem. Atque ideò ex nunc illud super altâre pectoris tui, ô Deus, in sacrificium devotissimè offero, superest tantum ut illud recipere & ratum gratumque habere clementissimè digneris. Magi quidem tibi donarunt *de thesauris suis aurum, thus & myrrham,* ego autem aurum purius, vel thesaurum opulentiorem hoc corde meo non habeo, & si plura facultati meæ supperterent, lubens libensque donarem.

Christ. à Costa. Caro Clusius. Hierem. Drexel. t. 1 fol. 495 col. 2.

Tanto dar vi poss io che pover sono
Ma donando vi il cour, tutto vi dono

Id est.

Tantum tibi dare hoc possum qui pauper sum
Sed cor tibi donans dono tibi totum.

Hic nonnihil subsistamus.

PARS SECUNDA.

1. Valdè miror quod cùm munera à Magis Christo oblata adeò fuerint opulenta, *de thesauris suis* illorum nullam prorsus partem Herodi præsentarint, tametsi ab illo veluti Magnates summa cum urbanitate & magnificentia fuerint recepti. Veruntamen existimo Reges hosce à Spiritu Sancto illuminatos optimè sciviſſe, quòd minimè conveniat, aut deceat id, quod Deo debetur, cum aliis partiri, & dividere. Cor nostrum totum, non verò divisum Deo donari debet: *Ipse solus sine consortio vult possidere cor nostrum,* inquit Ludolphus Carthusianus. Sapientissimus Solon Athenis sequens fecit promulgari edictum, quo vetabatur ne aliquis Reipublicæ suæ civis cor suum divideret, partialem se exhibendo aut favorabilem ambabus factionum Rempublicam subvertentium partibus. Sic quoque Deus noster prohibuit ne Gallus domesticus ulla ratione Deo offeretur in victimam, eò quod hic uno oculo terram, altero cælum respiciat. *Vnum oculum inferius deprimit, alterum in aream dirigit,* inquit Joannes à S. Geminiano. Quibus prohibitionibus Deus nobis innuere voluit, se valdè execrari illos, qui cor suum dividentes unam illius partem terræ donant, alteram verò cœlo offerunt. Væ illis inquit

Ludolph. Cartus. p. 1. c. 36. Petrus. Moneh. in pareneſi f. 7. fac. 1. Io. à S. Gem. l. 4. c. 55.

D. P. Augustin. quit P.S. Augustinus, *Va duplici corde, qui de suo partem faciunt Deo, & partem Diabolo.* Romanæ urbis Imperium inter duos etiam fratres divisum esse non potuit: *Roma duos fratres simul habere Reges non potuit*, inquit S. Hieronymus. Societas quoad regendas civitates, vel regna nunquam cum fidelitate cæpit, aut sine sanguine finem habuit, scribit S. Cyprianus: *Quando unquam Regni societas, aut cum fide cæpit, aut sine cruore desit?* Dario unam Regni sui partem Alexandro offerenti, hic respondit Ne duo Soles in cælo, nec in uno Regno duo Domini subsistere possunt. *Cùm Darius regni partem Alexandro offerret, respondit: Nec fert unus mundus duos Soles nec fert unum regnum duos Reges.* Multoque minus unum cor duos potest admittere Dominos illius dominium possidentis, *Nec unum cor duos Dominos* Cor igitur nostrum totum, integrum, & divisum Deo dari oportet.

D. Hie. ep. 4. f. 20.

D. Cypr. in l. de Idolorum variet.

Q. Curt. l. 4. Inst. lib. 11. Lucian. lib. 1. & Hect. Pint. in Ezech f. 298. col. 1.

2. S. P. noster Augustinus egregiè observavit Romanos Diis, quos adorabant, multa quidem templa ædificasse, nullum verò Deo vivo & vero: *Deo tamen Israel nullum templum sacrárunt*, idque quia Deum Israelis simul cum aliis Diis adorari nolle sciebant: *Scientes adeò Zelotem esse, ut nullum alium Deum secum adorari pateretur.* Unde si Deo vivo, & vero templum aliquod erexissent, necessum illis fuisset omnia alia templa funditus evertere. *Atque ideò si in ejus honorem templum erigendum esset, necessarium foret, omnia aliis Diis dicata Fana Solo aquari, ac penitus everti.* Qua igitur ratione possibile erit, quod in cordis nostri metropoli duobus Dominis dare possimus hospitium. Vel igitur solus Deus illius debet esse Dominus; vel illud simul, cum aliis divisum possidere contemnit. *Vnicum Regnum est in corde nostro, unum tantummodo Dominum habeat, unum Monarcham Deum.*

D. Aug. l. de consensu Evang.

Stephan. Barrad. l. 7. c. 7. fol. 839. col. 2. C.

Cassiod. l. 2. var. epist. 38.

3. Fons quidam, sive balneum reperitur in Aponia, cujus aquæ valdè sunt prodigiosæ, inquit Cassiodorus, qui illas jucundissimas & salutiferas, illarumque gentium recreationi ferventes esse affirmat. Hanc tamen valdè miram habeat in se proprietatem, quod videlicet viros & fœminas uno, eodemque tempore minimè admittat. Et quidem si fortè contrarium aliquando accidat, nó parum inde turbantur, & velut ad indignationem provocatæ præter morem vehementer commoventur, nam incalescere, & bullire incipiunt, atq; inter hosce bullientis aquæ strepitus, eædem aquæ, quæ antea recreabant, paulò post offendunt & vehementer cum magna corporis læsione adurunt; unde hoc si evadere volunt læsionis periculum, opus est ut vel vir, vel mulier exiens discedat, & una dumtaxat persona in balneo remaneat. Verè, & propriè historia hæc cum casu nostro concordat, nam cor nostrum duobus se Dominis in eodem simul, & semel residentibus consecrare nequaquam potest, unde si se Dæmoni, aut mundo, vel libidinibus consecret, Deus inde indubitatè recedit, ac proinde si Deo illud dedicare voluerit, quidvis aliud abundè licentiandum, aut dimittendum erit. Nemo vel minimam ejus partem habere potest, ideoque totum solius Dei sit necessum est. Rem profectò miram una cum Plinio referunt alii benè multi Scriptores, scilicet eam esse hederæ virtutem, ut si in craterem ex hederæ ligno factum vinum simul cum aqua infundatur, subitò vinum inde se recipiat, sola aqua manente superstite: *Si enim vas ex hedera fiat, nihil vini servari in ea poterit, cùm totum effluat, si vino forsan aqua permixta fuerit:* Quasi vinum ex naturali quadam repugnantia simul cum aqua in eodem cratere subsistere abhorreret. Similis prorsus indolis & propietatis Deus noster est; neque enim in corde nostro in societate aliorum Deorum habitare sustinet, sed soli sibi idipsum vendicat, illudque ab alio occupari, aut possideri nequaquam permittit. Quare illud in partes aliis erogandas minimè dividere, sed sanum integrum & indivisum Deo offerre debemus.

Plin. l. 16. cap. 25.

4. Tota hæc doctrina nobis in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento repræsentari videtur: Catholica enim veritas est, quod sub speciebus sacramentalibus totus Christus cum corpore, carne, sanguine, humanitate, & Divinitate contineatur, idque non tantum sub qualibet hostia, verùm etiam sub qualibet minima hostiæ particula; adeò ut licet species à Sacerdote dividantur, ipsum tamen Christi corpus indivisum semper permaneat. In uno eodemque instanti est totus Christus in tota hostia, & totus in qualibet consecratæ hostiæ parte. Qui aliquod hostiæ consecratæ fragmentum recipit, non minùs totum Christum recipit, quàm qui integram hostiam acceperat sibi portectam. Unde S. & Angelicus Doctor divinè prorsus cecinit:

Caro cibus, Sanguis potus.
Manet tamen Christus totus,
Sub utraque specie.

D. Th. in sequent. Missa.

A sumente non concisus
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

O Magne Deus! O mysteria profundissima sub hac vetitate latentia! è quibus pro nunc speculationes Theologicas omittens, ad piam quandam, & moralem sancti Bonaventuræ speculationem me converto, qui Deum Sacramentum Eucharistiæ sub hac ratione ideò instituisse dicit, ut nos tantò arctiùs ad integrè ei grata mente respondendum obliget, cor nostrum nequaquam dividendo, sed integrè, & indivisum donando: *Dominus indivisum & integrum corpus obtulit mihi, malè ergò dividor, & vel minima mei parte illum defraudo.* D. Bon.

5. In Genesi legitur quod cùm Abraham defatigata corporis sui membra dulci somno restauraturus in terra pronus jaceret, dator omnium bonorum Deus elata voce eum inclamaverit dicens: *Abraham, Abraham.* Qua voce Patriarha expergefactus, ad quemvis Divinæ Majestatis nutum promptum se exhibuit & expeditum. Cui Deus mox subjunxit: Gratissimum mihi præstabis obsequium, si filium tuum Isaac in Altari quodam victimæ loco exsanguem sacrificaveris in holocaustum. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer mihi illum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Abraham igitur divino huic præcepto pariturus, executionem illius promptam nec quicquam distulit; nam mox ut in mõtem à Deo sibi designatum appulit, operæ sacrificandi filium suum sese indilatè accinxit, dumque ad detruncandam filii sui cervicem evaginatum gladium in collum ejus adigere vellet, Deus per submissum Angelum manum ejus à sacrificio, & nece Isaac filii suspendit, & ne ultra progrederetur prohibuit: *Abraham Abraham ne extendas manum tuum super puerum.* S Pater noster Augustinus modum quo Deus Abrahamum tractat cum stupore considerat, & dicit: quod si Deus Isaacum immolari non volebat, cur illud ut fieret, præcepit; aut si illum volebat immolari, cur ejus holocaustum prohibuit? *Qui jusserat ut feriret, modò vociferatur ut parcat: Parce devote Pater parricida sine crimine parce.* Etenim sunt nonnulli, qui Abrahamum in duas partes cor suum dissecuisse opinantur, quarum unam Deo, tanquam Creatori suo, alteram verò Isaaco, utpote prædilecto filio suo, donarit, atque ideò Deum præcepisse, ut filium suum

Gen. 23. Gen. 23. Gen. 23. D. P. August. t. 10. serm. 37. de Abrah & Isaac. f. 163. col. 3. H.

sacrificando, omnem sibi dividendi cordis sui occasionem adimeret: *Serva Domine illum illi, ne crucies adeò cor servi tui; imò qui diligit eum vehementer, peto ut sacrificet eum mihi. Nolo enim cordis amorem in alium collocari, filius ille licet sit.* Potrò efficacem hanc rationem existimatem, si Deus reapse permisisset, ut mors & sacrificium Isaaci filii Abrahæ effectivè subsecuta fuisset; tunc enim omnis fuisset Abrahæ adempta occasio, quo minùs partem cordis sui dare filio jam mortuo potuisset, cessisseque cor Abrahæ hoc pacto totum Deo: Nunc autem quia mortem, & sacrificium Isaac admittere noluit, aliud investigare motivum cogor. Unde suppono certissimum esse quod omnia Passionis Christi mysteria in veteris Testamenti figuris fuerunt repræsentata: Et quidem speciatim sacrificium quo Christus semetipsum in monte Calvariæ, super Ligno Crucis offerre voluit, per sacrificium Isaaci, quod in monte Moria super lignis quæ propriis Isaaci humeris eo fuerant deportata (*Tulit quoque ligna holocausti.*) offerri debebat, figuratum fuit. Unde Deus idipsum considerans veluti dicere voluisse videtur: Isaac sacrificatus figura erit holocausti illius, quod pro redemptione generis humani offerri debet: Christus autem postea in Crucis ligno oblatus, erit ejus figuratum. Facillimè proinde fieri posset, quod homo se tam figuræ quàm figurato obligatum esse conspiciens cor suum divisum inter utrumque dispertiret; atque ideò siste, inquit, Abraham: *Ne extendas manum tuam super puerum*, jussitque ut loco Isaac arietem, qui subitò vicinus comparebat in victimam sacrificaret: *Viditque post tergum arietem inter vepres harentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Hac ratione Deus Abrahæ promptam obedientiam ratam, gratamque habens, securum se cordis Abrahæ omniumque hominum possessorem eo ipso constituit, quo Isaac à sacrificio exclusus, cordis humani partem sibi vendicare nequivit. Unde S.P. Augustinus Deum sic loquentem adducit: *Affectum tuum inquisivi, non factum exegi.* Franc. Labat. t. 1 de Amor. Dei prop. 1. Gen. 22. Gen. 2. ibid. D.P. Aug. ubi supra.

6. Multoties intra memetipsum scrutatus sum causam, cur supremus legislator ordinem, & modum, quo ab homine adorari, & coli vult præscribens, atque stabiliens, tanquam solum Deum adorari voluerit dicens: *Vnum colle Deum.* Scio equidem quod fides Catholica, & sacri Theologi doceant, Deum non tantum

in

in essentia unum, verum etiam trinum esse in personis, & ex his Patrem pariter & Filium & Spiritum Sanctum *adoratione Latriæ* coli debere. Unde non solùm præcipi nobis debebat; *Vnum cole Deum*, verum insuper adjungendum erat: *Tres cole personas*. Siquidem aliqua inter essentiam & personas intercedere videatur ad minus rationis distinctio, cùm hæ relationes importent, illa verò absolutum quid significent. Responsebitis forsitan quod dicendo, *unum cole Deum*, consequenter dicatur *Tres cole personas*: siquidem Deus tam est trinus in personis, quàm in essentia unus. Nos quoque S. Thomas erudiat dicens: *In Deo non est aliud esse Relationis & esse essentiæ, sed unum & idem.* Veruntamen ego hoc quidem minimè nego, hoc tamen replico, quod si dicere *unum cole Deum*, idem est ac si dicerem *Tres cole personas*, cur hoc postremo modo præceptum istud non enunciavit, dicendo: Tres cole personas, sic enim idem dixisset ac *Vnum cole Deum*? S. Ambrosius respondet Deum hisce verbis, saltem quoad simplices & idiotas obviare voluisse humani cordis divisioni, quasi dixisset: Quod si ego illi tria realiter distincta objecta ad adorandum proposuero, Patrem nimirum, Filium, & Spiritum Sanctum, homo utique ut veneratione sua tribus correspondere posset personis divinis, cor suũ in tres quoque partes dissipabit. Qua in re tametsi nihil mali facturus esset, attamen hæc cordis divisio Hebræorum populo ad Idololatriam proniissimo magnam suggerere potuisset suum quoque cor circa objecta creata & terrena dispertiendi occasionem: *Cognoscebat enim Dominus populum illum ad Idololatriam maximè proclivem, ne cor illius divideretur in partes, & singulis personis propria pars tribueretur, ait, Vnum cole Deum.* Cùm itaque Deus cor hominis ne quidem in tres personas Divinas dividi nolit, quantopere ei si medietatem cordis Dæmonio demus, displiceat, conjicere facilè quisque poterit.

D. Th. q. 39. art 1. fol. 404. col. 2.

D. Th. 1. p. q. 28. art. 2 in corp. in fine fol. 331.

D. Ambr. in examer.

7. Et tamen homo sicuti Deum offendere cavet, ita quoque studet ne dæmoni adversetur, utraque mandibula manducare prætendit; cuivis vento palliolum suum obtendit, sic inclinatur ad unum, ut alteri minimè contradicat. Deũ quidem sibi conservare procurat propitium, ita tamen ut nullum sibi dæmonis adsciscat odium. Cor suum Deo quidem donare intendit, aliquam tamen illius partem creaturæ cedere non intermittit. Denique duabus contrariis sibique adversantibus partibus complacere præsumit. O summam hominis stultitiã! Ergone possibile est quod Deum offendere non dubites, ut dæmonis tibi gratiam conciliare valeas? Mihine igitur persuadere debeo tibi decorum esse potiùs in impii & crudelis Tyranni, quàm in pii, benigni, & amantissimi Patris manus cor tuum consignare velle? Potiùs Sanctorum Magorum consectans vestigia, tuique pectoris scrinium reserans illud sanum, integrum, & indivisum, Deo tanquam totali Patrono & absoluto Domino sacrificato; donum istud, crede mihi super omne à Magis ei oblatum aurum, thus, & myrrham gratum illi erit, atque acceptum, maximè si idipsum cum ea, quâ poteris maxima affectus promptitudine, & synceritate præstiteris. Sic quoque & Dei desiderio, tuoque debito satisfaciens, ab ipso vicissim quicquid pro tua salute tam hic in terris, quàm post hanc vitam in cælis petere, & sperare poteris facillimo negotio impetrabis.

Amen.

SERMO TERTIUS
IN FESTO
PURIFICATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Postquam impleti sunt dies Purgationis MARIÆ *secundùm legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.* Luc. 2.

1. HOmo inter omnes divitias suas nihil opulentius possidet, nec ornamentum aliquod habere elegantius potest, quam ipsas animi sui virtutes & excellentias. *Virtus est hominis interioris pulchritudo*, inquit S. P. Augustinus. Fama homini balsami loco inservit, unde immarcessibile & æternum reddatur nomen eorum, qui se per actiones heroicas illius veros probant esse possessores. Sic gloriosa in posterorum mente indelebiliter vivit Philippi Macedoniæ Regis erga Nicanorem (*Qui omnibus in locis quantum poterat Philippo insidiabatur*) exhibita clementia. Augusti pro Diomedis servi sui defensione, vitam suam extremis mortis periculis exponentis incredibilis affectus paterni propensio: Pollionis quoque reum à rigorissimi supplicii sententia liberantis ingens misericordia. Denique illa Justiniani Imperatoris, qui Vitigem infestissimum inimicum suum, Belisarii in infelici prælio factum captivum ad se confugientem tanquam verus amicus Constantinopoli affectuosissimè excepit, & ab omni periculo securum reddidit insignis mansuetudo, & Christiano Principe dignissima charitas æterna post se relinquens gloriosæ memoriæ vestigia. Sic quoque mundus hactenus oblivisci minimè potuit Magnanimitatis virilisque robotis à Thomiride Scytarum Regina exerciti, quando cum Cyro totius Asiæ terrore intrepidè dimicans, rupto & fugato Cyri exercitu, glorioſam ab eo retulit insignis victoriæ palmam. Generositati Lycurgi universæ acclamant historiæ, eo quod cum ferocissimo quodam Leone prælaturus, licet omninò solus & inermis in arena consisteret, animo tamen non despondit, sed palliolo in faciem Leonis conjecto, & circa collum obvoluto, eundem confecit, & omninò exsanguem coram pedibus suis prostratum victorioſus reliquit. Etiamnum Roma gloriari de Horatio Coclite minimè desistit, quod animo fuerit intrepido, ut solus in ponte quodam inimici exercitus furorem sustinere minimè dubitarit. Nec temporis longævitas quæ æra, ferra, & marmora, aliàs facilè atteruntur, Papirii pueri, qui Prætexatus alias dicitur, eximiam prudentiam sub oblivionis lapidem sepelire potuit, eò quod à matre sua curiosè interrogatus. *Quid eo die in Senatu actum esset*, ne jusiurandum de non relevando secreto violaret, seque ab importunitate materna eximeret, sapienti hac & ingeniosa responsione matrem dimiserit, dicendo: Deliberatum est utrum è duobus pro majori Reipublicæ utilitate eligi posset, an, ut una mulier deinceps duos maritos, an verò unus maritus duas sibi uxores copularet. Porrò qui sub Martis vexillo militant à Lacedæmonum Rege Cleomene prudentiam docentur, qui post pactas cum Græcis septem dierum inducias tertia tandem nocte quando sine ulla cujusvis adversi suspicione, cuncti animis quietis profundo jacebant somno sepulti, eosdem aggressus ex improviso nil minus cogitantes, quosdam captivos abduxit, aliis omnibus internecioni traditis. Tandem verò adversus Græcos de fidei violatione ruptaq; pacelamentantes, se prudenter tutatus est dicendo non de noctibus, sed de diebus tantum se pepigisse: *Septem dierum se inducias dixit pepigisse, de noctibus nullam prorsus fecisse mentionem*, Prodigium etiam stuporis dici meretur summè admiranda illa Salomonis sapientia, quæ in illius de-

D. P. Augusti. in epist.
Bapt. Fulg. l. 5. Andr.
Ebor. de humanit. & clem. fol. 280.
Fulg. l. 5.
Guidis ex emplor. lib.
Bapt. Fulg lib. 3.
M. Ant. Coc. Sabell. l. 4.
Etorem. de astut. dict. & fact. fo. 388
Bapt. Fulg. l 7.
Valer. Max. l. 7.
Ebor de astut. dict & fact. f 323.

decisione litis emicuit, qua duæ matres contendebant utrius, tanquam veræ matris, filius esset ab utraque prætensus, dum litem hanc determinavit jubendo ut filius gladio in duas partes dissectus, inter utramque prætensam matrem divideretur: *Dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri*, cui Salomonis sententiæ una mulierum illarum minimè acquiescens, se veram pueri illius matrem esse evidenti argumento comprobavit. 3. *Reg. c. 3. v. 25.*

Præteritorum sæculorum prius extinguetur memoria, quàm attramenta, & chartæ admirabilem Elizabethæ Thuringæ Landgraviæ, ennarrare cessent æquanimitatem, & tolerantiam, quæ Principe Ludovico marito suo mortuo, non solum à Principatu omnibusque illius Dominiis exturbata, sed & cunctis facultatibus suis exuta extremæ mendicitatis miseriam invicto prorsus corde superavit, omnes adversæ fortunæ impetus intrepidæ fortitudinis scuto generosè repellens. *Hiere. Drexel. t. 1. f. 844.*

Philippus II. Hispaniarum Rex potentissimus felicitatem, & Coronæ suæ amplissimam Majestatem, quam cælo ita disponente in cunis invenit, vix gustavit, quin potius à numeroso variorum morborum, graviumque infirmitatum ipsum continuo infestantium exercitu in lectulo suo obsessus, malis hisce omnibus pectore tolerantia armato fortiter resistebat. *Idem t. 1. f. 50. col. 1.*

Conspirantium variarum stellarum conjuratio Mautitium Imperatorem Constantinopolitanum in varia deturbavit ærumnarum præcipitia, adeo ut Imperio exutus, à Phoca incarceratus, filiis suis in ejus conspectu unâ cum conjuge sua crudeliter occisis, veluti scopus ad calamitatum eum impetentium sagittas factus, tandem ignominiosæ morti per sententiam fuit adjudicatus; cùm tamen inter hæc omnia calamitatum genera ipse sub humanæ fragilitatis pectore chalybea, æneaque præcordia se habere demonstrans, oculis in cælum sublatis incessanter clamarit. *Paul. Aresi. de Tribul. lect. 38. num. 4. Vinc. Beluac. in spec. Natu. l. 23. c. 74. f. 418. col. 4.*

Iustus es Domine, & rectum judicium tuum. Denique fuere hactenus celebrata & deinceps semper in immortalitatis templo ob temperantiam suam per omnia sæcula declamabuntur & conservabuntur nomina Apollonii, Litanæi & Catonis superioris nomina Aniani Episcopi Alexandrini, & Nicetæ Martyriis, qui perpetuæ castitatis conservandæ amici fuere confœderati, in æterna semper vigebunt memoria, Periclis quoque Athenienſis, quia Ephebus Alexandri Magni fuit, nomen ob ejus invictam patientiam immortali fama florebit. Propter divitiarum mundi hujus contemptum Nivardus junior S. Bernardi frater, & Paulus Æmilius sempiternam sibi laudem comparavere. Denique Philocratis, qui servus Caii Gracchi extitit, & Diogenis Cynici ob insignem erga majores suos fidelitatem exhibitam comparata encomia, sicut & Carneadis, atque Demosthenis partas per facundam in perorando eloquentiam egregias laudes nulla unquam obliterabit oblivio. *Andr. Ebor. f. 55. & 58. Sabell. l. 5. Eboren. fol. 9. Valer. Max. l. 5. & Sabell. l. 9. idem l. 2. Eborem. fol. 657. idem fol. 184. Fulg. l. 8. Sabell. l. 1.*

Atque ideo quis unquam inficiari potest, quin animi virtutes donorumque prærogativæ hominis sint maximus opulentusque divitiarum thesaurus? *Virtus est hominis interioris pulchritudo.*

2. Verum enimvero quid de Beatissima Maria Virgine dicemus, cujus virtutes eximiæ, & heroicæ prærogativæ tantopere à Sanctis Patribus declamantur, celebrantur à Doctoribus, prædicantur à Prophetis, à sancta Dei Ecclesia solemnizantur, totum denique mundum in stuporem, & extasim, Angelos verò in devotissimam reverentiam rapiunt? Ipsa profectò non unam duntaxat, sed infinitas animi virtutes, gratiasque felicissimè possidet, quæ fortunatam ejus animam omnes obsequiosissimè affectantur, & elegantissimè adornant. *Nihil est virtutis, quod in te non resplendeat* (inquit devotissimus Bernardus) *Et quidquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti.* E quarum virtutum numero illam hodie in sacro templo unica humilitas superbissimè adornat. Unde Guaricus Abbas ait: *Quis non miretur quam in die Purificationis Maria ostentaverit humilitatem, dum qua Angelis purior erat, quasi à sordibus emundari indigeret, purificationis remedium ad eas abstergendas assumpserit?* O pretiosissima Humilitas! O Eximia Deiparæ virtus! O Humilitatis Theatrum Mariæ. *D. Bern. in Salve Regin. serm. 4. Guarric. Abb. l. 1. de Sacer. Regul. Mariæ cap. 15.*

3. Quo fine homo Christianus magnis cum sudoribus, & laboribus universum in semetipso congregavit virtutum collegium, si hæ postea minimè sint solidatæ in basi, & fundamento humilitatis, quæ à sancto Bernardo vocatur *Fundamentum virtutum*? Cui consonat S. Gregorius dicens: *Origo virtutis humilitas est, illam nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat.* Verè namque humilitas vena quædam

D. Bern. de conf. lib. 5.

mineralis est omnium virtutum. Atque ideo Sanctus Pater Augustinus optime advertit, nosque monet humilitatem *Ens quoddam transcendentale* esse, eo quod in cunctis ipsa reperiatur virtutibus, quæ nisi humilitatis sale condiantur, insipidæ evadunt: *Humilitate omnia facta nostra condiantur.* Sanctus Chrysostomus egregio illam encomio adornat, dum illam *Principium beatitudinis* appellat. Cui sanctus Gregorius ulterius addit quod sine humilitatis medio, finem suum ultimum, id est, visionem beatificam nemo hominum adipiscitur, dum inquit: *DEUM nonnisi humiles contemplari possunt.* Qui insuper subdit, virtutem Humilitatis hac esse prærogativa præditam, ut vilissimum terræ vermiculum ipsimet Deo similem reddere possit: *Humiles, dum se deficiunt, ad Dei similitudinem ascendunt.* Idem quoque Doctor ulterius affirmat humilem ad eam usque excellentiam pertingere, ut suprema Dei Majestas ad ejus se pedes prosternere videatur, veluti eundem reverenter adoratura: *Humilitas*, inquit, *virtus magna, cui etiam Deitatis Majestas se inclinat.* Enimvero quod si ejusmodi effectus in vulgarem quandam creaturam redundant per humilitatem talem, quæ omnes perfectionis titulos, quibus in gradu heroico reddi posset celebratissima, secum minime adferat, quid de Beatissima semperque Virgine MARIA dicemus, cujus humilitas ab omnibus gradui sanctitatis heroico & supremo debitis prærogativis significata fuit, quæque in omni perfectionis genere perfectissima extitit, quam proinde inter omnes cæli terræque creaturas sanctus Hieronymus omnium dignissimam pariter & perfectissimam esse deprædicavit? *In comparatione Manus Domini nulla Creatura invenitur perfecta, quamvis eximia virtutibus comprobetur.* Imo si omnia humani corporis membra verterentur in linguas, imparia nihilominus forent ad adumbrandum duntaxat minimum quemvis incomparabilis humilitatis suæ actum: *Si nostrum omnium membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus*, inquit Sanctus Hieronymus: Quapropter aliqua tantum Scripturæ loca in medium hoc discursu adducere decrevi, quibus, veluti lumine, uti possim ad investiganda Marianæ humilitatis vestigia.

D. P. *August. epist.* 58. *Chrysost.* 10. *ho.* 33.

D. *Greg.* c. 27. *moral. in Iob.* c. 27. *Idem in past.*

Idem ser. 37. *in Cant.*

D. *Hiero. in serm.*

Idem in ser. de Assumpt.

4. Quandoquidem justo Dei judicio *Nullum malum impunitum* remaneat, Deus serpenti infernali, utpote qui Evam in Paradiso terrestri ad Divini Præcepti transgressionem instigaverat, hoc multis nominibus juste promeritum intulit supplicium: Mulieri *ipsa conteret caput tuum*, Et vice versa tu continuas calcaneo ejus strues insidias: *Et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Ubi specialiter advertendum est, quod Deus verba illa non de Eva, sed de MARIA intelligi velit, prouti Sanctus Hieronymus exponit, dicens: *Non intelligitur de Eva, sed* MARIA. Atque ideo non dixit: *Inimicitiam pono* de præsenti, sed *ponam* de futuro: *Ne ad Evam pertinere videretur, sed ad illam utique mulierem, quæ Salvatorem erat paritura*: Quasi diceret, MARIA caput tuum confringet, tu vero calcaneo ejus insidiari non desines. *Calcaneo*? Cur non potius dicit, *Oculis, vultui, pectori, cordi, corpori, vitæ, capiti*? Multæ à sacris expositoribus in medium adducuntur expositiones, è quibus Dionysius Carthusianus dicit: *Insidiaberis calcaneo ejus, id est, mordere eam conaberis in inferiori parte pedis ipsius.* Glossa interlinearis, inquit: *Illam partem animæ quæ gaudet carnalitate.* Lyranus ait: *Quia non potest elevare se ad mordendum in superiori parte.* Abulensis vero existimat, quod cum calcaneus sit ultima pars corporis, per illam intelligatur ultimum vitæ nostræ momentum, calcaneo, *id est, fini insidiaberis*, quodque in illo articulo Dæmon homini atrociores, quam quovis alio tempore struat insidias, sperans se illum tunc superaturum. In MARIA autem simile quid attentare non præsumpsit, aut certe irrito semper conatu id fecit, si fecit: *Sic etiam forte tenendum est, quod Beatam Virginem tentaverit, nihil prævalens.* Alii autem opinantur, quod sicut caput nobis superbiam repræsentat: *In capite enim est elatio* Ita pariter (quia *oppositorum est eadem disciplina*) *per* calcaneum humilitas significetur. *Per calcaneum extremam corporis partem, humilitatem.* Quod alii confirmant, dicentes: *Calcaneus ultima corporis pars humilitatem significat.* Unde cum Deus dæmoni comminatur. *Ipsa conteret caput tuum*, Idem est, ac si dixisset: Mariæ erit quæ tuam supplantabit elationem, & superbiam tuam reprimet: Serpens autem econtra Marianæ humilitati, quas excogitare poterit, molietur insidias, utpote quæ

Gen. 3.

D Hier. epist. de viro perfecto & Rup. Ab. l. 2. *de victoria. verb. c.* 16

B. Dion. Cart. ibi. a. 24. *fol.* 76. *col.* 2. *Idem ibid. f* 75 *col.* 1. *Gloss. Interl. Lira. ibidem Abul. ibi. fol.* 21. *col.* 2. *E.*

Io. Hay. in c. 3. *Gen. v.* 15 *fol.* 315. *col.* 2. *n.* 440. *v.* 1. *A. Alyos. Novar. in umbr. vir. excursu* 154. *fol.* 439.

quæ sicut & Mariæ valde familiaris est & prædilecta, ita Dæmoni summe est exosa. Hæc torquet serpentem, Mariam verò magnificat. Quantum Dæmon illam abhorret, tantò illam MARIA majori semper in pretio habet. Quantum enim ille superbè se erigit, tantum ista se humiliter, & profundè inclinat, & dejicit. Unde Fulbertus Episcopus inquit: *Si interrogetur in quo serpentis caput ipsa contrivit, nimirum in eo, quod humilitatem Deo sacrificavit.* Non equidem ignoro Achillem Thetis & Pelei filium utpote qui à matre sua in stygiæ paludis aquas immersus fuerat, in nulla corporis parte vulnerari potuisse. At verò, quia Calcaneus, ex quo mater Achillem aquis immergens, eum apprehendens tenebat, ab aquis prædictis humectari, materna manu impediente, non poterat, ideo tametsi ex omnibus corporis partibus aliis impenetrabilis lædi, aut vulnerari non potuerat, solus tamen Achillis calcaneus ea virtute præditus nequaquam fuit. Unde Hecuba Conjux Priami ob occisos ab Achille duos filios Hectorem, & Troilum, adversus eam indignata, atque in vindictam parata, ad prævalendum contra illum hoc sibi stratagemate viam paravit. Advertens enim Achillem Polixenæ filiæ suæ amore captum esse, ei indicari fecit hanc ei in conjugem dandam esse, dummodo præliis deinceps desineret omnique belli motui nuntium remittere vellet; ut autem stratagema conceptum felicem optatumque sortiretur effectum, illud secretum, occultumque servare omni studio contendebat. Unde ei, ut nocte sequenti Apollinis Timbræi templum juxta mœnia Trojana situatum aditet persuasit, eo quod eo in loco totum negotium resolvendum, & terminandum foret, id quod Achilles promptissimo animo fecit, promisit, & reipsa exequendo complevit. Paris autem Hecubæ filius retrò altare quoddam clam latens, oportunum ictus dandi & exequendi stratagematis tempus nactus veluti arcus tractandi expertissimus erat, Achillem jam genuflexum sagitta quadam in calcaneo graviter vulneravit, occidit, ac tandem in Sigæo Trojæ promontorio sepelivit. Verumtamen fabulosæ hæ umbræ, Catholicæ veritatis lumini cedant & veritati: Beatissima Virgo Maria Divina gratia mediante, de qua Chrysost. ait: *Gratia Dei invictos facit*: vel, *Gratia Dei est murus inexpugnabilis*, se à Diabolicarum insidiarum sagittis præ Achille incomparabiliter magis impenetrabilem reddidit. Novellus equidem Paris astutiam suam arcum dedita opera ad illam in humilitatis calcaneo vulnerandam expedire poterat, verum sagittæ ejus in vanum, utique & effectu prorsus irrito ejaculatæ fuissent. *Quia Maria tota se infudit plenitudo gratiæ*, inquit Hieronymus. Apte hoc loco mihi occurrit quod de S. Machario Abbate scriptum reperio. Hic enim cùm tam ad sporculas contexendas, quam etiam ad fugiendum, quod statui religioso pernitiosissimum est, otium, aliquos palmarum manipulos à palude quadam exportasset, accidit quod inimicus hominis eidem apparens falce quadam eum invadere, gravissimèque lædere comminatus fuerit, verum irrito prorsus, vanoque conatu. Hisce etenim verbis eum adoriebatur. O Machari, magnam mihi suscitas bellorum, certaminumque inquietudinem, & quod in ea me quam maximè torquet, & affligit, hoc est, quod scilicet viribus caream, atque talentis quibus te vincere, tibique prævalere aliqua ratione valeam. Scito etenim nihil esse eorum, in quibus temetipsum ad Dei gloriam exercere soles, ad quod ego me non majori cum rigore, & punctualitate adhibeam. Quod si enim tu jejunas, ego à primo creationis meæ momento cibum minimè gustavi. Tu integras noctes insomnes ducis, nec ego unquam vel minimo momento somno indulgeo. Tu castitatem semper observas, ego autem nullam unquam huic vel modicum præjudicantem actionem committo. Tu mundi hujus bona contemnis, quibus ego quoque nullum unquam affectum applicui. Tu corporis membra disciplinis maceras, & abstinentiis attenuas, ego verò gehennæ flammis æternum crucior, & torqueor. In hoc solo me superas, in quò ego quoque tibi effectivè ultro cedo, nimirum quod humilis sis, & parvus in oculis tuis, in hac enim virtute nullum ad dimicandum tecum campum reperio, in quo aliquam contra te prævalendi spem præsumere ausim. Verum enimvero Macharii humilitas comparative ad humilitatem Mariæ considerata, est velut umbra comparata ad solem. Atque ideo serpens infernalis id quod Deus prædixit: *Tu insidiaberis calcaneo ejus*, executioni audacter mandet, certò namque fulmina sua obtusa ac infirmata esse

Fulb. Episc. ser. de Nativ. Virg.

Io. Boce. in Genealog. Deor. l. 11. f. 100 fac. 2.

Chrisost. in Gen. 1. ho. 4. & 21. ho. 46.

D. Hier. serm. de Assumpt.

Petr. de Natal. in vita S. Mach. lib. 2. c. 35. fol. 24 col. 4.

Andr. Gelsom. in Thes. caelest. c. 18. fol. 103

Cant. c. 7.

esse deprehendit. O ingentem virtutem! O heroicam magnæ Dei matris humilitatem!

5. Etenim quandoquidem de calcaneo nobis hactenus sermo fuit, nunc quoque totius pedis delineationem, & symmetriam observemus. Hic enim adeo venustus, est & elegans, ut sponsus cælestis se illum pro meritis sufficienter celebrare non posse putet: unde dicit: *Quàm pulchri sunt egressus tui in calceamentis filia Principis!* Quis hic non obstupescat dum sponsum in acclamanda passuum pedis elegantia semetipsum totum se adhibere videt? Ergone in Maria nulla erat pars spectabilior, aut majori laude dignior? Pulchritudo utique non in gressibus aut pedibus, sed in vultu & reliqua corporis statura residet. Unde celebris Aspasia fuit, quæ aurea coma, capillisque crispis exornata erat: Augustus quoque ab oculis extolitur, qui stellarum instar scintillare solebant. In Sabino quoque Maximini filio oris suavissima labia mire placebant. Laudem quoque singularem Zenobia à dentibus obtinuit adeo candidis, ut videns conchyle quoddam candidis margaritis refertum, referare videretur. Cleopatræ sermo adeo omnibus gratiosus esse videbatur, ut Cæsaris pariter & Pompei corda vulnerasse visus fuerit. Ephestionis quoque vultus magni æstimabatur, utpote qui præ ipsa Alexandri effigie majorem in se Majestatem præseferebat, ut proinde hoc vultus decore Darii mater ad eum humiliter venerandum haud immeritò fuerit permota. In pretio denique erant in Albio Tibullo membrorum, corporisque dispositio, eoque non minori, quam quo Athlantæ Jasonis filiæ elegantia æstimari solebat, de qua dici solet: *Symmetriâ omnium membrorum reliquas mulieres vincebat.* Cum igitur omnes hæ pulchritudines, & elegantiæ in Maria veluti brevi quodam compendio coadunatæ, simulque collectæ fuerint, quænam causa hic subesse poterit, quod sponsus omnibus hisce venustatibus neglectis aut posthabitis, ad solam pedum gressuumque pulchritudinem explicandam sese applicuerit? *Quàm pulchri sunt gressus tui, &c.* A proposito nostro neutiquam aberrabimus, si per pedem tanquam extremam corporis partem humilitatem intellexerimus, quæ utique dignissima erat, ut ab infinita ipsiusmet Dei facundia super quaslibet virtutes alias celebraretur. *Licet pulcherrima esset Beata Virgo à planta pedis usque ad verticem capitis, ejus tamen humilitas, qua Mariani pedes, hoc est, ejus affectus cacloeati erant, ardentem in divino pectore sui amorem excitavit.* Et quidem tametsi non nesciam, Chaldæum loco Ly *gressus*, Ly legere *pedes*, attamen Lectionem nostram vulgatem præterire neutiquam volo, quæ legit: *Quàm pulchri sunt gressus tui*; Porro scire hoc loco percuperem de quibus gressibus hoc in loco loquatur sponsus cælestis; forte de illis, quos in primo immaculatæ Conceptionis suæ instanti fecit? aut de iis, quos ex utero materno prodiens formavit? Aut verò de operum meritoriorum gressibus, quibus per viam perfectionis inambulando in gratia divina continuo profecit; Quod me attinet sponsum de iis gressibus locutum fuisse existimo, quibus è domo sua discedens Elisabetham Zachariæ conjugem visitatura in Judæam summa cum acceleratione progressa fuit: *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, & salutavit Elisabeth.* Hi enim gressus adeo eleganter, atque concinni erant, ut veluti magnetes omnium rapuerint oculos, totumque cælum in stupotem, cælestesque laudes adegerint: *Quam pulchri sunt gressus tui.* Etenim tametsi hactenus dicta verissima sint, sub iis tamen latens mysterium necdum sufficienter penetrare valeo, nisi prius Beatissimam Virginem allocutus fuero. Eia igitur, O Maria, quid agis? Quo vadis? Quonam te tui rapiunt affectus? Ergone proficisceris ut fœminam quandam te longè inferiorem visites? An te Dei matrem esse ignoras? Multum profectò per omnem modum æstimationem tuæ personæ imminuis, tuæque majestati multum præjudicas. Non convenit, ut is, qui major est, visitando incommodet; imò contrarium omnino fieri oportet. Hæc utique politica, quæ inter mundi hujus magnates quotide accurate observatur. Idque verum esse Elisabethæ cognatæ tuæ admiratio probat dicentis: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Certe non modicus ex parte tua, O Virgo sacratissima, favor fuisset, si postquam illa tibi prius Visitationis honorem, & reverentiam detulisset, tu illam eadem prorsus

Ælli. 12. Var. Hist.

Guid. Biturich. Ziphil. Dionys.

Micani abbrev. in Cæs. Theat. Vit. Hu. fol, 1190.

Æl. lib. 13. Var. Hist.

Io. Carl. lib 5. ho. 13. f. 450. col. 1, Cald. apud Iacobum Pintum de Christo cruc. t. 2. l. 3. loc. 3. n. 7.

D. Lucas cap. 2.

D. Luc. 1.

sus visitationis honore fuisset, dignata. Absit, absit, inquit Beatissima virgo, nolo respectus nosse mundanos, ne istas nugas attendam mea me obligat humilitas. Cùm igitur Beata Virgo quot gressus fecit, tot profundæ humilitatis actus expresserit, mirum non est quod illi Deo cui ob sapientiam, & scientiam infinitam, nihil mirum esse videtur, hi tamen gressus summam admirationem stuporemque attulerunt, ut proinde

D. Amb. lib. 1. Commen. in Lucam c. 1. f. 20. obstupescens dicat: *Quàm pulchri id est quàm humiles sunt gressus tui.* Id quod S. Ambrosius annotavit dicens: *Contuendum est, quia venit superior ad inferiorem. Maria ad Elisabeth: Decet enim, ut quantò castior virgo, tantò sit humilior.* Et quidem an non tibi profundæ humilitatis gressus esse videntur, quos hodie instituit, dum ad templum velut purificanda properat, quæ putissima, & sanctissima erat? Teste S. Thoma

D. Thom. serm. de Purif. Aquinate Doctore Angelico dum ait: *Noscitur humilitas in purificatione, cùm ea non indigeret.*

6. Enimvero ab uno extremo ad aliud, id est, à pedum elegantia, ad comæ capillorumque

Cant. 4. pulchritudinem transgrediamur. *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui*, dicebat quondam sponsus, vel uti alii legunt: *Abstuliisti mihi cor.* Circa quæ verba meritò inquirat aliquis, qua ratione fieri possit, quod crinis, vel capillus aliquis cor Dei vulnerare, aut penetrare possit, cùm ad hosce effectus unicus capillus minimè sit proportionatus? Neque enim sagitta vinciri, aut ligari, nec vulnerari capillo potest. Non quidem adeò vehementer admiror, quod oculi quoque

Cant. 4. vulnerari dicantur: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*, neutiquam admiror, quia id rarum non est, satis enim notum est oculorum obtutus valdè esse penetrativos. Nam de oculis

Platina in Leone IV. basiliscì inquit Platina: *Quæque visa inficiunt, imò etiam solo visu animantia interimunt; quin & seipsum quoque visu proprio basiliscus interimit.* Sic quoque adolescens quidam Virginis cujusdam Christo desponsatæ amore captus ab oculorum ejus venustate in corde suo vulneratum se esse dicebat; quæ proinde oculos sibi eruebat, ne aliquod ei in anima damnum conciliarent:

Sophronius pra. Spirit. cap. 60. *Cùm sanctimonialis quædam à petulanti quodam adolescente nimis procaciter sollicitaretur ob oculorum pulchritudinem coram ipso ad se accito eos sibi eruit.* At verò quod capilli quoque eadem, qua oculi sagittandi, fulgandique virtute polleant nequaquam capio. Neque sponsus ad illarum generosarum mulierum heroicas actiones alludere posse videtur, quæ Maximiano Imperatore Aquilienſem urbem obsidente, maritos suos omnes arcusi chordas attrivisse videntes, *sibi ipsis capillos praciderunt, & ex ipsis funes arcuum fecerunt.* Cum quo igitur fundamento dicere sponsus potest? *In uno crine colli tui vulnerasti cor meum?* Etenim pro difficultatis hujus faciliori intelligentia,, aliquale nobis Ægidius Columna lumen subministrat, dum inquit: *sagitta amoris vulnerasti cor meum in una affectionum tuarum.* Placet enim mihi ista paraphrasis; capilli enim affectus humanos, & à voluntate hominis dependentes actus significant; sic namque idemmet Ægidius illud sponsæ encomium interpretatur: *Coma capitis tui, id est, actus, & affectiones tuas, quæ radicantur in voluntate, cui competit nomen capitis.* Veruntamen quisnam in specie sit ille affectus, aut voluntatis actus, qui sponsi cor auffert, & vulnerat, scire aveo. Rupertus Abbas per affectum illum Mariæ humilitatem intelligendam esse dicit, utpote quæ maximam habet cum capillo similitudinem: *In uno crine colli tui, id est, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem semper unum vidi, quam humilitatem semper uniformem, & indeficientem esse conspexi;* Et meritò quidem: *Quid enim uno crine gracilius, quid humilitate subtilius? Quid crine flexibilius? quid humilitate contractius?* Hic igitur Marianæ humilitatis capillus Deo adeo est gratus, ut cor ejus involet, & vulneret, neque oculis ejus aliquam distractionem, nec alterationem cogitationibus permittat; Quicquid enim vident, quicquid cogitant, aut meditantur oculi Divini, Marianæ humilitatis capillus est.

Phil. Bergom. in suppl. Chronic. lib. 8. Ægid. Column. lect. 8 fol. 10. A. in Caut. Idem ibid. lect. 16. fol. 15. c. 2. C. Rup. Abb. ibi & Richard. de S. Laur.

7. Veruntamen cùm capilli sponsæ aurei sint, illos obsecro de novo æqua lance ponderemus, idque illa eisdem à Spiritu sancto attributa prærogativa, dum inquit: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Itane? Ergone capilli capreis similes esse perhibentur? Certè similitudo hæc æquali proportione adaptatur, qua cancer lunæ comparatur fortè per capreas, quibus sponsæ capillos assimilat, capreas Cretenses intelligis, quæ à venatore vulneratæ ad Dictamni herbam suum accipiunt confugium: *Ejusque esculenti auxilio sagittam ejiciunt*, ut scribit Aristoteles. Aut fortè de capreis loquitur sylvestribus, quæ herbam venenosam à salutari discernere docet, prout sanctus ille Anachoreta expertus fuit, cui *quæ virulenta erant ore discutiens, quæ innoxia noverat, eligebat?* vel intelligitur de illis capreis, quæ in

Cant c. 4. Arist. lib. de adm. cap. & Hist. anim. lib. 9. c. 6. in vita SS. PP. p. 3. c. 9.

pontis alicujus angustia sibi mutuo obviantes à naturali atque congenita sive sagacitate sive instinctu edoctæ a lapsu ita se præservare norunt, ut una in pontem prono corpore prosternente alia super illa saliendo transeat: *Altera procubuit, atque ita altera proculcans supergressaque transiit?* Fortè etiam de illis capreis sermo est, quæ in maris Agei Pharos insula generatæ cervis quidē in colore sunt similes, iisdē tamen quoad magnitudinem incomparabiliter majores existunt: *Cervis colore persimiles, majores autem magnitudine:* vel illas intelligit capreas, quæ in Insula Cephaloniæ commorantes hoc sibi proprium habent, quod ad sitim extinguendam ventus illis aquæ loco deserviat, *Ore aperto exalte ventos recipientes sitim suam sedant?* vel denique de illis, quæ in mamillis aquam quandam conservant, *quæ longam sedat hominis sitim, non modò præsens, verum etiam diu in futurum, quamvis modicè sumpta*, quæ in Africa in Getuliæ provincia commorari perhibentur. Verum enimvero de nullo recensitarum caprearum genere Spiritum sanctum locutum esse existimo, quin potiùs de iis, quæ *ascenderunt de monte Galaad* Hæ enim præ omnibus aliis magis sunt admirandæ, utpote quæ progredientes motus duos sibi mutuo prorsus contrarios faciunt: *Ascenderunt*, ergò progrediuntur in altum, *de monte Galaad*, ergò deorsum descendunt; Potiùs dicere debuisset: *Ascenderunt ad montem*, vel *descenderunt de monte*. O quam pulchra hic nobis insinuatur proportio! Capilli uno eodemque tempore *ascendunt & descendunt*; quando è capite succrescentes in aera sursum se erigunt, quando verò postea longiùs excreverunt ex parte pilorum suprema deorsum denuo defluunt, sive descendunt. Tales erant Mariæ effectus, & cogitationes; quando enim *ascendebat ad dignitatem matris Dei, descendebat de monte tantæ celsitudinis ad ima humilitatis ancillæ.* Unde Pelbartus concentum hunc ad præsens propositum egregiè concludit dicens: *Postquam Beata Virgo in tantum crevit, statim per humilitatem decrescere cœpit, quia non matrem Dei, non Dominam mundi, non Reginam cœli, sed ancillam Dei se appellavit.*

Plin. l. 8. c. 50.

Metaph. in vit. S. Theoctistæ Lesbia. ap. Sur. t. 6. Novemb.

Ælian. t. 3. c. 31. & Alex. Mindius, ap. Æl. l. 5. c. 17. Albert. M. anim. li. 22. in Origen. Plin. l. 10. c. 73.

Martinus Delvio in Cant. fol. 176. & 179.

Pelb. l. 5. Stell. p. 2. art. 1.

8. Inter alias præclaras metaphoras, quibus sancti Patres qualitates, & perfectiones Mariæ repræsentant una est, quæ à candida luna desumitur: *Pulchra ut Luna.* Verùm dices fortasse videri tibi quod Marianæ prærogativæ hac cōparatione obumbrentur potius, quam illustrentur. Luna enim instabilitatis symbolum est, nunquam in eadem magnitudine diu perdurat, sed quæ nunc crevit, mox decrescit. Beata Virgo autem in fide, charitate, & gratia semper stabilis & constans permansit. Luna quoq; stultitiam refert: *Stultus ut Luna mutatur*: Deipara Virgo autem in omnibus suis actionibus prudentissima fuit, unde à sancta Dei Ecclesia sub hoc titulo, *Virgo prudentissima* invocari consuevit. Luna nonnunquam eclypsata candorem suum amittit: Maria verò nunquam ne quidem per minimum temporis momentum divina gratia destituta fuit: In Luna nunquam sese maculæ quædam produnt: In Maria autem ne umbra quidem culpæ alicujus unquam notata fuit. Qua igitur ratione splendores lunares venustatum & perfectionum Serenissimæ Imperatricis nostræ expressivi esse potuēre? Respondet inprimis Ægidius Columna: *Propter fidem, quia quæ fide cognoscimus videmus quasi in Lumine Luna, quia ea non clarè apprehendimus* Beatus autem Laurentius Justinianus dicit: *Pulchra facta est ut Luna quando ex respectu divinitatis illustrata, à generationibus universis beatificari meruit:* Innocentius Papa Tertius inquit: *Qui jacet in nocte culpæ respiciat Lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor ejus ad compunctionem illuminet.* S. Basilius verò Beatam Virginem Lunæ assimulari æstimat, quia omnes rationes, magisque eximiæ quæ de Luna affirmantur, prærogativæ, longè dignius Mariæ conveniunt, & adaptantur: *Luna est decor noctis, mater roris, ministra humoris, dominatrix maris, mensura temporis, æmulatrix aeris.* Porrò alii Patres alias non minùs graves, & sententiarum pondere prægnantes rationes hujus comparationis in medium adducunt, quas in præsenti brevitatis causa pertranseo, attentasque aures ad distincte audiendos harmonicos Davidis cytharædi concentus libens porrigo. Dicit igitur regius Psaltes: *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Sapientissimus hic Rex præclaras eximiæ hujus Virginis ex stirpe sua nascituræ qualitates in spiritu prævidens, illam Lunæ similem esse describit, sed Lunæ perfectæ: *sicut Luna perfecta* & plena. Videamus igitur quantam planeta hic, dum ad suam perfectionem, & plenitudinem pervenit, proprietatem præseferat. Planeta hic, inquit Plinius, dum plenus est subitò diminui, & quasi anihilari incipit: *Immensa orbe pleno ac repente nulla, humilis &*

Nat. hist. cap. 9.

Eccli. c. 27. 12.

Ægid. ibid. lect. 13. fol. 14. col. 1. A. B. Laur. Iust. l. 7. de laud B. V. Innoc. III. ser. 2. de assumpt.

D. Basil.

Psal. 88.

Plinius.

excelsa. Verè Luna plena, atque perfecta fuit Virgo Maria, gratia, meritis, omnibusque Spiritus Sancti donis refertissima, nam instar Lunæ perfectæ dum ultima fuit perfectione imbuta, id est, quando Incarnationis Verbi plenitudinem in se concipit Majestatem suam deserens mox diminuta decrevit: *Orbe pleno, quia Spiritus sanctus superveniet in te: Repente nulla, quia respexit nihilitatem ancillæ suæ, Excelsa quia Mater Dei, Ecce concipies & paries filium: Humilis Ecce ancilla Domini.* Luna mystica, quæ in culmine perfectionem, & in prærogativarum plenitudine constituta, mox tuam excellentiam quasi amittis, & quæ Mater Dei es usque in abyssum, ferè dixissem, in nihilum usque te humilias. Unde meritò quis cum Richardo à S. Laurentio dicere poterit: *Maria Luna inferior Planetarum, id est, humillima omnium Sanctorum.* Vivacius autem id exprimit Cardinalis Hailgrinus dicens: *Pulchra ut Luna. Hic verborum ordo exprimit B Virginem, nam cum ipsa cùm audisset sibi promissam tantam magnitudinem, quod foret mater Dei, sese minuit usque ad ancillam, & in hac minutione concepit, & facta est Luna plena.* Verè tanquam Luna quædam olim in sacro templo, hodie verò in mystico Sanctæ Ecclesiæ cælo apparet & manifestatur. Perfectionibus etenim, & puritate plena est, & tamen decrescit, dum velut aliæ puerperæ per consuetas legis Cæremonias in templum se purificatura concessit. *Virgo sanctissima quæ legis præcepto de purificatione non fuit adstricta, quia suscepto semine non concepit, nec peperit, legis præcepto obtemperavit, ut præberet perfectæ humilitatis exemplum,* inquit Dionysius Carthusianus.

Rich. de S. Laur. l. 7. Cardin. Hailgr. apud. Delrium. in c. 4. Cant. & Lucam. Arconem in Isaiam c. 4. v. 5. Expos. 2. disc. 6. n. 5. fol. 514.

Dionys Cart. ibid. fol. 87. C. & Ludolp. Cart. ibid. ca. 12. fol. 26. col. 3. C. M. Tul. lib. 5. de finib. Arist. 7. met. 12. 9. 1. Lactã. apud Io. Bocacc. in Genealog. Dor. Theatr. Vit. H. lib. 19. fo.

9. Certissimum est apud omnes quod nomina hominibus imponantur, ut sint proprietatum eorundem expressiva. *Nomina sunt tanquam rerum notæ,* inquit Tullius. Et Aristoteles subdit, quod nomen dicitur à notificando. Refert Lactantius Tetis & Pellæi filium Achillem appellatum fuisse, sumpta notione nominis ab, *a*, quod Græcè idem quod *sine* significat, & *Chiles*, quod *cibus* interpretatur, quasi *sine cibo* fuerit nutritus. Nam à matre sua Chiloni centauro datus ad nutriendum, ut magnum ei robur corporis conciliaret Leonum, aliarumque ferocium ferarum ab ipso captarum medullis & ossibus eundem nutrivit, & aluit. Hermes quoque dictus est Trimegistus, id est, ter maximus, quia *fuit maximus Philosophus, maximus sacerdos, maximus Rex.* Lactantius etiam hoc nomine insignitus fuit, desumpta nomenclatura *à lacteo Tulliana eloquentiæ flumine*, prout S. Hieronymus scribit. Verùm enimvero quod si ullum hactenus nomen hunc finem in sui impositione spectavit, fecit id perfectissimè cælitus à Deo inditum Sanctissimum Mariæ nomen; nam si illud juxta Hebraicam radicem consideremus. *Mar*, idem esse quod *gutta vel stilla. Iam* verò *Mare* interpretari comperiemus. Quidnam autem *gutta vel stilla maris* significat? Idipsum ab Ecclesiastico ediscamus, qui vitæ humanæ brevitatem demonstrare volens dixit: *Numerus dierum hominis quasi gutta aquæ maris, & sicut calculus arenæ.* Hoc igitur supposito nunc si placet unam aquæ stillam, & unicum arenæ granum cum integra maris vastitate & amplitudine comparate, sic enim necessariò fatendum erit stillam aquæ & arenæ calculum veluti nihilum quoddam esse, idem igitur Ecclesiasticus vitam nostram esse asserit respectu æternitatis: *Quasi dicat, vitam hominis respectu æternitatis esse plane nihil.* Unde dum Beata Virgo hoc nomen Matria, id est, stilla maris. obtinuit, quasi ei dictum fuit, Tu in profundo humilitatis sensu adeò in temetipsa imminuens, & profunde adeò submissa eris, ut quasi in nihilum, quo minus nihil excogitari nequit, redacta esse videris. O profundam humilitatem in nulla pura mundi creatura unquam hactenus visam! *Hoc ad demissionis & humilitatis significationem esse aptissimum, nemo non viderit. Hac enim ratione indicatur res valdè exigua, cujusmodi est existimatio, quam de se verè humilis habet; sicut gutta aliqua si cum tota maris immensitate comparetur, ferè nihil est: Cùm nemo nunquam adeò humilis ut Beatissima Virgo extiterit, ideò nulli Mariæ nomen æquè convenit,* inquit Scriptor quidam modernus.

1369. D. Hier.

Eccles. 2. n. 8.

Ludovic. de Alcasar. in Apoc. c. 12. adno. 2 fol. 458. col. 2. D.

10. Hoc loco perspicuè sese prodit intelligentia disparitatis in modo loquendi, quo duo sacri Evangelistæ Matthæus, & Joannes de Magdalena loquentes utuntur. Illa enim refert quod dum Christus in Bethania in domo Simonis leprosi inter cæteros convivas mensæ accumberet, Magdalena habitu pœnitentiali amicta domum suam egrediens ad eandem Simonis domum se receperit sumptoque in manus vase quodam alabastrino unguento pretioso refecto ad Christum propiùs accedens caput illius effuso super illud oleo inunxerit, & comam pretioso ejus odore profumaverit: *Effudit super caput ipsius recumbentis*; Alter

Matth. c. 12.

ter verò Evangelista recenset quod dum Christus ante sex dies Paschæ in Bethania pariter esset, à Martha & Magdalena ad cænandum in domo sua una cum fratre earum Lazaro humaniter invitatus fuit? Dumque Martha mensæ apparandæ præparandisque delicatè cibis intenta esset, soror ejus Magdalena accepta libra unguenti pretiosi *unxerit pedes ejus*. Observemus, obsecro, hoc loco differentiam in modo de eadem Magdalena loquendi utriusque Evangelistæ, quod attinet hanc Salvatorem unguendi actionem Sanctus Matthæus illam communi nomine mulierem vocat dicens: *Accessit ad eum mulier*: S. Joannes autem illam Mariæ nomine compellat, inquiens: *Maria ergò accepit libram unguenti pistici pretiosi*. Quod si *mulier* illa de qua Matthæus loquitur eademque *Magdalena* est, quam Joannes Mariam vocat, cur ille eandem Magdalenam *mulierem*, hic verò Mariam appellat. Num fortè Matthæus mulieris hujus nomen ignoravit, aut oblivioni tradidit? Nolite id credere, siquidem id scribens assistentia gaudebat Spiritus sancti. Sanctus Pater Augustinus hanc diversæ appellationis hujus causam esse asserit, quod scilicet eadem mulier in domo Simonis caput, in propria verò domo pedes Redemptoris nostri unxerit? *Matthæus nomen tacet, quia caput unxit: Joannes nominat Mariam, quia pedes*, quasi dicere voluisset: Quando Magdalena superiori, sublimiorique corporis Christi membro, id est, capiti inungendo dedita est, aliud ei nomen non debetur, quam ut appelletur mulier; at verò quandò in terram prostrata jacet, & ad pedes infimam nimirum humani corporis partem humiliatur, jure nomen MARIÆ meretur, MARIAM nominat, humilitatem indicat, neque enim Maria sine humilitate stare potest, cùm virtus humilitatis à Maria prorsus sit inseparabilis. Atque ideò Joannes Evangelista dicit: MARIA *unxit pedes* IESV, *quia in Maria humilitatem in honore habet* inquit Damascenus. Cui igitur Sanctissimum hoc MARIÆ nomen melius, quàm Beatæ Virgini convenire poterat, quæ hodierna die ad Sancti sacerdotis pedes in Templo adeò profundè humiliatur, & cùm inter cunctas creaturas puras omnium purissima esset, ac proinde nullam se purificandi necessitatem haberet, sacros tamen purificationis ritus humillimè prorsus, ac reverenter observavit.

Ioan. c. 12.

D. P. August. & Tolet. in Ioannem.

Damasc. orat de dormit. Mariæ ap Metaph.

11. Nequeo hic ulterius progredi, quin priùs exactam duorum Scripturæ locorum ponderationem præmiserim, quorum unum Sanctus Lucas, alterum verò Sanctus Joannes refert. Primus enim videlicet Sanctus Lucas recenset, quod Gabriel Archangelus à Deo in Nazareth ad MARIAM Virginem ut cùm illa Incarnationis Verbi negotium eximium concluderet, ablegatus, & mox ut in ejus conspectum venit, cum civilitate verè Angelica cum illa tractarit, illam summa cum reverentia salutando, verique Dei matrem apertè declarando. Quod cùm audisset subitò turbata graviter fuerit: *Turbata est in sermone ejus*. Verùm O Maria, dic obsecro, cur turbaris? Nunquid hic Gabriel nuntius est ab ipsomet Deo ad te ablegatus, cujus pulchritudo omnem creatam pulchritudinem corporalem longe excedit? Quod si maximus, qui sub stellarum sphæra vivit, peccator, qualis ego sum, salutasset, justam haberes ob talem tibi repræsentatam deformitatem, turbationis animi tui causam, & occasionem; at verò cælestem videndo Angelum, audiendo à Deo ad te missum Ambasciatorem te tanta cum reverentia salutantem, intelligendo te futuram Dei matrem, quamobrem turbaris? Quodnam potuisses feliciùs illo accipere nuntium? Cor tuum potiùs præ nimio gaudio jubilare, & exultare debuisset. At verò majorem vobis, O Auditores, suggeram admirandi materiam, vobisque Marianæ hujus turbationis intelligentiam arduam magis magisque difficilem efficiam, si id, quod dilectus Christi Evangelista ea, quæ tempore Crucifixi Redemptoris nostri in monte Calvariæ acciderunt, describens recenset, diligenter observaveritis. Dicit itaque quod dum inter cæteros Maria quoq; Christo in cruce suspenso assisteret, hic moribundo vultu suo ad eam converso dixerit: *Mulier ecce Filius tuus, deindè dixerit Discipulò: Ecce Mater tua*. Quo animo MARIAM hæc crucifixi filii sui verba accepisse existimatis? Num fortè conturbato, mœsto, afflicto? Minimè gentium. Et tamen ob hunc Christi sermonem majorem habebat turbationis sui occasionem in Monte Calvario, quam audiendo domi suæ loquentem à DEO ad se ablegatum Angelum. Hic enim quæ virgo tantum erat, in Dei matrem electa fuit. In Monte Calvario autem ea, quæ Dei mater erat, mater facta est puri hominis. Et tamen quæ ibi turbatur, hic ne vel minimum movetur. Cur ita? *Turbatur ad Angeli verba. Mulier ecce: Filius*

Ioan. 19.

Aloys. Novar. in umbra virg l. 4. sacr. Elect. Excur. 151. num. 457.

Filius tuus, non legimus hic turbatam Virginem, nec filii verba expendisse. Turbatur cum Mater Dei eligitur, non turbatur cum ex Dei matre hominis mater efficitur. Jam igitur disparitatis explicationem & rationem, si placet, auscultate: *Quia humilis Virgo, quod celsitudinem sonat*, quale est audire se exaltatam, & in Dei matrem electam esse, *exhorret; quod humilitatem continet & demissionem*, quale est ex Dei matre hominis matrem effici! *amat. Et sine ulla discussione aut trepidatione & libens audit, & secum amplectitur.* En causam cur ad sermonem salutantis Angeli Maria turbetur.

Virg. 6. Eneid.

11. Hæc sancta virtus fabulam illam in mentem mihi adducit, quam Poetæ de ramo aureo finxerunt, de quo Virgilius dicit: *Vno avulso non deficit alter*; dum enim discursum hunc terminare decrevissem, novos menti meæ subministrari, & suggeri conceptus deprehendo. Matthæi cap. 1. Lego, quod dum S. Joseph intumescentem, prægnantemque Mariæ sponsæ suæ uterum attenderet, seque nullum illius habere participium certo sciret; cælestia autem penetrare mysteria nō posset tametsi quidem ne vel minima hac de re mentem ejus sinistra pulsaret cogitatio, continere se tamen non poterat quin attonitus supra omnem phantasiam in extasin raperetur, ideoque eā clam deserere decreverat: *Voluit occulte dimittere eam.* Verum, eheu, O Maria, quid facis? an sponsum tuum, quem diligis mente suspensum esse, & cogitationibus variis agitari non vides? unico dūtaxat verbo illum lætificare iterum haud dubiè poteris. Si enim illum divini hujus mysterii conscium feceris, & ipsum plane consolari, simulque ne à te recedat, teque deserat, impedire facillime poteris? Cur igitur obmutescis & taces? An sponsum omnium cogitationum consiliorumq; sponsæ suæ conscium esse debere ignoras? Receperat olim sanctus Paulus Apostolus à DEO favorem quendam omnino eximium, quando ad secretissima tertii cæli arcana, æternamque Paradisi beatitudinem, contemplandam cominusque videndam à Deo raptus fuit. Veruntamen observo Sanctum Apostolum hanc à Deo acceptam prærogativam nulli hominum unquam revelasse, nisi dum post quatuordecim annos ad Corinthios scriberet, tunc enim idipsum revelavit de se in tertia persona tali, cum dexteritate loquens, ut vix aliquis eum de semetipso ibi loqui, animadvertere posset, dum ait: *cio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum usque ad tertium cœlum.* Neque tunc vel minimam gratiæ hujus mentionem fecisset, nisi aliqua ad id fuisset necessitate coactus? *Coactus est ne sibi non veros Apostolos præferrent prava opinione decepti.* Optarem equidem scire, cur Sanctus Apostolus eximium hunc à Deo sibi præstitum favorem tanta cum industria, sub silentio tegere, nullique hominum revelare voluerit? Nunquid in gloriam Principis notabiliter cedit, si quas subditus de manu ejus gratias accepit, palam recenseat & manifestet? Quis non diceret subditum Principis Magnanimitatē ideo intra silentii tenebras occultare, & abscondere voluisse, ne scilicet à subditis post revelatos favores receptos passim deprædicaretur, eveheretur que in cælum? Cur igitur Sanctus Paulus tanta cum industria, & cura rem hanc tanto tempore absconditam esse voluit? Respondeo, ex humilitate idipsum fecit; nolens ut è suo ore quispiam, quisnam tam eximiis à Deo favoribus, & gratiis fuisset sublimatus, intelligere posset. Et hic quidem ipsissimus punctus est supra insinuatus. Nā revelando Josepho uterum suum Spiritus sancti opera ingravidatum esse, quodq; Verbum incarnatum hujus futurus esset partus, idemmet fecisset, ac si excellentias suas, præcipuè verò, quam erga Deum habitura erat, maternitatem manifestasset, ideoque ea omnia per humilitatis actum silenter præterire voluit sponso suo gravedinem uteri sui prorsus celando, sperandoque de cætero quod Deus de omnibus suaviter benigneque provisurus esset, prouti etiam fecit, dum ad Josephū Angelum quendam veluti Legatum suum misit, qui ei diceret: *Noli timere accipere MARIAM Conjugem tuam quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Hoc divinæ providentiæ reliquit, quāvis suspicionibus locus esset, maluit enim id humiliter occultare, quàm vel apparenter humilitati derogare.* Verum O cœlestis Regina, tecum uno alterove verbo loqui seu disserere gestio, attamen cum omni possibili reverentia. Dic igitur, te obsecro, quamobrē hodie expleto puerperii tui tēpore, in templum te recipis. Lex enim te nequaquam obligat, utpote quæ ipsa sanctitate, & puritate purior es, & sanctior. Conditionem tuam ei, qui Templi antistes est insinues: te Dei Matrem esse, & Spiritus Sancti opera concepisse, tuumq; filium verè incarnatum Dei æternum Verbum audacter dicito, & libere confitetor, neque enim ullus erit, qui replicare ausit, quia potius Sacerdos te utpote puram, & mundam ab omni lege exemptam esse declarabit. Veruntamen consiliū istud ei minime placuit, quin potius se, tametsi puris-

Matt. c. 2.

2. Corin. c. 12. Sabel. l. 10.

apud Eboren de contemptu glo fol 551.

Matt. 1. Franc. Lab. t. 2. prop. 13. fol. 456. col 1. de humil. Mariæ.

purissimam, ad minus apparenter, & extrinsecus tantum purificationis se indigam demonstrare, quam humilitatis suæ rectitudini præjudicare voluit: *Occultat se esse Matrem Dei ne tantam gratiam manifestando fortasse humilitati suæ deroget*, inquit Albertus Magnus.

Albert. Mag. sup. Missus est c. 50.

13: Maria & Joseph gemmam certè pretiosissimam, sibique gratissimam & veluti oculorum suorum pupillam filiolum nimirum suum Jesum amiserant, ideoquæ mœsti prorsus erant, valdeque afflicti. Ipsum in quovis civitatis angulo, in templo, in cognatorum ædibus summa cum diligentia requirebant quemlibet obvium num dilectum Jesulum suum vidisset, interrogabant, sed frustra *Requirebant eum inter cognatos & notos.* Tandem vero ad templum redeuntes, ibi eum in medio Doctorum sedentem, deque nonnullis difficilioribus sacræ Scripturæ locis disputantem invenerunt, eratq; quam ibidem prodebat sapientia, & quæ ad propositas quæstiones reddebat responsionum oracula adeo digna, atq; stupenda, ut omnes ibidem præsentes Rabbini versis ad se invicem vultibus attoniti remanserût & obstupefacti: *stupebant omnes, qui eum audiebant.* MARIA autem & Joseph ipso viso consolati sunt, & finito disputationis congressu MARIA manu sua illum dulciter apprehendens, & de gravi ex ejus amissione exorta animi turbatione intime dolens, dixit ei: *Fili quid fecisti nobis sic:* Deinde vero mystica hæc verba subjunxit; *Pater & ego dolentes quærebamus te.* Quibus in verbis bene observandum est, quod Josephum in iis sibi metipsi præferat. Prius enim dicit, *Pater tuus*, suam verò personam secundo loco nominat, dicens *Et ego.* Eccur id facit? Certe cum Maria Josepho longè sit dignior potius dicere debebat: *Ego, & Pater tuus.* Respondeti quidem posset id illam fecisse ut divino obtemperaret mulieribus imposito præcepto; Mulieri namque dicitur? *Sub viri potestate eris* Nec habeo, quod huic opponam. Veruntamen quæso ad Acta Apostolorum perlustanda huc huc concedite. Ibi enim invenietis quod postquam Christus è monte Oliveti secedens in cælos ascendisset, Apostoli omnes, & quotquot cũ illis erant, de monte descendentes in civitatem sese receperint, atque ad persolvendã Deo orationem cænaculum fuerint ingressi. Sanctus Lucas autẽ, qui facti hujus historiam recenset, vere mẽ obstupescere facit, idque ex sequenti causa: nam postquam omnes discipulos, omnesq; qui in ea societate erant, viros & fœminas speciatim nominasset, ultimo tandem loco Mariæ matris Jesu mentionem facit. *Hi omnes*, inquit, *erant perseverantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Jesu*, Sed quid facis, O Luca? Nunquid hæc cunctis aliis dignior est? Præferenda igitur erat, & primo, non vero ultimo loco nominanda, ipsamet namque Lex idipsum expresse præcipit, dum ait. *Digniora sunt præferenda.* Sic enim cum Euripiades suum exercitũ copijs Themistoclis militaribus adjunxisset, ut simul adversus Persidem procederent, præcedentiam seu primum in itinere pariter & certamine locum postulabat. Tunc Themistocles, *sine ulla verborum controversia locum primũ concessit, affirmans eum primarium ducem habiturum iri, qui adversus Persas pugnando, majorem melioremque operam navasset.* Quasi dixisset: Actiones & quæ exhibituri sumus facta stre nua determinabunt utique utri nostrum primus locus debeatur: Pari quoque modo non locus aut positura situs, sed meritorum excellentia Mariæ præ cæteris omnibus præeminentiam adjudicant. Agesilaus Lacedæmonum Imperator in solemnibus, qui publicè exhibebantur Ludis, cum in loco quodam sibi minime convenienti, suaque magnificentia inferiori collocutus esset, dixit *Bene sane habet, ostendam enim non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem:* Ita quoque nullam Maria à loco honorificentiam capiebat, quin potius à Maria honorabatur locus. Omnes quidem responsiones hasce veluti bonas, & æquas recipio, veruntamen hanc à sancto Bernardo allatam tanquam cæteris meliorem maxime approbo. Dicit enim mellifluus hic citatus Doctor, quod sanctus Lucas id fecerit, eo quod Mariæ indolem sibi optimè habuerit perspectam, si enim ipsam primo loco nominasset, videri potuisset ingens Marianæ humilitati inferre præjudicium, utpote quæ *locum novissimum tenere docet*, & ideo quantò omnibus major erat, tantò se humiliorem exhibebat, & quæ merebatur locum primum, ultimum & humillimum, semper & ubique captare studebat: *Redeuntes Apostoli à monte Oliveti unanimiter perseverabant in oratione: ibi si forte Maria adfuit, nominetur & prima, quæ super omnes est, tam filii prærogativa: quam sua privilegio sanctitatis. At Maria quanto major erat, humiliavit se, & cum prima esset, omnium se novissimam faciebat.* Unde sancti Augustini quoque opinio est, quod B. Virgo ne humilitatem suam offenderet, Josepho sponso suo primũ semper locum cesserit, amisso Redemptori nostro

Luc. 2.

Luc. 2.

Gen. 3.

Act. Apost. c. 1.

Bapt. Fulg. l. 7. cap. 2. In Theatro vitæ hum fol. 611. col. 1.

Plut. in Apoph. Lacon.

D. Bern. in Cant.

stro dicens: *Pater tuus & ego dolentes, &c. Erat humillima, nec se marito nec in ordine nominis præferebat, ut diceret. Ego & Pater tuus, sed Pater tuus, inquit, & ego, non attendit sui uteri dignitatem, sed ordinem conjugalem.*

D. P. August. ser. 56. de divin. c. 11.

14. Et quidem nihil in se eximium habet, si is qui dum nascitur in fasciis utilitatem & paupertatem invenit, & ad humilis fortunæ pedes prostratus calamitatibus & miseriis semper, & ubique expositus jacet, nec habet aliquod, unde superbarum cogitationum, & elati animi supercilium enasci posset fundamentum, si inquam talis humilitatis se amatorem exhibeat, qui in se præter vilitatem & abjectionem nihil videt: *Non est magnum esse humilem in abjectione.* At vero quod persona aliqua nobili sanguine nata, virtutibus eximia, meritisque valde sublimata non efferatur in semetipsa nec veluti novellus quidam Narcissus sibimetipsi tanquam pulcher complaceat, sed cogitationes humilitati confœderatas semper foveat, miraculo non absimile esse existimo, nam juxta doctrinam Apostoli *Scientia inflat*, & prout Seneca observavit: *In his, quæ sapimus, gloriamur & superbimus.* Et tamen Beatissima Virgo cum regia stirpe progenita esset, & in sublimissima, quam Deus tribuere posset Matris Dei nimirum dignitate constituta, cum inquam esset meritorum ditissima, præclara virtutum omnium residentia, metropolis gratiarum, sanctitatis theatrum, nullos tamen sive in mente, sive in lingua sive in quibuscunque aliis actionibus alios, quam incomparabilis & incredibilis cujusdam humilitatis affectus habuit. *Quis enim satis admiretur Virginem ad eminentissimam Divinæ Maternitatis dignitatem evectam, cæli terræque, atque totius universi Dominam ac Reginam adeo se demisisse, & abjecisse, ut ancillam Domini se se appellaret, & quæ inter puras creaturas facta erat omnium prima, fieret omnium novissima?*

D. P. Chrysol. serm. 142.

1. Cor. 8.

Seneca.

Laurent. Chrysol. in mundo Mariano disc. ult. fol. 1307. ca. 2. n. 8.

15. Fidelissimus Christi Secretarius Joannes Evangelista magnam Dei Matrem mentis suæ oculis conspexit, viditque quod Luna magnificum ei ex luminoso argento thronum erigeret, Sol ex aureis filis ditissimam contexeret vestem Attalicam, flava capillorum suorum coma pulcherrimum circa caput ejus rutilantium stellarum circulum instar ditissimi cujusdam diadematis conficeret. Hancque egregiam, ac mysticam visionem enarratus ita scribit: *Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* O præclara ornamenta! Veruntamen, O Joannes, video quidem quod cum singulari diligentiâ externum corporis fastum & pompam describas, at vero longe præclariores dignitatis, & animæ suæ dotes silentii velo adumbrate videris. Nunquid enim mulier ista, de qua loqueris, Regina est, Imperatrix est, Virgo & Mater Dei est? Quis dubitat? Cur igitur illam vulgari nomine mulierem vocas? Merito illam titulo aliquo suæ Majestati consentaneo, id est Reginam, Imperatricem, &c. nominare debuisses, hæc enim nomina dignitatē, & perfectionem quandam exprimunt: cū contra mulieris nomen, imperfectionem, instabilitatē damnum insinuet. Veruntamen frustra hæc omnia dicuntur, nā S. Evangelista optimè sciebat, quanta esset, & quam insignis Beatæ Virginis humilitas, ac proinde verebatur, næ si illam aliquo majestatis titulo compellasset, vehementer eam offenderet, ut igitur humili suo correspondetet genio, vile illi & humile simplicis mulieris nomē imposuit: *Non matrem, cujus humilitatem maxime cognoscebat, sed mulierem vocat, quod est nomen commune cuilibet mulieri. Non autem matrem quod maximam dignitatem includit.*

Auct. addit. Glossibi.

16. Porro MARIA, magnifica illa beatitudinis encomia, quibus ab Elisabetha cognata sua salutabatur, scilicet *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*, hæc inquam inaudiens, ipsa quasi sermonem interrumpere volens subito subjunxit: *Magnificat anima mea Dominum*: quasi diceret, hæ gratiæ, & favores, prærogativæ istæ, quas in me, O chara cognata Elisabeth, recognoscis, multum sunt à meo merito alienæ, sola Dei manus omnium bonorū istorum liberalis dispensatrix extitit. Bene quidē hæc omnia disci, O MARIA, veruntamen dic, sodes, cur Deo nostro communem illum Domini titulum, qui ab omnibus ei creaturis debetur, attribuis? Cur non potius in hisce terminis tibi soli magis appropriatis, tuæque non vero aliorū linguæ maxime consentaneis eloqueris dicendo: *Magnificat anima mea Patrē meum, sponsum meum, Filium meum?* Nequaquam (ita videor mihi respondentem audire Mariam) id mihi facere convenit: Hi enim tituli Patris, spōsi, & filii à me pronūtiati multas mihi excellētias, & dignitates cōciliarent. Eo ipso enim, quo Deū nomino Patrem, gloria mea erit me ejus esse filiā, si sponsum vocavero, me quoq; sponsam adeoquè in sublimi nimis gradu constitutam esse simul innuo. Si *Filii* titulo eum appellavero, nimis arroganter loqui censebor, utpote quæ nescio quam autoritatem

Luc. c. 1.

Luc. c. 1.

Apoc. c. 12.

super ipsum mihi vendicem. Videtis igitur O Auditores, quod nullo alio, quam Domini titulo Deum suum Matia compellare velit, eò quod hic titulus *dicat relationem ad servum*, cumque se jure meritissimo appellare posset & filiam, & sponsam, & Matrem, attamen, ne dilectæ sibi præjudicet virtuti, & profundæ humilitati, Deum appellando *Dominum*, se humilem Domini sui protestatur, & profitetur esse ancillam & famulam. Est hæc observatio sancti Antonini Archiepiscopi Florentini, dicentis: *Non dicit sponsum non Patrem, non Filium, quamvis quodlibet eorum dicere potuerit verè sed tantum dicit Dominum, ut omni via proprias laudes fugeret Si dixisset Sponsum, Patrem, vel Filium, in multum se laudaret, sed dicit Dominum, quod est relativum ad servum & ancillam.* Quapropter licet celebrent alii Casandrum illum, *qui numquam Regium sibi usurpavit nomen.* Vel ob eximios humilitatis actus Tiberium Cæsarem, eo quod cum Senatoribus erecto corpore stando semper locutus eosque in plateis obvios sibi profundè reveritus fuerit, locumque digniorem, iisdem cesserit: *Ita gradu se humiliavit.* Aut Ludovicum XI. Franciæ Regem Caroli septimi filium eò quod ex humilitate vili & abjecto se habitu vestire consueverit: *ut viliori veste amictus conspiceretur, operam dabat.* Hosce tamen omnes in humilitate in immensum antecelluit Beatissima Virgo Maria, adeo ut illorum humilitas, arrogantia potius & superbia censeri posset, si cum Deiparæ Virginis profunda humilitate comparetur,

D. Ant. tit. p. 4 1. c. 28. §. 5.

Alex. ab Alex. l. 2. c. 19.

Idem. l. 4. c 11. Bapt. Fulg. li. 3: c. 6:

17. Tandem obsecro vos, Auditores, dicite mihi, cum Lex Mosis præceperit ut mulieres divites in templo purificandæ Agnellum ad offerendum adducerent, pauperes vero, quæ ob pecuniæ defectum illum sibi comparare non poterant, par turturum, vel columbarum præsentarent, quanam ex hisce oblationibus B. Virginem usam fuisse existimatis? Num forte Agnellum? Minime, quid igitur? *Duos pullos columbarum.* Verum interrogo ulterius, nunquid ipsa ad comparandum sibi agnellum sufficientibus instructa facultatibus erat? Scio equidem Tres Orientis Reges aurum è thesauris suis acceptum ei obtulisse; Et quidem si Donatorum respiciamus qualitates, nec non & ejus, cui aurum illud donarunt, consideremus conditionem, dicendum profecto erat, aurum donatum illis omnibus profectò respondisse, adeoque in magna copia fuisse oblatum. Unde cùm tantam auri oblati copiam habuerit, cur in templo non comparavit in qualitate personæ divitis agnellum offerens, sed duas tantùm columbas obtulit? Ad hoc duas tantùm adferam responsiones, & unam quidem proposito nostro accommodatam, quæ est Dionysii Carthusiani dicentis, Mariam id ex humilitatis motivo fecisse, utpote quæ pauper omnique facultate carens videri voluerit *Virgo Sanctissima, qua Legis præcepto de Purificatione non fuit adstricta, quia recepto semine non concepit, nec peperit, Legis præcepto obtem peravit, ut præberet perfecta humilitatis exemplum.* Alii vero dicunt, quod totum aurum istud erogaverit in subsidium pauperum, nihil prorsus sibi inde reservando, ideoque tanquam paupercula & humilis mulier duos tantum pullos columbarum obtulerit. Curate igitur, ut B. V Mariæ Protectricis, & Advocatæ nostræ veros vos imitatores esse probetis tum per actus profundæ humilitatis, tum per opera charitatis erga pauperes illis largas elargiendo Eleemosynas. Sistamus nonnihil.

Beda in Cat. D, Th. ib fol. 156. col. 2.

D. Aug. Remig. Ludolph. Carthus. ibi de appar. t. Dom fol. 25. col. 1. N ca. 11.

Dionys. Carth. in Festo Purif fol 87. C.

PARS SECUNDA.

18. ARistoteles, qui in investigandis Naturæ operibus sibi parem hactenus non habuit, dicit, omnia quæ esse aliquod habent, à contrariis producta & generata esse: *Omne quod fit, à suo contrario fit.* Sic dulce ab amaro nascitur, calidum ex frigido, sanitas ex infirmitate, lux à tenebris, pax à bello, esse à privatione, sive non esse. Hanc autem Philosophiam *terminativè non causaliter* intelligendam esse existimo. Id est, *à contrario tanquam à termino à quo, sed non tanquam à causa efficiente.* Excellentiæ Marianæ suam ab humilitate tanquam causâ efficiente habuere originem. Sic quoque plures alios à vilissimo & abjectissimo statu ad summas quas mundus venerari & adorare consuevit, dignitates evectos esse reperio. Lamusius à parentibus mendicis natus est, utpote *cujus mater publicè quæstum faciebat*, & tamen in Longobardorum Regem Angelmundi Successorem electus fuit. Servius Tullius filius Ocrisiæ servæ electus est in sextum Romanorum Regem immediatè post Lucium Tarquinium Priscum. Marcus Julius Licinius *in Dacia patrem admodum inopem in cultu agrorum juvit*, & tamen *ad augustale culmen ascendit.* Valentinianus, qui *patrem habuit funes torquentem*, ad coronas & sceptra evectum se vidit. Opilius Marcinus antea vilissimis servitutis exercitiis deditus, *ex humili fortuna ad Imperium conscendit.* Valerius Diocletianus cognominatus Jovius patre

Aristot.

Fulg lib 3. c. 5. Livius lib. 1. dec. 1. Plin. c. 7. de vir ill. Fulg. lib. c. 4. Dion. in Macrino. Volater. lib. 23.

patre Notario aut liberto Imperator factus est. Etenim cùm similium eventuũ plenæ sint historiæ, hæc pro pluribus aliis quæ adduci hoc loco possent, sufficiant. Beatissima autem Virgo Maria supra Regnorum Impetiorumq; Coronas & Sceptra solius profundissimæ suæ humilitatis virtute sublimata & evecta fuit. Et tamen prædictorum Principum dignitates, & excellentiæ ne quidem cum minima Mariæ excellentia ullatenus comparãda venit. Imo eoipso quo de illa dicitur quod ejus humilitas ad immensam Maternitatis Dei gloriam eam sublimaverit, nihil quod insuper superaddi possit excogitari posse videtur.

19. Verba illa à Salomone in Canticis Spõsæ nomine expressa, nimirum: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.* à S. Bernardo B. Virgini Mariæ adscribuntur. Et quidem Rex, de quo ibi fit sermo, Verbum est, *in accubitu suo, id est, in sinu Patris in quo quievit*, ut Ægydius Columna exponit. Nardus mea in cœlum usque odorem suavissimũ exhalavit. Quænam autem hæc Nardus, & mira ejus fragrãtia significat? *Nardus mea, id est humilitas mea; Nardus enim est herba modica, & odorifera, & significat humilitatem:* Huc usq; omnia bene dicuntur, sed, quod difficile esse videtur, est quod sequitur, nimirum. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter ubera mea commorabitur.* Quomodo hæ inter se conveniunt? Priùs *in accubitu*, postea autẽ sequitur: *Inter ubera mea.* Scio equidem quod Deus sit infinitus, & immensus, qui proinde potest in quovis loco facillimè reperi; at vero cœlestis Sponsa Maria de esse quodam particulari & *per unionem Hypostaticam* originato loqui velle videtur quasi diceret Cum Verbum æternum in sinu Patris esset, & nardus humilitatis meæ, dum me coram Gabriele Archãgelo vilissimam Domini ancillam profiterer dicendo: *Ecce Ancilla Domini*, suavissimũ in cœlum usq; odorem spiraret, Deus Opt. Max in sinu meo habitaturus & incarnandus subitò advenit, qui *inter ubera mea commorabitur*, quando *Verbum caro factum est* Unde Bernardus: *Quid est aliud Nardus mea dedit odorem suum, quàm placuit mea humilitas? adeò ut cum esset Rex in accubitu suo, illuc quoq; humilitatis odor ascendit.* Posteà verò propositæ difficultari respondet dicens: *Modò inter Sponsa ubera. Magna humilitatis virtus & odor, cui etiam Deitatis Majestas se inclinet.* Cùm igitur Verbum ex virtute humilitatis sit incarnatũ, dicere jure merito possumus, humilitatem causam esse cur Maria Mater Dei effecta sit. O dignitatẽ prorsus sublimem, quæ omnes Regnorum Imperiorumque coronas incomparabiliter excedit?

Cant. 1. 11

Ægid. ibid. le. 1 f. 5. col. 2. C. Et D. Antonin p. 4. t. 15. c. 11.

D. Bern. serm. 43. Carm.

20. Ad hanc autem veritatem efficaciùs persuadendam velim mihi eam à pietate vestra dari licentiam, quam scio à Scholastico rigore negari. In eam namque opinionem meus inclinat animus, ut affirmare ausim humilitatem Mariæ infinitam fuisse, eo tamen modo, cujus se capacem reddere posit pura aliqua creatura. Sciendum igitur duo assignari posse infinitorũ genera, quorum unum ad positivum, quod omnem imaginabilẽ amplectitur perfectionem, hocq; infinitum in Deo reperitur, imò Deus ipse est, & extra Deum nequaquã datur aut reperitur. Alterũ est privativum, vel negatiũ, quod excludit omne ens, *& non est ens*, id est, nihil est, quo nihil potest minus inveniri. Infinitum positivum adeò est perfectum, ut nulla illi possit perfectio superaddi, juxta quod dicitur: *Infinito nulla potest fieri additio*, secus enim infinitũ non esset: E contra verò nihilum adeò nihil est, ut nihil illi adimi possit, si enim à nihilo quippiã tolli posset, nihil certè non esset. Unde quia post nihilum nihil est, ipsiq; nihilo nihil potest adimi, sequitur consequenter quòd nihilum adeò nihil sit, ut nihil quod nihilo minus sit dari possit. Adeoq; sicut infinitum positivum est infinitũ, quia omne mentis perfectionem excludit, ita ut nulla ipsi perfectionis entitas superadi possit, excludatque omnem entis privationẽ quantumvis minimam: ita quoque infinitum privativum vel negativum ad minus per similitudinem vel analogiam infinitum quoq; dici poterit, quia excludit omnem imaginabilẽ positivam entitatem, ejusdemque directè, & formaliter includit negationẽ, ideò ut si aliqua quantumvis minima positiva entitas ab eo tolli posset, eo ipso non esset nihil, sed vera entitas. Porrò certissimum est Beatissimã Virginẽ *positivè* infinitam esse nequaquam potuisse, eò quòd hæc infinitas soli Deo conveniat, interea tamen *negativè* infinitam se facere voluit omni positiva entitate se privando, sibiq; nullam, quantũvis minimam, reservandò seq; ipsissimum nihil esse profitendo, idq; fecit quandò Elisabethæ cognatæ suæ ipsam tanquam præ cunctis mulieribus benedictam sanctamq; deprædicanti, respondit: *Quia respexit humilitatem*, vel ut Vatablus legit: *Nihilitatem ancillæ suæ.* Unde per profundissimæ humilitatis actum, omnẽ à se positivam entitatẽ, excludendo, facta est *privativè* infinita. Atq; ideo agedum ô mulier, dicit Deus; Prævideo quòd usque ad infinitum privativum te sis humiliatura, id est, ad ipsum usq; nihilum, ideoq; ad participationẽ infiniti cujusdam positivi, te sublimare de-

Aristot.

Luc. cap. 1. Vatabl.

crevi, ut vera mea sis futura mater. *Mater Dei.* Tu ad infinitam usq; humilitatē te demittis, atq; ideo ad infinitam quandam dignitatem ego te exaltabo. Unde bene S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus: *B. Virgo*, inquit, *in quantum est Mater Dei recipit quandam infinitatem ex infinito; cui comparatur.* Et Dionys. Carthusianus ait: *Certè in quantum est mater veri Dei est dignitatis quodammodo infinita.* Unde, sicut infinitum est cui nihil addi potest entitatis vel perfectionis; ita quoque Alexander Alensis Virgini nihil superaddi dignius potuisse affirmat: *Non potuit B. Virgo fieri mulier, scilicet, quantum ad esse gratia, quod in ea conciperetur Christus, & quòd etiam ipsa est mater Christi.*

D. Thom. in 1. sent. d. 4. n. q. 1. a. 3. fol. 136. E Dionys. Cart. in Con. n. 8. Alex. de Ales in summa p. 1. q. 19. a. 6.

21. Hæc autem altitudo suam à demissione originem, suosq; ab humilitate recepisse natales, libenter recognoscit. Statutæ proceritas præliorum tempore in militibus valde est ingrata, juxta prudens Vegetij placitum dicentis: *Proceritatem non magnopere desideres* Eliab à Regno exclusus fuit. Deo idipsū Samuelem monente dum ait: *Ne respicias altitudinē staturæ ejus, quoniam abjeci eum*: E contrà verò David, quia statura pusillus, & conditione humilis erat, ad regnū fuit evectus: *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves. surge & unge eū, ipse est enim.* Unde si tantum corporis proceritas homini præjudicium adfert, quid non afficiet fastus & elatio mentis? Similiter si statura humilis adeò est proficua, multo magis in meritorū hircū atq; augmentū redundabit humilis & submissus de semetipso sensus de Eudoxia Imperatrice legitur, quod post mortē Patris sui ab Urbe Atheniensi patria sua recedens Constantinopolim concesserit, quo in loco Imperator velut in Imperii sui metropoli residere cōsueverat. Hic ergo cùm hospes, peregrina, & prosus inops, & egena consisteret, Theodosius Secundus Imperator ejus singulari modestiâ & vececundiâ permotus, ejusq; profundâ humilitate allectus mox ipsam ad Palatiū advocatam, sibi desponsavit, & Imperij sui consortem & imperatricē publicâ Præconis voce declaravit. Veruntatem hanc fœminam humilē fuisse mirum nequaquam fuit, ipsa namq; vili patre nata, omniq humana ope distituta, velut advena, degebat in patria alienata: verò Beatissima Virgo regio sanguine progenita, in cognatorum suorum ædibus moram trahens Elisabethæ & Zachariæ, quæ eam cum omni lætitiæ, & jubili demōstratione gaudentes in domum suam susceperant, gratissima erat, & tamen coram illis adeò se humilem exhibuit, ut se nihilum quoddam esse coram ipsis demonstrārit dicendo: *Respexit humilitatem, Nihilitatem ancillæ suæ*, ideoque nequaquam mirandum est, quòd Pater ipsam in cœli, terræque Imperatricem, Spiritus Sanctus in Sponsum, Verbum denique in veram, naturalemque matrem suam elegerit & adoptārit.

Veget. lib. 1. de re-mil. t. c. 6.

1. Reg. 16.

22. Valerius Maximus refert Tarquiniū filios suos ad templum Oraculi Apollinis Pithij eo fine ablegâsse, ut numen illud adorarent, ac ingentē illis à se datam, auri copiam eidē doni loco offerrent. Hisce se Junius Brutus comitē adjunxit, qui & eorundē functionibus præsens continuo adstitit. Post oblatū verò aurum, terminatasq; è Patre impositas religionis actiones juvenili quâdā curiositate moti supplicārūt Oraculo, ut revelare eis dignaretur: *Quisnam ex ipsis Roma regnaturus videretur*, id est, quinā illorum assumendus esset ad summum Imperii fastigium. Portò Oraculum Imperialē dignitatem, Urbisq; Romanæ supremum Dominium in eum transferendū esse respondit: *Qui ante omne matri osculum dedisset.* Brutus igitur audito hoc Apollinis affato, per matrem terram intelligens, industriè se in terram labi finxit, in eaq; prostratus terram est osculatus: *Tūc Brutus perinde ac casu prolapsus de industria se abjecit, terram que communem omnium matrem existimans osculatus est.* Etenim ex universo mulierum numero Deus unam in cœli terræq; Imperatricem, imo in matrē suam eligere decreverat, inter cæteras verò omnes sola est electa Maria; eò quòd ad terram usque se humiliasset, dicendo: *Ecce Ancilla Domini, Nullam virtutem virginis magis Deus respexit, quàm humilitatem*, inquit S. Ildephonsus.

Valer. Max lib. 7. & Andr Eborem de æstut. dict. & fact tom 326.

S Ildephon ser. 2. de Assump. Virg.

23. Verùm enimverò sub ducatu Spiritūs Sancti, & suaviter afflante divinæ gratiæ Favonio novas conemur investigare ab humilitate Mariæ enatas & orignatas excellentias. David Propheta regius originē primatus, seu præcedentiæ in Paradiso servari solitum prophetiæ oculo accuratè cōtemplans, magnam Dei matrem ad cœlestis Regis dextram stantem, & aureo gloriæ amictu superbè vestitam observavit: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Porrò Davidem Prophetam per Reginam illam Beatissimā Virginem Mariam intellexisse s. Anthanasius, s. Ildephonsus, Petrus Damianus, Gregorius Nicomedienſis & alij planè affirmāt: *Adstitit Regina, id est, Maria Virgo.* Verùm dicat nobis hic aliquis, cur Maria à dextris, Deus verò à sinistris stare visus fuerit? Fortè sinistra dignior erat, quàm dextra? Ita tempore Cyri in Persida in more positum fuisse videtur. De quo Rege Xenephon disserens, eū dum amicum quendam honorare statuerat, sinistrum

Psal. 44.

S. Athan. serm. de Deip. S. Idoph serm. 1. & 2. de Assumpt. Pet. Damian. ser. de Assump.

nistrũ illi latus semper cedere solitum fuisse dicit. Apud Turcas quoq; testẽ Justo Lipsio sinistra honorificentior æstimabatur quam dextra. Verũ tamen dexteram semper ipsa sinistra digniorem æstimatam fuisse certissimum est. Unde Gentiles in Sacrificiis suis cultum suum religiosum ab illis Dijs primò exordiebantur qui ad dexteã tanquam spectabiliores excellentioresq; positi erant, Similiter quando in epulis quas antiqui adparare cõsueranr, ad hoc ut omnes biberent Crater per gytũ obambulabant, omnib. præferri solebant ij, quibus ad dexteram locus positus erat. Ac proinde videtur quod Deus Mariæ dexterã cedes illi dignitatem quandã suam longe majorem impernitus fuerit, sed cur id Deo facere placuit? Auscultate rationem ab ipsamet Regina nobis allatam: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Cur non dicit: *Propter humilitatem; vel in gratiam humilitatis* sed *Quia respexit? Quid sibi vult, quia respexit?* interrogat quidam modernus: & subingit: *Respexit honoris vocabulum est.* Respicere enim aliquem, idem est, quod alium deferre respectũ, & reverentiam aut honorare aliquem. Deus igitur respexit, id est, veneratus est humilitatem Mariæ, utac proinde pro dignitate sua satis honorificè tractaret, dexterã ei cedere voluit: *Astitit Regina à dextris tuis. Cur à dextris Sponsi semper astiti Personas enim honore dignas soliti sumus ad dexteram collocare Sic Virgo ad Sponsi dexteram humilitate coronata collocatur.* 24. S. Antoninus Archiepiscopus in oratione mẽte & spiritu in cœlum elevatus, visus est sibi videre quòd Verbum incarnatum summa cũ reverentia adoraret Mariam: Quod cum Dei filiũ minùs decere videretur, auditus est dicere: *Deus meus non decet Deum fœminæ inclinari* Cui Dei Filius respõdit: *Tamen istud decens est matri filium subdi.* Et S. Bernardinus de Senis affirmat, quòd *Reverentiã filiali in matrem dignissimam, dicatur eam in cœlo adorasse.* Itane? Ergone Creator creaturam suam adorat? Idemmet vehementer quoq; S. Bernardinus admirabatur, dicens: *O bone Iesu Omnipotens Sempiterne Deus, quid est quòd mulierem adorat?* quasi diceret: Coram tuis pedibus Infernus cum cælo patiter & terra prosternuntur, & tu ad mulierem aliquam adorandam te humiliare videberis? quis hoc audire poterit non attonitus aut stupefactus? Veruntamen cesset omnis admiratio; ipsa namq; ejus humilitas eam etiam ab ipsomet deo admirabilem reddidit: *Volo eam meritò adorare, quia adorandam efficit meritum humilitatis, nam in ea fuit humilitas incomparabilis.*

15. Etenim inficiari non possum, quòd devotio quã erga Mariæ humilitatem feror, tanta sit ut etiam in quosdam loquendi excessus me abripiat, industriè tamen cavendo ne veritatis aut sacræ Theologiæ terminos transcendam. Ecquid igitur dicturi essetis, si me coram vobis affirmare non dubitarem, tantam esse humilitatis Marianæ excellentiam, ut ipsis quoq; tribus Sanctissimæ Trinitatis personis Majestatem aliquam contulisse dici possit? Hoc saltem omnibus notum est Patrẽ æternum valde in hoc nomine gloriatum esse quòd Deus hominũ scilicet Abrahæ, Isaac & Jacob vocaretur: *Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob.* Verum dicat aliquis, nunquid Pater æternus Dei Deus convenientius appellari potuisset? Minimè gentium; Neq; enim Pater Verbo suo dicere potest, Ego sum Deus tuus, nec Verbũ dicere potest Patri. Tu es Deus meus; certissimũ namque est, quòd ex ipso, quo nos Deo Domino nostro dicimus, Tu es Deus noster, simul quoq; inferre volumus, quòd Deus nobis major sit, atque superior, quòdq; tanquàm creaturæ ejus omnimodam ab ipso dependentiã habeamus. Etenim tres personæ divinæ, eò quòd inter se æquales, & unus Deus sint, cõsequenter una alterius deus esse, aut dici nequaquã potest. Sicut Rex Fraciæ nequit se appellare Regem Regis Hispaniarum, eò quòd in coronis æquales sint, unus altero nec minor, nec inferior est, nec ullam ab altero dependentiam habet Quæ ratio inter ipsas quoq; personas divinas efficaciter concludit. Verum nunc rem audite prorsus obstupescendam, à Maria factam. Quid igitur fecit? per unum profundissimæ humilitatis actum hisce verbis expressum: *Ecce Ancilla Domini*, secundam in Trinitate personam è Paterno sinu in virginalem uterum suum efficacissimè traxit, quando mox *Verbum caro factum est*; eandemque personam hac ratione quoad assumptam humanitatem Patre minorem effecit, adeo ut Christus Patri dicere possit: Tu es Deus meus, idque quia Maria mater mea per humilitatem & humanitatem suam me te inferiorem, & è contra te me superiorem constituit, adeoque tu, ô Pater æterne, verè es Deus meus. Id quod David optimè notavit, quando dixit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Et S. Augustinus ait: *Nam ante sæcula Pater meus, ab uberibus matris meæ Deus meus. Non de te Deus meus, nam de te Pater meus, sed de ventre matris meæ Deus meus.* Unde pulcher hic titulus hanc inse majestatem continens ut Deus Pater deinceps dicere, & gloriari possit, quod jam Dei sit Deus, id est, Deus Christi, Dei & hominis, hic inquam præstans Dei Patris titulus, à radice nascitur Marianæ humilitatis.

Georg. Nicom. Orat. de Oblat. Deipara. Iust. Lips. lib. 2. elec. cap. 2. Petr. de Valder. serm 3. de Concep. B. M. V. p. 1 fol. 87. col. 1.

Didac. de Avend. in Epist. lam sacro. p. 4 tit. ad intellec. sect. 11. para. 9. fol. 724. col. 1.

S. Antonin. p. 3. t. 31. c. 4. §. 2.

D. Bern. serm. de Assumpt. a. 3. c. 2.

Exod 3. n. 15. & c. 4 n. 6.

Ioan. c. 1.

Psal. 21.

D. P. Aug ibi Expos. 2 fol. 24. col. 2. D.

26. Ad idem quoque propositum optimè serviet, quàm Gabriel Archangelus ad Mariam Virginem de qualitatibus & conditionibus Filii Dei ex ipsa nascituri disseruit, copiosa narratio. Inter cæteta nãq; dixit: *Hic erit magnus; Erit de futuro.* Quid audio? Erit? Igitur ante Incarnationem nõ fuit magnus? Imo vero. Cur igitur dicit: *Erit, & non est?* utiq; respondebitis id quoad humanitatẽ, secundum quam magnus futurus prædicitur, intelligendũ esse. S. Ambros, acutè observat Angelũ idemmet Zachariæ Patri Joannis Baptistæ dixisse: *Erit magnus corã Domino,* cum hac tamen differentia, quod Joannes magnus futurus sit ut homo, Filius vero Mariæ ut Deus: *Dictum est quidẽ etiam de Ioanne quod erit magnus, sed ille quasi homo magnus, hic quasi magnus Deus.* Verùm iterum repeto quæstionem præcedentem: Ergone Filius Dei quantum ad esse Dei major futurus erit? Mirum profecto id mihi esse videtur, nam si id verũ est, certè nescio unde id aliàs provenire possit quã ab unione hypostatica, de qua Angelus cum Maria colloquium miscebat, hæc autem esse suũ executivum à Virginis humilitate potissimùm obtiner. Et quidẽ in hujusce veritatis confirmationẽ id velim observetis quod Sponsus Sponsam suam id est Deus Mariam alloquens in Canticis dicit: *Pulchra es anima mea suavis & decora. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Ubi alii legunt ipsi me *superbire fecerunt.* Quid hic dicemus? Ergone Deus quoq; superbire potest? Nequaquam, est enim Deus ipsissima sanctitas in abstracto; Divina tamen Scriptura ad nostram sese capacitatem & loquendi modum adaptat, quasi dixisset. Quando ego, ô Sponsa, ô Maria me respecto & quod tu mater mea sis, ego vero verus tuus sim filius, attentius considero, mox me tantam à tua humilitate excellentiam recepisse cõsidero, ut si aliqua in me superbia cadere posset, de hoc solo sanctè & piè superbirem, dũ in hoc quod filius tuus sim nescio quam præcellentiam & majoratum in me recognosco, licet sine tua humilitate eam non sim assecutus. *Neque carnis assumptio Deitatis derogat celsitudinem, imo potius humanitatis humilitas sublimatur.*

Luc. c. 1. *D. Ambr. apud D. Tho in Cat in c. 1. Luc fol. 153. col. 4.* *Cant. 6.* *D. Th. in Cat. ubi supra.*

27. S. Bernardinus de cælorum Regina loquẽs doctrinam quandam adfert satis difficilem dum ait *Beata Virgo plus potest facere de Deo, quam Deus de seipso.* Verba sunt omnino profundissima, quæ proinde lumine aliquo opus habeant, cum secus intelligi nequaquam possint. Ac proinde est certa quædam Theologia circa personas divinas adhiberi solita; nimirũ, quod tametsi omnes personæ æquales sint, personæ tamen producentes certam quandam originis authoritatem super personas productas obtineant: *Respectu divinæ personæ non potest haberi authoritas nisi secundùm originem,* inquit Angelicus Doctor. Unde quia Pater generat Filium, & spirat Spiritum sanctum, ideo quoq; quoad utramque personam originis authoritatem habet, sicut & ob eandẽ causam Verbum habet super Spiritum sanctum. Spiritus autẽ sanctus, eo quod nec generet, nec spiret, hanc authoritarem originis nullatenus possidet. Nec valet consequentia hæc: Ergo Spiritus sanctus minor, aut inferior est personis spirantibus; quia authoritas illa nullam importat superioritatem, aut dignitatem, sed tantum consistit in potestate mittendi in mundum personam productam. Unde Pater, quia habet authoritatem originis inter filium, mittit Filium: *Misit Deus Filium in mundum:* Verbum quoque mittit Spiritum sanctum: *Mittam vobis Spiritum sanctum;* at verò Spiritus sanctus, quia non habet authoritatẽ originis, *quia nõ generat neq; spirat,* ideo etiam non mittit. Verumtamen hanc authoritatem Spiritus S. in opere Incarnationis per Mariæ humilitatem accipit, quia dici potest, quod Verbum homo factum à Spiritu S. missus sit ut incarnaretur in utero Mariæ Virginis, quia *conceptus est de Spiritu S.* vel, prout ipsemet Christus inquit: *Spiritus Domini evangelizare misit me:* vel *ut* ait S. Thomas: *Filius Dei missus à Spiritu S. quod referendum est ad humanam Naturam.* Unde facilè arguere possumus Tertiam personam hanc originis authoritatem, quam secundùm Divinitatem habere non poterat super Verbi incarnati personam sibi acquisivisse. Et hoc est, quod S. Bernardinus in sua propositione inferre volebat cum ait: *Beata virgo plus potest facere de Deo, quam Deus de seipso.* Unde respectum, quem Deus defert humilitati Mariæ *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* Videntur tres personæ divinæ aliquam ab humilitate gloriosæ virginis recepisse præcellentiam.

D. Th p. 1. q. 42. a. 3. *D. Io. c. 3.* *D. Io. c. 15.* *In Symb. Apost.* *Isa. 61.* *D. Tho. ubi sup.* *Luc. 2.*

28. Verum enim vero nos illis persimiles sumus, qui mare laudantes, terram nihilominus semper obambulant. Celebramus Mariæ humilitatem, & in superbiam inclinamur. Unde Guarricus Abbas dicere solebat: *Vtinam nos istam haberemus humilitatẽ in peccatis nostris, quam veri sancti habuerunt in virtutibus suis* In nobis virtus (si tamẽ aliquam habeamus) vertit pro fomento superbiæ. Sic puella quædam adeo de sua extollebatur virginitate, ut cum arrogantia quadam dicere sæpè soleret. *Se nolle esse Magdalenam in cælo*; accidit autẽ quod Deus ad illã mortificandam, & humiliandam

Guar. Abb ser. 1. de Purif. B Mariæ.

andam in impuros erga juvenem quendam amores labi eam permiserit : *Et meretrix facta est in prostibuli cœno.* Nos qui devotissimi sumus Beatæ Mariæ Virginis clientes eam in hac virtute imitari studeamus. Pedibus nostris fastum & timorem proculcemus, & proteramus elationis & superbiæ. Deferamus in frontibus nostris scriptos humilitatis characteres. *Æmulamini hanc virtutem* (inquit Bernardus) *si Mariam diligitis, si contenditis ei placere* Superbia enim in profundissimã Inferni abyssum præcipitat, humilitas verò in cælum usque exaltat.

D. Bernardin. Sen. t. 1. ser. 48. c. 1. f. 481. col. 2. E.

SERMO QUARTUS.

IN FESTO

S. MATTHIÆ APOTOLI.

Cecidit sors super Matthiam, & anuumeratus est cum undecim Apostolis. Act. cap. 1.

1. DUplex est genus sortium, adversa nimirum & prospera, ac proinde ab antiquis depingi solebat duplici vultu prædita, quorum uno minabatur ærumnas, altero verò pollicebatur felicitates & prospera. Cum illa nemo sibi compromittere ventos ad navigandum secundos, neque se ad portum sine naufragione in periculo deducendum esse sperare potest. Nonnunquam etiam adeò est maligna, fallax, & dolosa, ut tametsi se tibi veluti faventem exhibeat, mox tamen fugitiva verso tibi dorso funesta adducit. Inter eos qui hoc experti sunt jure numerari potest Pompejus, vir inter eos, qui Romæ florida urebantur fortuna, prorsus eximius; Hic enim cùm ad mille navium gubernationem fuisset electus, jamque Mithridatis triumphator & veluti novus quidam urbis septicollis Agamemnon passim ab omnibus acclamatus esset, mox in ictu oculi à Cæsare cæsus, atque in Ægypto in fugam actus, tandem *per insidias obtruncatus est.* Sic quoque eodem prorsus die, quo Aurelianus sibi Domitiani Imperatori filiam desponsaverat, dum in ludis jaculatoriis exerceretur, subitò extinctus fuit. Longobardorum Rex Grimoaldus, dum sagittis in columbæ cujusdam signum evibrandis esset intentus, mox quædam in brachio vena ei rupta, & aperta est, *Et tantum effudit sanguinis ut cum sanguine vitam quoque ageret.* Belisarium Justiniano Imperatori adeò charum & gratum, maximique meriti virum, eo quod Persas, Wandalosque detriumphasset, Gothisque ab Italia fugatis Romam pristinæ libertati restituisset, hunc inquam sors adversa dirè adeò persequi cœpit, ut primò erutis sibi oculis *in Sophiæ templo panem manducare quotidie coactus sit.* Romanus secundus Imperator Constantinopolitanus primo in manibus Belsech Persiæ Regis factus est mancipium, & captivus, deinde ingenti auri copia liberatus, atque ad suum exercitum reversus, propriis militibus luce pariter & Imperio destitutus fuit. Valerianus Romanorum Imperator poteratne in sua senectute vilius, quã mancipium aliquod tractari, quando manibus, pedibusque per terram reptans Persidis Regi equum ascensuro dorsum scabelli loco exhibere coactus fuit? *Nam ipse senex acclivus humi, Regem equum ascensurum, non manu sed dorso semper attollebat.* Leo Phocas Imperator Constantinopolitanus, post habitam insignem illam adversus Bulgaros victoriam, postquam, ut nonnihil ab aliis se seorsum secedens quiete fessa membra restauraret ex equo descendisset, nec esset, qui applicata ad equum, manu eundem coerceret, equus soluto & excusso fræno, ad Imperatoris tentoria rapidissimo motu cucurrit. Unde cùm milites equum sine insidente Imperatore cursitantem vidissent, Imperatorem occisum esse crediderunt, ideoque perterriti, ingentique metu perculsi in fugam turpiter se receperunt; Inimici veò econtra hanc inopinatam fugam advertentes eos pertinaciter sunt persecuti, sicque exercitus Imperialis victus, qui gloriosus aliàs victor fuisset. Num fortè ictus sinistræ sortis magis fatales unquam vidistis?

Zephilli, Dionis. Nicei abbreviator in Pompejo

Guid. Exempl. lib.

Fulg. Bapt. l. 9.

Pont. l. 2. cap. 8. de fort domest.

Fulg. l. 6. cap. 2.

Guid. lib. exempl.

Paul. Aresi. de Tribul. lect. 21. fol. 346. col. 2.

2. Etenim contrarium prorsus accidit, quando sors hominem vultu blando, & favorabili respicere incipit; tunc enim in elatigenda prosperitate sæpè multum excedit; Sic enim de Policrate legitur, quod tametsi modos tentando quibus curiosè experiri posset, quantum pretiosissimi alicujus monilis amissio sive jactura hominem affligeret, opulentam gemmam quādam sponte, & de industria in mare projecerit, acciderit tamen quod sorte bona ita disponente gemma illa in piscis viscеribus conservaretur, qui fortè fortuitò à piscatore captus, dictoque Policrati dono oblatus, dum in mensa appositus divideretur, inventa est in eodem pisce præstantissima gemma deperdita. Sic quoque tria rara, & insolita uno eodemque tempore sors Philippo Macedonum Regi attulit, scilicet primo, quod Equi ejus cursorii in ludis Olympicis obtinuisset palmam, secundò, quod Parmenus, qui ejus Belli dux erat, de Dardanis reportasset triumphum. Denique tertiò, quod Olympia uxor ejus filium ei masculum peperisset. Similiter Scriptores de Vitellio affirmant, quod *ex humili fortuna ab exercitu in Germania creatus fuerit Imperator*, quodque Romam redux factus a Senatu populoque Rom. Augusti titulo salutatus, & gloriosè donatus fuerit. Diagoras quoque non unum sed tres filios suos vidit à sorore bona in ludis Olympiacis tanquam victores fuisse coronatos. Semiramidem quidem in humili fortuna natam, & servum fuisse Historiæ exprisè referunt, veruntamen sors pulchritudinis sibi congenitæ ad eam felicitandam eousque prævaluit, ut veluti Assyriorum Regina regio in capite suo diadematt redemita fuerit. O quam egregiè hæ sortis proprietates Juvenali perspectæ fuêre, quando iis benè pensitatis ac ponderatis lepidissimè dixit:

Valerius Max. l. 6.

Theat. vitæ hu. de felic. sum. fol. 3190. c. 1. Bapt. Fulg l. 7.

Fulg. l. 1. cap 2.

Ælian. l. 7 de var. hist.

Iuven. Sat. 7.

Si fortuna volet fies de Rhetore consul,
Si volet hæc eadem fies de consule Rhetor
Servis regna dabunt, captivis facta triumphos.

3. Sors adversa olim pacto cum ventis, marisque undis, & tempestatibus in pauperis Jonæ pernitiem strictissimo fœdere, eundem persequi, & procellis infestare, qua vehebatur, navem non desiit, donec in mare esset præcipitatus: *Cecidit sors super Ionam, tulerunt eum & miserunt in mare.* Hodie autem sors prospera Matthiæ adblanditur, & demulcet, suisque favoniis eousq; extollit, ut deficiente Juda, in ejus vacantem locum cæteris connumeretur Apostolis: *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Unde S. Gregorius magnus ille sanctæ Ecclesiæ Doctor ait: *Sorte Ionas in mare missus, sorte Matthias Apostolus electus.* Quare tibi, ô Matthia, toto corde, de adepta felici sorte congratulor. Nam ad quam potuisses majorem præeminentiam sublimari? qua potuisses sublimiori dignitate exaltari, quam ea, qua hodierna die felicissimè es insignitus? Aucupentur licet alii divitias, Sceptra, Coronas, Matthias contra utpote felicissimam sortem hodiè assecutus, in Magnatum cælestium, hoc est, discipulorum & Apostolorum Christi collegium admitti meruit. O excellentiam, quæ parem ignorat! O dignitatem, quæ nemini cedit?

Act. c. 1.

Ion. c. 1.

In lib. 1. Reg.

4. Etenim Matthiæ electionem à sola sorte quæ oculis ad meritum, vel demeritum respicientibus prorsus caret, nequaquam dependisse, quia potiùs æternæ illius electionis, qua Deus ad Apostolatum Matthiam elegit, verum quoddam signum expressivum fuisse existimo, cujus quoque opinionis B. Laurentius Justinianus fuit cùm dixit: *Elegerat Deus profectò Matthiam ad hunc gradum dignitatis, antequam darentur sortes, & priusquam fieret mundus: Declaravit autem invisibilis sors Dei electionem invisibilem: & quem elegit prædestinatio, perfecit sors.* Deus quidem ad subjectorum eligibilium meritum respectum habet; Matthias autem gradum illius heroicum assequens magnæ illius Apostolicæ dignitatis capacem se reddit: *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* In cujus confirmationem observandum qualiter sacri electores, qui ad numerum centum virginti circiter ascendebant, conjunctim cælo supplicaverint, ut mentes suas earenus illuminare dignaretur, ut eum eligere valeant, qui inter omnes meritò esse præcellentior judicaretur, ac proinde dixerunt: *Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris.* Unde factum est, quod tam a terra, quàm à cælo, mediante sorte (quam sacri Doctores radium quendam cælestem fuisse volunt) S. Matthæus tanquam dignior ad dignitatem Apostolicam electus approbatus, & declaratus fuerit.

D. Chrys. perf. sol. 69. col. 2. n. 40.

Act. 1.

Dionys. de Eccl. hier.

5. Notandum quoq; insuper est, quod Joseph, sive Barbasas, qui una cum Matthia ad hanc electionem concurrebat, per anthonomasiam Justus vocatus fuerit: Joseph, *qui cognominatus est justus*, alter verò simplici nomine fuerit

Act. 1. n. 23.

Mat-

Matthias appellatus. Cur ita? Num ergò hic quoque justus non erat? Non erat humilis, prouti nomen ejus insinuabat? Nec castus, prouti Breviarium asserit Gallicanum? Quis dubitat? inquit Archiepiscopus Florentinus dicens: *Matthias fuit in lege eruditissimus.* Nunquid Matthias gratissimus ex omnigenis virtutum floribus adornatus delitiarum hortus fuit? prouti Dionysius Carthusianus hisce verbis asserit: *Fuit B Matthias omni virtute ornatus?* Cur igitur ipse quoque non est appellatus humilis, justus, castus, virtuosus, aut quovis alio eximio titulo insignitus? *Non habebat nomen quod ipsum authorizaret.* Scio equidem quod populus Israeliticus singulari Moysis curæ à Deo recommendatus & consignatus nomen aliquod Mannæ imponere, quod omnes ejus qualitates, gustus, & sapores, quos in se continebat, ac præ se ferebat, perfectè exprimeret minimè potuerit, ac proinde obstupefacti dixerint: *Manhu* quod significat: *Quid est hoc? ignorabant enim quid esset,* id quod exinde procedebat, quod omnes in se omnium rerum sapidarum, aut gustabilium sapores, & gustus exprimeret, adeò, ut qui Manna comedebat, is sibi nunc panem, nunc fructus, nunc carnem, eamque nunc ferinam, nunc domesticam, & ex his nunc quadrupedum, nunc volatilium, mox denique piscium manducare videretur, prouti Hebræis manducantibus ipsorum phantasia repræsentabat, erantque omnes sapores in aliis cibis dispersi, in solo Manna veluti in epitome quadam compendiati; unde nullum usquam invenire nomen poterant, quod eis Mannæ qualitates atque sapores, adæquatè repræsentare posset. Unde Abulensis dicit: *Manhu! Iste est modus admirantium,* idque dicebant *quia nullus eorum tale unquam viderat* Matthias etenim Mannæ similis erat, quot enim in illo sapores gustabantur, totidem in hoc residebant virtutes. Unde non sufficiebat illum vocare constantem petram, prouti Petrus appellabatur, quia insuper velut alter Andreas charitativus erat. Parum erat si veluti Philippus pius diceretur, & benignus, quia zelosus quoque erat velut Jacobus. Qui illum veluti Joannem puritatis nomine fuisset reventus, parum effecisset, quia non minus, quam Bartholomæus, erat in oratione assiduus: Non satis eum dilucidasset, qui illum sortem fuisse dixisset, velut alterum quendam Jacobum minorem, quia insuper tanquam verus Simon erat voci Dei obedientissimus; Quicum Thadæo

Brev. Gall. D. Antonin. Ser. de S.

Exod. 16.

Abulens. in cap. 16. Exod. f. 131 col. 2. E. & A.

proprio gratitudinis encomio celebrasset, nimis fuisset in exprimendis ejus prærogativis modicus & parvus, quia insuper eum sicut Thomam quendam dicere debuisset Domino suo fidelem, & sicut Matthæum prædicare spiritu pauperem. Quæ ipsissima causa est cur nullus ei titulus speciatim fuerit determinatus, quia nimirum omnes æqualiter virtutum laudes ei aptissimè conveniebant, dicique de eo proinde potuisset: *Manhu! quid est hoc? quia nullus talem virum vidit.* Atque ideò sors cælestis super ipsum delapsa tantopere eidem favit: *Et connumeratus est cum undecim Apostolis, id est, secundùm undecim virtutes, quas floruerunt in ipsis,* inquit Franciscus Maryonis, *Serm. de S Matth.*

6. Enimvero sortem hanc, quæ super Matthiam cecidit, omninò favorabilem, atque beatam fuisse facilè ex illa declaratione conjicere possumus, qua Dei Filius quanti gradum Apostolatus, in quem discipulos suos statuerat, fecerit & æstimarit, manifestè innuit, quando iis dixit: *Iam non dicam vos servos, sed amicos meos.* Multæ etenim & magnæ servum inter & amicum inveniuntur differentiæ: Ille enim propter interesse unicum suum Domino ministrat, hic verò ex syncero amore. Unde Alexander rogatus uter ipsum magis deligeret, an Ephestio, an verò Craterus respondit: *Ephestion amat Alexandrum, Craterus Regem,* quasi diceret: *Craterus diligebat fortunam, Ephestio personam Alexandri.* Dici quoque posset Christum Apostolos amicos appellasse, quia hæc est vera amicorum conditio, quod omnia tentare media debeant, ut periclitante alterutrius vita, illam servare & salvare possit, prouti fecit Lucius dum se Brutum esse finxit, ut Brutum è manibus Antoniani adversarii sui eriperet; quo modo se quoque Demetrius erga Mithridatem exhibuit, ut Regis Antigoni furorem declinans vitam suam sibi salvam faceret: Aut verò ideò illos amicos vocavit, quia eos in eodem prorsus pretio, quo propriam suam personam habebat, vulgari illo adagio correspondendo, quo dicitur: *Amicus est alter ego.* Unde cùm Theophrastus Philosophus duos, quorum unus pauper, alter dives erat, simul vidisset obambulantes, discipulos, quinam, & quales ii essent, interrogavit, quibus, duos familiares amicos esse, respondentibus, Theophrastus admirabundus subjunxit: *Quomodo ergò alter illorum dives, alter verò pauper?* quis enim amicorum

Ioan. c. 15.

Plut. in Alex. fol. 557. col. n. 10.

Alex. ab Alex. l. 2. c. 26.

Fulg. l. 4.

Ambr. Marf. in Theatr.

Polit. c. 22. f. 234.

rum omnia communia esset nescit? ut proinde de Æthiopibus amicitiam veram mutuam colentibus, illos inter se tam adversa, quàm prospera communia habere perhibeatur. *Turpe enim existimabant amico claudo, non omnes amicos ejus claudos esse & quidem absurdum videbatur, cùm vera sit amicitia ex rebus adversis amicorum dolore, latari in secundis, non etiam corporis doloris amicos participes esse*, inquit Diodorus Siculus. Hæc utique erat Salvatoris discipulos suos amicos appellantis intentio. Nunquid enim idipsum clarè satis auditis? *Iam non dicam vos servos?* Quamobrem? *Quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos*, quia quicquid accepi à Patremeo, vobis quoque communicate, decrevi. *Quia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, quasi juxta expositionem Theophili dixisset: *Servus non novit consilia sui Domini. Vos autem cùm amicos reputem secreta mea vobis communicavi.* Ex his itaque considerate, & videte an non fuerit sors illa, quæ Matthiæ hodiè obtigit, longè felicissima, utpote quæ dum super ipsum cecidit, ipsum quoque amicum Filii Dei, omniumque divinorum secretorum participem esse declaravit.

Diodor. Sic. l. 4. c. 1. de reb. antiq.

Io. 15, n. 15.

In Cat. D. Th. ibid. f. 296.

7. Idque fortasse cum majore plenitudine, & modo quodam magis speciali præ omnibus aliis Apostolis. Pro cujus meliori intelligentia observanda est Parabola illa, quam Salvator noster de illo Patrefamilias proposuit, qui summo manè exiens, ut pro vineæ suæ cultura operarios conduceret: *Exit primo manè conducere operarios in vineam suam.* Nam per hunc Patrem familias S. Gregor. Deum, per vineam autem Ecclesiam intelligit: *Paterfamilias, id est, Conditor noster habet vineam universam scilicet Ecclesiam, quæ quod sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Per operarios autem vineam excolentes Apostolos intelligendos esse dicit: *Ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios, id est, Apostolos mittere*, quorum alii à Christo vocati sunt hora tertia, alii hora sexta, alii hora nona, id est aliqui vocati sunt citiùs, alii tardiùs. Matthias autem ultima hora, id est, undecima vocatus fuisse censetur, tum quia ex nonnulorum opinione eadem quoque hora sors super eundem cecidisse perhibetur: *undecimam horam*, quia Apostoli à Christo appellati sunt horæ diei: *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Unde S. P. Augustinus: *Intelligit Dominum significare se esse diem, duodecim autem Apostolos esse dilectos velut duodecim horas diei:*

Matt. 20.

In Cat. D. Th. ibi f. 77. col.

Io. c. 11.

Ap. Ioan, Sen. p. 4. c. 102. fol. 4. col. 2. 8.

Cùm ergò harum horarum undecim tantum essent, Matthias ut duodecimus inter illos esset ad vineæ Ecclesiasticæ culturam electus fuit. Ita apud Lorinum sentiunt Leo Castrius & S. Athanasius: *Circa undecimam horam veniens Deus, Matthiam qui cum reliquis undecim Apostolis connumeratus est, intelligi volunt vocatum.* Et tametsi Evangelista in numero plurali loquatur: *Circa undecimam verò exiit, invenit alios stantes, & dixit illis, &c.* id tamen jam dictis minimè præjudicat, quia S. Chrysostomus dicit: *Non oportet ea, quæ in parabolis sunt, secundùm totum quod dicitur investigare, sed intentionem propter quam composita est, intelligere, & nihil ultra scrutari.* Notandum igitur, quod tametsi Matthias quoad ordinem ultimus fuerit, nulli tamen aliorum dignitate, & merito inferior cesserit: *Accepit etiam ipse singulos denarios*, id est, gratias divinas, Christi revelationes & dona Spiritus sancti; expressè namque Salvator se non minùs Matthiæ daturum esse declaravit, quam dederit aliis Apostolis, licet ille inter cæteros Apostolos ultimus fuerit: *Volo huic novissimo dare sicut & vobis.* Imò S. Joan. Chrysost. magno cum pondere observat, quod operarii *Murmurabant adversus Patremfamilias dicentes: Hi novissimi, &c.* quasi diceret: Non poterat quidem in operariis Apostolicis ullum locum habere invidia, utpote, qui pleni erant charitate; quod si tamen vel minima invidiæ scintilla in eos cadere potuisset, felicissimam utique Matthiæ sortem illi invidissent: *Non ergò inducit hoc ut ostendat aliquos esse invidia morsos, sed ut ostendat hos tantò potitos esse honore, quod & invidiam aliis poterat generare.* Nam in dignitate æqualem esse nunquam fomentum solet esse invidiæ: *haud ulla fuisse in terris hominum invidia, si æqualis fuisset hominum conditio*, inquit Menander, unde videmus quod invidia locum habet in minoribus erga majores: *Qui invidet minor est*, dicebat Plinius, & S. Gregorius subjungit: *Invidia est in meliores*; nullus enim sanus infirmo invidet, nullus dives pauperi, nullus doctus ignoranti, nullus nobilis plebejo. Quocirca nisi Apostoli charitate pleni fuissent, felicem, quæ hodie S. Matthiæ obtigit, sortem eidem invidendi manifestam occasionem habuissent, utpote quæ ei super omnes alios Apostolos eximie favit. Ac proinde *Murmurabant*, id est, inter se conquerebantur, *ut ostendat Dominus Matthiam tantò potitum esse honore, quod & invidiam aliis poterat generare.*

Leo de Castro.

D. Chrys. in hom. & 1. Cat.

Matt. 20.

Chrys. ubi sup. cap. 20 Matt.

Plin. Iunior. l. 6. Epist. D. Greg. lib. 18. in moral.

Ex D. Chrys. ibid.

8. Hæc

8. Hæc præclara S. Matthiæ sors diu ante per regium Prophetam Davidem prævisa fuit, quando dixit: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, ei enim hæreditas mea plæclara est mihi.* Illis namque verbis in persona S. Matthiæ locutus fuisse videtur, sortem per funes metaphoricè intelligendo, vult Bellarminus, O sortem felicissimam, quæ amplam illam hæreditatem Matthiæ attulit, qua per scelera & flagitia sua traditor Apostata sese indignum prorsus reddidit: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, id est, optimam hæreditatem sorte felicissima consecutus sum*, ut exponit Cardin. Bellarminus. Notandum est autem Apostolicam hanc hæreditatem, quæ divinæ voluntatis sorte mediante super Matthiam cecidit, eidem tanquam viro inter quosvis alios ibidem præsentes eximio, & dignissimo obtigisse: *Hoc autem totum sorte divinæ electionis evenisse, nullus est, qui de hoc dubitet; unde cecidit sors super Matthiam: Nam hæc sua dicitur hæreditas, quæ in præclaris & electis hominibus cecidit.* Atque ideo abs re futurum non esse existimo, si nonnihil ad magis particularia descendendo, in quo hæreditas prædicta, & Apostolatus officium, quo per hanc felicissimam sortem modo extraordinario est sublimatus, consistat, examinavero. Credo autem quod quoad hoc aliqualem à Davide habere possimus satisfactionem. Hic namque dicit quod Cæli magni Dei gloriam, & majestatem excellentissimæ celebrent, & præconizent: *Cæli enarrant gloriam Dei.* At verò dicat hic aliquis, Quomodo cæli loqui poterunt, qui omnis sunt vitæ expertes? Fortè quot cælum stellæ adornant, totidem in eo loquentes, & præconizantes linguæ existunt? aut verò quæ à cælis formantur verba, in eo, qui Platonis auribus audiebatur, sono intelliguntur? Quoad horum cælorum expositionem multi sunt, nimirum Dydimus, Asterius, Gregorius X. & S. Leo, qui Cælorum nomine Angelos intelligunt: *Cæli, id est, Angeli enarrant gloriam Dei* Alii autem per Cælos Apostolos intelligendos esse affirmant: *Cæli igitur Apostoli sunt*, inquit Folengius. Et quidem si ita est, quod videlicet cælorum nomine Apostoli intelligendi veniant, videte obsecro quam nobilis & excellens sors sit, quæ hodie sancti Matthiæ eo præcipue fine obtigit, ut constituatur eximius Filii Dei Apostolus, & veluti inter plures alios hoc munere dignos dignissimus maximeque proportionatus & idoneus eligatur, qui prædicaturus Evangelium, fidem seminaturus, celebraturus magnalia, & gloriam altissimi Dei, universas mundi provincias laboriosissimè percurrat: *Cæli igitur Apostoli sunt, & cæteri ejusdem propositi viri. Sed quid enarrant cæli isti felicissimi? Gloriam profectò Dei. Verum hanc gloriam, quis enarrare, quis prædicare, quis extollere potens est nisi cæli isti fortissimi?* O verè benigna sors, ecquænam majora signa pro Matthiæ clientis tui mira exaltatione exprimere poteras?

Psal. 15.

Bellar. ubi fo. 60. v. 6.

Paul. Palenterius ibi f. 170.

Psal. 18.

Didym. Aster. Greg. X. B. Leo ap. Lorin. ibi. Hugo. Car. i[illegible]aul. P[illegible] [illegible] Foleng. in Psal. 19. fo. 61. A.

9. Verum enimvero cum veritas liberè enunciari debeat ignosce mihi, ô sors fortunata, si tecum velut cum re animata prosopopæjasticè liberius loquar, videtur enim quod nimis te erga Matthiam clientem tuum affectuosum & partialem exhibueris. An enim ad gloriam Creatoris celebrandam viros magnos requiri ignoras? Non utique sine causa cæli corpora nimirum maxima, vastissima & propemodum immensa, non verò mare, vel terra, tametsi & hæc vasta sint elementa ad Creatoris excellentiam enarranda veluti proportionati, & idonei encomiastæ esse censentur. Qua igitur ratione *Matthias* tanto operi adhiberi poterit, cujus nomen idem quod *parvulus* significat. Certe si nominis parvitati facta quoque eadem quantitatis proportione responderint, tanto molimini ineptus prorsus & idoneus erit. Quapropter prætermisso Matthiâ, aliud merito subjectum designare debueras, quod operis magnitudini, sat quoque magnitudine respondisset *secundùm quantitatem virtutis.* Etenim ut difficultati huic sortis nomine respondeamus, notanda est pulcherrima, quæ de Egdaro Britanniæ Rege recensetur historia. Hic enim cùm statura valdè pusillus esset, atque in solemnitate quadam omnes regni sui Reges minores Proceres & subditos nobiles opiparo excepisset convivio, contingit ut Rege Britanniæ in capite mensæ considente, cæteris quoque conformiter status, & conditioni suæ ritè legitimeque per menses dispositis, Reginandus Scotiæ Rex cum assidentibus sibi impatientia victus murmurabat, indecens prorsus esse ratus quod tot Reges & proceres statura alta, atque perfecta, præclara, pygmæo tali, qualis Egdarus erat, subditi esse, parereque debeant. Egdarus, tametsi murmur istud audivisset & notasset, attamen dissimulando tacuit. Convivio autem finito cuidam ephebotum suorum jussit, ut acceptis duobus gladiis in hortum concedens ibi suum præstolaretur adventum: Interea appræhensa omni cum urbanitate Reginandi Regis manu eum in ejusdem hortum perduxit, ubi è præsentatis sibi ab ephebo duobus illis ensibus unum quidem sibi

Abdias Babylon.

NB

Duellus

sibi ipsi retinuit, alterum verò Reginaldo Regi hisce verbis consignavit : Verum est quidem quod tu magnus sis, ego in pusilla statura pygmæus esse videar, in mensa querelis,& mussitationibus tuis debitè respondere distuli, nunc verò hic coram te præsens asto, magnitudinis, & proceritatis tuæ facturus experientiam, liberam tibi quoque facultatem indulgens, ut pusillitatis, & parvitatis meæ vires experiri possis, sic enim videbimus num generositas tua meæ sit similis staturæ, aut animi mei magnitudo corporis tui proceritatem adæquet: *Dixitque fortitudinis ejus periculum facere velle, ut sciret an verbis in eo facta respondeant.* Reapse autem probavit, quod tametsi statura pusillus, animo tamen generosus quidam gygas extiterit. Quâ Historiâ suppositâ dico, Matthiam quidem eodem modo parvum quoque nominis sui significatione fuisse, magnum autem quoad virtutes, & merita. Optime igitur sors super Matthiam cecidit, ad declarandum illum Apostolatus esse aptissimum idoneumque qui velut cælum quoddam gloriam & magnificentiam Creatoris sui celebraret. Unde si verum est, quod *Cæli recipiantur pro sanctis Apostolis*, Matthias certe se unum ex illis esse probavit, propter meritorum suorum excellentiam idoneum. *Ad prædicandum Regnum & excellentiam Christi, & opera manuum ejus, id est, magnalia Christi, ut ejus opera miraculosa, quæ manuum suarum opera sunt, id est, virtutes Divina & humana.* Hæc profectò est optima illa hæreditas, de qua David loquebatur dicens : *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Et hac quidem hæreditate sors illum dignum fecit : *Optimam hæreditatem sors felicissima consecutus est.*

Barth. Cassan. p. 12. consid. 97 f. 325. & Bapt. Fulg. in collect. de dict. mem. l. 3 cap. de ipsiusmet confidentia.

Paul. Palent. t. 1. ibi f. 243.

10. Ratiocinati porrò hucusque sumus de glorioso hujus Apostoli sorte in ordine *ad seipsam*, nunc cæptum prosequamur discursum per comparationem ad Judam, in cujus locum illum sors favorabiliter subrogare dignata est. Optimè sanè Ecclesiasticus inquit : *Contra malum bonum est, contra mortem vita est*, ac proinde Matthias, qui in Judæ locum successerat, Judæ è diametro debebat esse oppositus : *Oportuit ut esset Matthias oppositum Iudæ, in cujus locum successit*, inquit Maytonis. Unde si de Juda dicitur: *Nihil sceleſtius* Juda: de Matthia quoque dici debebit: *Nihil sanctius Matthia.* Etenim si impii Traditoris actiones, vitam, & conversationem nosse desideratis, audite quænam hac de re Scriptores referant. Dicitur itaque Jerosolymis natus patri cui nomen Ruben erat, matre de Tribu Dan, vocata Ciborea. Hæc cum gravida esset, partuique vicina, sceleratissimum filium, qui ingens totius domus suæ ruina pernitiesque futurus esset, se parituram esse somniavit. Fidem itaque somnio adhibens, ut mala, & ærumnas, quas ex eo certò secuturas esse credebat, declinare posset, filium suum mox ut in lucem editus fuerat, caniſtro cuidam impositum mari commisit, ut Deus aut fortuna de eo, prout melius factu foret, disponerent. Quapropter ab ipsis maris undis ad insulam quandam cui Iscarioth nomen erat mirabiliter est deportatus. Cujus quidem loci Regina cum animi causa ad maris littus obambulans, ciſtellam hanc in eaque positum pusionem appellantem vidit, eundem per pedisequas suas sibi adductum, utpote prole carens in filium sibi adoptavit, atque haud secus ac suum enutriri & educari curavit. *Puerum nutriri fecit, & se gravidam simulavit, filium tandem peperisse mentitur.* Contigit autem, ut paulo post Cælo ita disponente verum quendam naturalemque filium enixa fuerit, qui quantò magis succrescebat, tantò minor reddebatur Reginæ erga Judam affectus. Quod Judas advertens, invidia motuque, rabidoque furore percitus eum crudeliter occidit, & ne ex hoc vitæ propriæ pateretur naufragium, Jerosolymam aufugit, ubi in Pilati familiam se recipiens, in ejus se humorem, atque benevolentiam insinuare, ejusque gratiam captare plurimum studuit. Dum autem Pilatus è Palatio in hortum suum prospiciens in eo arborem quandam pulchertimis fructibus onustam vidisset, ingens eum fructus illius deguſtandi desiderium incessit; quod Judas advertens ut Domini sui genio per omnia satisfaceret, hortum ingressus desideratos à Pilato fructus collegit, dumque ob decerptos fructus Judam inter & hortulanum ingens quædam controversia glisscere cæpisset, Judas levatum è terra saxum in hortulani caput fortiter impegit, eumque dire nimis occidit. Pilatus igitur, cui Judæ obsequia placere cœperant, ut delictum ejus, quoad fieri poterat occultaret, sceleriſque consequentias suavius accommodaret effecit ut Judas hortulani sui relictam viduam conjugio sibi desponsaret, eamque hoc quietam redderet, quod tamen pro voto usquequaque non obtinuit, vidua namque hæc novitet Judæ nupta continuum in corde suo ob mariti mortem dolorem vivaciter sentiens sæpè sæpiùs ingemiscebat & suspirabat, cujus causam à neo-

Ecel. 33.

Franc. Mayr. serm. de S. Matt.

Iacob. de Vorag in Conc. D. Matth. f. 32.

marito

marito interrogata, ipsa respondit, quod quoties mortis Ruben mariti sui, nec non amissionis filii (quem in mari jam dudum periisse credebat) recordaretur, animam sibi, visceraque transfigi existimaret. E quibus, aliisque ejusdem generis sermonibus tandem Judas evidenter se patricidam, & incestuosum matris suæ maritum esse cognovit ac proinde matris suasu in Christi sequelam amplectendam se tandem resolvit, à quo impetrata gravissimorum scelerum suorum venia in discipulum est adoptatus. Quænam autem dum in Christi schola versaretur vita & conversatio ejus, quique mores fuerint, nemo est qui nesciat. Hoc unicum dixisse sufficiat, quod suum avaritiâ suadente tradiderit magistrum, ac tandem desperabundus violentis sibi ipsi manibus illatis miseram efflarit animam. *Act. 1.* *Et suspensus crepuit medius; & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Dicite sodes an unquam inventus sit in mundo homo sceleratior isto; ut proinde arduum valde futurum sit opus hominem aliquem tanta vitæ bonitate, tantisque virtutibus præditum invenire, qui perditis moribus, gravibusque impii hujusque traditionis flagitiis à diametro opponi possit. Unde si nec ipsa fors cælestis alium invenire virum potuit, qui sua bonitate Judæ flagitia, & perditam vitam compensaret, facile erit unicuique conjicere qualis, quantaque fuerit Matthiæ sanctitas, quantæque virtutes, *Nihil scelestius Iuda, nihil sanctius Matthia.*

11. Veritatem istam egregio quodam Davidis Prophetæ regio vaticinio corroboremus, hic enim prophetico spiritu futuros Judæ eventus è longè prospiciens, edixit: *Fiant dies ejus pauci,* *Ps. 108.* *& Episcopatum ejus accipiat alter.* Omnes etenim *Bellar. ibi. n. 7. fo. 690: col. 1.* expositores locum istum de persona Judæ intelligunt: *Videmus impletum fuisse hoc vaticinium de Iuda perfectissime,* inquit Card. Bellarminus. Per dies autem quos devivere non meruit, S. P. Augustinus dies, quos in Apostolatu, Hieronymus verò, quos in tota vita traduxit, intelligunt. *Et Episcopatum ejus, id est, Apostolatum accipiat alter.* Porro in illis Davidis verbis præcipue observandum est nomen illud adversativum *alter*, hoc enim non solum *individualiter*, *sed etiam moraliter* intelligitur, quasi diceret David: Is qui in Judæ locum succedet, *erit alter*, id est, alter in vita, & moribus, eximiis dotatus virtutibus, ingenti merito locupletatus, &, ut unico verbo multa eloquar, speculum erit certissimum sanctitatis; *alter*, qui ne minimo quidem coinquinatus esse defectu videatur; *alter*, qui non est futurus invidus, sed charitativus: *alter*, non traditor, sed fidelis, *alter*, non vas contumeliæ, sed honoris, pulcherrima phiala: *alter*, non cloaca spurcitierum, & vitiorum, sed schola virtutum, & honoris theatrum: *alter*, non arrogatus, sed humilis: *alter*, non iracundus, sed mitis: *alter*, non fraudulentus, sed syncerus, & legalis: *alter*, qui non prodigat vitam suam desperabundus in patibulo, sed sanguinem suum pro fide in Martyrio effundet: *Apostolatum ejus accipiat alter. Matthias videlicet, qui omnibus modis erat alter, id est, non consanguineus, non familiaris, non amicus, non similis vitæ ac morum.* *Cardin. Bellar. ubi supr.*

12. Etenim quantum Judas Apostolicæ reputationis præjudicii attulit, tantum Matthias eidem honoris gloriæ adscivit: Peropportune hoc loco mihi in memoriam venit pulchrum, & jucundum illud, quod duos illos peritissimos Cytharædos Aristodemum, & Eunomium interceſſit, harmonicum musicæ artis certamen; quilibet enim illorum tanquam majorem sibi artis suæ præsumens peritiam, præeminentiam comparare prætendebat pariter & palmam. Eunomius, qui primus artis suæ specimen edere volebat, chordas cytharæ suæ aptissime dispositas suavissimè tangens, harmoniæ suæ dulcedine artisque præstantia auscultatorum tranquillare aures, vultus serenare, cordaque lætificare videbatur. Jam Nymphæ jucundantes exsiliebant, saltabantque ad cytharæ modulum pastores, denique si non auscultandi causa accurrêre è vicis & plateis lapides, attamen homines præ cytharæ dulci sono, attoniti lapidum instar immobiles persistebant. Verum, ô sortem pessimam! ô prorsus insperatum eventum! cum jam artis suæ apicē fermè plectro suo attigisset, populique circumstantis applausus jamjam esset recepturus, cytharæ subtilior chorda, quæ in certaminis illius scena superiorem vel discantum repræsentabat, ex improviso rumpitur: at verò videte quam felix fuerit hæc infelicitas; nam mox parva quædam cicada, quæ in arboris ramo quietè consistens, cum attentione singulari auscultabat, Eunomii infortunio compatiēs, subito ex arbore volando descendens ad eum se cytharæ locum firmavit, quem citharædus plectro vel manus suæ digitis tangere solebat, subtiliqué voce sua dulcissimè cantillando chordæ illius supplevit defectum. Sicque inchoatus ab Eunomio Cytharæ sonus, non dissonus, sed delectabiliter, artificioseque sonorus reddebatur, suâque admirabili harmoniâ aures

astantium suavissimè demulcebat. In hoc jam enarrato eventu præfiguratam video puram simplicissimamque veritatem. Sanctissimum enim Jesu Christi Collegium persimile erat Eunomii cytharæ, cujus duodecim chordæ duodecim fuêre Apostoli. O quàm suavem hæc cythara sonum edebat! qui ab Oriente in Occidentem usque audiri perfacilè poterat: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* O quàm concinnè adaptata, quàm harmonicè disposita erat cythara ista! Verùm enimverò ex improviso cytharæ illius unica chorda rupta fuit, quæ Judam referebat: *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* En inconditum hujus cytharæ sonum harmoniam dissonantem & imperfectam, mutilamque cytharam. Verùm ô sortem mirè benignam! nam parvula cicada quædam, quæ Matthiam significat in deficientis chordæ locum subingreditur: *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Hic sanctitate suâ, quem Collegium ex Judæ lapsu patiebatur, subveniebat defectui, suæque prædicationis perfectissimo sono, duodecim chordarum harmoniam deficientem perficiebat, & redintegrabat. Unde Chrysostomus ait: *Multò magis Matthias explevit chorum (id est, Apostolicum) & ordinem perfecit.* Fuitque hac ratione majus lucrum quod Matthias attulit, quam fuerit damnum quod ex defectu Judæ in Collegium Apostolicum dimanavit. Unde & hoc fine sors hæc felicissima super ipsum cecidit.

Act. Ap. c. 1.

D. Ioan. Chrys.

13. Multi, iique valde rari, & insoliti effectus tempore patientis Christi visi fuêre. Inter alia namque visum fuit, quòd petræ sese per medium dividerent: *Petræ scissæ sunt.* Scio equidem quòd multi reperiuntur lapides ad stuporem admirandis proprietatibus naturalibus præditi. Astrion lapis, qui in India nascitur, estque chrystallo persimilis, in medio stellam quandam continet, quæ instar Lunæ, quando decimam quartam attigit, relucere conspicitur. Ephestis, qui in Corica nascitur, in aquam bullientem projectus refrigeratur. In Scotia, præcipuè verò in Arcadia lapis quidam reperitur, qui stupæ superimpositus subitò accenditur & inflammatur. Pirithes in Perside invenitur, quem si alii comprimere præsumant, mox manum digitosque comburunt. In monte Gonio in Carthagine lapis quidam depræhenditur, qui in æstate semper est flammivomus, in hyeme verò aquarum scaturiginem emittit. Lusitanum litus pollet gemmâ, seu lapide Ceraunio, quem Indicis præferunt, & adversus vim fulgurum creditur opitulari, Galatia lapis instar Adamantis durus est, in ignemque projectus non solùm illi resistit ne lædatur, aut inde pati quid possit, verum etiam frigiditatem suam semper conservat, nec unquam incalescit. Alii insuper non minus admirandis proprietatibus imbuti lapides reperiuntur alibi in diversis locis. Verùm quòd lapides inveniantur, qui haud secùs ac si sensu præditi essent, præ dolore rumpuntur, aut scinduntur, naturaliter impossibilitatem aliquam sibi adjunctam habere videtur. Et quâ igitur ratione verum erit, quòd *petræ scissæ sunt?* Cur arbores non dissecantur, non rumpuntur ligna, ferra cur non diffiduntur, non colliquescunt æra, & metalla? Cur Evangelista lapides seu petras scissas esse perhibet? Quid petræ seu lapides cum Passione Christi commune habent? Etenim incidit hoc loco mihi de lapidibus non illepida historia, quæ propositarum quæstionum resolutioni viam commodam haud dubiè sternet. Mercator quidam non insolemnis magnam pretiosorum lapidum quantitatem ex Indiis secum in Lusitaniam attulit, quos, ut emptores ad comparandos lacesceret publicè vænum exposuit, habuitque confestim emptores permultos, à quibus ferè omnes fuêre coêmpti, exceptis solis Smaragdis, qui emptoribus minimè arridebant, id quod in magnum redundabat gemmarii præjudicium pariter & detrimentum. Verum, pulchram auscultate inventionem, quam ad Smaragdos suos venditandos, majorisque ab emptoribus deinceps æstimandos adhibebat. Nonnullos è Smaragdis flori cuidam ex auro affabrè confecto inseri fecit, illumque Smaragdis pulchrè distinctum florem Isabellæ Reginæ liberaliter donavit, hoc solùm ab eadem supplicando, ut illud sequenti diluculo pro capitis sui decore & ornamento florem illum deferendo publicè honorare dignaretur; id quod subitò promissum factumque fuit. Totum autem Gynæceum, omnesque nobiles Smaragdos hosce in Reginæ vertice conspicientes mirè eosdem dilaudarunt dicentes: O quanta est lapidum istorum elegantia? quàm suaviter arrident? quam mirè singulorum oculos ad se rapiunt? Unde hæ gemmæ adductæ sunt? Num in hac urbe venduntur? ubi? A quo? &c. Erantque Smaragdi illi singulis tanto in pretio, ut illos repetitâ vice publicè expositos paulò minùs quàm unius diei spatio cunctos vendiderit, adeò Smaragdi Reginæ donati, reliquorum Smaragdorum parvi

Matt. 26.

Isid. lib. 16. c. 13.

Idem lib. 16. c. 14.

Ortellius ap. Majolum collo 18. fol. 778.

Solin. cap.

Plin. lib. 37. c. 11.

Arist. de admirand. cap. 109.

Isid. lib. 16 c. 13.

Plin. lib. 37. c. 11.

Matt. 26.

vi æstimatorum pretium auxerunt & æstimationem: Idem hic eventus accidit petris, seu lapidibus si non pretiosis, saltem piis & dolorosis, quæ in morte Jesu Christi Domini veluti Domino morienti compatientes per medium scissi sunt. Vir quidam qui à petris Petri nomen acceperat, cui dictum fuit à Christo: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc petra autem omnes alias petras in contemptum & vilitatem adduxit, quando *cœpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem istum quem dicit.* Quid fit? Petræ in Christi Passione quasi præ compassionis dolore scissæ, honorem suum, suamque æstimationem quam per animatæ petræ, id est, Petri negationem perdiderant, resarciverunt denuò, & recuperarunt adeo, ut quantum Petrus illas Christum negando viles effecerat, hæ filium Dei scissuris suis protestantes, & confitentes tantundem reputationem suam, quam omnes aliæ petræ amiserant ritè recuperarint. Porrò ædificium Sacrosanctæ Ecclesiæ Dei super duodecim petras Apostolicas innixum, & fundatum erat; è quibus duodecim turpiter collapsa & confracta est, quando *abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas ad Principes Sacerdotum.* Aliæ quidem undecim non sine rubore etiamnum salvæ supererant; At verò in electione Matthiæ petræ securæ, solidæ, firmæ, & stabiles æstimationem suam, & pretium solitum denuò recuperavêre, ædificiumque Apostolicum eâ jam deinceps fuit soliditate corroboratum, ut nullum prorsus lapsum aut ruinam formidarit. *Hæc est corona duodecim perfulgida*, inquit B. Laurentius Justinianus, *quam in regno Christi cæteris electis Matthias consequitur Apostolus, eò splendidiorem, quò uberiorem manipulum sortitus est gratia.*

Matt. 16.

Marc. 14.

Matt. 16.

B. Laur. Iust. serm. de S. Matt. fol. 267. *col.* 4.

14. Quando apud memetipsum corvi, qui naturâ suâ vorax & carnivorus esse solet, abstinentias considero, quid cogitare debeam prorsus ignoro; Dubitare enim quis meritò posset, num Congenitam sibi naturalitet indolem commutarit? Corvos etenim invenio à Deo ad sustentandum Eliam Prophetam adhibitos esse, qui ore suo quotidianum ei victum detulêre, ne vel minima ex allatis carnibus ad sui sustentationem patricula decerpta: *Corvi deferebant ei panem, & carnes, mane, similiter panem, & carnes vesperi.* Imò, quod majori est admiratione dignum, Corvi quoque adhibiti sunt ad corporis S. Vincentii Martyris custodiam. Unde Metaphrastes apud Lypomanum prodigii loco recensет: *Cùm Beati Martyris reliquiæ projectæ fuissent, corvus sanctum illud corpus custodire cœpit.* Mira profectò res, quæ quomodo fieri possit, ignoro. Dici etenim communiter solet, Lupus pilum quidem immutat, naturam non item: at vero corvus neutrum variare assolet; Et tamen in duobus hisce casibus, sicut, & in ejusdem generis obsequio duobus magnis Dei servis Antonio magno, & paulo primo Eremitæ præstito, naturam illos immutasse, diversosque à semetipsis factos fuisse conspicio. Veruntamen facili negotio absque ullo ad miraculum aliquod patrandum, vel patratum confugio, causa illius scili, & cognosci poterit, dicendo; Deum ita voluisse ut fieret. Pro cujus intelligentia observandum est id, quod diluvii tempore accidit. Noë enim, ut in Genesi legitur experiri volens si jam cessassent aquæ, fenestram arcæ aperuit, corvumque avolare permisit. Quem Scriptura ad arcam nequaquam reversum esse dicit: *Dimisit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur;* nam ut Scriptores existiment, in montibus cadaverum morticina invenit, in quibus manducando substitit, neque ad arcam redire curavit: *oblitus non redit illectus cadaveribus.* Quia turpi aviditate totam corvorum speciem infamasse corvus iste videtur, ita ut per unius defectum gulosi passim audire omnes debeant. Unde ad famam jam perditam integrè recuperandam prædicti corvi dum impasti, & esurientes Eliæ, Paulo, & Antonio annonam suam statis temporibus attulerunt, aut S. Martyris cadaver præter morem custodiverunt, abstinentes sese esse probarunt, dum appetitum suum refrænantes non manducarunt, quæ appetere solebant, hacque ratione infamiæ ex unius gulositate toti corvorum speciei causatæ oportunum valdè attulêre remedium. *A corvis ministrari Prophetæ præcipitur, ut scilicet culpam, quam in diluvio commiserat in terra, purgare avis illa videretur, dum ut fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens & fallax erat ante Noe,* inquit S. P. Augustinus. Porrò rectè consideranti verum esse facilè apparebit, quod esse corvi aptè correspondeat naturæ traditoris Judæ, qui corvus niger, & deformis fuit, licet alii discipuli utpote boni, & sancti, cum aliis corvis nequeant comparati. Et quidem Judas libidinibus suis infami quoque filii Dei traditione, & morte sua totius Apostolici Collegii gloriam valde obscuraverat, ac proinde necessum erat ut unus reperiretur, qui oportunum datis & perpessis damnis sciret adferre remedium. Veruntamen ne ipsa quidem cœlitùs à Deo immissa sors subjectum aliquod Matthiâ san-

Simon Metaphr.

apud Lipom. t. 7.

Gen. 8.

Majol. colloq. 6. *fol.* 294.

D.P. Aug. lib. 2. *de mirabil. S. Script. c.* 25. *fol.* 157. *col.* 2.

sanctius, & melius invenire nequivit, quod vitæ bonitate, integritate morum, operum sanctitate, jejuniis, abstinentiis, aliisque operibus dignis & meritoriis mali corvi defectum supplere, famamque, quæ per nebulonis istius dissolutiones gravissimè læsa fuerat, restaurare posset. Ad quod obtinendum omnino conveniebat, ut Matthias noster vitâ, operibus, moribus, doctrinâ, & conversatione perverso illi proditori contradiceret: *Oportuit ut esset Matthias oppositum Iudæ in cujus locum succesſit.* Unde si de hoc dicitur *Nihil* Judâ *scelestius*, de Matthia affirmate debebit: *Nihil* Matthiâ *sanctius.*

Franc. Mayron. in serm. S. Matt.

15. Pulcherrima est S. Ambrosii circa Abeli Adæ secundo geniti, Caino verò posterioris filii nativitatem observatio. Dicit enim Sacer Textus: *& adjecit parere Abel.* Ubi verbum illud *adjecit*, terminus est arithmeticus, quo numerum numero adjungit significatur, prouti ex multis Scripturæ locis manifestè colligitur. Sic enim Nathan David dixit: *Si parva sunt istæ, adjiciam tibi multò majora.* Ecclesiasticus quoque: *De propitiato*, inquit, *peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.* Propheta similiter ex parte Dei Ezechiæ dicit: *Adjiciam super dies tuos quindecim annos.* Salvator similiter ait: *Quis vestrûm potest adjicere ad staturam suam cubitum unum.* Et sic in multis aliis Scripturæ locis idem invenitur. Unde in bona Arithmetica advertendum, quod numerus sequens in se totam præcedentium numerorum summam complectatur, & adhuc aliquid amplius. Unde si numero binario ternarius addatur, his totum illius contentum tollit, & in se complectitur, & aliquid amplius. Insinuat idipsum S. Ambrosius, cùm ait: *Cùm adjicitur aliquid, quod prius erat, tollitur. Idq; colligitur ex Arithmeticæ proportionibus, addito enim numero fit alius numerus, absolvitur superior, & cogitatio nova excludit superiorem.* Posteà verò ad præsens propositum de Caino & Abele concludit. *Ergo cùm adjicitur Abel auffertur Cain.* Portò in Collegio Apostolico Judas, novellus Cain, seu potius Caino deterior duodecimus erat, hic autem Christum tradidit, & demùm apostavit, atque in ejus locum Matthias adjunctus fuit, cui conformiter Arithmeticorum & prædictorum Scripturæ locorum Regulæ omnes pariter gratiæ, prærogativæ, merita, virtutes, quæ à Spiritu sancto Judæ, si in bono perseverasset, elargitæ fuisſent, attributæ fuêre. Unde meritò credere possumus Matthiam habuisse super alios discipulos

2 Reg. 12. 8.

Psal. 60. 5.

Eccl. 5. 5.

Isai. 38. 5.

D. Ambr. de Cain. & Abel. t. 4. lib. 1. c. 1. fol. 115.

dignitates duplicatas, id est, & alias, quæ Judæ, *si stetisset*, debitæ fuissent, & insuper proprias. Et nunquid idipsum eximium à cœlesti sorte ipsi præstitum favorem fuisse existimatis? *Cecidit sors super Matthiam.* O quanto majori jure gloriosus noster Apostolus his dictum illud Augusti Imperatoris, nec non illud quod Platina de admirandis operibus felicis recordationis Sixto IV. Romæ partatis, scripsit replicare potuisset! Augustus enim Imperator inter alia, de quibus gloriari solebat, opera, unum è præcipuis erat, quod vim Romani Imperii & consequenter totius mundi imperium adorsus, Romam invenisset luteam vel lateritiam, ipse, utpote ingenti, nobili, & generoso animo præditus, Romam continuis fabricis, & ædificiis eousque restaurarit, & exornarit, ut verè alia quædam Roma esse videatur, ac proinde dicere solebat: *Inveni civitatem hanc lateritiam, & relinquo marmoream.* Platina quoque omnes fabricas, ædificia, restaurationes, Fontes, Ecclesias, Palatia, Hospitalia, alias à supradicto Pontifice erectas fabricas, considerans de eodem dixit: *Iuvenit Romam luteam, & reliquit lateritiam.* Simili namque ratione Sanctus Matthias inclytum illud Collegii Apostolici ædificium ex limo & luto fabricatum, id est, ob pessimos Judæ mores & defectus valde defectuosum, & imperfectum in sui Apostolatus initio invenit; at verò mox ut ipse per sortem eidem annumeratus fuit, duodenarii numeri perfectionem ei superadjecit. Nam meritis suis illud expolivit, sanctitate suâ exornavit, martyrii sui petris restauravit; illustravit copioso suo pro fide confirmanda effuso sanguine, ac demùm suâ morte idem non solùm mundo, verùm etiam cœlo, & Deo spectabile valdeque conspicuum reddidit. Unde jure merito ipse quoque dicere poterat: *Inveni numerum Apostolorum lateritium, sive imperfectum, & relinquo lapideum, id est, perfectum; quia ceciderit sors super ipsum, & annumeratus est cum undecim Apostolis.*

Platina in vita Summ. Pont. in præfat. Et Vinc. Belu. Spec. hist. lib. 6. cap. 44. fol. 64. col. 2.

Platina in vita Sixti IV.

16. Verùm enimverò satis superque in mediis detestabilium Judæ operum tenebris, hæsimus, nunc quoque vultum nostrum serena Redemptoris nostri luce, illustremus & serenemus. Fidelis Christi Domini Secretarius S. Joannes Apostolus refert, Filium Dei in cœna fuisse turbatum: *Turbatus est spiritu*, id est, magno cor suum angore occupari persensit. Mœstitia ad obsidendam mentem ejus integrum dolorum congregavit exercitum, angore cordis in pectore ejus relicto inibi magno afflictionum ærumnarumque

Ioan. c. 13.

que agmine castra metatus est. Paulò autem post ex improviso totus jucundus & lætus serenum denuò vultum exhibuit, evanescebant ex ejus pectore angores, ab ipsius corde fugari cernebantur, qui illud obsederant afflictionum exercitus, denique mœstitia in hilaritatem, amaritudines in dulcedines læta metamorphosi subitò vertebantur, unde dixit: *Nunc clarificatus est filius hominis. Quasi corpus ex natura divina consolatione gloriam mutuaret*, inquit S. Hilarius. Utinam hoc loco penetrare possem unde nata fuerit Redemptoris nostri mœstitia, & quamnam habuerit originem improvisa illa Claritas, quâ vultus ejus reserenatus cernebatur? Cur adeò subitaneâ vicissitudine Turbatio in consolationem, atque lætitiam transmuratur? Fortè: ut vult Chrysostomus, persuadere Discipulis suis voluit tempori & occasioni serviendum esse nunc turbationibus & mœstitiæ cedendo, nunc locum dando lætitiæ, & mentis hilaritati; *suadet non solùm lætari, sed etiam tristari?* Regius Propheta David prophetico oculo longè ante futurum esse prævidit, ut omnes totius terræ arbores universalem quandam excitarent lætitiam: *Exultabant omnia ligna sylvarum.* Quodnam, obsecro, est lætum illud faustumque nuntium, ob quod tantus inter omnes sylvarum arbores plausus exciteur? Fortasse, quòd æstati anni illius nulla sit successura hyems, cujus injuriis foliis spoliari possint? Aut vero, quòd deinceps ab impetuosis sævi Aquilonis insultibus minimè sint infestandæ? Vel quia coma earum futuro vere adornanda sit floribus & in autumno pomis aureis locupletanda? Euthymius respondet, quòd sicut ab una terrestris paradysi arbore natæ sunt omnes totius mundi ærumnæ, afflictiones, & miseriæ, ideoque omnes arbores ob unicum illud infelix arbustum lugent & dolent: *Omnes in primo ligno languerunt arbores*, inquit Euthymius, ita quoque ab uno ligno sive arbore in monte Calvariæ plantata, in qua divinus ille fructus pependit, de quo Gabriel Mariæ dixit: *Benedictus fructus ventris tui Iesus*, derivata sunt omnia bona, suamque omnes mundi lætitiæ habuêre originem. *Quia nunc in uno eorum scilicet Crucis ligno exaltari meruerunt*, unde sequitur quòd *Exultaverint omnia ligna sylvarum* Judas quoque arbor verè infortunata fuit, quæ alios fructus non produxit quàm angorem Apostolis: *Et contristati valde*, Christo verò mœstitiam: *Turbatus est spiritu.* Quia verò Filius Dei aliam quandam arborem futuram prævidebat, quæ bonarum sanctarumque operationum dulces, & suaves produceret fructus, id est, S. Matthiam Apostolum, qui Apostolis per suam electionem causa jubili, sibi verò causa gloriæ, & lætitiæ futurus esset, ideo resumpto sereno, ac hilari vultu totus lætus atque jucundus dixit: *Nunc* q. d. ex quo jam de facto Matthiam in locum Judæ feliciter subingredientem video, me refocillari, ac consolari planè persentisco: *Nunc clarificatus est filius hominis.* Unde S. P. Augustinus turbationis Christi rationem reddens dicit: *Iam turbatus est spiritu quia ipse traditor jam fuerat exiturus, ut Iudæos, quibus Dominus ab eo traderetur, adduceret.* S. Ambrosius autem resumptæ à Christo lætitiæ rationem assignans inquit: *Quia necesse habebat, perire filium perditionis oportebat in locum ipsius subrogare filium salutis*, id est, S. Matthiam Apostolum.

Ioan. c. 13. D. Hilar. lib. 11. de Trinit. apud D. Th. in Cat. ibi. D. Aug. apud D. Th. in Cat. ibi. D. Ambr. in Ps. 40. D. Ioan. Chrysost. apud D. Thom. in Cat. ibi. Psal. 95. Euthym. Luc. c. 1. Cajet. in Psal. 95. v. 13. Matt. 26. Ioan. 13. 21.

17. Punctum istud peralium quendam Scripturæ locum obsecro confirmemus. Legitur itaque in Evangelio quòd dum incarnatum Dei Patris Verbum in cœna mensæ accumbens calicem in manus suas accepisset, Discipulos suos hunc in modum fuerit allocutus: *Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* S. Remigius per hoc æterni Patris regnum, cœlestis gloriæ regnum intelligit: *In regno Patris constitutus, id est, in gloria aterna immortalitatis sublimatus vobiscum illud bibam novum.* Verùm siste hic parum, ô S. Remigi, nam Sacer Textus hoc sensu explicatus maximam mihi pati videtur difficultatem, certum enim est quod in cœlo non bibatur liquor vitis, tametsi enim Propheta dixerit: *Torrente voluptatis tua potabis eos*, hoc tamen intelligendum est *metaphoricè & non realiter*, nam animæ beatorum non sunt capaces vini & potus, neque etiam beatorum corpora illo indigebunt, quia glorioſa erunt, neque opus habebunt ut vino sustententur, multò minùs id ipsum appetent; nam in ipsa divinæ essentiæ visione omni imaginabili consolatione, & gustu felicissimè perfruentur. Dubii hujus resolutionem attente velim auscultetis, quia totum hîc latens mysterium ad honorem & gloriam S. Matthiæ explicabimus. Certum itaque inprimis est, quòd vinum symbolum sit, & causæ lætitiæ. Unde Doctor Angelicus dicit: *Vinum latificat cor hominis.* Est igitur superiorum verborum sensus iste, quasi diceret Sapientia incarnata, scitote, ô dilectissimi Apostoli mei, quod ex nunc dum memetipsum vobis sub specie panis in cibum, sub

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. D. Remig. in Cat. D. Tho. ib. fol. 102. col. 3. D. Thom.

Cœna

sub accidentibus verò vini in potum dispenso, tantam in corde meo percipiam lætitiam, tantoque gaudio exultem, ut cor meum gestire, Spiritusque meus jubilare præ gaudii vehementia videatur; Neque tale gaudium deinceps aliquando sum habiturus, donec relicto hoc mundo in cœlos, in regnum scilicet Patris mei adveneto. Verùm nova hîc mihi suboritur difficultas, unde scilicet tanta lætitia derivetur, de qua S. Remigius scribens dicit. *Quasi novo gaudio lætabor.* Vultis scire unde illa nascatur? Inde suam habebit originem, quando in Consistorio Apostolico deficiente Judâ, Matthias electus fuerit; Tunc enim. *Quasi novo gaudio lætabor.* Unde S. Hilarius inquit: *Videtur autem ex hoc, quòd Judas cum eo non biberit, quia non erat bibiturus in regno; Cùm universos tunc bibentes ex vitis istius fructu bibituros secum postea polliceretur.* Ab exclusione nimirum Judæ, sequitur Matthiæ inclusio, cujus electio filio Dei majorem adferet gloriam & jubilum, quando in Paradisi regno consedebit. O felicem Apostolum! O sortem Matthiæ amicam faustam & fortunatam, quæ eum elegisti ut Collegii Apostolici fieret supplementum, indeque damna resarciendo cœlo jubilum adfert, ipsique Deo lætitiam.

D. Remig. ibi. in c. 26. Mat.

18 Verùm enimverò dicat hîc aliquis, nec immeritò, nunquid omnia, quæ hactenus diximus, de Barsaba justo quoque verificari potuissent, si sors illa fortunatissima super illum cecidisset? De hoc minimè dubito. Cur igitur eorum unus Deo plus placuit, quàm alter? Hic fatendum est judicia Dei prorsus occulta esse atque recondita. Veruntamen Dionysius Carthusianus causam hujus fuisse dicit, quòd Barsabas Christi fuerit cognatus: *Barsabas fuit consanguineus Christi, sicque per hoc docuit, quòd ex consanguinitate, aut carnali affectu non sunt homines ad Ecclesiastica beneficia, aut officia promovendi.* Eheu, quàm sunt à similibus electionibus alieni, qui dignos optimèque meritos prætereuntes eos ad maximas dignitates eligunt, qui aliud quàm parentelæ, sanguinis meritum non habent. Quot sunt qui pro emolumento, aut honore Ecclesiæ, ne unum quidem verbum dixerunt, aut pedem suum vel manus nunquam moverunt, qui tamen plurimis aliis, qui in laboribus, & obsequiis pro utilitate Ecclesiæ Dei præstitis, & adhibitis consenuerunt, nec tamen alio, quàm bonæ spei pane pascuntur. Ut quis ad magnam aliquam dignitatem evehatur, hoc solùm sufficit si fuerit cognatus, jam enim omnia requisita, magnisque vel ex hoc meritis abundabit, si nepos fuerit eligentis. Matthias autem ad Christi parentelam minimè spectabat, atque ideo *cecidit sors super Matthiam.*

Dionys. Carth. in cap. 2. Act. Apost. & in ser. de S. Mat.

19. Ad hæc observandum Christum elegisse viros idiotas, abjectos, & viles (prout docet S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus) ne totius mundi conversio industriæ aut sapientiæ humanæ attribueretur. Elegit autem Matthiam, qui *fuit omni virtute ornatus*, ut vel hinc Prælati eos ad dignitates, beneficia, animarumque curam eligere discant, qui de Ecclesia optimè meriti, quì bonam & exemplarem vitam agentes, in virtutibus optimè sunt qualificati: *Ab Apostolis Matthiam doctum eligi voluit, ad insinuandum posteris rectoribus Ecclesiarum, quòd periti viri, non idiotæ sunt ad Clerum & regimen animarum assumendi.* Quòd si beneficium aliquod vacare contigerit, non habeatur ratio privati affectus, nullus detur amicorum, vel Patronorum recommendationibus locus, non moveatur donis & muneribus, sed ad solam idoneitatem & merita dirigatur eligentis Prælati oculus. Sic Archelaus vas aureum nequaquam iis dabat, qui id sine meritis ab eodem poscebant, sed soli dedit Eupidi, quem ob virtutes, aliasque optimas qualitates optimè id meritum esse sciebat. Faxit Deus, ut deinceps caveatur ab omnibus ne ob particulare quoddam interesse aut respectum humanum electis malis boni excludantur; meminerint enim qui hoc faciunt, Deum qui supra nos est videre omnia, qui tandem suo tempore, quando rationes singulorum revidebuntur, de eorum temeritate terribile sumet supplicium.

Dionys. Carth. D. Antonin apud Lorin. in cap. 1. Act. Apost. fol. 57.

Plutar. in Apoph.

PARS SECUNDA.

19. *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Verum quidem est S. Matthiam, totius Collegii Apostolici, quantum ad ordinem, ultimum fuisse, veruntamen quoad dignitatem, & excellentiam nulli est postponendus; nam sic enim cedit, ut hac ratione verificetur axioma illud Philosophicum: *Quod est primum in intentione, est ultimum in executione,* S. Joannes Evangelista in sua adeò mystica Apocalypsi Civitatem cœlestem *à partium enumeratione* mirabiliter descripsit, per illam autem Civitatem Sacri Doctores Ecclesiam communiter intelligunt. Duodecim autem lapides pretiosi, supra quos Civitas illa est ædificata, duodecim referunt Apostolos: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomi-*

Apoc. 21. v. 20.

nomina duodecim Apostolorum Agni. Ecquales autem sunt hi lapides, aut quonam nomine vocantur? Primus est Jaspis qui S. Petrum repræsentat, Zapphyrus Andream, & sic de Calcedonico, Smaragdo, Sardonico, Sardio, Chrysolitho, Berillo, Topazio, Chrysopraso, Hiacyntho loquendum, qui singuli singulos Apostolos significant, ultimus autem scilicet Amethystus, S. Matthiam exprimit. Verùm inquiens cur lapis iste Matthiam, & non alium Apostolum indicat? Quænam est illa Amethysti proprietas, in qua S. Matthiam repræsentat? aut quænam est Sancti hujus prærogativa, in quo Amethysto respondere dici possit? S. Bonaventura dicit humilitatem ejus esse huic lapidi pretioso persimilem: *Humilitas comparatur Amethysto*, qui proinde Matthiæ optimè convenit, cujus nomen interpretatur *Parvulus, id est*, unde *Amethystum Matthiæ assignant propter humilitatem, quàm in nomine ipso parvi ferebat.* Berchorius de Amethysto dicit, quòd hic lapis semel accensus nunquam extinguatur. *Si semel igne succensus fuerit extingui perpetuò non valebit.* Cui consonat, quod Isidorus scribit, scilicet ex Amethysto factum esse alicubi lucernam, eamque accensam in templo ex opposito cujusdam Idoli fuisse suspensum: *Et nullâ tempestate, vel imbre poterat destrui & extingui.* Animatus Amethystus noster in Dei amore adeò vehementer ardebat, ut ad illum in ejus corde extinguendum prævalere nequaquam potuerint sive tyrannicarum persecutionum venti, sive tormentorum tempestates, sive lapidum grandines, imò nec mors ipsa id facere potuit. Verùm est alia quædam hujus lapidis proprietas, eaque inter cæteras specialissima, valdeque eximia, de ea namque Berchorius scribit: *Est gemma rubens, quasi rosa virens, inter cunctos lapides rubeos obtinet principatum.* Optimè igitur Spiritus Sanctus Matthiam in Amethysto repræsentat, quia tametsi ultimus sit in ordine, nemini tamen postponitur in meritis & dignitate. *Inter cunctos obtinet principatum.*

D. Bon. Dict. Sal. tit. 7. c. 2. Lor. in Act. Ap c. 3. v. 13. P. Berch. in Reduct. lib. 11. c. 43. fol. 456. n. 1. Isid. l. 16. 4 de lap. insignior. P. Berch. lib. 11. c. 41. fol. 465. n. 1. col. 2. Et Vinc. Bellvac. Specul. Natur. lib. 8. c. 44. fol. 85. col. 3.

20. Certissima veritas est, quam ab Aristotele edocemur, quòd scilicet *Posteriora generatione, sunt priora perfectione.* Homo in ætate virili perfectior est, quam in pueritia, & tamen pueritia virilem ætatem multo tempore præcedit. Inter omnes potentias, aut sensus corporeos visus in actionum suarum exercitio omnium ultimus est, & tamen simul est omnium nobilissimus: Partes præcedunt compositum sive totum, & tamen hoc longè perfectius & dignius est illis.

Aristot. 9. Met. c. 5. apud Zimaram proposit. 190. & Avicenna 6 natural.

Quod si doctrinalis hæc Regula vera est, cur non quoque in Matthia Apostolo suam exercet energiam? *Posteriori electione, prior perfectione.* Solebant antiqui Morum veluti perfectum prudentiæ symbolum depingere; prouti testatur Valerianus idque quia fructus tardè producens eosdem in omnimodam securitatem & extra omne periculum constituit, ne scilicet à frigore, aut gelu, aut aliâ quavis veri temporis intemperie, quibus aliæ arbores præmaturè ante Morum efflorescentes ut plurimum conficiuntur, damnum aut nocumentum aliquod patiantur. Idem ferè accidit Apostolis, qui ante Matthiam florescere cœperunt; cùm enim in media aspertima Passionis Christi hieme constituti essent Arbores Apostolicæ, maximum à frigore & gelu nocumentum passæ fuêre, nam Judas Dominum & Magistrum tradit, & pro vilissimo pretio divendit, Petrus eum negat, Thomas velut incredulus eum resurrexisse non credit, reliqui *relicto eo omnes fugerunt.* Matthias autem, qui tardius florere cœpit, ab hisce tempestatibus omnibus securus extitit, quia Christum non tradidit, nec negavit, nec fuit incredulus, nec fugit aut eum deseliquit. *Posteriori electione, prior perfectione.* In multis spectabilibus Urbis Romanæ locis, & specialim in Bullis, quas Romani Pontifices edunt, observavi S. Paulum ad dexteram S. Petri ferè semper collocari, id quod mihi varia cogitandi, & speculandi causam præbuit. Cùm enim S. Petrus Apostolorum supremum caput, & vertex sit, sit item totius gregis Dominici Pastor & Papa, utique non solum sanctum Paulum, sed & quosvis alios præcedere Apostolos, & ad omnium dexteras collocari debet. Quis enim unquam vidit quod Cardinalis Summum Pontificem præcedat, ad ejusque dexteram sese collocet? Et tamen id non casualiter, aut fortuito, sed ex deliberata ratione & bono cum fundamento fieri omnino existimo. Videamus an fortè per sequentem historiam aliquod pro hujusce difficultatis intelligentia lumen haurire possimus. De Dario legitur, quod duos habuerit filios, quorum unus Artabanus, alter Xerxes vocabatur, inter hosce postquam adolevissent nata est ingens controversia, uter illorum post patris mortem ad Regni Sceptrum, & Coronam successurus esset. Artabanus id sibi sine ulla contradictione deberi constanter affirmabat, eò quòd primogenitus esset: Xerxes è contra replicabat, quod licet ipse esse secundo genitus, hoc tamen nullum sibi præjudicium, aut impedimentum

In Theatr. vitæ hum. lib. 2 fol. 2542. col. 1. Aresi. Impr. 7. disc. 3. fol. 225. col. 2.

adferre posse, sicut nec primogenitura militare possit in fratris favorem, siquidem frater suus Arthabanus Patri suo Dario eo tempore natus fuisset, quo nondum erat coronatus, sed vitam agebat privatam. Se verò, non obstante quòd secundo genitus sit, tanquam eo tempore Patri suo natum, quando tanquam Rex coronatum habebat verticem plenum jus possidere, ut in sceptrum, & imperium Regni succedat. Fueruntque hæ à Xerxe adductæ rationes adeò fortes, & efficaces, ut in ejus favorem Pater sententiam dixerit, eumque post mortem suam Regni & Sceptri successorem declararit. Facilis est hujus Historiæ ad præsens nostrum propositum applicatio. S. Petrus & omnes alii Apostoli à Christo in filios, & discipulos suos eo tempore electi, & adoptati fuêre, quo in hoc mundo vitam in carne passibili, & mortali agebat, eratque ab omnibus contemptus, & nihili habitus, imò non alio loco, quàm quo filius fabri habetur, æstimatus & agnitus. S. Paulus autem ab eodem Salvatore eo fuit tempore electus, quando in cœlo gloria erat coronatus, quando adorabatur ab Angelis, quando impassibilis erat, & immortalis, ac proinde ipsi præ S. Petro quantumvis is Summus sit Pontifex, præcedentia, & dextera adjudicanda quoque erit. Ita in favorem S. Pauli hanc sententiam Angelicus Doctor S. Thomas de Aquino decidit, dum ait: *Petrus, qui vocatus fuit à Christo adhuc in carne mortali posito, ponitur in Bulla Papæ in sinistra parte: Paulus vero, qui vocatus fuit à Christo glorificato, ponitur in dextera.* Profectò quòd si hæc ratio pro S. Paulo quidquam evincat, cur non quoque eadem pro S. Matthia militare censebitur, utpote qui etiam *à Christo glorificato* ad Apostolatum electus fuit? Imò si dextera veluti locus dignior, S. Paulo assignetur, Matthiæ præ omnibus aliis discipulis adjudicanda est præcedentia & locus sublimior, O benignam Matthiæ sortem, quæ ipsum veluti clientem suum ad eminentissimam dignitatem ac locum sublimissimum extulit!

D. Tho. in Epist. ad Gal. c. 1. lect. 1.

31. O quàm exactè, & punctualiter executus est, ad quod per sortem fuerat electus Apostolatus Christi officium, & ministerium. Scitis utique, quòd Christus Apostolos suos solis titulo honoratit, dicens: *Vos estis Lux mundi.* Num fortè ea de causa fecit, quòd illos eo fine elegerit, ut mundum doctrinâ suâ illuminârent: ab eoque ignorantiæ tenebras dispellerent. Ita equidem S. Hilarius respondet, dicens: *Natura enim luminis est, ut lucem quocunque circumferat emittatur & tenebras interimat; Mundus extra cognitionem Dei positus obscursus tenebratur ignorantia tenebris, cui per Apostolos scientia lumen invehitur, at cognitio Dei clarescat.* Sanctus quoque Remigius eos lucem à Christo appellatos esse dicit: *Quia sicut Sol dirigit radios suos, ita & Dominus qui est Sol justitiæ direxit Apostolos suos ad effugandas humani generis tenebras.* MATTHIAS doctrinæ suæ lucem in Æthiopiam, Palæstinam, & Judææ Provinciam fideliter introduxit, *Cum magno animarum lucro atque profectu, siquidem pollebat doctrina, & vita exemplari, atque miraculis splendebat.* Vel ideo illos à Christo lucem appellatos esse dicere possumus, ut illis hoc nomine innueret, ex nunc valde conditionem illorum dedecere si prætyrannorum aut mortis timore se aliquando subducerent, aut absconderent: *Ne Apostoli abscondantur ob metum, sed tota libertate se prodant, docet eos fiduciam prædicandi*, inquit S. Hieronymus. Dum ei à summo Hebræorum sacerdotum Pontifice indicaretur, alterutrum sibi eligendum esse, scilicet, vel renuntiandum ei esse fidei Christi, vel mortem subeundam, nox apertè & palam est protestatus: *se Christianum esse & pro Christo paratum mori.* Sol hoc nomine non sine mysterio appellatur, quod autem sub tribus illis literis dictionum Sol componentibus latet mysterium Richardus à S. Laurentio in hunc modum manifestat, dicendo quod S. *sua, O omnia, L. largiens* significet. Vere id quidem & acuratè, nam sol non semetipsum, sed alios illuminat, splendorumque suorum aurum toti mundo largitur & dispensat. Cuinam speciosus hic Solis titulus majori cum jure debetur, quàm glorioso nostro Apostolo? utpote qui semetipsum totaliter in beneficium, & obsequium proximi impendit, omnes suas facultates dispensando pauperibus & famem, sitim, labores, & fatigationes, prolixa itinera, calorum æstus, frigoris rigores nihil faciens, peregrè profectus est in Æthiopiam, Palæstinam, aliasque diversas mundi partes fidem Christi prædicando, nullisque pro animarum salute, conversioneque fidelium, nec non Ecclesiæ propagatione pepercit laboribus. Totum quoque seipsum Deo dedit corpus nimirum, sanguinem, vitam, & animam, lapidari item & capite pro Christi gloria truncari lætus & libens elegit, ut Domino suo se totum totaliter donaret, ac proinde. *Matthias idem sonat ac donatus Domino.*

Matth. 5. D. Hilar. in Cat D. Thom. ibi fol. 10. col. 4.

D. Remig. in Cat.

D. Hier. in Cat.

In vita ejus.

Richard. de S. Laur. de laud. B. Matt. l. 11.

Niceph. Calixt. l. 2. c. 4.

B. Laur. Just. serm. de B.

Ecquid

Ecquid demum in beneficium proximi, & gloriam Dei non fecit? *Prædicavit in Æthiopia, magnos labores pertulit peregrinando ex una regione in aliam per varia deserta immanissimis feris plena, & tandem ibi martyrio coronatus est.*

Matth. f. 267.

12. Filius quidem Dei in sui sequelam homines elegit viles, idiotas, omnisque humanæ literaturæ expertes, *Rudes ac illiteratos eligere voluit*, inquit S. Antoninus Archiepiscopus, & tamen hi viri prorsus ignari eruditissimos confundebant sapientiæ præsides, ferocissimos prosternebant, & superabant tyrannos, qui contra Christianismum veluti immanes leones horribiles rugiebant. De Leone etenim Pierius Valerianus scribit, quod oculos habeat in obscura nocte adeo resplendentes ut duas in capite accensas faces esse diceres, unde excitati, & attracti culices oculos ejus involantes, eum aculeis suis adeo pungunt & feriunt, ut Leo illis resistere, punctura sque sustinere non valens se in terram volvat, & revolvat, ungueque suo comam, & cutem in omnem partem scalpendo discutiat, tandem verò cum nullum aliud hunc culicis aculeum evadendi, remedium invenire valeat, in aquam se conjicere cogitur, ut ab hujus animalculi importuna infestatione sese expediat. Per Leonem in sensu mystico tyrannos intelligo, quorum per doctrinam relucentes oculi sunt Idolorum ministri & Philosophi. Parvuli & valde minuti Culices sunt discipuli Christi, qui ut falsæ doctrinæ vanum lumen extinguant, & Philosophos veræ prædicationis & Verbi Dei aculeis pungere valeant per totum concurrere mundum adeo ut Leones, id est Imperatores & Tyranni confusi fuerint, viderintque non sine ingenti stupore ferociam & potentiam suam à duodecim viris abjectis prorsus & illiteratis victam & superatam, ut proinde coacti fuerint in pertinaciæ & confusionis suæ aquis sese immergere, seu potius intra Baptismi se ad veram fidem gratia Dei conversos sepelire: *Apostoli Spiritu Sancto accincti & gladio Verbi Dei inferorum monstra trucidarunt, terræ gygantes & principes Dynastas, humanarum rerum affluentia & gloria claros, ac turgidos, evangelica fidei jugo subjecerunt. Plus valuit apud sæculi potentatus, rusticitas, & paupertas dicentis, quam regalis potentia imperantis.* Matthias inter alios fidem in Judæa prædicabat: Princeps Sacerdotum furebat, & velut Leo quidam ferocitet rugiebat. Matthias Rabinorum suorum, qui falsæ doctrinæ luce in infidelitatis tenebris splendescere videbantur, rationes confundebat, Apostolus illos Catholicæ veritatis rationibus pungebat, & stimulabat. Princeps Sacerdotum, velut Leo impatiens, *indignatus tulit in eum sententiam quod lapidaretur Matthias, & post modum ejus caput amputaretur.* Matthias autem officium Apostolicum, ad quod favorabili sorte electus fuerat, gloriosè exercens vitæ cursum terminavit.

D. Antonin. apud Lorin. in c. 1. Act. Apost. f. 57.

Pier. Valer. c. de Leone.

Andreas Luca de Arcones in Isa. c. 3. v. 3. diss. 12. f. 128. col. 2.

In vita ejus.

5. Voluit autem, uti Abdias Babylonicus scribit, ut discipuli sui simul cum corpore duos illos lapides, quibuscum lapidatus fuerat, sepelirent. Recepta namque temporis illius consuetudo erat, ut res illæ, quæ in vita in delitiis, & veneratione habebantur simul cum homine cujus erant sepelirentur. Sic enim Josue sepultus fuit una cum duobus cultris circumcisionis; Barnabas simul cum S. Matthæi Evangelio; S. Lucas cum vera Beatæ virginis effigie propria manu sua delineata. Sanctus Matthias duos lapides illos quibuscum lapidatus fuerat majoris æstimabat, quam gemmas & monilia quævis pretiosissima, atque ideo cum iis se sepeliri mandavit. Porro in uno illorum lapidum petram illam videre mihi videor quæ de montis cujusdam sublimitate decidens etiamsi parva esset, magnam tamen Nabuchodonosoris statuam percutiens in terram prostravit: alter vero ob oculos mihi statuit petram illam, quam David ex funda in caput superbi Goliath excutiens, tumorem, & elationem mentis simul cum præsumptuoso gigante prostravit. Altaria olim in primitiva Ecclesia, in quibus offerebantur sacrificia, lapidea erant; atque ideo Matthias duos secum lapides sub quibus occubuit sepeliri voluit, ut altare quoddam in S. Maria Majori sibi erigeret suumque corpus in eo Beatissimæ Virgini sacrificaret. Josue populo suo petram quandam post se reliquit in testimonium monitorum bonorum quæ ipsis dederat: *En lapis iste erit vobis in testimonium.* Matthias quoque duos lapides secum in sepulchrum suum intulit ut testium loco apud Deum illos haberet, qui se infidelibus Evangelium prædicasse testificarentur. Israelis exercitus *juxta lapidem adjutorii* securitati suæ consuluit: Matthias quoque duos lapides sepulchro suo secum intulit, eo quòd hi ipsum de victoria adversus Principem Sacerdotum Synagogæ Hebrææ obtenta securum reddiderint. Ut David injustum Saulis Regis erga se conceptum furorem declinaret à Jonatha *juxta lapidē cui nomen est Ezel*, jussus est considere:

Dan. 2.

1. Reg. 17.

Josue 24.

1. Reg. 4.

1. Reg. 20.

Ecce tibi nunc Matthiam in medio duorum lapidum in sepulchro suo jacentem, ut inde evidenter cognoscatur, quod inimicorum Christiani nominis crudelitatem, non timuerit, sed potiùs generosè pariter, & gloriosè superarit. Tandem quia elegantissimum sanctæ Ecclesiæ ædificium felici jam exordio cœptum fuerat, Matthias ad illud perficiendum duos quoque lapides advexit, dicens cum Isaia: *Ecce ergo mittam in fundamentis Sion lapides.* Denique cum duo hi lapides haud secus ac duæ Herculis columnæ sancto Matthiæ Apostolo, tanquam laborum, peregrinationum & functionum suarum Apostolicarum termini; & limites, ego quoque iis utar tanquam duabus columnis, in quibus præsentis discursus mei passus terminem & limitem, dicendo: *Non plus ultra.* *Isa. 28.*

SERMO QUINTUS.

IN FESTO

S. THOMÆ DE AQVINO.

Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium cælum, voce magna clamantem. Apoc. cap. 14.

1. CUncta, quæ in hoc volubili mundo continentur faciem, & conditionem suam persæpè transmutant; nonnulla quidem ex bonis mala alia ex malis bona, alia denique ex bonis meliora evadunt. *Omnia mortalia propter necessitatem naturæ in mutationibus volvuntur, dum antè meliori in deteriorem statum transeunt, aut contra*, inquit Euripides. Unde Poëtæ solita utuntur licentia per fabulosas inventiones sibi repræsentandi vel Deucalionem quendam, & Pyrrham, qui post universale mundi diluvium lectos humi lapides (eos enim matris, hoc est, terræ ossa interpretabantur) post terga jactabant, qui protinus naturali posita duritia, in utriusque sexus homines sint commutati, ii quidem qui à Deucalione jaciebantur, in mares, qui verò à Pyrrha, in fœminas. Vel Midam, qui specialem à Diis obtinuit gratiam in aurum commutandi, quicquid tangebat. Vel Narcissum puerum, qui dum aliquando æstu defatigatus ad limpidissimum fontem bibendi gratia se contulisset, imagine sua in fonte conspecta, sui amore captus est, cumque nulla potiundi amoris spes esset, nimio desiderio contabuit, & in florem sui nominis est commutatus. De Periclymeno Nelei filio itidem fabulantur ei à Neptuno avo concessum fuisse, ut in quas ei visum esset formas se posset transformare. Sic quoque Thetis Nymphæ in varias formas figurasque abibant. Sic Thraciæ mulieres vertebantur in arbores, Iphigentia Agamemnonis filia in Cervam, Diomedis sodales in aviculas, Tyrrheni maris navarchæ in Delphinos, Daphne Ladonis fluvii filia in laurum arborem, Anaxarete puella Cypria in saxum. Imo ipsas quoque quas somniabant, Deitates similibus transmutationibus subjectas esse volebant, ac proinde Jovem jam in Taurum, mox in arietem, deinde in serpentem postea in Satyrum, deinde in cygnum, mox in aquilam, demum verò in auri divitem pluviam transmutatum esse dicere non erubescunt. Verum ne claritati veritatis per addictas fictionum umbras lumen aliquod subministrare velle videar, pluribus ejusmodi figmentis Poëticis recensendis supersedeo. Cæterum an non videmus quod ipsa solis virtus terræ viscera penetrando humores illius in plumbumæs, ferrum chalybem, argentum & aurum commutet? Nunquid in celsissimis montibus, ubi gelidus Aquilo dominium obtinet ex glacie, sive chrystallo ditissimi adamantes efformantur? In Gothiæ regno canum quædam species inveniri dicitur, qui cum autei coloris pellem habeant, consenescentes mare ingrediuntur, in quo natantium pellis in squamas, & canes in pisces mira metamorphosi convertuntur. Nunquid scimus

Eurip. in Hippol.

Ovid. in Meta.

Vinc. Belluac. l. 8. c. 40. &

quod

quod in alti maris sinu herba in Corallum mutetur? Ros quoque qui sub auroram in fœcundæ conchæ sinum labitur, nunquid in margaritam gemmarum nobilissimam transformatur? Nunquid Godolenâ à Beltulfo sponso suo. *Quia virginitatem colere deliberabat*, occisâ terra quæ effusum ejus excepit sanguinem in pretiosissimas fuit gemmas conversa; *Humus in candidos lapillos versa est.* Multiquoque ingeniosioris artis adhibendo industrias facere norunt ex ære argentum, ex Mercurio vero aurum, Imo Solilucem, & igni negabit calorem, quisquis huic Aristotelis axiomati contradixerit: *Elementa fiunt ex alterutris*, cum certum sit quod inter *Elementa Symbola facilior sit transitus.* Ita quoque colores pariter mutantur, nam ut Avicenna scribit: *Albus mutatur in nigrum.* Semen mutatur in virgultu, in spicas granum, flos in fructum, Bombix in Papylionem. Unde bene Poëta cecinit:

Surium t. 4 in vita S. Godol.

Arist. Avicen. ap. Belu. l. 1. c. 148.

Ex aliis alias reponat natura figuras.

Exod. 4. In Indiis corpora humana pulvere contecta, & suffocata, mutantur in petras. Virga Moysis accepta priùs serpentis specie, postea in primitivam virgæ formam rediit: *Projecit virgam, & conversa est in colubrum.* S. Franciscus in eremo Urbani infirmum quendam refocillaturus unico Crucis signo adhibito ex aqua vinum fecit: *Vinum factum est optimum quod aqua pura fuerat.* Magnus quoque Dei servus Nicolaus de Tolentino, dum aquam ex cratere quodam bibiturus vix labia admovisset, aqua protinus in vinum conversa fuit, nec non panis in rosas, quo pauperes alebat. E contrario verò cum B. Epiphan. in maximo caniculæ fervore, in viatores quosdam incidisset, qui propter aquæ defectum una cum armentis suis præ nimia sitis ariditate languebant, *manum extendit ad utrem ubi erat vinum, & utres aqua pleni inventi sunt.* Referunt quoque Historici quod cum magna quædam navis victus annona bene onusta appulisset in littore, pauper quidam mendicus à navarchis pro famis suæ remedio stipem aliquam, sive subsidium è rebus ad victum pertinentibus, quarum navis refertissima erat, postulasset, acciderit quod nautæ petitam eleemosynam abnuerint, dicentes: *Abi hinc nihil est in navi præter lapides*; quibus pauper mox subjunxit: *Faxit Deus ut ita appareat*; & ecce justo Dei judicio, quicquid in navi rerum comestibilium erat, *versum est in lapidem: Dactyli igitur, olivæ, atque alia hujusmodi omnia, genuina retenta forma lapides erant.*

D. Bon. in vita S. Franc. In vita S. Nicol. de Toll.

Greg. Turon. hist. lib. glor. conf. c. 108. Majol. col. 18. f. 791.

Ad Gal. a.

Paulo quoque charitas tanto fervore æstuavit, ut illum in suum Redemptorem quasi transformarit, ut proinde dicere non dubitet: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ad hæc quisquis a veræ Theologiæ dogmatibus non procul abest, sciet utique, quod *ratione unionis Hypostatica Deus factus sit homo & homo Deus.* Præterea quisquis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum dignè recipit, per participationem, ut ait S. August. in alium quasi Deum evadit: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* De spiritu quoque maligno Apostolus ait, quod *Transfiguret se in Angelum lucis* Denique Angeli beati nunquid *applicando activa passivis* speciem, & apparentiam humanam sæpissimè induunt? In tali namque similitudine visi sunt Abrahæ, Agar, Balaam, Jacobo, Tobiæ, Danieli, Tribus pueris in fornace Babylonica constitutis, Prophetis quoque Abacuc, & Zachariæ, Virgini Deiparæ, Pastoribus, tribus Mariis in sepulchro, Petro & Johanni, Philippo & Cornelio millenisque aliis, de quibus passim in Scriptura mentio occurrit. Verum enimvero liceat mihi obsecro, post tot tatarumque transmutationum hic recensitarum numerum, aliam quandam eximiam transformationem adjungere, scilicet, hominis alicujus transmutati in Angelum, cujus hodierna die festivitas solemnissimè hoc in loco celebratur Estque is Thomas de Aquino, qui alias per anthonomasiam Angelicus nominatur, cui proinde præmissi Thematis verba aptissimè conveniunt, scil. *Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium cælum voce magna clamantem, &c.* O Doctor verè Angelice! O Angele humanam carnem indute! vere tu Angelus es, & diceris; talem enim te actiones Angelicæ, quas in totius vitæ tuæ decursu operatus es solemniter canonizant; verè instar Angeli vixisti, tanquam Angelus docuisti, denique tanquam Angelus operatus es, & tanquam verum magnumque Dei Angelum in præsenti discursu vivis te coloribus depingam & venerabor.

D. P. Aug.

2. Cor. 11.

Apoc. 14.

2. Nemo inconveniens, aut impossibile esse judicet, quod homo divina gratia adjutus, ad Hierarchiarum Angelicarum Ordines, & ad gradus gloriæ cœlestis ascendere possit; Nam, ut Tertullianus ait: *Si Angeli factam tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem trastationem susceperunt, cur non & homines facti carnis tanquam Angeli in eadem substantia carnis spiri-*

Lib de Resurr.

tualem subeant dispositionem? Unde Filius Dei pessimis Saducæorum cavillationibus promptè respondens dixit: *Filii resurrectionis erunt æquales Angelis in cælo.* Aliis verò ad assentiendum huic certissimæ veritati renitentibus & invitis, Angelicus Doctor noster subjungit dicens. *Per donum gratiæ homines mereri possunt tantam gloriam, ut Angelis æquentur secundùm singulos Angelorum gradus.* Id quod juxta ejusdem Angelici Doctoris doctrinam in nulla re alia consistit, quam in hoc, quod homines à cælesti gratia ad ordinis Hierarchiarum Angelicarum sublimentur: *Quod est homines ad ordines Angelorum assumi?* S. Thomas autem eo quoque tempore, quo in hujus calamitosæ, & mortalis vitæ miseriis inter alios homines in fragili carne vixit, propter Angelicarum virtutum opera, quibus deditus fuit, Angelus est declaratus, imo meritissimo jure promeruit ut inter eos, de quibus Vincentius Belluacensis scribit [*Homines pro qualitate meritorum statuendi in ordinibus Angelorum*) primus illi loc s assignetur. Vix gressus formare noverat, aut balbutiendo primos efferre vocum accentus, imo priusquam ab usu rationis inter res & ver, scilicet inter panem & lapidem, inter formicas & characteres discernere edoceretur, jam in ipso notabatur non solum ingens ad libros tractandos, & pervolvendos inclinatio, verum insuper quovis alio juvenili illicio sive incitamento neglecto, desideria ejus in nihil adeo vehementer, quam in libros, & chartas videbantur efferri. Hi unicæ ipsius erant delitiæ, hos ubivis secum ferebat, hos pervolvebat, aperiebatque clausos, apertosque denuo claudebat, videbaturque quasi in iis studendo exactissimam illorum habere cognitionem; cum his tempus suum transigebat, his planctus, & flexus ejus, qui puerili ætati frequentes, & proprii sunt, unicè compescebantur, in libris, veluti sacræ ejus indoli valde consonis delitiis, affectus suos unicè habebat defixos: *Dum emitteret vagitus, & lachrymis terram humectaret, statim tamen aliquo proposito, vagitus omnes & lachrymarum imbrem comprimebat; Adeo, ut sicut alii pueri ludis delectantur, ita ipse ablectaretur aspectu librorum, & eorum foliis volvendis.* Quænam, obsecro, sunt hæc prodigia? quænam exinde eruemus prognostica? Notum est, quod quia apes in labiis Pindari puerili visi sunt mellificare, visio ista *Fuerit carmina pandendi Pindaro initium.* Simile quid de Platone quoque legitur, nam quando mater ejus *in myrthetis densis & spissis eum reposuit, examen apum in os ejus insidere cœpit, Platonis eloquentiæ augurium.* Idem quoque S. Paulinus Nolanus Episcopus & alii sancti Ambrosio adhuc infantulo, postea Mediolanensium Episcopo evenisse scribunt: *Examen apum circa os apparuit magni viri, melliflui sermonis præsagium.* Quia igitur sanctus Thomas in teneris infantiæ annis libros manibus suis semper deferre, pervolvere, atque tractare, in iisque delitias suas potuisse visus fuerit, quale inde aliud formari prognosticum poterat, quam quod sanctus Thomas magnus sanctæ Ecclesiæ Dei Doctor futurus esset? in libris enim omnis doctrina continetur; sunt-que hi propriissima virorum Doctorum arma, gratissimaque suppellex. Doctores autem ex officio, quod obtinent, veri Angeli esse noscuntur? *Doctores Ecclesiæ Angeli dicuntur, quia Dei nuntii sunt*, inquit Carthusianorum sanctissimus Patriarcha Bruno. Imò ex iis quæ sanctus Joannes in sua Apocalypsi scribit, singulatem Angelorum hanc esse conjicio, quod scilicet libros manu sua contrectent, & evolvant: *Et vidi alium Angelum, & habebat in manu sua libellum apertum.* Quando Deus librum aliquem alicui consignare decrevit, illum in Angeli manus deponere consuevit: *Et accepit de dextera sedentis in throno librum.* Liber quem Joanni consignare statuerat, prius per Angeli manus transire debet: *Accipe librum apertum de manu Angeli.* Qui libros de cælo habere desiderat, illos ut ab Angelis impetret necessum est: *Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum.* Cum igitur in S. Thomæ manibus dum adhuc puer esset nihil aliud videatur quam libri, cumque in nulla re tantam animi consolationem, quietem, & gaudium positum habuerit, quam in libris, certè eum Angelum, non hominem, aut vero Angelum carne indutum credere debebimus. *Oblectatus aspectu librorum, & eorum foliis volvendis.*

3 Visa etenim à parentibus ingenti pueri hujus inclinatione, & propensione ad literas, eundem religiosis Ordinis sancti Benedicti in Monte Cassino Dei servitio, & obsequio perpetuo dedicatis educandum tradiderunt, ut hi in illa quinquennis pueri tenerrima ætate eum in virtutibus exercitare, eaque eruditione, quæ ad benè Christianeque vivendum necessaria esse dignoscitur, studiosè imbuere inciperent. In hac autem actione duo invenio magnæ admirationis motiva.

Primum

Luc. 20.

D. Th. 1. p. q. 108. art. 8. in corp. f. 1006, col. 2.

Petr. de Natal. l. 34. 181. f. 65. col. 1.

Tho. de Tras. in vita S. Th. Aquin. t. 2, f. 673. col. 1.

Pansan. in Bœoticis.

D. Bruno Carth. 1. Cor c. 2. f. 304. col. 4. Apoc. 10. Apoc. 5.

Apoc. 10.

Ibid.

Primum est, quod Parentes hujus pueri in ejus adeo tenella ætate omnis se erga ipsum paterni, maternique amoris expertes declaraverint, utpote qua illum à domo paterna avulsum, atque ab oculis suis sublatum, in monastici claustri solitudinem transferre potuerunt. Secundum est, quod solus Thomas & reliquorum filiorum nullus alius, sub religiosorum custodia educandus traditus fuerit. Quis hic non agnoscat specialem Dei circa puerum istum providentiam; Sanctus enim Bernardus non dubitat dicere, quod Religiosi Dei obsequiis perpetuo mancipati vitam exerceant Angelicam, Angelorum fungantur officio, ac proinde Angeli passim debeant nominari, quia verè, & effectivè nihil sunt aliud, quam Angeli: *Altissima est professio vestra, par Angelus est, Angelicæ similis puritati.* Atque ideo cum sanctus Thomas sub puerilis carnis suæ amictu spiritum fovebat Angelicum, quo fratres sui minimè fortasse præditi erant, necessum erat ut sub puerilibus annis ad consortium admitteretur Angelorum Corpore tenus in Monasterio quidem degebat, attamen, velut Angelus mente, & contemplatione in cælo morabatur, nullumque præter Deum intellectus sui oculis propositum objectum habebat: *Quamvis parvulus esset, nihilominus tamen res paulò altiores, & cælestes semper inquirebat à Magistro suo.* Magnum equidem Philippus Macedonum Rex habiturus fuisset gaudium, si Alexandrum filium suum inter cæteros coram facie sua exercitii causâ certantes & ludentes juvenes colludentem, & dimicantem vidisset, cumque ad hoc ipsum eum conatus fuisset inducere, Alexander inquit perlibenter me hisce ludendo certantibus adjungerem, si cum æqualibus mihi certandum esset: *Si Reges habiturus essem æquales.* Eodem prorsus modo. Thomas paternam domum deserit, domesticam fratrum suorum consuetudinem, & familiaritatem fastidit, religiosisque Benedictinis Montis Cassini se jungit, ut se à Deo benedictum esse demonstret? Angelorum se collegio ingerit, ut se per Angelicas cogitationes, vitamque Angelo dignam se illis similem redderet & æqualem.

D. Bern.

Tho. de Trus. in vita D. Tho. fol. 673. n. 10.

Plut. l. 3. Apohpt. de Alex. Mag.

4. Postquam autem ab hisce Monasticis Angelis sub gloriosis sancti Benedicti vexillis militantibus imbutus fuisset virtutum solidis documentis, ut in virtutum studio magis, magisque indies proficeret, ad sancti Patris, & Patriarchæ Dominici transitum instituit, de eorum se numero esse declarans, de quibus David dicit: *ibunt de virtute in virtutem.* Verum dic mihi sodes: ô Thomas, cur sacrum Ordinis sancti Benedicti habitum tibi non assumis, qui tibi primos suggessit, inseruit habitus virtutum? Cur inter omnes alias religiones sola sancti Dominici religio maximè tibi arridet; Cur te non in quavis alia Religione Dei victimam offers, & consecras? Certe non est credibile id à te in actione quadam tanti ponderis, & momenti casualiter factum esse, id namque subjecto tantis virtutibus qualificato, atque à prudentiæ dictamine tam bene regulato non est verisimile. Hoc loco aptè menti meæ occurrit avis cujusdam, cui nomen Asteria, mira proprietas, hæc enim Mercurio stellæ mitè dedita, si fortuitò, dum in nido suo pullis suis custodiendis dat operam, amicam sibi stellam comparentem in cælo viderit, nido patiter, & pullis derelictis ad illam non minùs desiderii, quam alarum præsidio protinus evolat, & ardenter consectatur: Simili namque modo Thomas stellam suam in magni Patriarchæ Dominici fronte resplendentem conspiciens, paternum nidum deserit, parentes, fratres, nec non & religiosos Cassinenses derelinquit, suique desiderii alis ad stellam Dominicam protinus evolat. Adhæc ex quo sanctus Thomas Angelus quidam erat, nullam sibi aptiorem & convenientiorem religionem invenire poterat, quam illam. Quod sequenti ponderatione magis liquide apparebit. Cum Abraham ad declinandum Solis æstum, caloriscque excessivum fervorem antevertendum, sub arboris cujusdam umbra in valle Mambre nonnihil respirando curam captaret, tres coram illo comparuere peregrini viatores in ætate juvenili consistentes, & pulcherrimo vultus aspectu decori. Cumque ibi calorem prosequendo illorum itineri nimis importunum futurum esse vereretur, in domum suam ut requiescerent, seque reficerent perbenignè illos invitavit, ubi illos adeo urbanè suscepit, quantum ex facultatibus suis, & optimo charitatis affectu ipsi possibile erat. Mensamque suam lacte, butyro, carnibus, optimisque quæ penuarium ejus subministrare poterat, vinis instruxit, & oneravit. Ab illis itaque liberaliter manducatur, & bibitur, & ut pro accepto beneficio gratos se exhibeant Abrahæ hospiti hæredem nasciturum promittunt *Habebit filium Sara uxor tua* Tamen accepta ab Abrahâ licentia iter suum Pentapolim versus prosequuntur. Porro tres illos peregrinos missos à Deo

Camer. Embl. 63. apud Petrum de Valder. Ser. 5. de D Nic. de Tolent. fol. 192. col. 2.

Gen. 18.

Psal. 83.

Angelos

Angelos fuisse nemo est, qui dubitet, nam id omnes sacri Exposi ores unanimiter, & constanter affirmant. Postquam verò in uno prædictæ Provinciæ civitate appulissent, in domum Loth directè se recipiunt. Hucusque habemus recensitam historiam in cujus enarratione accuratè observanda est temporis, quo in utroque loco Angeli appulerunt, magna differentia, nam in
Gen. 18. Abahæ domum venerunt *in meridie*, quando
Gen. 19. dies clarus erat, atque serenus. Domum verò Loth ingressi sunt *duo Angeli vespere*, cum jam appropinquante nocte tenebrarum obscuritas sese quaquaversum diffuderat. Unde clarè videtur hosce Angelos abiviſse semel indutos veste nigra obscuritatis nocturnæ, de qua Poëta ait:

Solaque nigrantes laxabant astra tenebras;

Stat. 12. Mox verò mutata veste, cum in meridianæ lucis claritate in domum Abrahæ se recepêre; veste candida fuêre induti, ita namque dici vestem
Ovid. 1. Fast. describit Ovidius, dum ait:

Candida te niveo posuit Lux proxima templo.

Meritò igitur Thomas utpote Angelus talem sibi eligere Religionem debuit, quæ in habitu sive veste sua, partim referret *vesperum* nocturnæ obscuritatis, quod fit in pallio nigro, quod in religiosis corporis mortificationem significat, partim vero *meridiei*; candorem repræsentaret, qui in tunica, aliisque vestibus albis exprimitur, quæ spiritus puritatem, conscientiæque candorem insinuant. Unde tanquam Angelus quandam aliam Religionem quam S. Dominici eligere non debuit, utpote quæ veste & habitu utitur Angelis plurimum accommoda, utpote qui & noctis obscuritatem, & diuturnæ lucis candorem aptè repræsentat. Notandum est insuper ad domum Loth duos accessisse Angelos, quorum unus ad subversionem civitatis Sodomæ, alter verò à Deo missus fuerat pro
Abulens. ibi. f. 207. col. 4. Lothi liberatione: *Unus venit ad subvertendas civitates, & alius ad liberationem Loth*, inquit Abulensis. Noster autem Angelus utrique muneri adimplendo abundè sufficit, scilicet ad convincendos hæreticos, & ad liberandam Ecclesiam Catholicam, eandemque ab hæreseos con-
Franc. Lab. t. 3. tagione conservando liberam, & intactam: *Tenebras errorum exterminavit, lucemque veritatis Catholicæ manifestavit.* Quapropter evomat licet impium hoc Orci monstrum temeritatis suæ fumos, dicendo: *Tolle Thomam, & dissibabo Ecclesiam*, attamen quantumvis invitus fateri tenetur, quod Doctoris, & Angeli nostri doctrina, baculus sit, & insuperabilis armatura, qua sancta Dei Ecclesia ab hæreseos insultibus inexpugnabilis reditur atque secura. *prop. de B. Thom. Aquin.*

5. Verum enim vero linguam meam discursus sui gressibus extra propositi mei orbitam procul abiviſse conspicio. Ad ipsius itaque puritiam denuo revertamur oportet, quando nimirum in ætate tredecim annorum sacro magni Patriarchæ Dominici habitu indutus, voluntatem suam tribus votis essentialibus Castitatis nimirum, paupertatis, & obedientiæ, solemniter obstrinxit. O quanto cum impetu plurimi contradictionum venti, illum sunt aggressi, ut a firmo suo proposito eum avellerent; Quot procellosæ undæ in matris, fratrum, sororum, & cognatorum cordibus intumescebant, ut eius constantiam conquassarent, ipse autem, velut fortis Pyramis, quæ *immota manet*. aut tanquam immota rupes, dicebat: *Nec frangar, nec flectar.* Quæ non inierunt consanguinei consilia, ut eum à sanctis suis propositis detorquerent? Mater stagnantibus præ lachrymarum copia oculis illis supplicabat: Fratres eum nunc minis terrere, nunc demulcere blanditiis conabantur, sorores quoque coram eo in genua provolutæ, ut habitum deponeret per omnia sacra illum adjurabant, imo sacrum Religionis habitum, dum in turri quadam captivus sederet, è corpore particulatim dilacerabant, cum tamen ipse tanquam verus & fervens Dei amator, in adamautem quasi conversus, nec fraterni rigoris ferro rumpebatur, nec flammis cedebat iræ, atque furoris *Nec ferro, nec igne.* Neque id mirum est, cum ipse sit Angelus ille, cujus in adducto themate facta est mentio; *Vidi Angelum Dei fortem*, id est, constantem, & inflexibilem. Merito autem S. Thomas Angelus fortis appellatur; Quia hujus humani Angeli, seu potius hominis Angelici fortitudinem nonnisi attoniti prorsusque obstupefacti considerare potestis. Verum quidem est Dæmonem abundare in inventionibus, quibus sanctos Dei servos infestet, atque à constanti ipsorum proposito dimoveat; ad quas inventiones etiam notabiliter pessima illa mulieri spectat, quæ ad inferendum S. Thomæ novissimum pariter & sævissimum, quo prosterneretur, ictum introducta fuit, quam certè veram quandam ipsissimæ pulchritudinis Idæam fuisse *Philipp. Picinel. l. 16. n. 78. f. 422. col. 3.*

dixisses,

Tho de Trus. nbi supra f. 647 n. 20.

dixisses, nisi ipsamet per infernalem quandam furiam malitiosum finem suum detexisset: *Neque verò adhuc fratrum malitia, & indignatio deferbuerat, sed potius in ejus cubiculum faminam quandam non minus procacem, quam formosam induxerunt, ut possent sanctum virum à suo instituto deflectere, & revocare.* Quapropter, ô Thoma, si unquam tempus fuit ut Angeli fortis specimina edas, illud certè nunc vel maximè præ foribus imminere videtur. Quid enim nunc facies, ut à Circes istius Lenociniis evadere possis? Tibine securè promittere poteris quod virginitatis tuæ Lilium, à fumo flammarum istarum, quas pessima hæc mulier in cordis tui stuppa accendere molitur, minimè sit obscurandum; Cave sis, ô Thoma, ne, quæ tibi primo intuitu Dea quædam pulchritudinis esse videtur, tandem verborum lenociniis adhibitis in crudelem mutetur Syrenem? atque ideo quoad poteris Lænam hanc fuge, nam Basiliscus hic vel solis obtutibus veneno te infieit. Fortitudo Samsonis, quæ in expugnabilis erat, ab hujus Dalilæ admotis illecebris labefactata fuit. David, qui ab Ursis, Leonibus, terrificisque gygantibus victoriam gloriosè retulit, ab unico Bersabeæ conspectu turpiter postea victus fuit. Verum, ô lingua mea, suspicionibus nimium anxia & mericulosa sile, & formidare desine, omnemque quoad Thomam metum depone, qui de victoria prorsus securus jam de facto palmam manu sua circumfert. Videbis enim, & admiraberis qualiter virginitas ejus sensuales affectus pede suo conculcatura & in glorioso constantiæ curru triumphatura sit. Thomas, qui in carne Angelus est sine carne, actiones edet prorsus Angelicas.

Judic. 15.

2 Reg. 11.

6. Castus igitur hic juvenis impudicæ hujus Lænæ insidias animadvertens nigrum fumigantemque titionem manu apprehendit, & sic armatam dexteram suam in impudicæ faciem impegit, quæ demum ab Angeli nostri constantia confusa, in fugam se turpiter recepit: *Qui statim illam expulit à suo conspectu, & ardente titione arrepto à toto cubiculo effugavit.* Similis Latici, quæ *illæsa servata*, ab igne sensualitatis lædi minimè potuit. Abi igitur nunc & procul fugias ab oculis Thomæ superata & victa impudica Ceraste. Aridus hic truncus ab igne velut præda ereptus libidinosis incendiis tuis normæ loco serviat. Merito lignum hoc ab igne partim consumptum, in præmium turpiter tentatæ Angelicæ castitatis accipere debes, quæ velut lignum in benè operando aridum, & debitæ prudentiæ fructibus destitutum, in flāmis lasciviæ consilium tuum omne consumis. Infernalis titio, qualis tu es, ô stulta mulier, non nisi ignitos titiones secum adducere potest. Ater hujus ligni color, dum sibi ipsi ipsi lugubri apparatu funeralia celebrat, te quoque sola morte dignam esse insinuat, eò quod gloriosæ cujusdam vitæ, quæ in puritate consistit, privilegia, casto, & pudico Thomæ eripere moliaris. Nunquid vides quod lignum istud parvulas quasdam scintillas ex accensis vaporibus suis edēdo, sua in culpas tuas fulmina vibret? Nunquid audis quod stridentibus igneis linguis temerarias, quas volvis, cogitationes tuas reprehendat? Scin tillæ, quæ ex ardenti hoc titione erumpunt, parvi quidam sunt cometæ, qui improvisam tibi augurantur animæ mortem. Compara atrū ardentis hujus titionis colorem, cum longe atriori scelerum tuorum nigredine, sic enim animam tuam deformiorem, & magis atram esse videbis. Quænam est ista tua ingens stoliditas, atq; stultitia, quod candorem illius Thomæ, qui verus est Paradisi Angelus, contaminare præsumpseris? Profectò libidinosum prophani amoris ignem adeò generosè vincere non poterat, nisi is Cherubinus quidam fuisset cælestis ignis pallio amictus. De niveæ Virginitatis suæ candore expectari aliud non poterat, quàm quod lasciviæ ardoris tui flammam extingueret. Porro sanctus Thomas ut libidinis ignem extinctum esse, glorioſamq; se reportasse victoriam demonstraret, ardentem, quem apprehenderat titionē in tetram projecit, & in extinctis illis carbonibus ejus, quam acquisierat, palmæ trophæum ad vivum effigiatum, atque expressum esse ostendit. Neque hoc mirum erat, ad horum namque fidem facilitandam hoc unicum dixisse sufficiat, Angelus erat,

Picinel. l. 9 c. 7. n. 105. f. 290. col. 2.

7. Inter omnes invicti Juvenis nostri actiones, nulla est, quæ illum verè sanctum esse adeò perspicuè canonizet, sicut ista. Corpus etenim ejus utpote humanum, fragile erat, spiritus autem ejus tanquam Angelicus, fortis erat, & constans. Carne quidem videbatur amictus, in illa tamen extinctæ passiones sensus, tametsi adhuc vivæ essent, attamen per Thomæ castitatem cernebantur mortificatæ hujus Angelicæ vitæ functiones ipsum perspicuis veritatis characteribus Angelum esse prædicabant: *Virginitas Angelos facit*, inquit Hieronymus. Propheta-regius Psalmum quendam concinnavit,

navit, eique hunc titulum præfixit: *Psalmus David in finem*, eundemque postea ad eorum, qui transformabuntur, honorem in cythara sua decantavit: *Pro his, qui commutabuntur?* At vero quinam erant hi commutandi? Hebræus legit: *Pro Soſanim*, ist est, ut S. Hieronymus exponit: *Pro Liliis*, quæ congenito sibi candore excellentiam referunt virginitatis: *Virginitas assimilatur Liliis*, inquit Ioan. à S. Geminiano. Dicere igitur regius Cytharædus volebat, quod Psalmum istum pro iis, qui commutabuntur, id est, pro virginibus componeret: verum in quid hæ commutantur: *Quæ sunt illa, in quæ virgines commutantur?* quærit Hieronymus. Et respondet: *Virgines* quæ transformantur in Angelos. *Quæ ob puritatem vitæ in Angelos commutantur.* Quapropter cum hæc sit genuina virginum proprietas, nosterque virginum purissimus Thomas virginitatem adversus tot sævos sibi intentatos insultus tam fortiter tutatus fuerit, jure merito Angelus fortis appellari poterit: *Vidi Angelum Dei fortem* eritque de illorum numero, de quibus illa sancti Ambrosii sententia verificati poterit: *Angeli sine carne vivunt: Virgines verò in carne triumphant.*

Psal. 44.

Io. à S. Gem. l. 3. de veget. & plant. c. 80 f. 111. col. 3.

D. Hier. in Psal. 44.

D. Amb. de viduis.

8. In Apocalypsi Angelus quidam à Deo in terram missus Ioanni, dum in Insula Pathmos exul degebat, apparuisse legitur, Ioannes autem cum Dei præcepta ab Angelo clarè audivisset priusquam illa arripiendo calamum, & scribendo exequeretur, surrexit, seque ut illum adorationis honore afficeret, in terram coram illo protravit: Angelus autem Joannem ab hoc adorationis actu, utpote sibi minimè debito, prohibuit dicendo, *Vide ne feceris? conservus tuus sum*, *Apoc* 29. quasi diceret: Nulla est inter me & te superioritatis præeminentia, quin potius in servitio & obsequio æquales sumus. Æquales? Ergone nulla est hominem inter & Angelum quendam differentia? Nunquid Psalmista ait: *Minuisti eum, ideſt, hominem paulo minus ab Angelis.* Psal. 8. Imo nulla erat inter utrumque differentia? & ratio est, quia Joannes virgo erat? *Virginitas* autem *Angelos facit.* Unde alius quidam ait: *Existimo eam fuisse rationem, quod cum Ioannes virgo esset, non putavit Angelus illum sibi esse inferiorem, sed æqualem & conservum, & ideo adorationem ejus respuit;* Angelus se à virgine adorari nequaquam permittit, *quia semper est Angelis cognata virginitas*, inquit sanctus Bernardus. Sed quid de virginum castissimo Thoma nostro dicemus, non solum is Angelis reputandus est æqualis, sed & illis superior fuisse censendus est? Thomæ enim Angeli inservierunt: quando lumbos ejus quadam in cælis manibus Angelicis contexta fascia cinxerunt: *Renes cingit manus Angelica.*

Io. Cartag. l. 3 ho. 5, fo. 241.

9. In primo Libro Regum David ad Saulem Regem aliquem misisse legitur, ut filiam ejus Michol sibi postularet in uxorem. Qui illam mox ei promisit: *Dabo eam illi*, nec aliud pro ea à Davide poposcit, quam ut ducentos Philistæis internecioni traderet: *Sic loquimini ad David, Non habet Rex Sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum.* 2. Reg. 18. David in hoc postulato Regi complacere, & satisfacere studuit: *Placuit sermo in oculis David, ut fieret gener Regis.* Unde post non multos dies: *Percussit ex Philistym ducentos viros.* Unde Saul regium verbum suum revocare non valens, plenam promissioni suæ fidem fecit, filiamque suam Michol ei in uxorem consignans, ipsum generum suum esse publicè declaravit *Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam in uxorem.* Quid fit? Saul conjugii hujus, indeque contractæ parentelæ pœnitens, Matrimonium illud inter David & Michol contractum dissolvere decrevit, eoque fine ex absoluta sua authoritate misit, qui sublatam sive ereptam Davidis conjugem Michol Phalti filio Lais in uxorem copularet: *Saul autem dedit Michol filiam suam uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.* Miser David dum hanc injuriam pateretur, ne protervo, & cerebroso Regi sese opponeret, contractis humeris obticuit. Interea verò res omnes Davidi ex animi sententia fluebant? Saulis autem Regis negotia omnia infausto semper omine procedebant. Unde David generosiori resumpto spiritu per Isboseth sibi Michol conjugem suam restitui postulavit: *Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philistym.* Isboseth igitur missis ad domum Phalti viris Michol intercipi, & Davidi remitti strenuè curavit: *Misit ergo Isboseth & tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais.* Hic est historiæ hujus eventus, prout is in Scriptura sacra refertur. Circa quem Cajetanus ingeniosam quandam speculationem instituit. Observat enim quod secundus Michol maritus filius Lais, quando filia Saulis est desponsatus *Phalti* fuerit appellatus: Idem verò postea quando eadem filia ut Davidi restitueretur, ei sublata & erepta fuit,

In ejus off. Resp. 2.

Ibid. n. 26.

Ibid. nu. 27.

1. Reg. 25. n. 44.

2. Reg. 3. n. 1.

Ib. n. 14.

fuit, *Phaltiel* fuerit vocatus; unde Cajetanus cauſam curiosè inquirit, cur dum hujus filii Laïs ſecunda vice fit mentio, eius nomini hæc ſyllaba *El* adjuncta fuerit? Cui quæſtioni tandem idemmet interpres ideo id factum eſſe reſpondet, quia *Phalti* idem ſignificat, quod homo, ſimpliciter, & ſine addito: *Phaltiel* autem interpretatur Homo Angelicus; Et enim rem Angelicam ſignificat unde in fine nominum Angelicorum ſemper adjungitur: dicendo: *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*, Phalti enim cum eſſet vir timoratus, ſciretque Davidi à Rege Saule gravem fuiſſe per Michol ereptionem factam injuriam, procul ab ea ſequeſtratus ſemper remanſit, illamque tanquam conjugem ſuam nunquam cognoſcere voluit, ſed intra continentiæ terminos, quos nunquam tranſgreſſus erat, ſeſe continuit. Unde motus eſt Spiritus ſanctus ut illum *Phaltiel* appellando, velut Angelum Domini ſolemniter canonizarit. *Notant Hebræi quod iſte appellatus eſt Phalti in primo libro, quoniam Saul dedit ei Michol in uxorem; Modo autem appellatur Phaltiel, ita quod adjunctum eſt ejus nomini El, ea ratione, quia nunquam cognovit Michol, eo quod ſciebat eſſe uxorem Davidis, nec repudiatam.* Advertendum autem eſt hic, quod virginitas majorem prærogativam dicat, quam importet continentia, quia continentia non includit neceſſario virginitatem, poteſt enim aliquis continens eſſe, qui non eſt virgo, cum tamen econtra virginitas continentiam infalibiliter includit, adeo ut nemo eſſe virgo poſſit, qui non ſit ſimul continens: Atque ideo cum Thomas vivacisſimo annorum ſuorum flori, virginitatis quoque florem adjunxerit, eandemque per hero cos continentiæ actus conſtantisſimè conſervarit, dum illam, veluti ſcutum ad ſe ab impudicæ tentatricis infeſtationibus, tutandum adhibuit, quando *titione arrepto eam expulit à ſuo conſpectu, & à toto cubitulo effugavit*, meritò Angelus, non verò homo appellandus cenſetur, utpote cujus vitæ actiones non humanæ, ſed Angelicæ extiterint. *Vivere in carne, ſine carne angelicum eſt.*

Ib. n. 15.

Cajet. in 2. Reg. 23. n. 15. fol. 114. col. 2.

Petr. de Natal. l. 1. c. 181. col. 4. f. 64

10. Sadducæi, qui mortuorum reſurrectionem negabant, Filium Dei convenerunt, ut indiſſolubile quoddam argumentum ei proponentes eum obmutescere facerent? Dicebant igitur: Magiſter eo fine te accesſimus, ut difficultatis cujuſdam, quæ mentem noſtram non parum torquet, à te reſolutionem acciperemus, eſtque hæc: Supponimus etenim verum eſſe mortuos ſuo tempore reſuſcitandos eſſe: Similiter ſcimus quod Lex Moyſis ſtatuat, quod ſi uxoratus quiſpiam ſine libetis morruus fuerit, frater mortui relictam viduam ducere debeat, eoque etiam ſine relicta prole ex hac vita diſcedente, idem ſucceſsive omnes alii fratres ſimiliter facere debeant: *Accipiet eam frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.* Deuteronomi 23. Accidit igitur quod circa haſce partes ſeptem fratres fuerint, quorum primus accepit uxorem, & mortuus eſt ſine hæredibus. Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine filio, id quod aliis omnibus pari modo evenit uſque ad ultimum, qui ſeptimus erat. *Luc. cap.* 20. Tandem quoniam nullus in hoc mundo æternaliter vivit, ipſa quoque mulier diem ſuum obiit: *Noviſſima omnium mortua eſt mulier.* Hic jam naſcitur difficultas, quiſnam poſt reſurrectionem ex omnibus hiſce ſeptem maritis ad vitam una cum muliere reſurgentibus, futurus ſit talis mulieris maritus: Certum eſt inprimis, quod non omnes ſimul illius mariti eſſe poſſint, cum idipſum Lex Moſaica graviter vetet: neque dici poteſt quod ex omnibus unus ſolus illam ſit habitutus conjugem, cum non major ratio pro uno, quam pro altero militet: *In reſurrectione ergo cujus eorum erit uxor?* quidnam ad hanc noſtram difficultatem reſpondebis? audite, ô Auditores, reſolutionem ab increata Sapientia Saducæis datam. Poſt reſurrectionem tam viri, quàm mulieres à vinculo conjugali liberi erunt, omniaque matrimonia ceſſabunt, ut nec de maritis, nec de uxoribus ullus deinceps futurus ſit ſermo: *Neque nubunt, neque ducunt uxores, Æquales enim Angelis ſunt.* Verùm, ô Domine, fateor equidem Saducæos nec datâ reſponſione confuſos obmutuiſſe. Veruntamen hæc tua reſolutio mihi nequaquam per omnia ſatisfacit. Nam dic mihi ſodes, quâ ratione omnes prædicti viri, & mulieres Angelis ſimiles eſſe poterunt? Undenam hæc ſimilitudo exurgat? Nunquid audis undenam hoc futurum ſit? *Non nubunt, neque ducunt uxores.* Ecce tibi cauſam. Et quiſnam inde effectus ſequitur? *Æquales Angelis ſunt.* Caſtitas igitur homines Angelis æquales efficit. Unde Cyprianus ait: *Cùm caſtè vixeritis virgines, Angelis Dei eſtis æquales.* Quanto igitur majori jure tibi, ô Thoma, Angeli prærogativa debetur? Quod enim poſt reſurrectionem viri, &

Ib. n. 23.

Ibid. n. 35.

mulieres castè vivant, nihil mirum in se habet, quia tunc subsidebunt omnes carnis, & sanguinis bullitus, omniaque carnis incentiva extincta erunt, pulchritudo corporis neminem commovebit, nec carnis illecebræ deinceps seducere quempiam poterunt: at vero quòd hic noster adolescens castissimus qui pallium suum velut alter Joseph, post se non deserit, sed arrepto titione tentatricem aggreditur, qui non sicut Joseph fugit, sed Venerem quandam in fugam convertit, cùm tamen adhuc vivat, cum non sit lapideus, sed carne & sanguine mortali constet, cum sensualitas in ipso vigeat, cùm oculos habeat ad hanc pulchritudinem videndam satis perspicaces, nihilominus in vicem concupiscibilis irascibilem eo ipso adhibeat, quo *ritione arrepto eam expulit à suo conspectu, & à toto cubiculo effugavit*, id certe longè magis mirandum est. Unde si vera est à Christo Domino Saducæis data resolutio, quod qui non nubunt *Æquales Angelis sint*, Certè *Thomas æqualis Angelis est*, sed Angelus fortis & constans: *Vidi Angelum Dei fortem:*

11. Utique cùm aliqua reflectione sæpiùs mirâ illam audistis historiam, quam S. Lucas in Actibus Apostolicis de S Stephano loquens adducit, scilicet, quod eo tempore, quo S. hic Prothomartyr cum Libertinis, Cyrenensibus, & Alexandrinis, aliisque, qui è Cilicia, & Asia erant disputabat, observatus fuerit in Sancto Prothomartyre vultus Angelicus: *Et intuentes eum*, non unus tantum, vel duo quasi aliquo particulari erga Stephanum affectu moti, sed *omnes, qui sedebant in Concilio viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Quis unquam vidit novitatem similem? quod si enim Stephanus homo est, quomodo Angeli vultum præ se ferre potuit? Cur corpori humano non similiter humana respondet facies; Unde hæc faciei humanæ in Angelum facta transmutatio procedit? Num fortè à Spiritu Sancto, qui per quandam gratiæ plenitudinem in ejus pectore residebat? aut quia maximam in disputando sapientiam demonstrando Angelus potiùs esse credebatur, quàm homo? aut vero quia impostoras quibus illum falsi testes calumniabantur cum patientia plusquam humana sustinebat? varias hujus immutationis causas Scriptores adferunt. Lyranus dicit: Ex *quadam pulchritudine & claritate sibi divinitus data, ad declarationem suæ sanctitatis & innocentiæ.* Hugo Cardinalis: *Præfulgore terribili, vel pulchritudine candoris, & verè Angelus erat, id est, nuntius voluntatis Dei.* Eusebius Emissenus, & Hilarius Arelatensis: *Abundantia cordis transit in decus corporis, in exterioris gloriam candor interioris exundat, & abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiat; habens intra se Spiritum Sanctum, dos præ se gestat Angelicum.* Alii verò dicunt, quòd ad hoc ut crescente fidelium numero Apostoli in divina sua vocatione prædicandi Evangelium persistere possent, iidem septem alios viros sanctos, & justos elegerint, eosdemque fidelium custodiæ præsides egerint, qui cuilibet partem suam dispensarent, inter hos autem unus fuerit Sanctus Stephanus: *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto*, cui proinde viduarum cura incumbebat, *eò quòd despicerentur in ministrio quotidiano viduæ eorum*; inter quas sanctus hic Diaconus tanta cum puritate conversatur, ac si Angelus quidam fuisset: Atque hinc est, quòd *jure meritissimo facies ejus illuxit sicut facies Angeli & Angelo ei nomen aptissimè tribuitur.* Et Sanctus Pater Augustinus ait: *In amico Angelorum Angelica similitudo apparuit* Verùm enimverò tametsi Stephanus castissimus fuerit, ipsa tamen Stephani puritas, quâ inter viduas egit, à suo contrario infestata, aut impugnata minimè fuit: Thomæ autem castitas ab impetuosis impudicæ illius mulieris sollicitationibus magnoperè tentata fuisse scitur, ac per consequens Angeli nomen majori ei jure debetur, Et *Angelinomen aptissimè tribuatur.*

12. Porrò ad labe factandam Thomæ constantiam fratres ejus ingeniosiorem, magisque vigorosam hac muliere inventionem excogitare minimè potuissent; Quod ut ostendam, sequentem Scripturæ locum velut lydium lapidem adhibebo. In Numerorum Libro scribitur, quod Propheta Balaam populo Israel, prout à Rege Balac rogatus fuerat maledicere nequaquam voluerit: at vero, quia ex altera parte considerabat, quod nisi Regis Balac voluntati condescenderet jacturam faceret omnium donorum & ditissimorum munerum, quæ dictus Rex ei promiserat, dicens *Paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi.* tametsi timor Dei ipsum retraheret, desiderio tamen regit muneris atq; favoris ipsum ad satisfaciendū Regi instigabat. Unde ne gratiā Regis totaliter amitteret, consilium ei suggessit, firmiter promittens, quòd si illud exequeretur fideliter, futu-

Act Apost. c.6.

Lyran. in Gloss. fol. 1046.

Hugo

Card ibi. fol.160. col.6. Et Interlini. Eusеb Emiss in Gloss. ord. ibi. fol. 1045. Hilar. Arelat ser. de S. Steph. apud Korin & Cornel à Lap in Act. Apost

Lorin. ibi. fol.217.

Num. 22. n.17.

futurum esse, ut semper maneret victoriosus: *Do tibi consilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Quidnam autem Balaam per hocce consilium Regi suaserit, Scriptura non exprimit. Illud tamen Rabanus Archiepiscopus Moguntinus non obscurè insinuat, dum in Balaam persona loquens dicit: *Populus hic non propriis viribus, sed Deum colendo vicit & pudicitiam conservando,* q. d. Puritas illos fortes & inexpugnabiles reddidit, unde si de ipsis reportare cupis victoriam, hanc perdendi & labefactandi illis suggere occasionem: *Si vis eum vincere, primo eorum pudicitiam dejice. Non virtute militum, sed mulierum de ore pugnandum, nec armorum rigore, sed mollitie fœminarum. Procul ergò hinc procul amove armorum manum, & electam congrega speciem puellarum. Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincentur à specie, qui non vincuntur ad prælium.* Istud fuit consilium à Balaam Regi suggestum: *Hæc fuerunt consilia Balaam.* Quæ cum proposito suo viderentur esse aptissima, eadem subitò executioni mandavit: *Quibus acceptis Balaac Rex parat continuò exercitum non armis, non viribus, sed fœmineo nitore compositum, non furore bellico sed libidinis flamma succensum* Cognati Thomæ nostri fœminam quandam pulchritudine & impudicis illecebris armatam ad eum expugnandum dimittunt: Ipse verò non aliis armis, quàm accenso quodam titione intrepide cum illa dimicans, puritatis suæ inimicam vertit in fugam, abegit & heroicè vicit, ac tandem de illa in gloriosa virginitatis quadriga positus triumphat Qua in re se Angelum illum fortem esse, cujus in themate facta est mentio declaravit: *Vidit Angelum Dei fortem.* Fatendum est quidem magnum ad hoc, generosumque animum postulari, ut quis ingentis cujusdam armati exercitus potentiæ, & viribus resistat: at verò mulierem quandam Veneream, libidinosam, pulchritudine corporis armatam in fugam vertere specimen fortitudinis est inauditum, ad hoc namque heroicum facinus Angelica fortitudo requiritur: *Bella gentium legimus* (inquit Chrysologus) *superasse quamplurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse, audivimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt, stetisse inter sævientes gladios, & inter enervata lenocinia corruisse.* Id quod efficacissimè ex antiquorum Romanorum historiis comprobatur, è quibus Hieronymus scribit, quòd si fortè eo tempore quo victoriosi bellatores suos per urbem Romanam celebrant triumphos, contigisset ipsos è Virginibus Vestalibus aliquam habere obviam, soliti fuerint cum toto suo triumphali apparatu sistere, eisque transitum cedendo honorem maximum exhibere; nimirum hæc per sensualitatis incentiva, quæ adversus puritatem sævissimè pugnant, cùm illis protinus certabat, & facilem reportabat de illis triumphum Cùm igitur Thomas noster equotimoris Dei insidens, virginitatis ense accinctus, & titione loco hastæ munitus formidabiles impudicitiæ, & libidinis exercitus gloriose vicerit, justum est ut illi gloriam hanc cedant omnes Athletæ Paradisi, ut nimirum æquissimo jure Angeli fortis nomen per antonomasiam obtineat: *vide Angelum Dei fortem.*

Rabanus Maurus in Num. lib. 3. fol. 197.

Idem ibid.

D. Petrus Chrysol.

D. Hier. t. 2. lib. 1. adversus Iovinian fol. 39. B.

13 Verùm enim verò tametsi ob virginitatis meritum eximius fuerit: non minùs tamen Doctrinæ titulo celebris, atque famosus extirit, propter quam Doctoris Angelici nomen passim apud omnes obtinuit. Neque vobis mirum videri debet, quòd Doctrina ejus Angelica appelletur, nam si urbs illa quæ mundi caput est, eò quòd à Romulo fuerit ædificata Romæ nomen accepit, Constantinopolis à Constantino, Saragoza à Cæsare Augusto, Insula Icaria ab Icaro, per optimam consequentiam infertur; quòd cùm Magni Aquinatis doctrina passim ab omnibus velut Angelica recipiatur, suam quoque ab Angelo quodam habuerit originem, Porrò de hoc sancto Doctore legitur quòd dum adhuc hactenus sub nutricis custodia degeret, contigerit, quod chartulam sive scedulam, quandam forte cœlitùs ipsi datam, atque à Maria missam in sanctis manibus suis habuerit, in qua Salutatio Angelica pulcherrimis characteribus scripta legebatur: *Nutrix invenit chartam in manu sua Angelicam salutationem solùm continentem.* Nutrix quidem persæpè omnem adhibuit diligentiam, ut hanc ab ejus manibus eximeret, Infantulus autem, ut de illius possessione securior esset, scedulam illam ori protinus immisit, & deglutivit. O quàm pulchrum hic latet mysterium, Nôstis equidem, quòd omne id, quod manducatur, *in substantiam aliti convertatur,* cùm igitur hic Infantulus cibo fuerit pastus Angelico, quid mirũ si in Angelũ evaserit Veruntamen ad speculationes sublimiores nonnihil erigamur, Dicite sodes, si nôstis, quam ob causam Lex Mosaica denominationem suam ab igne acceperit? *In manu ejus ignea lex,* sive: *In dextera ejus ignea lex.* Quid præcepta cum igne commune

D. Vinc. Ferrer ser. de D. Th. fol. 46.

Deut. 33. n. 3.

mune habent? Pro hujus igitur quæstionis intelligentia sciendum est, quòd eo tempore quo Moyses adhuc infantulus existens Pharaonis brachiis insedit, manum suam in caput Regis extendens regium diadema à vertice sublatum in terram projecerit, quam pueri temeritatem Pharao admiratus, & sinistrum inde eventum secuturum ominatus, puerum hanc temeritatem vitæ jacturâ luere voluit. Quod Satrapæ intelligentes, illum nihil timere adversi, sed forti animo esse suaserunt, cùm enim infans nullo adhuc polleat judicio, nihil certius esse, quàm quòd actio illa pueri casualiter omninò acciderit: Addebant autem quòd majoris securitatis & certitudinis causa adduci possent coram puero carbones accensi benè multi; tunc enim si ad illos contingendos puer manus extenderet, certissimum sese proderet puerilis simplicitatis indicium. Allatos igitur in medium carbones Moyses cùm conspexisset, mox dexteram suam extendit non solùm ut illos tangeret, verùm etiam eosdem apprehensos ori immisit, indeque os & linguam suam vehementer adurendo læsit, ut proinde Deo, qui cùm, dum ad maturam ætatem veniisset, ad Pharaonem tanquam Oratorem, & Legatum suum ablegare voluit, jure meritò dixerit: *impeditioris & tardioris linguæ sum.* Dicunt igitur nonnulli Scriptores, quòd cùm Moyses acceptam à Deo Legem eodem ore promulgarit, quo cùm ignitos & accensos carbones manducavit, ideò Lex illa, *ignea Lex*, appellata fuerit. Tota hæc historia refertur ab Josepho Hebræo Magistro Historiarum, & S. Vincentio Ferrerio: *Aliqui dicunt factum esse ex ignorantia & pueritia, sed ad hoc probandum & experiendum posuerunt in manu sua prunam de igne, id est, carbonem ignitum, quem immediatè misit in os.* Et subjungunt ulterius: *Quod ex illo carbone ignito, vel pruna, quam apposuit ori, non fuit eloquens*: Tandem verò ad nostrum propositum concludunt: *Pruna ignis significabat Legem Dei, quam Deus in forma ignis sibi tradidit, & Moyses ore suo exposuit populo, & publicavit.* Unde infero quod cum S. Thomæ doctrina passim appelletur Angelica, signum manifestum sit, quod eadem ab intellectu, ore calamo alicujus Angeli fuerit derivata, & scripta: *Angelicum enim intellectum habebat, unde meritò Angelus humanus, vel homo Angelus dici potest.* Verè igitur Angelus fuit, qui doctrina sua vocem tonitrui edidit, quæ per totum mundum mirabiliter resonat, vocem, quæ Hæreticos perterrefecit, doctrinam, quæ infideles & sanctæ DEI Ecclesiæ inimicos in stuporem adegit. *Vidi Angelum Dei volantem per medium cælum, & clamantem voce magna.*

Ioseph. Hebr. lib. 2. antiq. cap. 1.

Exod. c. 4. n. 10.

Vinc. Ferer ser. de D. Th fol. 46. col. 3.

Ioseph. Hebr. & Magist. Historiar.

Franc. Lab. t. 5. prop. de D. Thom. Aquina.

14. Quadriga illa, quam Ezechiel Propheta conspexit, theatrum quoddam fuit profundis mysteriis refertum. In qua ad præsens nostrum propositum quatuor illa animalia duntaxat considero quadrigam illam post se trahentia, hominem nimirum, Leonem, bovem & aquilam: *Similitudo vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Certissimum est quod per hæc animalia non tantum sacri Evangelistæ, verùm etiam Doctores Ecclesiæ intelligantur, ideoque ad hoc comprobandum Patrum authoritatem adducere superfluum omninò existimo. Enimvero Propheræ hæc animalia semel vidisse non videtur sufficere, ideoque ad eadem iterato conspicienda redire voluit, & tunc quidem cum singulari attentione animalium istorum faciem considerans, dixit: *Facies una facies Cherub; & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* In hac secunda visione bos non videtur, sed loco bovis Cherubinus quidam conspicitur: *Facies una facies Cherub.* Quodnam est hoc prodigium? Ergone bos paulatim in Cherubinum convertitur? Juratem utique Deum visionem istam per modum cujusdam Propheriæ alicujus revelasse, quæ suo tempore in persona magni Doctoris sanctæ Ecclesiæ Thomæ de Aquino adimplenda & verificanda esset. Audite expositionem, si libet. Bos iste S. Thomam haud dubiè repræsentat, qui in schola Parisiensi ab Alberti Magni discipulis, *Bos mutus* appellari solebat, eo quod magnus esset amator silentii. Hic autem bos ob eminentem scientiam suam in Cherubinum quendam est transformatus: *Facies una facies Cherub*, quod idem est, ac *Plenus scientia.* Quam veritatem scriptor quidam modernus præclarè authenticam reddit, dum ait: *Bos in Cherub, qui plenitudo scientiæ interpretatur, commutatus postmodum apparuit quasi à cæteris animantibus victoriam in scientiæ plenitudine retulisset. Vides quomodo omnibus prælatus bos fuerit, quasi regnandi artis omninò gnarus, & scientiæ plenitudinem adeptus.* Id autem quod Albertus Magnus dixit, nimirum, bovem eum daturum esse aliquando mugitum, ad cujus sonum totus mundus in admirationem sit rapiendus:

Ezech. 1.

Ezech. 10.

Petr. de Natal. l. 3. c. 181. fol. 65. col. 1.

Io. Ant. vult. 3. l. 3. annot. 12 Abrah. Brov. in Conc. S. Th fo. 51. a. 5. col. 1.

dus: *Bos iste mutus talem mox edet mugitum, ut sonum ejus totus admiraturus sit mundus*, id inquam magnam indicat cum assumpto themate nostro consonantiam: *Vidi Angelum Dei voce magna clamantem*.

D. Th. 1. p. q. 58. a. 3. fol. 600. 15. Vera Angelorum Dei proprietas est, quod sunt veraces: *In Angeli cognitione non potest esse deceptio & falsitas*: E contra verò Angelorum apostatantium, & rebellium accidens est inseperabile, quod sint fallaces. Verè igitur Thomas noster Angelus fuit, quando enim unquam sive è lingua, sive è penna verbum aliquod emanavit, quod cum veritate consonum non fuit? sanctus Thomas in pectore suo Sole conspicitur insignitus, idque non solùm ideò, ut per hoc demonstretur ab ipsius mente, lingua, & calamo non solùm ignorantiæ umbras, sed & falsitatis tenebras procul exulare, adeò ut quidquid uspiā dixit, aut scripsit, verū, imò ipsissima veritas fuerit. Unde de ipso verè affirmari potuit: *In Thomæ cognitione non potuit esse deceptio & falsitas*. Imò si vel minimum quid a sancto Thoma dictum, aut calamo exaratum fuisset, quod à veritate fuisset alienum, Deum obligatum fuisse existimo, ut faceret idipsum tevera veritati consonare. Revocate, obsecro, in memoriam id, quod Crucifixus illi quondam edixit: *Benè scripsisti de me Thoma*, hoc est, quicquid à te in tua Theologia scriptum est, veritas est. Imò etsi Thomas fortasse aliquid à veritate dissonum docuisset, obligatus fuisset Deus idipsum in veritatem convertere, ad hoc ut ita perspicuum fieret quod in Thoma velut in Angelo *non potest esse deceptio & falsitas*. In qua opinione magis confirmor per id, quod in vitæ religiosæ primordio ei evenisse legitur. Contigit enim quod dum pro sustentatione pauperum Christi aliquas panis reliquias sub sacra veste portaret absconditas, Domus superiorem sibi obvium habuerit, à quo quid sub veste sua absconderet, rogatus, ne actum illum charitatis in pauperes manifestaret, dicente Salvatore: *Matt. 6.* *Cùm facis Eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*. Panem verum sub rosarum foliis & specie manifestavit, dicendo: sunt Rosæ. *Pronuntiarat Thomas fragmenta panis esse Rosas*. Quid hic DEUS faceret? Ne vel minima oborti suspicio posset Thomam id quod verum non erat, affirmasse, cùm Sanctus Thomas vix hæc verba *sunt Rosæ*, dicendo finivisset, subitò Deus operatus est miraculum & panem in rubicundas, fragrantesque rosas convertit. Nec mirum, quia Thomas Angelus erat. *Et in Angelo non potest esse deceptio, & falsitas*. Eo ipso igitur, quo Dei Filius Sancto Doctori dixit: *Benè scripsisti de Thoma*, satis evidenter testatus est, quod in Thologia sua, & in cunctis, quæ scripsit, ne vel una sit syllaba, vel comma, quod omnimodam in se veritatem non contineat. *Doctrina Thomæ omnem veritatem admittit*. Innocentius Papa VI. authenticè pronuntiavit. Ex sermone Angelus manifestè cognoscitur: Invictus ille patiens Jobus quondam dixit: quod *Deus in Angelis suis reperit pravitatem*. Nequaquam verò tale quid in Sancto Thoma deprehendi potuit, cùm ipsemet Dei Filius declaraverit quod in cunctis libris, & in omni eo, quod de ipso scripsit, ne umbra quidem pravitatis reperiri possit, sed, quicquid in iis continetur, mera sit bonitas, & veritas. *Bene scripsisti de me*, quantum ad Divinitatem, & quoad omne illud, quod ad veritatem essentiæ, & Personarum Trinitatem pertinet. *Benè scripsisti de me*, quod spectat perfectiones meas, Bonitatem scilicet, Infinitatem, Immutabilitatem, Æternitatem, Cognitionem, Scientiam, Visionem, Veritatem, Potentiam, Voluntatem, Potestatem, aliaque attributa. Benè scripsisti de me quoad Processiones, Personas, Relationes, Proprietates, & actus nationales, item quoad generationem & spirationem, denique quoad omnes operationes *ad intra*: *Benè scripsisti de me* quantum ad Beatitudinem, & operationes *ad extra*, quales sunt creatio pertinens ad creaturas spirituales & Angelicas, corporales, animatas, inanimatas, viventes, non viventes, rationales, & irrationales. *Benè scripsisti de me* tum quatenus homo, tum quatenus Deus sum, quoad ad substantiam modum, & ordinem Incarnationis, Conceptionis, Nativitatis, vitæ, actionum, miraculorum, Sacramentorum, itemque respectu materiæ, formæ, ministrorum, suscipientium, usus, rituum &c. *Benè scripsisti de me*, id est, de Passionis meæ circumstatiis causis, affectibus, de satisfactione, morte, Redemptione, Resurrectioe, Ascensione & Glorificatione.

P. Innoc. Sextus.

Iob. c. 4.

Apud Th. de Trus in vita ejus.

16. Refert Surius quendam Dei servum, cui nomen erat Paulus Esquilinus, vidisse in Spiritu Sanctum Thomam in Schola Neapolitana publice legentem, ejusque lectionibus assistentem & diligenter eas auscultantem Sanctum Paulum Apostolum: *In Cano-*

bio

Laur. Sur. in vita D. Tho. & Th. de Trus in ejus vita fol. 677. col. 1. a. 40.

bio Neapolitano *in visione imaginaria vidit Thomam in frequenti auditorio legentem, & Apostolum Paulum ingredientem in Scholas.* Quid hic audio? Ergone Paulus Thomæ lectionibus docetur? Doctor gentium fit Divi Thomæ discipulus; Apostolus, mundi Magister cælorum scholas relinquit ut in Divi Thomæ schola eruendus admitti possit? Nolite mirari, Auditores, nam Sanctus Apostolus quando in tertium usque cælum raptus fuit, ab Angelis Theologiam edoctus fuit, id enim significant illa verba,

2. Cor. 12. *Audivit arcana verba*, id est, excellentissimas doctrinas, maximorumque mysteriorum percepit intelligentia m, *Vbi Paulus didicit?* (interrogat sanctus Vincentius Ferrerius) *Potest dici in cælo Empyriali in Schola Angelorum tribus diebus studuit.* Et sanctus Maximus subjungit: *Tertium raptus ad cælum, & Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod hominibus prædicaret.* Verùm tres tantum dies sancto Apostolo non videbantur sufficere ad hoc ut eam sibi sapientiam compararet, quæ ad divinæ sapientiæ tantum Magistrum, infinitarumque gentium Doctorem meritò requiritur: ac proinde scholam S. Thomæ frequentat, ut quod studiis suis deerat, sub tali Doctore proficiendo complere valeat. Verùm siste hic paulisper, dicet fortasse aliquis, cur non quæsivit doceri in schola Magistri sententiarum, vel magni Dionysii Areopagitæ, vel Augusti literarum Patris Augustini, aut aliorum similium? Haud dubiè ideò non hor m scholas, sed sancti Thomæ Archigymnasium adire voluit, quia cùm in cælis Angelos habuerit magistros, à quibus doctrinâ verè Angelicâ fuerat imbutus, eandem doctrinam Angelicam prosequi voluit sub S. Thomæ, qui pariter Angelus erat, eximio magisterio.

D. Vinc. Ferrer. in festo com. S. Pauli S. Max. ho. 1. in Natal SS. Petri & Pauli.

D Dio. Areop. 15. ca. cælest. Hierar. & D. Th. 1. p. q. 105. a. 4 fol 989. col. 1.

17. Angeli superiorum Hierarchiarum eos, qui in inferioribus Hierarchiis continentur, illuminare dicuntur: *Vnaquæque cælestis essentia intelligentiam sibi à superiori datam inferiori communicat*, inquit Dionysius Areopagita. Ita quoque Sanctus Thomas velut Angelus superior, universæ Theologiæ omnibusque aliis scientiis, vel professionibus speculativis, cunctisque Doctoribus Scholasticis, excellentissimum Lumen communicavit, & ut S. Vincentius Ferrerius scribit: *Sua vita sancta, & scientia clara totum mundum illuminavit.*

D Th. 1. p. q. 5. a. 2. in corp f. 568. col. 2.

18. Angeli objecta sua non intelligunt *per species acceptas à rebus*, quia habent species intelligibiles connaturales, à Deo sibi inditas: *Angeli suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura*, uti nos docet Doctor noster Angelicus, qui sodali suo revelavit, quod scientiam suam, saltem pro majori sui parte, potiùs à Deo sibi infusam, quàm industria, & studio suo comparatam esse agnosceret: *Dixit socio suo secretè, quod plus habuit scientiam suam à Deo infundendo, quàm ab ingenio proprio studendo.*

D. Vinc. Fer. in ser. de D. Th. D. Greg ex ho. 34. in Evang. D. Th. q. 111. a. 1. p. 1 Mati. 14. Marc. 1. Hugo Card. in Act. Ap. c. 6. fol. 260. co. 3.

19. Angeli pulcherrimum hoc nomen non ex parte naturæ, sed ratione officii obtinent, *Angeli vocabulum nomen, est officii non naturæ*, inquit Gregorius, ac proinde *Michael* significat, *Quis ut Deus*; *Gabriel fortitudo Dei*; *Raphael, Medicina Dei.* Item Angeli, id est, *missi* appellantur, quia à Deo missi sunt: *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna* Unde sanctus Joannes Baptista tanquam à Deo missus, etiam appellatur Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Unde Hugo Cardinalis dicit: *Angelus, id est Nuntius voluntatis Dei.* Meritò igitur Thomas Angelus dicitur, quia Christi in terris Vicario Gregorio X. ad Concilium generale missus fuit.

Th de Trus in vita ejus. fo. 676. col. 1. n. 1.

20. Angeli in bono firmi sunt & constantes, & planè ab eodem inamovibiles. Ita quoque sanctus Thomas Angelum se in bono constantem, & immobilem esse probavit. Impossibile enim fuit, ut sive per matris lachrymas & preces, sive per sororum persuasiones, sive per acres fratrum minas, sive per Inferorum tentationes, à firmo se Deo in religione Dominicana dedicando proposito, dimoveri posset. In studio scholastico, in oratione ad Crucifixi Imaginem per eum fieri solita, in Dei servitio & obsequio continuando indefessus fuit, nec se ab iis unquam distorqueri & ad alia averti est passus: *Omnes machinas & insidias adhibere decreverunt, quibus possent virum sanctum, à suo laudabili & glorioso instituto deflectere.* Verùm irrito prorsus effectu, quia eum à suo proposito dimovere non potuerunt, eò quod Angelus esset: *Semper in proposito firmus, in tentationibus invictus.*

Th de Trus. ibid. Marn. lib. 5.

21. Angeli boni humilitatis virtutem, veluti proprietatem ab iis inseparabilem semper sibi vendicant. In quo Lucifero è diametro opponuntur, qui à superbiæ vento tumidus majoremque ipso Domino solio majestatem sibi præsumens dixit: *Super solium Dei exaltabo Solium meum, & similis ero Altissimo*, S. Thomas autem bonis Angelis minimè dissimilis humili-

Solium meum, & similis ero Altissimo, S. Thomas autem bonis Angelis minimè dissimilis humilitatem omnium actionum suarum comitem inseparabilem esse voluit, unde & adeò humilis fuit: *Vt nescias quid in eo prius mireris, sapientiæ altitudinem aut humilitatis profunditatem.*

Labat. 1. 3. prop. de D. Th.

12. Angeli uno eodemque tempore plura objecta simul & semel considerare & intelligere possunt, ac proinde S. Pater noster Augustinus dixit: *Potentia spiritualis mentis Angelicæ cuncta quæ voluerit facillimè simul comprehendit.* In qua prærogativa S. Thomas Angelis minimè cessit, utpote qui plura objecta simul intellexit & de pluribus disparatis scientiis simul & semel discurrere novit; nam uno eodemque temporis momento plurium diversarumque facultatum doctrinas multis scribentibus dictavit: *Quatuor scribentibus dictabat materias eodem tempore distinctas.*

D. P. Aug. 4 sup. Gen. ad liter.

Th. de Trus in vita ejus fo. 676. n. 20.

22. Angeli tametsi plurima annorum millia devixerint, utpote qui in principio mundi creati fuêre, teneræ tamen pueritiæ specimen semper & ubique referunt, eo quod primitivam semper puritatem & innocentiam conservarint, prouti ex ipsamet Isidori Ethimologia colligitur: *Puer à puritate vocatur, quia Angelus purus est.* De Sancto Thoma unus autem ex intrinsecis familiaribus suis sequens veritatis testimonium perhibuit, dicens. *Ego Sancti Doctoris hujus conscientiam, & vitam optime novi: testorque Dominum Iesum, me eam semper in illo puritatem comperiisse, in qua solent esse quinque annorum pueri.*

D. Isid. Etym l. 11. cap. 2.

Laur Su. apud Lipom. die 7. Martii.

24. Angeli cuncta terrena bona respuunt, atque in solo Deo, tanquam desideriorum suorum centro, quiescunt. Unde cùm Tobias beneficiorum pondus quo ab Angelo affectus fuerat grata mente recognoscere volens: *Rogare cœpit, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerat, acceptam habere*: Angelus id ipsum nihil faciens subjunxit: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Eodem quoque modo Sanctus Thomas dignitates terrenas, hoc est, Archiepiscopatum Neapolitanum à Clemente IV. ei oblatum respuit: Opera S. Joannis Chrysostomi toti Parisiorum urbi posthabuit? Et Crucifixo ipsum sequentibus verbis alloquenti *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergò mercedē accipies?* Veluti verus Angelus prudentissimè respondit: *Non aliam Domine, nisi te ipsum.*

Tob. c. 12.

25. Angeli corpora quidem aërea assumunt, operationes tamen vitales in iisdem exercere possunt: *nihil potest habere opus vitæ, quod non habet vitam, quæ est potentiale principium talis actionis.* Corpora enim, quæ ab ipsis assumuntur, nequaquam propria existunt, cùm sint ex ipsa sua natura & essentia incorporei. Absit equidem ut Sanctum Thomam nullum habuisse corpus asseverem, corpus tamen suum, quo anima & mens ejus induta fuit aereum & assumptum, non verò solum fuisse affirmare non dubito, utpote qui febrium ardores, sitis ariditates, easque quo Chirurgus acuto ferro faciebat corporis incisiones haud secus, ac si in æneo corpore hæc omnia passus fuisset, minimè persentiscebat: *Dolores corporis & febris ita patiebatur, ut non propriis membris languores, sed alienis inesse viderentur, itaque anima ipsius tandummodo vitâ fruebatur, corpore tanquam alieno & supervacaneo circumdatus erat.* Imò cùm die quadam studio incumbens candelam accensam manu sua teneret, eaque usque ad digitorum suorum articulos absumpta penitus esset, manumque adureret, dolorem haud secus ac si lapis quidam fuisset minimè percipiebat. Unde manifestè ipsum vere Angelum fuisse arguere possumus. *Vix sensit ardorem candelæ incensæ, quæ manum ejus comburebat.* Verum enimvero metitò vereor ne justo in dicendo prolixior videar. Ac proinde cùm Sanctus Thomas in scribendo brevis fuerit, & compendiosus, nolo discursum hunc ulterius continuando videri fusus atque prolixus. Hactenus igitur dicta sufficiant; nos paulum quiescamus.

D. Th. 1. p. q. 51. ar. 4. fol. 527. col. 2.

Anton. Pizana.

Th. de Trusil. in vita ejus fol. 675. n. 50

PARS SECUNDA.

26. Quicquid hactenus dixi, nihil est si comparetur cum aliis plurimis, quæ de ipso adduci in medium possent, veruntamen quia lingua mea ad ea declaranda inhabilis est & impotens, unicum duntaxat superaddam, quod ad præsentem discursum terminandum sufficiet. Sciendum itaque est, quod quando Angeli habitu corporeo amicti apparent, duæ potissimum qualitates in iisdem exprimi potissimum soleant, scilicet splendor & agilitas. Et quidem quod splendorem attinet, patet de Angelo, qui sanctum Petrum à vinculis liberavit, à quo carceris obscuritas protinus illuminata fuit. *Lumen refulsit in habitaculo*; De alio quoque Angelo qui candido vestimento indutus

Act. Apost. c. 12.

Christi sepulchro assistebat expressè legitur, quod *Resplenduit facies ejus sicut sulgur*. Quoad agilitatem verò, ut illos à quavis gravedine corporea exemptos esse demonstremus, sufficit si ipsos spirituales esse substantias omnis corporeæ molis expertes esse dixerimus, qui proinde communiter depinguntur alati. Verùm enimvero num duas hasce proprietates in S. Thoma quoque invenire poterimus? Nullum est dubium. Et quidem quod primam attinet, de ipso perhibent vitæ ejus scriptores, quod dum in ætate juvenili die quadam cum omnium circumstantium admiratione subtilissimè disputaret, Religiosus quidam fidelis DEI servus, qui præsens aderat, (Si sancto Vincentio Ferrerio credimus) attestatus est se vultum ejus prorsus luminosum, & radiis resplendentem conspexisse: *Cùm semel disputaret multum acute, & quidam devotus Religiosus ipsum audiret, contemplando eum, & admirans de tanta sapientia in puero subitò vidit radios splendoris ab ejus facie procedere.* Quid porrò de ejus agilitate dicemus? Certum est quod haud secus ac si purus quidam Spiritus ab omni mortalis corporis gravedine solutus fuisset, sæpius in extasin raptus & in aëra sublevatus à pluribus visus fuerit, præcipuè quando orabat, in illo namque devotionis tantum Spiritus favorem adhibebat, ut multi Religiosi eum in Ecclesia à terra sublevatum conspexerint, adeò ut cùm corporis sui moles Spiritum inter orandum in terra continere debuisset, contrarium acciderit, scilicet, quod Spiritus corpus suum in aëra sustulerit, & agilitatem quandam eidem corpori communicarit. *Quando orabat in Ecclesia Fratres aliquoties observabant eum, & videbant ipsum à terra elevatum.* vel ut alii scribunt: *Deditus erat tam vehementer orationi & meditationi, tantaque cum attentione, ut sæpè ejus corpus simul cum Spiritu à terra elevaretur.* Quid igitur dicitis, O Auditores? num fortè duæ illæ conditiones quibus Angelus esse declarandus erat, ipsi defuerunt? Vidi Angelum Dei &c.

Matt c. 28
D. Th in addit. ad 3. p. q. 84. ar. 2. n. 364. & q 85. a. 1. n. 367.
D. Vinc. Ferer. ser. de D. Th. f. 47. co. 3
D. Vinc. Fer.
Tho. de Trus.

17. Planè mihi persuadeo Angelis nequaquam ingratum futurum, si Sanctum Thomam ipsis majorem fuisse dixero, scio etenim ipsos de servorum Dei excellentiis & prærogativis mirè gaudere, utpote quæ in majorem Creatoris sui gloriam magnopere redundant. Solent communiter opera artificialia præstantiora & digniora esse, præ aliis quæ à natura sinu derivantur, cùm certissimum sit, quod ars naturæ defectus compenset: Ars naturam perficit. Si quis mihi pomum quoddam aureum ab arte affabrè elaboratum donaret, gratius utique donum mihi foret, quàm si aliud mihi dedisset à natura vel ab arbore productum. Quando Christus præcursori suo Angeli titulum imposuit, dicendo: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Idipsum majorem ipsi gloriam conciliavit, quàm si verus, & naturalis Angelus fuisset. Opera gratiæ longè digniora sunt cunctis operibus naturæ, quantum scilicet natura in perfectione sua per ipsammet gratiam superatur. Vos autem, O beati Spiritus esse vestrum Angelicum à Natura habetis, Thomas verò à gratia, ac proinde facilis est consequentiæ illatio. Porrò Pharao Ægypti Rex ut Josephum aulæ suæ primatem declararet: *In collo ejus torquem auream posuit, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpositum eum scirent in terra Ægypti.* Potentissimus Rex cælestis gloriæ ad collum S. Thomæ præstantissimum quoddam ex margaritis & gemmis contextum monile ab Ecclesia militante suspendi voluit, ut eum inter omnes cælestis curiæ beatos Spiritus primatem declararet. Veruntamen nihil hoc loco sine solido veritatis fundamento de Angelico nostro Doctore dictum esse volo, ac proinde ut sancti Thomæ major præ Angelis supereminentia clarè videatur, quandam inter sanctum nostrum, & Angelos comparationem instituamus. Sic enim quem super Angelos verè & meritò jure obtinet, primatum clarè conspiciemus. Quæro igitur ex vobis, O magni Dei aulici, an præscindendo à cognitione supernaturali & beatifica, qualis est illa quam in verbo habetis, fidei & gratiæ mysteria naturaliter cognoscere possitis, utique negativè mihi respondebitur. Under B. Valentinus Archiepiscopus Thomas de Villa nova dicit: *Inquisitus Angelus an sub illis speciebus Christus lateat, nisi gratia ipsum doceat, respondebit, ignoro.* Nam hæc mysteria à pura Dei voluntate dependent. Unde sicuti unus Angelus cogitationes, quæ ab alterius voluntate dependent, non valet cognoscere, multò minùs illa penetrare poterit, quæ à Dei voluntate immediatè proveniunt. Ac proinde optimè arguebat Apostolus dicens: *Quæ sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita & quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei;* adeoque concludendum est, quod *cognitione naturali mysteria gratiæ non possint Angeli cognoscere.* E contra verò si ad S. Thomam vos convertetis

Matt. 11.
Gen. 41.
B Tho. de Vill. conc. 2. de corp. Christi.
1 Corin. cap. 2.
D. Thom. p. q. 57. art. 5. f. 592. co. 1.

tentes ex eodem idem quæsieritis, mox respondebit, quòd illa non sólùm cognoverit, quin & docuerit, nemo autem docere potest, quod nescit. Legitote ejus de Incarnatione, Sacramentis, & præcipuè de Sacra Eucharistia, de vita Passione, morte, & Resurrectione Christi Tractatus, & invenietis ipsum eosdem cum tanta libertate, facilitate, claritudinis perspicuitate, & veritate conscripsisse, ut ipsum hæc omnia propriis oculis conspexisse crederes. Unde mihi licebit arguere ipsum Angelum quendam fuisse aliis Angelis longè majorem.

18. Docent nos sacri Theologi Angelos limitatam quandam activitatis suæ sphæram habere, ibique existere, ubi operationum suarum virtutem applicant. Unde quia uno eodemque tempore virtutem suam, in plurib̃ locis operando, applicare non possunt, sed ad unum solum constringuntur, sequitur eosdem quoque non in plurib̃ locis, sed in uno duntaxat posse subsistere. *Cùm Angelus sit in loco per applicationem virtutis suæ ad locum, sequitur quod non sit in pluribus locis, sed in uno loco tantum* Noster autem Doctor Angelicus simili limitatione minimè fuit constrictus, quia potius uno eodemque tempore per voluntatem, & intellectum suum in plurib̃ locis operabatur, nam in uno, eodemque instanti, quatuor scriptoribus quatuor diversas materias scribentibus dictabat, in quibus in eodem puncto per intellectum operando, & speculando erat velut in Logica, Philosophia, Metaphysica, & Theologia. *Vigebat insuper S. Thomas memoria singulari, adeò quatuor scribentibus distinctas materias eodem tempore dictaret.* Unde eidem saltem in hoc particulari puncto, insignis super omnes alios Angelos præeminentia negari nequaquam potest.

D. Tho. 1. p. q. 52. art. 2. fol. 515. col. 2.

Thom. de Trus in vita S. Th. f. 676. col. 2. n. 20.

19. Quomodocunque Salvatorem nostrum consideremus sive ut hominem, sive ut Deum, semper illum erga nos valdè benignum, munificum, & liberalem fuisse deprehendimus. Petro enim recommendavit Ecclesiam dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Angelis animas nostras: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Sanguinem suum in propria specie peccatoribus reliquit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Joannem Matri suæ recommendavit: *Mulier ecce filius tuus.* Matiam Virginem Joanni: *Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Morti proximus Spiritum Patri suo æterno consignavit: *Pater, in manus tuas cõmendo spiritum meum* Donavit regnum cælorum latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Corpus in propria specie cruci reliquit: *Ibi eum crucifixerunt.* Vestes verò suas militibus: *Acceperunt vestimenta sua, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam.* At verò tametsi quaquaversum per universam Dei Ecclesiam circumspiciam, neminem tamen invenio, cui corpus suum & sanguinem sub speciebus Sacramentalibus Panis, & vini constitutum commiserit, cur ita? Num fortè idipsum ad eum non pertinebat? aut verò de eo disponere nihil curabat? an verò nemo ad manum erat, cui illa recommendare posset? Prorsus existimo Christum hæc sibi reservasse *in pectore*, ut suo tempore illa S. Thomæ posset recommendare, nemo enim meliorem illorum habere curam, aut diligentius illa custodire poterat, quàm ipse. Ac proinde unicus Thomas est ille, qui doctrinæ suæ scuto Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ab adversariis Catholicæ fidei, qui hæresibus suis eidem contradicunt, illudque infestant, tuetur, & defendit, formans in summa sua specialiter circa hoc mysterium, undecim Quæstiones, & octuaginta quatuor Articulos. Imò, cùm in tanto majori devotionis cultu glorificaretur, jussu Urbani Papæ IV. devotissimum de hoc Sacrosancto mysterio composuit officium. Et hæc propriè causa est cur S. Thomas ab Ecclesia sancta depingi soleat dextera sua tenens Sanctissimum Sacramentum, per hoc insinuans, Sacramentum istud custodiæ, & tutamini Sancti Thomæ à Deo commissum esse. Esto igitur animæ rationales à Deo commissæ fuerint custodiæ Angelorum, veruntamen quantum hisce superior, & dignior est Christus Sacramentatus, tantundem S. Thomas aliis Angelis superior extitit.

Matt. 16. Psal. 20. Matt. 16. Ioan. 18. *Luc. 22. Luc. 22. Ioan. 18.* *In 3. p.*

30. Angeli ad miracula patranda nullam habent virtutem aut potestatem; *Quia miraculum fit præter ordinem totius naturæ creatæ.* Cùm tamen omne id, quod Angelus operatur ut Angelus *sit secundum ordinem naturæ creatæ.* Et tametsi S. Gregorius dicat, quod *Virtutes vocantur illi Spiritus, per quos signa, & mirabilia frequentius fiunt.* Id tamen hoc sensu intelligendũ est *Quod ad eorum desiderium Deus miracula facit, vel quia aliquod ministerium exhibent in miraculis, quæ fiunt.* At verò S. Thomas miracula patrare non solum potuit, verùm etiam effectivè fecit, & patravit. Neque enim hoc loco ex-

D. *Tho. p. q. 110. art 4 fol 1014 in corp. col. 1*

plicabo quod Romæ mulier quædam infirma Hæmorrhoissa vestem S. Thomæ devotè tangendo sanata fuerit: *Cùm aliquando Roma prædicaret, tetigit mulier quædam hæmorrhoissa, & confestim sanata est ab infirmitate sua.* Nec referam, quod Joannes Ferentinus Monachus Monasterii Fossæ novæ cæcus existens *cùm ejus faciem esset deosculatus,* subitò lucem receperit, unde præ gaudio exsiliens, Deoque gratias agens dixit: *Benedictus Deus, ecce Sancti Thomæ meritis clarissimè video.* Sed his aliisque plurimis ab eo patratis miraculis prætermissis, hoc solùm moneo, ut opera S. Thomæ, præcipuè verò summam ejus Theologicam magna cum attentione pervolvatis, certus enim sum, quod cum Joanne Papa XXII. affirmare cogemini, quod quilibet summæ Theologicæ articulus, particulare quoddam, verumque sit miraculum: *Quot articulos, tot miracula fecit.* Angeli igitur S. Thomæ jure mentissimo palmam cedere debent.

Tho. de Trus. in vita ejus fol. 676. n. 1.

Tho ibid. & Petr. de Valderan. serm. de D. Tho. 352. col. 2.

Io. Pont. XXII.

31. Verùm enim vero gloriæ nostri sancti Doctoris terminum non habent, sed infinitæ existunt; ac proinde cùm verus sit Dei Angelus, ad ejus gloriam dignè explicandam alius quidam Angelus requireretur, qui eas pro merito, & dignitate explicare posset; ac proinde cùm ego nec nomine, nec facto tenus Angelus existam, me quoque vel ad illas duntaxat adumbrandas imparem, & inhabilem esse libenter agnosco. Quapropter hunc nostrum discursum hac ultima, & Theologica similitudine, vel comparatione terminabo. De cælestibus itaque Spiritibus certum est, quod eventus futurus nequaquam cognoscant, non jam loquor *ex causis, sive ex conjecturis, sed in seipsis, vel suo esse.* Et tamen cum S. Thomas illa viridicè prædixerit, facilè hinc arguere licet, quod eadem magna cum certitudine cognoverit. Et quidem cùm ex jussu Summi Pontificis Gregorii X. Anno 1274. ad Concilium Generale Lugdunense mitteretur, accidit, quod cùm in optima corporis valetudine constitutus in Monasteria Monachorum Cistercienſium, quod Fossa nova vocatur, ut Neapolim tenderet, appulisset, dum in porta Monasterii staret, ad socium suum Reginaldum conversus eidem mortis suæ horam proximam esse, & modicum vitæ suæ reliquum sibi esse, futurumque Monasterium istud ossium suorum sepulchrum, revelavit dicens: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam* quod posteà eventus ipse effectivè verum esse docuit. Unde ad imitationem Redemptoris nostri, qui in sepulchro novo fuit tumulatus, Thomas quoque in Fossa nova sepulturam suam accepit. O Angele Dei, non te jam deinceps terrenum, sed cælestem, imò cunctis Angelis glorioſiorem esse deprædicabo. *Vbi Angelum Dei fortem, volantem per medium cælum, voce magna clamantem.* Tu in cunctis tuis actionibus servitium, & majorem Dei gloriam spectantibus, intrepidus, generosus, & constans fuisti. Resonantia doctrinæ, bajulante fama ab Oriente usque ad occasum delata fuit. Tibi humillimè supplico, ut gratiam nobis impetres, ut qui Angeli tibi in doctrina, & sapientia similes esse non possumus, ad minus viram quandam Angelicam ducere valeamus, ut morientes sicut Angeli, Deum in cælis in societate Angelorum glorificare possimus. Amen.

SERMO SEXTUS.

IN FESTO S. JOSEPHI SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS.

Cùm esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, &c.
Matth. cap. 1.

1. BEatus dici meretur, qui mare hujus mundi felicibus ventis pernavigat; hic enim omnem regionem sibi patriam esse æstimat, teste Socrate, qui dicit: *Fortunato quævis terra patria est.* Et quidem tametsi magnus ille Ecclesiæ Doctor Hieronymus dicat: *Quod omnis felicitas cùm tenetur amittitur,* certum est, quod qui vel semel felicitate potitur, non semper laborasse censeatur. Portò si Aristoteli credimus, certissimum est, quod

Socrates.

D. Hier. in Isa. l. 7.

quod felicitas activitatis suæ sphæram non in uno loco determinato teneat, sed ad fortunandum amicos, & clientes suos varia sæpe media adhibeat: *Felicitas est vel forma secunda cum virtute, vel per se sufficientia vitæ, vel vita tuta & iucundissima, vel possessionum facultas, & corporis vires consectiva, conservativa, amplificativa horum virtute.* Annia nobilis & pariter formosissima mulier Romana, marito suo mortuo vitam cælibem felicissimam esse censebat, unde ad secundas nuptias invitata respondit: *Nullo pacto hoc factura sum: si enim bono viro nupsero, nolo post hac timere ne amittam; sin verò malo, quæ me caperet dementia, ut post optimum talem admittam.* Alii verò ipsamet experientia persuasi omnino contrarium affirmabant. Unde tempore Damasi Papæ Romæ vir quidam erat, qui viginti uxores habuerat. Item mulier quædam ibidem degebat, quæ viginti duobus maritis successive nupserat; cum vero ambo à matrimonii jugo liberi essent, novo se conjugii fœdere copulavere: *Duo ii sese matrimonio junxerunt.* Hinc etiam septem illæ mulieres, quorum Isaias meminit, quantum se ex eo, quod maritis orbatæ essent, infelices esse existimavere, tantum se judicabant esse felices, si vel una illarum marito cuidam nupsisset: *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, auffer opprobrium nostrum.* Denique si Rachel eò quod sterilis esset mœsta erat, & quasi desperata mortem, tanquam minus malum, sibi oprabat dicens: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, justam utique Lia causam habuit, quod Zelpham famulam suam parientem videns præ lætitia exclamarit: *Feliciter*; Filioque ab ea genito Gad nomen, quod *Felix* interpretatur, imposuerit, per hoc simul insinuando unam è majoribus fortunis esse fœcundam plurium liberorum matrem esse. Felices se æstimarunt Æmilia Neapolitana conjux Antonii Spasæ, & duæ Ludovici Salernitani filiæ, quæ cum in ætate quindecim annorum maritatæ fuissent, tandem mares effecti sunt, è quibus unus Franciscus, alter verò Carolus appellatus fuit: *Et publicè pro maribus habiti sunt.* Damon, & Pithia prosperitatis suæ florè in amicitia collocatum habebant, quam adeo strictam inter se devinxerant, ut cum unus eorum à Dionysio Syracusanorum Tyranno mortis condemnatus esset, alter pro eo se in carcerem ultrò conjici permisit, donec amicus ejus priusquam moreretur, de rebus suis plenè dispositurus in patriam suam fuisset profectus.

Aristot. lib. 1. Rhet.

Plut. l. 8. Apopht. Fulg. l. 4. c. 6. D. Hier. Tract. 3. p. 3. Epist. 26

Simon Maiol. Mulier. Coll. 3. fol. 1. 7. Isa. c. 4.

Gen. 30.

Thom. Garzon. fol. 964.

Andre. Ebor. fol. 448. fol. 164.

Quando Epimenes miles qui Macedonum monarchæ mortem per insidias struxerat, rigidam sceleris sui præstolatus vindictam, vidit se loco supplicii justissimè promeriti ab eodem Monarcha regiis muneribus honorari (*Epimenem quinque talentis protinus donat*) justum fuisset, ut deinceps non Epimenes, sed Felix vocaretur, ut hac ratione nomen suum eventui aptissimè respondisset. Adhæc, quot sunt, qui se in veræ fælicitatis throno considere existimarent, si vitæ suæ annos, ad annos Adæ, Seth, Enos, Malaleel, Enoch, & Mathusalem usque extendere possent? Utique Magnates hujus mundi auri & sanguinis pretio, & pondere compararent facultatem recentis annis vivendi, uti S. Severus vixit, & sicuti temporibus Lucii Papæ II. Anno 1146 in Francia quidam Joannes Caroli Magni armiger trecentis quoq; annis vixisse dicitur. Q. Metellus ab ipso nativitatis primordio ad mortem usque benignum semper habuit stellæ fælicitatis aspectum, adeò ut vultus sui jucunditas nullis unquam fuerit mæstitiæ umbris obscurata. Incomparabilis quoq; fuit Agrippinæ felicitas, utpote quæ Germanici filia, uxor Claudii Augusti, Caligulæ soror, denique Neronis Imperatoris mater fuit, Augustus Cæsar existimatus suo tempore fuit maximus totius mundi Monarcha, gavisus est tranquilissima quadam pace, de nulla alia re, quā de vitæ brevitate dolendi causam habuit, nam quid fortunæ adversitas esset penitus ignoravit, ut proinde Eruditus quidam Author meritò de eo scripserit: *Quis hunc felicissimum negaverit*: Constantinus Magnus ob ratas virtutes suas, aliasque incomparabiles qualitates à gentilibus veluti Deus celebratus, & honoratus ab iisdem, in Deorum numerum relatus fuit, demum verò in Christianismo tanquam Sanctus Canonizationis honores accepit. *Duarum inter se plurimum adversantium religionum populi, atque Ecclesiæ ipsum ad tantum, adeoque rarum honoris culmen ceperunt.* Præterea vix credo quod aliquis ad tantum felicitatis apicem maximè in tam brevi tempore evectus fuerit ac Thomas condictus Sarzanus, qui in uno eodemque anno factus est Episcopus, Cardinalis & Papa, nomen referens Nicolai V. *Eodem anno Episcopus Cardinalis, ac in vita Pontifex creatus fuit.* Alii insuper terminum felicitatis, non plus ultra, in divitiarum abundantia statuerant, inter quos Davidi, & Salomoni jure palma debetur. Hi enim tantam possederunt auri copiam, ut David Salomoni filio

Q. Curt. l. fol. 130.

Gen. 6. Post de Natal.

lib. 24. c. 16. Valer. Max. l. 7. Baptis. Fulg. l. 8. c. 16.

Franc. Petrar. de fœlic. dial. 108.

Fulg. l. 8. & Ebor. fol. 423.

Platina in vita Nic. V. Fulg. l. 8.

Hieron.

filio suo pro templi ædificatione reliquisse dicatur bis mille quadringentos milliones &, ut Modenus quidam Author ait: *Fuit hæc auri summa incredibilis, quæ vix tota Europa reperiatur.* Salomon quoque ad majorem funeralium paternorum pompam, sepulturam Patris sui locupletati fecit mille millionibus quos in illam immisit, ex quibus Hircanus Pontifex quadraginta quatuor milliones, & quingenta quinquaginta millia Antiocho filio Demetrii obtulit, dummodo civitatem ab obsidione liberaret. Ac proinde hosce duos omnium, qui sub sole unquam hactenus visi fuerunt felicissimos fuisse censerem, nisi certò mihi constaret, quod in quovis felicitatis genere S Joseph omnibus, & singulis præriperet palmam. Qui proinde *Ioseph* merito appellatur, quod nomen augmentum Latine significat: *Nomen augmenti erat virginali sponso*, inquit B. Simon de Cassia, ut per hoc innueretur quod Deus in ipso super omnes Creaturas veluti in compendio quodam omnium felicitatum, & prosperitatum augmenta coadunaverit. Unde Archiepiscopus ille exclamavit: *O te felicem B. Ioseph, cui datum est, quod nulli unquam hominum aut Angelorum concessum est.* Esse sponsum Mariæ? Esse Patrem Christi? Ecquid amplius de illo dici, aut concipi potuit. Quænam uspiam in terra aut in cælo major felicitas inveniri potest? *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.*

Drexel. Aurifod. p. 3. c. 1. fol. 771. col. 1.

Villalp. t. 2. in Ezech. l. 5. disp 3. fol. 504. Pined. de reb Salom. l. 4 c. 1 §. 9 10. fol. 160. col. 1.

B Simon de Cass. lib. 1. de Virg. c. 1.

Christoph. Archiep. à capite fontium lib. de Virg. M.

2. Ptolomæus Rex Ægypti, precatus est senatum Romanum, ut Filii sui, qui ejus in Regno successor futurus erat, tutelam in se dignaretur suscipere. Senatus jam dictæ petitioni annuens, unum è præstantioribus viris totius Romæ, nimirum Marcum Lepidum Pontificem Maximum secundum Consulem Alexandriam Ægypti solitam Ptolomæi residentiam ablegavit: *Ad pueri tutelam agendam Alexandriam misit Marcum Lepidum, ne fides civitatis frustrà petita existimaretur.* Unde urbs Alexandrina ad honorem Lepidi, monetas cum hac inscriptione cudi fecit. *M. Lepidus P. M. Tutor Regis*: ab altera verò parte mulierem quandam effigiarant dextera sua tutri innitentem, cum hac Epigraphe: *Alexandria.* Joseph Patriarcha noster tutor est Filii Dei, ad hoc officium à cælo ea potissimum ratione electus, quia nimirum vir erat omnium totius mundi Sanctissimus pariter & dignissimus, ad suam suiq; sponsalitii gloriã cuditur moneta, quæ hæc est: *Cũ esset desponsata Mater Iesu Maria.* In cujus una parte hæc ponitur inscriptio *Ioseph Pater putativus, & nutritus Christi.* Ab altero verò latere Virgo quædã effigiata erat Turri Davidis innixa cum hac subnata Epigraphe: *Sponsa Ioseph.* Ab his etenim duobus præstantissimis encomiis fortunam, & glorioſi Patriarchæ nostri maximæ felicitates, & excellentiæ dependent.

Valer. Max. l. 6. c. 9. de fide publica apud Valder. in Con. 4. Ioseph p. 1. fol. 504. col. 1.

3. Verum dicat hic aliquis, cùm Maria & Joseph votum fecerint florem virginitatis suæ intactum conservandi: *Maria simul cum Ioseph votum virginitatis emisit*, inquit S. Thomas, quonam igitur fine hoc inter illos contrahitur Matrimonium? variæ sunt ad id responsiones, S. Thomas dicit: *Quia uterque consensit in copulam coniugalem, non autem expresè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret.* S Ignatius dicit id factum esse ut Dæmon per hoc impediretur quò minus penetrare posset hunc virginis partum Deum pariter & hominem esse, virtute Spiritus sancti conceptum: *ut partus ejus celaretur Diabolo.* S. Hieronymus duas rationes adfert: Prima est, Mariam desponsatam esse Joseph ne Hebræi Mariam sine sponso periisse videntes, illam Mosaicam transgressam fuisse legem suspicarentur, illamque lapidarent: *Ne lapidaretur à Iudæis.* Secunda est: Ne in Ægypto Herodis persecutionem fugiens sola peregrinari cogeretur, ideo sanctus hic Patriarcha datus est in itineris socium, atque in omnibus adversis adjutorem, & sublevamen: *ut in Ægyptum fugiens haberet solatium.* Alii dicunt id factũ esse ad hoc, ut virginitas Mariæ Josepho daretur in custodiam. Verum inquies: Nunquid Mariæ pudicitia Angelis in custodiã dari poterat? Omnino equidem: verum longè melius Josephi, utpote dignoris custodiæ, commendabatur. Angelus spiritu, non corpore virgo est, cum sit incorporeus, Joseph autem & corpore, & Spiritu virgo erat: Angeli virginitas à Natura procedit, Joseph à gratia; Virginitas Angelorum est sine merito, quia naturalis est, Josephi autem virginitas voluntaria est, & consequenter meritoria. Unde sicut statua Cybeles Romæ inventa, Publio Scipioni in custodiam consignata fuit, eò quod hic omnium censebatur sapientissimus. Ita Mariæ Virginitas mediante Sponsalitio, Josephi custodiæ tradita fuit, non tantum quia *Erat vir justus*, Verum etiam quia Josephi virginitas præstantior erat præ omnibus aliis quæ sive in cælo, sive in terra inveniri potuissent: *Convenientius*

D. Tho. 3 p. q. 28. art. 4. f. 316. col. 2.

D. Tho. 3. p. q. 29. art. 3 fol. 311. col. 2.

D. Ignat. mart. apud. D Hier. lib. 1. com. in cap. 1. Matth.

D. Hier. ubi supra.

Thom. de

Trus. in vita S. Ioseph. fol. 729.

nientius utique erat, ut cum virgo in ipso ætatis flore constituta esset commendaretur virgini, qualis fuit B. Ioseph. Unde eandem ob causam Joseph mortuo, Beatam Virginem Joanni recommendavit: *Quia virgo erat, virginē virgini commendavit.* Ac proinde S. Joannes Chrysostomus id ideo factum esse dicit, ut Joseph super omnes alias creaturas honoraretur fieretque felicior. *Cui desponsata fuerit ostendit subdens, Ioseph.* Ideoque *fabro lignario Maria desponsata erat quoniam Christus Ecclesiæ sponsus olim salutem, hominum operatus erat per lignum Crucis.* Ob eundem quoque respectum quia nimirum in sponsum Mariæ à cælo eligendus erat, opinatur Iohannes Gerson: *Fuisse Sanctificatum in matris utero*, sicut Ieremiam, & Ioannem Baptistam. Et quod per gratiam divinam ex mente S. P: Augustini ab omni mortalis peccati macula fuerit præservatus: *Nunquam in mortale scelus lapsus est.* O maxima Ioseph felicitas? O dignitas Patriarchæ nostri incomparabilis?

D. Chrysost. apud D. Thom in Cat. ibid.

D. P. Aug. lib. de Nat. & Grat.

4. Causam penetrare nequeo, cur Evangelista Matthæus in hujus hodierni Evangelii exordio, de hoc magno sancto loquens, eundem non aliquo illustri titulo ei benè convenienti honotaverit, prouti alias in scriptura sacra circa personas valde eminentes fieri consuevit. Observo præterea Virgni Mariæ titulum Matris Dei expresse attribuit *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria*, qui maximus & glorioſisimus titulus est: qui unquam alicui attribui possit. Ac proinde nunquid simile quid Iosepho attribui potuisset? Nunquid dici potuisset quod ex progenie esset Abrahæ oriundus, quod ex stirpe regia descenderet, quod omnibus illis dotibus præfulgeret, quæ in subjecto digno desiderari possent, id namque pariter in majorem Mariæ gloriam utique redundasset audientis sponsum suum, virtutibus, honoribus, & meritis excellentissimè esse adornatum. Verum quidem est quod ipse nullos prorsus ambiverit titulos, uti alias Magnates & homines stolidi communiter mendicare solent. Sic enim de Solibiano legitur quod patrem, qui conditione sua servus erat, Domini titulo honorarit. Menecrater Medicus, ab iis quos sanabat aliam adhibitæ industriæ mercedē non postulabat quam ut se ejus servos esse protestatentur. Domitianus voluit ut Senatus Romanus sibi tanquam Deo acclamaret, & applauderet. Cajus sibi statuam quandam statui aut erigi, in eaque tanquam Iupiter adorari, voluit. Sapor Persarum Rex Constantino Imperatori scribens hos sibi titulos vindicare arroganter præsumpsit: Rex Regum, Stellarum socias, Frater solis & Lunæ, Bonæ fortunæ sponsus, Maximarum Provinciarum Deus, Rex omnium Potentatum, Universi Equitatus Dominus, Trium Imperatorum Imperator. Omnium, quæ videt acquisitor & vindex, victor universorum, Dominus Orientis, Austri, Septentrionis, Occidentis, ac totius maris. Salmandrus intitulabatur Omnipotens Carthaginensis, Paradisi Dominus, inferni præfectus, Siculi ficeti moderator: id est, Christianorum, Turcarum, & Judæorum. Solimannus Carolo V. scribens, hunc sibi titulum arrogabat: Imperator Turcarum, Rex Regum, Dominus Dominorum, Imperator Trapisondæ, & Constantinopolis, ac Domitor mundi. Sanctus autem noster hisce titulis onerare se minime prætendit, quia humilis erat; Veruntamen Sanctus Matthæus saltem conformiter meritis suis illum honorifico aliquo nomine insignire debuisse videtur. Scio equidem quod tandem paulo inferius se nonnihil extendat, ipsumque hoc satis honorato titulo, Justus, exornet, dicens: *Ioseph cum esset justus*, hic tamen inter omnia ipsi convenientia Epitheta, minoris excellentiæ fuit. Nolite credere, Auditores, idipsum per aliquam sive negligentiam, sive sacri Scriptoris oblivionem, & incuriam accidisse, quin potius in hoc suum prodere voluit ingenium, atque prudentiam Id quod vos ipsimet mecum pariter affirmabitis, ubi sequentem historiam attenta aure excipere fueritis dignati. Celebrabatur olim in Græcia excellens quædam festivitas, ad quam omnes totius urbis nobiles fœminæ cōparebant, sed omni pretiosissimo mundo muliebri, & vestimentis ad ornatum, & elegantiam exquisitissimè comptæ, & expolitæ, nihil poterat sive in annulis aureis, sive in gemmis, & lapidibus pretiosis, sive in monilibus ad stuporem effformatis excogitari, quo ipsorum corpora, & vestes exornatæ non essent: Ex toto autem gynecæo civitatis illius sola Philonis, sive Phocionis Conjux vulgariter, & simpliciter vestita, nec ullis ornamentis, à quibus mulieres superbæ suam emendicare pulchritudinem solent, instructa. Quam proinde cunctæ aliæ summopere admiratæ fuere, è quibus una majori curiositate mota.

Ammian. Marcellin hist. lib. 17.

Menoch. t. 1. c. 35. fol. 353.

Ioann. Ravisius de arrogant superbis, & gloriosis. fol. 216.

Antom. Monachi. serm. de fortitud. mulier apud Laur. de Zamor. p. 7. lib. 1. conc. de S. Ioseph §. 4. fol. 39.

col. 2. & Pet de vata in fer. 1. de S. Barthol. fol. 387. col. 1.

mota, hujus sui corporis neglectus causam ab ea sciscitari nō dubitavit, cui ipsa prudentissime respondit. Ornamenta de quibus ego glorior sunt laudabiles, atque conspicuæ mariti mei qualitates, atque virtutes: *Satis uxori magnus ornatus viri sui virtus.* Profectò si hodie aliquis sanctus Josephum interrogaret causam, cur in præclara sancti Evangelii hodierni aula, in qua ejus celebrantur sponsalia, imo in qua ipse tanquam sponsus in publicum procedit, adeo simpliciter absque ullo eximiorum titulorum, qui ejus, utpotè regia stirpe, & nobilissimo sanguine oriundi meritis & nobilitati correspondeant, ornamento vestitus incedat, respondebit utique, maxima sua ornamenta, & gloriam in eo præcipue consistere, quo Mariam sibi acceperit in sponsam. Hæc enim est quæ nobilissimo caput ejus diademate exornat, ventus tantum esse videtur respectu hujus quævis alia gloriatio. Sponsum esse Mariæ cumulum dicit omnium felicitatum, titulorum, excellentiarum, quæ à quovis possent ingenio excogitari. Sapientissime igitur Matthæus alium ei titulum non attribuit, quam quod vetus sit Mariæ sponsus, *Cū esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph: satis Iosepho sponso magnus ornatus suæ sponsæ Mariæ virtus.* Quis igitur se Patriarcha nostro fortunatiorem aut feliciorem gloriari poterit.

5. Beatum & felicem appellandum esse maritum illum, cui de cœlo bona, & sancta mulier inconjugem data fuit, perspicuè affirmat Ecclesiasticus cum dicit: *Mulieris bonæ beatus vir.* Anno 1138. Conradus Imperator superata per obsidionem civitate Weinsburgensi, statuit ut solæ, quæ in ea urbe essent, mulieres libertate donarentur, ita ut secū efferre iis liceret, quiquid vellent, & possent: unde quælibet mulier, cætera ōnia quæ domi habebat nihil faciens maritum suum in humeris suis à civitate portavit. Felices profectò sunt viri illi, qui adeo sibi per amorem deditas conjuges habēt. Albutius felicem se esse censuit, quod cum Terentiana conjuge sua viginti quinq; annis sine controversia *& sine ullo jurgio* vixerit. Publius Rubius quadraginta tribus annis cum Caja Ennia conthorale sua *sine ulla querela*, matrimonii jugum continuavit. O quāta est hæc mariti alicujus felicitas? Alexander Basilij Persarum, ac Romanorū Imperatoris filius fortunatum se appellare consuevit quod Theophaniam sibi à Deo in uxorem datam accepisset, quæ ob nominis sui reverentiā ut illud immortale conservaretur, templum quoddam sumptuosissime ædificari fecit. Veruntamen nulli horum, nec quotumcunq; maritorū majori cum jure felicitatis titulus debetur quam Josepho felicissimo Mariæ sponso. Vetè beatum te dicere potes, ô Joseph, qui felicissima sorte Mariā de cælo accepisti tibi consortē. Nam si Conjugis bonitas mensura est felicitatis mariti, ita ut quantum illa crescit, tantundem hæc quoque incrementi accipiat, sequitur manifestè, quod cùm hactenus in mundo nulla fuerit inventa mulier Maria, nullus quoque inventus fuerit maritus se feliciot. *Mulieres bonæ, id est, benignæ, & castæ, & modestæ, beatus vir, id est, felix*, exponit Cardinalis Hugo. Et modernus quidam: *Qui honestis moribus uxorem assequitur fœlix est.* Hic igitur fiat argumentum *à minori ad majus, & à positivo ad comparativum*, & bene concludetis felicitatem, & beatitudinem sponsi Mariæ, quamvis aliam longe excedere, bonitati Mariæ nulla unquam reperiri potuit æqualis, ergo felicitati Josephi nulla unquam inveniri poterit similis.

Eccl. 16. Nicol. Deglien. p. 3. fo. 325.

Volat. lib. 23. Antrop.

Hugo Card. Ioan. de Pin. ibid. c. 26. fol. 688. col. 1.

6. Variæ à Sanctis Patribus expositiones adhibentur ad hunc sapientissimi Salomonis locum quō in suis Proverbiis ita inquit: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Hoc loco de nobilitate agitur, quæ una est earum sororum quæ felicitatem sibi maximè confœderatam habent. At vero quisnam est ille, qui ob felicitatem felix nominari poterit, quique in Majestatis throno in maximorum senatorum terræ collegio considebit? *Vir ejus.* Sed optatem scire ad queminam referantur, *Ly vir, & Ly ejus?* vel ut Syriaca legit: *Maritus ejus celebris, illustris, conspicuus.* Prætereo hoc loco omnem aliam declarationem, quæ à sacris scriptoribus huic loco adhibetur, & ad illam S. Gregorii Magni Papæ expositionem solummodo me reflecto, qui *per Ly vir* S. Josephum Mariæ Sponsum, & per *Ly ejus*, Mariam Sponsam ejus intelligit, conformiter ad illa Evangelii verba: *Ioseph autem vir ejus?* quasi dicat, *vir ejus, id est, Sponsus Mariæ*, nobilis est, conspicuus, illustris, & celebris, omnis autem ejus nobilitas, & felicitas ex hac unica ratione consurgit, quia scilicet sponsus est Virginis, sive, *quia est vir ejus*, id est, magnæ hujus Dominæ sponsus. Id quodexpressius demonstratur per id quod in Hispaniarum Historiis scribitur. Philippus I. ad regiam dignitatem per Isabellam Reginam conjugem suam

Prov. 31.

Syriaca.

Marc. de Pise. t. 2. in Fest. S. Ioseph. fol. 619.

Theatr. vit. hum. l. 7. de amor. Marit. erga uxor. fol. 1117.

suam sublimatus fuit: *Beneficio uxoris suæ in apicem Regis Hispaniarum evectus est*: Mortuâ autem Isabellâ Joannâ filiâ ejus *hæreditario jure* in eodem Regno successit (cum lex Salica mulieres hæreditate prohibens, huic nequaquam contrairetur) ideoque ipsa Regni possessionem aggressa est, maritus autem ejus Princeps Austriacus in Regni coronam eo ipso est subingressus, *ac proinde ejus Sponsus Philippus eodem regio titulo nuncupatus est*. Unde facile conjicere possumus, quod eum inter Joseph & Mariam contractum fuerit felicissimum illud matrimonium, omnes pariter prærogativæ, dignitates & excellentiæ Virginis in honorem Josephi sponsi sui redundarint, ac proinde regio diatemate caput ejus redimiri mereatur. Ac proinde *sedebit cum Senatoribus terræ*, id est, primum inter Senatores cælestes locum obtinebit, id est, inter Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Angelos, &c. quos omnes, utpote primatum illi cedentes, multis titulis longè præcedit: *Beata Virginis quoque sponsus, puta S. Ioseph, erit in hoc confessu nobilis, quia post B. Virginem censetur inter primos sanctos. Quare inter Prophetas, & Apostolos considebit, imo inter primos Angelorum ordines illustris, & conspicuus apparebit*

Hisp. in Philip. 1.

D. Greg. l. 19. Mor. c. 16. apud Corne. à lap. in Prov. fol. 540. col. 2. B.

7. Porro, cum jam de S Josepho sub hoc nomine, *Vir*, loqui ceperimus, majori cum diligentia novam quandam ponderationem instituamus, idque tantò magis, quod S. Matthæus quoque ejus in hodierno Evangelio mentionem faciens, eundem quoque *viri* titulum ei tribuat, dicens: *Ioseph autem vir ejus*. Ergone possibile est quod S. Matthæus adeo sit angustus, in suis cogitationibus & S. Joseph ita modicus, & pauper in prærogativis, ut ille ad hunc repræsentandum, invenire non potuerit aliud nomen, nec hic aliam in se contineat proprietatem, à qua in mundo celebrari possit, quam hoc nomen, *Vir?* Hæcque difficultas apud me tantò magis augetur, dum audio S. Lucam quoque, dum Gabrielis Archangeli ad Mariam cælitus instituram legationem describit, hoc eodem nomine uti: *Missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro*. Ac proinde pro hujusce difficultatis intelligentia observandus est ille loquendi modus, quo Spiritus S. de invicto patiente Jobo loquens utitur, dum ait: *Vir erat in terra Hur, nomine Iob*. Ex quo enim Spiritus S. invictum hunc patientem proprio sui Job nomine appellat, quid opus erat insuper adjungere Ly. *Vir?* Certum enim de facto erat, neque aliis erat declarationibus opus, ut intelligeretur Jobum virum, non verò lapidem, aut lignum fuisse, ac proinde superfluè mihi additum videtur, quod *Erat vir*. Chrysostomus respondet Jobum fuisse personam quandam tam eximiis prærogativis exornatam, ut ne homines simplices illum veluti Deum venerarentur, opus fuerit specificare, quod esset vir: *Vir erat in terra Hur, nomine Iob*. En ipsamet verba Chrysostomi: *Ne quis agonis sublimitatem respiciens non humanam, sed peregrinam esse naturam putaret*. Ad hæc alium quendam scripturæ locum huic persimilem invenio. Deus namque cum Ezechiele Propheta loquens, hisce illum vocibus compellat. *Filii hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum*. Cur illum non proprio nomine appellat, sed hominem vocat? Respondet Theodoretus: Ne simplices illum Deo adeo gratum esse videntes, illum esse quoddam superhumanum, humanæque naturæ limites superexcedens habere crederent: *Filium hominis appelli, ne naturæ obliviscaris ea contemplatione dignatus, quæ tum superat Naturam*. Porro ratio isthæc S. Josepho multo magis militat, quanto scilicet is præ Jobo & Ezechiele in quovis perfectionis, & sanctitatis genere excellentior erat. Quare dicendum quod Sanctus hic Patriarcha appellatus fuerit vir, eo quod *vir* denoret virtutem, simulque hoc tacite innuatur, magnum hunc Dei servum quandam fuisse omnium virtutum Epitomen, & quintam essentiam. Unde si verum est, quod conjugia inter pares, & æquales iniri debeant: *Nube pari*, cum ipse cuidam, ut ita dicam, Deæ desponsatus fuerit, nisi Evangelista Matthæus, & Lucas expresse ipsum hominem esse declarassent, homines simplices ipsum fortsitan veluti Deum quendam venerati fuissent, & adorassent. *Virum nominat Evangelista Iosephum, non quia maritus*, inquit Bernardus: *sed quod homo virtutis erat*. Et Albertus Magnus. *Quid hic adjicitur vir, non fuit ad denotandam secus discretionem, sed ad tangendum sponsi Beatissimæ Virginis commendationem, & sponsæ etiam à Iosepho honorificationem. Vir ergo non notat hic sexum, vel ætatem, sed virtutem. Ergo fuit iste Ioseph vir per constantiam fidelitatis, per virtutem castitatis*.

Luc. c. 1.

Iob. c. 1.

D. Chrys. t. 1. de Pa. Iob hom: 2 f. 137. col. 1. E.

Ezech. c. 2. 1.

Theod. in c 2 Ezec. fol 249. col. 2.

D. Bern. hom. 2. sup. missus est & 3. 1. fol. n. col. 2.

Albert. Mag in Mariali.

8. Aliam quandam circumstantiam circa præsens Evangelium ad majorem magni nostri Patriarchæ gloriam, velim consideremus; *Ioseph autem vir ejus cum esset justus*. Quin justus fuerit, nequaquam dubito, hæc enim prærogativa qualitatis suæ sphæram minimè excedit.

Matth. c. 1.

Etiam Thamar à Juda Jacobi filio justa appellata fuit *Justior me est.* David etiam à Saule Rege justus dictus fuit: *Justior tu es quam ego.* Job quoque justum se reputavit: *Justus sum, & Deus subvertit judicium meum* Insuper plures alii justi vocati fuerunt, de quibus nimirum dictum fuit *Justorum animæ in manus Dei sunt.* Verum enimvero hi *rigorosè* non sunt dicendi justi, *sed lato vocabulo,* dicitur enim in Scriptura: *Non est homo justus in terra.* At vero quod Joseph *rigorosè & per anthonomasiam* justus esse dicatur, cum tamen Mariæ vicinus, & ejusdem cum illa domus inquilinus existat: *Ioseph autem vir ejus id est, Mariæ, cum esset justus,* hoc est, quod obstupescere me facit. Imo capere non possum qua ratione justus dicatur, qui ipsimet Verbo incarnato, quod est ipsissima in abstracto Justitia, vicinissime est proximus. Apparente sole omnes stellæ disparent, suumque splendorem amittunt. Porrò Christo in domum Centurionis ingredi volenti hic respondit: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* S. Petrus quoque ait: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum:* Et S. P. Augustinus dicit: *Cujus participatione justi sunt, ejus comparatione nec justi sunt.* Quibus adjicit S. Gregorius, quod *humana justitia divinæ comparata injustitia est.* Ecquisnam idipsum Davide clarius dixit: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Qua igitur ratione in medio magnæ Dei Matris, & ipsiusmet Dei Incarnati constitutus appellari poterit justus? *Cum esset justus.* Etenim Marcianus refert solam Veneris stellam hac prærogativa gaudere, quod etiam in ipsiusmet solis præsentia constituta splendorem suum non amittat. *Stella Veneris sola fulgoris solis emergentis conspectui non cedit.* Stella nostra mystica in conspectu Mariæ & Jesu veri Dei, qui Sol est justitiæ: *Sol justitiæ Christus* in justitia fulget, & tanquam sponsus Beatissimæ Virginis, super omnes sanctos; & Dei servos hoc privilegio fruitur; ut coram ipsomet Deo nominetur justus: *Ioseph autem vir ejus cum esset justus,* quasi Evangelista dicere vellet: *Ioseph quia vir ejus, id est, Mariæ, ideo justus.* O sponse felicissime, quantum sanctitatis tuæ radii, in conspectu duplicis illius solis Mariæ scilicet matris, & filii ejus Jesu, eximie refulgent!

Gen. 38. 1. Reg. 24. Iob. 34. Sap. 3. Eccl. 21. Matth. 8. Matth. 19. S. August. contra Prisc. c. 10. D. Greg. l. 8. in Iob. Psal. 142. Marc. Mina Felicis Capella Aphri. Carthag. de astron. l. 8. fo. 198. col. 2. n. 60.

.9. Quamdiu Arca Dei in domo Obededom consistebat, gratiæ, & favores cælestes domum ejus mirum in modum inundabant, videbaturque Deus ob copiosas, quas toti domui communicabat, benedictiones tectum domus illius vultu semper sereno respicere. Tribus mensibus Arca Dei in ea domo substitit, eoque tempore nullus unquam benedictionum immittendarum fuit finis. *Et habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* En figuram, nunc figuratum quoque respicimus. Ludolphus Carthusianus per Arcam MARIAM intelligendam esse existimat, *Maria est per arcam Testamenti præfigurata.* Quisnam est felicissimus ille Obededom, qui Arcam Domini domi suæ commorantem sustinet, præterquam Josephus? Quamnam, O auditores inter arcam, & Mariam esse putatis differentiam? Illa lignum, hæc mater Dei erat. Quanto igitur majores & quoad qualitates, & quoad numerum, esse debebant eæ benedictiones, quibus Deus cumulabat & fortunabat Josephum? *Si perpendamus quantam gratiam Dominus contulerit Obededom Gethæo, eo ipso quod arcam fœderis in domum suam congruo honore, & reverentia admisisset, quanto eum dignatus sit Deus favore Scriptura manifestat dicens: Benedixit Dominus Obededom.* At verò dispiciamus nunc favores, gratias, privilegia, & benedictiones, quibus Deus non domum duntaxat, sed & personam Josephi ob domi suæ non tribus solum mensibus, sed annis, & annis arcam mysticam Mariam Matrem suam custoditam cumulavit: *Quo cum favore qua benedictione, quibus privilegiis compensavit, qui arcam illam divinorum thesaurorum custodivit, qua non legis tabula, sed ipse Legislator continebatur.* Etenim argumentum istud per alia quæ in novo Testamento accidisse scimus, corroboremus.

2. Reg. 6. Ludolph. Carth. in c. 12. lit. C. Did. Virg. in festo S. Iosephi fol. 276. D. Ambr. ser. 15. fol. 160. col. 2. G. Vega ubi suprà.

.9. Postquam Maria Elisabetham cognatam suam uterum gestare cognovit, relictâ ad tempus domo sua unâ cum Josepho fideli suo sodali, & sponso, Montana Judeæ transcendens magna cum sollicitudine in Zachariæ domum se contulit, de cujus propinquo adventu Elisabeth certior facta præ lætitia gestiens, obviam ei processit, & in mutuos tuentes dulcissimos amplexus salutem sibi mutuam sunt impertiti. *Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Quinam autem ex hac Mariæ visitatione & salutatione in Elisabetham redundarunt effectus? Ipsamet, O sancta mulier, quæ eosdem in te recepisti, illos hic nobis edicas. Numquid auditis; *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis.* Quid tum demum contigit? *Exul-*

Luc. c. 1. Luc. ibid.

ultavit

ultavit infans in utero meo. Joannes infantulus in utero materno sanctificatus fuit, ac proinde à culpæ originalis gravi pondere exoneratus, præ gaudio jubilans : *Exultavit in utero.* Et quid præterea? Mater repleta est gratiis Spiritus sancti. *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* O te fortunatam. O Elisabeth, quæ per unicam Salutationem, & Visitationem à MARIA Virgine & Christo Filio ejus in utero Virginali etiamnum incluso gratiis locupletata & repleta favoribus fuisti. Dicite sodes; Nunquid omninò certum esse existimatis incomparabiliter majores collatos esse Josepho præ Elisabetha favores, & gratias? Quis dubitat? In tot annis, quibus simul sub uno, eodemque tecto vixerunt quot millies millenis, milleniisque vicibus MARIAM à Josepho, Josephum à MARIA visitatum & salutatum esse creditis? Atque ideo lingua me deficit, fateor, quo minus gratiarum, favorumque numerum repræsentare vobis possim, vestris illum cogitationibus dimetiendum, & computandum proinde relinquo: *Elisabeth repleta est Spiritu sancto. Quod si ex unica Visitatione & Salutatione Mariæ tanta utilitas accrevit Elisabeth, quantam existimas accrevisse Joseph longa illa conversatione cum Maria & Christo Domino; & ex multis salutationibus, quas per totum illud tempus intercessisse non est dubium.*

Ibid. *Ibid.* *Franc. Lab. prop. de S. Ioseph p. 3. prop. 1. fol. 308.*

Etenim si ex eo, quod Joseph Mariæ sponsus fuit, talis ac tanta ei excellentia, & felicitas accessit, quantæ postea prærogativæ ex eo in eundem redundare debuerunt, quod Jesu Christi Filii Dei Pater fuerit putativus? Ptolomæus Rex Corona & Regno cedere, utrumque vero filio renuntiare voluerat. Quod consilium cum multis non probaretur, eo quod valde indecens esse videretur, Patrem in senio suo tali se majestate exuere suoque loco filium sibi superiorem facere, prudenter respondit: *Majori afficior gaudio quod Regis Pater, quam quod ipse Rex sim.* Unde conjicere licet quanta fuerit Josephi felicitas, qui Pater fuit non Regis cujusdam terreni, sed Regis Regum & Domini Dominantium, imo Dei incarnati.

Io. Bapt. Fulg. l. 5. c. 7. de Parentum indulg. erga liber.

11. Sanctus Matthæus de laudabilibus Josephi ab Arimatthæa actionibus loquens, præcipue vero de amore quem Christo tempore Crucifixionis & Mortis suæ exhibuit, dicit, ipsum animo generoso accessisse Pilatum, ab eoque Christum è Cruce deponendi, & sepeliendi facultatem audacter postulasse: *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joseph, &c.* Qua in re particulariter noto, quod inter alias Josephi hujus qualitates sanctus Matthæus hanc quoque recenseat quod dives fuerit *Venit quidam homo dives*; Et tamen ex altera parte certum est, quod discipulus fuerit Christi, qui paupertatem tantopere amabat, & prædicabat: *Beati pauperes, &c.* suosque discipulos pauperes esse volebat, divitiatumque contemptores, quia divitem esse apud Deum in paupertate consistit. Atistides Atheniensis summæ gloriæ loco habebat paupertatem, illiusque studiosum esse: *Multo justius se paupertate gloriari posse credidit, quam Callium Atheniensium ditissimum.* Epaminondas Thebanus in fine vitæ suæ majus gaudium non habuit, quam dum se mendicum mori videbat: *Cum è suo nihil haberet unde funus duceretur, publica impensa tumulatus est.* Socrates magnus ille Philosophus semper se divitiarum hostem, paupertatis vero summum amicum, & amatorem exhibuit: *Pauper semper fuit pedibus nudus incedens, sordido pallio contentus* Anaxagoras Clasomenius iis, qui Philosophiæ studebant, persuadere paupertatem solitus erat, dicens: *Nemo simul & virtutes & divitias possidere potest.* Sancta Elisabetha Andreæ Pannoniæ Regis filia, conjux autem Ludovici Thuringiæ Landrgravii, & Principis, divitiis dorsum semper obvertit, paupertatis autem sequacem, & amatricem se exhibuit: *Spretis omnibus quæ à Patre, aliisque propinquis ei offerebantur pauper facta est.* Quomodo igitur Joseph ab Arimathæa simul dives & Christi Discipulus esse poterat; Cumque apud Christum Dei Filium, divitem esse probrosum æstimatur, sicut & apud prænominatos Gentiles, cur Evangelista Josephum hunc à divitiis tantopere celebrat? *Venit homo quidam dives.* Quænam, aut quales erant hæ divitiæ? aut in quibus illæ consistebant? num forte in auro, & argento, vel in bonis mobilibus, & stabilibus! Sanctus Epiphanius dicit, quod divitiæ ejus in eo consistebant, quod scilicet Corpus Jesu Christi haberet & possideret linteam in involutum thesaurum quendam portabat qui omnes totius mundi excedebat divitias: *Et accepto corpore Joseph involvit illud in syndone munda.* Verissimæ & præstantissimæ hæ sunt divitiæ quas possidere poterat: *Vere dives Joseph, siquidem margaritam illam, quæ omnem pretii æstimationem excedit, secum habere, ac portare promeruerat. Vere dives, Sacculum enim*

Sabell. l. 8. *Guid. lib. Exempl.* *Idem ib.* *Andr. Ebor. de Paupert. fol. 375.* *Mat. c. 27.* *D. Epiph. Orat. de Domini Sepult.*

Matt. c. 27.

plenum portabat, nempe ipsummet Divinitatis thesaurum. Sed eheu, quanto in prærogativis ac felicitate ditior, & locupletior censendus est Joseph Virginis sponsus? Ille Joseph Christum in sua potestate habebat, dum mortuus esset: hic autem eum dum vivus est, sub suo dominio possidet: Ille per breve temporis spatium Christum in sua proprietate possedit: hic plusquam viginti annis: Ille ad eum sepeliendum? hic vero ad sustentandum: Ille aliud in Jesum jus non habebat, quam quod à Pilato acceperat, hic tanquam Pater, patriam in eam jurisdictionem habebat: *Quomodo Joseph vere dives non erat qui illum dono acceperat, qui omnes nutrit, omnium absoluto imperio dominatur?* inquit S. Epiphanius.

12. Pulchertima est illa sancti Patris Augustini ponderatio, quam quoad opus creationis mundi circa Deum nostrum instituit? Ingeniose namque observat Authorem totius universi semper appellatum fuisse simpliciter Deum: *Fecit Deus: Dixit Deus: creavit Deus: formavit Deus: produxit Deus: vidit Deus, &c.* Septimo autem die postquam universa opera creando absoluta fuissent, Nomini DEI adjunctum fuit nomen *Dominus*, & speciatim subito postquam creatus esset homo: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cur Deus non vocatur Dominus in creatione cæli, Solis, Lunæ, Stellarum, Angelorum, terræ, florum, arborum matis, piscium, volatilium, quadrupedum, sed tantum in solius hominis formatione? Audite qualiter dubium istud à Magno Patre meo moveatur: *Ab ipso divini Libri hujus exordio, in quo ita cœptus est. In principio fecit Deus cælum & terram usque ad hunc locum* (id est, de formatione hominis) *nunquam positum est Dominus Deus, sed tantummodo Deus: Nunc verò, ubi ad id ventum est, ut hominem in paradyso constitueret, eumque per præceptum operaretur, & custodiret, in Scriptura locuta est: Et sumpsit Dominus DEUS hominem, quem fecit.* Quid est quod, cum tanquam Dominus absolutus, & supremus totius universi dominium obtineat, solius tamen hominis Dominus declaretur? Nunquid major excellentia est esse totius cujusdam civitatis Dominum, quam Dominum esse unius partis, vel potius civis talis civitatis; Num forte Deus solius hominis, non vero reliquorum Dominus erat; *Non quod supradictarum Creaturarum Deus non esset Dominus, sed quia hoc nec propter Angelos, nec propter hæc, quæ creata sunt, sed propter hominem scribebatur.* Propter solum itaque hominem Deo titulus Dominii attribuitur. Et ecce in promptu causam, inquit S. Augustinus: *Ad eum admonendum, quantum ei expediat habere Dominum Deum.* O quam pulchra est hæc copulatio obedientiæ humanæ, & dominii divini. Quasi dicere voluisset magnus hic Doctor: Tunc se Deus magnum Dominum æstimat, quando hominem sibi obedientem esse conspicit. Ac proinde hinc facile conjicere nobis licet, quanta sit Josephi excellentia & dignitas, qui ipsimet Deo præcipiebat, ab eoque promptam sibi præstari videbat obedientiam. Unde Isidorus Deum Incarnatum hunc in modum loquentem introducit: *Ego conversatus cum Joseph in omnibus, sicut si essem filius ejus, & eram per omnia sicut ipse & obediebam ei in omnibus, nec unquam transgressus sum verbum illius, & eram subditus illi, sicut filii parentibus, & diligebam Joseph valde sicut pupillam oculi mei.* Deus itaque hominem habet sibi obedientem, Joseph autem habet Deum sibi parentem & obsequentem. E quo velut fundamento concludere possemus, plane dicendo, quod quanto Deus homine major est, tanto major videatur excellentia, & felicitas Josephi, eminere supra dominium, quod Deus in hominem obtinet. Idque Deo si ordinare complacuit, ad majorem Josephi Patris sui gloriam & felicitatis augmentum. Ac proinde cum antiqui ex filiorum bonitate soliti fuerint Patrum excellentias, & felicitates arguere; quæ causa est cur Homerus affirmet Cretenses existimasse Castorem veram fuisse Deitatem assecutum, eo quod filios haberet ex morum qualitate valde laudabiles, eximiosque in virtutibus & vitæ integritate: *Castor Aylacides, qui quondam à Cretensibus ut Deus colebatur in filiis honestis.* Subdit modernus quidam: *Tantam videlicet vim habet eximia singularisque præstantia filiorum ad augendam Parentum commendationem.* Quales igitur quamque felices S. Josephi prærogativæ eidem à divinis Jesu Christi filii sui putativi qualitatibus, & prompta ejus obedientia prognosticatæ fuisse debent, si Themistocli gloriari licuit in hoc, quod filium haberet Diophanem, qui toti Græciæ imperabat.

13. Deus olim in antiqua lege Prophetis & Patriarchis voluntatis suæ beneplacitum revelare, aut aliquod illis præceptum ad exequendum dare volens, illos non in propria persona conveniebat, sed ad illos cæli aulicos, Angelos mittere solebat: *Angelus in Testamento veteri semper*

Gen. 54.

D. P. August. In Gen. ad lit. lib. 8. c. 11. fol. 131.

D. P. Aug. ib.

Isid. de Isolan p. 4. c. 9. a. pud Novar in umbr. virt. l. 4. n. 19. fol. 117. col. 1.

Homer. odiss. 14. Alex. Pellegr. t. 1. fol. 43. Plut. in Apophr.

Abul. in c. 4. Exo.

fol. 49. col. 2. E.

semper apparebat & non Deus, inquit Abulensis hoc tamen illis libenter indulgebat ut Divinitatis suæ titulum arrogare sibi possent, se veluti ipsissimum Deum coram illis, ad quos ablegati erant, repræsentando dicentes? *Ego sum Deus*; sicut & Moysi ad Pharaonem ex divina commissione dimisso commisit, ut se Deum esse coram Rege declaratet: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; Et hujus equidem opinionis sancti Patres fuerunt Augustinus & Anselmus, Hieronymus, Gregorius, Dionysius Areopagita & Justinus Martyr: *Angeli omnes qui Dei locum obtinere jussi sunt, & hominibus locuti sunt, Dei, etiam appellati sunt nomine, ut is, qui cum Iacob & Moyse locutus est*, inquit Justinus Martyr. Et S. Thomas nos quoque docet, quod *Actiones Angelorum ministeria vocantur, & propter hoc dicuntur in ministerium mitti.* In duobus tantummodo casibus Deus non mittit Angelos, sed in propria persona, quo eundem est; vadit; sic enim primo Pater æternus in flumine Jordanis accessit, quando Christus à Præcursore suo Joanne Baptista se baptizari permisit, tunc enim *vox facta est de cælis.* Verum cujus obsecro ista vox est! S. P. Augustinus vocem Patris æterni fuisse dicit: *Vox Patris insonuit.* Et S. Ambrosius: *Vidimus spiritum sed in specie corporali, & Patrem quem videre non possumus, audiamus.* Secunda autem vice idem Pater æternus advenit quando in monte Thabor Dei Filius Christus Jesus præsentibus discipulis suis Petro, Jacobo, & Joanne transfiguratus fuit, tunc enim etiam vox quædam de cœlo delapsa audita est: *Et ecce vox de nube dicens:* fuitque similiter vox Patris æterni, inquit S. Hieronymus: *vox Patris de cœlo loquentis auditur.* Verum enim vero scire hoc loco percuperem, cur Deus in hisce duobus locis scilicet in Jordane, & in monte Thabor usus non fuerit Angelis, tanquam diligentibus & fidelibus nuntiis? Forte nulli erant Angelorum, qui ab opere vacarent, sed omnes aliis ab ipso quoque Deo impositis officiis dediti, & occupati erant? Nequaquam quia sunt plusquam milliones millionum Angelorum, qui prompti semper, & expediti ad exequendam Dei voluntatem ipsi Deo assistunt: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena assistebant ei.* Ergo id non est factum ob defectum ministrantium Angelorum. Unde ergo? Etenim quod si mysterium hoc penetrare velimus, observanda sunt in utroque loco verba ab æterno Patre pronuntiata: *Hic est filius meus dilectus.* Non dicit: *dilectus, sed filius dilectus: Filius autem dicit relationem ad Patrem.* Certe si ad utrumque hunc locum Angelus fuisset missus, idemque hæc verba pronuntiasset: *Hic est Filius meus dilectus*, hæc per bonam consequentiam relationis æquipollentem sensum redidisset, & si Angelus dixisset: *Ego sum Pater hujus mei dilecti filii* Atque ideo nequaquam, inquit Deus, hunc Paternitatis titulum Angelis indulgeri permittam facile quidem illis indulgebo ut Divinitatis nomen sibi attribuere possint, Paternitatis vero titulum non item. *In divinis*, mihi soli Primæ Trinitatis Personæ competit hujus Filii Patrem esse: *In humanis* autem fœlicitas, & prærogativa ista soli Josepho debetur. *Quo nomine, id est, Paternitatis* (inquit Sanctus Basilius) *neque Angelus, licet brevi temporis spatio, potuit nuncupari? hoc unus Ioseph insignitur.*

Aug. l. 3. de Trin. cap. ult.

Ansel. in epist ad Gal c. 3. Hier in c. 3 ad Gal. Greg. lib. 28. Mor. cap. 2. Dion. c. 4. cel. Hier. Just. martyr. q. 142. STh. 1. p. q. 112. a. 1.

D. Basil. hom. de Bapt.

4. Quando Dei Filius turbis in templo prædicabat, auditorum nonnemo eidem vicinior factus dicebat: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Quibus ille se aliam Matrem, necalios fratres aut sorores recognoscere respondit, quam illos, qui coram eo præsentes astabant, & qui Patris sui cœlestis voluntatem per omnia adimplebant. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est* Verum dicet hic fortasse Logicus aliquis: Sermo tuus, O Domine, non videtur fuisse completus. *Non enim est in eo sufficiens divisio*, cum desit ei aliquid, sed nescio quid, sequens tamen discursus facile eliciet. Existimas igitur quod non tantum Matrem habeas, id est, MARIAM, & fratres & sorores, omnes filios unius, ejusdem Synagogæ, verum etiam habeas Patrem, ut proinde dilectissima Mater tua, quando te per triduum amissum mœsta quærebat, bene dixerit: *Fili quid fecisti nobis sic? Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Cum igitur non minus Patrem saltem putativum, quam Matrem habeas, cur non æque Patris, quam Matris tuæ mentionem facis, sed haud secus ac si Patrem non haberes eundem omnino subtrices? Dicere igitur hoc modo debebas: *Quicunque fecerit, &c. ipse meus Pater, Mater, Frater & Soror est* Aut certe causa nobis investiganda erit, cur eum, qui Dei voluntatem facturus recognoscas Matrem, fratrem, & sororem, non vero Patrem? De Macedonum Monarcha Alexandro legitur, quod cum die quodam haud procul à Corintho abesset, omnes ei cives urbis illius obviâ processerint, ei significarint, se illum in suum

Matt. 12.

Idem ib.

Dan. c. 7. n. 10.

Seneca apud F. Labat. t. 3. fol. 133.

elegisse, & adoptasse concivem, & ut hunc honorem tanto majoris faceret, subdebant, honorem hunc duobus duntaxat delatum fuisse, Herculi nimirum, & ipsi, ac proinde rogabant ut hanc benevolentiam, & affectum ipsorum non spernere, sed gratum habere clementissime dignaretur. Idem, quoque Salvator noster inferre voluisse videtur: Nam Paternitas duobus tantummodo conceditur, nimirum Patri æterno respectu generationis æternæ, & ratione nativitatis temporalis Josepho. Unde Sanctus Cyprianus ait:

D. Cypr. l. de Bap. *Non est qui sibi hoc verbum (id est, Pater) audeat arrogare*, soli Joseph nomen Patris conceditur: Hac honorifica nomenclatura nostet Sanctus Patriarcha tantum afficiendus est, & nemo alius, *Vnus Ioseph insignitur.*

15 Patres Theologi duas quæstiones movere solent huic proposito non parum servientes. Prima est, an Christus dici possit filius Spiritus sancti? nam videtur quod sic, siquidem scriptura dicat: *Quod in Maria natum est, de Spiritu sancto est.* Matt. c. 1. Similiter Spiritus Sanctus Pater Christi appellari possit? Secunda est, an Mariæ dari possit titulus sponsæ Spiritus sancti? *& è converso.* S. Tho. q. 32. a. 3. fo. 345. col. 2. in fine. Sanctus Thomas ad primam difficultatem *negative* respondet: *Nullo modo debet dici Christus filius Spiritus sancti.* Unde & pro altera correlativa quæstione per consequentiam deduco, quod *nullo modo debet dici Spiritus sanctus Pater Christi* Cum sanctus Pater Augustinus dicat: D. Aug. in Ench. t. 3. c. 28. *Natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut filius.* Postea vero si quæramus, an Spiritus sanctus sponsus Mariæ vocari, & ipsa sponsa Spiritus sancti dici possit, concludunt *affirmative*, quod scilicet sine ulla erroris suspicione Spiritus sanctus *Potest dici sponsus Mariæ, & Maria sponsa Spiritus sancti.* At vero circa hasce doctrinas Theologicas profundius nonnihil discurramus. Quod si Spiritus sanctus sponsus est Beatæ Virginis, & per virtutem ejusdem Spiritus sancti conceptus est Christus, cur, obsecro, non similiter dici debebat Pater Christi? Deinde si Joseph in generatione Christi partem nullam habeat, nec quicquam in eandem sese ingerat, quomodo dignissimo hoc titulo frui poterit, ut sit Pater Christi, cum hic titulus potius Spiritui sancto convenire videatur? Existimo omnino quod tertia in Trinitate Persona Divinæ hunc erga Josephum benevolentiæ, & civilitatis actū exercere voluerit, concedendo Josepho, ut Pater Christi appelletur: ipse vero contentus fuerit alio titulo, quod scilicet Mariæ dicatur sponsus. Veruntamen nolo ut hic ulterius progrediamur, nisi prius hoc puncto *per* aliquos Scripturæ eventus corroboraverimus. Lex itaque Hebræis erat, ut si quis uxorem habens sine liberis moreretur, frater ejus aut propinquior cognatus relictam illam viduam in sponsam ducere obligaretur, & primus, qui ex tali conjugio nascebatur filius, dici debebat filius mariti jam mortui. *Erat autem ordo, quod mortuo aliquo sine liberis frater ejus, qui erat sequens in ordine nativitatis, acciperet uxorem ejus ad suscitandum semen fratris sui.* Gen. 38. Abul in c. 22. Matth. q. 173. Ecce tibi casum istum in Genesi realiter subsecutum. Nam Her primogenitus Juda moritur sine liberis? mandatū igitur fuit Onam fratri suo ut Thamar relictā fratris viduam sibi duceret uxorem. Filius autē ex Onan natus, filius diceretur Her mortui, nō vero Onan, idque fiebat *ad suscitandum semen fratris mortui* Id quod Scriptura satis clare expressit dicens: *Dixit Iudas ad Onan filium suum, ingredere ad uxorem fratris tui & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo* Gen. 38. Similem prorsus casum videre licet in persona sanctissimi Patriarchæ nostri Josephi, quem S. Matthæus scribit fuisse filium Jacob: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ:* Matt. 1. cum tamen Lucas eum filium Heli fuisse dicat: *Iesus putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, id est, Ioseph filius Heli.* Luc. 3. Etenim si Joseph unius horum filius fuit, quomodo esse potuit filius alterius? utique unicum tantum habere Patrem debuit: Respōdet S. Hieron. Jacob & Heli uterinos fuisse fratres. Heli autem sine liberis mortuo Jacob relictam viduā sibi conjugem accepisse, hacque ratione Josephū inde natum appellatum fuisse filium legalem Heli, & naturalem Jacobi: D. Hier. in Cat. D Th. in c. 1. Matt. fol. 5. c. 4. *Ex diverso Patrum genere efficiuntur Iacob & Heli uterini fratres quorum alter, id est, Iacob fratris Heli sine liberis defuncti uxorē ex mandato legis accipiens, genuit Ioseph, natura quidē generis suum filiū propter quod scribitur Iacob autē genuit Ioseph. secūdum legis vero præceptū Heli efficitur filius Iacob?* ac proinde S. Luc. dicit: *Ioseph filius Heli.* Per hæc igitur adducta scripturæ loca, ante memoratas difficultates facilè intelligemus. Joseph enim maritus erat Mariæ, verum, quia ipse quoad matrimonium propter amissum perpetuæ virginitatis votū civiliter mortuus erat sine liberis (merito enim mortuus hoc sensu dici potest, quisquis perpetuā virginitatē ex toto observat. Unde Lyrā. de filia Jephte dicit: *Non fuit sacrificata Domino per mortem corporalē, sed potius per civilē seu spiritualē? per observantiam perpetuæ virginitatis.* Lyr. in c. 11. Iud. Ideo Spiritus S. subingreditur in ejus locum, sīq; virginis spōsus, cujus opera cōceptus est Christus. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* Non tamen ideo dici debet filius Spiritus S. quia juxta le-

gem

gem *vocabitur filius mortui*, nec Spiritus S. appellandus est Pater Christi, sed hanc Patris dignitatē Josepho cedit, ipse autem nec contētus est si una cum Josepho ea prorogativa perfruatur, ut sit Mariæ V sponsus: *Hoc igitur pacto factus est Iesus à lege Filius Ioseph, defunctus erat ille carne, qui voto virginitatis se astrinxerat, & sic sine filiis decedebat: sed nō ei semē, & nomē defecit in Israel. Etenim Spiritus S. qui fratri ejus sponsam illius sibi despō savit, cujus opera Christus conceptus est, qui Spiritus S. Filius non dicitur, sed Ioseph, licet illā non genuerit.* Ecce tibi Sanctum Patriarcham nostrum à tribus sanctissimæ Trinitatis Divinis Personis, Patre, Filio, & Spiritu S. Patris dignitate mirè evectum.

Io. Oso. cor. 1. de S. Ioseph. fol 66. B.

§. Si quis instit. de rerum divis.

16. Dicite sodes, ô Auditores, quod si pictor aliquis in pariete domus vestræ pulchrā aliquā depingeret imaginem, cujusnā pictura illa propria dicenda esset? Lex illā vestram esse determinat, eo quod domus dominū & proprietatē possideatis. *Videtur pictura cedere tabulæ.* In domo Mariæ, id est, in ejus castissimo utero, Spiritus S. veluti pictor cælestis & divinus rubicūdi sāguinis Mariani coloribus, imaginē quandā depinxit, id est, verbū æterni Patris incarnatum. At vero hæc domus, id est, Maria, cujus erat? utique Josephi, quia conjux pertinet ad maritum: Igitur Spiritus S. pictura ad Josephū quoq; proprietariè spectabit. Addūt Legistæ, quod *si quis alienā plantā in solo suo posuerit, ipsius erit: & ex diverso, si quis suā plantā in alicujus solo posuerit, planta erit illius cujus est solū.* In delitiosissimo Mariæ pomario, quod ad Josephi jurisdictionē spectabat, Spiritus sanctus virtutē, & opera sua pulcherrimū Salvatoris nostri virgultū, *ut ita dicā*, inseruit: *Conceptus est de Spiritu Sancto.* Ergo virgultum illud, id est, Dei filius non ad Spiritum Sanctum, sed ad Josephum veluti Mariæ Sponsum pertinere jure dignoscitur.

§. Si quis instit. de rer. div.

17. Tres illi discipuli supra modū censebantur fortunati esse atque felices, eo quod faciem filii Dei in monte Thabor unica tantum vice, idque brevi temporis, in gloria transfiguratā vidissent. Quid igitur de Josepho dicemus, qui non semel tantū, sed millesies millies eum contemplatus est, blanditiis eum dilinivit, millena & millena oscula ei suavissime infixit, brachiis suis illum tenerrimè strinxit? Utique majori jure quam Petrus dicere poterat: *Bonum est*, quia videndo hunc vultū cælestem, imo animatū paradysum, vere beatus erat: *O sanctissime Ioseph, si Petrus semel tantum videns gloriam, & pulchritudinem Iesu transfigurati, dixit: Domine bonū est nos hic esse: quid tu dicere debebas, cui non semel, sed sæpius (ut pie creditur) se benedictus Iesus transfiguratus in corpore glorioso ostendit.*

Bern. de Bustis ser. 12. de desp. Mar.

18. Pro terrestris Paradysi custodia Deus Cherubinum quendam determinavit: *Collocavit ante Paradysum Cherubim ad custodiendam viam ligni vitæ.* Pro custodia Mariæ Deus Josephum deputavit, forte ad demonstrandū, quod, quanto Maria dignior est terrestri Paradyso, tanto Joseph præstātior, & excellentior sit quovis Cherubino: *Reminiscere quoque virginem matrem Paradysi typo signatam, & Christum lignum esse vitæ? Porro si ista hæc explorata creduntur veritatis, cur non Ioseph Cherubin asservandus est, qui & Virginis sanctissimæ, & Christi custos à Deo immortali positus fuit? inquit Isidorus Insulanus.*

Gen. 3.

Isid. Isol. l. 3. c. 22.

19. Pharao Josephum vicerегem suum lingua Ægyptiaca appellavit Salvatorē mundi, eo quod sua prudentia eum à fame liberaverit, dū pro maxima annonæ charitate, opportuno satis tempore magnā frugum copiā congregavit: *Vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi.* Titulus iste haud dubiè potiori jure Josepho beatissimæ Virginis sponso debetur, cū hic totius mundi Salvatorē à tyrannicis impii Herodis manibus salvārit, *Mundi Salvator dictus primus ille Ioseph, eo quod orbē terra à famis excidio liberasset: sed justius hunc titulum meretur Ioseph, qui hujus mundi Salvatorē salvavit ab Herodis manibus.* Joseph Vice-Rex à Pharaone totius Regni constitutus est Dominus, voluitque ut ei subditi omnes promptissimā redderent obedientiam: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet:* At vero semetipsum ab hac obedientia voluit esse exemptum: simili quoq; ratione Deus non solū voluit ut omnes creaturæ debitū præstarent obedientiæ homagium, sed & semetipsum ab eodem nullatenus voluit esse exemptū, imo in præstanda ei obedientia omniū primus & promptissimus extitit: *Et erat subditus illis*, id est, Matri Mariæ, & Josepho Patri: *Nō est mirū si Christus voluit, quod omnes Creaturæ obedirēt Ioseph, cū & ipse ipsi obediēs extiterit, & subjectus*, inquit Gerson. Unde aliter meritò suaviter hac de re cecinit:

Aloys. Nov. in. umb. virg. §. 1108.

Genes.

Gerson. serm. de Nativ.

Cuncta Deo parent; Ioseph tua gloria crescit,
Crescit honor, paret num Deus ipse tibi.

20. Pro excellentiarum, & prærogativarum Josephinarum compendio, dicere sufficiat, quod Gregorius Nazianzenus de Gorgoniæ sponso quondam dixit: *Vir illius est? Nec enim scio quid amplius dicere necesse sit.* O quam egregiè quondam Orator ille Philippi Macedonum Regis laudes hisce verbis celebravit, dum inquit *Hoc unum dixisse sufficiat, te filium habuisse Alexandrum.* Dicendo enim quod Joseph verum Dei vivi Filium, in suum quoq; filium, in sponsam vero

Mariam

Mariam acceperit, nihil reſtat, quod ulterius ad majus laudum ſuarum incrementum dici poſſit.

PARS SECUNDA.

21. Spiritus Sanctus in Canticis verba quædam valde myſtica, præſenti diſcurſui non admodum incongrua enuntiavit, dicens: *Dilectus meus mihi & ego illi qui paſcitur inter lilia.* Ubi quærendum inprimis eſt: Quiſnam, aut quænam eſt, quæ hoc in loco loquitur? ſponſa cæleſtis Maria. Cum quo loquitur? cum ſponſo ſuo Joſepho. De quo loquitur? Teſtimonium quoddam edit tum reciproci amoris, tum uniformis voluntatis inter ipſos vigentis, ac ſi dixiſſet: *Quod ipſe vult hoc & ego volo; ipſius enim velle & nolle, meum velle, & nolle eſt.* Vel juxta expoſitionem Cornelii à Lapide: *Ego tota ſum ſponſi, ſicut ſponſus totus eſt meus, adeoque ipſe eſt id, quod ego ſum, ut non tam duo, quam unus idemque eſſe videamur.* Verum ad quemnam referuntur verba ſequentia: *Qui paſcitur inter lilia?* Ad ſponſum Joſephum, qui inter virginitatis lilia ſponſæ MARIÆ, & Filii Jeſu dulciter commoratur: *Inter mundas mentes tibi famulantes*, exponit Ægidius Columna. Quid autem intendit inferre, dicendo: *Qui paſcitur?* Sanctus Hieronymus intelligit *active*, & ſanctus Gregorius, Juſtus Orgelitanus, Caſſiodorus, Apponius, & Anſelmus *paſſive*, ſed quomodo uni eidemque verbo adaptari poſſunt duo ſenſus contrarii, paſcit, & paſcitur? optime plane, nam dum ſuis laboribus nutrit, ſuſtentat, & paſcit ſponſam, & filium Jeſum: Hi viciſſim felicitatibus, conſolationibus, & gaudiis ſuſtentant, nutriunt & paſcunt eundem quoque ſponſum, & Patrem. *Et paſcit, & paſcitur inter lilia.* Id quod Rupertus Abbas Tuitienſis bene notavit, dum inquit: *Qui paſciter inter lilia. Quænam ſunt Lilia, niſi amicus dilecti Ioſeph, & Maria dulcis mater, cui dicitur ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias? Vere ambo lilia pro virginalibus nuptiis & cohabitatione chariſſima, inter hujuſmodi lilia paſcitur dilectus.*

Cant. 2.

Corn. à Lap. in c. 2. Cant.

Ægid. co. ibi lect. 5. fol. 7. col. 3. B.

D. Hier. l. 1. contra Iovin.

D. Greg.

Iuſtus Orgelit.

Caſſiod.

Aponius

Anſelm.

Rupert. Abb.

22. Inter hæc Lilia candidiſſima felicitate paſcitur & excellentiis. Neſcio enim num aliquando ad ſtylum illum, & loquendi modum vos reflexeritis, quem Evangeliſta Matth. genealogiam deſcribens Salvatoris obſervat. In principio Genealogiæ illius, dum primam Davidis mentionem facit, non nominat illum Regem, ſed dicit: *Liber generationis Ieſu Chriſti filii David* Econtra vero paulò infra duabus aliis vicibus ipſum glorioſo Regis titulo honorat, & veluti diadema regium capiti ejus immittit: *Ieſſe autem genuit David Regem.* Et paulo poſt iterum: *David autem Rex genuit Salomon.* Etenim videtur mihi hoc loco, quod, quantum Evangeliſta hiſce duobus ultimis locis honorat, & extollit, tantundem illi in principio genealogiæ præjudicet, illumque dejiciat. Si duabus ultimis vicibus ipſum minime Regem appellaſſet, nihil eſſet quod in contrarium dici poſſet. S. Joann. in ſua Apocal. ante Thronum cui Deus inſidebat, viginti quatuor ſeniores ſe vidiſſe refert, qui veluti Reges aureis in capite ſuo diadematibus redimiti erant. *Et in capitibus eorum corona aurea.* Qui tamen iidem poſtea coram illo in genua prolapſi, depoſitas è capitibus coronas demittebant in terram. *Mittebant coronas ſuas ante Thronum:* Corona ſoli Regi convenit, & ab eo in capite portari debet; unde coronam in terram demittere eſt, quam repræſentat, regiam dignitatem ſpernere vel contemnere. Devotiſſimo Regi Carolo Provinciæ Principi minime ſufficiebat, quod ſacratiſſimo corpori S. Mariæ Magdalenæ dignum in pretioſiſſima Hierotheca fabricaſſet habitaculum in Capellæ altari majori, ſituque eminenti collocatum ſua duntaxat clave reſeranda, ſed inſuper ad ejus majorem honorem, majoriſque reverentiæ evidentius ſignum ſuper ſacrum illius caput regium diedema ſuum ex auro, gemmiſque pretioſis contextum immiſit, ut vel hac ratione conteſtaretur, quod totum illi cederet Dominium, & regnum, ſeque reputaret indignum, qui in ejus præſentia compareret regia corona redimitus. Quæ hiſtoria nobis luminis loco ſervire poterit ad facilius intelligendam quam de viginti quatuor ſenioribus & Rege Davide movimus difficultatem. Demittuntur coronæ è capitibus ante thronum Dei, ut per hoc innuatur quod coronas ſuas Regi omnium Regum ultro, libenterque cedant, cum non conveniat diademate in alterius majoris Regis præſentia conſpicuum eſſe: *Hinc eſt, ut qui in conſpectu agni ſunt, interdum ſibi imponat coronas & ſedeant? interdum deponant & procidant? ut ex hoc ſervire ſe Deo, ex illo vero nihil ſibi veræ libertatis regiæ nobilitatis imminui, vel aufferri ſignificent, ſi Dei ſervi ſint*, inquit Pineda. Ita David, quando in ſocietate Jeſſe Patris ſui, aut Salomonis filii ſui conſtitutus erat, utpote iis omnibus potior & major, coronam in vertice geſtat, & Regis inſtar comparet: *Ieſſe autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem*: at quando ſimul eſt cum filio Dei, glo-

Matt. 1.

Ibid.

Ibid.

Apoc. 4.

Ibid.

Lalius Tholoſ. in conc. l. M. Mag. fol 46.

Pineda in cap. 1. Iob. v. 8. n. 5.

ria ejus nequicquam resplendere videtur, sed corona & omnis splendor ejus, velut sub terra sepultus, ab oculis evanescit: *Liber generationis Iesu Christi filii David?* Unde Rabanus Maurus: *In hoc quod dicit Iesu Christi regalem, & sacerdotalem in eo exprimit dignitatem, nam Iesus qui nominis hujus præsagium prætulit, primus post Moysen in populo Israel ducatum tenuit.* Huic conforme est, quod de Octaviano Imperatore legitur, nimirum populum Romanum, eo die, quo natus est Christus in mundum, Octaviano titulum Domini totius mundi voluisse imponere, quem tamen omni conatu adhibito renuit acceptare. Res isthæc verè summè est admiranda, quod nimirum vir aliquis honorum & titulorū studiosissimus tantam postea sibi ultro oblatam recusarit excellentiam. Id singulari Dei providentia cælitus factum esse existimo, qua nimirum hæ dicto Monarchæ suggestiones fuere suggestæ, nimirum minimè convenire talem sibi eo die arrogare dignitatem, quo totius universi, imo cæli terræque Imperator hunc in mundum natus erat? quasi dixisset: Huic, qui hodie natus est, hanc dignitatem cedo. O glorioſi Patriarchæ nostri Josephi excellentiæ præeminentia, & felicitas incomparabilis! Quando de cælesti prægnantis sponsæ suæ mysterio cælitus nondum edoctus, quod hoc num deserenda, & relinquenda esset, vel non, perplexus hærebat, ei dormienti apparuit Angelus, qui illum ab omni, quæ ei imminentem cadere posset formidinis umbra securum reddens, ei dixit: *Ioseph fili David noli timere.* Verum dicite mihi, si nostis, qua de causa Evangelista non dedit Davidi justè ei debitum regiæ dignitatis titulum? videtur enim Angelum convenientius hoc loco locuturum fuisse: *Ioseph fili David Regis.* Imo verò nequaquam ita Evangelistam loqui conveniebat, quia regia Davidis dignitas in conspectu duplicatæ Josephinæ dignitatis, qua & sponsus Mariæ, & Pater Jesu Christi esse cognoscitur, disparere, & evanescere debuit. Ac proinde O David, quando de Excellentiis Josephi sermo est, coronam tuam regiam in angulum protinus abjice: *Absolute dicendo Ioseph fili David, absque titulo? ostendit ante pedes Ioseph Reges diademata deponere? ut non jam Reges sed subditi ipsius.*

Rabanus in Cat. D. Th. ib. fo. 3. col. 2.

Balth. Arius serm. 1 de Epiph. fo. 239.

P. Blos.

23. Vir quidam præclara nobilitate insignis, & Joviali ingenio præditus excellentem quendam pictorem requirens, ab eodem invento picturam quandam sibi fieri postulavit, promittens, quod si juxta animi sententiam eandem omnibus numeris absolveret, non fore difficultatem quin eum pro ratione præstantis picturæ debito auri pretio remuneraret. Pictor operam suam promptissimè obtulit, & quid pingi sibi desideraret, rogavit. Mox Nobilis ille valde exiguam Lamellam æneam protulit, in magnitudine unguis pollicis alicujus, gratum sibi fore significans, si in modico hoc spatio Sanctam Ursulam cum undecies mille virginibus distincte depingeret. Quod tametsi pictor initio quidem velut rem impossibilem ratus facere abnuisset, mox tamen resumpto animo, si temporis moram operi faciendo sufficientem indulgeret, ad votum se completurum promisit prout & fecit. Post multum verò temporis Pictor factus nobili obvius, eidem chartulam quandam cui lamella prædicta inserta erat in manus porrexit, dicens, ut fidem tibi datam non fallerem artis meæ extremum adhibui? En igitur datam mihi à te Lamellam æneam, & in ea effigiatam, quam petieras picturam, scilicet S. Ursulam cum undenis suis virginum sodalium millibus? experire si desiderio tuo satisfecerim. Nobilis ille picturâ hac in omnem partem cum exacta reflectione considerata subjunxit: Quantum video, penicillum non totum expressit, quod tua mihi lingua promisit; nisi enim me oculi fallant, nil hic præter unam urbem, & duas virgines conspicio, magnum autem inter duas Virgines, & undena virginum millia discrimen est. Mox pictor respondit: Rem explicatam distinctius, ut video, melius intelliges: Prima igitur virgo quæ ad supremam urbis portam cum explicato in manibus vexillo videtur, S. Ursula est: alia autem, quam in inferiori parte urbis intueris, inter undecim mille virgines est omnium postrema: Denique aliæ primam sequuntur processionaliter per urbis plateas ambulantes, ut si caute omnia videris, neminem ex tota Societate deficere experieris, ne unam quidem. Ad cujus rei faciendum periculum civitatem ut ingrediaris licet, ingredere igitur & numera singulas si placet coram te transeuntes. In modico horæ unius spatio, & in minuta adeo discursus mei Lamella excellentiam, & felicitatem Glorioſi Patriarchæ nostri vivis verborum coloribus, & rudi linguæ meæ penicillo delineare rem censebam ab initio impossibilem, Pictorem itaque prædictum sum imitatus, duas duntaxat prærogativas, veluti duas virgines juvenculas, ob oculos vobis repræsentando, quarum prima est, quod sponsus fuerit Mariæ Virginis, secunda est,

quod Jesu Christi pater fierit putativus. Mihi itaque sufficit me duas hasce singularissimas excellentias, in quibus omnes aliæ prærogativæ continentur, non jam delineasse, sed adumbrasse tantum. *Vir Mariæ est, & filium habet Dominum Iesum Christum.*

Thom. de Trus. in vita ejus fol. 732.n.10.

24. Porrò cum Redemptor noster jam 29. annorum ætatem attigerat, sanctus autem Senecio noster ad Annos usque sexaginta novem perveniisset, grave decrepitæ senectutis pondus humeris suis sustinere diutius non poterat, adeo ut cadentibus & lassis membris ligneum fulcrum oculisque suis à Chrystallo amicum lumen procurare opus ei fuerit. Venerabilis erat in argentea capillorum suorum canitie, candidæque, quæ mentum ejus vestiebant pilorum plumæ, cor absondebant simplicissimæ columbæ. Sub senectutis nive tremulum quidem erat ejus corpusculum, veruntamen generosus, & intrepidus præparabatur ad mortis conflictum, Quando insolito quodam languore correptus, corpusculum suum super mendico atque pauperculo lectulo extendebat, qui asperæ cujusdam pœnitentiæ rigoribus potius proportionatus erat, quam ad languentium membrorum requiem. Sic igitur inter pauperculos pannos ab amica sibi paupertate, seu mendicitate potius, in qua vivebat, restrictus, & obvolutus, advocatis summa cum reverentia & pietate ad unum quidem latus benedicta sua consorte, ad alterum verò obedientissimo filio suo, hisce languidis vocibus utrumque est allocutus. En. ô mihi dilectissimum pignus, ego deficio. Ego morior, ô Veneranda sponsa mea. In extremitate labiorum meorum moribundus vitæ meæ reliquias persentisco, quæ licentiam sollicitant ab hujus mundi fragilitate abeundi ad æternitatem gloriæ. Ah, ponite nunc frænum lachrymis, dum anima mea vincula rumpit quibus nectebatur hisce mortalibus exuviis. Transitus ille, quem ex hoc mundo nunc ordior, minimè coronari meretur pretiosis lachrymarum vestrarum margaritis. Recipite interea ultimam dispositionem meæ in vos pronæ voluntatis, nam calamo linguæ meæ, harumque vocum characteribus, lachrymarum istarum à moribundis genis meis dimanantium encausto sive atramento, modicum, & pauperculum testamentum meum in virginea cordium vestrorum charta coram descendentibus de cælo Angelis tanquam veracissimis testibus registrare, aut condere statui. Non alias vobis relinquo divitias, præterquam voluntariam paupertatem. Thesaurus, quem tibi ô Maria, consigno, custodia dilecti tui erit. Divitiæ quas in tuas, ô dulcissime filii, manus depono, sit observantia matris tuæ. Supellex cujus te, ô amantissime Jesu, hæredem constituo, sunt ligna, clavi, marcelli, arundines, spongiæ, & chordæ, quæ rubeo imbutæ colore rectissimam in tabulis sive assenbus regulam sive lineam designant Hæc fuerunt exercitii mei domestici quotidiana instrumenta, quæ artem, & inclinationem meam me docuerunt. At verò oculo prophetico prævideo, tibique vaticinor hanc suppellectilem ad instrumenta passionis tuæ adhibendam esse, inter quæ amarissimum mortis tuæ calicem gustaturus eris. Ligna Crucem tibi formabunt. Ex ferro reliquo aliud mihi clavos, aliud martellos & malleos, aliud lanceam præfigurat. Arundines, quæ justam Lignorum mensuram ministrant, illam mihi repræsentant iniquissimam mensuram, qua sapientia tua velut stultitia, stoliditas, & vanitas explodetur. Spongia, quam tibi relinquo illam mihi repræsentat, quæ amaritudini fellis, & aceto intincta labia tua dirè amaricabit. Hæ parvulæ chordæ, & vestes quid mihi aliud demonstrant, quàm funes, & catenas, quibus strictissimè ligaberis, & crudelissimæ vapulabis. Color rubeus, quo chordæ imbuuntur ad imprimendas asseribus, sive tabulis rectas lineatum regulas, sanguinem tuum mihi indicat, quem pro humana redemptione effundes in Cruce. Et hac ratione ultimam suam voluntatem expressit, moxque subjunxit? En hoc totum id est, quod possideo, quantum dare potui tantum dedi. Dumque anima ejus extremis labiis mox abitura insideret? Ego hinc abeo, dicebat, Ex hoc mundo ad aliud sæculum me recipio, hoc solo contentus, quod hisce oculis te filium meum delitium cordis mei viderim, hisque brachiis meis universi Redemptorem sustentatim. O oculi mei, quid nunc amplius videre superetit? Ah, in placidissimo somno claudimini, videbaturque in hisce verbis suavissime abire in pace. Abi, abi, igitur, ô anima, benedicta, ut æterna fruaris tranquillitate, & velut candidissima columba innocentiæ tuæ alas quatiens pacis olivam sanctis illis Patribus, qui in area lymbi suspirant, atque ad cælestem serenitatem aspirant, velociter deferto. Post tot, tantosque labores tantisper requiesce, tandemque post tot superata certamina gloriosa triumpha. Fruere, & perfruere supernæ gloriæ amplissimis mercibus, quas hîc in terris per voluntariæ paupertatis divitias abundè tibi comparasti.

Certa-

Certatim stellæ sese innectere satagunt, ut ad coronandum verticem, & frontem tuam gloriosum tibi diadema efforment. Currunt Angelorum integri, copiosique exercitus, ut laudes tuas conclebrent. Ego interea cum vocem meam ex continuata dictione vacillare experiar, gloriam tuam, tuosque triumphos cum silentio, omnique possibili devotione venerabor.

SERMO SEPTIMUS IN FESTO S. BENEDICTI.

Et erit tanquam Lignum, quod plantatum est secus decursus Aquarum.
Psalm. 1.

1. PRopheta regius Dei servos Arbori comparat juxta fluminis decursum plantatæ: *Et erit tanquam Lignum? More Hebræo Lignum pro arbore posuit*, ut scriptores exponunt. Nec iniqua esse videtur hæc comparatio, cum etiam antiquitus hominem definiverint, dicendo eum *Esse arborem inversam?* in qua etiam specie à cæci illius illuminati oculis homo visus fuisse in Evangelio perhibetur, dum ait: *video homines veluti arbores ambulantes.* Et quidem verissimum est diversissima & quasi infinita reperiri arborum genera, ego tamen hoc loco duntaxat de nonnullis illarum referam, quæ meo judicio extraordinariis sunt præditæ proprietatibus, non minus incredibilibus, quam ratis. Etenim in quadam Insula Indiarum, quæ Hispanida vocatur, arbor quædam reperiri dicitur, cujus fructus odorem suavissimum spirant, tamque gratum extrinsecus colorem referunt, ut intuentium ad se oculos quasi rapiant, & alliciant. Sed quovis sunt toxico venenosiores, magisque mortiferi, unde illarum partium accolæ, & incolæ fructus illos sagittis suis intoxicandis, & veneno imbuendis adhibent? Quisquis sub ramis ejus dormit, capite, toroque corpore, velut hydropicus, intumescit, deformatur in vultu, visum amittit, ac tandem ignis è lignis ramorum ejus excitatus corporibus humanis maximè est pernitiosus. In Regno Delos arbor quædam nascitur, quæ Baxana dicitur, cujus radices sunt venenosissimæ, adeo ut illas manducare, & subitò mori quasi unico temporis momento accidat? Alii verò ejusdem Regni fructus, Nirabixi cognominati, potentissimum adversus radices illas ministrant electuarium. In Insulis fortunatis, præcipuè in una, quam Ombrios vocant, non invenitur aqua, nec fontes, nec flumina, nec unquam in ea pluit, sed loco horum omnium terra Insulæ illius arbores quosdam producit, quæ semel in die circa diluculum matutinum è stipite, ramis, & foliis, aquam ad sufficientiam fundunt, haud secus, ac si nubes quædam esset in aquam resoluta. In Hircania Arbor Octo ad ortum auroræ duabus horis continuis mel scaturire pergit? & aliæ ibidem reperiuntur, quorum rami si incidantur rivos lactis subito fundunt. In Hermopoli Thebaidis oppido alia quædam arbor Persica reperitur, cujus fructus, cortex, & folia valde sunt adversus quamcunque infirmitatem salutaria. Atque hæc est illa arbor, quæ Josepho & Mariæ ad puerum Jesum ab impii Herodis crudeli tyrannide salvandum, in Ægyptum fugientibus, ad terram usque reverentiæ causa se incurvavit & demisit, quando illam transiverunt. Alia quædam arbor in Provincia Prodifetaniæ producitur, quæ à gentibus regionis illius arbor verecundiæ nominatur, quæ homine ad illam propius accedente frondes stringit, ramosque in semetipsos retrahit, & subducit, homine autem ab illa denuò procul recedente iterum extenditur, & dilatatur. Est & alia quædam arbor in Provincia Malobiæ, quæ Cicara dicitur, & quolibet anno unum duntaxat fructum non ex ramis, sed ex stipite producit, qui tantæ est magnitudinis, ut unus homo, quantumvis robustus, illum portare difficulter queat, continetque fructus ille in sinu trecenta ut plurimum poma. Præterea à mu-

Psal. 1. Io Foleng. ibid fol. 2. A Com. Ianſ ib. fol. 5. col. 1. Thom. Angl ib. fol. 7. col. 2 n 3. Marci. 8. Overanus Hiſt. l. 9. c. 12.

Navig. fol. 303. fac. 2. E. Ovet. Hiſt l. 2. c. 9. Plin. l. 12. c. 8.

Zozom. l 5. c. 20.

Ramuſ. p. 1 f. 344. B.

Ramuſ. p. 1 fol. 342 fac. 2. E. Vinc. Belluac. l. 16. c.

Bapt. Ram p. 1.

tis refertur, quod in Indiis Orientalibus ab arboribus juxta mare ſituatis aves naſcantur, quas Berneche vocant, id eſt, arbores liquorem quendam foras emittunt qui paulatim, & ſenſim in aves tranſmutatur, quæ ubi plumas acceperint protinus avolant. Quercus Reni Fanfutt, intra corticem farina plenæ ſunt, è qua facti panes omnibus ad nutrimentum ſerviunt. Intra arbores, quæ in majoris Graceæ inſula creſcunt, virga quædam ferri naſcitur, tali virtute prædita, ut qui virgam talem penes ſe defert, aut coronam ſuam ea virga contingit, à nullo alio ferro vulnerari poſſit? unde multi pellem ſuam aperiri, & ferrum illud intra cutem inſeri procurant. Denique alia eſt arbor in Britannia cujus folia ſi in Euripum ſibi vicinum incidere contigerit, ſub to in aves tranſmutata ad volandum ſeſe committunt.

40. f. 197. col. 4.

Iacob Card. Acen. in Hiſt. Orient. Marcus Petrus l. 3. c. 16. & Ramus. p. 1. fol 344. Fac. 2. F. Pier. Valer. l. 26. de Ephemer. fol. 191. fac. 2. F.

2. Veruntamen ſervi Dei cum nulla præfatarum arborum adeo propriè conveniunt, ſicuti cum illa, de qua regius Iſraelis Propheta loquens dicebat: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum?* nam decurſus ille aquarum, nihil aliud denotat, quàm gratias Spiritus Sancti, à quibus continuo fertiles reddunturque valdeque fæcundæ: *Rivi aquarum dona ſunt gratiæ Spiritus Sancti, quibus vir juſtus perpetuo irrigatur.* Quinimo jam dicta Davidis metaphora, cum nullo aliorum Sanctorum tantam habet proportionem, quantam cum Sancto Patriarcha noſtro Benedicto. Ipſe enim eſt, qui in bonitate eximius, & benedictionibus quaſi rore cæleſti copioſe locupletatus *Non abiit in conſilio impiorum: Non ſtetit in via peccatorum: Non ſedit in cathedra peſtilentiæ, id eſt, in obſcœnitatis magiſterio.* Unde meritò hoc nomen, *Beatus vir*, ipſi appropriatur? nam ex mente Guarrici Abbatis: *Ipſe profectò fuit vir Benedictus.* Fuit etiam arbor juxta aquas gratiarum plantata: *Arbor fuit B. Benedictus*, inquit Bernardus? *grandis, atque fructifera, tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Ibi planta ubi decurſus aquarum, quia ibi copia gratiæ ſpiritualis.* O quam pulchra eſt hæc arbor? quæ bene eſt radicata per humilitatem cujus vertex adeo altus eſt, ut ad ipſas quoque cæli ſtellas ſe extendat per eminentiam meritorum: Cujus rami ſe dilatant ab Oriente ad occaſum, per ramos intelligendo Religiones, & Congregationes à S. Benedicto derivatas, quales ſunt Caſſinenſis, Camaldulenſis, vallis Umbroſana, Ciſtertienſis, Humiliatorum, Cæleſtinorum, Cluniacenſium, Grandimontenſium, Olivetanorum, & tot millia millium monaſteriorum, in quibus Virgines Sanctimoniales ſponſæ Chriſti ſub S. Benedicti vexillo militare dignoſcuntur, de quibus omnibus optimè dici poteſt: *ſi radix ſancta, & rami.* Fructus autem, quos produxit *in tempore ſuo*, ſunt tot Religioſorum milliones, qui fœcundarunt Eccleſiam, auxerunt & propagarunt fidem, Chriſtianamque religionem miris modis doctrina, & ſanctitate illuſtrarunt, tales ſunt ex hoc ordine progreſſi quindecies mille ſeptingenti Doctores? centum, & duodecim Imperatores, totidemque Reges, octodecim ſummi Pontifices, ducenti Cardinales, plures quam mille ſexcenti Archiepiſcopi, plures item quam quater mille Epiſcopi. Integer millio quinquies mille ſexcenti Sancti canonizati. Hæc eſt arbor illa, de qua Salvator dicebat: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Proprii autem & naturales hujus arboris fructus ſunt rariſſimæ ejus virtutes, quas per totius vitæ decurſum poſſedit, quas (ut brevitati conſulendo, cætera omnia prætream) ad duas potiſſimum reducturus ſum cathegorias, id eſt, ad virtutes Cardinales, & Theologicas, ut hac ratione vos quoque tanquam teſtes veritatis affirmare poſſitis, quod Benedictus verè ſit vir ille ſingularis, & beatus, de quo Propheta cecinit dicens: *Beatus vir?* quia *dedit fructum in tempore ſuo.*

Ad Rom. 11. 16.

Petrus de Valder. ſerm de S. Bened. fol. 468. col. 1. Et apud Thom. de Truſillo in feſto S. Benedicti fol. 741. col. 1.

3. Inter fructus magis exquiſitos ab hac arbore productos, eximii fuerunt, qui ad virtutes pertinent Cardinales, adeo ut gratioſa quadam translatione ei adſcribere poſſimus, id quod Peluſiota in Timotheo ſuo notavit: *Temperantiæ delubrum erat, Prudentiæ ſedes, Fortitudinis arx, & Juſtitiæ metropolis.* Super quam libet harum ſeorſim diſcurramus, ſic enim quantum hæ in ipſo reſplenduerint, clarè videbimus. Inter has itaque prima omnium oculis ſe meis objicit rara Prudentia, quæ juxta Ariſtotelem *eſt recta ratio agibilium.* De qua etiam Chryſoſtomus ait: *Prudentia Lucernam animæ præfert, regina eſt cogitationum, magiſtra eorum, quæ bona ſunt, & honeſta.* Prudentia in hac arbore Benedicta germinabat, priuſquam ex terra uteri materni nata comparuiſſet. Res valde mira de hoc ſancto legitur, nimirum, quod priuſquam ab utero genitricis ſuæ natus fuiſſet, dulciter cantare auditus fuerit. Quis unquam de alio ſancto ſimile prodigium audivit? Quis illum verba cantus proferre docuit? Neſcit loqui, & tamen Cantus tradendi magiſter evaſit, loco chori matris uterum uſurpans!

Iſid. Peluſ. Epiſt. 151.

Ariſt. 6. Ethic. Chryſoſt. Hom. in Pſal. 13.

Petrus de Valder. ſerm. de S. Bened.

Didacus de Cel. in Iud. c. 8. §. 1. n. 9. Guarricus Abb. ſerm. 2. de S. Bened. D. Bern. ſer. de S. Bened. fol. 49. col 3.

Matth. Bredenb. ibid v. 3. f. 10. col. 2.

usurpans! Prudentiæ est ingenio, & industria id assequi, quod natura viribus suis attingere non valet. Cùm Pincerna Regis, & pistorum præfectus Pharaonis Regis jussu carceri mancipati essent, Joseph videns quod mœstitiæ characteres vultu inscriptos deferrent, eosdem veluti imprudentes reprehendit, utpote qui se carceri inclusos, & libertate privatos patienter sustinere non possent, dixitque; *Cur tristior est solito facies vestra.* Benedictus in ventre matris velut in carcere vinctus, & sui ipsius libertate destitutus est, lucem serenatricem cordium nondum aspexit, & tamen nulla corripitur mœstitia, imo verò cantus, quem in utero matris suæ format, fæcialis est & nuntius ejus quæ in ejus pectore triumphat, lætitiæ; videbaturque quod usum rationis intellectus lumine præveniendo, velut insignis prudentiæ magister artem doceret per cantus harmoniam, fastidiosam pellendi mæstitiam. Cygnus cantat quando moritur, noster autem infantulus quando nascitur, imò quando moritur, quia mundo moriturus nascebatur. Veluti arbor tenella fructus suos non cœpit dare in tempore suo, sed præcociter tempus serendorum fructuum præveniendo? nam priusquam Benedicti nomine insignitus esset, jam Dominum suum cantando benedicebat, forte per idem invitatorium, quod cecinere filii Abinoem, Debora, & Barach: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Prima actio, quam homo, mox ut natus est exercet, lugubris est cantus. Unde Seneca: *Nonne vides qualem vitam nobis natura promiserat, quæ primum nascentium omnium fletum esse voluit.* Idque fortasse quia nascens scopus fit ad sagittas pœnarum, laborum, miseriarum, quæ in eum jaciuntur: Benedictus autem cantando jubilabat, quia labores quos pro Dei sui gloria toleraturus erat, futuri erant ejus suavissima solatia, ærumnæ gratissimæ delitiæ, fatigationes denique censendæ erant ejus jucundissimæ recreationes, affirmante S. Gregorio quod *si mens forti intentione in Deum dirigitur, quiquid in hac vita sibi amarum sit, dulce æstimat, omne quod affligit, requiem putat.*

fol. 470. col. 2.

Gen. 40.

Iudic. c. 5.

Seneca lib. de Consolat. cap. 23.

4. S. P. N. Augustinus maximum miraculum fuisse censuit, quod etiam infantes parvuli, qui nondum ad loquendum os suum aperuerant, ad cantandum simul cum adultis linguas suas solverint, benedicentes Deum pro ingenti beneficio, quod siccis pedibus mare rubrum pertranseundo, Pharaonis autem exercitum submersum videndo, de manu Dei munifica acceperant: *satis admiratione accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates eodem inspirati flamine, uno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti easdem continentes literas decantarent in unum: Cantemus Domino.* Majus autem est, quod in S. Benedicto accidit miraculum, qui canoras in matris utero voces formavit, priusquam nasceretur? & cum jam pridem inchoaturus esset cum sathanæ exercitibus instituendum prælium quasi securus de Victoria, trophæa sua decantat. *Quia crescente pugna gloriosiorem sibi non ambigit manere victoriam:* inquit magnus ille Pontifex S. Gregorius. Multi sunt, qui inter adversitatum tenebras, prudentiæ anchoram amittentes in scopulos desperationis impingunt, non obstante aureo illo Isidori monito: *in adversitatibus tuis non contristeris.* Ab horum numero omnino excluditur Benedictus puerulus, qui utpote magnus prudentiæ amator, intra materni sinus angustias, & obscuritates constrictus, sciens prudentis esse *Omnia adversa æquo animo tolerare* vultu nondum à sole illustrato, sed à lætitia cordis sereno jubilat & cantat.

S. Aug. lib. 1. de mirab. Sac. script. cap. 21.

D. Greg. lib. 26. Moral.

Ibid. l. 3. de summo bono.

Idem l. 1. Soliloq.

5. Refert Solinus in Æthesia nonnullæ quod fœminæ unica duntaxat vice pariant, partus autem illarum subito postquam nati sunt canescant. *Apud Æthæsiam quasdam fæminas semel parere, natosque canos illico fieri.* Quicquid hac de re veritatis subsit, saltem de Benedicto verum est, quod nascens secum ab utero genitricis suæ canitiem attulerit, non quidem in capillis, sed in prudentia, & sano mentis judicio: *Ab ipso pueritiæ tempore cor gerens senile, ætatem moribus transibat*, ut refert Gregorius magnus. In pueritia ipsismet operibus plus exhibuit, quam ego vobis indicare lingua possim, verificando de se idipsum quod Persius monuit:

Solinus cap. 53.

D. Greg. l. 2. c. 1. Dialog.

Sunt quibus ingenio & rerum prudentia velox.
Ante pilos venit, &c.

Persius Satyra 4.

Primus, qui unquam de Deo in scriptura sacra locutus est, Moyses fuit, quando creationis opera describens dixit: *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Observate, quæso, sacri hujus Chronistæ stylum. Priusquam aliquid de esse Dei referat, jam suas incipit notificare operationes, ipsumque prius operantem demonstrat, quam existentem. Cum tamen, si verum est,

Gen. 1.

quod *Prius est esse quam operari*, esse præponere debuerit ipsi operari, & naturæ, seu verius, doctrinæ ordinem observare. Respondet Modernus quidam, Moysen intendisse facere ut nos prius de Deo conciperemus ejus operati, quam esse, quia in illo instanti ordinis, quo Deus conceptus fuisset à nobis existens non vero operans, humana ignorantia, quæ prudentiam ex bene operando arguit, credere potuisset Deum, dum non operabatur, etiam non fuisse prudentem: *Voluit Moyses ut prius mente conciperemus Deum, quam audiremus eum operantem.* Atque ideo prius nobis manifestat Deum operantem, quam existentem vel saltem non prius existentem, quam operantem. Ne ab hominibus idiotis, aut ab Ethnicis, *devenustaretur ut stupidus*. Ac proinde Epicurus & Philosophi gentiles, prout scribit Tertullian. *Dicebant Deum suum esse otiosum, & credebant stupentis esse Divinitatis.* Unde Moyses ingeniose *Prius proponit mundo Deum operantem, quam probet esse Deum; quia operando vindicatur Deus ab hac humani stuporis calumnia.* Ut igitur ad sanctum nostrum Patriarcham Benedictum revertamur, de eo dicere quoque cepi, quod in eo prius ceperit operari, quam esse, non solum quia in utero materno cecinit, priusquam natus fuit, verum etiam quia prius fuit prudenter operatus, quam haberet annos, vel esse prudentiæ. Etenim in ætate juvenili acquirendis virtutibus aptissima constitutus erat, quando Romæ studiis dedicatus, se in quadam vitiorum sentina positum esse advertere cepit Sodales, & contubernales ejus, qui in dissolutiones admodum erant proclives, sanctum quoque juvenem iisdem involvere, ignemque concupiscentiæ in esca cordis sui accendere quidem moliebantur; Id quod sanctus animadvertens egregium prudentiæ actum exercuit, studia deserere potius eligendo, quam animam suam perdere. Unde relictâ Româ in solitariam quandam speluncam quadraginta milliaribus à Roma distantem se recepit. In hoc autem itinere quot, quamque vehementes ei tentationes, dissuasiones, terriculamenta, aliaque phantasmata vana non occurrerunt! Quonam te recipis, O Benedicte? (ita eum Dæmon alloquebatur interius) quonam te à male consultis resolutionibus tuis transferti permittis? Austeritas vitæ tuæ minime conformis est juventuti: Deserta natalibus tuis non sunt proportionata: A Roma procul abire, idem est, quod fortunæ favoribus terga vertere. Quare, O Benedicte muta propositum, ad urbem, quæ ut te exalter magnorum desiderio te expectat, gressus tuos revoca? veruntamen Benedictus hæc omnia surda animi aure excipiens, iter suum constantissime est prosecutus. Verum enimvero priusquam ulterius progrediamur videre vos velim, quam perfectus in hac arbore fuerit prudentiæ fructus.

Didacus de Cel. in Iud. c. 7. v. 18. §. 21. n. 83. fol. 220.

Tertull. l. adv. valint. c. 7. Didacus Cel. ubi sup.

D. Vinc. Ferrer. serm. de S. Bened. f. 51. col. 3.

Thom. de Trusill. in festo S. Bened. fol. 733. col. 4. n. 10.

6. Angeli olim Loth, sicut & Conjugi ejus, totique ejus familiæ reliquæ firmiter persuaserant, ut velocissime Sodomam deserentes, in civitatem Segor se reciperent, ibidem salvandi: *Salva animam tuam, in monte salvum te fac.* Conjux autem ejus ab impulsibus desiderii revertendi in civitatem violentari se sentiens, corpore quidem renus in cæpto versus Segor itinere progrediebatur, voluntatis tamen passibus retrogrediebatur continuo. Et caput quidem primo in Sodomam vertit, ut eo quoque pedes suos postea revocaret, quo eam affectus interni trahebant. Quid fit? *versa est in statuam salis,* Ergone Deo ad hanc mulierem castigandam alia media deerant? Cur illam non in statuam terream, lapideam, ligneam, aut quamvis aliam vertit? Origenes respondet: *Quod autem fit statua salis, insipientia ejus indicium videtur expositum? Sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit.* Sal prudentiæ symbolum est, hæc ei defuit, eo quod imprudentiæ actum commiserit, dum in civitatem semel relictam tanto cum periculo suo reverti voluit, ac proinde *versa est in statuam salis. Ad indicandum mulieris imprudentiam* Etenim quantum hæc mulier in civitatem divino supplicio adjudicatam reverti volens, contemptibilis & imprudens fuit, tantundem S. Benedictus ob suam diabolicis persuasionibus resistendo exhibitam prudentiam magis est laudandus, dum Romam minime reverti, sed pro animæ suæ securitate locum refugii quæsiturus iter suum cœptum ad finem usque prosequi voluit, haud secus ac si ab Angelo ei dictum fuisset: *Salva animam tuam, in spelunca salvum te fac, & noli respicere post tergum.* Vera prudentia hæc est deserere Romam, divitias, studia, mundi hujus delitias, ut Domino servire possis, *visum sibi fuit longe præstabilius sibi esse, se totum virtuti, & Dei servitio consecrare relictis literarum studiis, vita ejus sæculi voluptates sprevit, divitias contempsit, & se totum Dei obsequio mancipavit.* Serviat hoc omnibus utriusque sexus Ord. S. Benedicti Religionis speculi & veri exemplaris loco, quod imitentur, ut cum mundum prudenter reliquerint, persuaderi sibi minime permittant, ut velut uxor

Gen. 19.

Gen. ibid.

Orig. apud Cat. ibid. Didacus de Cel. in Esther. c. 7. v. 4. §. 181. n. 2.

Thom. de Trusillo in vita ejus fol. 733. col. 1. n. 10.

uxor Lothi retro respiciant, aut reditum in hujus mundi mancipatum, & duram servitutem animo meditentur.

7. Verum enim vero, quid prodesset huic Arbori fructus protulisse prudentiæ, nisi pariter produxisset justitiæ fructus? Hæ enim duæ virtutes ejus sunt indolis, ut à se invicem dissociari, aut divelli minimè possint. *Justitia sine prudentia parum prodest* (inquit Tullius) *sine justitia nihil valet prudentia.* Porro S. juvenis noster Benedictus optimè cognovit æquum non esse illas à se invidere, summam verò prudentiam esse eadem conservare. Inter alia præclara monita, quæ sapientum Rex inclytus post se reliquit, hoc quoque insigne fuit: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum da ei.* Quæ ultima verba S. Hieronymus ita exponit: *Da ei de fructibus justitiæ tuæ*, id est, Da Deo fructus justitiæ, seu, fac quod justum est, unde servi Dei tanti justitiam æstimant, ut potius vitam perdere, quàm aliquem injustitiæ actum committere eligerent. Joseph Patriarcha gratiositate sua, fidelitate, suaque in exhibendis obsequiis industria, & diligentia, genio Dominæ suæ conjugis Putipharis ea ratione obviare satagit, ut hæc vehementissimo affectu eum prosequi ceperit, non satiabatur celebrando ipsum tanquam optimum, & fidelissimum totius domus suæ servum. Interim verò, quasi silex imputi amoris, scintillas in sinu suo absconditas habens, futurum credidit, ut iisdem in esca cordis sui similes quoque flammas accenderet, unde tandem apertis verbis ei dixit: *Dormi mecum*: Juvenis autem iniquæ huic sollicitationi resistens modestè respondit: *Quomodo ergo possum hoc malum facere*? Quidnam significat hoc *Ergo*? Quàm energiam habet? Quidnam vult inferre? nimirum per hoc voluit quasi clarioribus verbis sequentia insinuare: Maritus tuus, & Dominus meus in domum suam me clementer suscepit, millenos mihi favores liberalissimè præstitit, omnium, præterquam tui, me Dominum, atque præfectum esse voluit. *Ergo* contra omnem æquitatem esset, si hæc omnia per ingratitudinem malè adeo compensarem? Nunquam id facturus sum, gratum me exhibere illi decrevi, à quo tanta beneficia recepi, ita enim æquitas, & debitum postulat, & præcepit Justitia: unde Oleaster: *Mirum valde est considerare, quantum potest justus in bonis, quam parum in malis! licet justi optimè sciant bona facere, mala verò facere se nescire fatentur.* Nam malum facere injustum est, justum autem est facere bonum. Dum juvenis noster peregrinus in itinere constitutus relictâ Româ in desertum concederet, prima nocte apud mulierem quandam pauperculam hospitio exceptus fuit, uti referunt Sancti Gregorius, & Vincentius Ferrerius: *Cum fugeret de studio, & iret ad desertum hospitatus fuit in domo cujusdam mulieris paupercula.* Contigit autem quod capisterium, quod mulier ad granum purificandum apprehenderat, è manibus ejus infeliciter in terram lapsum in duas rumperetur partes. Paupercula autem hâc fœmina ob restitutionem ejus, quàm facere obligabatur, valde dolente, Benedictus juvenis mulieri huic compatiens, genuflexus Deum instanter rogavit, ut dignaretur efficere ut capisterium illud fractum restauraretur, iterumque restitueretur in statum suum pristinum, ut hac ratione illud restituere posset ei, à quo illud mutuo acceperat. Preces adolescentis cœlum penetrarunt: *Et sic redintegratum capisterium reddidit mulieri.* Qua in re Benedictus mihi inprimis actum justitiæ compensativæ exercuisse videtur, quasi dixisset, Hæc paupercula mulier me sibi ignotum in sua domo summa cum charitate hospitio excepit? æquitas postulat ut charitatem hanc non per ingratitudinem, sed capisterium suum integrum, atque illæsum cum Dei adjutorio ei restituendo, cum debita gratiarum actione idipsum recompensem. *Istam justitiam habuit Beatus Benedictus*, inquit Ferrerius. Deditque simul hac ratione mulieri occasionem, edendi alium æquitatis, & Justitiæ actum, instrumentum illud Dominæ suæ restituendo, nam *Est actus justitiæ? reddere unicuique quod suum est.* Et Ferrerius subjungit: *In quo ostenditur virtus justitiæ? cravit enim pro integratione, ut illa mulier posset restituere, quod mutuo receperat.* Senatus Romanus Regi Attalo totam Asiam donasse legitur, qui postea morti vicinus: *Testamenti æquitate eandem Asiam populo Romano legavit.* Athenienses generositatis ab Aristide exercitæ memores quando patriam ab invasionibus Regis Persarum fortiter est tutatus, æquitatis jura exposcere judicarunt, ejus hæredes propter acceptum beneficium munifice compensare dotando & maritando ejus filios, atque ut Lysimachum ejus locupletarent, centum minas argenti una cum campis, & possessionibus ei assignarunt *Et quadraginta drachmas in singulos dies, unde viveret, contulerunt.*

Cicero 2. offic.

Proverb. 3,3. D. Hieron. in Ezech. c. 45.

Oleaster ibid.

D. Greg. D. Vinc. Ferrerius serm. de S. Bened. fol. 51. col. 4.

D. Vinc. Ferr. ib.

Idem ib.

Idem ib.

Val. Max. l. 5. cap. 2.

Andr. Eber. de

Verun-

Veruntamen hæc parum admiror, siquidem hi omnes ratione naturali moti æquitatis debitum cognoscere potuerunt: at verò id quod Ælianus refert non obstupescere non possum: Dicit enim quod dum mulier quædam Tarantina in urbe Heracleæ subsisteret, integer quidam gruum super præfata urbe volitarit exercitus, quarum una quæ nidum paulo ante vix reliquerat cum alias utpote implumes adhuc prosequi pari volatu non posset, relicto gruum magno grege in terram lapsa pedis tibiam fregit? quam terra levatam mulier magna cum industria curavit, liberamque deinde avolare permisit. Post dies aliquot elapsos, grus illa ad easdem partes, ubi hæc mulier erat, volando reversa, superque mulierem sui curatrice volitans monile quoddam pretiosissimum, magnique valoris ex unguibus suis in ejus sinum dimisit, videbaturque quasi rationis usu prædita fuisset, agnoscere justum, & æquum esse ut liberatricem suam debito præmio, & mercede pro cura adhibita remuneraret. Quibus S. Benedictus nequaquam dissimilis extitit, utpote qui mulierem hospitam & altricem suam, actione quadam miraculosa, ut supradictum est, liberaliter remuneravit.

Gratia. fol. 462.

Ælianus Hist. Anim. l. 8. cap. 22.

8. Sistamus hic nonnihil, certus enim sum, quod Arborem hanc pertinacius contemplantes novos in ea fructus à Justitia productos inveniemus. Utique justitiæ debitum valde offenderet, quisquis id, quod aliis debetur, sibi arrogare præsumeret. Unde Apostolus nobis præcipit: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem:* ac proinde Justitia præcepit, ut reddatur *unicuique quod suum est.* Legitur quod Totila Longobardorum Rex, cum famæ de sanctitate hujus magni servi Dei ad se multorum relationibus delatæ non crederet, ut ea de re certior fieret, in propria persona eum convenire decreverit, reique periculum hoc concepto dolo, vel fraude facere cogitavit, vestes enim suas, palliumque regium deposuit, iisque quendam è servis suis induit, sceptrum quoque & coronam suam regiam manibus & capiti ejus adjecit: ipseque vestimentis servi sui indutus una cum personato hoc Rege Benedictum adire, eique sub hac ridicula inventione imponere cogitavit, ut hac ratione mundus opera Benedicti famæ suæ minimè respondere clare cognosceret. Personatum igitur hunc Regem, postquam cum toto suo regio comitatu ad Benedictum venisset { Totila interea fictam hanc scenam, quam à viro sancto nequaquam penetrandam esse credebat, eff ise ridente } Sanctus vir Dei dolum animadvertens hisce eum verbis est affatus: *Noli fingere, quod non es: Redde Totile vestitum hujusmodi, atque ornatum, & tu contentus esto conditione tua, atque sorte.* Quod si ô auditores factum istud matutiori oculo circumspexeritis, utique Benedictum defensorem, & advocatum justitiæ fuisse invenietis, quæ vult ut *Detur unicuique quod suum est?* cum enim paludamentum, sceptrum, & corona regia nequaquam ad servum pertinerent, eorundem Regi restitutionem fieri præcepit, sicut & vestimentum, quod Totila gerebat, servo restituendum esse voluit. Jactent igitur veteris Instrumenti paginæ Solomonis in decidendis controversiis judicium, præsertim quo duas mulieres de vivo Infante cujusnam esset inter se litigantes prudentissime compescuit, veramque matrem manifestavit dicendo? *Dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.* nam justum Benedicti judicium quo Totilæ regia sua vestimenta, personato quoque regi suæ vestes restitui præcipiebantur, nihilo illo inferius est, nec minimum à bonæ, veræque justitiæ limitibus alienum.

Ad Rom. c. 13. 7.

Petr. de Natali. lib. in vita ejus fol. 739. col. 1. n. 20.

Thom de Trusil in vita ejus fol. 739. col. 1. n. 20.

3. Reg. 3. n. 25.

9. Verùm enimvero in alio quodam ejusdem hujusce arboris ramo alios quoque Justitiæ fructus, qui intuentium ad se oculos rapiunt, pendulos hærere video. In ejus namque vita legitur, quod cùm Dæmon corpus miserabilis alicujus pauperculi, usurpata possessione temere occupasset, & dirè continuò tractasset, Benedictus charitate plenus, cum sustinere penitus non posset quod aliqua Creatura Dei ab hoc maligno spiritu damno aliquo afficeretur, elata in altum dextera alapam ei fortiter impingendo turpiter ipsum in fugam egit, hominemque ab ejus vexatione liberavit. Homo ad Dei proprietariam possessionem pertinet, eo ipso, quo Dei creatura est, ideoque perfidus Dæmon corpus illud tyrannice occupando, *erat possessor mala fidei.* Benedictus igitur egregium justitiæ actum exercuit, quando Dæmone expulso, atque ab usurpata possessione sua ejecto effecit, ut creatura quæ Dei est, Deo qui illius absolutus est Dominus denuo restituatur. Hac enim ratione adimpleta fuit justitia distributiva, quæ vult, *Quod detur unicuique quod suum est.* Verum enimvero O glorioſe Patri Benedicte, liceat mihi devota quadam curiositate stimulato, te ea, qua decet, reverentia interrogare,

Petrus de Valder. ser. de S. Bened. f. 476. col. 1.

Quisnam

Quisnam sit novus hic Dæmonem impactâ alapâ expellendi modus? Per adjurationes quidem, & exorcismos, per verbeta sacra, & venerabiles
Matt. 17. sanctorum reliquias, hæ bestiæ expelli solent, vel etiam adhibitis oratione & jejuniis, prouti Salvator discipulis suis revelavit dicens: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium*: Tu autem omnia hæc media omittens, & per inflictam ei alapam eum ejicis, & ad infernum remmittis? Et quidem si actionis hujus rationem examinaverimus, invenietmus illius nullam aliam fuisse causam, quàm ut se zelantem Justitiæ promotorem esse demonstraret. Dicite mihi, quæso, quodnam fuerit motivum cur Filius Dei in tempore Passionis
Ioan. 18. suæ alapam quandam accipere voluerit? *Unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu* Fotsitan ideò, ut scilicet prophetia de eo facta adimpleretur, *Dedit percutientibus se maxillas?* Recurramus ad Genesin, si ita libet. Deus Adæ expresse vetuit ne de fructibus arboris scientiæ boni & mali ulla ratione comederet, secus enim si faceret, mortis supplicium evasurus non esset?
Gen. 2. *In quocunque die comederis morte morieris* Serpens autem infernalis, qui hominis felicitati per omnia invidet, Paradisum terrestrem ingressus, Adæ ut audacter, & sine ullius mali formidine manducarent, significavit, eò quod nullum fructum hunc manducantibus immineret mortis
Gen. 3. periculum: *Nequaquam moriemini.* Manducavit igitur tam Adam, quàm Eva, fuitque hoc illorum manducare, divinumque præcpetum transgredi, idem ac quoddam credere se supervicturos prout Dæmon dixerat, non verò morituros, prout Deus comminatus fuerat, serpentis tanquam veracis verbum amplectendo, Dei aurem minas tanquam mendacis contemnendo? ita ut ambo Dæmoni, nimirum, & Adamum ad Deum mendacii arguendum conspiratint: Serpens quidem dicendo: *Nequaqaam moriemini:* Adam verò operando, & manducando: *Et comedit.* Quid igitur nunc factu opus est, ut aliquid huic malo adferatur remedium, & gravissima Deo illata injuria, & offensa resarciatur? Mendacium alapa diluitur: *Alapa ad plurimum pro vindicandis offensionibus*
Ludolph. Carth. p. 2. c. 60. fol. 318. col. 4. B. *verborum solet dari*, inquit Ludolphus Carthusianus. Atque propter mendacium quod homo Deo imputavit, Christus justitia dictante alapam à Malcho recepit: *Arbitror prævaricationis nostræ dedecus* (inquit Cyrillus Alexandrinus) *alapa Christo inflicta deletum fuisse.*
D. Cyril. Veruntamen videri non immeritò poterat Deo suæque divinæ justitiæ male satisfactum fuisse, eò quod Dæmon mendacium ex sua parte Deo irrogatum, non æquè Christus per impactam sibi alapam expiarit, ideoque opportuna Benedicto nostro occasio data fuit, ut Dæmoni diram quoque humanum corpus obsidentialapam impingeret, quasi dicere voluisset: Accipe, O temeratie & superbe Spiritus, hancalapam, tibi summo jure debitam propter mendacium, quod Deo irrogare voluisti, quando dixisti: *Nequaquam moriemini.* Tolle, inquam, colaphum istum, O infamis nequam, domumque tecum portato, rectumque loquendi modum, & reverentiam Creatori tuo debitam deinceps per hoc tibi irrogatum infame supplicium melius discito. Percussit itaque illum in maxillam, unica ei inflicta alapa eum generosè ejecit, ut hacratione actum quendam justitiæ vindicativæ exequeretur. *Istam justitiam habet beatus Benedictus*, inquit Ferrerius. Verum enimvero quia justitia, quæ juxta omnem rigorem exacta est, admixtam habet nescio quam injustitiam, juxta illud: *Summum jus, summa injustitia*? ideò justitiæ virtus pro sui correctivo admixtam semper habere debet temperantiam. Cui quidem virtuti B. Benedictus nostro summo amoris vinculo confœderatus semper fuit, per quam omnes operationes corporales temperabat optimè sciens, quod *Temperantia est mediocritas* (ut dicit Aristoteles) *circa voluptates corporis.* Hanc in moderandis appetitibus sensus, veluti primam regulam adhibebat, eo quod S. P. Augustinus scriptum reliquerit, quod *Temperantia est affectio coercens & cohibens appetitum ab his, quæ turpiter appetuntur.* Cujus officium consistit *in coercendis sedandisque cupiditatibus, quæ nos à bona, & recto avertunt. Ejus officium est contemnere omnes corporeas illecebras.* Scio equidem quod Plato ad reprimendum discipulos suos, ne rectæ rationis regulam in bibendo excederent, eos à nimii vini potu alteratos ad se in speculo contemplandos abire jusserit, ut in eo suam in vultu ex nimio vino sumpto obortam deformitatem conspicientes, deinceps in bibendo moderatius se haberent: *ut imposterum ab ebrietatis vitio abhorrerent.* Scio autem quod Diogenes Synopensis magnam observare solitus fuerit in victu parsimoniam, in corporis sui vestitu abjectus fuerit, & humi cubaverit, *Oleribus & pane contentus.* Scio etiam

Alexand. ibi. l. 12. c. 46. fol. 579. col. 2. E.

D Vinc. Ferrer. in vita ejus.

Arist. lib. 3 Eth.

D Aug. de lib. arbitr. idem de morib. Eccl.

Bapt. Fulg. l. 7. c. 2. Sabell. lib. 1. c. 3.

iam quod cum Lysandro Spartiata Joniam versus iter facienti, panis quidam præsentaretur lacte & melle conditus, præparatus, illum recipere renuerit dicendo cibum hunc ori suo nimis lautum esse videri *Illis date, qui id non noverant, non enim hic est ingenui hominis cibus.* Scio similiter, quod Gorgias Leontinus interrogatus de modo, quo quis ad centum octo annorum ætatem pertingere posset? vitæ suæ longævitatem ex temperantia nasci respondit. *Quod voluptatis causa nihil mihi unquam facere permiserim.* Scio denique Alcamentem Teleorii filium omnium fortunæ bonorum imaginabilium ditissimum, illi, qui eum de nimia victus temperantia carpere volebat, hocce dedisse responsum: *Decet eum, qui multa possidet pro ratione, non pro libidine vivere.* Verùm quid horum omnium parsimonia habet, si cum Divi Benedicti temperantia conferatur. Quod si enim in victu temperans ille dicitur: *Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quàm necessitas petit,* uti scribunt duo sanctæ Ecclesiæ Doctores Ambrosius, & Gregorius: certè Benedictus noster temperantiæ terminos multum dicendus est excessisse, siquidem corpori suo nunquam tantum victus, sive ciborum indulsit, quantùm restaurationi sui sufficeret, quin potiùs erga ipsam quoque corporis necessitatem factus est sibi crudelis, siquidem præter panem, & aquam cum parsimonia & parcitate magna sumptam aliud nihil sibi indulgebat, adeò ut innocens corpusculum suum eo usque fuerit extenuatum, ut videri alicui poterit nuda quædam ossium pellibus vestitorum catastrophe: *Comedebat continuo panem, & aquam, & solum habebat pellem & ossa,* inquit Ferrerius.

Ælian. l. 3.

Cal. Rho. l. 19. c. 10.

Plut. in Lacon.

D. Amb. de offic.

D. Greg. hom. 1. in Ezech.

D. Vinc. Ferrer.

10. Unde ipsemet ob temperantiæ suæ rigores ad pietatem, & commiserationem commotus, Clerico cuidam in die Pascha tis præcepit, ut ad restauranda sancti Patris membra, corpusque ejus ex longis, rigidisque abstinentiis, quas in subterranea quadam & solitaria spelunca faciebat, extenuatum, nonnihil refocillandum, liberaliorem nonnihil victus annonam eidem adferret. *Tu tibi delitias præparas* (sic Dominus Clericum alloquebatur), *& servus meus in illo loco cruciatur fame.* Nimirum magnus Dei servus optimè faciebat sensualitatem equum esse ferocem, ac indomitum, qui sine ullo retinaculo in præcipitia rapitur, ideoque ad hunc indomitum equum coercendum rigorosissimæ temperatiæ fræno assidu[illegible] utebatur Deus, Moysi & omnibus, qui fideliter ipsi inservierint, promisit firmiter, se illos panis & aquæ annona perpetua remuneraturum esse: *Servietis Domino Deo vestro, ut benedicam panibus & aquis.* Dicat hic meritò aliquis: Ergò Deus, qui sibi tanta cum punctualitate ministrari desiderat, alia præter panem & aquã non habet munera, quibus illorum qui venerabundi & obsequiosi, à suis præceptis, & jussis dependent fidelia obsequia recompensare possit? Imò verò respondet Procopius. Talem Deum habemus, qui omnia nobis donat, quæcunque nostra popolcerit necessitas, non verò id, quod in nostram redundare superfluitatem videtur, ut hinc appetitus nostros intemperantiæ limites continere discamus: *Pollicetur alimenta interim dum mentionem facit solummodo rerum necessariarum: obiter enim temperantiam nobis commendat.* Quam diu Benedictus in antro illo subterraneo Domino cum exacta rigorositate servivit, & cum ingenti panis & aquæ parsimonia vixit (quam nonnunquam ei providebat Romanus: *Nonnullis diebus aliquot panis frusta largiebatur*) factus est, ut cum Procopio loquar, noster in docenda temperantia magister. In Genesi cap. 28. vers. 21. talem Jacob Patriarcha concepit resolutionem, quod, videlicet Altissimum tanquam Deum, ac Dominum suum deinceps perpetuo esset agnituru[illegible], dummodo se Deus illi in cœpti versus Mesopotamiam itineris abitu, & reditu socium pariter & custodem exhiberet, ac demum de victu, & vestitu necessario paterne provideret: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum: & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Ergone, ó Jacob nihil à Deo aliud desideras, quam ejus societatem, victum quoque & amictum? Promissio, quam facis ipsum tanquam Dominum Deum tuum recognoscendi & adorandi *Est res pretio æstimabilis,* & tu tibi per tuam exiguam retributionem satisfactum esse censebis? Te modico contentum esse video, quia in petendo à Deo, qui omnia potest, nimis es modestus, & parcus. Hæc satisfactio æstimata est à nonnullis, velut quidam temperantiæ suæ effectus: *Ut doceat quanta cum sobrietate vitam ducere debeamus.* Dicerem profectò Beatum Benedictum fuisse Jacobi Patriarchæ in addiscenda temperantia discipulum, nisi eum experiter ipso Jacobo longè temperantiorem magisque sobrium? siquidem Benedictus

D. Vinc. Ferrer.

Exod. 23. n. 25.

Procopius ibid.

Gen. 28. n. 21.

Ioan. Hays ib. t. 2. v. 21. n. 179.

eum

cum Deo nō vult paciſci, ſed alibi abſolutè & ſine pacto, fideliterque ſervire, pleniſſimè contentus futurus, ſi Romano nonnunquam modicum aliquod adferretur panis fragmentum, & parum aquæ, quantùm nimirum inter utrumque ſufficeret ad conteſtandum ſe non fuiſſe jejunum. Adeò ut Benedictus longè perfectiores temperantiæ fructus attulerit, quàm Jacob Patriarcha,. Et quod unicum maximè admiror, eſt, quod ſcilicet negando corpori ſuſtentationem vitæ conſervandæ neceſſariam, atque inſuper illud rigidis diſciplinis, & macerationibus affligendo (quæ nata ſunt mortem homini accelerare) ipſe nihilominus vitam ſuam uſque ad nonageſimum ætatis ſuæ annum produxerit (prout ſcribunt Marianus Scotus & Joannes Trithemius) quæ ætas non ſolùm in præſentibus ſæculis noſtris, verum etiam in præteritis, velut exceſſivè longæva in admiratione ſemper fuit, cùm determinatum vitæ noſtræ tempus ad ſeptuaginta tantum annos ut plurimum ſe extendat: *Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni.* Qua igitur ratione vitæ rigores, & auſteritates, quæ vitæ longævæ adverſantur, vitam huic ſancto prolongare potuerunt? Inquirunt ſacri Scriptores cauſam cur vita humana longa fuerit ante diluvium, poſt illud verò eadem ſit brevis? Cujus Pererius ſeptem adducit rationes, nimirum melius corporum temperamentum, quod cum illo tempore vigoroſius fuerit, melius quoque reſiſtere poterat, vitæ & ſanitatis contrarietatibus, & plures alias rationes adfert, quas pro nunc prætereo: Præcipuam verò longævæ vitæ cauſam, temperantiam illius temporis in victus ratione obſervatam fuiſſe exiſtimat: *Cauſa fuit ſobrietas & continentia in victu, & potu, & vita moderatio.* Illis namque temporibus *Erat naturalis & ſimplex victus & potus, varietas autem, & mixtura, & condimenta ciborum, vitam debilitant, atque minuunt.* Cùm igitur vitæ longævitas victus temperantiam arguat, certè Sanctum Benedictum in hoc genere temperantiſſimum fuiſſe per optimam conſequentiam deduci poterit ex nonaginta annis, quibus in hoc mundo vixit, ætate nimirum adeò grandæva, quam non tantum hiſce noſtris non facilè experimur, verùm etiam in iis, quibus S. Benedictus vixiſſe noſcitur: *Cauſa fuit ſobrietas, & temperatia in victu, & potu & vita moderatio.*

Marian. Scot. Ioan. Trith apud Tho. de Truſil. in ejus vita prope finem Pſ 89. v. 10.

Bened. Perer. in c. 5. Gen. q 3 f. 109. col. 2. n. 107.

Idem ibid

11. Porrò temperantia non ſolùm in victus ſobrietate conſiſtit, verùm etiam in continentia irraſcibilis & concupiſcibilis. Valdè magna temperantia in eo ſit oportet, cui ſpiritus & animus ſuppetit haſce duas adeò effrænes harpyas reprimendi, & coercendi. Utrique autem habenas impoſuiſſe perhibetur S. Benedictus. De ipſo namque ſcribitur, quod cùm nonnulli Religioſi magis ſecundùm carnis ſenſualitatem, quàm ſecundùm ſpiritum vivere inclinati, S. Patris admonitiones ſuſtinere nollent, ut eum è vivis tollerent, in cratere quodam, unde bibere ſolitus erat, venenum ei porrexerunt, ſed crucis ſigno à vitò Dei deſuper facto, patera in plures rupta eſt partes. Mirates! Religioſi errorem committunt, & ſolus crater ſeu poculum pœnam luit. Unde videmus nimis quàm verum eſſe quod juſti perſæpè & innocentes loco peccatorum puniantur. Sed cur non punivit delinquentes? *Statim calix ipſe diſruptus & confractus, & univerſum venenum effuſum eſt.* Sequens hiſtoria cauſam ſuggerat, Cotiis Thracum Rex duo vaſa fictilia dono data accepit, tenuia quidem & ſimplicia quantùm ad materiam, ſed cælaturis quibuſdam & ſculpturis politè, eleganterque elaborata, quorum proinde datorem gratitudinis ergò magnis muneribus affecit. Quod tamem maximè mirandum fuit, eſt, quod licet vaſa mirè Regi placerent, data tamen opera ſimul omnia in terram projecta confregerit. Hæc enim actio attonitos reddidit circumſtantes, & præcipè donatores, quibus proinde prudenter admodum ſe id ideò feciſſe reſpondit, ne ſcilicet qui natura erat iracundior, & aſper, eorum qui in miniſteriis deliquiſſent, caſtigator, in eos qui illa manibus contrectando fregiſſent, aſperius animadverteret: *Ne ſæviam in eos, qui ea vaſa eſſent fracturi.* Simili quoque modo ſanctus Benedictus calicem ſigno Crucis formato confregit, & diſrupit, ut hac ratione iracundiam temperaret, ſicque refrænata per temperantiæ virtutem iraſcibili, & abdicata à ſe omni ſuperioritate ab illis receſſit, dicendo: *Abite, & invenite vobis Prælatum, qui vobis quadret: Ego enim tale munus recuſo, penitusque illud deſero, atque ita abiit, & eos dimiſit:* Ad hæc refertur, quod certus quidam Florentinus meritis, & famæ Sancti noſtri invidens, quavis via poſſibili procurarit & hanc obſcurare, & contaminare illa, idque per mendaciorum excogitatas impoſturas

Ifid. Clarius orat. 100. de S. Bened. fo. 201. fac. 2.

Cal. Rhod l 23. c. 10. & Franc. Lab. t. 2. v. occaſio prop. 1. fol. 715.

Thom. à Truſil.

& boni nominis sui diffamationes, hoc solùm intendens ut fidem & opinionem, qua apud omnes plurimum valebat, ubique & in omnibus minueret. Unde iis qui illius sanctitate permoti de longinquis etiam ad eum videndum, & visitandum veniebant, obviam occurrens dicere solebat: O miseri & nimium simplices homines, quonam vos vestra rapiunt desideria? Ah quantò melius facturi essetis, si gressus, quos facitis, in alium finem adhiberetis? Fortè vobis imaginamini, & persuadetis futurum esse, ut Macharium quendam, vel Hilarionem, vel Paulum primum Eremitam videatis? Plurimum profectò erratis, imò visuri estis (horreo dicere) hominem quovis pessimo longè pejorem, ac proinde, nisi hunc hominem videndo scandalizari velitis, vestras domos iterum repetite revertentes. In ipso namque nihil aliud visuri estis, quàm verum Hypocritam, qui ficta sanctitate sua cunctos decepit, qui ut suæ privatæ utilitati consulat, suumq; interesse promoveat, malitiæ suæ venenum sub bonitatis pelle cautè, & dolosè abscondere novit. Tandem verò cùm Florentius videret, quod mendaciis, & detractionibus suis, quibus famam viri Dei passim apud omnes dilacerabat, intentum suum obtinere non posset, aliis sibi sævioribus mediis utendum esse decrevit: Quare effrænis cujusdam rabiei impulsibus agitatus, statuit per porrectum viro sancto toxicum vitam ei eripere, ac proin panem veneno fortiter permixtum manducaturo apposuit. Sanctus autem vir Dei Florentii iniquitatem præsagiens, panem hunc corvo cuidam quem habebat in solitudine socium, porrexit, jussitque ut is eum ad locum longè dissitum, in quo à nemine inveniri posset, deportaret: *Accepit corvus panem, & ad remotissimum locum transtulit.* Sed, O Benedicte, quid facis? Ergone files etiam quando tempus loquendi te urget? Florentius per insidias te circumvenit, & tu ne vel minimum moveris? nisi alia ei signa ostenderis, quibus te malitiæ suæ notitiam habere demonstres, latiorem ei campum aperies, maligniratem suam aliis mediis, & viis exserendi, nunc præcipuè, quando se per porrectum tibi venenum nihil obtinere potuisse conspiciet. Nil aliud molitur, quàm ut per quævis violenta media morti te tradat, & vitam eripiat, & fortè, nisi remedium attuleris, iniquitas ejus suum sortietur effectum. Sunt hi excessus ejus naturæ, ut ferro rigoris eis medendum sit, non verò per adhibitum benevolentiæ unguentum. Expergiscere tandem, & mentis tuæ oculos ad hujus viri nequam malitiam considerandam, si homo es, si vita & sensu aliquo præditus es. Et sequens imitare exemplum? Referunt enim Historiographi Justinianum secundum imperatorem adversus Leontium, suosque adhærentes, qui mortem ei machinabantur, implacabili vindicta succensum fuisse, cumque multos ex iis in carcere vinctos, quotiescunque cicatricem quæ ex vulnere ab illis illato in vultu ejus reliqua manserat, tangebat, toties alicujus ex incarceratis caput truncari jubebat: *Quoties nasum emungeret, hostium suorum unum capite multabat, quorum in vinculis magnum numerum habebat.* At verò absit ut similem vindictam spiraret Benedictus, qui sibi semper & inconstanter similis manens, mansuetudinem perenniter continuabat, bullientesque irascibilis ardores, temperantiæ aqua adhibita mitigare studebat. *Bapt. Fulg. l. 9.*

12. Verùm sentio me ad facinora præstantiora, quæ generosa hæc virtus in certaminibus adversus concupiscentiam habitis, edidit, avocari. De illa autem concupiscentia loquor quæ castitatem sibi adversariam habet, de qua Isidorus scribit: *Concupiscentia carnis est motus animæ in affectu sordidæ cogitationis.* De illa, inquam, quæ in Dalilæ sinu fortitudinem Samsoni, prudentiam Davidi, Salomoni judicium ademit, quamque Benedictus hisce, aliisque omnibus longè cautior, & circumspectior domuit & superavit. Cujus ut aliquod specimen edamus, narrandum nobis est quod in hoc belli genere nobile edidit certamen. Contigit igitur quòd dum velut Eremita in campis solitarius mente tamen & corde in Laudibus Creatoris sui occupato incederet, Tentator infernalis in forma cujusdam arboris ramo primo insidentis mox verò inde avulsæ, & circa Sanctum circumvolitantis & quasi ludentis merulæ ex improviso eidem appareret. Qui subitò advertens volitantem hanc, seque distrahentem aviculam aliud esse non posse, quàm diabolicum quoddam stratagema, eandem signo Crucis facta repentè fugavit? verùm subitò revertens tentator, in interioribus viscerum Beati Patris, ignem quendam concupiscentiæ adeò ardentem suscitavit, ut nisi speciali divinæ gratiæ subsidio, nec non firmo castas animi sui cogitationes nunquam contaminandi proposito adjutus, & communitus fuisset, ad relinquendum *Isid. l. 1. d. sum. bono.*

de-

desertum facilè potuisset induci: *In tantum tentatio augebatur, quòd volebat dimittere eremum & redire in mundum*: inquit S. Vincentius Ferrerius. Ut autem se ab hoc Dæmonis æstu eximeret, quonam eum consilio usum fuisse existimatis? Nudum se in vipretum, & utricetum quoddam protinus conjecit: *Nudum se projecit in spinas & urticas, ita quòd fuit totus cruentatus & sanguinolentus.* idque eo fine, ut ex membrorum suorum scissuris, quasi ex toties multiplicato ore peccans illius, qui in suo pectore ut verè peregrinus se insinuaverat concupiscentiæ humor, liberè egredi posset: *Per vulnera cutis eduxit vulnus mentis*, inquit Gregorius. Hisce spinosis frondibus velut cilicio quodam utebatur sensualitatis suæ mortificatio. Benedictus hasce spinas non adhibuit velut calcaria ad effrænem prurientis carnis equum sollicitandū, sed potiùs ad sistendum, quem instigante Dæmone meditari poterat, in libidinem præcipitem cursum? ad eum ferè modum, quo pungentes tribuli ab inimico exercitu super terram dispersi & velut seminati, efficiunt ut equi partis contrariæ super illis spinis & tribulis ambulantem fastum suum in pedibus vulnerati perdant & immobiles hæreant. Non sunt hæ spinæ velut illæ, quæ in Insula Cecis nascuntur, quæ punctoris suis mortem inferunt, sed sicut illæ, quæ juxta Nilum flumen crescunt, in quibus se volvens & revolvens Hypogotamus sanguinem spinarum punctutis eliciens, sanitati repentè restituitur? unde emblema formari solet cum hac Epigraphe, vel Symbolo: *In vulnere salus.* Spinæ Benedicti innocuum ejus corpus vulnerarunt, ut humor sanguinis calorem temperaret sensualitatis, modificaretque ardores concupiscentiæ carnis. Spina alba, inquit Avicenna, si vulneri, quod Scorpio mordendo intulit, applicetur, venenum attrahit: Spinæ Benedicti simul cum sanguine attrahunt quoque, & expellunt venenum Veneris. Apostema illud, quod Jason Tessalus ab inimico suo ex improviso accepit in pectore, existimatum fuit incurabile nisi incideretur, unde idem ferrum, quod hunc Apostematis tumorem intulit, pariter illius medicina, extitit? quia mox ut cuspis illius tumorem tetigit, aperiri, & dividi cœpit, adeòque egrediente mox putore inibi congregato omnique putredine, ab omni doloris malo liber mox esse cœpit. *Et quem necare voluerat, incolumen reddidit.* Fuitque proinde ferrum illud persimile hastæ Achillis, quæ uno eodemque tempore vulnerabat, & sanabat, de qua proinde dicitur: *Dum ladit tunc medetur*, Verum quidem est spinas hasce Sanctum Patrem nostrum vulnerasse, imò certius est non vulnerasse illum, quia sensualitatis putredini vias aperuerunt, per quas egrederetur, illaque expulsa, cum acuto dolore inferebantur ad curanda concupiscentiæ vulnera, antitoda mentis. Spinæ veluti sepes quædam erat, quæ viam Benedicto obsepsit, & clausit, ne relictâ solitudine in mundum redire tentaret. Unde cum Davide dicere poterat: *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina*, id est; ut exponit Jansenius. *Ego dū sic spina infigeretur mihi, dum sic me pungeres adversitatum stimulis per miseriam meam, quam immisisti, conversus sum ad te.* Et reverà ita est, nam ad mortificandos, & temperandos furores sensualitatis spinis nihil est oportunius. Unde mulieri illi hoc veneno intoxicatæ, quæ dicebat *Vadam post amatores meos*, mox spinæ istæ fuêre applicatæ: *Sepiam vias tuas spinis.*

13. Porrò spinæ istæ linguam meam pungere, & stimulare videntur, ut magis sollicitè properet, ut paulatim discursus mei finem assequi valeam. Cùm igitur Temperantia cum Fortitudine semper conjuncta sit, prouti nos docet Angelicus Doctor dicens: *Fortitudo est virtus moderativa timoris & audacia propter bonum ri publica?* ideo nec ego unam ab alia in hoc discursu meo disjungam, maximè cùm in Benedicto quoque tam indissolubili nexu fuerint sibi invicem adstrictæ. De hac virtute jam nominatus Doctor loquens dicit, quòd *Fortitudo est firmitas animi in sustinendis, & repellendis his, in quibus maximè est difficile firmitatem habere propter bonum virtutis* S. Gregorius Papa in exordio vitæ magni hujus Patriarchæ, hunc ei titulum attribuit: *Beatus vir Dei Benedictus.* Cur, obsecro illum alio quodam digniori nomine non appellavit? *Vir* apud Græcos idem est, quod *virilis*: Is autem, qui in suis seactionibus virilem exhibet, de eo dicere solemus, quòd fortiter se habeat. Unde David ad magnanimitatē & fortitudinē animare nos volens dicit: *viriliter agite.* Sic quoque Apostolus dicit: *Viriliter agite, & confortamini in Domino.* Spiritus sanctus quoque ad insinuandam Angeli cum Jacob luctantis fortitudinem, illum *virū* appellat: *Et ecce vir luctabatur cum eo.* Quando igitur S. Benedictus ab hac magno Pontifice vir appellatur: *Vir Dei*, illum in iis, quæ sunt Spiritus, aut virtutes spectant, & in omni eo, quod

D. Vin. Ferrer. serm de S. Bened. fol. 52 col. 2.

Idem ib.

D. Greg. in vita ejus.

Arist. lib. de admir. cap. 139.

Ioan. Ferus.

Avicen. 2. Cant. apud Th. Ang. in Psal 31. v. 4 fol. 55. col. 1.

Paulus Aresius de Tribul. lect. 4. p. 2. fol. 131

Psal. 31.

Cornel. Iansenius ibid fol. 41. n. 4.

Osee. 8.

D. Thom. in cap. 11. *Epist. ad Hebr.*

Idem 2. 2. *q.* 123. *a.* 2.

D. Greg. in vita B. Benedict.

Psal. 30.

1. *Cor.* 16

Gen. 32.

quod ad majorem Dei gloriam redundat, celebrare vult tanquam constantem,& fortem Et meritò?nunquid enim magnæ fortitudinis actus fuit,quãdo conscenso monte Casino Dæmonem,qui sub specie idoli Apollinis ab accolis adorabatur,in multas partes confractum & destructum in terram projecit? *Contrivit idolum,subvertit aras,succendit locum.* A religiosis in Superiorem,& Prælatum electus non ideo vanè gloriatus est, aut superbiendo intumuit: econtra verò, quando postea illos valdè defectuosos,imò incorrigibiles esse cognovit, prælaturam potiùs deserere, & recedere, (*Abiit & eos dimisit*) quam ob id amatam induere mentem,& turbari voluit. Unde juxta S. Hieronymi doctrinam aliud conjicere,aut arguere non possumus,quàm magnam generosi, & constantis animi fortitudinem: *tusti & fortis viri est, nec adversis frangi,nec prosperis sublevari sed in utroque esse moderatum.* Patriarcha noster lapidi quadrato persimilis fuit,qui nunquam cadit, sed firmus & stabilis semper persistit: *Lapis quadratus æqualiter stat,in quocumque fuerit latere versus,* inquit Gregorius: Cumulentur licèt integri tentationum diabolicarum exercitus, adducantur venena, aliaque morti conciliandæ excogitata machinamenta, Benedictus lapis quadratus semper manet, *semper stat. semper fortis, semper constans.* Accedat Florentinus ille juratus Sancti Patris hostis, & gladium acutum maledicæ linguæ suæ ad offendendam famam sanctitatis suæ pro lubitu exerat,nam in eodem prorsus tempore (si vera est Augustini sententia: *Virum fortem injuriæ probant*) eum tanquam verè fortem, licèt invitus canonizabit.

D. Hier. in Ioel.

D. Greg. in Ezech. Hom. 21.

14. Ad servos Dei superandos, & detriumphandos Dæmon subtiliori arte, aut potentioribus armis uti non potest, quàm si illos opinione & præsumptione, meritis propriis longè superiori imbuere incipiat: Procul dubio enim à Dæmone superabitur, tanquam miles negligens,debilis, & imbellis, quisquis de propria virtute præsumptuosus fuerit. Unde Augustinus: *Ideo non vicisti,quia de tuo præsumpsisti? qui præsumit de viribus suis antequam pugnet,ipse prosternetur*: Econtra verò constans, magnanimus,& generosus dici merebitur & dimicando hostem suum infallibiliter pessumdabit, quisquis semetipsum, propriasque virtutes nihil æstimaverit: Verùm dic mihi, quis est, qui ad intentatos ejusmodi fortes insultus non cedat, aut cadat, *Quis est hic, & laudabimus eum?* Serpens quondam progenitoribus nostris dixit: Si de hoc fructu comederitis: *Eritis sicut Dii.* Quibus in verbis notate signanter, quòd illis manducantibus de fructu vetito, Dei similitudinem promittat, cùm tamen priusquam Dæmon hanc illis promissione fecisset, jam diu antè Deo similes fuissent, teste Scripturâ Sacrâ, quæ dicit: *Factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei.* Quo ergo fine opus erat illis promittere, quod de facto habebant? Quis unquam possidere desiderat, quod de facto habet? Quis habere procurat, quod possidet? Dicere haud immerito Adam potuisset, super arenam semen tuum dispergis nisi alia præmia promiseris. Verùm audite, si placet, quonam astutia serpentis vulnerando collimaverit. Hæc nimirum erat dolosa nimis Dæmonis cogitatio: Adamo utique se Deo similem esse minime sufficiet, quin potiùs ipsemet Deus esse præsumat, eoque ulterius contendet,ut nimirum efficiat; quod omnes alii ab ipso per nativitatis originem descendentes similes ei effecti,recognoscant hanc, quam cum Deo seu Divinitate habent similitudinem, non à Deo,sed ab ipso velut à prothoparente,& à meritis suis in eos dirivari. *Suspicor* (ita exponit Scriptor quidam modernus) *hominem non ambiisse similem esse Deo,sed præsumpsisse esse Deum,cui alii similes forent.* Ambiebat exemplar fieri atque ut sui hæredes se divinitatis imaginem ab ipso velut exemplari accepisse recognoscerent. O quàm durus est hic Dæmonis impetus! ô quàm mortalis,& letifer ictus. Et tamen licèt ab hoc Dæmonis insultu Innocentia originalis jaceret prostrata, Adamus turpiter delusus,& victus esset,Inimicus autem se victorem & gloriosè triumphantem jactaret,solus noster Benedictus eam habebat Spiritus fortitudinè, ut hunc eundem sibi intentarum insultum superaret,eamque pectoris constantiam, ut dolosos Dæmonis conatus eluderet,eisque resisteret, prouti in uniço sequenti exemplo ad oculum patebit: Accidit enim quòd cùm Placidus Partis discipulus in flumen lapsus, jam non tantùm cum undis,sed & cum ipsamet morte luctaretur,Sanctus Patriarcha Maurum suum quoque insignem discipulum hisce verbis inclamârit: Maure,Maure,ubi es? Festina te movere, curre, curre velociter,nam quem diligis, Sodalis, & collega tuus submergitur,adjuva eum. Maurus tum ab obedientia Patris, tum charitate erga fratrem

D. Aug. lib. 5. de Civ. c. 13.

Eccl. 31.

Gen. c. 3.

Gen. c. 1.

Didacus de Cel. in Iud, cap. 11. v. 5. §. 10 fol. 381. n. 44.

fratrem suum exstimulatus maxima cum prõptitudine animi ad mare cucurrit: pedibus siccis super aquam ambulavit, ac tãdem Placidum periclitantem assecutus, eũdem per vestem apprehensum tam à naufragio, quàm à morte liberatum in terram eduxit. Itane? Maurus siccis pedibus aquis inambulat? Certum est quod ad talem actionem vires naturæ attingere nequaquã possint: ideoque hic miraculum verum accidisse necessum est. Sed quisnam miraculi hujus author? videbis hîc generosum Maurum inter & Benedictum, velut in aperto campo institutũ virtutis certamen. Heus igitur Maure, huc adsis, quidnam faciendo siccis pedibus super liquido aquarum elemento ambulare potuisti? Nescio profectò, Magistrum meum super hac re ut interroget s oportet, cujus sanctitati prodigium istud ego adscribo. Bene igitur, ô sancte Patriarch, audisti discipulum loquentem, quid tibi videtur? Quodnam adhibuisti medium, ut undæ liquidæ solidi instar lapidis subsisteret, seque à Mauri plantis calcandas præberent; Miraculum istud, respondet Benedictus, Mauri discipuli mei bonitati attribuo. Mira profectò res! Ergone possibile est effectum aliquem evidenter videri, cujus tamen investigari causa non possit? Quilibet illorum hunc affectum miraculosum alterius meritis adscribit. *Tunc contentio quædam orta est, cui potissimùm illud miraculum adscribendum esset post ipsum Deum, Benedictus enim dicebat, propter meritum obedientiæ Mauri factum esse: Maurus contrà Magistri sui sanctitati tribuebat.* Agedum igitur, quòd si præsumptio Adæ, quò se obtinere credebat ut posteri ab eo descendentes donum, & prærogativam divinæ imaginis ab ipso velut origine derivari recognoscerent, causa fuit totalis transgressionis; quòdq; post amissas vires debilitatis, prostratus, & turpiter victus, ac delusus remaneret? contrarium utique de Benedicto dicendum erit, nimirum, quòd cùm miraculum istud sibi aut suis meritis attribui nequaquam voluerit, sed potiùs bonitati & obedientiæ Mauri, & vice versa, hinc factum sit, quod spiritus sui vigorem ambo robustum, & fortem conservarint: Dæmon autem vel spem omnem illos vincendi perdiderit, aut verò, si certamẽ aliquod cum iis inire præsumserit, certum sit illum ab amborum servorum Dei robore, & vigore detrimphandum, & superandum esse. O arbor verè fructifera! O Benedicte prudens, juste, temperans & fortis!! *Et fuit tanquam lignum, quod fructum suum dedit in tempore suo.*

Tho. de Trusil. fol 139. n. 10.

PARS SECUNDA.

15. NOvellos in hac mystica arbore fructus video, fructus virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis. At verò quoniam Apostolus inter hasce Charitati primatum tribuit: *Major autem horum est charitas,* primum quoque locum ei in hoc discursu meo assignabo. Et inprimis ex ipso Patriarchæ nostri nomine facilè cõjicere possum, quàm ingens & magnà ejus charitas fuerit, si tamen sequentem historiam claritatis gratia præmisero Jehu. igitur, ut scriptura refert facturus quoddam totius domus Regis Achab exterminium in Jezrahel ingrediens, levatis ad palatium regium oculis, Reginam Jezabelem fenestræ cuidam astantem videns, militibus suis præcepit, ut illam per fenestram deorsum in plateas præcipitem agerent. Tandem verò præcepto hoc ab iisdem militibus per omnia expleto, dixit eis: *Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam.* Quibus in verbis hoc tantum scire cuperem, cur mulieri huic *maledictæ* nomen imposuerit, cur non dicebat, *Reginam illam, mulierem illam*? Ideo nimirum, quia mulier erat iniqua, impia, crudelis, cui vix erat in impietate alia similis, Prophetas & servos Dei persequebatur, omnemque à corde suo excluserat charitatem, Itane? Igitur aliud ei nomen non debetur, quàm ut vocetur *maledicta*. Maledictio enim secum infert omnia mala, & privatio charitatis omnia bona excludit, *Oppositorum est eadem disciplina.* Atque ideo dum econtra Patriarcha noster Benedicti nomine insignitur, per hoc satis clarè insinuatur, quod omnes in se perfectiones, omniaque bona, præcipuè verò charitatem erga Deum, & proximum verè includat. Unde Iodocus Clichtovæus ait. *Per benedictionem Domini intelligitur multiplicatio bonorum spiritualium, & divinorum charismatum collatio, quam gratuita voluntate fecit illi Deus.* Ac proinde subjungit: *Benedictus verè Benedictus non modò nomine sed etiam re. Benedictus ob amplissima dona illi præstita, & in animam ejus copiosè transfusa, secundùm nomen suum, ita & laus tua.* Illa vocata fuit maledicta, quia charitatem non habebat: hic autem eo ipso quo Benedicti nomen obtinuit, charitate plenus fuisse præsumitur. Quod ut manifestius

1. Cor. 13.

4. Reg. 9. 34.

Serm. de S. P. Ben.

stius apparea, omnes ejus operationes in bilancem, seu stateram reponite, videbitisque ipsum primi mobilis loco habuisse charitatem. In charitate enim ipsiusmet Dei imitator esse voluit. David Rex Deum supra Cherubinos sedere dixit: *Psal. 79.* *Qui sedet super Cherubim.* Ubi observandum est quod non dicat: *In Cherubim*, sed *super Cherubim*. Supra hos autem Seraphini consistunt? atque ideo Propheta inferre voluisse videtur, quòd Deus Seraphinis insideat, qui stant super Cherubim. Sed quænam est causa cur non immediatè super Cherubinos sedere, aut firmari dicatur? Nimirum, quia Cherubinis attribuitur scientia, seu scire. *Cherubim dicitur plenitudo scientiæ*: Seraphinis autem charitas appropriatur: *Seraphim interpretatur ardens*; scilicet in charitate. Ita Hugo Cardinalis exponit; dicens: *In Ps. 79. fol. 191. col. 2. C.* *Qui sedes super Cherubim, quasi non in Cherubim, id est, ultra in Seraphim, nempe in ardore charitatis? Ibi Dominus sedet, & requiescit: unde laborandum est magis ad habendam charitatem, quàm scientiam.* Benedictus in Cherubinis sedere noluit, id est, studia urbis Romanæ deseliquit, ut sederet in Seraphinis, seque totum charitati Dei & proximi dedicaret. Operam suam potiùs acquirendæ charitati, quam scientiis comparandis adhibere voluit. Nullam unquam cogitationem concepit, nullum verbum protulit, nullum gressum movit, aut actionem instituit, nisi duce & moderatrice charitate. Confitebuntur idipsum quotquot antea Apollinis veneratores existentes ab Idololatria fuere ad fidem Catholicam conversi. *D. Vinc. Ferrer.* *Ecce charitatem quam habuit erga proximos* inquit Ferrerius.

16. Etenim si de virtute charitatis ad spei virtutem transitum fecerimus, inveniemus utique quam ingens fuerit viri sancti in Deum fiducia, cui explicandæ sequens Scripturæ locus viam sternere poterit. Populus Israel ob ingentem sitim, quam in deserto patiebatur, Moysi duci suo permolestus erat, utpote qui ob faucium ariditatem ad summam impatientiam redactus, gravissimè contra Moysen murmurare cœperat: *Exod. 17. n. 6.* *Murmuraverunt contra Moysen dicentes: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos & liberos nostros, & jumenta siti?* Cumque Moysi murmur illud populi non usquequoque injustum esse, aut ratione carere videretur, precibus suis ad Deum protinus confugit rogans ut pro sitis remedio, tollendisque, quæ inde sequi poterant, gravioribus incommodis, aquæ subsidium præstare clementissimè dignaretur. Deus igitur populi calamitatem videns, dixit ad Moysen: *Sume virgam qua percussisti fluvium: Ego stabo ibi coram te super petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua.* Procopius duas circa hunc Scripturæ passum movet difficultates. Prima, ad quid opus erat Deo facere mentionem fluminis virgæ à Moyse percussi? Secunda: Quo fine Deus se præsentem huic actioni Moysis assistere velle promiserit, stando nimirum super petram, quam ad aquam eliciendam Moyses percussurus erat? Nunquid sufficisset dicere: *Tolle virgam*? Cur igitur adjungit: *qua percussisti fluvium?* Præterea non video necessitatem, qua Deus constringatur, ut percussioni petræ desuper præsens assistat: quid si enim fortasse absens fuisset, ideone subsecutum non fuisset hocce miraculum? Num fortè petra ideo in subministranda aqua fuisset reluctata? Respondet tandem ideo Procopius Deum & primam, & secundam particulam adjungere voluisse, eò quod prævideret Moysen de aqua ex petra elicienda quodammodo desperaturum fuisse, cum ex petra potius ignis scintillæ, quam aquæ, erumpere soleant. Unde ut ipsum ad spem bonam fiduciamque concipiendam animaret, dixit Moysi: *Sume virgam*, & recordare hanc eandem prodigiosam virgam esse, qua Ægypti flumen percutiens in sanguinem convertisti: Spera igitur & nunc, quod si jussa mea secutus, virga petram percusseris, aquam inde infallibiliter sis eliciturus. Imo, si etiam hoc ad te in spe animosè confirmandum non sufficeret, noli ob hoc dubitare, & anceps esse: nam ego ero tecum, & stabo super petram Horeb, & si illam, voci tuæ parituram diffidas, ego ipsemet imperabo illi ut aquas fundat: *Cape virgam, qua percussisti fluvium, quasi diceret, virgâ quæ tantum flumen in sanguinem transformavit virtute divina, non poteris elicere aquam ex hac petra? Propterea allicit ejus animum ad meliorem spem, dum inquit Ecce ego stabo coram te, non solus, & destitutus eris.* Quod si igitur Moyses adeo modicam spem habuerit aquam eliciendi ex petra, ut dubius hæserit, num ipsismet Dei promissionibus fides adhibenda esset, merito in cœlum usque extollendus eris, tu, ô gloriose Patriarcha Benedicte? tu enim de potentia Dei nostri nunquam dubitasti, quando Monasterio aquæ inopiam patienti, de aqua sufficienti provisurus, magna cum *Ibid. n. 6.* *Præceptum ibid.*

fiducia

fiducia Monachis tuis, ut aquam ex arida rupe, in qua aquæ antea non fuerant, haurire, seu promere præcepisti, unde nec Deus spem, & fiduciam tuam irritam, & vanam esse voluit, quia, *Statim fons aquæ dulcissimæ prorupit, qui adhuc durat* inquit Ferrerius. Mira res? Deus aquam Moysi promittit, & tamen ille diffidit: Et tamen Benedictus illam se infallibiliter impetraturum sperat, licet id ei Deus non promiserit. Unde si verum est, quod *Spes est appetitus boni cum fiducia obtinendi*, uti nos docet Angelicus Doctor, sequitur manifeste, quod quia Moyses hanc fiduciam non habuit, ideo consequenter non speravit: At verò Benedictus, qui infallibiliter futurum credebat ut Monachi sui aquæ penuriam patientes, eandem in ipsâ quoque rupe essent inventuri, spem utique non minus vivam habuit, quam si illam *de facto* invenisset. Spei hujus argumentum non minus evidens alia quoque vice edidit, quando Dæmon procuratâ muri alicujus ruina sub illius macerie, & tuderibus correptum puerum miserè occidit, adeo ut nulla esset in illo pars reliqua, quam non miserè trucidasset? erat enim vultus ejus horribiliter deformatus, membra conquassata, ossa protsus contrita &c Sanctus igitur Patriarcha puerum sub ruinis ereptum ad cellam suam deportari jussit, indeque manu sua eductum sanum, & incolumem omnibus exhibuit: *Puer ab ipso ex cella eductus est manu ejus apprehensa* En vivæ spei in S. Benedicto vivacissimum specimen. Nunquid enim forte putatis quod vir Dei sanctus contractum, & comminutum cadaver istud in suam cellam deportari jusfit, nisi intentionem simul & vivam in Dei gratiam spem habuisset eundem ad vitam revocandi? *Qui gaudet in spe, tenebit & rem; qui autem spem non habet, ad rem non poterit per venire*, inquit Augustinus.

17. Denique spes fidem pro fundamento habet, nam *Spes sine fide esse non potest*? Quisquis enim fidem non habet, spe quoque careat necesse est. Fuitque hic fructus inter omnes, qui ab hac Benedictina arbore dependebant, omnium perfectissimus. Recordor hoc loco responsionis illius quam Dei Filius mulieri Chananeæ pro sanitate filiæ suæ supplicanti reddidit dicens: *Magna est Fides tua* q.d. Verè, ô mulier, magna est Fides tua, magnaque sunt, quæ ex ea tibi concilias merita tua, quæ proinde insigniter recompensari meretur. *Fiat tibi sicut vis*. Quæ verba à S. Chrysostomo hunc in modum fuere ponderata: *Fides quidem tua majora, quam petis, posset imperare. Veruntamen fiat, ut vis.* O quanta est hæc Salvatoris nostri liberalitas? *Fiat ut vis* In hoc verbo *Fiat*, tota Dei omnipotentia consistit. *Hæc vox* (subdit Chrysostomus) *illi affinis est qua dictum est: Fiat cælum, & factum est cælum.* Id o peropportunè magnæ fidei, cujusmodi fides mulieris hujus erat, conveniebat. Etenim *fiat* Divinæ omnipotentiæ hujus mulieri indulsit, ut illud ubicunque placuerit, applicet, & operetur quicquid vult; quod si autem Fides ejus tanta non fuisset, *Fiat* illud efficacissimum minimè obtinuisset. Quis igitur dubitare poterit, quin sanctus Benedictus ob generosam fidei suæ magnitudinem, & excellentiam, qua mulieris Chananeæ fidem longè superexcedit, potentissimum illud Divinæ omnipotentiæ verbum *Fiat* in sua collocatum habuerit absoluta potestate? Respiciantur facta ejus prodigiosa, & fateri idipsum cogemini: Quicquid enim à Deo, & per Deum fieri voluit, subitò impetravit. Si Capitorii fracti partes denuo simul unire, illudque pristinæ integritatis statui restituere desiderat, facillimè id obtinet, videturque quod Deum audiam illi dicentem: *Fiat tibi sicut vis.* Si petat ut Romanus in spelunca solitaria ipsum visitet, & ad campanellæ sonitum victus annonam ipsi adferat, ne dubitetis quin Dominus ipsi dixerit: *Fiat tibi sicut vis.* Si tribus annis continuis in spelunca quadam subterranea solo pastus pane rigide jejunantium, stare, vitamque suam & incolumitatem illæsam conservare cupiat, DEUS hanc illi non denegat gratiam: *Fiat tibi sicut vis.* Si gratum ei fuerit ut Deus à gravi quadam tentatione Diabolica ipsum liberet, Deus ei non contradicit: *Fiat tibi sicut vis.* Si ut à sensualitatis impetu sese eximat, in asperas spinas nudum corpus suum projiciendi licentiam exoptat, Deus illam non abnuet: *Fiat tibi sicut vis.* Si velit ut vasculum veneno imbutum per formatum desuper Crucis signum in mille partes disrumpatur, protinus exauditur: *Fiat tibi sicut vis.* Si Dæmonem per unicam ei impactam alapam è corpore obsesso eliminatum esse jubeat, Ecce dictum, factum: *Fiat tibi sicut vis.* Si ad ædificandum pro divini nominis gloria promovenda, duodecim monasteria omnem suam contendit adhibere operam, Deus opus conceptum benedictione sua mediante feliciter, & brevi tempore absolvi, & terminari concedit: *Fiat tibi sicut vis.* Si petat ne inimicus infernalis juvenem quendam

D. Vinc. Ferrer.

D. Tho.

D. Aug. de charit.

D. Aug. in Enchirid.

Matt. 15.

D. Chrys. ibid.

Idem ibi.

Isidorus clarius orat. 100. col. 201. Fac. 2.

Religiosum à benè operando impediat: *Fiat tibi sicut vis.* Si corvo præceperit, ut intoxicatum à Florentio panem in remotis ab hominum consortio locis abscondat, ne nocere valeat. Corvus apprehenso unguibus pane protinus avolabit: *Fiat tibi sicut vis.* Si in montem Cassinum pervenieus, ad hoc ut Idololatriam extirpate posit, sanctam fidem ferventer prædicare contendit, ecce tibi subitò Apollinis statuam Dei virtute, & auspiciis in terram prostratam, & in mille partes confractam, & diminutam: *Fiat tibi sicut vis.* Si se accingere vult ad erigendum in monte Casino altare quoddam in honorem sanctorum Præcursoris Domini, & Turonensis Episcopi Martini, nemo est, qui impedire ausit: *Fiat tibi sicut vis* Si habuerit aliquam mortuos suscitandi occasionem, ut opus illud mirificum exerceat, hoc solum requiritur, ut mortuos surgere ipse jubeat: *Fiat tibi sicut vis.* Si cupiat ut Maurus aquis inambulet Aquæ autem Mauro obediant: *Fiat tibi sicut vis.* Si servus quidam regiis vestibus indutus se Totilam esse finxerit, ipse astum subitò detegere poterit: *Fiat tibi sicut vis.* Quod si unum ex Ephebis monuerit, ne doloso & insidioso cratere vinum bibat, ne latens in eo serpens ipsi noceat, monitio effectu non carebit: *Fiat tibi sicut vis.* Si Monasterii necessitas aquam requirat, ecce subitò ex petra aquam perenniter scaturientem: *Fiat tibi sicut vis.* Si ad cognitionem objectorum creatorum, non solum in genere, & specie, sed etiam in individuis pervenire aspiraverit, Deus id ipsi nequaquam negabit: *Fiat tibi sicut vis.* Si ferrum casu fortuito in aquam delapsum super aquas natare desideret, prout tempore Elisei factum fuit, ferrum subitò adversante naturâ levitatem indutum sursum feretur: *Fiat tibi sicut vis.* Si ad impediendam cæptam à Religiosis fabricam Dæmon ingentem lapidem tanto pondere aggravaverit, ut loco ne latum quidem unguem moveri non posit. Benedictus autem lapidi, ne opus cæptum impediat, præceperit, ipse quoque lapis, quantumvis durus, promtissimam viro Dei exhibebit obedientiam: *Fiat tibi sicut vis.* Si Dæmon Monasterium incinerare volens, illud in aliqua ejus parte igni succenderit, Sanctus Patriarcha Crucis signo facto illum confestim extinguit: *Fiat tibi sicut vis.* Quod si vasa olei exinanita fuerint, ipse autem supplicaverit, vasa illa olei tam largiflue oleo adimpleta videbit, ut exuberans oleum per conclave manare sit conspecturus: *Fiat tibi sicut vis.* Ex hactenus igitur dictis, quanta in sancto Patriarcha fuerit fidei perfectio, & excellentia, per bonam & validam consequentiam evincere poteritis, concludentes cum Salvatore: *O Benedicte, magna est Fides tua.*

Petrus de Natal. l. 3. c. 214. & Iac. de Vor. in vita ejus.

Isidorus Clarius orat. 100. de S. Benedicto fol. 202. fac. 1. Idemib. fol. 203.

SERMO OCTAVUS.

IN FESTO

ANNVNCIATIONIS B. MARIÆ

VIRGINIS.

Ecce concipies in utero, & paries filium. Luc. cap. 1.

EVentus, qui passim in mundo accidunt, quantò sunt ratiores, atque ab humana posibilitate magis remoti, tanto majori admiratione afficiunt illos considerantes, & quasi incredibiles fiunt. *Et majorem hominibus stuporem afferunt,* inquit sanctus Pater Augustinus. Per exempla manifestius redditur quod dico: Ingens quædam navis

D. Aug. Tract 9. Exposit. in Evang.

navis olim in Tiberi hærebat, quæ pondere suo & gravitate expertissimorum fortissimorumque virorum viribus adeò resistebat, ut licet eandem quibuscunque adhibitis machinis & artificiosè excogitatis instrumentis loco movere collaborarent, frustranei tamen & irriti fuerint eorum omnium conatus. Superveniens autem Claudia virgo Vestalis, sola adhibito cingulo suo tanta eum facilitate loco movit, & quo voluit traxit, ut universa idipsum videns Roma obstupuerit: *Cingulo navem pertraxit.* Tullia virgo pariter Vestalis Cribrum aqua plenum à Tiberi usque ad Deæ Vestæ templum, cui dedicata erat, deportavit, ita ut ne gutta defluueret. Quis unquam audivit aut legit eventum magis extravagantem illo quem de Martia nobili muliere Romana referunt Historiæ: Hæc enim cum prægnans esset, & à fulmine percuteretur, accidit quod infantulus quem utero suo ferebat subito fuerit mortuus, ipsa prorsus manente illæsa. *Partu fulmine exanimato supervixit.* Rex Cambajæ, ab ipsis cunabulis veneno sis nutrimentis assuefactus, naturam adeo malignam sibi comparavit, ut vel sola respiratione, saliva, obtutu denique solarum vestium suarum contactu non solum homines, sed & animalia bruta occideret. Idem quoque ex relatione Alberti Magni & Aristotelis, de quadam muliere scriptum invenio, quæ cum nullo alio nutrimento sese aleret, præterquam veneno, *Adeo pestilenti sanguine fuit oppleta, ut saliva caterique ejus humores quemcunq; interficerent.* Hyperbolem esse existimarem, nisi Olimpiodorus asseveret, & Aristoteles oculatus testis confirmaret inventum fuisse hominem, qui in totius vitæ suæ decursu nunquam manducavit, nec unquam dormivit, quique ad instar Chamæleontis solo aere & solis calore vitam suam constanter nutriebat, *Donec vixit, neque manducavit unquam, neque dormivit; caterum in sole manendo alimentum accepit.* Tempore Friderici II. Imperatoris, quidam in Germania Clericus, post diminutum ex incisione venæ sanguinem, memoriam suam taliter deperdidit, ut omnis peritiæ legendi atque scribendi totaliter oblitus fuerit; *Nec plus aut legere aut scribere nôrat, quam si utrumque nunquam didicisset.* Post elapsum verò anni spatium, ex eadem vena sanguinem emanare procurans, amissam legendi, atque scribendi memoriam perfectissime recuperavit: *Iterum hausto sanguine, ad eandem legendi & scribendi scientiam restitutus est.* Refert Antonius Muretus se virum quendam è Corsica oriundum Paduæ familiariter sibi notum vidisse, qui adeo felici & fœcunda memoria à Deo præditus erat, ut ordinata serie triginta tria millia nominum, vel vocabulorum recitare potuerit à primo ad ultimum, & vice versa ab ultimo redeundo ad primum. *Qui triginta tria vocabulorum millia ordine quocumque sive recto, sive retrogrado recitabat.* Cum ex jussu Regis Catholici Didacus Osorius Hispali unica tantùm nocte incarceratus fuisset, ob nimiam inde conceptam mœstitiam, mane invêtus est capite omnino canus. *Totus incanuit, velut senio confectus* De Tiberio Cæsare legitur, quod de nemine aliorum hominum me unquam audivisse memini, quod scilicet is inter obscurissimas noctis tenebras æquè perspicuè videre potuerit, quam si in meridiana luce stetisset: *Haud alio modo, quam luce clara contuebatur omnia.* Egles Samius neminem sibi in lucta parem habebat, cumque illi debitum ex lucta denegaretur, aut impediretur præmium, adeo id ipsum offendit, ut tametsi mutus esset, linguam suam tamen laxaverit, suasque rationes distinctè, & intelligibiliter edixerit: *Indignatione accensus vocalis evasit.* Athis Cræsi filius, dum adhuc in fasciis constitutus esset, neque prima sermonis rudimenta proferre didicisset, videns traditorem quendam post tergum Patris sui constitutum, ferrum in paternum verticem infigendum stringere, atque ad ictum dandum expeditum esse, naturæ vim intulit, & possibilitatis limites transiliens, liberè pro patris sui defensione locutus fuit: *Locutus est in crepundiis, dum videret hostilem gladium paterno imminere jugulo.* Incredibile quidem mihi videtur, & tamen veluti rem certam referunt Historiographi, quod Epimenides Cretensis à Patre ad gregem custodiendum missus, postquam se quietis captandæ causa in speluncam quandam recepisset, continuo obdormiscens manserit quinquaginta annos solidos, adeo ut nunquam interea fuerit expergefactus. *Dormivit in spelunca annos quinquaginta.* Crederem merum esse eorum, qui scribunt, quæ luber, figmentum, nisi Plinius id ex multorum relatione corroboraret, quod similiter juvenis quidam continuo sine interruptione intercedentium vigiliarum dormiverit, quinquaginta septem annos. *Credidere Ethnici dormisse annos quinquaginta septem.*

Verum enim vero quod si adeo mirabiles esse viden-

Io. Rav. de mirac. Nat.

Andr. Ebor. de mirac.

Petrus Hispal. p. 2 c. 7. in Sylva.

Plin. l. 11. c. 37.

Valerius Max. l. 1. c. 6.

Io. Ravis. in offic. f. 219.

Plin. l. 7. c. 52.

D. Th. opusc. 17.

videntur effectus naturæ, qualem secum stuporem afferent opera gratiæ, præcipuè cum Doctor Angelicus dicat: *Majorem esse gratiam, quam naturam.* Quid de virga, quam manu sua Moyses tenet, diceretis, si illam primò in serpentem, ac demum ex serpente in virgam transmutari cerneretis? *Exod 4.* *Versa est in colubrum: versaque est in virgam.* Natura attonita hæret, & confunditur, dum videt quod ad minimum Elisei nutum, parvum aliquod lignum instar plumbi in Jordanis fluminis fundum præceps mergatur & descendat; ferrum autem non obstante pondere, & gravitate sua in undarum superficie leviter supernatet: *4. Reg. 6.* *Misit Eliseus lignum in aquam, & nata vit ferrum.* Quid de Atheniensi Martyre Magno illo Areopagita diceretis, si illum pro fide Christi decapitatum, per duo millia passuum caput suum propriis manibus portantem videretis? *In vita ejus.* *Abscissum suum caput sustulisse proditum est, & progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse.* Idem S. Proculus fecit, qui postquam ei à carnifice amputatum fuisset caput, idipsum à terra levatum à loco supplicii Bononiam usque detulit Anno Domini 510. *Carolus Sigon. apud Surium. c. 3.* *Sine capite progressus est in ipsam usq; urbem Bononiam & abscissum caput detulit.* Similiter natura quidem manifestè se impotentem esse fatetur, ut efficiat, quod unum corpus in uno eodemque instanti in duobus distantibus locis consistat. At vero in virtute gratiæ Magnus ille Mediolanensium Pastor in uno eodemque temporis momento, quo Mediolani Missam celebrabat, Turonibus quoque Martini funeralibus per tres horas continuas præsens interfuit: *Simon Majol. col. 4. f. 158.* *Beatissimus hic Antistes super Altare obdormivit, & fratris funeri obsequium præbuit.* Creaturæ præ admiratione suspensæ hærent, & stupefactæ obmutescunt, dum audiunt quod Gregorius Thaumaturgus rapidorum fluminum cursum stare fecerit, paludes omnino exsiccarit, montes denique ex uno loco in alium transtulerit: *Conimb. in Phys. l. 4 c. 5. Q. 5. A. 2. fol 35. col 2. B.* *Montem alio transtulit, paludem exsiccavit, Lycum fluvium baculo coercuit.* Inaudita sunt hæc prodigia, viderenturque omnino incredibilia esse, nisi gratiam illorum operatricem esse sciremus. Verumenimvero quis unquam ratius aut singulatius, magisque admirandum, imo obstupescendum audivit, quam sit illud, quod sæculis dudum præteritis 25. Martii in Nazareth civitate Galilææ accidit? Ibi namque Maria eligitur ut sit virgo pariter & mater? Et quidem, quod plus est, Mater Dei vivi, & veri. *Ecce concipies in utero & paries filium.* Natura rata ist hæc mysteria nequaquam penetrat, imo super hisce mysteriis ipsamet gratia attonita remanet. Homines, Terra, Cælum, imo Angeli obstupescunt: *In Brev. 16. Novlect. 12. Noct.* *Quia etsi multa magna facta sunt in Creaturis mundi, nihil tamen tam excellens, tam magnificum fecerunt inter omnia opera digitorum Dei, quam virginem Dei genitricem,* inquit B. Petrus Damianus? ut proinde meritò dicere & replicare potuerit: *Petrus Dam. in 46. & 1. Nat B. M f 10 col. 2. D* *Nec similem visa est, nec habere sequentem.* Discurramus igitur de excellentia, & dignitate hujus miraculosi prodigii, id est, de Maternitate simul, & virginitate Mariæ parientis filium, qui simul homo est & Deus, *Ecce concipies in utero, & paries filium.* O quam pulcher est virginitatis & Maternitatis in una arbore nexus? *Mater & virgo?* O quam admirabilis fructus, homo & Deus, *Deus & homo.* Hæc arbor unica est in toto mundo, *una es amica mea.* Unde Gregorius Nyssenus exclamavit: *O Miraculum ingens, virgo Mater fit, & virgo permanet? In aliis fœminis, quamdiu virga aliqua est, Mater non est, cum autem Mater facta fuerit, virginitatem non habet.*

2. Inter alios eximios, & glorioso titulos, qui huic Reginæ attribuntur, unus est majoribus mysteriis refertus, ac proinde dignus, qui ab ipsomet sponso illi impositus fuerit, quando illam vocat pulchram ut Lunam. *Pulchra ut Luna.* *Cant. 6.* Quidnam Lunæ cum Maria negotii intercedit? In illa multæ sunt maculæ, in hoc autem ne vel una. Una ipsissimum est instabilitatis, symbolum, altera autem stabilis semper. & constans permansit: Luna jam crescit, mox autem decrescit: Virgo autem gratiæ, & meritorum majora semper incrementa sibi peperit, absque ullius decrementi accessu. In quonam igitur hæc lunæ pulchritudo consistit, quæ alias in Maria adeo præclarè resplendet? Forsitan, ut exponit fundatissimus Ægidius: *Ægid. Colum. ibi lect. 13. f. 14 col. 1. A.* *Est pulchra ut luna propter fidem, quia quæ fide cognoscimus, videmus quasi in lumine Lunæ, quia ea non clarè apprehendimus.* Verum hoc sensu prærogativa ista in ejus laudem minimè redundaret, aut verò etsi redundaret, non tamen illi soli propria foret, siquidem omnes viatores *vident quæ Dei sunt lumine fidei, & quasi lumine Lunæ.* Aut vero *Pulchra ut Luna,* dicitur, ut scribit Joanes à S. Geminiano, eò quod hæc *Antiquitus colebatur à virginibus, & servantibus castitatem.* Me quod attinet, ita respon-

L. 1 c. 3. de cæli & Elem. f. 5. col. 2.

respondendum esse judico: scilicet Lunam duobus modis considerari posse puouti ipsa quoque experientia nobis clarè demonstrat, vel quando est diminuta, & accepta semicirculi forma, duo puncta inter se distantia hoc modo efformat, C. vel quando plena est, & figuram exhibet sphæricam atque perfectam in hac forma. O si illam primo modo consideremus, duæ extremitates procul à se invicem distant, neque est possibile illas alio modo, quàm solius Solis interventu unire: Quid si autem Sol illam è diametro aspexerit, duo illa extrema simul uniuntur, & fit Luna plena atque perfecta. Nunc igitur mentem sponsi, si libet, auscultate. Priusquam Sol Justitiæ Mariam Lunam mysticam è diametro aspexisset, impossibile erat duas illas partes extremas simul unire, id est, virginitatem, & maternitatem. Verùm postquam Sol, id est, *Verbum caro factum est.* Ecce tibi Lunam perfectè plenam: *Ecce concipies in utero, & paries filium.* Et quid tandem inde sequitur. Nimirum quod in hac Luna mystica simul duo extrema uniantur, virginitatis scilicet, & maternitatis, & illam veneramur tanquam virginem, & adoramus tanquam matrem. Meritò igitur illam Sponsus cælestis per Lunæ pulchræ metaphoram celebrat: *Pulchra ut Luna.* Quia, ut inquit Gregorius Nyssenus: *Virginitas neq; partũ prohibuit, neque partus virginitatem solvit.* Ecce duo extrema incompossibilia, virginitas nimirum, & maternitas in uno subjecto conjuncta. *Pulchra Luna.* Unde alius quidam cecinit:

Partus & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Formæ in sepulch. Adriani VI. ante imaginem B.V.M.

3 Quid autem existimatis divinum sponsum inferre voluisse, quando hujus Lunæ pulchritudinem celebrans, castissimum hujus magnæ Virginis uterum tanta cum facundia, tantoque cum laudum præconio deprædicavit, dicens: *Venter tuus acervus tritici vallatus liliis?* quasi diceret: Tuus, ô Virgo Maria, castissimus venter quidam ex tritico coagmentatus monticulus Liliis circumdatus, & coronatus esse videtur. Lilia flores sunt, tritici autem grana sunt fructus. Illa valent gustui, seu odoratui pro irritamento: hæc autem corporis nutrimento inserviunt. Responderi equidem posset per triticum panem intelligi, per panem autem *intelligimus omne necessarium ad quotidianum victum, sive cibus, sive potus, sive vestitus, sive domus, sive sumptus, sive corporis valetudo?* ac proinde Filius Dei discipulos suos modum docuit, quomodo hæc omnia à Patre æterno petere debeant, dicens eisdem: *Sic orabitis. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ac proinde qui triticum habet, panem habet, qui autem hunc habet, omnia bona possidet? sic quoque qui à Principe officium, seu censum aliquem, unde sibi omnia necessaria comparare possit, accepit, dicere solet: Panem meum quoque hodie accepi. Unde dum sponsus Beatam Virginem triticum, vel panem appellat, per hoc demonstrare intendit, quod Beatæ Virginis subsidio haud secus, ac pane, indigeamus, quodque illi, qui sub ejus protectione vivunt, suum quoque perpetuum panem acceperit, hoc est, quidquid illis ad vitam tum spiritualem, tum coporalem est necessarium. Porrò expositio isthæc optima valdeque huic scripturæ loco accommoda esset, nisi de Liliis quoque specialis mentio fieret: *Vallatus Liliis.* Atque ideò operæ pretium erit, ad aliam magis opportunam hujus loci expositionem recurrere. Lilia itaque candore suo pulchrum virginitatis candorem aptè repræsentant, prout notum est omnibus? Ideò quoque servi Dei, qui virginitatis florem intactum semper custodierunt, pro victoriæ trophæo Lilia in manibus suis portant. Granum autem tritici fœcunditatis est hieroglyphicum, unde in Indiis, & Africa bis in anno metitur, & triticum ibidem in tanta quantitate fructificat, ut quadringenta grana pro uno communiter reddat. Imò in Italia tametsi tritici census ad hunc usque gradum non ascendat, magna nihilominus in tritico fœcunditas observatur, cùm unum granum plures ut plurimum spicas progerminet, quælibet autem spica illam producat granorum multitudinem, quam quotidiana nobis experientia commonstrat. His itaque suppositis facilis nobis erit, omnique difficultate carebit hujus Scripturæ loci intelligentia: *Venter tuus acervus tritici vallatis Liliis*, id est, Tuo utero, ô Maria, hæ duæ prærogativæ, sive duæ extremitates debentur, quæ in eo simul unitæ conspiciuntur, scilicet Lilia virginitatis, & tritici fœcunditatis, ita ut de te verè affirmari possit, quod de nulla unquam muliere verificatum fuit, quod scilicet simul virgo sis, & mater. Unde Theophylactus, & sanctus Bernardus dixerunt: *Sola hæc est beata Deipara, in qua virginitas, & maternitas obviaverunt sibi. In ea semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum.*

Cant. 7.

Ægidius Colum. sup. orat. Dom. f. 5. col. 3. B.

Matt. 6.

Petrus Hisp. p. 5. c. 27. Majolus col. 20. fol. 892.

4. Isaias Propheta qualitates, & conditiones Matiæ spiritu Prophetico prospiciens tribus illam montibus comparavit, quorum illi gloriam, & elegantiam attribuit: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* Et quidem valdè scire aveo, cur B. V. Maria hisce ab Isaia montibus sit assimilata. An fortè nulli alii reperiuntur montes similes, vel etiam tribus prædictis majores & pulchriores? Cur non dicitur similis esse monti Thabor, in quo sicut Filius Dei est transfiguratus, ita in utero Mariæ idem est incarnatus? Cur non montibus Magneticis in Cantabria, nec non in mari Indico situatis, qui sicut ferrum è quo naves compinguntur attrahentes, easdem naves sistere faciunt, ita quoque Maria humilitatis suæ magnete Deum in uterum suum attraxit? Cur non monti Tilaro, é cujus sinu sicut plus quàm centum fontes suum habeant scaturiginem, ita quoque Maria in suis visceribus continet operis sapientiæ, & gratiæ uberrimum fontem? Cur non Indiarum Orientalium montibus, qui sicut adeò sunt sublimes & alti, ut vix in quatuor dierum spatio à valle in verticem usque fieri possit ascensus: ita vix fieri potest, ut quis ascendere possit meritorum Marianorum sublimitatem passibus considerationis? Cur nō monti Pallenes in regno Balaniæ, qui sicuti in summitate sua adeò est spatiosus, & amplus, ut quinque in ea civitates situatæ esse dicantur? ita in Maria ille Deus est incarnatus, qui ab immensa cælorum vastitate nequit esse comprehensus? Cur non monti felicis Arabiæ, quia sicut in ejus sinu magni Sultani conservari dicitur thesaurus, auri adeò abundans, & copiosus, ut centum Cameli illud portare nequaquam sufficerent: ita in visceribus Mariæ latuit infinitus thesaurus, omnium, qui in mundo sunt, thesaurorum maximus & locupletissimus? Cur inquam Propheta hosce alioque montes omnes tacitè prætereuns, solam gloriam Libani decorem Carmeli & Saron Beatæ Virgini similes esse censet? Existimo sanctum Prophetam per horū montium similitudines repræsentare voluisse Mariæ proprietates? Id quod me jam exponentem diligenter auscultate. Dico igitur quod Propheta attribuendo Mariæ gloriam Libani, illam tanquam intactam, & illibatam, perpetuamque virginem præconizet: *Gloria Libani quoad virgineum candorem? Libanus enim interpretatur candidatio,* inquit Hugo Cardinalis. Postea verò subjungit: *Decor Carmeli & Saron,* quia hi montes loca sunt inter omnia alia loca fertilissima, maximeque fructifera. Unde idemmet Hugo de Carmelio loquens dicit: *Est mons fertilissimus, consitus arboribus pomiferis, & vineis.* Et de Saron subdit: *Est vadio abundans frugibus, quasi dicat, terra vestra in reditu erit pulcherrima, & fertilis arboribus, & vineis, & frugibus.* Per candorem itaque Libani Isaias prophetizat virginitatem, & per fertilitatem Carmeli, & Saron maternitatem Mariæ? volens sub hoc verborum obscuro involucro expesse inferre, quod Deus illam *simul & semel* honoraturus sit, per gloriam virginitatis: *Gloria Libani est data ei,* & simul per dignitatem, & decorem maternitatis: *Decor Carmeli & Saron.* Ut sic verificetur dictum illud: *Gaudia matris habens, cum virginitatis honore,* &, ut S. Bernardus ait: *Conjuncta sunt ad invicem Deus & homo, Mater & virgo.*

5. Scriptura sacra Throni Salomonis idæam, materiam, & formam describens nihil aliud de eo exprimit, præterquam, quod ex ebore factus, & magnus fuerit, ipseque Salomon totius facturæ author, & inventor extiterit. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem?* non obstante quod Spiritus S. dicat: *Non est factum tale opus in universis regnis.* Certè dum thronum hunc? & quin eo sedet accuratius considero, non videtur magnificentiæ Salomonis satis respondisse, utpote qui Regum omnium, qui unquam in mundo fuêre, maximus, opulentissimus, potentissimus, & splendidissimus fuerit. Non est mihi dubium quin plures inventi fuerint Throni longè sumptuosiores, spectabiliores, melioriſque operæ, & artis. Thronus Alexandri Macedonis ex alternis platanis, & vitibus aureis segmentatus erat: gradus illius ex Smaragdo, Carbunculis, aliisque inæstimabilis valoris gemmis erant ornati. Luitprandus, Cremonensis Episcopus, cùm amandatus esset nomine Berengarii Italiæ Regis ad Constantinum Porphyrogenitum Imperatorem Constantinopoli natum Legatus, ad audientiam introductus vidit ante thronum arborem quandam, ramis, foliis, & fructibus aureis decoram, & onustam, supra quam aves quoque aureæ volitabant, & per artificiosas venti vias suaviter cantillabant. Solium in unico momento jam demittebatur, mox verò denuò erigebatur in sublime, absque eo, quod discerni non posset, quonam vel quali artificio id fieret. Ex utroque latere multi circumstabant Leones, ex auro solido fabricati, qui omnes per viam aquarum rugitus edebant. Rex Chi-

Isaia 35.

Matt 17. Luc 9. Marc. 9.

Plin. l. 23. c. 14.

Marcus Polus l. 2. c. 43.

Idem l. 1. c. 25.

Hugo Cardin. ibid.

D. Amb. l. de Inst. virg. c. 14. D. Bern. serm. 3. in vig Nativ.

3. Reg. 10. Ib. n. 21.

Athen. lib. 12.

Henricus Spond. & Cæsar Baron. A. 946.

næ

næ thronum habebat, ad quem priusquam adire quis posset, necessum erat ut per septuaginta quinque conclavia elegantissima, & locupletissimo ornatu, & suppellectile instructa transiret, quorum quatuor præ cæteris elegantiora erant: unum enim ex ære, alterum ex argento, tertium ex puro auro, quartum verò ex meris gemmis, lapidibusque pretiosis præparata conspiciebantur? Thronus denique illius ex ebore factus erat adeò resplendens, ut dies semper esse videretur. Cosrhoas Persarum Rex thronum habebat chrystallinum, cujus pars superior ad modum Cæli, Sole, Luna & stellis distincta erant. Unde nunc pluviæ, nunc grandines, alias rivi, mox torrentes derivabantur, aërem formabat nonnunquam serenum, qualis esse solet in meridie, aliquando obscurum, veluti est de nocte, quandoque nebulosum, videbantur quoque aliquando scintillare fulgura? resonare tonitrua, vibrari fulminum sagittæ: &c. Cosrhoas autem in eo sedens veluti Deus adorari ambiebat. Quid igitur est Thronus Salomonis eburneus, si cum sumptuosissimis, & elegantissimis prædictorum Regum thronis comparetur? Quasi nihili æstimandus videtur? Qua igitur ratione de throno Salomonis dictum? *Non est factum tale opus in universis regnis*? Quantum mihi judicare licet, existimo hoc encomium non tam thronum concernere repræsentantem, quàm thronum repræsentatum, qui est Maria. *Thronus Dei dicitur virgo*, uti affirmant Hugo, & sanctus Bernardus. Et sanctus Petrus Damianus: *Fecit Thronum, uterum videlicet intemerata virginis, in quo sedet illa Majestas, qua nutu concutit orbem. Felix thronus, in quo sedet dominator Dominus*? Etenim dicere quod Maria sit thronus Dei, idem est, quod affirmare Deum in ipsa esse incarnatum, & consequenter ipsam vera Dei matrem esse. Advertendum autem est thonum hunc eburneum esse, *de ebore* quod puritatis virginalis symbolum est. *Ebur eximium virginis satis appositè repræsentat simulachrum.* Et S Petrus Damianus: *Ebur mirabili candore relucet, & quid candidius illa virgine qua singularis aspectus sui gratia super cælestem curiam allicit ad videndum.* In throno igitur maternitas, in ebore virgnitas exprimitur. Maria Virgo & mater. O thronus verè magnus. *Fecit thronum de ebore grandem. Quid grandius virgine Maria*? *qua magnitudinem summæ Divinitatis infrà sui ventris concludit arcanum.*

Pigafet. in hist. Sinensi.

Nicolaus Caussin. & Cedrenus.

D Bern. in Exech. t. 1. ser. 51.

Serm. 46. & 1. Nat. B.V. Alex. Pellegr. in cap. 1. Matth.

D Petr. Dam. ubi supra.

Petrus Dam.

6. Revera magna consideratione dignum est, quod omnes sacri Evangelistæ, haud secus ac si inter se conspirassent, actiones, vitam, & conversationem Mariæ Virginis scribere intermiserint, cùm tamen opera & miracula Christi cum tanta cura, & punctualiter descripserint: Imo de Apostolis, & speciatim de Petro multa quoq; scripserunt, vix enim Petrus gressum aliquem fecit, quem non accuratè annotarint, & chartæ commiserint? Et de Matre Jesu Christi ferè nihil Scio equidem illis nequaquam defuisse scribendi materiam: tot enim tamque præclara, & eximia de illa scribi poterant, ut integros implere libros, & exemplares omnibus sæculis memorias relinquere potuissēt. Benè idipsum S. Archiepiscopus Valentinus, Thomas de Villa nova notavit dicens: *O Evangelista, cur nos tanto gaudio privastis? Cur hæc tam læta, tam desiderata, tam jucunda conticuistis?* Fatendum est etenim, quod si omnium à B. Virgine in vita sua gestorum sacri Evangelistæ meminissent, majorem fidelibus cōsolationem, aut majorem Mariæ gloriam parere non potuissent. Cur igitur illa describere, & recensere neglexerunt? Fortè opera ab ipsa patrata digna non erant, quæ ab Evangelistarum calamis in lucem edi mererentur? Quis id cogitare, nedum dicere præsumet cùm cuncta ejus opera heroica, eximia & stupenda extiterunt? Aut fortasse ipsæmet Evangelistarum pennæ ad ea conscribenda nec dignæ fuēre, nec sufficientes? Nec hoc dici potest cum Christi totam vitam, & opera explicare potuerint, cùm tamen illa divina essent, omnemque admirationem longè excederent. Respondet igitur B. Archiepiscopus S. Matthæum dixisse quantùm dici poterat, pauciſque verbis compendiosè comprehendisse, quidquid ipsius per longam, & amplam Scripturæ seriem referri, aut recenseri poterat. Idq; hisce verbis præstiterit, quando dixit: *De qua natus est Iesus.* O quam glorioſum encomium: O quam eminens, & sublimis virginis Panegyris? Duo autem puncta facer Evangelista tangit unum *explicitè* scilicet, quod Maria mater fuerit Dei: altrum verò *implicitè*, id est, B. Mariæ virginitatem. Ecquid igitur ultra dici potuit? hæc enim maxima est excellentia, quam unquam habuerit. Qui illam virginem & matrem fuisse prædicat plus de illa dicere nequaquam valet, ad columnas usque Herculis talis pervenit. Si enim de illa tanquam virgine loquamur, *Magis cogitari potest, quàm describi*: Si tanquam de matre: *Sufficit ad ejus plenam historiam, quod scriptum*

Serm. de Nat. B.V. f. 341. col. 1.

Matt. 1.

S Th. à Villan. ibi

ptum est in Themate, quia de illa natus est Iesus. Quid amplius quaris? Quid ultra requiris in virgine? sufficit tibi quod mater Dei est, complexus est itaque Evangelista omnia excellentia argumenta, dum de virgine ait: De qua natus est Iesus. In hoc clauditur, quicquid dici de ea potest, si mille liberi scriberentur.

7. Ex hac resolutione apertam mihi video difficultatis cujusdam intelligentiam, quæ alias huc usque ingenium meum variis speculationibus multum contorsit, nimirum quod Maria toto tempore, quo in hoc mundo vixit, nulla unquam legatur, vel inveniatur fecisse miracula. Cùm etenim omnes servi Dei miracula patrarint, cur illa non item? De S Petro omnibus notum est ipsum vel cum sola corporis sui umbra infirmos curasse. Scio equidem quod miracula non fiant ab hominibus *virtute propria, sed Divina*. Sed nihilominus manet quæstio, cur gratiam illam, quam quasi omnibus sanctis concessit soli matri nequaquam concedere voluerit? Scio item quod miracula ad beneficium, & bonum proximi, nec non *Ad majorem Dei gloriam* fiant? cur igitur gratia miraculorum Mariæ concessa non fuit? num fortè alii sancti, & servi Dei per patrata miracula majorem attulerunt Deo gloriam, quàm Deipara Virgo facturа fuisset? Possemus quidem respondere cum Damasceno, ipsammet Beatam Virginem, maximum, rarissimum, magisque stupendum miraculum fuisse, quàm hic mundus unquam viderit *Miraculorum omnium miraculum omnium novum*. Verùm, quis dubitat, quin ipsa futura fuisset longè majus miraculum, majoremque sibi apud homines fidem conciliasset, si miracula aliqua in vita sua operata fuisset? Verùm enim vero vos rogo, Auditores, sistatis nonnihil. Quid igitur dicitis, quid creditis? Fortè Mariam nullum fecisse miraculum? Fallimini, si id existimatis? tametsi enim non fecerit multa miracula, attamen negari non potest, quin saltem unicum miraculum patraverit, idque tanti ponderis, & momenti, ut illud unicum plutis valeat, quàm omnia, quæ à Deo disponente facere potuisset, quotque unquam fecerunt omnes Sancti totius Paradisi, idque patravit patiendo Dei Filium monali carne amictum, simul retinendo honorem virginis & dignitatem matris: *Maria in solo partu quem edidit, omnium proculdubio sanctorum virtutes & signa præcellit*, inquit B. Petrus Damianus. Et S. Bernardinus Senensis ait: *Quod famina conciperet Deum fuit miraculum miraculorum*. Miraculum inquam fuit adeò rarum, & eximium, ut simile nunquam hactenus in mundo fuerit factum, nec futurum aliquando deinceps. Ut proinde hæc dignitas Matris Dei virginitatis quoque secum subinferens apud nonnullos, tametsi à fide nostra alienos, tantæ difficultatis visa fuerit, ut incredibilis esse videretur? neque enim persuadere sibi poterant Creaturam aliquam tantæ excellentiæ esse potuisse capacem, affirmantes proinde illam *Christotocos*, id est, Matrem Christi, tanquam hominis tantum appellandam esse, non verò *Theotocos*, id est, Matrem Christi. Verùm hi omnes à veritatis semita nimis procul abierunt, cùm sacri Theologi semper, & constanter determinarint, ipsam non tantum Christotocos, verùm etiam Theotocos verè appellandam esse. *Virgo verissimè est Theotocos, id est, Dei genitrix*. & sanctus Thomas de Villa nova Archiepisc. Valentinus, quod *inter fideles discrepatio non modica erat, an propter veram, & indubitatam generationem temporalem Virgo Mater Christi, vel mater humanitatis Christi dicenda esset? An audendum quoque eam Matrem Dei nominare? Donec pleno concilio definitum est eam plenis (ut dicitur) buccis Theotocos, id est, Matrem Dei ab omnibus fidelibus, verè, & sine scrupulo nominandam, atque ut veram Dei Matrem venerandam.*

S Thom. Villan. serm. de Nativit. B.V.

8. Hanc unionem, & convenientiam prædicatorum adeò distantium, virginitatis nimirum, & maternitatis *respectu ejusdem corporis*, de uno, eodemque subjecto, id est, Mariæ verificandam esse, idemmet Deus eventibus valdè miraculosis demonstrare voluit. Referunt enim Egesippus, Ildephonsus, Tertullianus & Nicephorus Callistus, quo cum sanctus Simeon Rabbinus existens, scripturarumque peritissimus & Hebræis hunc Isaiæ Prophetæ passum: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium* Isaiæ 7. publicè in Synagoga legeret, eum singulari attentione observarit, quod in suo textu *Ly Virgo* cum aspiratione. H Scriptum esset *Halma*, quod proprie idem, quod *Virgo* significat, cùm alius sine aspiratione *Alma* proprie mulierem non virginem indicet; ac proinde nullibi in Scriptura sacra invenitur, quod hoc vocabulum *Halma* cum aspiratione ulli mulierum applicetur, præterquam semel Rhebeccæ, quando ad hauriendam aquam fontem accessit, ubi servum quoque Abrahæ offendit, cui sicut & camelis ejus, potum ministravit? & tunc erat

Tertull. lib. cont. Martionem.

Orat. de Nativit.

Petrus Dam. in vita S. Rudolph. cap. 11.

virgo,

virgo, unde in Scriptura habemus, *Puella decora nimis Halma*, id est, *Virgo, qua pulcherrima, & incognita viro.* Et alia quadam vice Mariæ sorori Moysis, & Aaron quando virgo erat quatuor annorum juxta observationem Rabbi Salomonis. *Gen.* 24. Simeon igitur cum rem impossibilem esse censeret virginem aliquam intactam patere posse, ideo hanc aspirationem H. in principio dictionis positam typi solius errorem esse arbitratus, delevit, ita ut hac ablata remanserit hæc dictio *Alma*, quæ idem importat quod mulier, quasi dixisset: *Ecce alma, Ecce mulier concipiet, & pariet.* Die autem sequenti ad eundem Scripturæ textum revidendum reversus eum denuo sicut prius cum aspiratione H. scriptum invenit, quam denuo penna, uti pridie fecerat, delevit, tandem verò tertia die aspirationem aureis literis scriptam esse deprehendit, legitque iterum *Halma*. Tunc igitur mysterium divinum non verò errorem humanum esse credidit? cumque in oratione positus esset, Deus illi revelavit, puellam quandam salva virginitate sua parituram, ita ut virgo simul & mater fit. *Delevit aspirationem H. sed restitutum est. Iterum delevit, & iterum scriptum invenit Halma*, quod juxta sancti Hieronymi doctrinam *Proprie virgo Halma appellatur.* O quam raræ sunt hæ prærogativæ *Maria Virgo & Mater*! Theologus quidam cum tota sua Theologia speculativa capere nequaquam poterat, qualiter hæc duo extrema virgo & Mater in uno solo subjecto, & *in eadem differentia temporis* uniri possent. Ut igitur se hujus capacem redderet, consilii causa ad quendam Dei servum, nimirum Ægidium Minoritam se contulit, eique summa cum fiducia, quantum in hoc particulari puncto inter mille fluctuationes vacillaret, aperuit, utpote quod illi non minus incredibile quam impossibile esse videretur. Tunc sanctus terram baculo suo percussit dicens: *Virgo ante partum?* & ecce mox è terra, quæ baculo ejus percussa fuerat, pulcherrimum enatum est Lilium. Item secunda vice alibi terram pulsavit, dicens: *Virgo in partu*, & statim ex eodem loco aliud progerminavit lilium prioti longè elegantius. Denique tertiò levato baculo terram percussit dicendo: *Virgo post partum*, & protinus è cespite tertium lilium surrexit: *Percussit terram baculo dicens: Virgo ante partum, & statim candidissimum lilium excrevit Iterum percussit dicens: Virgo in partu, & mox simile lilium prodiit. Tandem tertiò terram percutiens, Virgo post partum exclamans aliud non minus candidum lilium repentè exorsum fuit.* Quo prodigio Deus Maternitati Virginitatem conjunctam esse in B. Virgine, demonstrare voluit.

Ioan. Carthag. lib. 7. Hom. 3.

D. Hier. in cap. 7. Isa.

Apud Laur. Sur. in vita S. Ægidii mense Aprili.

9. Magnam invenio à Spiritu sancto observari differentiam, quando in Scriptura Sacra tractat de rebus creatis, & de rebus ad Mariam tanquam matrem Dei pertinentibus. Nam de omnibus aliis Creaturis loquitur in tempore imperfecto. Nam tametsi illæ perfectæ sint *in suo genere*, nihilominus non habet omnem perfectionem imaginabilem, quam illis dare posset absoluta Dei potentia? ac proinde legitur: *Quando præparabat cælos aderam? quando rectâ Lege, & gyro vallabat abyssos? quando æthera firmabat sursum & librabat fontes aquarum? quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos? Quando appendebat fundamenta terræ &c.* Notate de creaturis loquendi modum, *præparabat, vallabat, firmabat, librabat, &c.* Temporis imperfecti: At verò quando de opera circa Mariam tanquam Dei matrem adhibita loquitur, verbis perfecti temporis utitur: *Creavit Dominus novum super terram. Mulier circumdabit virum. Creavit*, dicit, *& non creabit*, in tempore perfecto non imperfecto. Imò ipsamet Virgo ad Elisabetham dixit: *Fecit potentiam in brachio suo. Fecit mihi magna qui potens est. Fecit*, dicit, *& non faciebat.* Solent pictores ad insinuandum picturam suam non adeò omnibus numeris absolutam esse, quin illi insuper alia quædam perfectio superadjici possit, solent, inquam, suum quadro depicto subscribere nomen, cum addito hoc verbo imperfecto: *Talis faciebat, vel pingebat.* Phidias autem, qui in sculptura celebertimus erat, adeò ut operibus suis ne pilus quidem unquam addi potuerit, iis subscribere solebat per verbum perfectum: *Phidius Carmida filius Athenienſis fecit.* Prothogenes similiter, quia famosissimus erat, nomen suum per verbum perfectionem significans subscribere solebat: *Prothogenes fecit.* Quòd si Maria mater, & non virgo fuisset, perfectione virginitatis destituta fuisset, ideoque minimè fuisset perfecta. Ad demonstrandum igitur Virginitatis perfectionem Maternitati conjunctam esse, Spiritus sanctus in rebus ad maternitatem Mariæ spectantibus per verbum perfectum

Sap. c. 8.

fectum locutus fuit *Creavit novum super terram, Creavit*, dicit, *& non creabat*. Maria igitur perfecta virgo & mater. Hoc S. Anſelmum in-
D. *Anſel.* ferre voluiſſe credo, quando dixit : *De virgine Maria ſolùm dicere quòd Mater Dei eſt, excedit omnem perfectionem quæ ſub Deo dici poteſt.*

16. Gabriel Paranymphus velut Dei altiſſimi Legatus è cœlo ad Mariam ſe recipit, atque cum maxima imaginabili velocitate terrenum, in quo Beata Virgo Regina ſua commorabatur, Paradyſum ingreſſus, eam cum maxima, quâ potuit veneratione, & reverentia ſalutans dixit:
Luc. 1. *Ave gratia plena* q. d. Mille tibi ſalutes, ô potentiſſima Imperatrix mea, ex parte altiſſimi Dei è cœlis defero : Divinæ gratiæ reſidentiam ſuam elegerunt in ſinu : *Dominus tecum*. Sile, ô Archangele, niſi enim fallar, ſermo, quem pro legatione tua exequenda profers, divinis tibi impoſitis nequaquam reſponder, quod ut tibi oſtendam mihi difficile non erit. Nunquid à Deo in terram miſſus es? Procul dubio. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*. Ergo Mariæ dicere debebas, *Deus tecum, & non Dominus tecum*. Etenim Gabrielem inſtructionis ſibi à principali ſuo pro hac legatione debitè exequenda, communicatæ oblitum fuiſſe non credo. Illum etiam caſualiter, & inconſideratè potiùs *Dominus tecum*, quàm *Deus tecum*, dixiſſe, nequaquam admitto. Denique, quia Deus ut Deus cum Maria non eſſet, impoſſibile erat. Atque ideo potiùs mihi perſuadeo Archangelum non fuiſſe hoc modo locutum ſine magno myſterio. Tentemus num illud diſcurrendo penetrare valeamus. Quamnam, ô Auditores, differentiam eſſe exiſtimatis inter duos hoſce terminos, *Deus, & Dominus*? Certum eſt terminos illos conſiderari potiſſimùm poſſe duobus modis, *vel quantum ad modum ſignificandi, vel quantum ad rem ſignificatam* Si in ſecundo ſenſu illos conſideremus, termini ſunt ſynonimi, & *dicuntur ad convenientiam*, ſic enim idem eſt dicere *Deus*, quod *Dominus*? Deus eſt Dominus, & Dominus eſt Deus, nulla hîc utrobique invenitur diſparitas. At verò ſi in primo ſenſu de illis loquamur, inter ſe valde ſunt differentes : *Deus* enim ſignificat Deum
Gen. 1. *ſub ratione Creatoris*? unde in Geneſi habemus: *In principio creavit Deus*, non dicit *creavit Dominus*. In Symbolo quoque Apoſtolorum dicitur : *Credo in Deum Patrem Omnipotentem factorem, vel creatorem cœli, & terræ* : at verò Dominus propriè *connotat Deum moderatorem omnium rerum ſecundùm imperium ſuæ divinæ voluntatis*. Hinc eſt quod tanquam Deus Solem creavit, ut continuò moveretur ab Oriente in Occaſum : at verò poſtea, *ut Dominus*, voluit ut tempore Joſue quietus, & immobi- *Joſue 10.*
lis ſubſiſteret : *Stetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei*. Sic quoque habemus quòd *ut Deus* ignem creaverit, eique fixam legem ſtatuerit ut ſemper combureret pariter & ſplendeſceret. Nihilominus *ut Dominus* in hac lege diſpenſat, voluitque ut ignis in Inferno urat, & non ſplendeat : In fornace autem Babylonica ſplendeat, & tres illos pueros in *Pſal. 28.*
eam conjectos minimè urat. Atque ad hoc propoſitum loquitur David, cùm ait : *Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini*, inquit, *& non vox Dei*. Hac igitur doctrinâ præmiſſâ facilè intelligi poterit, qualis fuerit cœleſtis Paranymphi intentio, quando dixit : *Dominus tecum*, quaſi inferre voluiſſet : Deus quidem mulieribus legem ſtatuit, ut in eodem tempore Mater & Virgo eſſe non poſſint, ideoque neceſſum eſt, quòd mulier, ſi mater eſt, virgo non ſit, aut ſi eſt virgo, non ſit mater. Tecum autem Deus agit *ut Dominus* diſpenſando in lege *ſecundùm imperium ſuæ divinæ voluntatis*, ut fieri poſſis ſimul virgo & mater. Virgo quidem prout fuiſti, & deinceps eris : Mater autem prout es eo *Franc.*
fine à SS. Triade electa, id quod ego in præſenti *Labatha*
ejuſdem nomine tibi denuntio, atque declaro: *t. 1. v. Ma-*
Ecce concipies in utero, & paries filium. Unde ſacer *ria Prop.*
quidam Scriptor, & Interpres concludit : *Tan-* 38.
quam Dominus cum Beata Virgine diſpenſavit, ut Deus eam Adæ filiam creavit? ut Dominus illam matrem tuam fecit? Tanquam Deus illam fœminam fecit, tanquam Dominus illam matrem & virginem ſimul eſſe voluit. Ecce tibi inſitam in virginitate materinitatem, unitas duas Lunæ extremitates, Triticum, & Lilium, Libanum, & Carmelum. Ecce Thronum Salomonis opere elegantiſſimo ex eborre elaboratum.

11. Perſæpè intra memetipſum ſollicitus ſub inveſtigando, quidnam Virgo gloriosa dicere voluerit, quando in domum Zachariæ veniens poſt exhibita Eliſabethæ ſolitæ civilitatis, & urbanitatis ſigna Deum in ſe magna operatum fuiſſe ſignificavit. *Fecit mihi magna, qui potens* *Luc. 1.*
eſt. q. d. Deus omnipotens in me fecit, quòd ejus omnipotentia in me facere potuit. Loquitur hoc loco Maria in genere, ad ſpecifica autem *D. Thom.*
non deſcendit. Et tamen certum eſt, prout S. *1. p. q. 17.*
Thomas de Aquino docet, quòd *Non ſit in gene-* *a. 4. ar. 3.*
re,

re, quod non est in aliqua ejus specie. Sic si animal mihi dederis, quod est in genere, oportet ut idem quoque sit in aliqua determinata specie *ejusdem generis animalis*, id est, ut sit vel equus, vel leo, vel aquila, vel homo, &c. Quando igitur Maria dicit: *Fecit mihi magna*, loquitur *generice*; meritò igitur hìc quæri potest, cur ad magis specifica recensenda non prorumpat, explicitè differendo quænam sint illa magna, quæ Deus in ipsa per omnipotentiæ suæ brachium patravit quod idem est, ac si cum Theophilacto ipsam interrogaremus: *Qua tibi magna fecit?* Fortè manibus omnes mundi divitias, atque thesauros consignavit? Fortasse in tuæ voluntatis arbitrium omnipotentiam suam resignavit, ut pro tuo beneplacito mundum annihilando, & alios de novo creando, facere quodlibet, & disperdere possis? *Qua tibi magna fecit?* Huic difficultati resolvendæ multas Sancti Patres respondendi vias in medium adducunt, quæ omnes velut totidem lineæ ad punctum maternitatis & virginitatis Mariæ sese protendunt: *Fecit mihi magna*, inquit S. P. Augustinus, id est, *simul facta est Mater & Virgo.* Subjungit Jacobus de Valentia: *Magnificavit eam Christus, absque omni sorde, & corruptione concepit Christum, servatâ virginali integritate.* Atque hæc doctrina quamvis aliarum loco, quæ in medium adduci possent, sufficiat.

Theophylactus in Catena.

D. Aug. apud laude Val. in Cant. Magnificat.

12. Mira mihi propositio esse videtur, quam adfert S. Egesippus, quando de magna Dei matre loquens dicit: *Dignitas Deipara zelotypiam Deo afferebat*, id est, quandam, qua in re nescio, suspicionem: Quænam est in virgine perperam aliquid suspicandi occasio? Quidnam est, quod zelotypiam Deo parere possit? Qui gubernator est fortalitii alicujus, semper timore, & suspicione corripitur, ne fortè improvisa aliqua accidat cui præest loco sive ab inimico, sive à traditore pecuniis ad stratagemata intentanda coëmpto. In Deo autem similis zelotypiæ, aut meticulosæ suspiciones locum habere non possunt, quia infinitâ sapientiâ suâ cuncta videt, omniaque apertè & sine ullo involucro cognoscit? neque illa est Mariæ indoles aut conditio, ut in tales possit insidias conjici. Quo igitur motivo Egesippus dicit: *Dignitas Deipara zelotypiam Deo afferebat?* Ad minus melius se declarare debuisset, non verò singulorum hæc legentium animos ambiguos perplexosque relinquere. Pro hujus difficultatis intelligentia observandum, sacros Theologos, & specialiter S. Thomam Doctorem Angelicum tria adorationum genera assignare, id est, adorationem *Latriæ*, quæ Deo convenit, *Hyperdulia*, quæ Matrem Dei concernit, & *Dulia*, quæ Sanctis debetur. Scire autem vellem an honor adorationis *Latriæ*, quæ Deo est propria, nulli penitus alteri conveniat, aut convenire possit? Cùm igitur verissima sit S. Thomæ Doctrina, quòd *Causa honoris sit id, ex quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam.* Nam honor est reverentia alicui exhibita propter sui excellentiam, sequitur evidenter, quòd cùm nullus cum Deo quoad dignitatem, & excellentiam concurrat, nemo quoque hac specie adorationis, *Latriæ*, nimirum, honorati. Idem tamen Sanctus Doctor nos docet hanc adorationem quoque Sanctæ Cruci deberi: *Crux Christi est adoranda adoratione Latriæ* ob tres rationes. Primò *quia representat nobis figuram Christi existentis in ea.* Secundò, *ex contactu ad membra Christi.* Tertiò, *ex hoc, quòd ejus sanguine est perfusa.* Ex hujus autem doctrinæ occasione alia quædam difficultas in mentem mihi incidit, num scilicet Sacri Theologi, vel Ecclesia, aut Deus hunc Latriæ honorem, & adorationem Beatæ Virgini concesserint? Idem Doctor Angelicus respondet *negativè*, *Non debetur Mariæ adoratio Latriæ, sed solùm veneratio Hyperdulia.* Verum enim verò sistamus hìc nonnihil, Auditores, & doctrinam istam nonnihil accuratius examinemus? Dictis enim objici posset? Quòd si Latriæ cultus Cruci concedatur, *quia representat figuram Christi*, hanc certè Beata Virgo potiùs & excellentiùs, quàm Crux repræsentat. Si honor ille Latriæ Cruci defertur *ratione contactus ad membra Christi*, certum est denuò quòd Crux in se brevi temporis spatio Christi humanitatem affixam tenuerit, cùm tamen B. V. Maria illum novem mensibus in sinu portavit, & quoties insuper illam in suis brachiis strinxit, atque portavit? Si Crux adoratur *quia perfusa fuit ejus sanguine*, hæc ratio efficacius concludet pro B. Virgine? nam Arnoldus Carnotensis dicit, quod *Caro Christi est Caro Mariæ?* adeòque adoratio *Latriæ* ob omnes jam adductas rationes potiùs Mariæ, quàm Cruci debetur. Et tamen Doctor Angelicus dicit: *Non debetur ei adoratio Latriæ.* Cui Logicus statim oppositurus esset, quòd *Non sit major ratio de una, quàm de alia.* Imo adjungendum mihi videtur:

D Thom. 3 p. q. 25. a. 5.

Idem ibi art. 1.

Idem ibi. art. 4.

Ibidem.

Ibi. art. 5.

Arnold. Carnot.

detur: *Est major ratio de Maria, quàm de Cruce.* Dicatur igitur cur honor Latriæ Cruci concedatur, & Mariæ negetur? Cùm huic hic honor tantò fortiùs deberi videtur, quantò certiùs est S. Thomam docere: *Quòd illi exhibeamus Latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis, sed in Cruce ponimus &c.* Quis enim est, qui ignorare possit quòd salutis nostræ spem in Beata Virgine collocatam habeamus. *Ergo videtur quòd debeat adorari adoratione Latriæ* Hic S. Thomas paritatem negat, & ratio est, quia *Honor seu reverentia non debetur nisi rationali naturæ. Creaturæ autem insensibili non debetur nisi ratione rationalis naturæ.* Creatura insensibilis, qualis est Crux *secundùm se* non est capax adorationis, ac proinde illi conceditur *ratione alterius*, idque sine ullo adorantis periculo Nullus enim tantus idiota erit? qui lignum aliquod, maximè, quod perversi patibuli loco servit, credere possit esse Deum, & tanquam talem adorare: At verò Beatissima Virgo quæ creatura rationalis est, tantis meritis, tantâque sanctitate conspicua, quæque hanc sibi adjunctam habet specialissimam prærogativam, nulli unquam mulieri concessam, quòd scilicet Virgo simul & Mater Dei sit, hæc, inquam, ad minus à simplicibus eam *adoratione Latriæ* honorantibus, tanquam verus Deus, vel Dea haberi, & adorari potuisset. Atque hoc est, quod, ut Egesippus ait, Deo aliquàm zelotypiam adferre poterat: *Dignitas Deipara zelotypiam afferebat.* Ne igitur veneretur *adoratione Latriæ*, ne simplices, intuitu virginitatis & Maternitatis? quæ simul ambæ in ea conjunctæ creduntur, aliquem fortè errorem committant? Nec tamen etiam ob id honoretur tantùm adoratione ordinariâ *Dulia* omnibus Sanctis debitâ, sed particulari quâdam *Hyperdulia* adoratione. Unde Doctor Angelicus docet: *Mariam præ aliis Sanctis Hyperduliâ coli, quia suâ operatione fines Divinitatis propinquius attigit.* Virginitas igitur & Maternitas Mariam ferè ad ipsam usque Divinitatem sublimarunt; ac proinde ulteriùs ab illa fieri non potest progressus.

Ibid. art. 4. sed contra.

Ibid. in Corp.

Ex D. Th. 2.2.q.103. a.4.ad 2.

PARS SECUNDA.

13. HActenus de qualitatibus matris tractavimus, nunc quænam sint Filii proprietates eidem à matre communicatæ, exactius cognoscere satagamus. Certissimùm est quòd filii ab utero materno secum ferant inclinationes matris. *Filii matrizant*, inquit lex. Et Guatricus Abbas. *Non degenerat à matre filius.* Idem S. Thomas de Villa Nova confirmat, dum ait: *Filii imitantur parentes, & Parentes transfundunt in filios passiones animorum, mores, ingenia, & virtutes.* Etenim Mariam benignam & misericordem fuisse, nomen suum, quod benignitatem refert, sufficienter indicat. Unde S. Bonaventura: *Est vena misericordiæ, & fons pietatis.* Quàm terribilis, & formidabilis Deus fuerit priusquam incarnaretur ex Maria Virgine, mundus diluvio submersus, Civitates flammarum ardoribus in cineres redactæ, Exercitus Sennacherib totaliter internecione deletus, strages item per pestem in Israëlis populo excitatæ, testari sufficienter poterunt; & omnium testium loco ad hoc probandum dicere sufficit quod olim vocari se hisce nominibus terribilibus permiserit: *Deus exercituum, Deus ultionum.* At verò in Mariæ visceribus mitis factus est, atque benignus. Unde dicere potuit: *Ab infantia crevit mecum miseratio, & de ventre matris meæ egressa est mecum.* Petrus Cellensis incarnati Dei nostri pietatem appellat *Collectaneam misericordiam*, id est, misericordiam talem, quæ suam à lacte matris habuit originem. Aqua marina, quæ ex sua natura salsa, amara, & insipida est, si per aliquos terræ meatus transierit, amissâ salsedine dulcis, suavis, & sapida redditur, & ut scribit Plinius, eosdem quoque si in virginea cera conclusa fuerit, effectus habebit. Deus olim aqua erat, non fluminis fontis, aut putei, sed maris amari, & salsi, & ideò erga delinquentes rigidus erat, atque severus: mox verò, ut per viscera terræ illius transivit, cui dicitur: *Benedixisti Domine terram tuam*, salsedinem suam deperdidit, & stando in utero Mariæ, quasi in vase ceræ virginis, dulcis factus est, suavis, benignus, misericors, & pius. Idipsum S. Bernardus inferre voluisse videtur, quando dixit: *Dulcis Dominus, dulcis Domina?* dicere enim volebat: Scitis cur adeò dulcis fuerit Dominus noster, non alia de causa, quàm, quia dulcis fuit mater ejus Domina nostra. *Dulcis Domina*, est causalis, *quare dulcis sit Dominus.*

S Tho. de Villa N. serm 3. de Nat. B.V.

Ioh. 31.

Petrus Cellensis de Panibus.

Psal. 84.

14. Anni plures Achabi Regis tempore effluxerant, à quibus ne stilla quidem pluviæ de cœlo lapsa fuerat, adeò ut urbs Samariæ ob ariditatem terræ, quæ nullos parere fructus poterat, magnam passa fuerit annonæ caritatem, imò propter famem in extremas fuerit necessitates redacta; *Erat autem fames vehemens in Samaria.* Sanctus Dei Propheta, & Carmeli Pa-

3. Reg. 18.

triarcha

triarcha Elias pietate motus, ad preces confugere statuit, supplicando ut Deus illum propitius exaudire vellet. Quare in montem Carmeli ascendens, ibidemque in terram prostratus dixit discipulo: Prospice contra mare, & si quid videris diligenter observa, mihique annuntia; Tandem post factam diversis vicibus diligentiam, vidit nubeculam à mari in aëra ascendentem: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari*, & paulò pòst, Regi Achab vix currum suum conscendendi mora indultâ, secuta est pluvia grandis, & salutaris, quæ totam regionem adaquando refocillavit: *Est facta est pluvia grandis* Heus! nunquid aqua quæ ex nubeculæ hujus sinu in terram delapsa est, à mari desumpta fuit? Utique; Ergo salsa fuisse debuit, adeoque damno potiùs terræ, quàm adjumento esse debuit. Nequaquam. Nam rejectâ in sinu nobis salsedine ad restaurandam terram, & arbores dulcis postea, & suavis in terram descendit. Verùm, inquies, quænam est hæc nubis, & aquæ marinæ cæremonia! Cuinam fini tot circumstantiæ deserviunt? Nunquid Deus unico tractu terræ necessitatibus prospicere, suique servi preces aliâ viâ, & ordine exaudire poterat? Poterat utique; sed Deus in suis actionibus operatur mysticè. Joannes quadragesimus quartus Patriarcha Hierosolymitanus opinionem refert, secundùm quam nubes hæc B. Virginem Mariam figuravit: *Deus sub figurata visione revelavit tunc Eliæ quod quadam infantula nasceretur scilicet Beata Maria, per illam nubeculam significata.* Aqua maritima, & amara, quam Sancti Patres velut rorem & pluviam desiderabant dicentes: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum*, erat Deus; antè quidem terribilis *Deus ultionum*, qui tamen in sinu hujus virgineæ nubis factus est dulcis, misericors, & benignus. Ac proinde, uti spero, ingratum vobis non erit, audire id, quod ad hocce propositum author quidam scripsit modernus: *Porrò, cum ejus filius Christus Iesus, quia Deus est æquissimis justitiæ rigoribus ad vindictam efferveſcat, oportebat ad ultricem sedandam in homines iracundiam ut etiam à pia Matris indole, indolem etiam pietatis hauriret, esseque clementiæ moribus mitissimè coalitus.*

15. Deus priusquam in utero Mariæ Virginis incarnaretur, nunquâ hoc pulchro nomine Christus appellatus fuit: De eo autem mox ut natus est S. Matthæus Evangelista dicit: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Porrò nomen actionibus personæ illius, *cujus est nomen*, correspondere debet. *Christus* idem est quod *unctus*, quia oleo inungebantur, & unguntur Reges. Oleum Olivæ liquor est, tam autem oleum, quàm Oliva misericordiæ suæ symbolum: *Oliva præ se fert Clementiam.* Reges quoque eo fine ungebantur oleo, ut pii, & clementes evaderent, rigoremque deponentes exercerent pietatem: *Hinc Reges antiquitus ungebantur, ut hac observatione discerent quòd lenes, pii, ac clementes essent futuri.* Unde S. Evangelista Matthæus dicendo: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, insinuate voluisse videtur, quòd Deus priusquam ex Maria Virgine nasceretur, erat servus, qui peccatores eum offendentes asperè puniebat: at verò natus de Maria Christi nomen accepit, quod idem est, ac unctus, id est, benignus, mitis, & in Mariæ visceribus indulcoratus. Unde Sanctus Pater Augustinus hunc passum exponens dicit: *Quòd per olei unctionem præstabat Deus his, qui in Reges ungebantur, hoc præstitit Spiritus sanctus homini Christo additâ expiatione, quia natus est Christus & appellatus. Et hoc est quod dicitur: Qui vocatur Christus.* Nimirum quando Christus natus est, illam ab utero materno traxit misericordiam, quam priusquam incarnaretur non habebat *secundùm passionis affectum.*

16. Ad præsens propositum optime servit, quod de Coriolano recenset Valerius Maximus. Hic cùm vir esset maximè illustris, valdeque generosus, ob certas quasdam rationes Reip. suæ offensus, præcipuè verò ab urbe Roma, patria sua asperè aversus fuit, ideò cum Volscis fœdera pepigit, missoque in ordinem potentissimoque quodam exercitu mœnibus urbis appropinquans eandem fortiter adeò cinxit, adeoque constanter oppugnavit, ut de momento in momentum sui deditionem factura crederetur. Senatores Populusque Rom. primores urbis nobiles ad eum miserunt, supplicatum ut à patriæ suæ devastatione cœpta desisteret, suumque ab urbe exercitum dimoveret, quamvis ei imaginabilem promittentes satisfaciendi rationem. Verùm surdis hæc omnia auribus accepit. Demùm verò Senatus in summis angustiis constitutus, Sacerdotes ad eum destinavit, qui propositâ illi Diis illorum debitâ reverentiâ, à cœptis illum conatibus dimoverent, sed vano, irritoque successu id quoque factum est; decretum enim illi erat urbem, & incolarum possessiones ad receptarum injuriarum condignam

Ib. n. 44. *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari*

Ib. n. 45. *Est facta est pluvia grandis*

Ioan. 44. Patr. Hierosol. de Instit. Mon. c. 33. *Deus sub figurata visione revelavit tunc Eliæ quod quadam infantula nasceretur scilicet Beata Maria, per illam nubeculam significata.*

Didacus de Cel in Esther Tr. Append. §. 381. n. 1. fol. 540. *Porrò, cum ejus filius Christus Iesus, quia Deus est æquissimis justitiæ rigoribus ad vindictam efferveſcat, oportebat ad ultricem sedandam in homines iracundiam ut etiam à pia Matris indole, indolem etiam pietatis hauriret, esseque clementiæ moribus mitissimè coalitus.*

Matth 1. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Ambros. Marl. c. 3. fol. 28.

Idem ib. fol 27. in fine.

D. Aug. de Quæst. N. & V. Test. ap. D. Th. in Cat. cap. 1. Matt. fol. 6. D. Tho. 1. p. q. 21. a. 3. f. 268.

vindictam susque deque evertere. Tandem irreconciliabilem ejus experti pertinaciam, medium ad eum conciliandum oportunius invenire, aut excogitare non potuerunt, quàm ut Venturiam Matrem suam ei in castra obviam ablegarent. Quæ pietate commota, urbem egrediens, mox ubi in filii sui conspectum venit, eâ benevolentiâ filium demulcere cœpit, ut eum ad condonandum patriæ suæ, removendumque exercitum, omnemque vindictam deponendam facilè permoverit, adeoque factum est, ut cujus ira antè omnino erat implacabilis, ad genetricis suæ instantiam factus sit omninò benignus & pius. *Et matrem complexus: Expugnasti, inquit, & vicisti iram meam; Patriam, precibus hujus admonitus, cujus utero conceptus sum, te, quamvis merito mihi invisam, dono: Continuoque agrum Romanorum hostilibus armis liberavit: Vniusque Parentis affectus, bellum atrox salutari pace mutavit.* Eheu, quoties Deus propter peccata nostra ad iram provocatus, suppliciis nos suis meritò obsedit, nosque flagellis suis acriter punivit aut punire constituit! ad quod decretum mutandum, aut avertendum supplicium nequicquam profuerunt sive justi Noë preces, sive fidelis Abrahæ inconcussa erga Deum fiducia, nec Davidis submissiones, neque enim his omnibus placari potuit, ut diluviorum, incendiorum, pestilentiæ dira flagella à nobis averteret. Postquam autem Dei Filius Mariæ per novem mensium spatium invisceratus fuit, in mitem protinus, benignum & misericordem mutatus fuit. Antea totus amaritudo, nunc totus factus est dulcedo. *Dudum cœlum, & terra ruissent, nisi Maria precibus sustentasset*, inquit S. Fulgentius Ruspensis.

Val. Max. de pietate Coriolani lib. 5. c. 4.

D. Fulg. Ruspens.

17. Quin Verbum incarnatum ad formandam humanitatem suam, purissimum assumpserit Mariæ sanguinem, nemo est qui dubitet; Et quidem tametsi idipsum in Scriptura sanctorum Evangelistarum expresè non asseratur, nihilominus, quia hoc in loco mihi cum Catholicis, jam dudum fidei lacte sollicitè enutritis sermo est, ad id prolixius probandum sanctorum Patrum doctrinas, vel sententias adducere superfluum esse judico; Difficultas tota in hoc tantùm consistit, ut assignetur, & explicetur è qua virginei corporis parte illum assumpserit, id est, an ex capite, vel collo, vel pectore, vel mammillis, aut denique ex latere? Tostatus proinde nonnullorum opinionem adducit, qui haud irrationabiliter sanguinem illum ex corde assumptum fuisse asserunt: *Quidam piè meditantur ex aliquibus sanguinis guttis è corde Mariæ erutis, Spiritûs sancti ministerio Christi corpus fuisse coalitum* Idem quoque testatur Tertullianus. Cur autem ex corde sanguinem illum accipere voluit? Nunquid totus sanguis purus, totus similis erat? Fortè, quia sanguis ille præ cæteris generosior, nobilior, plurimusque magisque subtilibus spiritibus præditus, & imbutus erat? Veruntamen non obstante quòd Cor Mariæ vas quoddam aureum fuisset omnibus virtutibus refertissimum, quia tamen cor humanum generaliter loquendo nihil est aliud, quàm sentina immunda omnium vitiorum: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, &c.* Ut proinde præ reliquis corporis partibus meritò esse debuit invisum, & exosum, videtur mihi quòd (tametsi cor Mariæ thronus quidam sit sanctitatis) sanguinem hunc de quacunque alia corporis parte potiùs eligere debuisset, quàm de corde. Minimè geotium id fieri debebat, imò ex corde sanguis ille sumi debebat, nam stillæ cordis humani, speciatim verò cordis Virginis gloriosæ, sunt præ quovis alio totius corporis sanguine dulcissimæ, & suavissimæ, & velut ex pietate compositæ, ideoque in pectore humano compassionem facilè suscitare sunt natæ, & aptæ. Atque ideo cum Filius Dei ex hoc sanguine suam formaverit humanitatem, quomodo non poterat esse misericors, benignus, & compassivus, qui ex compassione & misericordia Mariæ matris suæ erat compositus? Quæ veritas quoque à Seraphici Doctoris S. Bonaventura pio calamo confirmatur, qui de Beata Virgine scribens, illam venam appellat misericordiæ: *Quippe quæ stillavit è cordis venulis purissimi sanguinis guttas, ex quibus formaretur Christus ad misericordiam eximiè propensus.*

D. Thom. 31. p. q. 31. a. 5. fol. 336 col. 2.

Salmeron. T. 3 Tr. 9. apud Abul. in cap. 12. Levitici.

Tertul. adv. Praxeam de Trin. c. 7.

Matt. 15.

S. Bonav. in Psalterio Virgineo.

18. Moyses Dei Propheta aliquando coram toto populo suo de argumento maximi momenti publicè peroraturus priùs cœlum & terram invitat, ut sermocinantem attentè auscultent. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Verùm ô Moyses, cùm tanto stylo sermonem tuum ordiaris, omninò te de rebus arduis locuturum esse existimo, quare existimulante me curiositate ipsemet quoque attentâ aure te auscultare decrevi. In progressu itaque sermonis Moyses populo suo omnia illi à Deo præstita beneficia exprobrat, eosque graviter redarguit,

Deut. 32.

redarguit, quòd benefactori suo tanta cum ingratitudine respondere non erubuerit : *Haccine reddis Domino, populе stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Et postea subdit : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum* Quæ verò sequuntur verba maximâ ponderatione sunt digna : *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* In quibus verbis tres præcipuè difficultates se menti meæ objiciunt. Primà est, cùm certum sit quòd saxum, & petra unum, & idem sint : Saxum enim nihil est aliud, quàm petra, nec petra aliud quàm saxum, meritò dubitatur cur unam eandemque rem duobus nominet terminis synonimis. Secundò, quodnam est mel istud, quod de hac petra scaturit? mellificare apibus proprium est, & petris paradoxum, & peregrinum. Tertiò, cur dicit saxum esse durissimum? Nunquam petra sine duritie invenitur, cur igitur illam durissimam esse adjicit? Unicâ duntaxat responsione HUGO VICTORINUS omnibus tribus difficultatibus satisfacit. Et quidem per saxum intra semetipsum oleum sapientiæ continens, verbum intelligit tanquam æterni Patris filium ante incarnationem, quod verè durissimum erat, id est, adversus transgressores aspernimum Per petram verò Christum intelligit Mariæ filium, *juxta illud: Petra autem erat Christus.* Qualis autem est hæc petra? tota mellea. Maria enim ex saxo durissimo petram fecit dulcissimam. Unde Hugo : *Petra, & saxum Christum significant; sed saxum significat Christum in dextera Dei Patris; Petra significat Christum in sinu matris.* Quasi Moyses prophetizando diceret : Ex virgine quadam Messias nascetur, qui ut Deus natura sua saxum est durissimum, posteà verò saxum istud in visceribus matris, petra quædam mellea fiet, id est, quidam benignissimus, & mansuetissimus Christus.

Ibid. n. 6.

1. Cor. 10.

Hugo Victor. serm. 12. de populo Dom.

19. Portò B. V. Mariam veram Dei matrem esse adeo certum est, ut pro hæresi agnosceretur doctrina illa, quæ contrarium assereret : *Hæreticum est negare B. Virginem esse matrem Dei,* inquit Doctor Angelicus Veruntamen quænam est causa, cur Maria sicut potest, & debet appellari *Mater Dei in concreto*, ita quoque non licet illam vocare *Matrem Divinitatis & Deitatis in abstracto* : Inter multas, quæ huc adduci possint rationes una hæc est, quia illam propositionem admittere, idem esset, ac dicere illam dedisse Deum vel Divinitatem. *Quod est falsum.*

D. Th. 3 p. q. 35. a. 4. c. 364. col. 2.

Responsionem istam tanquam bonam & solidam admitto, veruntamen dicite mihi, si potestis, cur igitur B. Virgo *in abstracto* dicatur mater misericordiæ, potius dici deberet *in concreto: Mater misserentis*, sicut dicitur *Mater Dei.* Imò verò ex responsione ad prædictam difficultatem, aliud elicio argumentum *Ab oppositо* : Quod si Maria ideo non potest dici *Mater Deitatis*, quia Filio Deitatem non dedit. Sequitur inde ab oppositо satis evidenter, quod cum nobis liceat illam invocare sub hoc titulo : *Mater misericordiæ*, signum hoc sit manifestum, quod communicando Filio purissimum suum sanguinem, simul quoque cum illo communicarit misericordiam. Ecce tibi hanc petram divinam, quæ à Maria tota facta est mellea, theraque suavitas. Ac proinde S. Antoninus dixit : *Deus cui nemo resistere potest, mitis effectus est requiescens in Virgine Maria.*

D. Antonin. Tit. 51. c. 18.

20. Olim Deus à Moyse visus fuit sub similitudine delitescentis in rubro ignis, qui tamen rubum illum nec urebat, nec comburebat, quod valde mirandum est; nam si Deus subspecie ignis exhibetur, necessum igitur, ut consequenter instat ignis ardeat, & comburat. Scio equidem, quod de illo in Deuteron. dictum fuerit: *Dominus Deus tuus ignis consumens est* Et in Numeris : *Accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem* ; at vero si ita est, quomodò ergo postea in rubo omnem suam activitatem amisit? In hac visione Deus utique Moysi Incarnationis mysterium declarare voluit; ac proinde sancta Ecclesia oportune canit: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, &c.* In igne autem illo præfiguratur Deus ardentissimè amans; Denique per rubum Theodoretus Mariam intelligit, dum ait : *Nonne in rubo virginem animadvertis?* Atque ideo quid mirum si ignis ille in rubo nec urat, nec comburat? Nam ignis ille in rubo delitescens rubi qualitates induit, id est, pietatem & mansuetudinem Mariæ, misericordiam matris. Unde S. Antoninus concludit dicens : *Deus intrans in utero virginis, totus factus est benignus, suavis, & humanus.*

Deuter. Num. 11.

Theod. hom. 1. de Nativit.

D. Ant. ubi sup.

21. Denique quia mysterium Incarnationis inter omnia facilè maximum est, discursum hunc nostrum quoque per Analogiam solis, qui inter planetas omnes præstantissimus, concludemus Dicunt igitur Astrologi Solem *secundum se* indifferentem esse, aspectum tamen suum mutare secundum domos, & signa Zodiaci,

in

in quibus invenitur. Unde experimur quod tempore ardentis caniculæ, seu in diebus canicularibus, quando Sol in domo Leonis subsistit, Sol ferox sit & terribilis, ardet, comburit. Postea verò immediatè ad virginis signum transiens, depositâ ferocitate sua mitis evadit. Deus noster Sol quidnam est : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Ideo ante Incarnationem ferox erat, & terribilis ; *Deus exercituum, Deus ultionum.* Postea verò *per unionem hypostaticam* in virginis signum, id est, in Mariæ Virginis uterum transiens, relicta terribilitate sua placidus factus est, atque mansuetus. Id quod S. Antoninus Archi-episcopus Florentinus optimè notavit, dicens : *Sol per Zodiacum discurrens in signo Leonis est ardentissimus, & animalium corpora nimio calore languida reddit ; sed ingrediens signum virginis mitigatur.* Quod autem hi eventus in Deo quoque reperiantur, idemmet Archiepiscopus sequentibus verbis affirmat : *Ita Sol justitiæ Deus noster, in veteri Testamento erat ut Leo rugiens, Deus ultionum, peccatores terribiliter puniens ; sed ferventissimo amoris calore in uterum virginis intrans, factus est totus benignus, suavis, & humanus.* Pro tanto favore debitas Beatæ Mariæ Virgini reddamus gratias.

Mal. 4.

D. Ant. in Ps. 4.

tit. 15. cap. 11.

SERMO NONUS.

IN FESTO

COMPASSIONIS SIVE DOLORUM B. MARIÆ VIRGINIS.

QUOS HABUIT TEMPORE PASSIONIS D. N. JESU CHRISTI.

Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me omnipotens.
Ruth. cap. 1.

1. QUod magnæ Dei Matri beatissimæ Virgini nomen Mariæ impositum, non sine mysterio id factum est, nam ut famosus ille Romanorum Orator ait : *Nomina sunt tanquam rerum notæ.* Et ut Philosophorum maximus Aristoteles scribit : *Nomen dicitur à notificando.* Sic vasta illa sphærarum cælestium machina (ut exemplis rem comprobemus) juxta Ethymologiam Isidori Episcopi Hispalensis : *Cælum vocatur, eò quod tanquam cælatum vas impressa lumina habeat stellarum.* Planetarum omnium luminosissimus, Sol dicitur, *quasi solus*, cum sit unicum astrum, quod diurno tempore splendet : aut vero Sol dicitur, quia à tribus quibus nomen suum constat literis facile conjicitur, quod *super omnia luceat.* Alterum cæli lumen, quod a Moyse appellatur luminare minus, quodque inter nocturnas tenebras sereno vultu suo cælum adornat, Luna dicitur ; *Quia noctu lucet una.* Mare hoc nomine exprimitur, quia aquæ, quas in sinu suo fluctuantes conservat, amaræ sunt : *Dictum ab amaritudine Aquarum.* Rami sui, qui velut venæ per terræ viscera serpunt, Flumina dicuntur, *quia fluunt.* Urbs septicollis, quæ caput est mundi, hoc nomen Roma sortitia est a Romulo & Remo, qui eam ædificarunt. Sic quoque urbem illam, quæ ex Italiæ portis una est, Genuam appellamus, *id est, Ianuam*, Bononia quasi *Bona omnia*, Ferrariam, quasi *Ferre auream*, Florentiam quasi Florum hortum ; Neapolis quoque quæ delitiarum est metropolis, Parthenope olim vocata fuit *à nomine Syrenis ibi sepultæ.* Urbs illa, quæ verum est mundi miraculum,

Marcus Tullius.

Isid. l. 8. c. 4.

Amor Cæ-

Iep. V Luna. Idem V Maria.

Idem V. Neapol.

in

in maris Adriatici sinu ædificata, Venetia nuncupata fuit, eo quod situs pulchritudine, augusta Reipublicæ Majestate, divitiarum, delitiarumque affluentia, nationum ibi concurrentium varietate, mercatorum, merciumque advectarum hominem ita rapiat, ut qui illam semel viderit, iterum iterumque illam videre desideret, unde Venetia, quasi *veni etiam*, scilicet, altera vice. Nunquid etiam videmus, Auditores, quod libris è typo prodeuntibus in frontispicio Titulus adscribatur, in quo breviter argumentum rei contentæ insinuatur, quique proinde similis est materiæ contentæ, quod in exemplo variorum librorum sacræ Scripturæ clarius videbitur: sic enim omnia à Moyse conscripta opera *Pentateuchum* vocantur, quod idem est, quod volumen quinque librorum, *à Pente*, quod est quinque, & *Teuchon*, quod volumen significat, quasi quintuplex volumen, seu liber primus liber Geneseos intitulatur: *eo quod exordium mundi, & generatio sæculi in eo continetur*. Secundus inscribitur: *Exodus quia exitum ab Ægypto dirigit, & ex ea causa nomen accepit*. Tertius *Leviticus* denominatur, *eo quod Levitarum ministeria exequitur, totusque in eo ordo Leviticus adnotantur*. Quarto Numerorum nomen indidit, *eo quod in eo gressu de Ægypto tribus dinumerantur*. Quintus dictus est *Deuteronomium*, quæ vox à Græca elocutione extracta fuisse videtur, valetq; apud Latinos pro eodem ac si diceretur *secunda Lex: id est, repetitio legis, & Evangelica legis præfiguratio*. Quod si ad Creaturas corporeas, & sensibiles transire velimus, eandem in omnibus methodum inveniemus. Unica avis, quæ, ut cum Magno Nazianzeno plures alii, scribunt, in flammis se comburens renovatur, Phœnicis nomen accepit, *à Phœnicio pennarum colore*. Apis mellis ingeniosa formatrix hoc nomine dicitur, quia sine pedibus nascitur, ac A. quo est *sine*, & pis quasi pes. Unde Apis idem est, quod *animal sine pedibus*. Aliud animalculum, non minus prudens, quam minutum, formicæ nomen habet, ab eo *quia fert micas*. Quid plura? In ipsomet etiam homine veritas ista ratificata fuisse reperitur, qui *ideo dicitur homo, quia ex humo formatus est*. Et, qui virtutibus optimè imbutus esse noscitur, *à virtute dicitur vir*. Protoparens noster, ex eo, quod non de vulgari, sed ex rubea terra formatus, & compositus fuerit, *Adami* nomen accepit, quod interpretatur *Rufus*. Abræ, cujus stirps ex promissione Dei sicut stellæ cæli, & arena quæ est in littore maris, multiplicanda erat, nomen suum Abram in Abraham transmutatum fuit, quod *Pater multitudinis*, vel *multarum gentium* significat. Christi discipuli eximio Apostolorum nomine honorati fuere, quod *Nuntius* significat, quia Evangelium annuntiaturi erant universo mundo. Pari quoque ratione, ut tandem ad propositum veniamus, Mariæ nomine multa significata, omnia tamen mystica continentur Maria enim secundùm opinionem sancti Ambrosii, idem significat, quod *Deus ex genere meo* In lectione Syriaca Maria, *idem est, quod Domina*. Alii exponunt *Gratia plena*: Alii interpretantur. *Stella maris. Illustrata Illuminata, Illuminatrix Exaltata*. Sanctus Hieronymus autem ly *Maria*, tale nomen esse affirmat, quod suam sortitur à mari derivationem, propter aquarum amaritudinem. *Maria amarum mare*: vel cum aliis: *Maria totius asperitatis, & amaritudinis epilogatio est, & nomen illius appositè omnia signa amara*. Et quidem tempore Passionis unigenti Filii sui, verum quoddam fuit amaritudinis, ist est, ærumnarum, tormentorum, miseriarum mare. *Quia ex filii compassione repleta fuit*. Unde longe majori ratione, quam Ruth dicere potuit: *Ne vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*. Quales autem, & quam ingentes fuerint Mariæ amaritudines in præsenti discursu videbimus. Erit igitur materia hujus discursus subjecta plus lachrymantibus oculis, quam eloquentiâ & facundâ linguâ exprimenda Unde ne ob sermonis mei inelegantiam, & styli ruditatem, discursus hic præsens totaliter desipiat, atque displiceat, vestrum erit ut eundem attentionis vestræ benignitate suavem, & acceptum reddere satagatis. Ego interea progredior.

Apud. Græcos. Isid l. 6. c. 1.

Greg. Naz. Carm. 3. ad virg.

Apoc. 19. v. 16.

D. Amb. l. de inst. virg. c. 5.

D. Hier. de Nom. Hebr.

Anton. Escobor. in Exod. l. 2. c. v. 1. 14.

Vocate me Mara id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens

2. Inter multos sectarios & Novatores procul omni dubio somniarunt, qui virginem tempore patientis Salvatoris nostri *minimè doluisse, sed alacrem potius, ac latam extitisse* credidere-runt, & veluti rem indubitatam scriptis tradiderunt, idque ob duas præcipuè rationes. Prima est, quia cum voluntate Patris æterni perfectissimè concordabat, gaudebatque videndo

eam adimpleri. Secunda est, quia ex doloribus & morte Filii totius mundi redemptionem ab universo mundo ardentissimè desideratam subsequi videbat. Nunquid mulier illa, quæ septem fratrum Machabæorum mater erat, masculo pectore, & corde prorsus æneo filiorum suorum martyrium jubilans spectabat, & sufferebat, imo nunquid ad sustinenda in læto vultu carnificum crudelitatem eos exhortabatur. *Bono animo ferebat, & singulos eorum hortabatur.* Melania quoque Marcelli consulis filia ex morte mariti sui, quem sicut animam suam diligebat, nequicquam perturbata fuit, *sed latanter mariti mortem suscepit.* Elisabetha itidem Hassiæ Landtgravia propter mariti sui, quem velut pupillam oculorum suorum observabat, inexpectatam mortem ne vel unicum edidit suspirium, vel minimum doloris signum ostendit, imo, ut se divinæ voluntati ita de marito suo disponenti per omnia conformaret, impertubato vultu, & animo mariti sui dilectissimi mortem accepit. Cum igitur MARIA animâ incomparabiliter generosiori præ cunctis hisce mulieribus prædita fuerit, suamque voluntatem cum Divinæ dispositionis arbitrio perfectius semper conformaverit, dicunt præfati Novatores Hæretici (etsi stulte) & speciatim Bullingerus, dolores, & passionem Christi MARIÆ potius motivum attulisse ingentis lætitiæ, & gaudii, quam tristitiæ, & mœroris. Verum procul, procul absit à mente cujuslibet orthodoxi hæretica ista opinio. Quod si enim Creaturæ insensibiles se in doloribus & morte CHRISTI participare testatæ sunt, nam velum templi scissum est, petræ in multas partes divisæ, & ruptæ fuerunt, monumenta aperta sunt, obtenebratus est Sol, totus quoque aer caligine quasi nocturna obductus fuit, quis credat cor MARIÆ adeo tenerum, delicatum, & filii sui amantissimum, ipsismet petris durius, aut insensibilius fuisse Creaturis omnis sensus expertibus? Verùm quidem est quod MARIA Virgo quoad portionem animæ superiorem Divinæ fuerit voluntati perfectè consentiens, nec minus de mundi redemptione gavisa, non tamen inde sequitur ipsam non sensisse dolores gravissimos in portione inferiori. Sic enim & ego necessitate suadente lubens, & libens accipio Medicinam quantumvis fastidiosam, & molestam, sponteque propria venam mihi aperiri permitto, & tamen hoc non obstante & medicinæ amaritudinem, & ferri incidentis punctura cum vivacissimo doloris sensu persentisco. Adhæc, quandonam obsecto, illa Simeonis prophetia adimplebitur, quia dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, si in tempore passionis Filii sui non adimpleatur? Unde S. Ephrem afflictâ virginem hisce lamentabilibus verbis loquentem introducit: *O Simeon admirande, en nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum trajiciendum, ecce gladius, ecce vulnus filii. Tua mors (Fili) meum cor subiit, viscera mea sunt disrupta, meum lumen obtenebratum est: & pectus meum gravis per transivit gladius.* Et sanctus Pater Augustinus dicit: *Credibile est quod materna anima vulnerata fuit doloris affectu.* Quod si insuper tertium testem desideratis, en vobis purpuratum Hieronymum quærit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius, quia spiritualiter caro ejus passa est gladio Passionis Christi, plusquam martyr fuit.*

2. *Mach.* *D. Hier. in Epist. ad Paulam.*

Luc. 2.

D. Ephr. de lament. Mariæ.

In Ps. 58. D. Hier. & Sophron. ap. Carthan. Te. 3. lib. 11. hom. 6.

3. Veruntamen satius erit si rationibus contra fidei hostes dimicemus. Certum est igitur amorem doloris non solum causam, sed & ejusdem esse mensuram: Nunquam enim res aliqua amissa dolorem; aut tormentum aliquod esset allatura, nisi eadem verè fuisset amata; id enim quod amatur, cum gaudio possidetur, & quantò plus amatur, tanto majorem secum dolorem affert, dum amittitur; verificatur enim tunc illud Philosophi axioma: *Sicut se habet propositum in proposito, ita oppositum in opposito.* Quod si possidere bonum aliquod amatum delitis subinfert & gaudium, fieri nequit quin illius amissio majorem sit illatura dolorem. Unde sanctus Pater Augustinus optimè dicit amorem, & dolorem cordis humani æqualiter possidere dominium: *Dolor est sicut amor.* Et Albertus Magnus inquit, *Omnis dolor ex amore provenit, & ideo ubi summus & improportionabilis amor, ibi summus & improportionabilis dolor.* Unde sic arguo: Quanto major est lætitia & gaudium, quod ex objecto amato, & possessio resultat, tantò major est afflictio si idem objectum adimatur, aut amittatur; sed amor MARIÆ erga suum dilectum filium maximus amor fuit, quem imaginari nobis possumus, id est, terminos nescit, & quasi infinitus. Facilis igitur nunc est conclusio, si à proportione argumentari velimus: *Propo-*

Super Miss. est. cap. 116.

situm

situm MARIÆ Virginis erat amare Filium maximo amore, qui in pura creatura dabilis est, aut invenibilis. Si igitur verum est quod *ita se habet oppositum in opposito.* Quantus igitur, & quam excessivus MARIÆ dolor esse debuit, quando charissimum, & dulcissimum Filium suum, qui unica ipsius vita erat, tormentis transfixum, & vulneribus tam dirum in modum sauciatum conspexit? Dicat id, qui novit, ego enim dolorem illum pro dignitate, & meritis suis exprimere non possum. Hoc solum dicam, quod sanctus Augustinus dicebat: *Dolor est sicuti amor.* Ad idem quoque propositum Pelbartum locutum fuisse credo, quando ait *Aliæ matres sicut partiales germanitatis dilectione diligunt natos, ita unico tantum & partiali dolore dolent de eorum amissione. Unde ipsa Virgo sanctissima MARIA totali dilectione filium suum dilexit, & per consequens totali dolore tenebatur, cum filium præcipuè amisit in Passione.*

Pelbart. l. 3. stell. art. 2. p. 1. c. 2.

4. Quotidiana non docet experientia, & Aristoteles idipsum confirmat, Matres filios suos teneriùs, & delicatiùs amare, quam patres; unde sequitur, quod hi ob filiorum suorum felicitatem præ matribus magis lætentur: Cum tamen econtrario hæ propter partuum suorum miserias, & ærumnas ordinariè magis afligantur quàm patres, id quod teste Aristotele (*lib. 8. de Anim.*) vel inde nascitur: *Quia cor virile est expansum magis, muliebre vero magis compressum*; ac proinde cor virile utpote magis dilatatum, & amplum, ad recipiendum lætitiam aptius est, cum hæc in dilatatione cordis consistat: *Lætitia est dilatatio affectus*, juxta doctrinam sancti Thomæ *in 4. sent. dist. 49. quæst. 1. artic. 1.* E contra verò cor fœmineum, tanquam magis comprehensum, & restrictum, magis quoque ad recipiendā tristitiam, & dolorem est proportionatum: *Ad mœstitiam, quæ illud stringit, aptius est.* Hujus autem doctrinæ veritatem comprobari videmus in ipsis quoque CHRISTI progenitoribus, id est, in Patre æterno, & in MARIA Virgine Matre; Nam ex sacris literis contestatum habemus, quod Pater æternus in prosperitatibus Filii sui semper præsens fuerit, isque peculiaria jubili signa edendo applauserit, uti factum est in monte Thabor, quando CHRISTUS Filius ejus in gloriæ majestate apparuit: *Paterna vox audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Matth. 17.* Hæc autem circa Filium concepta complacentia nihil est aliud, quàm quædam de Filio concepta delectatio, & gaudium: at verò in tempore amarissimæ suæ Passionis, quando in Cruce transfixus, inter tormenta, copioso sanguinis sui mari immersus jam jam exspiraturus & moribundus, languebat, æternus Pater nequaquam apparuit, nec ullum inde videbatur accepisse fastidium; imo verò haud secus ac si illum verè reliquisset, Filium suum de se hisce verbis lamentari permisit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Pater igitur consolationibus filii adstitit quidem, in ærumnis autem, & adversitatibus ejus non comparet, sed se subducit: Nec mirum, quia hæ solam matrem manebant. Dolores non dividuntur ex medietate, sed totaliter soli MARIÆ reservantur. Ipsa enim & eos dolores passa est, quos sustinere debebat, velut filii sui amantissima mater, & similiter aliam dolorum partem, qui Patri debebantur, si is eorum capax fuisset: *Ecce ergo quomodo Pater, qui in prosperis Christi eventibus ei congaudebat, in adversis illi non compatitur, quia tota hæc compassio solum pertinebat ad Matrem, ad quam spectabat supplere mœrorem & tristitiam, quæ in æternum ejus Patrem cadere non poterat.* Uti refert *Joan. de Carthag. Tom. 3. lib. 12. Homil. 1. fol. 415. col. 2.* Adeoque libere dici potest, quod nulla unquam fuerit inventa mater, quæ tantum senserit ob filii dolores tormentum, quantum MARIA.

5. Idipsum majori cum evidentia ex Scripturæ locis eruere & arguere poterimus. Mulier illa, quæ ab Evangelista Chananæa appellatur, cùm Filiū Dei in patrandis miraculis summe admirabilem esse percepisset, eundem humiliter suppliciterque accessit rogans ut filiam suam, quæ dire torquebatur à Dæmone, ab hoc gravi malo dignaretur liberare. *Miserere mei Fili David, filia mea male à dæmone vexatur.* Opitatem hoc loco scire utra duarum harum fœminarum à spiritu maligno cruciata fuerit, an scilicet mater, an verò filia? Si hæc, cur igitur Mater dicit; *Miserere mei?* Unde Chrysostomus *D. Chrys. hom. 17. in Matt. t. 2.* ait: Non dicit, *Miserere filiæ meæ, sed miserere mei spectatricis dolorem?* Dicere debebat: *Miserere filiæ meæ.* Compassio in illud subjectum dirigi debet, in quo reperitur miseria. Unde cum miseria filiam affecerit, potius videbatur petere debuisse ut Christus pietatem, & potentiam suam filiæ impenderet, quam ut hanc ipsi exhiberet. Satis

Matt. 15.

itidem peregrina,& rigorosa mihi lex illa videtur,quam Deus Abrahamo promulgavit, quamque ab omnibus Hebræis observari voluit, lex videlicet Circumcisionis, quam cum tanto rigore præcepit,ut gravissimam statuerit pœnam eandem negligentibus aut transgredientibus. *Masculis cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Id est (prouti exponit Rabbi Abraham Aben Ezara) *Deus occidet illum, qui non fuerit circumcisus.* Gen 17. v 14. Verum enimvero quam culpam pauper infantulus in eo habet,quod non sit circumcisus? Puniantur parentes,qui divinam legem sunt transgressi: *Quomodo ergo parvulus ille pactum Domini irritum facit, qui adhuc nihil fecit, cum nondùm habeat usum liberi arbitrii?* Abraham Aben Ezra apud Abul. ib. Pro majori claritate,ecce tibi casum præsentem, de quo loquimur,in Exodo realiter subsecutum, Deus enim Moysi intimat,quod filium suum Eliezer nondum circumcidisset, adeoque vehementer se contra illum indignatum fuisse ostendit, ut sacer textus dicat. *Volebat occidere eum.* Hic ergo quæritur ad propositum,quonam illud Ly *Eum* sit referendum,an ad Moysen Patrem, an vero ad Eliezer filium. Lyranus adducit opinionem aliquorum, qui ly *eum* de Eliezer intelligendum esse volunt: Exod. 4. *Dicunt aliqui quod refertur ad Eliezer, quem volebat occidere, eo quod erat incircumcisus.* Nicol Lyran. ib. Deus utique justus est,& tamen filius,qui culpam non habet, pœna mulctatur, quis hoc capiat? quis intelligat? Præter hæc duo Scripturæ loca,alium insuper non minoribus difficultatibus involutum nonnihil ponderemus. Noe fructibus laborum suorum quos in vineam plantandam adhibuerat, frui volens,sive,quod sitis vehementia illum nimis torqueret,sive,quod liquoris illius virtutem nondum expertus fuerat,plus æquo bibens,ecu is paulatim dormiturientibus, in profundum lapsus somnum,in terram procubuit: *Bibensque vinum inebriatus est* Vetum notate modum quo dormiens jacuit, *Nudatus*, nulla veste circa inferiora corporis membra contectus? effectus nimirum is erat interius per calorem suum operantis vini, Filius ejus Cham visa nuditate paterna alios fratres suos, Sem,& Japhet advocavit, ut Patris negligentiam,& nuditatem paritet viderent: Gen. 9. v. 22. *Quod cùm vidisset Cham Pater Chanaã, verecunda scilicet Patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis* Interea à Noe Pater à somno expergefactus, cum rementatem & nequitiam Chami filii sui,aliis eandem referentibus penetrasset,dextera sua eidem graviter comminatus est,& vultu ex indignatione excandescēs eundem per Chanaan filii sui maledictionem castigare cœpit dicens: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Sed quænam est hæc justitia (dicet fortasse nonnemo) punire innocentem,& illæsum relinquere,seu dimittere transgressorem? quam,obsecro,culpam miser Chanaan commisit,qui propter Patris sui errorem maledicitur? Nunquid Prophera expressè dicit: quod *Filius non portabit iniquitatē Patris*; & tamen hic experimur penitus contrarium? Ib. n19. Ezech. 19

6. Chrysostomus, & Procopius hinc nostram difficultatem doctè resolvunt, dicentes quod Noe prudenter fecerit,dum filium Chanaan,& non Patrem Cham maledictioni subjecit, sciebat quod Cham majorem esset percepturus dolorem ex punitione intentata personæ filii, quam si propriæ personæ intentata fuisset: *Gravius est Patribus videre filios supplicio affici, quam si ipsi ea fuerint obnoxii,* inquit Chrysostomus, *Factum est igitur hoc, ut illum, ob naturalem in filium amorem, majorem sentiret dolorem.* Et Procopius: *Cham punitus est in filio qui maledictionis expertus est aculeos; & major dolor cruciabat Patrē, cum videret filium maledictione divexari, gravius enim affligimur calamitate liberorum, quam si nobis aliqua miseria objiceretur.* Sic quoq; certum est non fuisse culpam in Eliezer infantulo, quod is circumcisus non esset, utpote qui fasciis adhuc tenebatur,& cunis,nec pro ea re sollicitus esse poterat. Et tamen Deus *volebat occidere eum*, id est, Filiolum & non Patrem, eo quod morte hujus cor & animam Moysis noverat infallibiliter esse transfigendam. Idemque erat filium in conspectu patris occidere, imo longè plus erat, quam ipsimet Patri violenta manu vitam eripere, eò quod dolorosius futurum esset vulnus in corde suo, quam quod infligendum erat in Eliezer pectore: *Tantundem erat filium in conspectu Patris necari, ac ipsum horribili vulnere occumbere; imo crudelius Moyses in filio necaretur, quàm si ipse percussus fuisset.* Atq; hæc est ipsissima causa cur Deus ad hanc legem condendam inductus fuerit, scilicet: *Omnis anima quæ non circumcisa fuerit, exterminabitur à populo suo,* ut Patris negligentia, truculentius castigetur in persona filii. *Siquidem*, ut inquit Isidorus Peluſiota *parentibus acerbius est supplicium, cum pueri exitio dantur.* D. Chrys. hom. 29. in Gen. Procopius. Ant. de Escobar. t. 1. fo. 492 co. 2. n. 34. D. Isid. Pelus. l. 2. epist. 81.

Hinc

Hinc etiam mulier illa Chananæa, Domino se recommendans, optimè dicebat : *Miserere mei Fili David, & non filiæ*, quia majus erat tormentum, quod ipsa sentiebat, quàm quod Dæmonis impietate patiebatur filia. Angores filiæ, angustiæ matris erant filiam suam supra modum excessivè diligentis : *Quia mater quæ videbat filium vexari, quodammodo plus ipsa patiente vexabatur.* Etenim quod si hæc doctrina igitur consonat veritati, facilè nobis imaginari possumus, quam vehementes, & intensi fuerint Mariæ matris dolores, cùm enim ipsa supra quemvis patrem & matrem incomparabiliter ardentius Jesum Filium suum dilexerit, consequens est, quod tormenta ejus, omnia quæ in hoc mundo unquam probata fuêre tormenta longè excesserint. *Idem in Virgine cogita, sed perfectiori modo : nam patiebatur filius, sed Matris viscera torquebantur.* Glorietur igitur nunc sanctus Hieronymus in sapienti illa muliere, quæ Paula dicebatur, quæ tanto erga filio suos afficiebatur amore, ut quoties aliquem illorum ex hac vita migrasse percepit, toties in extremas redacta videretur fuisse mortis angustias : *Suorum morte frangebatur filiorum, nam in filiorum dormitione semper periclitata est.* Cesset inquam de hac gloriari sanctus Hieronymus, nam sancto Anselmo teste dolores quos ex compassione erga filium suum Beatissima Virgo sustinebat, adeò suêre vehementes, & acuti, in unico instanti vel momento, nisi Deus illam in vivis conservasset, absolutè mori debuisset : *Per singula momenta dolor vitam ejus extinguere sufficiens erat, nisi ex speciali miraculo divinitus conservaretur.*

Ant. de Escobar. l. 12 c. 19. in Io. t. 1. f. 493. col. 1. n. 37.

Aloysius Novarri. in umbra. virg. l. 4.

D. Hieron. in Epitaph. Paulæ.

D. Anselm ser. de Passion

7. Sanctus Pater Augustinus ingeniosè se reflectit super Martyrio illo quod mullier illa generosa, quæ septem filiorum Martyrum Machabæorum Mater erat, invictissimo animo sustinuit. Dicit enim magnus hic Doctor mulierem hanc septies martyrem extitisse : *Machabæorum mater fuit septies Martyr.* Scire enim desidero qua ratione fieri potuerit, ut hæc mulier septies Martyr fieret. Quod si enim vera est doctrina Doctoris Angelici, quod *mors sit de ratione martyrii.* Ipsa autem semel tantum, & non sæpius mortua fuit, sequitur profectò, quod semel quoque facta sit Martyr. Pro intelligentia faciliori advertenda est lex quædam ab Ægyptiis olim firmiter observata, nimirum, quod si contingeret Patrem aliquem, sive ex iracundia, sive per casuale infortunium, sive ex quovis alio accidente, proprium suum occidere filium, huic per justitiam alia pœna non infligeretur, quàm hæc duntaxat, nimirum ut tres dies continuos in conspectu cadaveris adsisteret ; existimabant enim Ægyptii, majus aliquod Patri supplicium inferri non posse, quàm si cogatur filium suum coram oculis suis videre extinctum : *Patribus qui filios occiderent, non erat pœna mortis indicta, sed tribus diebus noctibusque continuis edictum, ut circa defuncti corpus assisterent, & continuo dolore afflingerentur.* Mulier igitur hæc generosissima, occasione cujuslibet filii, quem crudelissimi carnificis manibus videbat adhibito immani ferro occidi, majorem passa est dolorem in corde, quàm singuli filii in corpore. Benè igitur Sanctus Pater Augustinus dicit, quod mulier hæc septem filios mori videns : septies facta sit Martyr : *Illa videndo in omnibus passa est septies Martyrium.* Optima resolutio. Veruntamen hujus occasione nova difficultas menti meæ objicitur ; nimirum num ipsa quoque mater in propria persona Martyrium sustinuerit, proprium suum sanguinem effundendo ? Quid tibi videtur ? Affirma, vel nega. Proculdubio. *Novissimè post filios mater consumpta est.* Quid igitur Augustinus illam septies martyrizatam esse dicit ? Imò octies, octies martyrizata fuit, septies respectu filiorum, & semel in persona propria. Minimè, inquit sanctus Doctor, sed septies tantum passa est, quia proprium martyrium non fuit martyrium, *saltem comparativè*, hoc est septem illa martyria, quæ passa est, quando trucidationis filiorum suorum fuit spectatrix, tam afflictiva & dolorosa fuerunt, ut proprium martyrium illis comparatum, nimis leve & suave esse videretur, quàm ut mereretur verum dici martyrium. Verùm enim vero quis unquam gloriosa Virgine gravius afflictus & dilaniatus fuit ? Quis, vel quæ majores martyrii dolores sustinuit, quàm Maria ? Hæc namque filium suum videbat in probroso & ignominioso Crucis patibulo inter latrones infames suspensum, ex omnibus visceribus suis pretiosum suum effundentem sanguinem, manus & pedes clavis transfixos, acutissimis spinis coronatum verticem, toto corpore immanissimè flagellatum, illusum à turbis, ab Hebræis contemptum, blasphematum à latronibus, præ doloribus nimiis exhaustum, morte correptum, ex nimia siti agonizantem, nec tamen quicquam illi adferre poterat auxilii, solatii vel præsidii ; ecquodnam martyrium putas hoc ille posse truculentius, immanius, atrocius ? Meritò igitur Noëmi vocati

S. Th. 2. 2. q. 124. a. 4

Io. Aubanus Teutonic. l. 1. de Africa fol. 14 col. 2.

cari renuit, *sed mavult Mara*, vel etiam MARIA vocari, *id est, amara, quia amaritudine valdè replevit eam Omnipotens.*

8. Verum quidem est, quod multi sibi persuadeant, Virginem non tanto fuisse dolore obnoxiam, quantus dicitur, siquidem quando ad Crucis pedem subsistebat, dictum filium suum mortuum contemplans, ipsa (ut sanctus Ambrosius scribit) ne vel unicam lachrymulam ex compassione vel dolore, ex oculis suis stillasset in terram, ac proinde præfatus Doctor dicit: *Stantem lego, flentem non lego.* Lachrymæ doloris magni cor valdè afficientis veri sunt effectus. *Lachrimæ causantur ex tristitia*, inquit Doctor Angelicus. Heraclitus flebat considerans quod *nihil in homine non caducum*, Bassianus Imperator fletum continere non poterat, quando Gethæ fratris sui vel videbat effigiem, vel ejus fieri audiebat memoriam, *Lachrymabatur quoties aut mentio fieret, aut imaginem videret Gethæ fratris.* Cato ingentem cadaverum extinctorum exercitus Cæsareani numerum in terra postratum cernens *Temperare lachrymas non potuit.* Pericles Parolum filium suum mortuum videns *Erupit in ejulatum, & magnam vim profudit lachrymarum.* Et tamen Virgo filium suum in oceano tormentorum, & in probrosa Cruce extinctum videns, ne unicam quidem effudit lachrymam: *Stantem lego, flentem non lego.* Quænam est hæc in virgineo pectore duritiei? an forte in pectore cor gerebat lapideum? aut Tygridis crudelitatem in corde suo fovebat? vel forte ideò non flevit, quia ex mente Platonis, *lachrymas profundere ob mortuum indecorum est*? Aut, quia, non nemo dixit, *lachrymæ nihil remedii afferunt malis?* Pro hujusce difficultatis intelligentia, sequentem libebit auscultare historiam: Cùm Cambyses Samnitem Ægypti Regem in prælio devictum in suum Persidis Regnum cum universa familia sua captivum abduxisset, ut hic suam experiretur immanem crudelitatem, & ditius affligeretur, coram se, & in conspectum præcipuorum primatum totius Ægypti adduci jussit, abjecta veste indutam, & vilibus servitiis instar servis addictam Samnitis Regis captivi filiam: quam omnes Ægyptii videntes, præ nimia compassione à lachrymis se continere non valebant: cùm tamen Samnites Rex econtra totam in filia repræsentatam scœnam non sine adstantium ingenti admiratione siccis oculis spectaret; Cambyses igitur, ut ejus animum ex adversa fortuna obstupefactú, ad vivacem aliquē animi sensum & commotionem permoveret, Samnitis primogenitum in simili publico spectaculo comparere jussit, verùm in specie mancipii cujusdam amictum: Prodiit igitur habens ad nudam caruem habitum lazarum, sibique mutuo partibus vix cohærentem, catenam quoque satis ponderosam ex collo suspensam, nec non & frænum in ore bruti instar turpiter ferebat, atque hoc schemate indutus totam jussus est perambulare civitatem, & coram Patris sui; oniumq; captivorum Ægyptiorum conspectu pertransire. Miserabilis hujus regii adolescentis species Ægyptiorum animos denuo emollivit, ut suas ob suam in Principem suum nativum pietatem continere lachrymas minimè possent; Samnitis autem ex oculis ne unica quidem lachrymula manavit, quod tantò majori cum stupore ab omnibus exceptum est, quanto idem ille Rex Samnites postea quendam amicorum suorum, qui una cum ipso in prælio contra hostem dimicaverat, in humilem, miseramq; mancipii fortunam redactum videns, coercere se non potuit, quin in amarissimum planctum erumperet. Unde Persarum Rex commotus, causam à Samnite Rege poposcit, cur potiùs ob amici, quàm ob proprii & naturalis filii sui calamitates, & miserias, in tantam fuisset lachrymarum copiam resolutus, qui proinde ad propositum nostrum aptissimè respondit: *Filii aspectu plorare non potuit, aut in lachrymas prorumpere; quia si fiere mihi concessum esset, jam ex hoc pœna mihi levior fuisset*, ut scribit Herodotus. Nequaquam dubitandum est, quin Beatissima Virgo unigenitum filium suum in statu quodam incomparabiliter miserabiliori, & calamitosiori viderit, quàm fuerit status filiæ, & filii Regis Samnitis; quia videbat eum sanguine, & flagellis vestitum & contectum, impositā in manu ejus sceptri loco arundine, & in capite corona spinea pro diademate, ad instar stulti alicujus delusum, clavis in manibus, & pedibus transfixum, in patibulo Crucis extensum, intolerabili siti afflictum, doloribus circumdatum, ab agonia mortis ad extrema redactum, hocque funesto objecto coram oculis suis publicè exposito: *Stabat juxta Crucem Mater ejus*; Vetùm oculis adeo siccis hæc omnia intuebatur, ut non vel minimam ex viso hoc spectaculo effuderit lachrymam. *Flentem non lego.* Ignis enim doloris, & amoris, adeò vehemens erat, ut pectus ejus omninò exsuccidum & aridum reddiderit: aut verò cerebrum ejus

D. Amb. epist. 28. & l. de instit. Virgin. c. 7. D. Th. 2. 2. q. 82. ar. 4. Lacert l. 5. cap. 1. Manut in Adag.

Plut. in ejus vita Idem in Pericle.

Plat. de Repub. dial 3. M. Ant. Natta de immortali. animi l. 1.

Herodot. lib. 3.

Herod. in Thal.

Ioan. 19. v. 25.

ejus tanta lachrymarum copia opplebatur, ut ad oculorum fores, una alterius prohibuerit egressum. *Flentem non lego.* Idque Beatæ Virginis tormentis tam interioribus, quam exterioribus maximum addebat incrementum. Dolor enim mentis & corporis hoc sibi proprium habet, quod per effusas lachrymarum aquas emolliatur, mitescat, atque tolerabilior fiat, dolor autem reclusus, & in corde velut obturatus, qui nullum habet ad se dissipandum per lachrymas exitum, aut respirandi locum, qualis Mariæ dolor erat, nimis atrox est, atque intolerabilis redditur; ac proinde *Flentem non lego*, ut hac ratione major doloris attrocitas demonstretur, Unde mellifluus Bernardus inquit: *Suppressus dolor altius introrsus radicavit, eò acerbior pactus, quo non est exire permissum.*

D. Bern. ser. 26. in Cant.

9. Mirum semper mihi visum est, quod Sacri Evangelistæ, qui aliàs adeò sunt accurati in recensendis iis, quæ circa Passionem Jesu Christi contigerunt, ut ne minimum quidem punctum, vel actio, quæ circa patientem Dominum, vel Matrem contigisset, invenirri possit, quam in sacris suis Evangeliis non enarrasset; quod, inquam hi nullam prorsus mentionem fecerint dolorum, quos sanctissima Salvatoris nostri Mater sustinuit. Solus etenim Joannes, (licet verbis brevissimis) dicit: *Stabat juxta Crucem Mater Iesu*, nullam prorsus referens ulteriorem compatientis Virginis circumstantiam, cur obsecro apud Evangelistas tanta est de re verborum parcitas? Cur tres illorum compassionem Beatæ Virginis sub totali silentio pertranseunt, alter autem tribus duntaxat verbis aliud non dicit, nisi *stabat juxta Crucem Mater Iesu*? Num sacros Evangelistas negligentiæ alicujus arguemus? Absit: Neque enim ex hac parte culpandi sunt sacri Evangelistæ, quin potius hoc illorum silentium mysteriis, & cælesti institutione plenissimum est. Pro cujus intelligentia in memoriam vobis revocate ingeniosam illam famosi Timantis picturam, qui Iphigeniæ Agamemnonis Regis filiæ sacrificium in tela quadam ad vivam depingere molitus, cum Patris præsentis angustiam cordis, & vultus mœstitiam depingendo assequi non posset, de arte sua veluti desperans faciem ejus velo contectam constantium oculis objecit: *Patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere*, inquit Plinius: Eodem modo sacri Evangelistæ videntes, quod calami sui ad repræsentandam Virginem dolorosam, ejusque amaram compassionem insufficientes essent, nec verba haberent ad exprimendas cordis illius angustias, & dolores idonea, totam hanc materiam silentii velo contexerunt: soluseque Joannes unicam duntaxat lineam ducere incipens, cum materiæ difficultatem percepisset, solummodo dixit, *Stabat juxta Crucem Mater ejus.* Alterius autem prosequi minimè potuit: *Sacri Evangelistæ omnem sermonem insufficientem esse ad exprimendos Virginis dolores in morte dilectissimi filii sui, silentii velamine illos cooperuerunt.*

Ioan. 19. v. 25.

Plin. c. 3. l. 35. f. 338.

Ioan. de Carth. t. 3. lib. 12. ho. 6 f. 437

18. Beatus Laurentius Justiniamus cor Mariæ tempore Passionis Christi speculum quoddam lucidissimum fuisse dicit: *Cor MARIÆ clarissimum Passionis speculum.* Porrò speculum multas habet proprietates, specialiter autem, prouti ipsa nos docet experientia, omnia, quæ ipsi proponuntur objecta cum omnibus eorundem circumstantiis perfectissimè refert. Atque ideò, quando Maria *stabat juxta Crucem*, suiq; cordis speculo Christus obversaretur Crucifixus, simul & semel in eo videbantur flagella, sanguis, spinæ clavi, vulnera, Crux, omnesque filii dolores in in eo veluti epilogati erant. Audite id dicentem sanctum Hieronymum: *Quot lesiones in corpore Christi, tot vulnera in corde Matris. Quot clavi perforantes, quot ictus percutientes, tot sagittæ per oculum intrantes, & totum cor, & animam Virginis vulnerantes.* Verè etenim omnia Christi tormenta dolorosas quasdam fulminis sagittas in corde Matris fuisse, sequens aperte manifestabit historia: Refert enim Pharnacius virum quendam, qui Polycarpus dicebatur, ob certum quoddam delictum carceri fuisse mancipatum, qui tametsi delicti illius verè reus esset, animo tamen intrepido omnia sustinuit torturæ tormenta, nec tamen ad deponendam veritatem capi ulla ratione potuit. Quid hic faceret judex ut veritatem eliceret? Audite inventionem admirabilem. Judex filium quoque rei capi, & in conspectu Patris in equuleo etiam dirè torqueri præcepit, quo viso reus mox alta voce *se errasse* exclamavit, seque delictum verè patrasse ultro confiteri cœpit. Judex igitur eum interrogavit: Qua ratione fieri potuerit, quòd qui supplicia dira in proprio corpore constanter sustinuerat, eadem in persona filii tolerare aut spectare non potuerit, aut cur in semetipso plus senserit torturas filii quàm proprias? Cui ipse respondit: Cùm me torquetes, cor patris

Laur. Iust. l. de triumph. agone Christi cap. 12.

D. Hier.

Pharnacius.

tametsi expositionem istam spernere nolim, attamen à veritatis tramite me procul abiturum minimè existimo, si per mare istud, cujus Maria stella dicitur, mare rubrum intellexero passionis Christi, mare sanguine purpurizatum, in quo non Pharaonis, sed culparum nostrarum exercitus submerguntur. Unde S. S. P. Augustino interroganti: *Quid est mare rubrum?* Respondeo quod *Passio Christi sit mare rubrum sanguine Domini consecratum* Hujus amari, & purpurei maris Virgo Mater stella dicitur. Sed dices forsitan potius Lunam, quàm stellam vocari debere, siquidem instar mari prædominatur. Respondeo, nequaquam; nam in hoc passionis mari ipsa se nequaquam Lunam exhibuit, quæ mutabilitatem & inconstantiam invenit, sed veram stellam, *quæ dicitur à studio, quod stare stella videntur*, ac proinde S. Joannes Evangelista dicit, quod *Stabat juxta Crucem*, stabilis nimirum, immobilis & constans, *ad modum stellæ*. Unde alius quidam dicit. *Beatam Virginem aptè stellam nominari ex naturalibus stellæ proprietatibus, haud difficilè erit comprehendere. Si stella à stando dicitur propter ejus stabilitatem, & immobilitatem stella fuit certè Maria, cujus tanta noscitur in bono stabilitas & firmitas* Et S. Ambrosius, *Stabat ante Crucem Mater, & fugientibus viris stabat intrepida* Stabat, inquit Anselmus, *Maria in fide Jesu constantissima, & patientissima, nam discipulis fugientibus, cunctisque viris recedentibus, in gloriam totius feminei sexus, inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola stabat. Non se laniabat in tanta amaritudine, nam maledicebat, non murmurabat? nec vindictam hostium à Deo petebat, sed stabat patientissima doloribus immersa.*

D. Aug. in Ps. 80. fol. 195. col. 4. M.

Ambr. Calep. V. Stella. Io. Carth. t. 1. l. 2. hom. 7. fo. 166. col. 2.

D. Ambr. de Instit. Virg. D. Anselmus de Comp. Virg.

12. Dicite mihi sodes, ô charissimi Auditores, quisnam tempore passionis Mariam Virginem associavit? Respondebitis utique id Joannem fecisse: id enim sacer textus expressè insinuat, dum dicit: *Cùm vidisset ergò Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat Jesus, &c.* Sed observandus est modus posituræ ejus: *Stantem*; Stabat enim veluti stella, firma & constans; *non tantùm corpore, sed etiâ corde & animo.* Unde totus attonitus causam scire optarem, cur Sanctus Joanes adeò à semetipso videatur in hoc Calvariæ monte diversus? Mecum enim, O Auditores, in Gethsemani hortum concedite, ubi etiam simul cum Jesu erant Petrus, Jacobus & Joannes. Videbitis autem quod turbis nocturno tempore ad capiendum Salvatorem hortum illum ingredientibus & veluti lupis in ipsum tanquam innocentem oviculam, crudeles manus suas immittentibus Petrus quidem initio ob excessivam facinoris indignitatem stomachatus aliquod dederit generosi animi specimen, *nam exemit gladium suum, & percussit servum principis sacerdotum.* Postea verò omnes meticuloſi facti sint, & pusillanimes, & velut timidi lepores perterrefacti in fugam fuerint conversi: *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt* Optarem equidem scire, an Joannes quoque unus fuerit ex discipulis illis, præ nimio metu in fugam adactis? Respondendum quidem meritò esset negativè, siquidem hic tanto cum fervore Magistrum suum amaverit, & ab eodem quoque incessanter, valdè impensè deletus fuerit, de quo proinde fuga hæc turpis præsumi non poterit, cùm amor virtus sit unitiva, per quam proinde Joannes à Christo dissociari nequaquam debuisset. Veruntamen, cùm sacer textus expressè dicat: *Relicto eo omnes fugerunt*, sub hoc numero, *Omnes* Joannes quoque cæteris connumeratus. Et Sanctus Marcus dicit: *Adolescens autem quidam sequebatur illum; amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum; at ille relicta syndone nudus profugit ab eis.* Ubi, tametsi quis ille nudus adolescens fuerit non nominetur, attamen ex multis conjectuis Joannem fuisse cognoscere possumus, id quod multi quoque Patres confirmant videlicet Beda, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, & alii. *Hoc de Ioanne dicitur qui territus fuit.* Quantum igitur semet ipsum varium in monte Calvariæ exhibet ab eo, qui in horto Gethsemini fuerat? Quando Christus capiebatur, fugit, quando autem Crucifixus est, firmiter & constanter stetit: *Vidit Jesus discipulum stantem*, In horto timidus, & pusillanimus, in Calvario monte autem constans, & intrepidus permansit. Cùm tamen è contra in monte Calvariæ fugere potius debuisset, utpote in loco reis crucifigendis, aliisque supplicis afficiendis destinato, ac proinde horrore plenissimo, in quo carnifices immanitatem suâ persæpè exercebant; Et tamen è Calvario monte nequaquam fugit, sed ad pedes Crucis intrepidus stetit. Idque quia Mariam, quæ *stabat juxta Crucem*, firmam, atque constantem vidit. Unde colligitur constantiam Virginis adeò fuisse constantem & heroicam, ut Joannes illà tanquam firmitatis, & intrepidæ constantiæ exemplari usus fuerit. *Stabat juxta Crucem Christi, hoc est, Ioannes, absque ullo pavore, timuit mortem doloribus.*

Ioan. 19. v. 26.

Matt. 26. v. 51.

Idem ibid. n. 57.

Marci 14. n. 51.

Beda Ambros. Chrysost. Greg. 14 Moral. & in Cat. D. Th. in cap. 14. Marci fol. 129. E col. 2.

Franc. Lubat. 2. de

in

in horto, cur non sic per Crucem? Quia scilicet videbat ibi Mariam plusquam humana quadam fortitudine, ac constantia ibi adstantem, & tanto exemplo roboratus, pariter & ipse stetit absque judicum & ministrorum eorum timore.

MARIÆ prop. 36. fol. 653. col. 1.

16. Quænam igitur constantia cum constantia Mariana comparari poterit, quam illa in tot, tamque funestis casibus Filii sui generosissimè exhibuit? Scio equidem quod Præsarpe videns filium suum à Cambyse sagitta transfigi & occidi, nequaquam turbatus fuerit, quin potiùs Cambysen laudarit. *Vt peritum artis sagittariæ.* Antigonus quoque Rex mortuo Alcione filio suo non doluit, sed se, eo quod opinione sua diutius vixisset, valdè mirari dixit: *Constanter tulit, ut diceret illum serius aliquando, quàm putasset, occubuisse.* Marcus Antonius adeò fuit animo intrepidus, ut à nullis unquam siniſtris fortunæ eventibus vinci, aut superari potuerit: *Tanta fuit animi constantia, ut nullo unquam affectu, nullis rerum fortunis vultum immutaverit.* Postquam Paulo Æmilio quatuor diebus antequam ob acquisitam Romanorum Reipublicæ Macedoniam triumpharet, mortuus esset filius, & alius tribus diebus post habitum triumphum morte quoque sublatus fuisset, nequicquam inde visus est conturbari, *sed jacturam illam æquo animo tulit.* Cùm Horatio Pulvillo filium suum occisum esse nuntiaretur, aliud nuntius responsum non retulit, quàm hoc, si mortuus est sepeliatur; *vos cadaver, ubi vultis, efferte.* Xenophon certior factus primogenitum suum in prælio fortiter, & generosè dimicando occubuisse: gratias cælestibus retulit, simulque protestatus se majorem in corde suo sentire de generositate sua lætitiam, quàm ex morte ejus turbationem: *Numina testatus, se majorem ex filii virtute lætitiam, quàm ex morte mœrorem sentire.* Anaxagoras filii sui mortem annuntianti respondit: jam dudum notum fuisse, eum esse mortalem, & mortis legibus obnoxium: *Nihil novum memoras, sciebam enim illum esse mortalem.* Sed quid de fœminis dicemus, *quæ molliores, & magis compassivæ sunt quàm viri?* Rutilia, quæ coram filium suum tanto amoris affectu prosequebatur, ut ne quidem illum in exilium abactum deserere potuerit, audita ejusdem filii morte, ne ullum quidem suspitium edidit, aut vel unicam lacrymulam effudit: *Lachrymas nemo vidit.* Symphorosa Getulii conjux, septem filios pro Christi fide trucidari videns, *patientissimè tulit, quin etiam ad martyrium animavit.* Denique de Sophia referunt historiæ, quo tres filios, quos sicut oculorum suorum pupillas diligebat, sub Hadriani tyrannide in conspectu suo occidi videns, læto vultu mortem illorum fuerit intuita: *Et eos jugulare vidit cum gaudio.* Negari profectò nequit hos incredibilem exhibuisse intrepidi animi constantiam, veruntamen nullus illorum aut illarum cum Maria comparandus venit. Constantia enim, quam Virgo in Filii sui passione ostendit, cujuslibet alterius creaturæ constantiam tantùm excedit, quantùm Sol quamlibet stellam, vel universum in magnitudinē quemvis atomum excedere noscitur. Unde Canisius scripsit: *Stabat gratulabunda Maria, quod Filium tam gloriosè certantem, hostesque omnes brevi victurum intelligeret. Stabat sua virtutis, atque constantiæ, qua rebus adversis probanda erat, memorandum exemplum posteris præbitura? quandoquidem nec tribulatio, nec angustia, nec periculum, nec persecutio, nec gladius, nec mors, nec vita, neque alia creatura illam separare posset à charitate Christi, cui mente penitus cohærebat.* Quæ nobis quoque in sufferendis generoso forti, & intrepido animo omnibus hujus mundi miseriis & adversitatibus, constantiæ præclarum exemplum esse poterit. Hanc speculi loco usurpa, & ob oculos pone, utaris illa veluti pharmaco quodam lenitivo ad temperandas omnes tuas afflictiones, tuarumque ærumnarum amaritudines indulcorandas, certò tibi persuadendo, quòd maxima afflictionum tuarum, solùm stilla quædam sit, si comparetur cum afflictionibus, & doloribus Virginis. Hac enim ratione ex passionibus Virginis indicibilem recipies consolationem. Quam tibi concedat omnipotens Deus. Qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

Amen.

Io. Ravis. in offic. t. 2. de constantia.

Petr. Canis. lib. 4. de Deipara.

Sabellicus lib 8. c. 2.

Io Lansp. ser de pass. Christi. fol. 103. col. 1.

SERMO DECIMUS.

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA.

Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. Eccles. 44.

1. SIcut stellæ sunt veluti gemmæ, & lapides pretiosi, qui venustum cæli pallium insigniter illustrant, & adornant: Flores quoque & poma aurea, aliique qui è terra nascuntur, fructus, divinæ sint, quæ in terræ sinu in nostrum commodum conversantur, ita quoque virtutes morales ornatum eximium ministrant quo anima mirum in modum exornatur, adeò ut super omnes mundi creaturas anima per virtutes sublimetur. Unde, qui verus est virtutum possessor, gloriari meritò potest se quintam habere omnium bonorum essentiam: *Virtus fert omnia secum*, scribit Eruditus ille. Cum hac sola Laertius cuncta sua desiderata abundè explevit, apertè declarans: *Virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere* Apud Stoicos per omnium ora hoc resonabat axioma: *Nihil expetendum præter virtutem.* Phocion Atheniensis nil nisi virtutem in pretio habebat, affirmare solitus, quod *unica virtus sit potens, reliqua autem cuncta nugæ.* nulla in mundo dominatur fælicitas, quæ illam tanquam vasalla, & subdita Reginam suam non recognoscat, eidem velut tributaria omnem cedens gloriam & honorem: *omnes opes* (inquit Plato) *omnium rerum copiam virtuti concederet.* Verum quidem est quod ratiò, & difficulter omnes, vel multæ virtutes simul, & unitæ in unoquoque reperiantur, veruntamen in solo magno Dei servo Francisco de Paula veluti in propria metropoli, sine numero lætæ, & tranquillæ simul collectæ resederunt: *Non est inventus similis illi.* Dicite enim sodes, fax illa ardens, & vehementer lucens, quæ in die nativitatis suæ super domo in qua nascebatur comparuit, quid aliud fuit, quàm verum ardentis, & vivacis fidei suæ indicium, quam suo tempore erat habiturus? Quando parentes suos, ut eum Assisium usque perducerent, enixè rogavit, quid indicare voluit, quàm debitam ergà S. Franciscum gratitudinem, utpote per cujus intercessionem parentes illum impetraverant? Nunquid, quando quatuordecim annos natus, velut novellus quidam Joannes Baptista, in solitarium quoddam desertum se subducit, sequeradicibus, & agrestibus, seu sylvestribus herbis sustentat, futuris aspertimæ pœnitentiæ rigoribus suis prælusit? Quando integras noctes in vigiliis transigens coram Crucifixo genuflexus crudelitatem Hebræorum, tormentorumque acerbitatem suspiriis, & fletibus prosequebatur, quid aliud, quàm affectus pietatis suæ expressivos insinuabat? Quando temerarium Hæreticorum ausum detestabatur, quo candidum virginitatis florem conculcabant, nunquid tunc clarè testabatur, quàm firmo vinculo virginali puritati deinceps esset confœderandus? Quando in extasim raptus, mentem suam in Deo collocatam habebat, nunquid tunc quam fervens in oratione futurus esset expresse præsagivit? Si petente, ac sollicitante Ludovico XI. à Sixto IX. vocatus, & jussus promptissimè in Galliarum regnum se contulit, nunquid in eo exactissimæ obedientiæ actum exercuit? Nunquid fervidum se Catholicæ Religionis professorem esse ostendit, quando diversas Paterni, Spezzani, Coregliani, in Sicilia, Turonibus in Francia Ecclesias ædificavit? Quis illum non diceret maximum voluntariæ paupertatis amicum, qui omnem in solo Deo spem collocatam haberet, dum audit illum ex ingenti auri copia, quàm Consentiæ sib donatam acceperat, hoc tantum acceptare voluisse, quo ad extremæ necessitatis usum opus habebat? Nunquid prudentem, ac providum se esse operè ostendit, quando pro bono,

Cam. in li Symb.
Laert. l. 6.
Man. l. 6. Apoph.
Stobæus serm. de Prud.
Plato in Manexim.
Ecclesiast. 44.
Gabr. Piam. in l. 4 in vita ejus f. 142. 143. 144.
Otho Truccius Senen. in Opusc. S. Francisci de Paula.

bono, ac felici Religionis suæ regimine Patrem Bernardinum de Otrunto, cum duobus sociis Correctorem, & Coadjutorem constituit? Ex quo pacem in Tuscia, irruptiones Turcarum in Christianissimum, Otronti amissionem, ejusdemque recuperationem, Francisci I. Galliarum Regis Nativitatem, Julii II. Pontificatum aliosq; similes evẽtus, prout ex ejus litteris ad Simonem de Limena scriptis videri potest, certissima subsecuta veritate vaticinando prædixit, nunquid illum prophetiæ dono claruisse verè affirmare poterimus? Profecto, si quis Lycæum, sive Areopagum virtutum ipsum fuisse asseverarit, à veritate non procul abibit. Veruntamen hæc ita se habeant, tres tamen virtutes particulariter in hoc magno Dei servo præ cæteris gloriosè resplenduisse videntur, ob quas proinde jure de ipso dici possit: *Non est inventus similis illi*, sunt autem hæ, nimirum, Humilitas, Charitas, & Abstinentia. Etenim Minimus appellari voluit, veluti ab Humilitate prorsus exinanitus. Sanctissimæ Religionis suæ primordia fundavit, ex ardentissima Charitate, qua fuit succensus. Denique tanquam Abstinentiæ observantissimus Filios suos quarto abstinentiæ quadragesimalis voto adstrinxit. Unde in omnibus, in his autem particulariter *conservavit legem excelsi*. Quocirca quo tempore ego tres prænominatas Francisci virtutes, veluti tres fragrantissimi flores essent, tanquam apis quædam intellectus mei alis eas circum volitando delibabo, vos, ut benigna attentionis, & silentii aura mihi faveatis, enixè requiro.

2. *Non est inventus similis illi.* Franciscus de Paula in submissa humilitate adeò profundus fuit, ut oculi mei insufficientes se fateri cogantur, ad eam visus mei brevitate penetrandam. Imò adeo reverà Minimus fuit, ut oculorũ meorum lumen vix illum à nihilo discernere valeat. Et tamen Religionis suæ currus cum universis rotis, & machinis adpertinentibus, eò quòd minimus esset ab hac parva Formica moveri, & trahi ac dirigi potuit. Referunt etenim Historiæ Triremen quandam universa necessaria sua suppellectile optimè instructam ab ingeniosa quadam manu factam fuisse in quantitate adeo minuta, ut unica apicula alis suis expansis contegere potuerit. Humilitas porrò Francisci quantò magis ipsum minimum reddit, tantò majorem Oratoribus ad digne de eo discurrendum adfert difficultatẽ. Unde sicut vastæ machinæ ad hoc, ut tractabiliores reddantur, in minorẽ quantitatem redigi & paululum diminui debent; ita econtrario hujus magni Patriarchæ humilitas, ut discerni, & videri possit, nonnihil debet extolli, & magnificari. Atque ideò sicut ex Satyri cujusdam parvitate nonnemo excedentem gygantis cujusdam staturam demonstrare novit, ita quoque dum ego sancti hujus adeò celebris, & famosi Patriarchæ excellentias adduxero, vobis liberum campum cedam conjiciendi profundam ejus sanctissimi viri humilitatem, qui è minimo factus est maximus, cum illa sit Dei Opt. Max. inolita consuetudo, quod illos exalter, qui se humiliant, quodque nobilitatis coloribus illos illustret, qui intra natalium obscuritatem serenam secum semper deferunt conscientiam.

3. Qui veræ nobilitatis non habet notitiam, facilè induci posset ad credendum Franciscum ignobilem esse natum, tum quantum ad patriam, tum etiam quoad parentes, quos tamen honoratos, Deumque verè timentes habuit: Econtra verò ego ex humilibus hisce principiis, & vilibus natalium antecedentibus, efficacem veræ nobilitatis, & excellentiæ deduco consequentiam. Etenim Astrologi docent, quod quantò Sol à Luna remotius abest, tantò Luna oculis nostris splendidior, majorque esse videatur: *Quo longior à Sole recedit Luna, eò clarior est.* Unde derivatum est emblema Solis, & Lunæ procul à se invicem remoræ, cum hac epigraphe: *Clarius lucet longè.* Porrò solem nobilitatis symbolum esse multæ rationes efficaciter persuadent, unde Sol apud antiquos dignitatis Imperialis, & Regiæ symbolum erat. Cyri somnium, in quo sibi solem se amplexari videbatur, Astrologi exposuerunt, dicentes: *Esse omen faustum, & propitium? & tres decades annorum adjiciendos vitæ Regis affirmarunt*: eò quod Sol utpote Rex planetarum, majestatem Regiam communiter indicet. Sic quoque quando universa *Solem corona cingi* vidit, Apollonius Magus famosus mox prædixit, militem quendam qui Stephanus cognominabatur, quod in Græco idem, quod *Corona*, significat, in eodem temporis momento occidere Domitianum Imperatorem. Sol igitur suis splendoribus illustratus majestatem imperialem denotat, seu familiam illustrem, aut natalium nobilitatem? Luna verò demissionis, & humilitatis symbolum est, ut proinde benè nominata sit in scriptura: *Luminare minus.* Estque in cælo omnium infimo situata: *Luna est planeta in infimo cælo.* Unde *à paritate* deducere, & arguere possumus, quòd sicut Sol remotior, majoris in Luna lumi-

Andr. Chiocceus apud Ioan. Ferum p. 2. in theatro symb.

Marcel. de Pise t. 1. fol 569. col. 1.

Genes. 1. Hieron. Lauretus in sylva Alleg. V. Luna fol. 563. fac. 2.

luminis, & magnitudinis causa est: Ita pariter quantò Luna humilitatis Francisci ab illustris, & splendidæ natalium nobilitatis sole fuit remotior, tantò facta sit apud Deum dignior, & excellentior. Ambigat igitur, quisquis voler, prosapiæ, patriæ, & sanguinis egregiam nobilitatem, non tamen id faciet sanctus Franciscus, quin potius natalium suorum humilitati Minimi qualitatem adjungens, suam quam maximè claresceret fecit nobilitatem & excellentiam. *Clarius lucet longè*

4. Porro Sanctitatis suæ fama multos ad eum in servitio Dei consectandum efficacissimè attrahebat, quos in Chorum ad psallendum, summamque Altissimi Majestatem venerandam perducebat? Quibus proinde regulam dedit, instituit religionem, in eaque præter tria vota solemnia ordinaria, quartum insuper perpetuæ abstinentiæ à carnibus, aliisque ejusdem conditionis cibis adjunxit eosdemque pariter uniformi terrei colotis habitu, prouti etiamnum adhuc videtur, vestivit. Etenim in hac sui Ordinis institutione unicã duntaxat actionem, quam maximè admiror, scilicet, quod in capite suo tonsuram illam clericalem per modum coronæ caput cingentem? uti in aliis Religionibus solemne est, portare noluerit, illamque etiam à minimis suis deferri vetuerit. Cur ita? Num fortè credebat Religioso statui minimè convenire, signum illud in vertice deferre, quod spinosum Crucifixi Redemptoris diadema repræsentat? *Tonsura capitis Sacerdotis & rotunda ejus pilorum media sectio, vice coronæ est spineæ, quam Christus gestavit*, inquit S. Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus.

D. Germ. Constantinop t. 8. Bibl. PP. f. 54. col. 1. c.

5. Consuetudo erat apud Romanos, quod nascente masculo honoris causa ad fores domus corona quædam suspenderetur. Unde Juvenalis.

Foribus suspende coronas
Iam Pateres.

Iuven. Satyra 9.

Atque ideò cum Franciscus tot filiorum Pater sit, quot Religiosos in ordinem suum admisit, cur coronam in capite suo deferre detrectat? Portò cum Eduardus I. Angliæ Rex Joannem Balium Scotiæ Regem in prælio accepisset captivum, eidem, ut Regium diadema è capite deponeret imperavit, quippe qui servus factus amissa libertate, conditionem accepisset Regio diademati minimè convenientem. *O Rex, hoc insigne dedecet hominem factum alieni juris, corona servitutis impatiens, est tessera libertatis.* Meritò igitur Franciscus quoque, utpotè qui una cum omnibus Religiosis suis se declaraverat servum Dei, ac proinde propriæ voluntatis arbitrium exuerat, seque quatuor votorum vinculis colligaverat, coronam quæ servitutis impatiens, & tessera est libertatis, in capite suo portare abnuebat: Henricus III Emblematis loco tres coronas pingi fecit, quarum una Poloniæ, altera Franciæ regnum referebat, tertia autem, quæ ambabus prædictis superimminebat eam indicat, quæ post præsentem vitam in cælis obtinenda speratur, cum hac inscriptione: *Manet ultima cælo*, quod illi Apostoli dicto pulcherrimè consonat: *Reposita est mihi corona justitiæ.* Franciscus quoque filios suos his in terris coronam portare noluit, quin potius illis jussit, ut strenuè prò illa in cælis consequenda, ad Dei honorem, & obsequium decertarent. Etenim verum quidem est tonsuram clericalem in modum coronæ factam S. Petro ab infidelibus ad majus ejus vilipendium, & contemptum irrogatam fuisse, hanc tamen Dei Filius in specialem gloriam, & dignitatem transmutavit: Unde sanctus Germanus: *Imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, quæ (cum missus esset ad prædicationem Domini & Magistri) ei tonsa est ab iis, eique Magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit.* Unde Franciscus, qui Religiosos suos minimos esse volebat, noluit, ut illa capite illam deferrent coronam, quæ gloriam, dignitatem, & excellentiam demonstrat. Ad imitationem Titi Vespasiani, qui factus victor urbis Hierosolymitanæ, Regiam ejusdem urbis coronam acceptare renuit: *Cum captis Hierosolymis à finitimis gentibus ob victoriam corona aurea ei offerretur, respuit, dictitans se tali honore indignum.* Idemmet fecit Godefridus Bullioneusis, nam *Hierosolymorum Rex creatus à Latinis, Regiam potestatem sine insignibus accepit, negans se in ea urbe coronam sumpturum, ubi Dominus, & Deus spineam gestasset.* Canutus, qui primus hujus nominis Angliæ Rex fuit, cum Ecclesiam ingressus Crucifixo vicinus adstaret, se in ejus præsentia indignum esse reputans, qui Regia corona in capite redimitus esset, eandem per humilitatis insignem actum è capite suo propriis manibus sublatam, Crucifixi Redemptoris nostri capiti superimposuit. Eundem existimo fuisse S. Francisci sensum, adeò enim humilis fuit, ut se omnesque suos indignos existimarit, qui diadema illud, quod coronam Jesu Christi

1. Tim. 4. v. 8.

D. Germ. ubi sup.

Philostr. in vita Apollonii Theatr. Vit hum. volum. II. lib. 2 f. 1539. col. 1. Æmilius l. c. Et in Theatro vitæ hum. vol. 3 l. 3. v. Diadema & Corona. fol. 699. col. 2.

Andreas Ducheſne in hist. Angl ann. 1300.

Andr. Ducheſne in hiſt. Angl. ſub. Ann. 1031

Tertull. lib. de corona militis fol. 757. num. 10. Et apud Didacan. de la vega in feſto Aſſumpt. B.V. fol. 747. Ioan. Maldon. in cap. 13. Matth. fol. 290. col. 2. nu. 32. D.

Matth. 13. v. 31. Luc. 13. v. 19. Marci 4. v. 31, D. Aug. ſerm. 2. de S Laurentio f. 269. col. 3 G. t. 10.

Ch iſti refert, in capite ſuo deferrent. Fecitque ad ex[illegible] militis illius Romani, de quo Tertullianus refert, quod, cum ab Imperatoribus Severo, & Aurelio, in generoſitatis ſuæ condignum præmium coronam accepiſſet ex Lauro contextam, adeò humilis extiterit, quod ad illam in capite ſuo deferendam induci nunquam potuerit, dicendo quod ſolum illam manibus ſuis deferre mereretur, donec Rex Regum Crucifixus Salvator noſter è manibus ſuper caput ejus reponeret. Verum cedat procul militis hujus humilitas humilitati profundiſſimæ S. Franciſci utpote qui non ſolum quoad ſe in capite proprio deferre noluit, ſed etiam ab aliis Religioſis ſuis portari prohibuit. O ingens, & profunda humilitas! ô Franciſce, meritò tibi debetur glorioſus ille minimi titulus. *Non eſt inventus.*

6. Olim apud Hebræos minimum eſſe per ſinapis ſimilitudinem exprimebatur, cujus granum *ex omnium minimis unum eſt.* Et ut Maldonatus ſcribit: *Cum aliquid valde parvum eſſe ſignificabatur, grano Sinapis ſimile eſſe dicebatur.* Unde non exiſtimo ineptam fore comparationem; ſi Franciſcum grano ſinapis æqualem eſſe oſtendero, idque eo majori cum jure, quod ambo minimi nomine appellentur: *Quod minimum eſt omnibus ſeminibus.* Poſtea verò in tantam magnitudinem excreſcit, ut fiat arbor, in cujus latè protenſis ramis aves cæli libenter habitant: *Cum autem creverit, factum eſt majus omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres habitent in ramis ejus.* Qua de re ſanctus Pater Auguſtinus loquens dixit: *Granum ſinapis magnum eſt non ſpecie, ſed virtute?* quod eſt idem, ac ſi dicerem, *magnum eſt non ſecundum quantitatem molis, ſed virtutis.* Inter omnes creaturas rationales Franciſcus de Paula ſe minimum reputavit, non ſolum, quia in regione quadam modica, & vili natus fuit, fuitque filius Jacobi Martolillæ, & Viennæ de Friſcaldo conjugum quidem honoratorum, ſed humilis conditionis: verum etiam, quia minimè, & abjectiſſimè de ſemetipſo ſenſit, ſeſe inter minores æſtimando minimum? & profectò aptè ad ejus indolem, & inclinationem locutus fuiſſet, qui ei dixiſſet: *Minimus es omnibus hominibus.* At verò deinceps Deus voluit, ut inſtar ſinapis *creſceret, & fieret major omnibus,* vel ſaltem in ſanctitate, & meritis nequaquam inferior multis aliis maximæ ſanctitatis viris. Ipſe namque velut arbor crevit, & religionis ſuæ ramos in omnes Europæ partes extendit, imo ab Oriente ad occaſum? *Factus eſt arbor,* in qua non aves cæli, ſed tot, & tot millia ſervorum DEI, Prædicatorum celebertimorum, Theologorum inſignium & Prælatorum *habitant in ramis ejus, id eſt,* exponit Syriaca, *obumbrantur in ramis ejus,* ſubque ejus regula, & inſtituto ſanctiſſimè vivunt? adeò ut cum magno ſanctæ Eccleſiæ Doctore Auguſtino dicere poſſim, quod *Franciſcus licet minimus fuerit, magnus tamen non ſpecie, ſed virtute.* Et ſi nonnemo ſapienter affirmavit, quod *bonum non eſt in magno, ſed in bono magnum eſt,* ego ſervatâ proportione dicere potero, quod *optimum non eſt in maximo, ſed in minimo optimũ eſt, & maximum,* in omni genere bonitatis, & magnitatis motalis.

Syriaca.

Scaphaus apud Euſeb. l 2. de arte vol. cap. 88.

7. Illis, qui in noviſsimo judicii die ad dexteram collocabuntur, & ad præmia remittendi ſunt cœleſtis paradiſi, Dei Filius repetet, & exponet charitatem, quam in hac mortali vita erga ipſum exercitatunt dicendo: Quando me vidiſti famelicum, & ſitibundum, nudum, & infirmum peregrinum, & incarceratum, promtum neceſsitatibus meis attuliſti ſubſidium. Et quidem tametſi hoſce charitatis actus in propriam perſonam meam non exhibueris; veruntamen *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Ecquinam ſunt hi fratres Salvatoris? Non auditis? Minimi. *Fratribus meis minimis?* Verum enimvero, ex quo Chriſtus magnus imò maximus eſt, Princeps omnium Principum, Dominus dominantium, Rex Regum, & Deus univerſi, magnus, excelſus, ſublimis, qua ratione cum eo, qui minimus eſt, habere fraternitatem aliquam poterit? Ecce Franciſcum glorioſiſsime ſublimatum, & magnificatum, ſiquidem ab eo quod eſt eſſe minimum, in tantam fuit altitudinem ſublimatus, ut Dei Filius eum eodem loco, & gradu habuerit, quo haberi ſolet frater à fratre. Unde Chryſoſtomus: *Quid vis; ſi fratres tui ſunt, quomodo minimos eos appellas?* Imò verò, quia minimi ſunt, ideò dignitatem hanc, & excellentiam quam maximè merentur: *Imò ideò fratres, quia humiles, quia abjecti.* At verò videor mihi adhuc profundius latens penetrare myſterium, nam dum verba Domini bene conſidero: *Quamdiu feciſtis uni ex minimis meis fratribus, mihi feciſtis.* Videntur mihi minimi incomparabiliter majora

Matth. 25. v. 40.

Chryſoſt. to. 2. in Matth. c. 25. hom. 8. fol. 140. col. 1. B.

majora accipere favorum incrementa, adeò etiam, ut idipsum credibilitatis excedere limites videatur: *Mihi feciſtis quod minimis feciſtis*? Ergone minimus & Deus una erit, & ipſiſſima entitas? adeò ut minimus cùm divinitate in eodem ſit ordine, id eſt, ut vel Deus fiat minimus, aut vero minimus mutetur in Deum? ſed verendum inquies ne iſthæc exaggeratio juſtos nimium terminos excedat. Scio equidem quod magnus Macedoniæ Monarcha Ephæſtionem ob raras ejus qualitates alterum Alexandrum, dicere, atque cenſere dedignatus non fuerit, quando Silig Gambem Darii Regis matrem Epheſtionem loco Alexandri venerando erraſſe ſe credentem Rex manu appræhenſam in pedes levavit dicens? *Non erraſti Mater; nam & hic Alexander eſt*? ut refert Quintus Curtius? veruntamen quod inter aliquem minimum, qualis Franciſcus erat, & ejuſmodi magnatem, qualis Deus eſt, *excelſus Dominus*, inquit Prophetа, talis intercedat correſpondentia, ut ambo unius, & ejuſdem ſint identitatis, exceſſus quidam eſt, qui duntaxat profundæ cuidam humilitati attribui poteſt: *Habent hoc minimi*, inquit Scriptor quidam ſolemnis, *quod ſupergrediantur ipſos terminos naturæ*. Speculatio quidem hæc eſt, veruntamen ſuper Evangelicam veritatem fundata, quæ Dionyſio Carthuſiano attribuitur, qui dicit: (*id eſt minimi*) *ſunt corpus meum myſticum, & caro mea, & tam grata habeo bona eis facta ac ſi mea perſona eſſent exhibita*. Quo etiam ſenſu ſanctus Bernardus ad humilitatem nos exhortans, dicebat: *Per humilitatem ad ſublimitatem aſcenditur, quia hæc eſt via, non alia præter ipſam. Chriſtus enim cum per naturam divinitatis non haberet quo creſceret, vel aſcenderet (quia ultra Deum nihil eſt) per deſcenſum, quodam modo, ut creſceret invenit.*

Q. Curt. lib. 3. de rebus Alex. Magni fol. 46.

Didacus de Baza t. 1. de Chriſto. fig. l. 3. c. 1. §. 7. Dionyſ. Carth. in cap. 25. Matth. a. 60. fol. 2. 11. C. D. Bern. t. 1. ſer. 2. de Aſcenſ. fol. 252.

8. Etenim ſi verum eſt quod Deus honoret, & excellentias non diſpenſet ut alii hujus mundi homines, id eſt, reſpiciendo ad proprias paſſiones, ſed juxta meritorum exigentiam, ad hanc veritatem in me confirmandam ſcire percuperem, quidnam in ſancto Petro cæteris Apoſtolis excellentiæ fuerit ut per illam ſe maxima, quæ in mundo eſt præeminentia, qualis eſt ſummus Pontificatus, dignum reddiderit: Imò præ omnibus aliis illa dignitate indigniſſimus non immeritò videri poſſet, ob graviſſimos ab eo commiſſos errores, quando trina vice paſſionis tempore Filium Dei negavit. Tandem verò poſtquam cauſam hujus intra memetipſum nonnihil profundius ſcrutatus fuiſſem, menti meæ obvenit tertia illa manifeſtati, quam Chriſtus poſt glorioſam ſuam Reſurrectionem de ſemetipſo fecit, quando poſt habitam ex pane, & piſce reſtaurationem Chriſtus Petrum ad ſe vocatum interrogavit dicens: Joannes 21. verſu 5. *Simon Joannes diligis me plus his*? Cui ipſe prompte quidem reſpondit: *Etiam Domine? Tu ſcis quia amo te.* Sed an æque aptè, valde dubito: Neque enim mihi videtur quod ad interrogationis punctum propriè & accuratè reſpondeat? non enim Dominus ipſum ſolummodo an diligat, interrogat, ſed an plus aliis diligat? Non enim tantum dicit, *diligis me*; ſed addit: *Diligis me plus his*? Etenim quod diligat, jam Chriſtus de facto ſupponit, nam quoad ſubſtantiam amoris, id eſt, quoad amare nequaquam dubitat, ſed circumſtantiam ſolummodo ſcire deſiderat, id eſt, *an plus his*? Petrus autem quod hanc attinet, ſive quod propoſitionem non intellexerit, aut verò quia reſpondendo turbatus, aut confuſus fuit, plane ſubticuit. Ergone tanti intererat dicere: *Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te plus his*? Cum Petrus idemmet ille ſit qui in ultima cœna affectuoſiſſimum, & animoſiſſimum ſe præ omnibus aliis oſtendit, dicendo: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor*, cur modò amorem ſuum cujuſvis alterius amori prævalere non declarat, dicendo: *Diligo te plus his*? Utique? ô Auditores, ſanctus ſeniculus cognoſcebat, quod ly *plus his* prælationem diceret, & ſuperioritatem ſuper alios, atque ideò tanquam is, qui de ſemetipſo humiliter ſentiebat, nemini ſe, quod attinet bene volentiam erga magiſtrum, ſuperiorem demonſtrare voluit, quin potius minorem, & inferiorem ſe omnibus fecit, ac proinde dicit: *Tu ſcis, quia amo te*? non tamen addit *plus his*. Hinc ergo Chriſtus motus fuiſſe videtur, ut diceret, itanè ô Petre? adeò humiliter nunc de temetipſo ſentire didiciſti? Humilitas hæc, qua te omnibus poſtponis, meretur, ut ad talem evehatis dignitatem, & præeminentiam, qua omnibus, qui in mundo ſunt, anteponi poſſis, atque ideò ex nunc Papam te eſſe volo, Vicarius meus eris, id eſt, alter ego, & quidam in terra Deus: *Paſce agnos meos, paſce oves meas*, idque ut Cardinalis Toletus ingenioſe animadvertit: *Ut humilitatem ejus Dominus omnibus manifeſtaret.*

Joan. 21.

Tolet. ibid.

vet, quod jam cæteris non se præferret. Demonstrare itaque Christus voluit, quod meritum humilitatis Petro dignitatem contulerit Papatus, quodque ex eo, quia se quovis alio inferiorem agnovit, Deus ipsum super omnes alios evexerit, unde hoc axioma deduci facile potest, quod *summa humilitati summa dignitas confinis est.* Verum enimvero attentè hic observandum est, quod tametsi Petrus se non prætulerit aliis, non tamen ideo se declarârit Minorem, vel Minimum? Non enim in aliorum se jurisdictionem ingerere, sed humilitatem Fratris Minoris Francisco Assisinati, humilitatem vero Minimi Francisco de Paula relinquere voluit. Atque ideo, quod si Petrus eo solo, quia se aliis non prætulit à Christo tanta dignitate, quanta Pontificatus esse censetur, dignus judicatus fuit? necessum est ut Franciscus de Paula, qui se ad inferiorem humilitatis gradum demisit, qualis est Minimum esse, æstimari velle (imo qui in litteris suis hunc in modum se subscripsit: *Frater Franciscus de Paula Minimorum servorum Iesu Christi benedicti Minimus*) si humilitas celsitudinis mensura æstimanda sit, dignitate quadam tali, quæ Papatu Petro collato longe superior sit, remuneretur. Atque ideo Deus illum sibimetipsi similem effecit, & quasi per gratiam, & participationem alium quendam Deum, siquidem Papatu nulla præter hanc reperitur alia dignitas superior. *Quod uni ex Minimis meis feciſtis mihi feciſtis. Summa humilitati summa dignitas confinis est.* Ac proinde hujus tam eximiæ Francisci humilitatis honorem emblema quoddam erigatur depingendo in corpore Emblematis unam nullam scilicet O cum hac subjuncta epigraphe: *Addito Minimo Maximum fiet.* Nam postquam Sanctus Franciscus, qui in humilibus & quasi nihil æstimatis natalibus oriundus, ac proindæ nullæ similis erat, Minimi titulum ex humilitatis syncerae motivo sibi adscivit, adeo factus est Maximus, ut dici possit: *Non est inventus similis illi.*

Ottho Petruce. Senen. in opusc. S. Francisci de Paula & præcipue in Epistolis omnibus.

Picinel. l. 19. c. 7. fo. 462. n. 15.

9. Porro magnus Dei servus probè sciens, quod, ut Sanctus Hieronymus inquit, virtutes sine charitate, non sunt censendæ virtutes: *sine charitate virtutes cætera non putantur esse virtutes* (Unde motus Apostolus salutare hoc nobis monitum dedit, scilicet, ut *Omnia nostra in charitate fiant*) In sacræ Religionis suæ vexillis hoc symbolum *Charitas*, ex industria elegit, quasi subditis suis cum Sancto Paulo diceret: *Super omnia hac Charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Id est, sciendum vobis est, quod paupertas vestra, castitas, obedientia, jejunia, disciplinæ, & abstinentiæ vestræ monetæ quædam sint, quæ, nisi obsignatæ sint forma charitatis, nullius apud Deum sint valoris: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas* (dicebat Doctor Gentium) *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Hanc igitur Franciscus coram oculis suis semper habebat. Nihil unquam loquebatur, nisi in ore habendo charitatem? sive præciperet, sive rogaret, sive ipsemet operaretur, semper, & ubique charitatem ingerebat, discipulis suis cum Joanne dicendo: *Filioli, diligite alterutrum, & omnia vestra in charitate fiant.* Nec mirum? nam quantum Charitas discordiæ adversatur, tantum cum concordia, & pace confœderata esse noscitur? Quisquis enim veram charitatem habet, eandem non nisi in concordia, obsequia, & favores valet adhibere? quo sensu locutus est ad Colossenses Sanctus Paulus Apostolus dum ait? *Super omnia autem hac charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis. Et Pax Christi exultet in cordibus vestris.* Quibus verbis inferre velle videtur, quod ubicunque charitas est, pax quoque floreat, & concordia? prouti notavit Doctor Angelicus ibidem, dicens: *Ex charitate mox oritur pax.* Unde sicut Sanctus hic Patriarcha charitati plantandæ, fovendæ, & propagandæ studebat, ita quoque pacis stabiliendæ erat studiosissimus. Contigit quod suo tempore duo germani fratres propter morum arborem in graves inciderent rixas, & discordias, eo quod quilibet illorum illam suam esse prætendebat. *Sanctus* Patriarcha charitate motus, ne litigia in majora mala degenerarent, *Optans lites tollere*, ad orationem se recepit, eaque finita ad arborem conversus eidem ut sese per medium, divideret præcepit: *O Creatura Dei, ego Minimus servorum ejus, in nomine sanctissimæ Trinitatis impero tibi ut componas litigia inter istos duos Dominos temporales.* Et subitò arbor illa in duas divisa est partes æquales *ut quisque dimidium habuerit.* Et ecce mox sopitæ sunt omnes discordiæ, præcisa est via omni hostilitati? extinctus, & suffocatus fuit illico omnis ignis, è quo alias oboriturum erat magnum, & inextinguibule incendium. Hi sunt effectus à quibus, *tanquam à posteriori*, conjici poterat fervor charitatis Franciscum accendentis, charitatis inquam, quæ in ejus sculpta erat corde, impressa autem in verbis & opere:

1. Cor. 13. Ad Col. loss. 3. n. 14.

1. Cor. 13.

Opusc. c. 4. Apoph. fol. 14.

Ad Col. loss. c. 3.

D. Th.

In Colloq. famil. c. 2. fol. 96.

Omnia vestra in charitate fiant. Non est inventus.

10. Alio quodam tempore accidit, quod sanctus Patriarcha summo Pontifici Sixto IV. ad nutum obtemperaturus, Galliarumque Regi Ludovico XI. qui illius in Gallias adventum persæpe, & instanter valde sollicitaverat, gratificaturus navi se commiserit in Gallias trajicienti : ubi autem in portu Massilienſi appulissent, custodes, seu excubitores portus illius contagium, aut alium aliquem sinistrum eventum metuentes, omnem in hoc operam adhibuerint, ne ullus eorum, qui in navi erant, exonerari, aut littori appropinquare præsumeret, tametsi id omnes vehementissimè cuperent, & instantissimè ab excubitoribus sibi indulgeti postularent. Tandem FRANCISCUS in navis puppim conscendens elata voce clamavit, & dixit : O Massilienses, quid est quod timetis? Non est quod vel minimum malum à nobis formideris, nihil enim funesti in civitatem inferemus, Deus enim nobiscum est, ac proinde exitum nostrum impedire nolite. Illum in so cietate nostra DEUM habemus, qui nullius mali est bajulus, sed omnis boni dator, & collator munificentissimus : *Deus est nobiscum, permittite nos intrare, quia nihil mali vobis afferemus.* Quisnam ex vobis, O Auditores, hosce veros fuisse charitatis suæ effectus, seu potius excessus inficiabitur? *DEVS est nobiscum, Deus charitas est*, atque ideo, si Franciscus Deum secum habet, cor suum charitate plenum possidet. Urbem Massilienſem fortiter animat, & à cujusvis mali timore, & suspicione securos esse jubet : *Permittite nos introire, quia nihil mali vobis afferemus.* Ab animis Massilienſium omnem timorem pellit, quod charitati propriè, tanquam effectus principalis, competit, affirmante id sancto Joanne 1. Joann. 4. v 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Narbonenſis esset, navisque, qua vehebatur, obvios haberet pyratas, Navarchus animo concidens dicebat, *Perditi sumus :* Sanctus autem fortes nautis aliisque in navi constitutis viatoribus animos suggerens, bono illos animo esse, nihilque penitus timere jussit, eo quod nullum prorsus damnum, aut periculum passuri essent : In cap. 5. Proph. fol. 166. *Per charitatem, ne vos tam cito exanimemini? bono animo simus omnes, ac firma spe in Domino confidamus, quia nullus ex nobis peribit.* Ergone tanta est Franciſci Magnanimitas, ut nec ipsos Pyratas in mari reformidet? Quid si insultum intentare, & prælio navem aggredi præsumpserint, nunquid navis aut vitæ, vel etiam utriusque jacturam formidabunt? sed quomodo (si cor Franciſci instructissimum quoddam erat charitatis armamentarium) ab ullis timoris anguſtiis invadi, aut corripi potuit? *Perfecta Charitas foras mittit timorem.* Unde omnibus aliis præ timore trepidantibus solum Franciſci generosum pectus timorem omnem excludebat, quia præ cunctis aliis ardentissima charitate flagrabat, in qua non fuit inventus similis illi.

11. David erroris à se commissi enormitatem recognoscens, coram DEO se in culpam desuper constituit, & egregios contritionis actus eliciendo pectus suum percussit, dicens: *Tibi soli peccavi. Tibi soli?* Ergone tibi videtur quod solum Deum offenderis? Nunquid per te mortuus est Urias innocens? Nunquid is tuo jussu trucidatus est? Nunquid Jacob Exercitus tui Duci literas scripsisti, quibus illum in prima acie interimendum collocari jubebas? Nec tamen mortis hujus boni militis, qui tibi in prælio adeo fideliter servierat, te reum pronunciabis, sed tantum dicere audebis: Tibi soli peccavi? *Non dicit se injuria ulla Vriam affecisse.* Et alias subjungit: *Quid est, quod David DEO dicere ausus sit : Tibi soli peccavi, cum etiam in homines peccaverit, cum immeritum Vriam infide trucidari jusserit?* Breviter dicam quod res est : Tametsi David Uriam injuste occidi jusserit, ipse tamen nullum se in personam Uriæ errorem commisisse credebat, eo, quod ejus Patronus, Dominus & Rex esset, firmiter sibi persuadens, quod absolutum habeat dominium de subditis suis pro libitu arbitrio suo statuendi, eosdem etiam nulla data causa interficiendi, idque absque ullo culpæ reatu, vel minimo Conscientiæ scrupulo, absque eo quod subditi se injuste oppressos, aut ad gravatos esse lamentari ausint, vel possint. Est enim apud multos Principes axioma certissimum, quod scilicet, subditos suos vexare, opprimere, anguſtiis, & ærumnis afficere possint, prout eis bene visum fuerit, deprædando eorum facultates, invadendo eorum honorem, & famam, imponendo tributa, telonia, gabellas, & datias ad suum beneplacitum, imo etiam occidendo illos, si ei, quem sibi proposuerunt, pessimo fini resistere, aut impedimentum ponere præsumpserint. Imo insuper prætendunt, quod subditi per ejusmodi illatas injurias, & graves oppressiones se aggravatos, aut offensos esse

nequa-

In opus. 6. Fran. Apopht. c. 1. f. 142.

1. Ioan. 4. v. 8.

Ps. 50. 6.

Patres Graciin comm. cordet. & Didac de Cel in c. 3. Ruth. v. 9. fol. 370. col. 1. n. 3.

nequaquam lamentari, aut conqueri possint, eo quod ipsorum absoluti, & supremi sint Domini: Qui autem Dominus est, de re quavis, prout placuerit, disponere possit, præsumentes, quod in ipsis *stet pro ratione voluntas: sic volo sic jubeo.* Et, quod deterius, nemo etiam Confessariorum, aut Patrum spiritualium contradicere, aut ex charitate movere se debeant ad aperiendum illis, in quo, & quanto errore versentur, sed potius cuncti obligati sint omni charitate, & conscientia postposita illis adhærere, & in eorum iniquos procedendi modos consentire sive ex timore, sive ex motivo non amittendi gratiam sibi tanta cum servitute comparatam. Hinc ergo nascitur, quod Princeps se id faciendo non peccare existimet, sed potius licitè se facere, quidquid libuerit: Hæc erat Davidis opinio, quando dicebat *Tibi soli peccavi*, quasi diceret: Non existimo me Uriæ personam offendisse, multo minus Bersabeam consortem suam, quia hi mei subditi sunt, ego autem absolutus illorum Dominus, quia proinde de illis prout libuerit disponere possum, in mea est potestate vitam & honorem illis indulgere, aut vero eripere; quod si autem se hac in re gravatos esse sentiant, habeant patientiam; nam Rex ego sum, & hoc sufficit. Ultra hoc nemo sit, qui mihi contrarium dicat, aut se opponat; ac proinde: *Tibi soli peccavi; quia nullus hominum eum increpavit*, inquit Hesichius. Nullus erat, qui ex charitatis motivo, ipsi vel unum verbum dicere præsumeret, adeo ut necessum fuerit, ut Deus super ipsius facinoribus commoveretur, & Nathan Propheram ad illum mitteret, qui per adhibitam ovis parabolam sensim paulatim charitatis adhiberet officium cum admonendo, & corrigendo: *Reliquis omnibus ei tanquam Regi indulgentibus, & peccatum silentio contegentibus, Deus misit Nathan, & nefarium illud scelus reprahendit*; Concludit idemmet Hesichius.

Hesych. in Cat.

12. Non ita Ferdinando Regi Neapolitano accidit, à quo cum Vir Dei pro fabricando juxta palatium regium Monasterio situm commodum obtinuisset, post actas ei solemnes ob præstitum favorem gratias tandem subjunxit: Ego O Rex, tanquam subditus tuus, non possum, nec debeo tacere in eo, quod concernit Dei honorem, animæ tuæ salutem, ac subditorum tuorum beneficium, & commodum: Te itaque multis debitis obstrictum esse probe scio, curandum tibi est, ut ab omni ære alieno te expedias, nec deinceps solutionis dilatione creditores tuos opprimas, & divexes. Ottho Petruccius senen. lib. opusc. Sancti Francisci in Prophetiis fol. 164. Et lib. 1. cap. 8. §. 7. ibid. Notat. *Procures statim solvere quod debes, quia displicet Deo cum Principes destruunt bona sua, & credat mihi Altitudo tua, quod alterum semper clamat ad calum.* Rex se nullo ære alieno obnoxium esse Francisco respondit, ac proinde se nulla quoque restitutione obligatum teneri. Non? replicabat Franciscus? Nunquid contributiones dariæ, gabellæ, aliaque similia onera, quæ Majestas vestra subditis suis imponit, sanguis sunt hominum pauperum? Nunquid igitur in conscientia tua ad illas levandas, & ad eorum, quæ hactenus ex iis indebitè tibi usurpasti restitutionem faciendam te obstrictum esse censebis. *Impositiones, & gabellæ, quas quotidie exigi facis à tuis subditis, sanguis pauperum sunt; ea restituere debes.* Et quidem si id credere regiverseris, per ipsammet experientiam tibi id verum esse comprobabo. Date mihi monetam. Rex itaque illi scutum dedit argenteum; Quod in manus acceptum sanctus facili negotio per medium confregit, sanguinemque ex ambabus scuti confracti partibus stillare manifestè ostendit; *Sanguine undequaque stillante dixit Regi: sanguis pauperum est hic, qui clamat in calum.* Nullus Davidem Regem reprahendere ausus fuit; nullus hominum eum increpavit propter occisum Uriam. Nullus Regem Neapolitanum de oppressione pauperum monere præsumpsit; solus Franciscus charitate instigatus sublata à vultu larva libere loquitur, & sine ullo respectu aut metu, quasi diceret, *Charitas Dei urget me.* Nathan cum dexteritate processit, & ne Regis defectum præpropere nimis ei aperiret, adhibuit parabolam, & prius cautè, in qua dispositione animus Regis constitutus esset, consideravit, timens ne forsitan Regis contra se irritaret furorem, aut iracundiam. Franciscus autem tot tantisque cæremoniis minime est usus, cum omni synceritate ipsum Dei nomine est allocutus, verba non ponderat, neque Regem offendere formidat, porrectam sibi monetam coram facie regia frangit, pauperumque inde stillantem sanguinem eum perspicuè videre facit. Nec timuit aliquam ob id à Rege sustinere mortificationem, aut reprahensionem, nequaquam, quia *Charitas Dei*

urgebat eum; & charitas foras mittit timorem. O insignis Francisci charitas erga Regem, erga pauperes, erga Deum. *Non est inventus similis illi.*

13. Verissimum igitur nunc esse experior id, quod de charitate affirmavit Richardus à sancto Victore, dicens: *Charitas valens ad omnia, & omnibus prævalens.* Nihil enim adeo arduum, aut difficile erat, quod Franciscus sola Charitate præstare facillimè non poterat, prout in pauculis eventibus sequentibus videre licebit.

Rich. de S. Victore.

Quis enim saxo cuidam immensæ magnitudinis, quod ab altissimo quodam monte cum evidenti periculo damnificandi, & loca, & gentes bene multas in valle habitantes præceps ruebat, quis, inquam, huic ne damnum inferret, præcipere potuit? Potuit idipsum Franciscí charitas *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quisnam sex nuces castaneas in terram plantando efficere potuit, ut eædem subito in totidem proceras arbores excrescerent, ut hac ratione viro de totidem arboribus castaneis in obsequium fabricæ cujusdam à sancto succisis satisfieret? Id facere prævaluit charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quisnam trabem aliquam curvam, & distortam ad hoc, ut pro sustentaculo Ecclesiæ quæ Paterni ædificabatur, apte quadraret, rectificare, & prout opus erat extendere potuit? Fecit hoc Francisci charitas, *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quisnam necessitati, & egestati Monasterii in defectu lignorum ad ignem conservandum necessariorum prospexit, lignaque adeo multiplicavit, ut in multum usque tempus sufficerent? Præstitit idipsum charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quisnam ingens illud incendium, quo in campis vineæ, frumenta, blada, & arbores conflagrare cœperant, extinxit, & sedavit? Charitas Francisci hoc fecit, *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis ignem, & carbones accensos manibus contrectare, & versare potuit haud secus ac si extinctus in eis ignis fuisset? Potuit hoc facere Francisci charitas, *valens ad omnia & omnibus prævalens.*

Quis pallium suum ab Hæreticis ex contemptu in ignem, & flammas projectum ne vel minimum læderetur, conservare potuit? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis aquam quandam stagnantem, & putridam, quæ malo fœtore suo aëra contaminabat, & fabricæ monasterii non sine præjudicio sanitatis illud incolentium, impedimento erat, alio divertere potuit? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis Melazzi in Sicilia in Conventu aqua dulci ob maris viciniam destituto, puteum fodere, ex eoque aquam suavem, salutarem, multisque infirmitatibus miraculosè proficuam, extrahere valuit? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis instar Moysis petram quandam baculo suo percutiens efficere potuit, ut Paulæ aquæ limpidissimæ, & chrystallinæ scaturirent torrentes? Francisci charitas *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis ad sedandas lites, quæ inter duos vicinos, ob aliquorum rivulorum decursum, quibus possessiones damnificabantur, oborræ fuerunt, præcepit ut alio cursum deflecterent, & retrorsum ad flumina sua, unde manabant, reverterentur? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis vinum eousque in penuario defecisse intelligens, ut pro toto Aprilis mense vix sufficeret, adeo copiosè idipsum multiplicavit, ut nec Religiosis deinceps, nec pauperibus, nec Monasterii operariis unquam defecerit? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis Salvatorem in panis multiplicatione imitatus, decem panibus magnæ cuidam pauperum turbæ pro subsidio quotidiano ad Monasterii fores concurrenti abundè providit? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis maximam quandam vesparum multitudinem aëra adimplentem; operariosque ne in expoliendis pro ornamento Ecclesiæ lapidibus progredi possent notabiliter impedientem alio amandavit, & ab illo loco exulare præcepit? Francisci charitas *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis magnam serpentum multitudinem manibus apprehendere, atque ad integrum milliare in manicis suis deferre potuit, ut laboratores, qui illos viderant, offendere non valerent? Francisci charitas *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis

Quis truttam piscem à Viro Dei cicuratum, eique adeo perfamiliarem, ut illam ex nomine Antonellam vocaret, cum è vivario erepta, cocta, sive assata viro sancto apponeretur, eandem manu illi abblandiendo ad vitam revocare potuit? Potuit Francisci charitas *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis Agnellum jam coctum, & manducatum, pelle quoque ejus in fornacem ardentem projecta & consumpta, illum hisce verbis advocando Martinelle huc adsis, huc adsis Martinelle, vivificare iterum potuit, & efficere ut ad os fornacis intactus iterum, & illæsus, vivusque compareret? Francisci charitas id facere potuit, *valens ad omnia, in omnibus prævalens.*

Quis efficere poterit, ut sanctus Vir fornacem quandam ardentissimam, in qua lapides in calcem excoquebantur, ingrediens, ab ejus activitate, nec in vestimentis, nec in pilo quidem, multo minus alio membro lædi potuerit? Effecit hoc Francisci charitas, *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis Virum Dei sanctum una cum sociis suis in palliolo super mare strato consistentem, per mare prospero itinere, & majori cum securitate quam in navicula quadam ad portum usque Messanæ trajicere poterit? Poterit Francisci charitas *valens ad omnia, & omnibus prævalens.*

Quis mulieribus sterilibus spem pariendi dare poterit, prouti Simonis Limenæ conjugi, & aliis accidit? Quis filiolo cuidam, qui monstrosus natus fuerat, membrorum distinctionem, & perfectionem vultus dare valebit? Quis reddere sanitatem infirmis, mundare leprosos, hydropicos curare, ab altitudine pinus cujusdam lapsum illæsum conservare, crura fracta illius qui ab altitudine quadam præcipitatus in terra moribundus jacebat, pristino statui restituere, multis loquelam reddere, Dæmones ab humanis corporibus ejicere, multos denique mortuos resuscitare poterit? Quis, quis, inquam, tot, tantaque prodigia operari prævaluit, præterquam sola Francisci novelli Thaumaturgi nostri charitas? Charitas Francisci *valens ad omnia, & omnibus prævalens. Non est inventus similis illi.*

PARS SECUNDA.

1. GLoriosus hic sanctus in tribus præcipuè virtutibus singularis & eximius fuit; Nimirum in Humilitate, quia nullus alius Religionis alicujus fundator nomen Minimi sibi vendicavit. In charitate, quia nullus illam veluti solemne symbolum, & peculiare trophæum suum in signillis, armis, & vexilis, expressam detulit. In abstinentia denique, quia nullus alius adeo rigorosam austeritatem exhibuit, se & subditos suos ad quartum perpetuæ Quadragesimæ, & inviolabilis à carnibus abstinentiæ votum arctissimè obligando. De primis duabus virtutibus hactenus legimus, de tertia vero, id est, de abstinentia à carnibus nonnullas particularitates in præsenti adjupgemus, inquirendo rationes, cur Vir DEI Sanctus se, suosque Religiosos voto adeo rigido simul obligare voluerit. Fortene ideo, quia Apostolus ad Romanos scripsit: *Bonum est non manducare carnem*, quia inde mortificatur sensualitas carnis, & major acquiritur vigor Spiritus? Vel ideo, quia Clemens Romanus dicit, quod per abstinentiam à Deo omnis gratia impetretur? *Quæ à Deo petitis, jejunando petite.* Unde tot à Sancto Francisco leguntur patrata prodigia, ut meritò de eo dici possit? *Non est inventus similis illi.*

Ad Rom. 14.

Clemens Romanus.

15. Verum enimvero mea quidem opinione Sanctus Vir Dei quartum votum abstinentiæ à carnibus eo fine præcipue instituit, ut Religionis suæ perpetuitatem tanto magis stabiliret, securamque redderet. Pro cujus intelligentia attendendus est sequens sacræ Scripturæ locus. In primo Regum libro legitur bellum quoddam crudele inter Israëlitas, & Philisthæos fuisse obortum, in cujus actuali prælio, Israëlis exercitus infelicissime pugnavit; nam ab hoc prælio, tota domus Eli sacerdotis in præcipitium, & ruinam sui totalem pervenit. Duo enim filii ejus in prælio occubuerunt. *Duo filii Heli, Ophni, & Phineos mortui sunt.* Mox ut triste hoc nuntium Heli sacerdos accepit, adeo turbatus est, ut cum esset annorum nonaginta octo in throno sedens, retrorsum cadens facta cervice mortuus fuerit. Hi demum funesti casus ut ad aures nurus suæ pervenerunt, illa quoque tanto mœrore inde correpta fuit, ut paulò postquam enixa fuerat, morte suam quoque vitam clauserit: *Irruerant enim in eam dolores subiti; in ipso autem momento mortis ejus, &c.* Ecce totam domum adeo illustrem penitus extinctam! Ecce integram quandam familiam in tam brevi tempore deficientem, domum illam, quæ æternitatis privilegiis gaudere debebat, adeo subitò terminatam, & suppressam. Quis illis crura, quibus tam firmiter

1. Reg. 4. v. 19.

miter ſubſiſtere videbatur, ſuccidit? Tertullianus ex ſacro textu ideo hoc factum eſſe deducit, quia carnibus manducandis dediti fuerunt: *Dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eum in lebetem, & omne quod levabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi.* Ex manducatione carnis, nata eſt ruina, & deſtructio domus Heli, & filiorum ſuorum, imo totius familiæ: *Filii Heli in acie ruunt, nurus exſpirat in partu; hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens, ſacrificiorum carnalium defraudatrix*; Ac proinde domus Heli, *quæ carnibus inhiabat, ut epulas ſibi copioſas pararet, non potuit ſtare, ſed funditus fuit diſſipata.* Franciſcus igitur qui Religionis, Domus, & familiæ ſuæ perpetuitatem deſiderabat, carnem à ſe ſuiſque domibus ſequeſtrat, illamque omnibus Religioſis ſuis prohibet, vultque ut perpetuæ obligationis quarto ſolemni voto ad abſtinendum à carnibus ſeſe adſtringant. *Quarto eos voto adſtrinxit.*

Tertull. l. adverſus Phyſicos.

In Brev. Roman.

46. Sanctus etenim Vir Dei nequaquam de illorum Superiorum numero fuit, de quibus Salvator ait: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum digito autem ſuo nolunt ea movere*, ipſe namque præ omnibus aliis filiis ſuis hujus quarti voti obſervantiſſimus fuit: (*ibi abſtinentia fuit admirabili: ſemel in die poſt ſolis occaſum reficiebatur, & ad panem, & aquæ potum vix aliquid ejuſmodi obſonii adhibebat, quo veſci in quadrageſima licet.* Et id quidem tanquam Superior, & caput Religionis facere omnino debebat, id quod quædam ſcripturæ loca pulchrè declarant. Jonathan ad Sichemitas peroraturus Metaphora quadam, ſeu Apologo uſus eſt ab arboribus deſumpto, quæ de capite quodam eligendo, quod omnibus præcipere poſſet, ſollicitæ erant; Et primo quidem viſum eſt illis eligere Olivam arborem, quæ dignitatem per illa verba: *Impera nobis*, ſibi oblatam acceptare recuſavit, dicens. *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam.* Etenim ſcire percuperem, quamnam ſuperioritas cum pinguedine repugnantiam habeat: potius enim apud nonnullos eſſe pinguem, & craſſum præcipuum eſt meritum quo ſe ad aſſequendam ſuperioritatem dignos efficiant, atque ideo non exiſtimarem, quod ad hoc, ut aliquis caput fiat, aliiſque imperet, macilentia neceſſaria ſit, ſed potius prudentia. Unde advertendum eſt, quod per *pinguedinem* menſa lauta intelligatur, cibis pinguibus, pretioſis, carnibus diverſi generis, non vero quadrageſimalibus eduliis inſtructa. Sic legimus in Jobo: *Requies menſæ tuæ erit plena pinguedine*, id eſt, *Accubans menſæ lautiſſimæ, epulaberis quotidie ſplendide in incredibili bonorum omnium affluentia.* Unde Spiritus ſanctus nobis inſinuare velle videtur, quod ſuperior nequaquam ſemetipſum per lautam menſam, & copioſarum exquiſitarumque carnium apparatum incraſſare, & impinguare debeat; ac proinde oliva ſapientiſſimè reſpondit: *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam?* quaſi implicite ſimul aſſerendo, quod quiſquis velut ſuperior, & caput alios gubernat, cum ſingulari victus parſimonia, & à cibis pinguibus, & delicatis abſtinentia ſe moderari, & vivere debeat. Etenim exiſtimo quod Deus idipſum quoque Prothoparentibus noſtris perſuadere voluerit, quando dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Poſtea vero eis ſuperioritatem attribuit, eoſque omnium Creaturarum capita, & rectores conſtituit: *Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis univerſæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* Ecce igitur hic illos à Deo ſuperiores conſtitutos eſſe vides; veruntamen videamus nunc qualem illis Deus menſæ apparatum apponat, qualia illis fercula præparet, quibus cibis illos enutrire velit. Num forte delicatas illis feratum aut volatilium carnes ad manducandum aſſignavit? Nequaquam, ſed meros cibos quadrageſimales, herbas, ſcilicet, & legumina. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, ut ſint vobis in eſcam.* Quia igitur Franciſcus caput, & inſtitutor Minimum, omniumque Religioſorum ſuorum ſuperior erat, quid fecit? *Reliquit pinguedinem ſuam.* Subſtantialibus carnium cibis renuntiavit, Deoq; ſe illas nunquam guſtaturum promiſit, nec aliam ſibi deinceps curaturum ſe eſſe alimoniam, quam ſimilem iis cibis, quos Deus Adæ manducandos indulſit, herbas ſcilicet, legumina, quæ ſunt terræ ſemina, hæc inquam, ſuis præſcripſit, ut *ſint ipſis in eſcam*, Quemvis autem alium cibum, qui non ſit quadrageſimalis atque à chariſſimis ſororibus ſuis Paupertate, & Abſtinentia illis ſubminiſtratus rigidiſſime prohibuit: *Ad panem & aquæ potum vix aliquid ejuſmodi obſonii adhibebat, quo veſci in Quadrageſima licet.*

Matth. c. 23.

In Brev. Romano.

Iud. c. 9. v. 9.

Ibidem.

In Brev. Roman.

17. Satis vobis notum eſt, O Auditores, quales ignis potentia operetur effectus, quod ſcilicet ferrum conſumat, æris duritiem liquefaciat,

Iob. 36. n. 17. Ioan. de Pineda in c. 36. Iob. n. 17. fol. 500. col. 2. n. 9.

Gen. 1. v. 26.

Ibi. v. 26.

faciat, durissimosque lapides in cineres resolvat, quæ virtus illi à Deo indita est, veluti ejus congenita proprietas, & naturalis activitas, adeo ut quotiescunque materiam aliquam combustibilem sibi proximam habet, & vicinam hanc congenitam sibi comburendi, liquefaciendi, incinerandi activitatem non exserere non possit. Veruntamen rem verè obstupescendam audite: Franciscus bis calcariam, sive fornacem, in qua (ut superius in prima parte insinuatum est) ignis ardor lapides in calcem excoquit, ingressus est, & tametsi fornacis illius incendium ob intensissimum sui ardorem inferno similis esse videri potuisset, ipse tamen ab hoc ardore, ne in uno quidem capillo læsus, aut in vestimentis ambustus fuit. Quid hic tibi videtur? Ergone ignis functiones suas, & congenitam sibi activitatem non exserit? si in igne æra liquescant, durissimique lapides in calcem convertantur & pulveres, cur in eodem Franciscus intactus permanet, & illæsus? Quod si Deus igni hanc comburendi proprietatem indidit, cur circa Franciscum conformiter naturæ suæ operationes suas exequi intermittit?

18. Oportune hoc loco in mentem mihi incidit, quod Josue tempore accidisse scriptura refert: Etenim verum quidem est quod Deus in hujus universi prima creatione omnes causas secundas; quoad sunt activitates, & proprietates, perfectissimè ordinaverit, præceperitque terræ ut flores, & herbas germinaret, arbores fructus suos producerent, mare pisces subministraret, luna noctem, Sol vero diem splendore suo illuminaret, hicque ordo semper, & invariabiliter ab omnibus creaturis perfecte fuerit observatus. Imo tametsi Soli specialissime præceperit, ut continuo, sine intermissione velocissimè per cæli spatia curreret; nihilominus ex ejusdem sacræ Scripturæ relatione habemus, quod Sol Josue ut immobilis persisteret jubenti confestim promptissime obedierit, saumque cursum intermiserit, seque firmaverit: *Sol contra Gabaon ne movearis, stetitque Sol.* Num fortè Sol ex stupore attonitus immobilis factus est, eo quod homo adeo authoritative sibi imperare præsumeret? aut vero sol dubius, perplexus, & anceps remansit, nesciens an Dei præceptum cursum suum prosequendo exequendum ei esset, an vero nutibus Josue, ejusque jussis sibi esset parendum, veloces passus suos sistendo, atque firmando? Satius & proposito meo oportunius mihi videtur hanc Solis obedientiam abstinentiæ Josue attribuendam esse; nam, si Tertulliano credimus, Josue eo die cibum nullum sumpsit: *Josue bellantem Amorrhæos, non prandisse illa die existimamus.* *Tertull. l. adv. Phy-sicos. cap. 10.*

Josue. c. 10. v. 12.

19. Quod si igitur unius duntaxat diei abstinentia facere potuit, ut Sol naturalem motum suum sisteret, & intermitteret, quanto magis perpetua à carnibus abstinentia, naturalem ignis activitatem sistere, & impedire potuit, ne Franciscum intra fornacis ardores constitutum lædere, aut combureret; Abstinentia Josue Solem obligavit, ut Naturæ ordinem transiliret: Abstinentia Sancti Francisci de Paula coëgit ignem, ut propriæ naturæ instinctum, & activitatem non observaret: Et quidem si ignis respectum aliquem tribus illis pueris Misaël, Ananiæ, & Azariæ à Nabuchodonosore in fornacem Babylonicam conjectis detulit, ut hi *Ambularint in medio flamma laudantes Deum*, idque, quia abstinebant à carnibus solis se leguminibus, & aqua reficientes: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* Unde & custos ipsorum Malasar: *Tollebat cibaria, & vinum potus eorum, & dabat eis legumina.* Quæ causa fuit quod sanctus Eucherius scripserit: *Extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur. Ingesta sibi pabula circumfusus allambit, nihilque sibi licere miratur, corpora Dei timore & sacris jejuniis consecrata, & pretiosum depositum non violat, occulta Dei dispensatione.* Quanto igitur magis flammæ fornacis Paulanæ debitum sancto Patri respectum deferre debuerint, qui rigidiorem magisque severam, eamque voti perpetui obligatione, formatam abstinentiam observabat, herbis solummodo victitans crudis, legumina autem velut exquisitiora fercula nonnisi ratius corpori suo in nutrimentem adlubens? Credo igitur omninò, quod ex quo Franciscus sibi ipsi prohibuit omnia comestibilia carnis, ignis, quantumvis famelicus, vorax, & insatiabilis, ab eodem à carnibus suis velut combustibili & connaturali nutrimento abstinere dediceret, ut proinde meritò dici possit: *Vt ignis Franciscum jejunatorem vidit, scivit ignis manere jejunus.* Nisi tamen dicere potius mallemus, quod cum abstinentia continua in hoc Dei servo omnem carnem consumpserit, pelle duntaxat, & ossibus in residuo relictis, ignis cibum voracitati suæ respondentem aut proportionatum minimè inveniens, potius cum Francisco jejunare, quam pelle & ossibus, utpote abstinentiæ reliquiis, pasci & nutriri. *Dan. c. 3. n. 22.* *Dan. 1. v. 12.* *Ibid n. 16.* *S. Eucherius Lugdun. hom. 3. de Epiphan.*

Non

Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi, per humilitatem, & charitatem, & abstinentiam.

20. Felicissimi estis vos, ô Patres Minimi, qui humilitatis basi, seu fundamento innisi per meritorum incrementa, supra stellas sublimare vos potestis. Vos quidem Minimi estis, veruntamen non multum ab aqua differtis, quæ *Descendendo ascendit*, vel certè candidæ Lunæ estis persimiles, quæ tametsi in infimo omnium cælo situata existat, cunctis tamen aliis astris nobis major esse apparet, ut de illa & Minimo dici possit: *Major quia humilior.* Fortunatissimi revera estis vos, ô Fratres Minimi, qui inter omnes Christi milites, sub vexillo militatis Charitatis, quæ inter omnes virtutes primatus gloria maximè honoratur Flores quibus Monasteriorum Vestrorum viridaria, & horti efflorescere, & fragrare conspiciuntur, totum mundum in admirationem rapiunt, quia per quævis anni totius tempora in Monasteriis vestris Charitas semper purpurea viget, & floret, propter quam in oculis sæculi haud secus, ac fulgens, & rutilans quidam Carbunculus, splendetis, de quo proinde nec non & de vestra Religione dici potest: *Cunctis splendidior.* Denique ut majora toti mundo subsidia affere possitis, in vivacissimo perfectæ Charitatis Spiritu, in Doctrina Catholica, & Evangelii prædicatione Solis munia perfectissime exercetis, dum ab oriente in occasum usque quaquaversum discurrendo, nunc animatis, & excitatis fideles, nunc infideles ad veram, & orthodoxam fidem generosè convertitis, ut proinde de vestra Charitate dici possit, quod de Sole dicitur: *Oblique & ubique.* Vos, vos, ô diguissimi Magni Patriarchæ filii, glorioissima dici meremini veræ abstinentiæ trophæa. Quæ dum in vultibus vestris pallorũ suorum vexilla explicat, eo id fine facit, ut vos non tantum Dæmonibus horrificos, Inferno autem formidabiles reddat, verum etiam Dei oculis gratissimos, acceptissimosque efficiat, ut proinde vobis velut totidem Hyacinthis hæc applicari inscriptio possit: *Pallent, & placent.* Imo quasi generosæ Aquilæ, per abstinentiam quarto voto firmatam candorem quendam non solum in exteriori vultus specie, verum in interiori sinu conscientiæ induitis admirabilem, ostendendo quod fronti vestræ impressum deferatis hoc Aquilæ Hieroglyphicum, tali inscriptione notatum: *Inedia albescimus.* Denique quia ardenti Charitate pleni estis, eadem Charitas vos permoveat ad supplicandum pro me altissimo Domino, ut is mihi per sanctam gratiam suam spiritum concedere dignetur docilem, ut illum deinceps quotidiè ad majorem Dei gloriam, & animæ meæ salutem in officiis, virtutum, præcipuè vero Humilitatis, Charitatis, & Abstinentiæ exercere possim, ac valeam.

SERMO UNDECIMUS.

IN FESTO

S. MARCI EVANGELISTÆ.

Et facies Leonis à dextris ipsorum quatuor. Ezechielis cap. 1.

1. EGregiæ prærogativæ, quibus servus Dei velut opulentissimo ornatu decorus efficitur, à scriptoribus Ecclesiasticis variis modis, diversisque sub metaphoris nobis repræsentantur, nimirum, sub analogia Fontis, Fluminis, Maris, Catalli, Scopuli, Navis, Amaranthi, Rosæ, Vitis, Palmæ, Pini Cervi, Aquilæ, Petræ, Fammæ, Olympi, Auri, Solis, & plurium aliorum ejusdem generis. Et in primis quidem sub similitudine Fontis, quia servus Dei, sive aquæ adversitatum angeantur, sive eadem velut liquidum argentum prosperitatis diminuatur, inalterabilis semper & invariatus perseverat, ut de eo dici possit: *Nec auctu, nec hausu,* observans autem illud B. Laurentii Justiniani monitum: *Ne extollaris in prosperis, neque frangaris adversis, nec securitate torpescas, nec desperatione intereas.* Alii sub fluminis metaphora eundem expresserunt, quia per virtutum semitas discurrens, majorem semper acquirit Spiritus vigorem,

B. Laur. Iust. in festo S. Marci fol. 174. col. 1. n. 10.

vigorem, donec ad illius perfectionis terminos pertingat, quam consequi desiderat, ut proinde de illo verificetur illud: *Vires acquirit eundo*, illud S. Bernardi axioma ob oculos semper habens quod. *Non proficere est deficere*. Alii Dei servum sub maris symbolo proponunt, quia quantumcunque malæ fortunæ ventis agitetur, nunquam tamen ob hoc divinæ gratiæ aquis destituetur: *Nunquam siccabitur*, juxta illam Apostoli sententiam: *Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Sub Coralli similitudine etiam nonnunquam describitur, qui ex medio maris sinu tractus ad cæli aspectum in lapidis duritiem degenerat, atque ex candido in purpureum commutatur. Servus enim Dei cælum velut sudorum suorum præmium considerando, suumque exinde sanguinem fundendo ex Confessore vertitur in Martyrem, seque in fide velut lapidem constantem, solidum, & immutabilem per ipsammet experientiam comprobat. *Æthere durescit*, verificaturque proinde de eo illud dictum Proverbiorum: *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Nunc sub specie scopuli explicatur, quia à minarum ventis impeditus, aut tyrannicarum, persecutionum tempestatibus conquassatus non movetur, nec flectitur, aut rumpitur: *Nec flectar nec frangar*, dicendo cum Apostolo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Aliàs quoque navis metaphora illum exprimit, quia ad instar navigii alicujus licet a ventis tentationum Aquilonis infernalis concutiatur, velis tamen animæ suæ ab aura Spiritus Sancti ingravidatis, tempestuosum hujus fallacis mundi oceanum summa cum Spiritus felicite sulcat. *Adverso flante* præmii coronam interea patienter expectans prout S. Ambrosius scribit: *Contra Diabolum dimicanti parat Deus æternitatis coronam.* Mox Amarantus in eundem finem adhibetur, quia ad instar illius nunquam langnet, sed charitatis effectibus cum fervore se semper explicat. *Nunquam languescit*, illam Pauli sententiam verificando, qua dicitur: *Charitas nunquam excidit.* Similiter nec Rosæ multùm est absimilis, quia inter humanarum calamitatum spinas, vultu semperlæto, atque sereno esse conspicitur, ut de eo dici mereatur: *Cum lenitate asperitas*, memor enim est sententiæ Sancti Ambrosii: *Beatus, qui rigorem, & mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur.* Vitem quoque servus Dei convenienter repræsentat, quia truncatis terrenarum commoditatum ramis, magis in sanctæ Ecclesiæ vinea fructificat in operibus virtuosis: *Recisa uberior*: vel cum Apostolo: *Cùm infirmor tunc potens sum.* Item Palmam, quia quantò magis se humiliando demittitur, tantò plus à Deo ad gloriæ magnificentiam exaltatur: *Inclinata resurgit*, juxta quod Salvator noster promisit dicens: *Qui se humiliat exaltabitur.* Pino quoque similis esse servus Dei prohibetur, quia licet rudi horum terrenorum bonorum cortice exutus sit, torrenti tamen divinæ gratiæ vicinus, vigorem suum conservat, semper virens permanet: *Recisso cortice viret.*, de quo proinde illud Prophetæ Regii jure dici potest: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Sunt etiam, qui servum Dei Cervo similem esse pronuntiant, quia tametsi se nonnunquam Lassum experiatur, & defatigatum, debilitatam tamen spem suam super clementia Redemptoris restaurat. *Dant animos vires*, unde illud regii Cytharædi meritò explicat: *Factus est mihi Dominus refugium.* Aquilæ symbolum etiam nonnunquam servit, quia justus calamitatum rigorem non timet, & furoris in Tyranni pectore accensi ardoribus generosè resistit, illisque se opponit: *Nec æstas, nec hyems.* Illi S. Joannis axiomati subscribens: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Item Petræ metaphora, nam justi durities, seu generositas à persecutricis manus ferro allisa, loco vindictæ scintillas emittit: *Duritie flammescit*, illud Christi præceptum executioni mandans: *Benefacite his, qui oderunt vos.* Olympus quoque justum exactè refert, quia meritorum suorum sublimitate ad cælum usque pertingit, & quasi terræ vilitatem fasti diens, caput cælo infert stellis coronandum, sæpè etiam, aut à mundi tumultibus se subducat, ad cælestium rerum contemplationem elevatur, quasi dicat: *In sublimitate securitas*; optimè sciens quod *Requiescet manus Domini in monte isto.* Plures servum Dei auro assimilant, quia in igne adversitatis probatur, & putificatur, unde servit illis symboli hujus subscriptio. *Donec purum*, Uti prævidit Malachias Propheta dicens: *& purgabis filios Levi, & colabis eos quasi aurum.* Alii flammæ eundem comparant, quæ cùm in terra peregrina sit, ad sphæram suam velociter evolans dicere videretur: *Donec quiescam*, cujus S. Paulus imitator factus, anhelans dicebat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Denique quid mirum si illum quoque soli similem esse dicant, quia ab al-

S. Bern.
Ad Rom. 5. v. 15.
Prov. 25.
Ad Rom. 8. v. 31.
D. Amb.
Ad Ro. 8.
D. Ambr. de offic.
2 Cor. 12.
Matt. 23. v. 12.
Psal. 1.
Psal. 93.
1. Ioan. 4.
Matth. 5.
Isaiæ 10.
Malach. 3.
Ad Philip. 1. v. 23.

tis Orientis montibus nascens, splendorum suorum aurum omnibus dividit, *Dives in omnes*, prout de Justo Justorum Malachias est Vaticinatus dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Justitiæ*. Verùm enimvero si prærogativas S. Marci Evangelistæ particulatim adumbrare quis vellet, nescirem profectò an illum aptiùs repræsentare posset, quàm si filium sub specie Leonis depingeret: *Et facies Leonis à dextris ipsorum quatuor*. Et quidem tametsi multæ Marcum inter & Leonem reperiantur convenientiæ, ex omnibus tamen pro discursus mei subjecta materia tres duntaxat eligere decrevi, nimirum vigilantiam, fortitudinem & gratitudinem. De prima dicitur: *Caput Leonis denotare potest vigilantiam, eo quia dormivit apertis oculis*. De secunda: *Leo fortissimus ad nullius pavebit occursum*. De tertia denique: *Egregium quidem gratitudinis exemplum est*. De hisce itaque per ordinem ratiocinemur. Dum autem vobiscum de vigilantia loquar, vos cum attentione vigilantes esse desidero.

Malach. 4. v. 2.

Ezech. 1.

Barth. Cassan. p. 1. Concl. 78. f. 310. de Animal. terrestr.

Prov. 30. v. 30. Simon. Majol. col. 7.

2. Leonis qualitates (si Scriptoribus credendum est) valdè sunt admirabiles. Primò enim fœmella ejus sive Leæna non nisi quinquies parit; Et primò quidem quinque catulos gignit, deinceps semper unum priori generatione minus, adeò ut post quintam generationem sterilis remaneat. Triplicis quoque generis dolores in Leonibus reperiuntur, scilicet albus, aureus, ac tandem in Africa, & Regno Cocilæ Asiæ Orientalis nigri quoque Leones reperiuntur. Uno tantum die pascuntur, non verò altero sequenti; imò sunt qui tradant, quod Leones uno die comedant, altero verò bibant, halitum habent suavissimum valdeque recreativum. Est animal audax, fortè, vastum, nobile, atque magnanimum. In ferocitate nulli alteri feræ cedit palmam. Leo in græco sermone, idem quod Rex significat, ac proinde ipse solus in capite suo defert coronam, unde multis quoque Imperatoribus Leonis nomen impositum fuisse legitur. Ossa etiam adeò dura habet, ut dum sese mutuo percutiunt, ignis scintillas emittant, haud secus, ac si unum ferrum, alterum silex quidam esset. Dum à visceribus suis in aëra rugitum edit, omnes aliæ ferrore, terrore & pavore concentiuntur. Furorem sibi prædominari non patitur, nisi fuerit vexis exercitatum. Dum inimicum suum ad pedes suos prostratum conspicit, satisfactum sibi esse existimat, & confestim placatur. Carne humana numquam

Plin. l. 8. c. 16. f. 132. n. 30. Marcus Polus lib. 3. c. 25. Plin. ib. n. 40. Constantin. De Notariis l. 2. c. 23. Vinc. Bellov. l. 19. c. 66. Idem ib. col. 4. Vinc. Bellov. à c. 66. usque ad 76.

vescitur, nisi excelsiva quadam fame fuerit coactus. Eaque est speciali proprietate insigni præditus, quod gratum se iis semper exhibeat, à quibus beneficium aliquod accepit. Ut ab insidiis venatorum securum se reddat, inter ambulandum vestigia sua terræ impressa, cauda sua delet. Fel ejus valdè est salutare pro oculorum pellendis defectibus & indispositionibus. Adeps illius certum est adversus venenum antidotum. Cor ipsius pro felici quartana curanda remedium est potentissimum. Navis in loco, in quo Leo reperitur dormiens, facilè naufragatur, cùm tamen extra periculum secura degat ubi Leo est expergefactus. Oculis apertis dormire Leoni quoque proprium esse dicitur: *Dormit apertis oculis*. Nullum est animal somno magis inimicum, & deditum magis vigiliis, quàm Leo. *Modice dormit*: ac proinde in Micena Leones ad templi fores ponebantur, ad denotandam in iis, qui ad ejus erant deputati custodiam, singularem vigilantiam. *Tanquam Divinorum custodes.*

Constant. de Notariis l. 2. c. 23.

Barth. Cassan. p. 10. Conclus. 78. de animal. terrestr.

Est Leo, sed custos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Ægyptii quoque pro vigilantiæ symbolo, Leonis caput erigebant. *Per Leonis caput Ægyptii Sacerdotis vigilantiam, atque custodiam ostendebant.* Unde & Soli Leo dedicatus erat. *Quippè qui patenti, igneoque oculo terram conspectu perpetuo, atque infatigabili intuetur.* Porrò Persarum ille Rex Leonis verus imitator fuit, qui adeò vigilantiæ deditus erat, ut pro illo quoque somno tollendo, qui membris necessarius erat, cubiculario suo præcepit, ut cameram tempestivè ingressus se expergefaceret dicendo: *Surge Rex, ac negotia cura.* De Alexandro quoque historiæ referunt, quod ad hoc ut minùs dormiret, somnum capturus in manu foras extra lectum extensa pilam quandam argenteam, vel æneam clausam habuerit, subtus posito polubro quodam similiter æneo, ut strepitu pilæ in polubrum labentis confestim expergisceretur: *Sciebat namque vir egregius Principi proprium, & præcipuum munus esse vigilare.* Idem quoque de Epaminonda Thebano legitur. Unde Homerus scriptum reliquit:

Pier. Valer. l. 1. Idem ibid.

Plut. in libello adversus ducem imperitum.

Idem ib.

Non decet integram noctem dormire regentem,
Imperio populos, & agentem pectore curas.

Rex

Rex quoque Salomon talem se esse voluisse
Horat. 1. demonstravit, quando circa thronum suum
2. Iliad. multos collocari aureos Leones voluit: *Duo*
3 Reg. 10. *Leones stabant juxta manus singulas, & duodecim Leunculi stabant super sex gradus, hinc atque inde.* Ægyptii qualitates boni alicujus superioris per sceptrum cujus vertici oculus vigilans superimminebat, exprimere consueverant: In sceptro Imperium, per oculum verò vigilantiam designare volentes. Quo sensu Jeremias Propheta forsàn locutus fuit, dicens:
Ierem. 1. apud Viegam in Apoc. *Virgam vigilantem ego video, id est, oculatam, veloculos apertos, & vigiles habentem.* Hanc quoque ob causam Deum Moysi præcepisse credo, ut Aaroni fratri suo, qui Sacerdos erat, vestem quandam faceret, in ea forma, quam sequentibus verbis indicabat, dicens: *Hæc autem erunt vestimenta quæ facient: Rationale, & superhumerale, tunicam, & lineam strictam,* Ubi Pagninus ex Hebræo transfert: *Tunicam oculis contextam,* id est, quæ à capite ad calcem usque apertis undique oculis obsita, & distincta esset? per hoc aliud nihil insinuare volens, quàm
Lib. 2. metaph. Superiorem oculatum esse debere & vigilantem. Unde Aristoteles somnolentiam Principem aliquem adeò dedecere censebat, ut illam cum ipsa quoque divinitate judicaret esse incompossibilem: *Deus si aliquando dormiret, non esset Deus.*

3. Porrò glorioſum Evangelistam nostrum Leonem vigilantem fuisse, sanctus Joannes in
Apoc. 10. Apocalypsi sub Angeli metaphora declarat, dum inquit: *Vidi alium Angelum.* S. etenim
In Festo S. Marci. Marcus Angelus ille erat ob virginitatis respectum. Unde B. Laurentius Justinianus ait: *Angelus dicitur S. Marcus, quia degens in carne, Angelicam ducebat vitam. Fortem*, id est, fortitudine armatum, proprietate nimirum, quæ Leoni præ cunctis aliis animalibus tribuitur: *Descendentem de cælo*, utpote cælestis potiùs quàm terrenus. Nube quoque circumdatus erat: *Amictum nube*, siquidem in eorum reperitur numero collocatus, de quibus Isaias Propheta dixit: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* In capite præterea Iridem cælestem, pacis certissimum signum, ferebat? *Iris in capite ejus.* Et ecce Leo sancti Marci eandem pacem libro suo Evangeliorum inscriptam defert, quæ etiam eidem dum Alexandriæ in custodia carceris vinctus est, à Christo ad quaquaversum portandum data fuit hisce verbis: *Pax tibi, Marce Evangelista meus.* In manibus suis Angelus ille
Iacob. de librum tenebat: *Habebat manu sua Libellum* id est, eum, quem composuit, Evangeliorum librum. Ut autem Angelum hunc sancti Marci Leonem per hunc Angelum repræsentatum fuisse manifestius constet, observandum, quod vox Angeli hujus Leonis rugitui similis fuerit. *Et clamavit voce magna, quemadmodum Leo rugit.* Pes Angeli hujus dexter super mare: sinister verò super terram collocatus erat: *Posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum super terram.* Unde si pedem suum aliquo in loco figere, idem est, quod possessionem capere, siquidem communiter dici soleat: *Possessio acquiritur per pedum acquisitionem*, videamus obsecro quidnam Leo sancti Marci per pedes super terram, & mare collocatos, & firmatos nobis innuat? Nil aliud profectò, quàm Dominum, quod inclyta Venetiarum, Venetorumque Respublica super utrumque elementum obtinet. Vel etiam dici poterit, quod quia corpus ejus sanctissimum Alexandria translatum, suam sibi requiem deinceps in sinu maris Adriatici vendicavit, ideò ejus una cum Dominio protectionem quoque in se susceperit? adeoque pro hujus passus expositione applicari potest, quod modernus quidam Scriptor aptè ad propositum præsens de sancto
Ludov. de Alcasar. ibid. v. 1. Marco scripsit: *Considerandus est Angelus hic validus à terra*, id est, de Ægypto, *ad mare proficisci*, id est, ad mare Adriatici Sinum *Quia relinquens terram*, id est, Alexandriam, *ingreditur mare*, id est, Venetias, ubi in præsentiarum in veneratione habetur & requiescit. Fortenè ipsum nunc tanquam Leonem vigilantem videre desideratis? An non auditis Scripturam dicentem:
Apud Ric. brixiens. Gom. Symb. *Et facies ejus erat ut Sol.* Sol etenim oculus cæli nuncupatur, quia semper & perniciter vigilat, nec unquam clauditur, neque noctes tenebrosas novit: *Sol oculus cæli.* Unde Persarum Reges Solem in summitate sceptri consistentem solebant depingere ad insinuandam vigilantiam in eo, qui alios gubernat, requisitam. Porrò eadem mystici Leonis nostri sancti Marci Evangelistæ vigilantia, in prænominata sancti Joannis visione exactissimè describitur:
In Festo S. Marci. *Ipse enim est, id est, Marcus* (ita exponit Beatus Lautentius Justianus) *quem Ioannes mysterialiter prævidens, ait: Vidi alterum Angelum per medium cæli volantem habentem Evangelium æternum.* Unde gratioſum cujusdam viri docti ingenium, vigilantiam huic sancto propriè circa urbem Venetiarum propriam ex nomine sancti Marci inferre volens,

elegans, & ingenioſum hoc compoſuit Anagramma:

Divus Marcus Evangeliſta:
Sum vigil ad Ventas curas.

4. Deus quondam adverſus Ezechiam Regem indignatus? eundemque caſtigare volens, adeò gravem ei infirmitatem immiſit, quæ eum ad mortem uſque redegit: *Ægrotavit Ezechias uſque ad mortem.* Circa quem eventum duæ mihi incidunt hoc loco curioſæ quæſtiones, prima eſt: quemnam, aut qualem hic Rex errorem commiſerit? Secunda verò, quamnam illis Dei ſupplicii loco immiſerit infirmitatem? Quod attinet commiſſum ab eo errorem hic utique graviſſimus fuit, nimirum enorme quoddam ſuperbiæ peccatum? Ipſe etenim ad hanc uſque temerariam præſumptionem devenit, ut ſibi auſus fuerit perſuadere, ſe eſſe filium illum, quem Iſaias de virgine naſciturum, & Emanuelem appellandum eſſe prædixit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Iſa. cap. 7. id eſt, Meſſias, caput Synagogæ, univerſorum Hebræorum Princeps & Dominus totius Iſraelis: *Quia Pater ejus oraculum acceperat hujuſmodi? Ecce virgo prægnans erit, ſeipſum putarat Emanuelem eſſe? ac promiſſionis eventum ſe in finem habiturum. Quapropter virginitatem colens nullo conjugii ſtudio tenebatur.* Ita opinatur Glycas. Hic auſus procul dubio valdè temerarius erat, & magnum merebatur pœnæ ſupplicium? ac proinde: *Ægrotavit uſque ad mortem.* Nonnulli hanc infirmitatem pedibus adhæſiſſe, ac podagram veram fuiſſe cenſent, quodque hac impeditus ſe loco movere, aut ambulare minimè potuerit: *Quapropter à Domino ad frugem revocatur pede ſic afflicto, ut jam putreſceret.* An verò Deus Ezechiam per hanc infirmitatem mori voluerit, aut verò poſt illam adhuc in vivis ſuperſtitem manere, incertum eſt? ſunt qui putant DEUM mortem ejus decreviſſe, eò quod ſacer textus dicat: *Ægrotavit uſque ad mortem.* Melius tamen alii cenſent, illum per hanc infirmitatem ex DEI decreto non defuiſſe moriturum, cùm DEUS inſuper vitæ ejus quindecim alios annos adjecerit: *Ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Iſai. 38. verſ. 6. Porrò, quod cauſam attinet, ob quam ei hæc infirmitas immiſſa fuit, ea utique hæc fuit, ut nimirum illum ab hac gravi vanæ ſuæ temeritatis indiſpoſitione curaret, ne ſcilicet ſibi arrogaret, quod non erat, ſcilicet ſe eſſe Meſſiam, qui venturus erat, ut Iſraelem, & totum mundum duceret & gubernaret. Verùm ſi ita eſt, nova mihi ſuggeritur novæ difficultatis movendæ occaſio, nimirum. Si Ezechias commiſit peccatum ambitionis, arrogantiæ, vel ſuperbiæ, ſequitur manifeſtè, quòd malum ejus, quo laborabat, in capite ejus ſteterit, non verò in pedibus, adeoque caput ejus potiùs puniri debebat, non verò pedes illius podagra torqueri. Quod ſi ambulando, vel currendo DEUM offendiſſet, jam non mirarer, ſi pedes ejus modo aliquo mulctarentur, nec haberem, quid opponere poſſem. Scio etenim quod quia Jeroboam Prophetam ſe reprehendentem cum indignatione audiens, dexteram verſus illum extendit, innuendo miniſtris, ut in carcerem illum conjicerent: *Extendit manum ſuam de altari dicens: Apprehendite eum*, mox eadem quoque dextera punita ſit, quia mox exaruit, & immobilis ſtetit. *Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum.* 3. Reg. 13. n. 5. Cur igitur dum in Ezechia caput per ambitionem graviter delinquit podagræ pœna pedes afficiuntur? *Ut afflicto pede ad bonam frugem rediret. Nonne rediret ad bonam frugem afflicto capite?*

Iſai. c. 38. 4. Reg. 20.

In Gloſſ. ord. in 4. Reg. c. 20.

5. Fortaſſe idipſum per quendam ex libro Numerorum adductum Scripturæ locum melius intelligemus. Aaron itaque & Maria Moyſis honorem & exiſtimationem murmuratricibus linguis ſuis graviter contaminarant: *Locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſen.* Num. 12. n. 1. & 3. Quapropter DEUM quoque graviter offenderant. *Quod cùm audiſſet Dominus iratus eſt.* Atque peccatum hoc juſto ultutus ſupplicio poſtquam illos ad ſe vocatus graviter reprehendiſſet, voluit ut Mariam in manibus, vultu, omnibuſque totius corporis partibus univerſalis quædam lepra contegeret: *Maria apparuit candens lepra quaſi nix.* Ibid. n. 10. Siſtamus hic, Auditores, & pœnam iſtam nonnihil examinemus. Nunquid ambo Moyſis famam dilacerando murmurarunt? Non eſt dubium. Cur igitur ſola Maria lepra punitur. Juſtus Deus utrumq; æquali pœna afficere debuiſſe videtur? hoc enim juſtitia dictat & poſtulat. Abulenſis, & alii reſpondent, Deum Aaroni tanquam Sacerdoti reſpectum aliquem debuiſſe. Ergone deinceps Sacerdotes impune peccabunt? Nunquid juſtitia punitiva illos quoque tangeret? Certè ſi id verùm eſſet, nimia oriretur

Abul. in q. 64.

eſſet

esset in Sacerdotibus ad peccandum licentia. Ac proinde pro hujus intelligentia observandum est præceptum illud, quod Deus noster in Levitico pro leprosis condidit, quando iisdem quoadusque lepra affecti essent, omnem cum aliis conversationem, & communionem negotiorum prohibuit: *Omni tempore, quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.* Levit. 13. n. 46. Circa quæ verba Ludolphus Carthusianus scribit, quod leprosi *ritu legis Mosaicæ immundi erant, ab urbibus, & opidis excluſi, nec poterant cum aliis commorari, & non debebant appropinquare hominibus, ne eos inficerent.* Ecce igitur hic videmus causam cur Deus Aaronem lepra puniri noluerit. Hic enim Sacerdos erat, ac proinde animarum curæ semper invigilare, idque quaquaversum circuire, cum omnibus conversari, & loqui, omnibusque mederi, debebat? Quod si autem lepra punitus fuisset, hæc omnia exequi, suasque functiones ex officii sui obligatione debita cum vigilantia exserere minimè potuisset, quod magnum omninò inconveniens fuisset, siquidem inseparabilis superioris alicujus proprietas est vigilantia. Ac proinde Alexander cuidam in Curia sua regia excellenti nobili, nec non & omnis exercitus sui militibus dixit: *Plus vigilare quàm vos me certè scio, ut ipsi quietos somnos capere possitis.* Etenim Ezechias in suis cogitationibus misera quadã phrænesi, & temeraria ambitione correptus fuit, ut sibi se illum esse filium certò persuaderet, quem Isaias ex Virgine nascituruum & Emanuelem vocandum esse clarè prædixit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*; ac proinde se futurum totius Synagogæ caput, Israëlis totius Moderatorem, imò totius mundi Dominum. Unde Deus illum podagra afficiens dicere illi voluisse videtur. Is, qui talis est, qualem tu te esse tibi stultè persuades, debet vigilans esse, nunquam dormire, semper circuire, omnibusque ad subditos pertinentibus negotiis occurrere, eorumque curam habere. Qui autem molesta est podagra affectus, hæc omnia præstare, proque eorum executione circuire non potest, sed immobilis persistere cogitur, quomodo igitur vigilantiæ, quæ in superiore requiritur, locus in eo esse poterit? atque ideò molesto hoc malo pedes tuos corruptos esse volui, ut vel ex hoc impedimento ad saniorem posses mentem redire, certoque cognoscere, te nequaquam eum esse, quem te fore stultè credideras. *Vt afflicto pede ad bonam frugem rediret.* Sanctus Marcus à sancto Petro Apostolorum Principe famosissimæ totius Ægypti urbis Alexandrinæ constitus fuit Superior, & Prælatus. Certum autem est illum nec lepra fuisse affectum, sed tanquam Sacerdos, Prælatus & Episcopus, agebat cum omnibus, in vigilantia officiii sui erat acuratissimus, in procuranda animarum salute prædicando, docendo, fidem plantando, & propagando, baptizando erat assiduus: Nec pedes habebat podagræ impedimento affectos, ut invigilare, & negotiis, ubi necessitas postulabat, intendere, omnibusque occurrere non posset, quin potiùs ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem in continuo motu, laborum Apostolicorum exercitio continuè perseverabat? Evangelii prædicandi causa nunc Romam, Alexandriam, & ad omnia totius Ægypti loca proficiscendo, nunc ad honorem Dei. & S. Petri Magistri sui Ecclesias quaquaversum ædificando? nunc ab Episcopatus sui residentia Pentapolim ad convertendas ibidem gentes se conferendo, mox iterum Alexandriam ad pastoralium functionum suarum exercitia redeundo. Semel autem speciatim accidisse fertur, quod ad gressum per prænominatæ urbis portas calcei ejus omninò dissoluti fuerint, & rupti, veluti contestantes se ad continuanda, quæ à sancto Marco continuò fiebant, Apostolica itinera, & labores insufficientes. Mira profectò res! calcei, qui ex mortuo, & insensibili corio constabant, se labores, fatigationes, sudores, viatum incommoda, quibus sanctus Evangelista conficiebatur, sentire quasi declarabant, seque ad illa diutiùs continuando impotentes esse, jam dissoluti, & fracti fatebantur? & tamen vivi, & sensitivi sacri Evangelistæ pedes infatigabiles erant, & velut ex ære, & ferro conflatis, omnibus occurrentibus resistebant laboribus, nec frangebantur lassitudine, nec laboribus succumbebant. Sed nihil hic mirum? siquidem Marcus Leo vigilantissimus erat. Quamvis etiam non sine causa suspicari possum, sanctum Evangelistam data opera calceos suos disrupisse, utpote, qui sollicitudine, quæ comes est vigilantiæ, magno impedimento erat, ut hac ratione magis se vigilantem exhiberet. Unde Stobæus benè observavit, quod *Discalceatum incedere præstantius est, quàm calceari*? cùm calcei plus impediendo obsint, quàm juvando prosint. *Propemodum enim dixerim, calceatum esse, perinde esse, ac colligatum, & vinctum: Cæterùm*

Petr de Natal. Iacob de Vorag. in vita ejus. B. Petrus Dam.

Ammiã. Marcell. lib 8. de de gestis Alexandri.

Isaiæ c. 7.

Ioan. Stobæus de virtute. ser. 1

immunitas calceorum multum facilitatis, & agilitatis præbet pedibus si exercitati fuerint. Ac proinde sublato hoc impedimento S. Marcus majori cùm sollicitudine in officiis vigilantiæ suæ commissis progredi valebit.

6. Visio illa, qua sanctus Ezechiel currum à quatuor animalibus, homine, leone, bove & aquila ductum conspexit, ab omnibus sanctis Patribus permagni æstimata fuit. Verum audite obsecro singularem depositionis illorum: *Similitudo vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Potrò per quatuor hæc animalia quatuor Evangelistæ intelliguntur per hominem quidem Matthæus, per leonem Marcus, per bovem Lucas, & Joannes per aquilam. Quod verò leonem attinet Rupertus Abbas inquit: *In Marco facies leonis agnoscitur.* Et Hugo Cardinalis: *Quia à clamore in deserto rectè per leonem Marcus figuratur.* Eadem quoque quatuor animalia à sancto Joanne in sua Apocalypsi fuere visa, tanquam præcipua magnifici throni omnipotentis Dei ornamenta. *Et animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.* Potrò hæc visio Joannis in duabus præcipuè particularibus circumstantiis à visione Ezechielis, differens esse videtur. Primò enim leonem sancti Marci primo loco reponit. Et *animal primum simile leoni.* Secundo, quod illa oculis undique plena viderit ante & retro: *Quatuor animalia plena oculis ante & retro.* Scire hoc loco percupetem cuinam usui tot oculi deserviant, *ante & retro*? Si ad hoc ut videant illis sunt dati, certum est quod unus, vel duo ad summam sufficissent. Verum, Auditores, dicite quænam causa Poetas permoverit, quod argo centum oculos adfinxerint? Nimirum, ut in custodia Jo, vel Isidis quam Juno illi, ne à Jove raperetur, custodiendam consignaverat, vigilans esset. Unde apparet quod tot in hisce quatuor animalibus visi oculi nihil aliud significare velint, quàm summam in omni eo, quod ad verum Divinæ Majestatis cultum pertinet, vigilantiam. Nunc igitur utramque visionem diligenter observate, & invenietis, quod tametsi Ezechiel Matthæum, & Marcum in unum, eundemque ordinem ponat: *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor.* Matthæo etiam præcedentiam, primumque locum attribuendo. *Facies hominis* primùs, posteà autem *facies leonis.* Sanctus Joannes tamen primo loco leonem collocat: *Animal primum simile leoni,* fortè per hoc insinuare volens, quod in eo, quod est oculos habere apertos multos, & vigilantes sancto Marco inter omnes alios Evangelistas primus locus debeatur, Ruperto Abbate nimirum expresè affirmante, quod *oculos aperire significet mentem excitare.* Et Hugo similiter per oculos apertos circumspectionem quæ idem est, quod vigilantiam, intelligit: *Oculis ante & retro, quia scriptura omnimodam docet circumspectionem.* At verò dicet aliquis, quodnam est illud, in quo Marcus præ Matthæo magis oculatus, & circumspectus esse dicitur? Legite principium Evangelii utriusque Evangelistæ, sic enim facilè invenietis quod Matthæus solum generationis, & Nativitatis Christi temporalis mentionem faciat, dicens: *Liber generationis Iesu Christi, filii David.* Vidit solum retro, id est, humanitatem, quæ divinitate posterior est. Sanctus Marcus autem & divinitatem, & humanitatem simul conspexit: *Oculis ante & retro* scribendo temporalem, & æternam generationem. An non idipsum clarè satis dicentem auditis? *Initium Evangelii Iesu Christi,* ecce humanitatem, *Filii Dei.* Ecce Divinitatem. O vigilantissimum leonem! ô insignem Evangelistam Marcum! ad videndum tam æternam? quàm temporalem generationem oculos apertos tenet. *Quid est, quod Marcus dicit: Filii Dei, Matthæus Fili David?* Interrogat B. Petrus Damianus: *Vt per alterum Filium Dei, per alterum ostenderet se esse filium hominis! incarnati Verbi illa divinam, iste generationem describit humanam.*

7. Prælatorum oculi, qui vigilantes esse debent, non proprium commodum, sed proximi utilitatem debent respicere: *Qui præsunt Reipublicæ,* scribit Plato, *utilitatem civium sic tueantur, ut, quic quid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum.* Conformiter huic politicæ mysticas Filii DEI actiones in memoriam vobis revocate. Salvator etenim noster dolorosissimæ passionis suæ amaritudini daturus principium in horto Gethsemani constitutus, ibidem ad Patrem æternum orationem effundens, teste sancto Luca, tantas passus est cordis sui angustias, & mœstitiam habuit adeò excessivam, ut inde sanguineus è sanctissimo corpore suo sudor elicitus fuerit: *Et factus est sudor eius sicut*

Ezech. 1.

Rupert. ibid. lib. 1. cap. 7. Hugo Card ib. Apoc. 4.

Idem ib. num. 7.

10. Bocc. in General. Deorum lib. 4. Th. Porchat. in Advent. super Ac. Sannazar.

Rupertus Abb in c. 1 Apoc. l. 1. cap. 7. Hugo Card ib. fol. 158. col. 2. C.

Serm. 14. & 1. S. Marci.

sient gutta sanguinis decurrentis in terram Lucæ 22. O rem profectò summè stupendam! Verum quidem est quod pœnas omninò atrocissimas, & mortem acerbissimam simul & probrosissimam passurus erat, veruntamen maximè obstupescendum est, quod sola horum omnium consideratio similes in eo effectus causare potuerit, optimè id notavit Ludolphus Carthusianus, dum ait: *Nunquam aliquis mortalium ob mortis horrorem auditur sudorem fudisse sanguineum.* Christo jam perspicuè se passurum, & morituram notum erat? nota similiter erat passionis acerbitas, & mortis in Cruce opprobrium; ut quid igitur tantos inde angores concipere potuit, qui cor & mentem ejus etiam usque ad sudorem sanguineum eliciendum transfigerent? Proverbium est nemini ignotum, quod jacula & mala prævisa minus feriant, & doleant. Veruntamen priusquam hanc vobis difficultatem resolvam, prius, ut aliam non minorem proponam necessum est, utpote quæ hujus occasione in mentem mihi venit. Scitis etenim quod Filius Dei in eadem in horto Gethsemani instituta oratione Patri æterno hisce vocibus supplicaverit: *Transeat à me calix iste.* Matth. 26. Hæc autem petitio confirmare videtur illud, quod supra insinuavimus, scilicet, quod ob nimiam dolorum in passione sustinendorum gravitatem, acerbitatem, & excessum, Patrem suum æternum, ut illos à se averteret rogaverit dicendo: *Transeat à me calix iste.* Quod tamen esse nequaquam potuit, cum ultro citroque, & propria sponte, & electione semetipsum in mortem tradiderit? *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isai. 53. Præterquam quod hoc intendendo videri potuisset retractata illa se resolutio coram Patre æterno facta, quando *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.* Ad Hebr. 12. vers. 2. Ac proinde sanctus Hilarius huic Salvatoris petitioni hunc sensum reddidit: *Transeat calix à me, id est, quomodò à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei differentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.*

P. 2. cap. 59.

Apud D. Th. in Cat in cap. 26. Matth.

9. Alii in sensu logicali exponunt. Qui enim veritatem aliquam sustinens, propositionem aliquam antecedentem audit, ex qua consequentia non necessariò deducitur, dicere solet communiter: *Transeat antecedens,* quod idem est, ac si diceret, perinde mihi est, sive antecedens negetur, sive concedatur? neutrum enim horum aliquod mihi præstabit incommodum; Ita quoque calicem passionis bibere, vel non bibere, nullam Christo conciliabat molestiam? nam pro mundi redemptione libenter illum eporandum acceptabat: veruntamen, quia prævidebat, quod Hebræi ex odio, & iniquitate adversus ipsum moverentur, & salvandi neutiquam essent, dixit *Transeat?* ita tamen ut totum se, & suam in paternam voluntatem remitteret, dicens: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26. Unde Origenes: *Si possibile est sine passione mea omnia illa bona proveniant, quæ per passionem meam sunt proventura, transeat passio hæc à me, ut & mundus salvetur, & Iudæi in passione mea non pereant. Si autem sine perditione quorundam multorum salus non potest introduci, quantum ad justitiam non transeat.* Verum enim vero quomodo hanc difficultatem conciliabimus dicendo, quod dicat: *Transeat,* ut amaritudinem dolorum passionis, & mortis nullum ipsi fastidium, mœstitiam aut animi angorem attulisse declaret, si postea reipsa videatur quod sola dolorum passionis suæ apprehensio tantam ipsi animi ærumnam, & angustiam conciliaverit, ut sanguineum è corpore ejus sudorem elicuerit? *Factus est sudor ejus, &c.* Luc. 22. vers. 44. Audite Ruperti Abbatis resolutionem? qui dicit, quod eo tempore, quo Christus flexis in terram poplitibus Patrem suum orabat, aliquos in terra jacentes viderit lapides, considerans autem quod Stephanus servus suus lapidum illorum imbre martyrio afficiendus esset, tantam in se sensetit animi angustiam & dolorem, ut illius vi sanguinem sudare debuerit. *Factus est sudor ejus &c. Tuos, ô Stephane, Christus numerabat lapides, tuumque agonem meditabatur, hinc factus est sudor ejus, &c.* Cæterum verò quod passionis suæ tormenta attiner, ex iis nullum concipiebat fastidium, aut animi contradictionem, ut diceret: *Transeat.* Unde liquidò satis apparet, quod majorem illi cruciatus Stephani, quam proprii passio martyrii molestiam, atque tristitiam attulerit. Magnam profectò sanctus Marcus in observanda hac à Magistro suo tradita politica exhibuit vigilantiam. Etenim Alexandria in Ægypto, quæ Episcopatus sui residentia fuit, propriè juxta expositionem B. Petri Damiani, idem est quod *levans angustias tenebrarum,* sicut Ægyptus idem est, quod *tenebræ.* Jam verò non Alexandria dumtaxat, sed & tota Ægyptus inter Idololatriæ tenebras obdormiens sepulta jacebat, tyrannicis Sathanæ mani-

In c. 26. Matth. in Cat. D. Th. ubi sup.

Rupertus Abb. de operibus Spir. S. l. 6. c. 4.

manibus miserè subjecta. Quid hic facies, ô Marce? si tanquam vigilans Pastor Alexandriam te contuleris, ut illam ab Idololatria & Dæmonis potestate liberes & eripias, non jam sanguinis dumtaxat stillas sudabis, sed integros sanguinis rivos profundere debebis, suspenso ex collo tuo fune reptaberis, & velut bos ad macellum traheris, ibidemque bestiæ instar excarnificaberis, videorque inter omnes has tibi illatas injurias eos ita audire loquentes: *Trahamus Bubalum ad locum Bucculi.* Et quidem nunquid sola omnium harum ærumnarum consideratio te pavidum reddet? nunquid mœstum, & afflictum efficiet? Nequaquam. *Transeat à me calixiste?* Non enim me tormenta torquent, non terret martyrium, sanguinis effusionem non exhorresco, imò nec ipsam quoque mortem formido, aut expaveſco. *Carnes ejus in terram fluebant, & sanguine lapides rigabantur.* O Pastorem vigilantissimum? ô verum Divini Magistri sui discipulum! Pro gregis sibi commissi utilitate propriam vitam nequicquam curat, eundemque ad Evangelii lucem contuendam educere nititur, tametsi securus sit ad mortis tenebras se infallibiliter fore reptandum. Recuperare gregem suum allaborat, tametsi in hanc rem eroganda esset propri sanguinis sui moneta, quia sumptu mortis suæ vitam illis procurare satagebat. Majus enim sibi tormentum esse videbatur Alexandriam Idololatriæ tyrannidi miserè subjectam cernere, quàm in proprio corpore, sanguine, & vita martyrium sustinere, aut carnificis barbaro ferro se expositum, & subjectum esse. Cui conforme est quod Petrus Damianus scripsit: *Sicut Alexander in Ægypto urbem construxit Alexandriam, sic Redemptor noster inter hujus mundi tenebras sanctam ædificavit Ecclesiam, qui verè tenebrarum levavit angustias: Hoc fecit in Ægypto per Mariam, hoc per cæteras cœlestis curiæ Senatores in toto orbe terrarum.*

Iacob. de Vorag. & Petr. de Natal. in vita ejus.

D. Petrus Damian. serm. 6. & 3. de S. Marco.

9. Non minùs mystica, quàm pulchra est illa S. Hilarii ponderatio, quam circa Salvatoris manus dum ex ab Hebræis clavis in Crucem agerentur, piè instituit. Dicit enim quod Salvator noster palmas sibi perforari sentiens adeò vehementia è pectore lamenta, & suspiria ediderit, ut ad cælos usque pertingere potuerint: *Transverberante clavo palmam, gemitus ascendit.* Cur, obsecro, non idem fecit quando pedes ejus Cruci fuêre affixi? Num fortè dolores non sensit? aut pedes ejus fortasse insensibiles erant? Nequaquam? Clavi enim non minorem pedibus, quàm manibus dolorem inferebant? Imò dicere ausim vulnera pedum vivaciorem doloris sensum secum adferre, quàm quæ manibus infliguntur: *Dolor pedum interdum adeò recrudescit, ut homines exanimet: Persæpè autem accidit, ut nervis, in quibus est sensus maximus, ferro perforatis spasmus accidat?* inquit Cardinalis Alphonsus Palleottus. Agedum videamus nunc ad dissolvendum hujusce difficultatis nodum aliquam nobis ex Isaiæ Prophetæ relationibus emendicare lucem possimus? Hic enim dum Divinum Messiam loquentem introducit, eundem totum humanum genus in manibus suis descriptum circumferre declarat: *Ecce in manibus meis descripsi te.* Advertendum est autem quòd non dicat: *in pedibus, sed in manibus.* Dolor pedum merè suus erat, & tanquam suum eundem non sentiebat, quasi diceret: *Transeat:* at verò, quia in manibus ejus nos quoque clavis transfixi eramus, ideò in iis plus nostrum, quam proprium dolorem sentiebat: *Transverberante clavo palmam gemitus ascendit.* Simile quid in persona S. Marci Evangelistæ accidisse videtur. Hic enim probè sciens quanta, & quàm sublimis sit Sacerdotum dignitas, qualemque sacerdotalis functio puritatem requirat, ideò sicut se illo gradu indignum reputabat, ita quoque se ad eundem facere decreverat inhabilem, sibimetipsi dexteræ suæ pollicem data operâ amputando. Deinceps verò licet digiti hujus defectum seu carentiam manui suæ in operando magnum adsciscere impedimentum, aut præjudicium experiretur, carentiam tamen istam libentissimè sustinuit? nec de ea doluit, aut lamentatus unquam fuit? adeò ut necessum fuerit, ut digitus ille à S. Petro magistro suo sibi miraculosè restitueretur, isque manum ejus denuò redintegraret. Contigit autem quòd Aniani calceum quendam S. Marci resarcire? & reparare volentis subula in calceum infigenda ab eo aberrans Aniani præfati manum totaliter perforaverit, seu transfixerit? qui ob ingentem vulneris accepti dolorem inconsolabiliter dolens, auxilium implorat, & cælum invocat? cum ecce Marcus subitò accurrit, ejus dolori compatitur, eumque bono animo esse jussum consolatur, atque in Deum firmiter credere, & sperare jubet? mox verò modicum terræ accipiens, eamque salivâ suâ contemperatam, vulneris loco adhibet? idemque protinus sanat. Similiter cùm militi cuidam in actuali prælio, seu

Alphons. Card Pall. de pedibus Christi.

Isa. 48. v. 16.

D. Petrus Damian. serm. 1. de S. Mar. S. Vinc. Ferrer. serm. de S. Marco. Iacob. de Vorag & Petr. de Natal. lib. 4. c. 86.

seu duello manus detruncata fuisset, isque se mox sancto Marco bona cum fiducia recommendasset, illam sibi redintegratam, sanamque & salvam brachio suo & pristino statui restitutam esse sensit: *Invocavit Beati Marci suffragia, & manus fuit continuò sanitati pristinæ restituta.* Verùm siste hic nonnihil, ô Beate Marce, & verbum, quod ad te eloquendum habeo, patienter, obsecro, sustine? Quòd si tu vulnus palmæ seu manûs Aniani curare vales, & similem sanationis gratiam militi clienti tuo præstare novisti, cur nulla tibi cura est de mutilata manu tua propria curanda, ut in illa amputatum tibi pollicem redintegres & restituas? Num forte non audes manus tuæ unicum duntaxat digitum restituere, qui aliis duas manus liberas restituisti, & sanas? Imò verò Marcus sibimetipsi quoque mederi potuisset, si voluisset, verùm Marcus eodem sensu, quo Christus movebatur; magis enim Marcus afflictur ob mutilatam & læsam manum alienam, quam ob amputatum sibi digitum. Manus suæ curationem etenim nihili curat, & ideo illi etiam non medetur, bene tamen læsam Aniani manum, & aliam militis manum mutilatam majoris æstimat, atque ideo mox illius manum sanat, alterius verò mutilatam manum redintegrat, & pristino statui perfectè restituit. *Cùmque in humum despueret, lutum confecit, & ejus viri manum illiniens, in nomine, inquit, IESV esto sanus, ac statim ejus viri manus sanata est.* Vigilantior fuit ad subveniendum proximi quam propriæ necessitati.

Jacob. de Vorag. ibid.

Laur. Surius in vita ejus.

10. Leo, mox ut partu editus est, tribus diebus, & tribus noctibus dormit? Genitor autem ejus, utpote vigilantiæ amicus, somnolentiam ejus diutiùs sustinere non valens, vehementem, & valde terribilem edit rugitum, adeò ut terram tremere faciat, in qua Leonis catulus dormitat, eumque hoc tremore à somno suscitat? ut referunt Pierius, & alii: *Tribus diebus, & tribus noctibus dormit, tum deinde Patris rugitu tanquam tremefacto, concussoque cubili loco catulum dormientem expergefacit.* Portò Alexandria civitas hoc nomine à Philippo Macedonum Rege in honorem Alexandri filii sui appellata fuit? ab Olympia autem matre ob somnium, quod in ea dum magnum Heroëm filium sum pariturà erat, habuit, Leontopolis vocata est, quasi leæna. Filii autem urbis hujus, id est, incolæ ejus Idololatriæ somnolentiâ obtusi infidelitatis tenebris profundo jacebant sopore sepulti, cum ecce

Pier. Valer. lib. 1.

Rupertus de Licio serm. de S. Marco. Constant. de Notariis cap. 23.

Pier. Valer. ubi sup.

S. Marcus? Leo ille generosus, & vigilantissimus, prædicationis suæ rugitu eosdem expergefacit, ipsosque intellectus sui oculos aperire faciens, in errorum suorum, in quibus sopiti jacebant, perfectam cognitionem inducit, mentemque eorum Evangelicæ doctrinæ luce illuminans eosdem ad Catholicæ fidei semitas felicissimè perduxit. Unde S. Hieronymus, & Petrus Damianus dicunt: *Deus Omnipotens tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis gratiam prærogavit, ut omnes tunc ad fidei rudimenta confluerent.*

D. Hier. de script. Eccles.

D. Petrus Damian. serm 2. de S. Mar.

11. Lucanus Julii Cæsaris vigilantiam celebrare volens, quam eo tempore, quo tanquam Romani exercitus Dux generalissimus bello deditus & implicitus erat, ostendit, in hæc verba prorupit? *Omnina Cæsar erat.* Quidnam autem per hoc encomium in laudem dicti Heroïs dicere voluerit, incertum est. Simile ferè encomium Theodoretus S. Paulo Apostolo attribuit, cùm ait: *Ipse erat omnia.* Etenim modus hic loquendi valde succinctus est, atque ideo verus ejus sensus difficulter penetratur. Scio equidem S. Apostolum, tum gladio dimicando, tum doctrinâ suâ prædicando veluti alium quendam fuisse Cæsarem, adeò ut de eo dici potuerit: *In utroque Cæsar.* Veruntamen elogium istud totum Pauli, & Cæsaris encomium adæquare videtur dicendo: *Omnia erant?* Siquidem ly *omnia* magnam in se continet ampliationem: *Quia, qui dicit omne, nihil excludit.* Sed quâ ratione fieri poterit, quòd in uno homine omnis entitas, omnisque perfectio imaginabilis reperiatur? Pro hujusce rei faciliori intelligentia revocandum est in memoriam famosum illud, quod à multis Britanniæ Principibus Baronibus, Nobilibus in eadem Insula celebratum est hastiludium? In hoc enim quilibet in scuto suo Emblema quoddam cum sua adjuncta sententiolæ pulchra Epigraphe depicta habebat, hic enim Aquilam, ille Pavonem, iste Cervum, alius Pinum, Cedrum alter, ille Cedrum, alter Cypressum, alii alia in scutis suis depicta ferebant. Inter reliquos autem unus in hujus hastiludii arenam prodiit, qui nullam scuto impressam Emblematis picturam referebat, sed hanc duntaxat inscriptionem Scuto ferebat impressam. *In me omnia*, id est, omnes virtutes, & prærogativæ, quæ in cæteris hujus hastiludii collegis reperiuntur dispersæ, in me uno simul, & semel reperiuntur unitæ & collectæ; scilicet Aquilæ generositas, Pavonis nobilitas, velocitas Cervi, altitudo Pini,

Lucanus in Pharsal. lib. 2.

ni. Cedri immutabilitas, constantia Cypressi: uno verbo *In me omnia*. Ita de Cæsare quoque dicere poterimus, quòd scilicet in ipso collecta simul fuit universa totius Romani exercitus virtus? Idemque de S. Paulo dicere licet, in ipso nimirum reperibiles fuisse omnes, quæ in aliis dispersæ reperiebantur, perfectiones.

12. Theodoretus autem aliam huic Symbolo adhibet expositionem? Dicit enim quòd Apostolus in maritimo itinere constitutus, post vehementem quandam tempestatem in mari obortam, qua navis tum à ventis, tum à furibundis undarum procellis agitata, & conquassata spem omnem evadendi periculum navarchus adimebat, omnibus se perditos esse conclamantibus, solus ipse intrepidus manserit, & imperterritus navigii sibi vendicarit gubernationem, adeò ut nunc succurrerit navarcho, mox adjuverit remiges, paulò pòst velis manus suas applicando eadem nunc dilatarit, nunc, prout opus erat, eadem contraxerit, aliàs omnino dimiserit, nunc cucurrerit ad puppim, mox se receperit ad proram, nunc dimiserit antennas, nunc animarit afflictos, iisque, qui in mare dilapsi fuerant, auxiliatrices mox porrexerit dextras. *Omnia Paulus erat, Ad hos currebat, ad illos veniebat, ad hos transibat, ad illos resiliebat vento invadens celeriùs, eos, qui submergebantur sursum attrahens, nautas adhortans, proram circumspiciens, funes tendens, remos tractans, velum trahens, cœlum suspiciens; Ipse denique erat omnia, & nauta, & gubernator, & omnia patiens ut mala solveret aliorum.* Sic quoque Cæsar in prælio constitutus animabat milites, nunc pedites, mox equites, nunc excitabat capitaneos, mox Colonellos ordinabat, nunc exercitum impetum facere, mox eundem se subducere jubebat; nunc veluti Vexillifer signa versabat, nunc velut Decurio acies dirigebat, nonnunquam succurrebat vulneratis, lapsos denique alibi erigebat. Uno verbo. *Cæsar omnia erat*. Verum, heu, cum quanto majori jure de Sancto Evangelista nostro dicere possumus, quòd Alexandriæ & in Ægypto *Marcus omnia erat*. In animarum cura vigilantissimus, in prædicando indefessus, in instructione infidelium charitativus, in docendo Evangelio assiduus, in baptizando accuratus, adversus idola austerus, erga pauperes autem benignus, consolator erat afflictorum mitissimus, erga pupillos misericors, & pius, in subventione pauperum sollicitus. Anianum manum suam subula transadigentem mox sanat: In Aquileia Antaulphum Ulphi Filium leprâ oppressum purificat. Vito Mantuæ incarcerato, dum ei se recommendat, libertatem protinus præstat. Si strideat Aquilo, si mare furere incipiat, si naves naufragæ submergantur, ipse cunctos ad portum feliciter adducit. Saraceno in mare præcipitato, è mediis procellis S. Marci opem imploranti mox succurrit, eumque baptizat. Murarium Venetiis, è Campanili S. Marci delapsum ab omni malo præservat, Religiosum moribundum ipsum fideliter invocantem Papiæ visitat, & confortat. Apuliam annonæ caritate flagellatam, ad tetræ sterilitatem abigendam, propulsandamque famem salutari pluviâ totam regionem fœcundat. Latronibus misero alicui viatori oculos eruere volentibus efficit ut ferrum obtusum omnem aciem amittat, si pedes truncare conentur, securim ceræ instar liquescere facit, si dentes malleo ferreo evellere allaborent, omnem hic duritiam suam eo sic disponente amittit: Si Fideles urbis Alexandrinæ morum ab ipso reformationem exposcant, ad communem pauperiatem, vitamque Apostolicam mox illos reducit. Si Cathedralis Ecclesiæ suæ functionibus necessarii ministri non sufficiant. Aniano Episcopo, Melitum, Savinum, & Cerdonium, nec non septem Diaconos, & duodecim Clericos mox adjungit. Si in eadem Civitate una tantùm Ecclesia populi devotioni non sufficiat, aliam ibidem mox erigere satagit. Totam Ægyptum percurrit, omnia videt, omnia lustrat, multaque Monachorum monasteria ædificat. Conversum Hermagorum Romam secum conducit, utque hic à S. Petro Aquileiensis creetur Episcopus, ab eodem sollicitè supplicat. Dæmones ex corporibus obsessis energumenorum eliminat; infirmos protinus sanat, mortuos ad vitam denuò suscitat. Uno verbo: *Omnia Marcus erat*, ut hac ratione verificetur, quod doctus & pius Beati Laurentii Justiniani calamus de eo scribit: *Invocat illum oppressus, & levamen sentit: Ejus implorat auxilium infirmus, & sospitatem recipit: in mari, in solitudine, in periculis, inter latronum acies exoratur, & juxta fidelium poscentium suffragatur vota.*

Theod. apud Didac. Nyssen. in Fer. 3. Dō. Assumpt. 4.

B. Laur. Justin. serm. de S. Marco.

13. Verùm enimverò nollem tantum temporis spatium explicandæ mystici Leonis nostri vigilantiæ attribuere, quin etiam sufficiens pars temporis ejusdem fortitudini superfit, præcipuè cum una alteri semper conjuncta, & connexa esse reperiatur. *Nec est satis Leonem vigilantem esse, nisi & fortissimum sese præbeat.* Inter omnia

anima-

animalia, nullum est tantâ fortitudine præditum, ut Leo. *Leo figuraliter nuncupatur ob roboris virtutem*, inquit Laurentius Justinianus. Agamemnon, ut suam in præliis & certaminibus fortitudinem declararet, scuto suo Leonem insculptum habebat, quod postea *in Olympia fano per aliquot tempora pependit*. Et Cassaneus Leonis qualitates describens ait: *Inter animalia Leo obtinet generositatem, principatum, fortitudinem, & administrationem, ita quòd Princeps terrestrium animalium dicitur*. Ac proinde cùm Philippus Rex Macedoniæ somniasset Olympiam conjugem suam, quo tempore Alexandrum utero ferebat, Leonem quendam parituram (uti paulò antè diximus) firmiter sibi futurum esse persuadebat, ut filius suus in fortissimum Heroem evaderet, prouti reipsâ eventus sequens postea demonstravit. Unde illum veluti Herculem quendam Leonis exuviis indutum depingere solebat; ac demùm urbi Alexandrinæ, quam in nati filii honorem, & perpetuum monumentum ædificare cœpit, Leontopolim appellavit, id est, Civitatem Leonis. Verè S. Marcus Leo quidam fuit, prouti sub hujus animalis metaphora inter quatuor Evangelistas repræsentatur, ideoque illi non minus quàm Alexandro, & Herculi, imò majori jure Leonis debentur exuviæ, utpote qui prædicationis suæ fortitudine Leontopolim, sive Civitatem Leonis superavit, & mansuetam redditam, seu cicuratam, sub Evangelicæ fidei jugo humiliatam reddidit. Et quidem dum Leonem S. Marci duobus pedibus in terra, duobus verò aliis in mari consistentem video, planè intelligere videor mihi per hoc significari hunc mysticum Leonem nostrum prædicationis suæ fortitudine subjugasse sibi Alexandriam in terra situatam, & ex fidelium erga ipsum devotione factum esse urbis Venetiarum in mari situatæ Dominum & Protectorem.

Alciat. Embl. 15.

Laur. Justin in festo S. Mar.

Alciat. Embl. 57.

Barthol. Cassan. Concl. 78. p. 10. de animal. terrestr.

Pier. lib. 1. de Leone.

14. Macedonum Rex Alexandrinæ urbis fabricam inchoaturus, ideoque idæam illius quoad circuitus amplitudinem Architectis consignans voluit, ut acceptam calcem, & gypsum per totum districtum effunderent, quaquaversum urbis illius mœnia fabricanda, aut protendenda erant; at verò cùm nec calcis, nec gypsi tanta ad manum quantitas præsto esset, Rex autem fabricæ initium accelerari desideraret, loco calcis, & gypsi farinâ usi sunt, & tritico, quod tamen per circuitum urbis dispersum ab avibus protinus devoratum, & consumptum fuit. Qua de re Rex certior factus, eandem cum Philosophis mox contulit, qui eventum illum bonum augurium protendere, & boni ominis nuntium esse respondérunt, futurum enim esse ut civitas illa abundanti semper annonâ instructa esset, locus quoque esset mercimoniis tractandis, & negotiationibus instituendis aptissimus, ad quam proinde omnes circumvicinæ Provinciæ suum essent pro facienda quarumlibet occurrentium necessitatum provisione, habituri refugium. Enimverò augurium istud existimo fuisse eorum, quæ post eandem urbem à S. Marco Evangelista spiritualiter reædificatam in eadem urbe certò eventura erant, certum quoddam præsagium. Quamnam enim illi majorem Sacer Evangelista adducere abundantiam potuisset, quàm farinæ, seu Panis Eucharistici, & vini pretiosi sanguinis Jesu Christi affluentiam interminabilem? Isaac domum filii sui Jacob aliunde stabilire, aut confortare nesciebat, quàm relinquendo illi abundantiam panis & vini, ac proinde Esau fratri suo dixit: *Frumento & vino stabilivi eum*. Eodem quoque modo S. Marcus urbem Alexandrinam pane & vino Eucharistico stabilivit; unde cum Prophetæ ei dicere poterat: *Frumento, & vino, id est, frumento corporis, & vino sanguinis Christi*, inquit Paschasius, *stabilivi te*. Et quidem si nobilis hæc civitas hanc sibi à spirituali fundatore suo relictam substantiam ea, qua par est, diligentia, & fidelitate conservasset, sub infidelium intolerabile jugum de novo nunquam redacta fuisset.

Gen. c. 27. v. 38.

D. Pasch.

15. Deus olim per os Isaiæ Prophetæ altare suum in medio Ægypti erigendum esse prædixit: *In die illa erit altare Domini in medio terra Ægypti*. Medium sive umbilicum Ægypti Cosmographi servatâ justâ totius Ægypti geographiâ, seu dimensione urbem Alexandrinam esse volunt. Optarem hoc loco scire cur Deus in hac urbe sibi à S. Marco altare suum erigi, & in eodem sacrificia panis & vini, id est, corporis, & sanguinis Redemptoris nostri sibi offerri voluerit? Cur in Alexandria, quæ est cor, sive centrum, & umbilicus totius Ægypti? Observandum igitur hîc est pro faciliori responsionis intelligentiâ, Hebræos capere nullatenus, aut intelligere potuisse, gentem aliquam reperibilem esse, quæ eodem Deo cibetur, & pascatur, quem ipsa adorat; adeò ut Christo dicenti: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis*, difficulter fidem adhibere potuerint, ac proinde dicebant

Isai. 19. v. 19.

Pier. Valer. lib. 25.

Ioan. c. 5.

(estque multorum opinio Marcum id dixisse) *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Porrò eadem durities in urbe Alexandrina vigebat. In cujus veritatis testimonium omnes Ægyptii detestantur pastores, eò quòd armenta, quæ veluti Deos suos adorabant, alimenti loco

Joan. 6. v. 61. postea manducarent: *Detestantur Ægyptii pastores ovium.* Quid autem pro hac difficultate superanda faciendum restat? Profectò ad eandem evincendam neutrum è tribus illis animalibus sufficit, id est, nec homo, nec bos, nec Aquila, id est, nec Matthæus, nec Lucas, nec Joannes, sed Leonis requiritur fortitudo; vadat igitur S. Marcus, & prædicationis suæ fortitudine, Ægypti duritiem superare contendat, atque in meditullio illius Dei honore altare confestim erigat: *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti*; ut Ægyptii videntes quod in eodem altari Sacerdos, id est, Marcus, & fideles Sacramentato Deo suo cibentur non solùm per prædicationis Apostolicæ vim, & energiam, verùm etiam per illustre Marci exemplum victas dare manus cogantur.

D. Petr. Dam. ser. 1. de S. Marco. 16. Sanctus Petrus Damianus sacrum Evangelistam Berillo lapidi pretioso comparat: *Hodie dilectissimi velut pretiosus, & conspicuus coram oculis nostris auro radiante Berillus imprimitur.* Cur, obsecro, sacrum Evangelistam alteri gemmæ non comparat præterquam Berillo? Sanctus Ambrosius de hac gemma loquens, illam luminosam, claram, cœlestique colore imbutam esse dicit: *Berillus eximiæ claritatis est, caruleum colorem habens, significat puræ vitæ homines, & à sæculi actibus per omnia alienos.* Fortasse demonstrare volens, S. Marcum, eò quod hunc mundum, & omnia terrena bona contempserit, prorsus fuisse cœlestem, suamque mentem versus cœlum semper habuisse conversam, omnesque tum corporis sensus, tum animæ potentias ad cœli obsequia perenniter dedicasse. Verùm enimverò quis est, qui nesciat cœlum juxta Philosophorum opinionem ex temperamento incorruptibili, & inalterabili compositum, & consequenter corpus forte, & solidum esse? *Quia non habet annexum privationem*; Etenim Marcus Berillo per omnia similis existit; utpote qui plus de cœlesti quàm de terreno participat; quia *non habebat annexam privationem gratiæ divinæ*; Leonino pectore præditus erat, id est, animo forti, insuperabili, & invincibili. Nam quòd si illi minentur infideles, non curat: si mortem illi machinentur, non timet: si illi ad patibulum raptando laqueum injiciant, non formidat. O Berillum cœlo simillimum! ô Leonem invincibilem! ô Marcum ob fortitudinem spiritus insuperabilem! Verè palmæ illi comparandus venit, quæ quantò magis à pondere deprimitur, & aggravatur, tantò majorem ad se erigendam vigorem concipit, & fortitudinem. De qua proinde eruditus, & ingeniosus Author quidam scribit:

Quo magis premitur, hoc magis tollit onus *Alciat.*

Esto enim Marcus catenis aggravetur in carcere, minis, & flagellis laceretur in corpore, mysticus tamen Leo noster veluti Palma quædam cum tanto majori vehementia se per cœlestium contemplationem in sublime erigit, proprio Marci nomini perfectè correspondendo, quod sublimis interpretatur. Cum ingenti damno suo hujus nostri Leonis fortitudinem ipsi quoque Dæmones sunt experti, qui in ligneis, lapideis aut æneis idolis passim adorabantur, qui virtuti Verbi Divini, & prædicationi Sancti Marci non valentes resistere, una cum statuis laribulis suis in terram victi, & prostrati corruerunt: *Dæmonum simulachra, quæ illic colebantur, exterminavit, quæque in illis inerant, solo adæquavit,* inquit Procopius. Totus itaque Infernus si se adversus hunc Leonem armaverit, ejus tamen generositati prævalere minimè valebit. *Procopius.*

17. Inter alia, quæ de ipso leguntur prodigia, unum est, quod stuporis terminos omnino excedit. Etenim Martyrii coronâ Alexandriæ 25. die Aprilis Anno Domini 64. Neronis Imperatoris anno octavo coronatus fuit. Traditio autem est illius regionis perpetua, quòd recurrente quovis anno martyrii hujus anniversario die herba, quæ in loco ubi Sacer Evangelista sanguinem suum pro Christi fide effudit, nascitur, si conculcata, aut præcisa fuerit, copiosum sanguinem fundat. Quodnam nobis sanguis iste mysterium demonstrat! Eo tempore, quo in eadem Alexandrina urbe sancta Virgo & Martyr Catharina martyrio coronata fuit, venæ viscerum suorum non sanguinem, sed lac loco sanguinis abundè fuderunt: *Lac non sanguis effluxit.* Cur hæc lac, Evangelista verò sanguinem nobis propinavit; Lac tenellorum infantum cibus est; sanguinem autem fundere viris proprium est, generosis, intrepidis, fortibus. Unde terra loci illius, in quo mysticus Leo noster sanguinem suum fudit, hoc sanguine potata herbas producit, quæ non lac, uti suæ naturæ conformius facere debebat, sed sanguinem ministrat: *In vita ejus.*

In

In loco, per quem tractus fuit, si quis in die Passionis sua herbam ibi nascentem laceraverit, sanguinem vivum emittit. Hinc igitur facilis est conjectura, num sanguis S. Marci sanguis fuerit generosi, & fortis Leonis; siquidem ipsa quoque terra, quæ sanguinem ejus imbiberat, & ex ea natæ herbæ eundem sanguinem fundendi vigorem participant, ita, ut herbæ illæ frangantur contra naturalem inclinationem, non tanquam teneræ herbæ lac, sed verum sanguinem copiosè fundant.

Petr. de Natalib. lib. 4. c. 86.

18. Tanta est Leonis fortitudo, ut solo suo rugitu omnes alias feras in terrorem adigat; Audite Rupertum Abbatem idipsum affirmantem: *Ad vocem sive rugitum Leonis omnia contremiscunt, & cuncta animantium natura terretur, juxta illud: Leo rugiens quis non timebit?* Talem se Leonem Marcus variis modis esse probavit. Postquam enim S. Evangelistæ Martyrium completum fuit, infideles, & pagani sacrum ejus cadaver igne cremare & in cineres redigere decreverant, verum terra (haud secùs, ac si Leo quidam rugitum quendam edidisset) tota tremere, aër velut conterritus obscurari, terra quodam grandinis diluvio adimpleri cœpit, audita sunt horrenda intonari tonitrua, visæ sunt è cœli fulminis sagittæ vibrari, adeò ut infideles omnes huic prodigio præsentes fuga sibi consuluerint, sacratissimo corpore post se relicto: *Cùm gentiles vellent corpus suum comburere, subitò aër turbatur, grando exoritur, tonitrua intonant, fulgura coruscant, ita ut multi timore corpus dimitterent.* O quàm horrendos rugitus ad perterrefaciendas hominum peccatorum feras fortis hic Leo edidit, prouti in variis Sacri sui Evangelii locis etiamnum audiri possunt! An non vos, ô crudeles, & impii, rugitus ille consternat? *In quacunque mensura mensi fueritis remetietur, & adjicietur vobis?* Nunquid vobis, ô filii ingrati, qui genitores vestros verbis & factis malè tractatis, metum terribilis hic rugitus incutit? *Qui maledixerit Patri, vel matri morte morietur?* Nunquid rugitum hunc vos, ô blasphemi expavescitis? *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit delicti?* Nunquid vos attonitos reddit, quotquot cor in malo obstinatum habentes Verbum Dei attentâ aure auscultare non vultis? *Adhuc cæcatum habetis cor vestrum, & non auditis?* Nunquid horretis, ô superbi, hunc gravem rugitum audire: *Qui voluerit fieri major erit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit omnium servus?* Nonne vos rugitus ille, ô Avari, conturbat: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei;* An non vos hypocritæ, rugitus ille horrendus tremere facit. *Multi venient in nomine Dei dicentes, quia ego sum, & multos seducent?* Denique nunquid rugitum hunc pertimescitis, quotquot operibus vestris pessimis vos parum de sacro Dei Evangelio credere demonstratis: *Qui non crediderit damnabitur;* O rugitus! ô tonitrua! ô fulmina expavescenda.

Rupert. Abb. in Apoc. lib. 6. cap. 1. Et D. Ambr. lib. 6. Hexam. cap. 3.

Petr. de Natal. ubi sup.

Marc. 4. 25.

Cap. 7. v. 11.

Cap. 3. v. 29.

Cap. 8. v. 18.

Cap. 10. v. 44.

Cap. 10. v. 25.

Cap. 13. v. 6.

Cap. 16. v. 16.

PARS SECUNDA.

19. INter alias, quæ in Leone, ultra jam allatas, repertiuntur proprietates, hæc est valde quoque consideranda, quod scilicet Leo ad correspondendum receptis beneficiis per condignam gratitudinem sit omnino promptissimus. Aulus Gellius, & Athenæus scribunt, quòd miser quidam in Dacia servus, nomine Androdus crudelitatem Domini, quam tyrannicâ manu adversus ipsum exercitabat, diutius sustinere non valens Dominum suum deserere, sibique fuga consulere decreverit. Post elapsos à fuga sua tres annos, adversante sibi fortunâ, ad quosdam divertit, qui ipsum mox agnitum, carcereque mancipatum pristino Domino suo restituerunt, qui majori ob cœptam fugam crudelitate accensus, ipsum à feris vivum dilaniandum ad Circum condemnavit. Quapropter die mortis suæ determinato Leo quidam ferocissimus in apertum campum prosiliens, oculis fulminare, & rugitibus ferocire cœpit. Mox verò, ut Androdum vidit, ferocitas in mansuetudinem commutata fuit; nam ante illum toto corpore prostratus, pedes ejus lingebat, multisque eum circum eundo blanditiis demulsit, totumque se illi amabilem, & placidum exhibuit. Cæsar obstupescens causam hujus Androdum interrogavit, qui respondit: postquam ab Hero meo fugame subduxissem, in antro quodam quietis captandæ causa consistenti hic idem Leo claudus, doloribusque penè confectus, ac sanguine madidus comparuit, & elevatum à se pedem læsum mihi ostendit, quasi medelam doloris sui à me postulaturus, in quo acutissimam festucam deprehendi, multis illum acutisque doloribus excruciantem; hanc è pede ejus extraxi, & simul omnem in eo mitigavi dolorem, qui statim multis me blanditiis prosequens, qualem potuit pro accepto beneficio mihi retulit gratitudinem;

Athenæus lib. 13. c. 30. Et Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 5. c. 14.

Constant. de Notaris de leone lib. 2. c. 23.

Ælian. hist. nat. l. 7. c. 43.

Nunc autem variis ex signis eundem hunc Leonem esse cognosco, qui me quoque mox ut agnovit, multis cogitatis, & benevolentiæ signis in signum gratitudinis mihi exhibitis, quod in illum contuli beneficium, compensare nititur.

10. Porrò necessum est, ut homo ab ipsis ferè discat qualiter benefactori suo, debita cum gratitudine obviare, & correspondere debeat; Id quod Seneca nos quoque edocet, cum ait: *Acceptum beneficium æternæ memoriæ infigendum est.* Non tamen sanctus Marcus necessum habet ut monitum istud à Seneca ediscat, utpote qui suo Leoni similis, per veræ gratitudinis exemplum, tanquam Magister, virtutem hanc alios docere poterat, & porro docuit peregregiè. Etenim ex paulo ante dictis nostis, quod cum sanctus se sacerdotio indignum reputans, ne ad illud eveheretur, & functiones sacerdotales exercere adstringeretur, suadente humilitate dexteræ manus pollicem sibimetipsi amputarit. Sanctus autem Apostolus Petrus, amantissimus ejus Magister, discipuli sui probitatem, & sanctitatem satis habens perspectam, pollicem illum dexteræ sacri Evangelistæ protinus restitui miraculosè à Deo impetrarit. Quid igitur hic Marcus in signum debitæ gratitudinis erga Magistrum suum faciat? Audite. Calamum mox apprehendit, & non solum restitutum sibi pollicem, verùm etiam totam manum conscribendo Evangelio suo adhibuit, ut voluntatem Magistri sui secundaret, & beneplacito tanti sui benefactoris gratanter satisfaceret. O gratas recepto beneficio vices relatas!

Seneca. ad Lucillum Epist. 28.

21. Ad hæc, confestim ut in Urbe Alexandrina appulisset, cogitationes suas in Ecclesiam quandam fabricandam divertit, quæ fidelibus ovibus pro sacrarum functionum celebratione commoda esset: quod ita propositum Cælo ipsi per omnia impensè favente, intra breve temporis spatium suum est sortitum effectum, prout desiderarat: hancque ita feliciter absolutam Ecclesiam gloriæ, & honori Magistri sui devotissimè consecravit, eandem *Sancti Petri* Ecclesiam cognominans, prouti sanctus Damianus affirmat: *Hoc itaque modo Alexandrinam fundavit Ecclesiam, eamque non suo, sed magistri nomine titulavit, ut ad honorem Beati Petri Sedes Apostolica nuncupetur.* Scire hic percuperem quidnam sacrum Evangelistam ad hoc permoverit, ut fabricatam à se Ecclesiam sancti hujus Apostoli honore dedicaret, & consecraret. Primitiæ etenim Deo debentur, atque ideo, cum illa prima esset inter omnes ab ipso erectas Ecclesias, eandem sacratissimæ Trinitatis, vel saltem unius è tribus personis Divinis, vel denique Beatissimæ Virginis, & Matris Dei titulo condecorare debebat. Verum nequaquam ita visum est Leoni nostro mystico, quin potiùs erga Magistrum suum sanctum Petrum gratum se exhibere voluit; quasi diceret: Apostolorum Princeps mihi non solum nomen imposuit, verum etiam officium pariter, & authoritatem Episcopalem; unde quia me ad hanc dignitatem evexit, intermittere nequaquam debeo, quin pro debita correspondentia inter me & benefactorem meum conservanda, me gratum illi pro viribus exhibeam, hanc ei gloriam, & honorem attribuendo, ut scilicet primus titulus sub S. Petri nomine erigatur, & intituletur.

Serm 2. de sancto Marco.

22. Jam sæpius nominata Ecclesia Alexandrina (ut idem Damianus scribit) post Ecclesiam Romanam præcipua est inter omnes, quæ in toto mundo illius temporibus florebant: *Ecclesia Alexandria præcellit illam Antiochia, sicuti Romana Alexandrinam.* Etenim quod Alexandrina Ecclesia præcellentior fuerit, quàm cunctæ totius Ægypti Ecclesiæ, non adeo miror, cum situata sit in ea civitate, quæ metropolis est totius Ægypti, quod autem etiam Antiochenæ præferri debeat, quæ Summi Pontificis sancti Petri Sedes, & residentia fuit, valde obstupesco. Veruntamen si hujusce difficultatis intelligentiam atteq i velimus, adeamus sancti Matthæi Evangelium, ibi namque inveniemus quod Christo Pascha cum discipulis suis celebrare volente, discipuli de loco, in quo illud celebrari volebat, fuerint solliciti, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Quibus Dominus respondit: *Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis* Quisnam erat is, qui locum celebrandæ paschati præparaturus erat? Petrus: ac verò quia discipuli nunquam soli ibant, Joannem ei viæ comitem assignavit, prout sanctus Lucas refert: *Misit Petrum, & Ioannem, alterum ut diligentem, alterum ut dilectum,* Luc. 22. inquit Theodoretus in Catena. Discedunt igitur, dumque in via versus civitatem in procinctu essent, obvium habuere virum hydria aqua plena onustum; quem Petrus convenit dicens:

Serm. 3. de sancto Marco.

Matt. 26. n 17. n. 18.

D. Th. in Luc. 22.

Bone

Bone vir, obsequium aliquod à te exposco, à quo non modica quoque in te manabit utilitas. Perlibenter illud præstabo, inquit vir ille, saltem dicite, in quonam obsequii genere servire possim. Cui Petrus : Magister meus pro Paschate celebrando domo tua opus habet, quam proinde nobis tantisper hoc fine accommodatam vellemus. Libentissimè, subdit vir ille, vos domus meæ Dominos esse jubeo, ac proinde pro libitu vestro de ea disponite. Hic scire cuperem, quisnam sit vir ille, qui cum Petro loquitur, suamque Domum tanta cum promptitudine offert? Nonnulli Marcum fuisse asserunt, qui valde gavisus est domum suam tam speciali honore, & favore condecorati : *Sermo quidem à Patribus traditus ad nos pervenit, eum qui lagenam aquæ portabat fuisse Marcum beatæ illius Mariæ filium.* Magnum favorem, inquit Marcus, mihi Petrus præstitit, quando domum meam elegit, ut à Dei Filio, & Apostolis hodie tanto honore afficeretur; Quare erga illum ingratus videri nolo, sed pro tanto beneficio ipsi in urbe Alexandrina Templum erigere, & consecrare decrevi, quod post Romanum primum, & nobilissimum erit totius mundi Ipse domum meam honoravit, ego autem in debitæ gratitudinis signum magnificabo Ecclesiam suam. *Ecclesia Alexandria præcellit illam Antiochia, sicut Romana Alexandrinam.*

Alex Mon apud Surium & Lipom. 11. Iunii.

23. Portò sacrum Divi Marci corpus multis annis Alexandriæ requievit; Dumque Venetias transferendum, è loculo Alexandrino levaretur, suavissimo odore universam illam civitatem adimplevit. Quia enim jam dicta urbs sacri Evangelistæ cineribus in sinu suo hospitium præbuit, in peculiare gratitudinis signum eandem urbem fragrantissimo odore perfudit. *Cum tolleretur corpus ejus Venetias asportandum, odor totam Alexandriam perfudit.*

24. Verum enimvero ut Urbs Veneta sacras hasce reliquias, in securiorem, quam possent, custodiam acciperet, easdem in sinum patietis cujusdam collocarunt, ubi tam diu quieverunt, donec diuturnitas, & longitudo temporis locum illum per oblivionem extra omnem hominum memoriam reponeret, adeo ut ubi repositæ essent, prorsus nesciret. Magnam quidem ad explorandum corpus adhibuerunt diligentiam, sed cassam prorsus & irritam. Tota Civitas ad orationes se recepit & jejunia, multis diebus institutæ sunt supplicationes, & Processiones, rogando assiduè ut S. Evangelista illos exaudire suumque corpus sive locum, in quo beata ejus ossa asservarentur, manifestare dignaretur. Sacer igitur Evangelista ad preces adeo ferventes, & universalem Venetorum devotionem inurbanum se exhibere noluit, sed potius erga illam populi insignem pietatem gratum se ostendit, quando ex improviso, *Lapides à columna prosili unt, & arcam ubi corpus ejus latebat, omnibus evidenter ostendit.*

Iacob. de Vorag. in vita ejus.

Iacob. de Vorag.

25. Cum Dei Filius esset juxta stagnum Genesareth, ingēs ad eum confluxit hominum multitudo cupientium Verbum Dei ab eo audire. *Vt audirent Verbum Dei.* Luc. 5. Ut igitur devotæ eorum curiositati satisfaceret, videns Petrum piscatum quidem esse, sed sine fructu, rogavit eum ut navem suam tantisper concederet, ut ea pulpiti loco utens, discursum quendam spiritualem, & salutarem ad turbas pronuntiaret; Quod Petrus libentissimè præstitit. Dominus igitur navim ingressus ad sedendum se composuit: *Et docebat de navicula turbas* Ibid. n. 3. Sermone autem finito, ut se Petro ob mutuatam naviculam gratum exhiberet, jussit Petrum ad piscationem denuo redire, magnamque illi piscium prædam ex illa piscatione promisit : *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* num. 4. Qui jussui Salvatoris obtemperarunt; *Et ceperunt piscium multitudinem copiosam.* num. 6. O quam est hæc Dei nostri civilis, humanaque gratitudo! *Quia vero turbam de navicula Dominus instruxerat, non sine mercede navicula Dominum dereliquit, beneficians ipsum, quia dedit ei multitudinem piscium*; inquit Theophylactus. Urbs Venetiarum sancto Marco non naviculam, in qua ad mediam horam concionaretur, sed urbis suæ sinum, in quo semper, & perenniter requiesceret, libenter cessit; atque ideo sanctus Evangelista, ut gratum se ostendat, urbi Venetæ dicere videtur : *Duc in altum, O Venetia*, id est, præpara lingua, naves, triremes, imo integras navium classes, in altum mare concede, non ut pisceris, sed ut prælieris, faciasque non jam piscium prædam, sed strages Turcarum. Et sicut discipuli *Concluserunt piscium multitudinem copiosam*, ita tu, ô Venetia, innumerabilem Turcarum, mancipiorum, navium, tritemium capies prædam; ac proinde in omnibus præliis hactenus pro Republica Veneta habitis, & deinceps habendis in signis militaribus sivè vexillis Leones S. Marci conspiciuntur, qui pro exercitus Veneti salute, & bona custodia vigilias agunt; in imminentibus præliis animi fortitudinem, & generositatem suggerunt, atque in

Theop. in cap. 5. Luc. apud D. Thom. in Cat.

Ib. n. 6.

evidens

evidens gratitudinis signum favorabiliter tibi assistunt, ut in terra, marique adversus infestissimum Catholicæ fidei hostem, & formidabilissimam totius mundi potentiam dimicando, è prælio palmam referas, & glorioſissimè victrix, & triumphatrix evadas. Quapropter generosissimè, & animosissimè certa, & præliare bella Domini, Leo enim glorioſissimi Evangelistæ tui potens est, & abunde sufficiens, ut vel unico duntaxat rugitu crudelissimas, ferocissimasque tibi adversantes feras, sub infaustis Mahumeti vexillis militantes, & intra lignorum, id est, navium sylvas per mare, ut te infestent, divagantes, internecioni tradant, & in turpem fugam agant. Interim non tantum Respublica Veneta, verùm etiam omnes Prælati, imo totus Christianus orbis ex hujus mystici Leonis salutari exemplo vigilantiam in Dei servitio exhibendam addiscant. Ab eodem quoque capiant insignia fortitudinis documenta, ut cum Fidei Catholicæ inimicis, & universa Dæmonum infernalium phalange intrepidè dimicare valeant. Et Respublica Veneta speciales huic sancto honores, in signum grati animi pro beneficiis impendendos constanter prosequatur, & continuet, uti hactenus summa cum laude, & totius mundi applausu devotissimè fecerunt, sic enim mysticus Leo noster pro ipsis terra marique vigilabit, illosque proteget. AMEN.

SERMO DUODECIMUS.

IN FESTO SANCTORUM APOSTOLORUM JACOBI ET PHILIPPI.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet; Creditis in Deum, & in me credite: In domo Patris mei, &c. Joann. cap. 14.

1. PRæsens hic mensis Majus, qui ab antiquis olim Deæ Floræ dedicatus erat, amœnus delitioſissimusque hortus quidam mihi esse videtur, in quo terra virgultorum suorum fœcunda genitrix cum in lætissimo cæli aërei campo frondes dilatat, diversis coloribus variegata pomparum suarum extendere videtur vexilla. Nullus in viridario ramus, vel germen cernitur, cui surgens aurora tributi loco non det tot pretioſas margaritas, & uniones, quot in illius sinum matutino diluculo labuntur, aut ejus vultum respergunt rotis stillæ. Nullum est in arbore quavis folium, quin natales suos à jucundissimo Majo, tanquam verni temporis Duce profectos esse recognoscens, Cælo tanquam benigno suo benefactori, odoriferæ fragrantiæ suæ incensa oferendo, non correspondeat. Frondes sese mutuo dulciter amplexantes, odoriferæ Deæ Floræ tanquam jucundissimæ reris Præsidi, quot foliis, totidem viridantibus Smaragdis constantem thronum erigere contendu t. Quod si flores in molestissima meridiani caloris hora frontem inclinantes in materni styli brachiis obdormiscunt, mirum non est, nam canoræ volucres, harmonicos in purificati gutturis organo conventus formantes, ad dormiendum illos quasi invitant, dulcemque ac felicem somnum augurantur. Sol quidem flores temerarios esse existimat, quia illos secum quoad pulchritudinem concertare velle præsumit, ac proinde ardentium radiorum suorum ferula eosdem mortificare satagit, vitæ jucundos colores, in tristes mortis pallores commutando: verumtamen Zephyrus suavibus susurris suis per circuitum ipsorum ludendo, eosque veluti ad saltandum provocando, serenam in floribus vultus jucunditatem constanter conservat. Imo ipsummet cælum pompoſæ terræ, & Maji elegantiæ invidens, ab ornamentis ejus formam & idæam

sumit

sumit, cæruleam chlamydem suam stellis veluti floribus phrygio opere contexendi. O Maje jucundissime gratiosissime, miræ pulchritudinis theatrum, tenellarum arborum tutor, Deæ Floræ thesaurari munificentissimè! verum enimvero longè opulentiora sunt ornamenta, longeque pulchriores, & fragrantiores sunt flores illi, qui in hoc jucundissimo mense Veris cujusdam spiritualis, & mystici se nobis exhibent, propter quos non minùs, quàm alii menses gloriosè resplendet. *O quanti redolent virtutum flores*, inquit Beatus Laurentius Justinianus, *quam multæ fœcundæ arbores? Sunt justi quique & sancti Patres diversi generis spiritualia arbusta in illo erecta ad sydera semper virentia, foliis divinorum eloquiorum amœna, pietatis, & misericordiæ operibus fœcunda, quæ nequaquam inutiliter terram occupant.* Retrogrediamini de novo, Auditores, & considerationis gressibus in mysticum hoc Maji viridarum concedite, ac tandem non minus curiosis, quam devotis oculis miram arborum, florumque Dei Ecclesiam adornantium, illamque ob sanctitatis fragrantiam adorabilem quasi reddentium varietatem observare. Inter cætera autem mystici Veris ornamenta illam præcipuè arborem reverenter contemplemini, quæ Salvatoris nostri sanguine pretiosissimo humectata jucundissimos humanæ spei, & fiduciæ flores, speratosque humanæ redemptionis fructus progerminavit, sub cujus gratissima umbra Eventius Theodulus, & Juvenalis gratiosè consistunt. Jucundissimi quoque in eodem tres flores Amarani, Athanasius nimirum pro Ecclesia Alexandrina, Gregorius pro Nazianzena, & Ubaldus pro Eugubina Ecclesia efflorescunt? qui non inter hybernos rigores, sed inter mortificationum amaritudines, mundanas turbulentias nunquam visi sunt pallescere, aut languere, sed pro Dei obsequio, subditorumque salute vitam, & vigorem suum constantissimè conservarunt. Mentis quoque oculos iterum revolvite moxque non procul inde eximiæ sanctitatis vase fragrantem conspicietis pallidulam violam, cujus vultum Divinæ gratiæ aurora lachrymoso quodam rore conspersit, estque mulier illa plorans, & lachrymabunda, è qua postea elegantissimus ille flos, sanctæ Ecclesiæ Doctor præstantissimus Augustinus natus fuit. Haud procul à porta Ecclesiastici hujus viridarii Laurus quædam perpetuò virens vernare conspicietur, de qua Scriptores affirmant, quod *sola inter arbores, ictum fulminis non incurrit*, estque factus Joannes *ante portam Latinam*, hic enim, tanquam elegantissima laurus, à fulmine tyrannicæ crudelitatis lædi nunquam potuit, sed ab illo vegetior, pulchriorque semper evasit. Adhæc non jam in throno quodam Smaragdino, sed in Apuliæ montis Gargani antro pulcherrimum quoddam Lilium ex improviso non jam è terra productum, sed è cælo delapsum apparet, nam si de Lilio Vincentius Belluacensis scripsit: *Dum candor in foliis est, auri tamen species intus effulget.* In sancto quoque Archangelo, mitus puritatis candor, ferventis cujusdam charitatis auro conjunctus videtur. In ejusdem quoque mystici Maji spirituali viridario superbire conspicitur pulcherrima quædam arbor rutilantibus Malogranati floribus benè onusta, suntque quatuor illi glorioli Christi Martyres, Stanislaus, Gordianus, Epimachus, & Bonifacius, qui proprio sanguine tincti gloriosa martyrii corona laureati esse noscuntur. In alio quodam vase argenteo Cælo nasci videntur varii colores. Narcissi, Ligustra alba, Cariophylli, & Hyacinthi, id est, Nereus, Achilleus, Domitilla, atque Pancratius, qui Carnificis ferrum non sunt veriti, suamque pro fide Catholica vitam prodigere non dubitarunt. Nec minoris elegantiæ flores sunt duæ illæ sacræ virgines Prudentia, & Petronilla, quæ se per intactæ virginitatis fragrantiam adeò Cælo gratas effecere, ut Creatoris sui manu in campos Cæli Elysios fuerint transplantatæ. Eheu, quantam sanctæ Romanæ Ecclesiæ majestatem adferunt illa quatuor summorum Pontificum heliotropia, qui tanquam veri Solis vicarii veluti gygantes super omnes alias floridas Christianismi arbores in proceritate exercuerunt, scilicet, Urbanus, Eleutherius, Joannes & Felix, quibus haud immerito in floridissimo urbis Florentinæ viridario prognata duo candidissima Lilia, Beatos Philippum Nerium Congregationis Oratorii Patriarcham, & Mariam Magdalenam de Pazzi Carmelitanam supremus Ecclesiæ hortulanus Urbanus VIII. Pontifex Maximus haud ita pridem magno cum Ecclesiæ bono adjunxit.

In Festo SS. Phil. & Iac. f. 3. fo. 2.

Petrus Berch. l. 12. c. 84.

L. 10. c. 8. 83.

2. Verum, quonam mea me abvexit oratio? quantum me jam dictorum florum venustas pariter, & fragrantia abtripuit, ut ad ipsum viridarii primum introitum, ipsas inquam Maji Kalendas, minime reflexerim? Hic enim duas

conſpicio rutilantes Roſas, quæ oculos ſibi attrahunt, & rapiunt aſpicientium corda ſuaque purpurea folia dilatando, totidem linguis hujus verni temporis jucunditatem, & amœnitatem deprædicant, & Paſchalis hujus temporis lætitiam adaugent, ſuntque duo Sanctiſſimi Chriſti Apoſtoli Philippus, & Jacobus: *Duo iſti Apoſtoli duæ Roſæ, quibus floridi menſis Kalendæ conſecrantur.* Roſæ ſunt purpureæ ob charitatem ardentiſſimam, quam demonſtrarunt, quæ inter ſpei viridantes frondes & pungentes tormentorum & perpeſſorum ſpinas jucundiſſimè rutilant. Quare loquantur nobis hoc mane hæ roſæ, vos autem, ut quod alius quondam ait, dicere poſſitis. *Audivimus roſas loquentes* id quod dicent cum attentione, & ſilentio auſcultate.

Didacus de Avendag. in Pſal. 44. in tab. Conc. die 1. Maji.

3. Ut Chriſtus Dei Filius Apoſtolorum pectoribus charitatem inſereret, illamque utpote quæ teſte S. Gregorio *ad alterum tendit*, intactam ſemper, & inviolabilem in beneficium proximi conſervaret, eos præmonuit ne turbarentur, bono ſemper, & generoſo animo eſſent, ſiquidem in domo æterni Patris ſui pro omnibus ipſis, multiſque aliis variæ habitationes præſto eſſent: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quæ verba ex mente S. Auguſtini ex fervore charitatis Chriſti erga diſcipulos ſuos nata cenſentur: *Quoniam Deus charitas eſt, per charitatem fiat, ut, quod habent ſinguli, commune ſit omnibus; ſic enim quiſque etiam ipſe habet cum amat in altero, quod ipſe non habet? non enim erit ita aliqua invidia imparis charitatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.* Proprium namque eſt omnibus, qui charitate ſunt præditi, omnibus benè eſſe deſiderare, illudque deſiderium per beneficentiæ opera executioni mandare, in quantum ſe charitativæ humanæ poſſibilitatis vires extendunt: *In colore Roſa deſignatur charitas*, inquit Durandus. Roſa quoque, quæ amoris ſymbolum eſt, pulchritudine & venuſtate ſua allicit, & odorum ſuorum fragrantia recreat nos, & delectat *Cerebrumque & confortat.* In aquam quoque, & oleum convertitur ad corporum humanorum maximam utilitatem. Porro otioſa charitas talento inutili ſimilis eſt, quod ſubtus terram jacet abſconditum.

D Aug. in c. 14. Ioan. apud D. Thom. in Cat. Durand. in Rat. Div. off. lib. 6. in Dom. 4. Quadr. Vinc. Belu. L. 10. c. 133.

4. Ad propoſitum hoc loco mihi facere videtur ille Scripturæ locus in atteſtationem illius amoris, quo Pater æternus unigenitum Filium ſuum diligit, ab Evangeliſta Joanne adductus, dum inquit: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* q. d. Omnes divitias ſuas ei communicavit? *Omnia dedit ei in manu.* Textus Græcus copulativam (&) in cauſalem, ideo, tranſmutat, quaſi diceret: *Quia Pater diligit filium, ideo omnia dedit in manu ejus.* Porro ſenſus hic ad veram loci intelligentiam ſatis quidem foret accommodatus, niſi doctrinæ ſacræ Theologiæ videretur repugnare, ſiquidem ſecundùm veram Theologiam potiùs videbatur dicendum: *Quia Pater generat filium, ideo omnia dedit in manu ejus.* Cum apud ſacros Theologos certiſſimæ veritatis loco habeatur quod *in divinis in primo ſigno eſt generare, & in ſecundo amare.* Amor enim ad generationem ſequitur, quam proinde ſicut & perſonam generatam prius ſupponere debemus, quam actum amoris reſpectu ejuſdem perſonæ ut amatæ: Neque enim quis amare poteſt illum, qui nondum eſt genitus. Unde Pater generando filium eidem totum illud communicat, quod habet in eſſe abſoluto, id eſt, eſſentiam, Divinitatem, attributa, &c. adeoque ſi in primo ſigno, in quo eſt generatio *Pater dedit omnia filio*, quomodo ſanctus Joannes dicit, quod omnia dederit in ſecundo ſigno, in quo conſiſtit actus amoris: *Quia Pater diligit, & non quia generat?* Qua ratione de novo recipi poteſt, quod jam antecedenter poſſidebatur. Quod ſi Pater Verbum generando eidem non communicaſſet omnia, tunc modus loquendi ſancti Joannis, quo dicit: *Pater dedit omnia filio, quia eum diligit*, non haberet difficultatem, nunc autem cum contrarium verum ſit, qua ratione hæc Theologia ſancti Joannis ſuſtineri, & mota difficultas intelligi poſſit ignoro. Etenim Sacer Evangeliſta, qui amore, & charitate plenus fuit, demonſtrare verbis illis voluit, quales amoris erga proximum eſſe debeant conditiones, & qualitates? id eſt, quon non debeat eſſe otioſus, ſed fœcundus, & fructuoſus? Item, quod amor verè amor dici nequeat, qui ad proximi utilitatem non inclinatur, nec vera charitas dici aut recognoſci mereatur, quæ non benefacit proximo. Unde, ut ſanctus Joannes hanc veritatem authenticam faciat, dicit quod Pater æternus, tanquam verus amans, omnia ſua Filio donet: Nam ſi *amare eſt bene velle, ſive benefacere*, ſequitur quod non amet, qui amato non benefacit: *Non videtur ſatis amator, qui donis vacuus eſt*; ac proinde Pater æternus *Munificentia, & donis comprobavit ſe diligere Filium, ac ſi minùs ſufficienter comprobaſſet ſuum amorem ſi non*

Ioan. 3. v. 35.

Marc. de Piſe. t. 2. p. p. ho...

Apud Didac. de Celad. c.

non omnia Christo donasset Unde evidenter in-
12 v. 1. in Iudith. §. 3. n. 13. fertur quod *Qui dat omnia quia diligit, benefacit motivo Dilectionis, & Charitatis.*

5. Omnes in universum Apostoli, utpote Charitate pleni, maximo cum fervore nulli parcendo labori, imo propriammet negligendo vitam, utilitati corporum, & saluti animarum procurandæ dediti fuere, præcipuè verò duo hi discipuli. Quorum unus, scilicet sanctus Jacobus, Hierosolymis factus Episcopus triginta annis continuis in ipsius quoque Caiphæ conspectu, & præsentia prædicavit, unde & ex pulpito præcipitatus
Petrus de Natal cap. 10. S. Idem cap. 107. fuit: *Qui fracto crure ex die illo plurimum claudicavit?* dummodo enim animas illas salute donare posset, vitam suam propriam periculo exponere minimè curavit: Sanctus Philippus autem *Viginti annis per Scythiam instanter Christi Evangelium prædicavit.* Imo cum ante altare illud, in quo Martis statua à Scythis adorabatur, perductus esset, subtus illud delitescens Draco quidam ex improviso egrediens, filium Pontificis ignem sacrificio subministrantem occidit. Duos quoque Tribunos percutiens in terram mortuos prostravit, suoque pestifero halitu omnes quotquot præsentes aderant contaminavit: at vero ardens Philippi charitas tantum malum nequaquam permisit, quin potius post acceptam promissionem quod in loco in quo Martis simulachrum stabat, Crucem plantare posset, Draconem protinus expulit, toxico contaminatos liberavit, tribusque mortuis vitam restituit: *Apostolus in nomine Iesu Christi Draconem fugavit, tres quoque prædictos mortuos suscitavit, omnemque turbam flatu Draconis morbidatam sanitati restituit?* inquit Belluacensis in spec. Hist. lib. 9. cap. 88. Imo una cum corporum sanitate, singulis quoque animarum salutem est impertitus. *Ita ut omnes qui prius persequebantur eum, pœnitentiam agentes, Deum hunc æstimantes adorassent & baptizati sunt.* O purpureas Rosas! O Apostolos in charitate ferventissimos.

6. Porrò Philippi charitas longe magis relucebit, si novam tam super turbas veneno contaminatas, quam super tres mortuos ab eodem Apostolo resuscitatos reflectionem instituerimus. Constat etenim ex Genesi Deum prothoparenti nostro Adamo serio prohibuisse ne manum suam in arborem scientiæ boni & mali ad fructus illius decerpendos extendere ausit, idque sub pœna amissionis vitæ & mortis sibi infallibiliter adsciscendæ: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis morte morieris.* Gen. 2. Eva autem in transgrediendo hoc mandato Dei prima fuit: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile & tulit de fructu illius & comedit:* Ibid c. 3. n. 6. Quæro igitur, an mulier hæc prævaricatrix protinus mortis reatum contraxerit? Proculdubio, dicetis. Verum nunquid aliquod reperiri medium poterit mortem hanc evitandi? Minimè? siquidem ita est determinatum à Deo, cujus decreta infallibilia existunt? atque ideo si erravit, morti infallibiliter subjacebit, nec est in mundo locus ubi illam effugere aut evadere possit. Audite igitur nunc si placet, eam quam circa hoc habeo difficultatem? Certum est enim quod Adam post commissum à consorte sua errorem, illam advocarit, eique hoc nomen Eva imposuerit: *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva.* Eva! Quale nomen est istud? Quid significat? *Gen. 3. n.* Idem est quod *Chavath*, & à *chai* derivatur, ac *20.* vitam habere significat. Quis hic non videt in contradictorio laborantes Deum & Adamum. Ille namque dicit: Si comederit ex arbore morietur & non vivet: Adam verò prorsus contrarium asserit, nam postquam præceptum Dei transgressa fuisset, eidem vitæ nomen imponit: *Eva eo quod mater esset cunctorum viventium.* Qua ratione unquam *De eodem subjecto, & respectu ejusdem temporis* duo prædicata contra- *Ibid. n.* dictoria verificari poterunt? Quomodo una eadem- *21.* que mulier mortua esse poterit, & simul etiam in eodem instanti viva? Itane temeratius Adam esse audebit, ut iis quæ à Deo decreta fuere, verbis suis contradicere ausit? Fortene Divinam sententiam in Eva adimplendam esse minimè credidit? Imo verò illam potius infallibilem esse censuit. Quomodo igitur Adam vocare illam potuit matrem & Dominam vitæ, quæ jam per Divinum decretum filia & mancipium facta est mortis?

7. Ne vobis displiceat, vos ô Auditores obsecro, quod non expectata præcedentis difficultatis resolutione, aliam hoc loco difficultatem in medium adducam. Constat enim non minus ex eadem Genesi quod Cain ex eo quod suum sacrificium Deo non æquè ac fratris sui Abel oblatum sacrificium gratum esset, graviter ex hoc indignatus & invidiæ stimulis agitatus fuerit, adeo etiam ut vehementia choleræ suæ seductus nimis exorbitantem atque præci-

piem in mente sua de occidendo fratre suo concepérit resolutionem. Dumque ex intetiori viscera ejus ferociter remordente conscientia consilii inops menteque totus confusus esset, faciem suam in Cælum levare non præsumpsit, sed prono & inclinato capite, firmatis in terram oculis totus mœstus & desolatus incedebat. Deus igitur qui futuras & impias suas resolutiones jam longe ante præviderat, eum convenit, non tantum ut illum reprehenderet, verum etiam ut scelera ejus pro meritis condigne castigaret. Sed audite obsecro modum, quocum cum ipso procedit & loquitur. Huc adsit Cain! Dic mihi: *Quare iratus es? Cur concidit facies tua?* Gen. 4. v. 6. Quis hic Deum non in hunc fere modum non alloquatur? O Domine hæc tua verba quibus Cainum alloqueris, in stuporem me ferè inducunt, nam dum illum pro sua malitia à te castigandum esse crederem, tu è contra mansuetè & benignè illum alloqueris? Nam haud secus ac si tibi pessimæ ejus qualitates notæ non essent, irregulatæ iracundiæ suæ, nec non conturbati vultus, & inclinati in terram capitis causam quæris? *Quare iratus es?* Hæc effectuosa non rigorosa verba sunt, qualia ipse merebatur. Cum malis benignè & mansuetè procedere, est iisdem ne emendentur sed liberius peccent, occasionem subministrare, imo ut boni quoque mali evadant efficere, ut proinde appositè sanctus Bernardus moneat: *Pro delictorum modo increpatio exhiberi debet.* Verum enimvero sanctus Joannes Chrysostomus respondet, quod ex quo Deus ipsissima Charitas est: *Deus Charitas est.* 1. Joan. 4. ideo Cainum verbis mellea charitate conditis interrogare voluit, ut ardorem indignationis suæ mitigaret, illumque in gravibus & acerbis afflictionibus suis solatio aliquo demulceret: *Sic enim festinat Deus absolvere tormenta compassionis sua, quia plus cruciat eum compassio miseri, quam ipsum miserum compassio sui.* Major erat Dei erga Cainum compassio, quam Caini versus semetipsum. O Charitas inaudita! Adamus consortem suam ex apprehensione reatus mortis suæ quam contraxerat, mœstam & desolatam esse cernens, utpote charitativus, à conjugis suæ afflictione cor sibi tranfigi sentiens ut eam consolaretur, vitæ nomen ei imposuit, *Heva, id est, vita,* inquit Rupertus Abbas Tuitiensis: *Adamus enim cum uxorem suam impensissimo & legitimo amore prosequeretur, afflictissimam, penitusque confusam videret, ob inflictam sibi à Deo mortis pœnam mœrentis fœminæ animum erigere adorsus est, & omnia erga illam Charitatis argumenta præstare, ut illatæ mortis (quantum in ipso Adamo fuerat) suspicionem removeret.* Nolo hoc loco charitatem horum Apostolorum cum Dei charitate comparare: nam inter finitum & infinitum nulla est comparatio: bene tamen dicere non vereor, Charitatem Philippi & Jacobi, illam Adami longe excedere. Hic enim creaturam aliquam consolabatur, quæ conjux sua, imo suimetipsius pars quædam erat: Philippus autem gentes & sibi & fidei Christianæ inimicas, Adamus unicam duntaxat fœminam consolari studebat, Philippus autem integram Civitatem: *Multa millia hominum ad Christi fidem convertit, & baptizavit.* Adamus in hunc charitatis actum non nisi unicum verbum adhibuit *Heva, id est, vita.* Philippus autem per continuatam viginti annis prædicationem, illos Scythiæ populos consolatus est, qui mortui erant non solum corpore, sed etiam anima tenus per infidelitatem, dum tres à serpente occisos revocavit ad vitam, alios vero qui hausto serpentis per aërem tozico morituri erant, à mortis periculo eripuit. Umbra igitur est Adami Charitas, si cum Philippi & Jacobi charitate comparetur. Jacobus etenim crutis claudicationem, quam inter prædicandum ex pulpito præcipitatus contraxerat, nihili fecit, dummodo Idololatræ infidelitate relicta verum Deum adorarent, nec non per virtutis viam & semitas Evangelii ad veritatis cognitionem directè properarent.

Serm. 2. Pasch.

Chrysost. hom. 2. in Epist. ad Ephes. c. 13.

Rupertus Abul. 3. in Gen. cap. 5. Haymon Corii in Gen. c. 3. v. 19. Concord. 13.

8. Verum enimvero cum apis ex thymi amaritudine mellis dulcedinem libet, mihi uti spero, licebit, à crutis Apostolici imperfectione ardentissimæ charitatis suæ perfectionem non obscurè arguere. *Iacobus* idem est, quod *supplantator & sustinens.* Charitas etenim ursit illum, ut ad supplicandam & supprimendam Idololatriam generosè cum eadem dimicaret: Impedimentum vero quod ex uno crure ei illatum fuit, effecit, ut suadente charitate offensam patienter & pro Dei amore sustineret. *Iacobus* etiam interpretatur: *Properans*, id est promptus & sollicitus. At vero quomodo hoc nominis sui significatum exequi poterit, si ambulandi impotentia frænum ipsi injicit, quo in actionibus in Dei obsequium, & beneficium proximi redundantibus, tardus reddatur & plane impeditus? Quantum

Iacob. de Vorag.

tum enim illum charitatis stimuli sollicitant, tantum illum pedis impedimentum retardat. Veruntamen nihil horum timendum est? Imo vero claudum esse, sanctum Apostolum in charitate magis reddidit fervidum. Amazonum Regina Antianira culpabatur à nonnullis, quod claudum sibi maritum adsciviſſet? Quibus ipsa respondit, Imo vero majorem potius ex hoc laudem mereor, quia *Claudus optime virum agit.* Claudicatio Jacobum virum, id est, virili & generoso animo præditum esse declarat. Androcidus tametsi claudus esset, in militiam tamen adscribi, & præliorum conflictibus interesse semper voluit: qui tametsi à nonnullis derideretur, tanquam ad præliandum prorsus ineptus, utpote qui inimicis ad progrediendum expeditis, & promptis ad fugam longe inferior esset, ingeniose nihilominus iisdem respondit: *Non fugientem sed manentem cum hostibus pugnare oportet?* ac proinde virtutis loco militi tribuendum esse ostendit, quod alii calumniabantur. Idem quoque Anonymus iis respondit, qui illum claudicando ambulantem deridebant. *Non opus est fugientibus,* inquit, *sed qui subsistant, & ictus hostiles fortiter repellant.* Vos quidem fugiendo vitæ periculum evadere potestis, ego autem ad fortiter dimicandum coactus ero, atque conflictum cum hoste vel victoria vel morte necessario terminabo. Quale igitur signum esse putatis, Jacobum in habito pro fidei confessione adversum Idolatriam prælio claudum effectum esse: *Et fracto crure ex die illo plurimum claudicavit?* Signum est evidentissimum quod armis verbi Dei, & charitatis scuto, tanquam strenuus in militia Apostolica bellator, faciem non dorsum hosti obvertendo intrepide dimicaverit.

Theatr. Vit. hum. l. 18.

Plut. in Lacon.

Idem ibid.

Petrus de Natal.

9. Lacæna Amazonum generosissima in militia, cuidam è filiis suis, qui claudus erat obvia facta dixit, quod similibus impedimentis obnoxiis fuga ad salvandam vitam suffragari non possit, sed necessum illis sit, ut pro consecutione victoriæ, vel tanquam generosi milites decertent, vel fortiter & intrepidè moriantur. *Aut vincendum, aut moriendum.* Bonum itaque est pro fide Christi augurium, si Jacobus prædicando claudus evadat? signum enim est, quod charitate accensus Tyrannos dimicando superabit, ad Evangelii agnitionem infideles convertet, aut si moriatur, vel victoriæ palmam, aut Martyrii gloriosam Coronam secum sit portaturus. Philippus Macedoniæ Rex à Trebellis ictu lanceæ in uno latere graviter vulneratus fuit, quod vulnus adeo integrè curari non potuit, quin aliquod inde in gradiendo sensérit impedimentum, quod tanto ipsi fastidio fuit, ut deinceps in publico comparere erubuerit. Cui proinde Alexander Filius dixit: *Ne verearis in publicum prodire, sed gradum movens virtutis tuæ potius memineris* Nullam claudicatio verecundiam Jacobo attulit, ita egregium fuit charitatis suæ argumentum, quippe qui sibi cruris impedimentum ex eo conciliavit, quia aliis vivendi perfectionem tradere voluit. Scio equidem, quod Aristhogiton ne ad bellum proficisci cogeretur, sed ab illo perpetuo exemptus esset, die quadam dum milites lustrandi cogerentur in unum, is quidem etiam inter alios comparuit, sed simulatè claudus, & baculo innixus, hac ratione se ad dimicandum inhabilem esse ostendere volens: *Innixus baculo claudicantem se simulavit, ne ad bellum vocaretur.* Unde inter Athenienses natum est Proverbium *Aristhogiton claudicat:* at vero non ita fecit sanctus Jacobus Apostolus, qui etiam in ipsiusmet Caiphæ præsentia non est veritus ascendere pulpitum, indeque contra omnes Jesu Christi inimicos detonare, sed charitate animatus, se lædi, vulnerari, occidi nihil curavit, dummodo plebs infidelis à tyrannide & illusione diabolica remaneret illæsa. Nec mirum. Quid enim refert Apostolum nostrum pedem habere malè compositum, qui cor habebat per charitatem erga Deum opimè rectificatum. Severus quoque Imperator impedito gressu laborans, postquam eum à quo ob id imperio ineptus proclamatus & contemptus fuerat, capitali sententia mulctasset, ac demum ab eodem ut sententiam latam revocaret rogatus fuisset, respondisse fertur: *Non feci vobis injuriam lata sententia, nunc enim sentietis non pedes, sed caput imperare.* Hæc sunt encomia quæ majori jure sancto Jacobo Apostolo nostro conveniunt, eo quod Rosa fuerit per charitatem tubicunda.

Plut. in vita Alexandri. Calius l. 8. cap. 5.

Calius Rhod. l. 3. c. 49.

Dion. Nicæus & Zephelin. in vita Severi.

10. O quanta cum sollicitudine hi glorioſi Apostoli executione mandarunt, præclarum illud S. Apostoli Corinthiis datum monitum, dicentis: *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Neque enim illa ratione propriis fuere commodis intenti, verum solam ob oculis positam habebant charitatem proximi. Unde licet alii extollant Epaminondam, quod dum cives sui delitiis dediti essent, ipse ab his omnibus abstinens, vigilantiæ & urbis Thebanæ custodiæ deditus fuerit: *Dum Thebani festis quibusdam diebus,*

1. *Cor.* 13.

Plut. in Apopht. Lacenar.

adv. ducem imperitum.

diebus, solutius compotationibus indulgerent, licentiusque voluptatibus fruerentur, ille solus vigilat sobrius nrma lustrabat, & urbis mænia perlustrabat. Referunt alii quod milites sub Philippi Macedonis signis merentes valde mirati fuerint dum Philippum in meridie in medio exercitus sui dormientem viderent, unde nonnullis quoque Græcis eum tanquam somnolentum arguentibus, Parmenis, respondit: *Nunc Philippus dormit, nam quando vos dormiebatis ille vigilabat.* Unde videmus Heroes istos militum suorum amore somno & quiete ad humanam sustentationem adeò utili & necessariò se privasse, eò quòd libenter paterentur corporis sui incommoda, dummodo accersere & conservare quietem & securitatem possent, utpote quam majoris quàm propriam æstimabant. Veruntamen inter horum athletarum generosos affectus, & charitatem S. Jacobi nulla admitti potest comparatio. Hierosolymitanis namque somno corporis & animæ pariter sepultis ipse totas noctes insomnes ducebat & vigilabat: *Diei nullum ei erat discrimen*, inquit Metaphrastes, *sed noctu quoque lucis exercebat opera.* At verò in quibus putas operibus se tunc S. Apostolus exercebat? In orationibus noctes scil dieſque precando Altissimum pro perseverantia fidelium, pro infidelium conversione, idque tanta cum assiduitate: *ut callos in genibus more camelorum videretur habere.* Sed cur *Camelorum more*? Calli Camelo non sunt naturales, sed artificiales, quia ut refert Vinc Bellovacensis: *Quando onerantur ut brevior & humilis fiat accubat?* Igitur Cameli ob nullam aliam causam callos in genibus accipiunt, quàm quòd dum sarcinis sunt onerandi, ut breviores fiant, in genua provolvuntur, quod totum cum damno proprio, cum aliorum verò commodo faciunt: Et ob easdem quoque causas Jacobus callos in genibus more Camelorum habebat. Unde ingens ejus quâ ardebat charitas eum ut ad bonum alienum proximi, non verò ad malum suiipsius respiceret, permovebat. Tumque Apostoli se quiescere existimabant, quando quantumvis gravibus negotiis occupati, tempus suum in Dei servitio animarumque salute impendere poterant.

Simeon Metaphr.

Petr. de Natal. in vita S. Iac. Vincent. Belv. in Specul. Nat lib. 18. c. 2.

11. Postquam Author totius universi creationis opera terminasset, ita ut jam perfecti cœli essent, elementa dispositа, terra fœcundata, mare suis circumscriptum esset limitibus, repletæ sylvæ feris, aëraque volucribus? Tunc, inquit Sacer Textus quòd *Requievit ab omni opere quod patrarat.* Post opus aliquod absolutum requiescere gravem indicat in opere faciendo laborem, atque ideo cùm Deus nulli sit labori subjectus, quomodo requiescere dicetur? Præterea quis est qui nesciat, quòd *Deus nec laborat faciendo, nec cessando quiescit?* Et tametsi à novis creaturis creandis cesset, *Non autem cessavit ab operando cùm actione conservativa, cum actione gubernativa*, ut dicit Cajetanus? quisquis enim Deum otiosum esse affirmaret, Deum verum esse Deum negaret, quia Deus ut Deus non operari non potest? sed existens Deus necessum est, ut tanquam Deus infallibiliter operetur: *Negat Deum, qui otiosum illum facit.* Ac proinde Epicurei Deum otiosum esse affirmantes, Divinitatem ei pariter adimebant, negantes Deum esse Deum, prout scribit Tertull. unde ipsemet Salvator ait: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Quomodo igitur Moyses nobis Deum se ad quietem composuisse enarrat? *Requievit die septimo* S. P. Aug. ait: *Requievisse dicitur, cùm creatura rationali requiem præbuit.* Quantumvis Deus semper operans, nunquam vero fatigabilis sit attamen tunc Deus se quiescere existimat, quando Adam & Evam tranquillâ quâdam quiete gaudere conspicit. Etenim S. Apostoli continuo *in actu secundo* in exercitiis animarum salutem spectantibus sese defatigabant? at verò adeò ardens charitas ipsorum erat, ut se in pace & summa quiete vivere existimarent, quando fideles ab ipsis conversos in pace cum Deo vivere, neque ab Infidelibus aut Tyrannis molestari conspiciebant: *Requievisse dicuntur, cùm creaturæ rationales requie fruebantur.* Et tanquam tales qui cor suum charitate plenum habebant. *Non quærebant quæ sua sunt.* Præcipuè verò S. Jacobus utilitati proximi die prædicando, nocte verò totâ genu flexus orando continuò se totum consecrabat. Unde Chrysost. *Ita assiduitate Orationis, jugique ad pavimentum prostratione corporis frontem callo similiter obductam, ut nihil ferè à Cameli genibus discreparet.*

Cajet. in cap. 2. Gen.

Tertul. in Apolog. cap. 47.

Ioan. 15. v. 17.

August. apud Lipom. in Cat.

D. Chrys. Hom. 5. in cap. 5. Matth.

Genes. 2.

12. Per devotam quandam curiositatem me instigari sentio ut investigem cur Dei filius in ultima vitæ suæ periodo, dilectissimam Matrem suam Mariam non Jacobo potius quam Joanni recommendaverit? Non fortè non æquè ac Joannes dignus erat qui illam custoditet? Hoc dici nequit, cum Hegesippus affirmet quòd *ex utero Matris suæ sanctus fuit*, ut proinde per Anthonomasiam dictus fuerit justus: *Propter meritum excellentissimæ Sanctitatis.* S. Hieronymus

Egesippus apud Petr. de Natal.

mus illum in tanta veneratione fuisse testatur, *ut fimbriam vestimenti ejus certatim contingere cuperent*. Tantus fuit abstinentiæ continuæ amicus, ut vinum nunquam biberit, nec unquam manducaverit carnes, nec coma ejus unquam detondebatur,. Ipsi soli inter omnes Apostolos permittebatur liber introitus *in Sancta Sanctorum*. Ipsemet S. Paulus Apostolus, postquam fuisset Hierosolymis declaravit gressus & labores in iter istud impensos melius collocari non potuisse, ex eo solùm capite quòd solùm inter omnes Apostolos Jacobum viderit: *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*. In vultu quoque nec non in statura & gestibus reliquis corporis Christo simillimus fuit: *A facie & lineamentis corporeis Christo simillimus fuit*, adeò ut multi in alterius persona erraverint unum pro altero censendo? Et hinc est, quòd *cùm Iudæi ad capiendum Christum pergerent, ne fortè Iacobum in persona Christi caperent à Iuda, qui eos optime discernebat, signum osculi acceperunt*. Ipse denique virgo etiam erat, imo ut S. Epiphanius scribit: *Fidus custos virginitatis*. Cùm igitur S. Jacobus tot fuerit eximiis virtutibus & prærogativis adornatus, cur B. Virgo non est in ejus custodiam à Christo consignata? Nec est quod mihi nonnemo respondeat S. Joannem ibidem præsentem fuisse non verò Jacobum, nam si Christus illam Jacobo consignare voluisset, modum quoque potuisset invenire, quo eo tempore à Cruce non procul fuisset remotus. S. Petrus Chrysologus præ cæteris nodum difficultatis optimè assecutus fuisse videtur, dicendo, non fuisse possibile, ut Christus ejus custodiæ Matrem recommendaret. Et ratio est quia charitas illum tenebat occupatum tum in Ecclesiæ suæ Hierosolymitanæ custodia, tum in curando ut fideles non dispergantur sed congregati remaneant, tum in prædicationum labore, tum in passionibus ad fidelium & infidelium obsequium tolerandis: *Matris habere non potuit curam, qui inter primordia, & in illo Iudaico tunc furore Hierosolymitanam singulariter rexit Ecclesiam*.

Ad Gal. 1. v. 19.

Petr. de Natal. lib. 4. c. 108.

Epiph T. 2. lib. 3.

D. Hier. contra Iovinianum.

D. Petrus Chrysol. serm. 49. de verbis Marci &c.

13 Etenim Rosa hæc ab initio candida fuit per virginitatem: at verò quando postea purpurea fieri cœpit per martyrium & effusum sanguinem, magis percipi potuit mira charitatis suæ fragrantia, illius nimirum quâ erga illos præcipuè afficiebatur, qui ex supremo templi culmine ipsum præcipitarunt? Quando *eum ingenti voce pronuntiavit, quòd Christus in cœlis sedet ad dexteram summa virtutis venturus judicare vivos & mortuos*. Sicut etiam in favorem aliorum qui ipsum lapidarunt, & per vulnus quoddam enorme capiti impactum mortem ei intulerunt, dum genuflexus & manibus conjunctis, levatis ad cœlum oculis charitatis suæ effectus demonstravit, Deus ut misericordia motus eisdem carnificibus suis plenè ignosceret, supplicitet orando: *Super genua sua procumbens, orabat dicens: Rogo te Domine Deus, remitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Scio equidem quòd etiam Stephanus tanquam Rosa inter saxa, dum lapidaretur, pro suis lapidatoribus. Deum deprecatus fuerit, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, Veruntamen majorem hic erga semetipsum dilectionem habuit, siquidem priùs spiritum suum Deo recommendavit, dicens: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*: At verò S. Jacobus tanquam vera rosa aliis commodum & utilitatem, sibi nullam peperit: Charitas illum proprii spiritus & suiipsius oblivisci fecit & exemplo Magistri sui in Cruce suspensi, solùm recordatus est suos Deo inimicos recommendare, ejusque mox ubi conversi ad Deum fuerint, veniam delictorum suorum impetrare. Etenim multis æternâ memoriâ digna visa est actio illa Ulpii Trajani, qui dum nihil sibi præsto esset, quocum militum suorum vulnera alligaret, propriam erogavit camisiam, ut ex eadem laceratæ fasciæ pro militum vulneribus fierent. Non equidem inficior hunc insignis cujusdam charitatis actum fuisse; veruntamen si eundem rectis oculis aspicias, invenies eundem de suo non nisi unicam dedisse camisiam, eamque non inimicis, sed ei obsequentibus militibus suis. Majoris facio illam Phocionis charitatem, cui cùm Alexander ex munificentia regia centum talenta argenti & quatuor Civitates ad ejus libitum eligendas dono dedisset, peractis pro tanta liberalitate gratiis, hæc omnia accipere prorsus renuit, eidemque humiliter supplicavit, ut pro his omnibus hanc sibi facere gratiam dignaretur, ut nimirum quinque in arce Sardiæ vinctos captivos scil. Echecratidem, Sophritam, Antenodorum, Hymenæum, & Democratum in libertatem pristinam dignaretur asserere. Quam charitatem imitatus S. Jacobus pro se nihil postulavit, hoc solo contentus, si veniam illis qui ipsum necabant à Deo impetrare, eosdem è peccati infidelitatis carcere, manibusque Sathanæ eripere posset: *Remitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Superest nunc ut Philippum quoque glorio-

Vincent. Bel. in Specul. Hist lib. 9. c. 4.

Act. Apost. c. 7.

Horat. Tursel. lib. 4. Epit. Hist. in ejus vita.

Ælian. lib. 1. c. 25.

glorioſum Jacobi coapoſtolum diligenter conſideremus, in eo namque videbimus quàm ſollicitè hic quoque charitatis actibus ſe conſecrarit. Porro *Philippus idem eſt ac os lampadis*. Lampas autem ad hoc præcipuè ſervit, ut lumen aliis miniſtret, unde mirum non eſt, quod omnes quoque Philippi actiones ab eodem directæ fuerint ad beneficium proximi, prout tota ejus vita liquidè demonſtrat? Nam veluti qui pro Chriſto legatione fungebatur in civitatem Samariæ ſe recipit, ibidemque Chriſtum crucifixum prædicat, ſigna quoque operatur & miracula? Corpora à Dæmonibus obſeſſa liberat, paralyticis ſanitatem reſtituit, membra claudis conſolidat, mentemque eorum ſimul illuminat, Dæmoniſque fraudem apertè cognoſcere facit. Unde quotquot in ea civitate erant ad ejus prædicationem in Chriſtum credentes, baptizantur univerſi: *Cùm verò credidiſſent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri ac mulieres.* Denique ab Angelo, ut Samariâ recedens in Gazam ſe recipiat, monitus currum regium ſibi obvium habet, cui Æthiops Candacus Reginæ Eunuchus Iſaiæ prophetiam legens inſidebat. In hunc igitur Philippus quoque admiſſus, velut lampas ardens & lucens, jam dicto Æthiopi Doctrinæ Evangelicæ luce, veram lectionis ſuæ aperit intelligentiam: *Evangelizavit illi Ieſum.* Quo mox Baptiſmum ſibi impertiri poſtulante juxta aquam fortuitò obviam currus uterque exſcendit, & Æthiops ſumma cum reverentia animique ſubmiſſione baptiſmum accipit. Meritò igitur *Os lampadis* dici poterit qui prædicationis ſuæ & Doctrinæ Evangelicæ lumine, infidelium, qui in denſis errorum & ignorantiæ tenebris ſedebant, mentes illuminavit. *Quaſi oportuerit*, inquit Euſebius Emiſſenus, *ipſius vocatione cæteros ad officium prædicationis, quo ceu lampade mundus illuminatur, vocatos eſſe.* Os lampadis quoque dicitur, quia charitatis oleo redundans, ad nihil aliud attendebat, quàm ad Dei gloriam, beneficium proximi, animarumque ſalutem. O quàm ſunt hæ in hoc Maii viridario efflorescentes pulchræ & fragrantes Roſæ? *Duo iſti Apoſtoli, duæ roſæ, quibus floridi menſis Kalendæ conſecrantur.*

14. Quod verò proprias neceſſitates attinet, nil prorſus de illis curabant, ſed ſpem ſuâ in ſolo collocatam habebant, utpote qui eis animi robur hiſce verbis indiderat, dum ait: *Creditis in Deum, & in me credite?* quaſi diceret: Credite firmiter, & ſpem veſtram in Patre æterno & in me collocate, ac tum demùm nec quicquam dubitate. Enimverò quia me intra rutilantium harum Roſarum viridantes ſanctæ ſpei frondes conſtitutum eſſe video, non injucundum vobis erit nonnihil ſub iiſdem commorari. Porrò Thales interrogatus quidnam hominibus communius aut familiarius eſſet reſpondit: *Spes* quia *hanc etiam habent, qui nihil habent.* Bias quoque affirmare non dubitavit, nihil hominibus deſolatis & mœſtis dulcius magiſque conſolatorium accidere poſſe, quàm Spem: *Quid eſt dulce hominibus? Spes.* Alexander poſt diſtributas inter exercitus ſui milites omnes ſuas divitias, à Perdicca interrogatus: *Quid tibi Rex ſupereſt*, ſibi nil aliud reliquum eſſe reſpondit, quam ſolam ſpem. *Spes.* Rhodio ſqualido carceri incluſo, detruncatæ ſunt manus, & abſciſſo naſo totuſque quoque ex præcepto Tyranni deturpatus eſt vultus, cumque intra paucos dies feris in eſcam dandus eſſet, amicis ei perſuadere conantibus, ut *Inediâ ſibi malorum finem quæreret*, ſubjunxit, ſe quoadusque viveret ſpe nutriendum eſſe. *Cuncta homini quoad vivit ſperanda ſunt.* Ariſtippus maris tempeſtatibus diu conquaſſatus, tandem bonâ fortunâ in Rhodiorum littore appulit, verùm cùm ſe in regione inacceſſa, inhabitata & ignota conſtitutum eſſe crederet, tandem in arena nonnullos humani veſtigii characteres impreſſos videns, reſumpto nonnihil ſpiritu ad ſodales ſuos converſus dixit: *Bene ſperandum eſt, nam & hîc quoque hominum veſtigia cernimus.* Sempronius Gracchus Annonios, Brucios, & Lucanos hoſtiliter aggreſſurus, voluit ut in primam exercitus ſui aciem integra quædam mancipiorum ad perpetuam ſervitutem damnatorum cohors collocaretur, verùm quia illos ad hoc videbat omninò invitos, ut illos ad generosè dimicandum animaret, prolixâ eos oratione eſt cohortatus, priſtinâque omnes illos libertate donare promiſit, quotquot aliquod hoſtile amputatum caput eſſent allaturi. Ex qua promiſſione id conſecutum eſt, ut ſpe libertatis recuperandæ intrepidè ab illis præliaretur, reportarentque ſperatam ab inimicis ſuis victoriam.

15. Inter jucundiſſimos hoſce ſpei ramos, duæ hæ roſæ Apoſtolicæ Philippus & Jacobus in viridario S. Eccleſiæ efflorescebant. Philippus Scythiam ingreditur, ut illius regionis barbaræ genti Fidem prædicaret, Legemque promulgaret Evangelicam illis, qui illam magis quàm ipſammet mortem exhorreſcebant. Et tu ô Philippe

Gloſſ. ord. in c. 6. Ioan.

Hugo Card. ibi.

B. Haymon. Epiſ. Halber. in cap. 6. Ioan.

Ibid. 12.

Ibid. 36.

In cap. 1. Ioan.

Ioan. 14.

Stobæus ſer. 109.

Bruſon. lib. 6. c. 1.

Plut. in Alex.

Paul. Man. lib. 8. Apoph.

Platina lib. 2. de falſo & vero bono.

Apud Petr. de Valder. ſerm. 2. de Apoſt. Philip. & Iac.

lippe ne quicquam times? Postea in civitate Hierapolitana appulit in qua Ebionitarum, veram Christi humanitatem negantium, eamque non nisi corpus quoddam phantasticum esse asserentium hæresin deprehendens, omni conatu adhibito falsam hanc opinionem ab incolarum animis eximere satagit. Nec tamen ô Philippe rabidos hosce homines vitæ tuæ insidiatutos esse formidas? Tandem decrepitam octoginta septem annorum ætatem attingens, ab infidelibus capitur, lapidatur, ac demum horrendo Crucis supplicio per latam Judicis sententiam addicitur: Et tamen tu ô Philippe nihil inde terreris, nec mortem metuis? Ergone decrepito seni tibi simili animus adhuc supererit sustinendi atrox adeò Crucis patibulum? Omninò superexit. Sed quibus viribus? Repetendum est memoria, Auditores, illud à Christo suggestum salutare monitum, quo dicit: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet: creditis in Deum, & in me credite.* Sed quidnam Christus per hoc intendit inferre? Scitis equidem quod navicula illa, in qua discipuli erant, à validis ventorum, tempestatumque procellis fortiter agitata & conquassata fuerit: *Navicula in mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventis* Jam noctis tenebræ supervenerant, & tametsi discipuli in tractandis tempestatis tempore velis, & navigio gubernando expertissimi essent, attamen ventorum impetuositati, undisque fluctuantibus nullam facere poterant resistentiam, sed claris vocibus è cælo sibi dari poposcerunt auxilium: *Pra timore clamaverunt.* Filius igitur Dei periculum quo premebantur cernens, mare ingressus, aquis inambulat, & dicit eis: *Habete fiduciam, ego sum nolite timere.* Discipuli autem se phantasma quoddam videre credentes, magis turbati sunt: *Turbati sunt dicentes: Quia phantasma est.* Sed cur se Christus non declarat apertius se illorum esse Magistrum, dicendo: *Ego sum Magister vester*, sed tantum dicit: *Nolite timere ego sum*, quod etiam S. Hieronymus observans dicit: *Ego sum inquit, nec subjungit quis sit.* Hæc loquendi Phrasis Deo soli convenit, *nam Deus est, qui est*, ac proinde Moysi dixit: *Hæc dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Quod si igitur Deus est, nosque illum esse qui est, firmiter credamus, sequitur quod Apostolis credentibus Christum esse eum qui est, ad eripiendum è pectoribus illorum omnem timorem, firmamque spem ingerendam, id solum sufficere debeat, ad hoc ut extra omne naufragii periculum constitutos se esse crederent, quod Christus hoc tantum illis diceret: *Ego sum*: hoc enim erat, ac si diceret: Credite in me, si erate in me: *Ut spem salutis concipiant*, inquit Cardinalis Toletus, *optimumque spei salutis concipiendæ subjunxit argumentum: Ego sum, fiducia ergo in me expellat timorem conceptum.* Atque ideò mirum non est, quod Philippus infidelis nequaquam timuerit, carceres non exhorruerit, visa cruce territus non fuerit, sed ad mortem intrepidus se receperit, jam enim Christum dicentem audierat: *Non turbetur cor vestrum? Creditis in Deum & in me credite.* Quasi ad suggerendum discipulis animum solam discipulis spem ob oculos posuerit, qua futurum crederent se illum Deum semper habituros faventem atque propitum, qui dixerat: *Nolite timere? Ego sum.* Philippus igitur in Deum sperabat, ideoque inimicos mundum & infernum nequicquam formidabat.

16. Ex altera ripa maris Galileæ subsecuta est Filium Dei ingens quædam hominum multitudo, quæ ad numerum quinquies millium personarum & ultra facilè se extendebat? Jam sero erat, omnes famis molestiâ cruciabantur, nec ullus eorum sibi paraverat annonam, sed & ipsa Regio in qua erant, omnium erat victualium inanis? atque ideo Dei Filius pietate commotus, eorundem hominum necessitati subvenire cupiens, Philippum advocavit, eumque de modo tantum panem comparandi, quantus huic famelicæ turbæ ex saturandæ sufficiens esset consuluit: *Dicit ad Philippum: unde ememus panes ut manducent hi?* Scio equidem & idipsum sanctus Evangelista ipsemet apertè fatetur, scilicet Christum Philippi consilio non indigisse, utpote cui millia annonæ procurandæ media facilè supperetere poterant: *Ipse enim sciebat, quid esset facturus?* sed hanc interrogationem tantum instituit, *Tentans eum.* Hugo Cardinalis exponit: *Probans eum.* Cardinalis Toletus: *Periculum faciens.* Simon Cassianus: *Probavit Philippi prudentiam.* Eusebius Emissenus: *Audire volebat, quid de ejus omnipotentia sentiebat.* Dionysius Carthusianus dicit, Christo reapse optimè perspectam fuisse discipulorum paupertatem, utpote qui auro pariter & argento carebant, cum tamen magna esset hujus famelici populi necessitas: Noverat Christus non adesse pecuniam ad emendum tot panes sufficientes, quoniam pauper fuit, & parum vel nihil secum detulit de argento & auro. Ac proinde

Tolet. in cap 6. Ioan. in comm.

Ioan. c. 6.

Ibid. n. 3.

Ibid. n. 6.

Hugo Cardinal. ibid. Tolet. ibid. Annot. 4. Simon de Cassia ib. Eusebius Emissen. apud Albin. Flac. in Dom. 4. Quad. Dionysius Carth. ib. artic. 16. Cyrill. Alex. l. 3. in Evang. Ioan. c.

Matth. 14

Ibid. n. 27.

Ibid. n. 28.

D. Hier in cap. 14. Matth.

Philippum de modo providendi interrogavit, inquit S. Cyrillus Alexandrinus : *Quia unde emerent non habebant.* Philippus autem oculos in turbas conjiciens, cum adeò magnam vidisset multitudinem, omniumque paupertatem & inopiam exploratam haberet, ad Magistrum suum conversus, contractis humeris dixit: si nobis præsto essent ducenti denarii ad comparandum panem, hic tamen inde comparatus turbæ huic ne quidem pro servanda jejunii collatiuncula sufficeret : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; modicũ quid accipiat*, quasi juxta Lyranum dixisset : *Pauperes sumus, & tantam pecuniam habere non possumus, & si haberemus, non sufficeret pro eorum refectione.* Hugo Cardinalis : *Nescio unde emantur panes, vel unde reficiantur plebes, quia si haberemus tot panes, non sufficerent, multo minus possumus, cum nihil habeamus.* Existimans, inquit Glossa, impossibile esse quod panis ad sufficientiam inveniri posset : *Impossibile existimans tot panibus posse refici*, quot scilicet Andreas præsentes esse dixerat, dum ait : *Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?* Et quidem tametsi nonnulli expositores velint, sanctum Philippum Divinæ omnipotentiæ non plenè aut perfectè confidisse, dicendo : *Ducentorum denariorum, &c.* Nihilominus in contrarium est S P. Augustini opinio qui econtra omnes alios discipulos Divinæ omnipotentiæ noluisse confidere, inquit, solo excepto Philippo, qui de Dei omnipotentia nunquam dubitavit? ac proinde benè relationem sancti Marci observat, qui alios discipulos dixisse refert, ubinam tantus comparari panis poterit, ut tanta hominum multitudo exsatiari possit : *Et respondérunt ei discipuli sui, unde illos quis poterit hic saturare de panibus in solitudine?* Id quod Philippus inaudiens, locutus est postea nomine omnium ? *Quod autem Philippus hic apud Ioannem respondet, hoc Marcus discipulis responsum esse commemorat : volens intelligi hoc ex ore cæterorum Philippum respondisse.* Quasi dixisset : Magister bone, alii consodales mei despondent animo, & impossibile esse reputant tantum inveniri panis posse, ut hi satientur : Veruntamen ego ne quicquam dubito, in tuis namque manibus omnem spem meam collocatam habeo, scio quidem quod naturaliter: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, ut &c.* Veruntamen in Divinam tuam omnipotentiam prorsus confido, & scio te facere posse quod vis. *Nunquid manus Domini invalida est? Nunquid potentia Dei est diminuta?* Despetet proinde quisquis valet, ego tamen in te firmiter confido, quippe Divinæ tuæ omnipotentiæ nihil difficilè esse scio. O rosam! ô Philippum. Rosam inquam, sed viridantibus firmiter in Dominum suum collocatæ spei frondibus amictam. Unde de Philippo meritò dici potuerit, quod de Abraha Patriarcha scripsit sanctus Paulus : *Contra spem credidit.* Contra spem aliorum firmiter ipse speravit, & credidit futurum ut Christus per omnipotentiam suam ingens faceret miraculum, prouti reipsa factum est.

Lyran. in Gloss ib.
Hugo Card. ib.
Ibid. n. 9.
Ibid. n. 4.
D. August. in Caten. D. Tho.
Ioan. Arboreus Episc. Laud. f. 365. in c. 6. D. Ioan.
Ad Rom. 3. v. 18.

17. Venite nunc mecum ô Auditores ad nonnihil perlustrandas quoque spei sancti Jacobi tanquam pulchræ & rubicundæ rosæ jucundissimas virescentesque frondes. De illo namque refertur, quod postquam Nicodemus & Joseph ab Arimathea Crucifixum Redemptorem nostrum sepulturæ mandassent, sanctus Jacobus votum fecerit, Deoque se nullum prorsus cibum accepturum promiserit, donec Dominum à mortuis resurrexisse videret : *In Paraseeve mortuo Domino Iacobus votum vovit se non comesturum, donec videret Dominum à mortuis resurrexisse.* Quodnam est votum istud, quod emittis ô Jacobe? quomodo te hoc observare posse præsumere poteris? Quis scit an resurrectio Magistri tui non sit ad aliquot hebdomadas differenda? Et in tanto tempore sine aliqua cibi restauratione te subsistere posse putas? Deus quidem potens est ut faciat miracula, de hoc non dubito: attamen naturaliter hoc est impossibile. Ergone sanctus Jacobus Deum cogere vult & necessitare, ut vel citò resuscitetur Magister suus, vel ut se sine victus necessitate conservet? Nihil tale Apostolus cogitat, sed sequentis difficultatis resolutio huic lumen aliquod ministrabit. Enos filius Seth, referente Moyse, primus fuit qui nomen Domini invocare cœpit, pro receptis beneficiis illi gratias agens: *Iste (id est Enos) cœpit invocare nomen Domini.* Septuaginta Interpretes legunt : *Iste speravit invocare nomen Domini.* Etenim qualiter hi duo modi legendi conciliari possint vix video: spes enim consistit in desiderio operandi id quod actualiter non habetur, nisi possidetur, ita, ut si effectivè quis assequatur quod desiderabat, omnis illius spes penitus cesset, ac proinde bene docet Doctor Angelicus dicens : *Spes est extensio appetitus in appetibile.* Atque ideò quo-

Pet. de Natal. l. 4. c. 108. Leon. de Vtino.
Gen. 4.
Septuag. Interpretes.
D. Thom. in 3. dist. 26. 4. 1. A. 1. o.

quomodo verificari poterit, quod Enos habuerit spem invocandi si nomen Dei actualiter invocabat? *Si de facto invocabat*, quomodo se invocaturum esse sperabat? *Qui rem facere sperat, illam efficere non incipit*? uti omnibus expresse patet. Quomodo igitur ab hac difficultate nos expediemus?

18. Sanctus Apostolus Paulus, in Epistola quam ad Romanos scripsit multa nobis documenta suggerit, scilicet ut se absque aliqua simulatione deligerent, ut fugientes malum, bonum amplecterentur, ut fraternam conservarent dilectionem, ut sese mutuo honoribus prævenirent, ut in servitio Dei assidui essent, ut tribulationes patienter supportarent, & alia similia: In particulari autem dicit: *Spe gaudentes*. E quibus verbis nova exsurgere videtur difficultas. In uno enim eodemque instanti spes & gaudium simul stare non possunt? nam sicut potentia actum, ita spes gaudium præcedit: *Gaudium enim est affectio animi alicujus præsentis boni?* quamdiu enim spes durat alicujus boni futuri non potest esse gaudium de eodem bono? sicut econtra mox ut quis assecutus est bonum præsens, cessat spes, & sequitur lætitia. Philo Hebræus spem vocat *gaudium ante gaudium*? quasi vellet dicere: Certum quidem est quod gaudium consistat in possessione illius, quod postquam speravimus tandem assequimur: at verò si quis spem suam in Deum ponat, adeò certus est se consecuturum quod sperat, ut dum sperat, absolutè gaudere possit, quia adeò est de assecutione securus, ac si de facto obtinuisset, & æquè gaudere potest, quando sperat bonum futurum, ac si illud revera præsens actualiter haberet: *Spe gaudentes*. En hic habes apertam intelligentiam, secundum quam verum est, quod Enos simul *speravit, & cœpit invocare*. Spes enim quæ in Deum ponitur nunquam fallit, sed potius qui sperat in eadem est conditione, ac si cœpisset assequi quod sperabat. *Qui rem facere sperat, illam efficere jam incepit. Est spes operi proxima. Si bene speraſti, feliciter capiſti.* Porro S. Jacobus votum fecit non capiendi cibum, donec Magistrum suum à mortuis resurrexisse intelligeret. Nunquam ipsi in mentem venit futurum ut multis diebus sine cibo maneret, sed dum Redemptorem suum brevi resurrecturum speraret, de hoc ita securus erat, ut nequaquam eo usque ab omni cibo abstinere se posse dubitarit. O viridantes hujus rosæ frondes! ô spem vivam glorioſi Apostoli nostri! *Ad quid enim se voto adstringeret, si de Christi resurrectione spem non haberet*? Vos interim, ô Auditores, à vivis hisce & Apostolicis rosis discite charitatem erga proximum sine fictione exercere, vestramque spem in Dei manus summa cum animi resignatione pariter & certitudine collocare.

Ad Rom. 12. v. 12.

Apud Corn. à Lap. ib. n. 141.

Leon. de utino ſer. de SS. Phil. & Iac.

PARS SECUNDA.

19. ROsæ nunquam sint sine spinis: ita quoque hi sancti Apostoli nequaquam fuerunt sine mundanis contrarietatibus aut rebus adversis, & tyrannicis persecutionibus. *Nam vepres significant oppressiones, adversos casus, quibus corda nostra vellicantur, lacerantur, & arumnosa fiunt*, ut scribit Pierius Valerianus. Et quidem quod S. Philippum Apostolum attinet, nunquid pungentes in ipso spinæ fuere tot pro Dei gloria institutæ laboriosissimæ peregrinationes, tot patienter toleratæ persecutiones, carceres squalidi, lapidum imbres, imò amara simul & probiosa mors, quam in Crucis patibulo in decrepito octoginta septem annorum sustinuit senio. Et huic quidem Cruci in qua quoad exemplum cœlestis Magistri sui spiritum suum in cælos transmisit, optimè convenit nomen istud, quo ipsum à nonnullis appellatum fuisse reperio? scilicet *Ostiarius Christi*, quasi nullus gentilium ad videndum Dei Filium introduci potuerit sine ipsius interveniente suffragio. Hoc saltem ex relatu sancti Joannis Evangelistæ habemus, quod aliqui eorum qui ut festis Hebræorum interessent, Hierosolymam venerant, ex stupendorum operum ab ipso patratorum fama, indeque nata curiositate moti, Jesum videre concupiverint, ideoque præcæteris Apostolis Philippum convenerint ut ejus interventu ad eum mererentur introduci. *Erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant, ut adorarent, in die festo? Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat in Betsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine volumus* Iesum *videre*. Unde apparet Philippum munere ostiarii apud Christum functum fuisse? Jam verò nostis quod Crux à nonnullis *Ianua* dicatur, ab aliis verò *clavis paradisi*. Unde cum Philippus Camerarius Christi fuerit, ad ipsum consequenter spectabat Crucis januæ assistere: aut vero Crucem veluti clavem ferre, ad aperiendum omnibus cæli conclave quotquot ipsum tum hic, tum in futuro sæculo videre cupiunt. Unde sicut Jacobo Apostolo com-

Pier. Valer l. 55. fol. 40.

Iacob. de vorag.

Ioan. 12. v. 11.

B. Damasc. l. 4. de fide cap. 12.

missa erat custodia loci illius, qui dicitur *Sanctorum*: ita Philippus Ostiarius erat Christi, qui verè est sanctus Sanctorum, ideoque crucifigi debuit.

20. Duo milites præter militare sacramentum quo obnoxii erant, certò se pacto mutuo obstrinxerunt, de omnibus quæ quovis modo ab alterutro parta fuissent, ex medietate inter se partiendis. Quorum unus infirmitate correptus est, quæ eum donec belli finis adesset, nunquam deseruit: alter verò miles generositate sua multum profecit? verum quidem est quòd multas secum vulnerum attulerit cicatrices, veruntamen una cum his quoque insignem in auro & argento lucratus est substantiam. Bello finito suum studiosè inquisivit amicum, cum quo modo præfato pactus fuerat, cumque post nuper recuperatam sanitatem satis bene valentem invenit. Huic igitur ut pactis fidem faceret exactam prædarum & spoliorum quæ nactus fuerat rationem reddidit, & quantum locupletatus esset ostendit. Unde miles nuper convalescens mire exhilaratus, in commilitonis sui amplexus & oscula ruit, de felicibus alterius progressibus valdè congratulans, futurum tamen quoque sperans ut conformiter pactis mutuis servaretur promissum, ita ut ab eo, acquisitorum omnium acciperet medietatem? Cumque eum hoc fine pactorum fecisset memorem? alter se ad dandam verbis suis fidem promptissimum respondit, prout fas & æquitas postularet: *Faciam*, inquit, *ille sed alia etiam attuli, quæ commenia esse oportet, ut omnia undique exæquentur.* Quibus auditis alter magis præ gaudio gestire cœpit, & sperans se præter medietatem auri & argenti, insuper aliud quoddam opulentum spolium esse acceptarum, confestim subjunxit: Fidelem te amicum esse experior, qui pactorum tam exactus es observator. Ita certè decet? *Ita fieri par est.* verum dic sodes quid præterea aliarum rerum attuleris? Mox alter pectus suum denudare cœpit, dicens: Ecce tibi vulnera satis atrocia, quorum sanguine cætera mihi comparavi, in his quoque mecum dividere debebis, si ad rerum cæterarum medietatem admitti à me desideres: *Vulnera & cicatrices vide, quarum similes atque æquales etiam tibi infligi debebunt.* Apologi hujus sive historiæ, si ita dicere mavis sensus mysticus hic est: Filius Dei in hunc mundum eo præcipuè fine venit ut cum vitiis, omnibusque fidei inimicis strenuè decertaret: *Militia est vita hominis super terram*: Hic quoque amicitiam cum duobus generosis militibus Apostolicis iniit, cum iisque pactus est, ut quicquid generositate & meritò suo ex alterutra parte acquirerent, ex æquo inter se partirentur. *Sedebitis & vos super sedes duodecim. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Porro Christus Hierosolymis, gladio Verbi Dei prædicando decertat: Philippus autem non tanquam miles infirmus, sed tanquam athleta generosus in Scythia à Hierapoli cum gentilibus & Ebionitis animosè dimicat. Finito prælio justum erat, ut prædas inter se pariter & vulnera dividerent, prout reipsa factum est. Ad Christum tres milites spectabant, quos in monte Calvaria convertendo lucratus fuerat, scilicet Latro, Longinus, & Centurio. Ad Philippum autem duæ ab eo conversæ & baptizatæ virgines pertinebant, quæ una cum ipso postea fuere sepultæ, una quidem ad ejus dexteram altera verò ad sinistram: *A dextris & à sinistris ejus tumulatæ sunt.* Verum inquies divisio hæc non videtur esse justa, Christo enim tres viri dantur, Philippo autem duæ fœminæ sive virgines. Respondeo igitur quodsi divisionem inspexeris, justissimam illam esse videbis: Justum enim erat ut Christo plus quam Philippo cederet, non solum quia Christianæ militiæ dux Generalissimus, cum Philippus gregarius tantum miles esset, verum etiam quia Christus in receptorum vulnerum numero Philippum excedebat, Christus enim quinque vulnera habuit, scilicet duo in manibus, in pedibus totidem, & in latere unum: Philippus autem quatuor tantum vulnera accepit, nimirum in manibus duo, & totidem in pedibus. Cæterum Christus fuit flagellatus, Philippus, plumbatis cæsus: Christus est crucifixus, eodem quoque mortis genere mortuus est Philippus. Decuit igitur ut pro ratione vulnerum, divisio quoque inter utrumque fieret spoliorum.

21. Ex multorum relatione constat, quod quando Romani è prælio victoriosi redeuntes vexilla explicabant, floribus, liliis, & rosis illa adornare consueverunt: Idem quoque facit sancta Mater Ecclesia, nam post Christi triumphos ipsa quoque Crucis vexillum explicat. *Vexilla Regis prodeunt*, quod Crucis glorioſum vexillum pulcherrima rosa, quæ in ipsis Maji Kalendis nascitur, id est Philippo crucifixo præstantissimè adornatur. Quæ rosa tanto est majorem pretio habenda, quantò majorem ætatem cum floridò vigore conjunxit: Mirandum etenim

Dom. Nanus in Polyant. V. Prudentia.

Iob c. 7. v. 1.

Petr. de Natal.

Laur. Zamor. in festo SS Phil. & Iac. §. 4

Iustus Lipsius in Annal. Corn. Tacit. l. 1.

etenim est qua ratione ferri potuerit, quod decrepitus octoginta septem annorum seniculus considerando quod inter tot crucis supplicia & tormenta vitam suam terminaturus esset, præ nimio horrore non defecerit priusquam tormenta sentiret, nisi fortè summa cum probabilitate, uti existimo, dicatur Crucem illi novum animi vigorem & fortitudinem subministrasse. Christus Salvator noster Petrum beatum appellat, atque tanquam virum fortissimum & generosissimum deprædicat, cui scilicet omnes infernales furiæ prævalere non possint. *Beatus es Simon Bariona. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebant adversus eam.* Quid: Quid solidius, quid constantius Petro? At verò paulò post, cùm Christus discursus sui argumentum mutaret & de iis quæ Jerosolymis passurus erat differeret, quod scilicet *oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & occidi.* Petrus in ea narrta condescendere prorsus noluit? ac proinde *capit increpare eum dicens. Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Unde Salvator ad eum indignatione conversus, asperè eum est allocutus dicendo: *Vade post me Sathana, scandalum es mihi.* Quid significat ly *Sathana*? Adversarium, contrarium, contradictorem. Dicere igitur Dominus volebat, paulò ante te adeò exhibuisti fortem & constantem, veluti petram quandam firmam & stabilem, adversus quem *Portæ inferi non prævalebunt*, nunc verò omninò immutatum te esse probas, hoc est, infirmum & fragilem! *Quid Petro infirmius? Quid fragilius?* Unde nata est hæc debilitas? *Vnde tanta firmitas contraxit infirmitatem?* Germanus Patriarcha, in firmitatem hanc ex eo ortam fuisse respondet, quod Petrus abhorruerit Crucem, sine horrore enim audire non poterat aliquem moriturum in Cruce? atque ideò ecce factus est Sathanas, contrarius à semetipso, qui paulò ante erat, antea enim instar petræ cujusdam fortis erat, postea verò instar infirmæ arundinis factus est fragilis: *Quid Petro firmius, cui nec caro, nec sanguis Filium Dei revelavit? Nihilominus cùm Magistrum ad Crucis patibulum festinantem intelligeret, conatus quidem est cursum illius & festinationem prohibere? sed contra audit: Vade post me Sathana: Omiraculum ingens! Sathanas appellatur magnus Petrus, quod Crucem detrectet, & ut petra scandali, & lapis offensionis, retro abjicitur infractum illud Ecclesiæ fundamentum.* Philippus autem qui Crucem non fugit, nec recusavit, sed potiùs etiam indecrepita octoginta septem annorum ætate eam desideravit, ex oppositio Petri, generosus, constans & fortis factus, & in Cruce intrepidè mortuus est. Imò cùm omnes circumstantes illum liberare vellent, Dominum est deprecatus, ut similes cogitationes à mente circumstantis populi abolere vellet, cùm nihil adeò vehementer desideret, quàm ut mori sibi in Cruce liceat. Imò ut S. Isidorus refert erecto corpore in pedibus consistens sepultus est: *Recto sepultus cadavere.* Ad significandum nobis, quod tot persecutionum spinis non cedat, quod animo & viribus nunquam cadat aut succumbat, sed ad mortem usque intrepidè decertet, unde & post mortem stat, qui in vita nunquam inter adversa cecidit.

Laur. Zamor. ubi sup.

Matt. 16. v. 18.

Ibid. v. 21.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 23.

Germ. Pater de exalt. Crucis contra Bogomiles.

Laur. Zamor. ubi sup. S. Isid. in vita & morte ejus c. 74.

12. Suas quoque S. Jacobus spinas habuit, quibus toto vitæ suæ tempore circumditus fuit, unde de ipso verificatur quod Apostolus Colloſſensibus scribit: *Adimpleo ea qua desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus.* De quibus verbis S. Thomas dicit, ea in solâ superficie considerata bonum sensum facere non posse? *Hæc verba secundùm superficiem malum possent habere intellectum, scilicet quod Christi Passio non esset sufficiens ad redemptionem etiam multorum mundorum.* Ad quod tamen S. Bruno respondet: *Adimplere se dicit, quia ad mortem vadit, in qua est consummatio passionum.* Verùm hæc responsio adhuc non satisfacit, nam Passioni Christi mors non defuit? ut quid igitur necessum erat ut Passio Christi morte adimpleretur? Quod magis ex eo confirmatur quod S. Anselmus dicit *In carne Christi quam Virgo peperit, nihil passionum deest, sed omnes in illa passiones sunt impletæ.* Quomodo igitur verificari poterit. *Adimpleo qua desunt*? Idemmet S Anselmus ita explicat: *Id est, ea qua Christus in carne sua minus pertulit, ego in carne mea perfero.* Et S. Theodoretus: *Dixit se adimplere ea qua desunt afflictionum Christi. ut qui quod restat impleat, & pro iis passionem sustineat.* Verùm enimvero Passio Christi perfectissima fuit, ac proinde Christus dixit, *Consummatum est.* Fuit etiam infiniti valoris, quia fuit *Theandrica*, Patrique æterno infinitè grata? ac proinde potiùs existimaram ly *qua desunt*, ita posse interpretari, ut sensus sit: *Qua non adfuerunt satem materialiter.* Et in hoc sensu quatuor circumstantiæ dici poterunt morti Christi defuisse Prima est, quod Christi crura fracta non fuerint, prout fieri solebat aliis

D. Bruno. ibid. fol. 370. ca. 4.

D. Anselm. ibid.

Idem ibid.

Theod. ibid. fol. 134. vol. 1.

Ioan. 19. v. 30.

Crucifixis, & ſicuti aliis quoque duobus latronibus factum fuit. *Ioan. 19.* *Non fregerunt ejus crura.* Verùm hujus circumſtantiæ defectum S. Jacobus adimplevit, quando ut ſupra dictum eſt ex pulpito præcipitatus. *Luc. 4. v. 30.* *Fracto crure ex illo die plurimum cladicavit.* Secunda quando *uſque ad ſupercilium montis* ductus, ut inde præceps dejiceretur, inviſibilem ſe reddens & per medium illorum tranſiens, ut nonnulli Scriptores volunt periculum evaſit. Hanc quoque circumſtantiam S. Jacobus ſupplevit, quando *ſuper pinnam aſcenderunt & ipſum præcipita veruut*? ac proinde à S. Joanne viſus eſt in cælestis Jeroſolymæ fabrica Topazii officium præſtare, qui ut ſcribit doctus Pictavienſis: *Pet. Berch. in Reduct. l. 11. c. 125.* *Formam habet ſpecularem, idolum enim in ſe receptum inverſum videtur ſicut in ſpeculo concavo*, id quod perfectè accidit, quando de pinna templi præcipitatus pedes in cælũ extulit, capite terram verſus pendulo. Tertia circumſtantia Paſſioni Chriſti defuit, quando Hebræi Chriſtum in templo præſentem lapidare volebant: *Ioan. 8.* *Tulerunt lapides ut jacerent in eum*, cùm ecce Chriſtus ad ſe ſalvandum *Abſcondit ſe & exivit de templo.* Jacobus autem defectum exactiſſimè ſupplevit, quando poſt præcipitium in oratione poſitus lapidatus fuit: *Eum orantem deſuper lapidibus perurgebant.* Quartus Paſſionum Chriſti defectus in hoc conſiſtit, quod cum Paſſionũ Chriſti dolores non ſolùm plænoſi eſſe deberent, verùm etiam probroſi ut proinde Propheta Jeremias prædixerit: *Thren. 3. v. 30.* *Saturabitur opprobriis*: Et David: *Pſ. 68. v. 8.* *Propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam*: à doloribus tamen Chriſti omne opprobrium abfuerit. In capite enim ſpinarum quidem acutiſſimos dolores ſenſit, ſed ſine opprobrio, imò verò ſingulari cum gloria & honore, quia coronatus fuit tanquam Rex: & ſalutatus tanquam Rex: *Ave Rex Iudæorum*, *Io. 19. v. 3.* & tanquam Rex publicè in Cruce acclamatus fuit per titulum J. N. R. J. vel ut Lucas *Io. 18. v. 3.* ſcribit: *Hic eſt Rex Iudæorum*: Ecce igitur op- *Luc. 23. v. 39.* probrium quod Chriſti paſſionibus defuit, Jacobus perfectè ſupplet, quando uti perſonæ viles & plebejæ tractari communiter ſolent fullones, fuſte ſive ingenti baculo percuſſus fuit, quaſi per contemptum & ſic in magno opprobrio Dei reddidit ſpiritum: *Graviter ejus capite fullonis fuſte percuſſo animam Dei reddidit.* Sanctus *In vita ejus.* igitur non minus quàm Apoſtolus dicere poterat: *Adimpleo quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea.* Hæ igitur ſunt ſpinæ illæ quibus obſitæ fuerunt duæ illæ Roſæ Apoſtolicæ Philippus & Jacobus Roſæ adeò venuſtæ & pulchræ, ut præcipuum ſint totius Maji ornamentum & decus viridarii Eccleſiaſtici excellentiſſimũ. Roſæ purpureæ per charitatem viridantibus ſpei veſtræ frondibus & foliis, & obſitæ ſpinis pungentibus martyrii ſui fortiter perpeſſi. Ecce igitur Auditores, pulchrum & elegans hoc viridarium feriæ meditationis oculis perluſtrate: Roſas haſce Apoſtolicas in hiſce novis Kalendis, cum devotione & reverentia frequentate. Futurum enim ſpero, ut ſicut Roſæ aliique flores Majii jucundiſſimum vernum tempus in terra exhibent, ita quoque hæ myſticæ & Apoſtolicæ Roſæ per Dei gratiam verè æternæ gloriæ nos frui faciant in cælis. Amen.

SERMO DECIMUS TERTIUS.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRUCIS.

Per ſignum Crucis de inimicis noſtris libera nos, Deus noſter.

1. VIctoria de inimicis glorioſè reportata tantam ſibi laudem & gloriam conjunctam habet in omnium hominum opinione quotquot ſunt laudis & gloriæ cupidi generoſi in militia atlethæ: dum victoriam in exercitus ſui robore ſe obtinere poſſe deſperant, per ingenioſa dolis & fraudibus contexta ſtratagemata eandem ſibi comparere ſatagant, eſtque

que victoria tunc tantò glorioſior, quando non obſtante exercitus debilitate, modicoque militum numero nihilominus reportatur. Unde Vegetius : *Boni Duces non aperto prælio, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut integris ſuis, quantùm poſſint, hoſtes interimant.* Sic Thimoleon Corinthius juxta Cremiſſon fluvium tria ſecum militum millia habens conſtituta, Carthaginenſibus quorum numerus ad ſeptuaginta millia virorum aſcendebat, totalem ſtragem intulit. Sic quoque Lucullus omnium quos Romani armis ſuis tractandis hactenus præfecerunt athletarum, Heros generoſiſſimus, dum ſibi cum duobus Regibus Aſiæ, Mithridate & Tigrane armis congrediendum eſſet, tametſi ambobus ob exercitum minus copioſum, quoad vires militares longè eſſet inferior, eos tamen proſtravit, in turpem fugam fortiter adegit, ambo autem Reges ne ab hoſte agnoſci poſſent, regia diademata ſua fugiendo abjecerunt : *Sed à Romanis militibus Regalia illa inſignia ad Lucullum victorem delata ſunt.* Fabius etiam Æmilianus non procul à Rhodani fluvio, cum triginta duntaxat militum millibus: *Pluſquam ducenta Gallorum millia ingenti ſtrage delevit,* Siccinius Dentatus qui Tribunus Plebis Romæ extitit, atque ob animi ſui fortitudinem Achilles Romanus dictus fuit, nunquam adverſus inimicos ſuos pugnavit, quin victor ſemper evaſerit : *Cujus bellorum ſucceſſus ſemper fuere feliciſſimi.* Hic quadraginta quinque maximorum vulnerum cicatrices in ſuo pectore veluti obtentarum victoriarum teſtimonia numerare potuit, multaſque coronas è puro auro fabricatas, id eſt, unam obſidionalem, & tres murales, atque inſuper quatuordecim famoſas civitates obtinuit: *Triumphavitque cum imperatoribus ſuis triumphos novem.* Hic inquam in campis Marathoniis cum decies millibus pugnatoribus Athenienſibus Miltiadem filium Cimonis cecidit cum univerſis exercitibus Artaxerxis & Dati, qui ad ducenta Perſarum millia aſcendebant, affirmante Herodoto, quod *Nulla certè victoria magis Athenienſes gloriati ſunt, quam Marathonia.* Victoria Balduini fratris Godofridi Bullionenſis, eſt ferè incredibilis; ſiquidem cum duabus duntaxat turmis, quarum una ducentis ſexaginta equitibus, altera verò nongentis peditibus, omnibus Religioni addictis conſtabat, totum Califfæ exercitum novem milibus equitum, & viginti millibus Sclopetariorum conſtantem in confuſionem & ſtragem totalem adduxit. Carolum illum qui ob heroica abs ſe patrata belli facinora Magni nomen glorioſè ſibi comparavit, illum inquam Coronarum Palmarumque multitudine opulentum præclarumque heroem totus mundus obſtupeſcit, utpote qui ad Albim Saxones debellavit, in Hungaria ſuperavit Hunnos, Britonum quoque perfidiam ſibi ſubjecit, ac tandem in ſtrage illa Rocisvallenſi quinquaginta Saracenorum millia ſuperavit & internecioni tradidit. Quando Amurathes dira obſidione Albam Regalem cinxit excitatus contra eum Joannes Hunniades, Matthiæ Corvini Pater, non ſolùm Amurathis exercitum in fugam egit, verùm etiam totus quantus erat diſſipatus adeò eſt, ut pauciſſimi ſibi vitam ſalvare potuerint. Septuaginta milites Chriſtianos è præſidio Comarienſi egreſſos Begh Medinus cum toto equitatu Turcico, & peditatu Janizarorum aggreſſus eſt, qui tamen non ſolum ſtrenuè ſe defenderunt, verùm etiam ipſummet Beghum, cum majori parte ſuorum occiderunt. Fridericum à Tieffenbach ſacræ Cæſareæ Majeſtatis generalem dum actualiter inferiorem Hattuanam obſideret, maximus quidam Turcarum exercitus duce Baſſa Budenſi gubernatus aggreſſus eſt, qui proinde verſa in hoſtem facie, cum quinque pugnatorum millibus generoſo animo illi obviam proceſſit, ac tandem maxima hoſtium ſtrage procurata victor evaſit. Robertus Eggembergh ſereniſſimi Archiducis Erneſti locum tenens generalis, quatuor tantum Chriſtianorum millia ſub ſe habens, vim paſſus à viginti militum millibus, ab Aaſſan Baſſa in ipſum emiſſis, adeò generosè cum iiſdem dimicavit, ut cæſis decem & octo Turcarum millibus reliquiſque in fugam adactis, glorioſam inde victoriam reportarit. Tandem tori mundo nota eſt eximia illa invicti illius Athletæ Joannis ab Auſtria animi fortitudo, & pugnandi experientia, quam in pugna illa navali famoſiſſima exhibuit, quando omnem Turciæ claſſis incredibilem porentiam delevit, Sultanum Selim cum ſuis trucidavit, totiq; Chriſtianitati glorioſam victoriam attulit. Cùm igitur ô Auditores ſi unquam ab hoſtibus violentiam paſſi ſumus, illam utique nunc vel maximè experiamur, quando nil niſi de prælijs & bellis, de inſidiis, & ſtratagematum dolis & fraudibus de copioſo hinc inde effuſo Chriſtiano ſanguine audimus, quando inimici noſtri ad præliandum accincti reſiduum Chriſtianorum

Veget. lib. 3. c. 9.
Sabel. l. 6. c. 9.
Diom. Nicaus & Zephilinus in Pompeiio
Alex. ab Alex. lib. 6. c. 25.
Aul. Gel. Marcus Varro.
Herodot. Juſtinus. Sabell. l. c. 7.
Bapt. Fulg. l. 3. c. 2.
Egnat. l. 3. c. 2. Theatr. vit. hum.
l. 19. Petr. Epiſc. Equili. Felix Aſtulph. l. 4. hiſt. c. 2.
Ianſen in ſuppl. t. 3. Idem l. 9. Campan. lib. 15.

rum

rum sanguini sitibundi expectant. Et inter hoc quidem nonnulli nos in corpore offendere satagunt, quales sunt inimici nostri temporales: alii verò animæ nostræ irraparabilia damna inferre moliuntur, uti Dæmones faciunt infernales, alii vitæ insidias struunt, ut sua cuique fatalis mors domi suæ facit. Et quod maximè lamentandum, ad horum hostium declinandam potentiam, aut reportandam adversus ipsos victoriam non suffragatur ingenium, non juvant fraudes & stratagemata, fortuna denique adversus illos est fallacissima. Quid igitur faciendum nobis superierit? Ergonè hisce hostibus nostris tamquam ignavi milites terga vertemus? aut victas illis manus dabimus? Nequaquam. Unica Crux quæ postquam ducentis circiter annis subtus terram sepulta fuit ab Helena Constantini Magni Imperatoris Matre hodie reperta & inventa est, adversus omnes inimicos nostros arma nobis offensiva & defensiva administrabit, cùm hac omnes mundi adversarios debellabimus, expugnabimus Infernum & cunctos inde prodeuntes hostes nostros infernales, contra mortem triumphabimus, eximiasque adversus cunctos inimicos nostros reportabimus victorias, non minus glorioſas, quam illæ fuerint quas supramemorati athletæ diversis in præliis feliciter sunt assecuti Signum Crucis tutamen & defensio nostra erit: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster* Signo Crucis inimicos nostros fugabimus: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ.* In virtute Crucis victores evademus, hoc enim fine Ecclesia Dei sancta illam invocat, dicendo: *O Crux victoria & admirabile signum.* Unde Chrysostomus: *Crux Domini arma sunt victricia, & tropheum reportantia, quæ Regum armis vinci bello non possunt, hostium pugnatrix, salus fidelium.* Qua de re plenius discurrentem patienter velim auscultetis.

Chrysost. serm. de Cruce.

2. Crucem incarnata Dei Patris sapientia nobis sub palmæ metaphora repræsentat: *Dixi Ascendam in Palmam, id est, in Crucem*, quæ Palma dicitur, *vel quia pars ejus fuit de palma: vel dicitur palma ratione victoriæ.* Multa quidem repetiuntur palmarum genera, illa tamen quæ in Indiis nascitur præ cæteris magis est admiranda, utpote quæ genti illi de omnibus abunde prospicit, quæ ad vitam illis sunt necessaria in victu, amictu, & aliis quibuscunque. Fructus enim ejus illi nutrimenti loco deserviunt? Lanam quoque producit, qua filata ipsis vestimenta ministrat? foliis veluti charta utuntur ad scribendum, Cortex ejus succum quendam foras emittit, qui tum ad extinguendam sitim valet, tum etiam pro accidentibus coporis indispositionibus proficuum valdè est medicamentum. Ex ligno naves, balistæ, arcus, & hastæ formantur, ex cortice verò galeæ, clypei, aliaque arma conficiuntur; ut proinde vir quidam litteratus palmam emblematis loco depinxerit, cum hac subjuncta Epigraphe: *Ad omnia utilis.* Nisi enim Indi hasce palmas præsto haberent; cogerentur haud dubiè succumbere, suisque hostibus victas semper manus dare. Crux Salvatoris nostri huic palmæ est quam simillima, utpote quæ Christianitati Galeæ loco servit expressa in fronte, thoracis ferrei loco signata in pectore; scutum est si signetur in brachio; hastæ & ensis loco, si gestetur in manu; ac proinde hoc sola armatura munitus nullum habet ab hoste periculum: *Si contingat plerumque stare in acie scutum militiæ: vexillum victoriæ. Scutum hoc miles contra hostem debet accipere,* inquit Ludolphus Carthusianus.

Cant. 7. v. 8.

Ægid. Column. lib. lect. 16.

Apud Marcel. de Pisis tract. 1. de Cruce sect. 4. fol. 88.

Ludolph. Carth. de Passion. Dom. & laude Crucis p. 2. c. 67

3. Theodorus Trivultius Rex Franciæ indicare volens, quod nullam sine adhibita Crucis armatura in prælio assequi speraret victoriæ palmam, vitem quandam effigiari curabat, arbori cuidam subnixam, cum hac epigraphe. *Me tuis adhærere ramis.* Per vitem semetipsum intelligens, per arborem verò Crucem, de cujus auxilio velut in manu sua securè consistentem esse credebat victoriam. *Et revera omnia irrita essent conamina nostra, si ea Crux minimè sustentaret Itaque est nobis sedulo laborandum Crucis adhærere ramis.* De Duce Gliscæ quoque legitur, quod ut Crucem validissima arma nostra esse significaret, quibus inimici nostri aguntur in exterminium, quæque militiæ Christianæ bellatores ab eorundem insultibus pariter & insidiis defendit, in vexillis suis depictam habeat galeam, eidemque super imminentem strictum ensem, cum hoc subscripto symbolo: *Perimit & tuetur.* Crux enim tum galeæ, tum ensis officium præstat, dum adversarios nos infestantes dissipat & prosternit. Quisquis autem hac insigni & spirituali armatura est denudatus, ille proculdubio tam offensionem, quàm defensionem difficillimam sibi esse experietur. Strategi generosi ad Coronæ Cæsareæ obsequium promptissimo invictoque animo proprium suum sanguinem fundunt, vitamque suam quibusvis discri-

Idem ibid. fol. 78.

mi-

minibus implicare minimè reformidant, dummodo illis ab Imperatore commoda & congrua præstentur auxilia, secus enim vanam censent omnem suam virtutem, quasque vires reputant insufficientes, nisi à Cæsaris auxilio atque succursu suffulciantur. Hancque mentem suam reddidere manifestam per depictam quandam galeam sive cassidem, meris Nullis, quæ litera o. exprimuntur, circumquaque notatam, eidem hanc subjungentes Epitaphen: *Hoc nihil est, si minimum addideris, maximum erit.* Quasi dicere voluissent: Suam animi fortitudinem velut nullam quandam esse sine Cæsaris auxilio & ope. *Hoc nihil est:* at verò post acceptum subsidium Cæsareum; *Maximum erit.* Animus quantumvis generosus militum, sine auxilio, non jam Cæsaris, sed sanctæ Crucis, *Nihil est*; Est veluti nulla quædam; sed idem animus Cruce obarmatus. *Maximum erit.* Hac enim muniti, generosa edent facinora, & de inimicis suis post reportatam feliciter victoriæ palmam, gloriosè triumphabunt. Benedictus quoque Papa VIII. Henrico II. Anno 1013. globum quendam aureum mundum referentem & in summitate Cruce quadam gemmis lapidibusque ditissimè distinctam & ornatam liberaliter donans, nihil aliud quàm Crucis virtutem atque potentiam significare, ac proinde eum simul salubriter monitum esse voluit, ut nec mundo imperare, nec ad bella sine Crucis præunte vexillo procederet: *Vt foret ei documentum, non aliter debere imperare vel militare in mundo, quam ut dignus haberetur vivifica Crucis tueri vexillo.* Unde Sanctus Methodius Martyr & Episcopus Patarensis militaris Crucis hujus virtutem considerans; Nullam esse, inquit, in hoc mundo potentiam aut coronam, quæ adversus illam aliqua ratione prævalere possit. In medio terræ umbilico situata & plantata fuit, teste regio Prophetha: *Operatus est salutem in medio terra.* Cujus partes quatuor ad quatuor mundi extremitates seu plagas mundi sese protendunt, videlicet pars inferior versus terræ centrum, pars superior versus concavum cœli, pars dextra versus Orientem, & sinistra Occidentem versus; ut per hoc innotescat, nullum esse in toto hoc universo locum, ubi Crux non prævaleat, non defendat, aut omnes militiæ Christianæ duces victoriosos è prælis redire non faciat: *Non est gens atque regnum sub cælo, quod prævalere posset aut superare Regnum Christianorum, quod in medio terra vivificans confixa & solidata est Crux S. sub qua & orbis terra munitur, & fines mundi. Quare valdè sapienter scribitur, constare secundùm latitudinem, & altitudinem, & profunditatem* In hujus namque Crucis virtute multi egregii Heroes in campo Martio præstantes acquisivere victoriatum palmas & trophæa.

Apud Greg. Mastr. 2. disc. 5.

Cæsar. Baron. t. 2. Anno Christi 1013.

Ps. 73. n. 12

D. Meth. in Bibl. in revel. vet. PP. t. 1.

4. Neque hac de re jam amplius in genere loquamur, sed ad specifica descendamus & mediantibus experientiæ vestigiis, particulares quosdam in diversis Scripturæ locis adductos in hac materia eventus investigemus. In valle sylvestri duo ingentes castra metabantur exercitus, inter quos paulò post horribile commissum est prælium. Ex una parte erant quatuor Reges cum suis exercitibus, id est, Chodorlaomor Rex Elemitarum, Thadal Rex Gentium; Amraphel Rex Sennaar, & Arioth Rex Ponti. E quorum opposito quinque Reges consistebant, cum suis turmis optimo ordine collocatis, omnes arma manu tenentes & parati ad prælium, scilicet, duo Reges Pentapolitani, Rex Adama, Rex Seboim, & Rex Bale. Ad dandum prælio initium explicantur utrimque vexilla, tubæ clangentes perstrepunt, resonant tympana, ordinatam utrimque aciem induunt castra: animantur ad prælium equi, dantur conflictui initiando signa, moventur castra, urgentur, clamatur utrimque, digladiantur, præliantur imperterritè & fortiter; ita ut eventus prælii admodum variabiles extiterint, victoriaque anceps valdè & dubiosa fuerit, donec tandem motis & relictis tentoriis quinque Reges ab aliis quatuor cæsi fuêre, eorumque exercitus totaliter fuêre fusi & dissipati, nonnulli enim obverso dorso fuga sibi salutem quærebant, alii in sanguine suo sepulti jacebant, multi ab equis contriti & conculcati erant, alii depositis armis sese victos subjugabant, plerique verò hostibus cedentes in carceres ducebantur captivi: *Itaque Rex Sodomorum & Rex Gomorrha terga verterunt, ceciderunt que ibi, & qui remanserant, fugerunt ad montem.* Inter cæteros autem captivos Loth quoque fuit Abrahæ nepos, qui una cum libertate cunctas quoque suas perdiderat divitias. Abraham autem de hoc gravi neporis sui infortunio per quendam militem qui fuga sibi consuluerat, certior factus, quandam è trecentis & octodecim viris consistentem turmam in aciem distribuit, & quatuor Regibus victoribus ob-

Genes. 14 v. 10. Gen. 2. v. 17.

viam processit, eosque viriliter & fortiter agpressus, mox rupto exercitu dissipavit, potioribusque occisis, reliquos captivos in potestatem suam redegit: *Quod cùm audisset Abraham captum videlicet Loth, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo. Irruit super eos nocte, percussitque eos, & persecutum est eos usque Hoba & Phænicen.* Omnem Lotho ereptam prædam totamque ejus substantiam, una cum Loth, omnique gente sua pariter liberavit, atque è manibus hostium eripuit: *Reduxitque omnem substantiam illius, mulieres quoque & populum.* Circa hoc ab Abraha institutum prælium, & in illo ab eodem obtentam victoriam duæ mihi occurrunt difficultates. Primò enim valdè mihi paradoxum, quod hi quatuor Reges, postquam quinque alios Reges superassent, à solo Abrahâ & pauculis vernaculis suis quos secum habebat, cæsi & superati fuerint. Secunda est: Abraham non habebat secum nisi duntaxat trecentos & octodecim viros pugnatores: alii verò cùm quatuor Reges fuerint, credibile est, quod copiosissimum & instructissimum habuerint exercitum, si singulorum vires colligantur in unum. Et tamen Abram vincit illos. Nec est quod mihi respondeat aliquis, Abram fuisse virum ad præliandum valdè exercitatum, magnamque habuisse Martis experientiam, nam certum est illum hactenus cum nemine unquam pugnasse, imò manum suam ensi nunquam applicuisse, utpote qui vir erat planè pacificus; ut videre est in eo eventu, quando nimirum inter ipsum & Loth lite quadam suborta, Abraham litigia declinare contendens, perdere, quàm contendere & rixari maluit, dicens: *Ne quæso sit jurgium inter me & te; recede à me obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo.* Unde igitur Abrahæ obvenit tam præstans atque eximia victoria?

Gen. 14. v. 14.

Ibid. n. 16.

Gen. 11. v. 8.

5. Aliud quoque generosissimum facinus bellicum in libro Josue descriptum invenio: Nam Amalecitæ, Madianitæ, & populi Orientales copiosissimum instaurarunt exercitum, & Jordanis flumen trajicientes in valle Jezahel castra metabantur; cùm ecce Gedeon ad gentis illius tamersi numerosæ & ferocis ausum temerarium comprimendum, ad auxiliares ab Abiezer, Manasse, Azer, Zabulon & Nephtali subministratas copias confugium suum habuit, qui non solùm copiosas ei militum copias, & commeatum in subsidium dedere, verùm etiam in propria persona accinctis armis ipsum sunt subsecuti ad prælium usque ad fontem Arad; ubi Deus Gedeoni exercitum suum nimis numerorosum, ideoque ad longè minorem numerum redigendum esse dixit; qui proinde viginti duobus militum millibus à militari sacramento absolutis, decem duntaxat bellatorum sibi millia reservavit. Deus autem ireratò hunc residuum quoque militem in nimia etiam multitudine consistere ei significavit: *Adhuc populus multus est*; atque ideò illos tantùm reservari jussit, quia ad prælia essent exercitati, eosque hoc præcipuè signo internoscendos esse significavit: Postquam enim omnes ad flumen educti fuerint, attendendum ad modum quo aquas hauserint: si enim illam sumpserint *curvatis genibus*, mox tanquam ad bellandum inepti & inidonei sunt dimittendi: Illi verò *Qui lingua lambuerint aquas sicut solent canes lambere*, eo ipso censendi sunt velut prælio gerendo qualificatissimi, & in generosos bellatores evadent. Hoc autem probationis genere adhibito, ex decem millibus solum remansere trecenti: *Fuit itaque numerus eorum qui lambuerant aquas trecenti viri.* Cum itaque inquit Deus, prælium tutum te adoriri volo, reliquis omnibus in suum locum abire jussis: *Reliqua multitudo revertatur in locum suum.* Fuit profectò mira hæc militis Israelitici diminutio, quando triginta duo millia ad trecentos duntaxat milites redigebantur. Quid vobis O Auditores de admirabili hoc milites deligendi modo videtur. Semper à rerum bellicarum peritis dici audivi, victoriam tutius & securius obtineri per multos, quàm per paucos milites. Ergone O Deus Gedeonem cum trecentis tantum viris ad præliandum procedere jubes? Hi procul dubio erunt sicut pauca fraga in ore ursi. Quomodo enim Gedeon vincere poterit, qui se suosque manifesto & evidenti mortis periculo exponit? Et tamen verum est, quod *ipse cum trecentis viris certamini se dedit*, & toto hostili exercitu trucidato adeò gloriosè victor evasit, ut è trecentis viris suis ne vel unus morti occubuerit. Dicite sodes O Auditores, unde victoriam hanc natam fuisse existimatis? Fortè per Gedeonis prudentiam? aut ab invicta militum fortitudine animique robore? Res profectò miranda! victoria hæc nulli præterquam Deo in acceptis ferenda est, qui voluit

Iud. 6. v. 23.

Ib. c. 7. v. 4.

Ib. v. 5.

Ib. v. 6.

Ib. v. 8.

Gedeo-

Gedeonem determinatè cum trecentis tantum prælium istud committere, nec plures adhibendo milites, nec pauciores. Veruntamen nolite id nimium mirari, frequens enim experientia testatur, in numeris sæpè stupendos latere eventus. Sic enim Franciscus Bandinus Florentinus in Curia Romana Abbas, 19. Decembris nascitur, vixit annos 24 Die 19 Decembris moritur Anno 1579 Carolus V. 24. Februarii nascitur. 24. ejusdem mensis gloriam illam à Francisco I. Galliarum Rege victoriam reportat, & eodem prosus ejusdem mensis die in urbe Bononiensi à Romano Pontifice in Romanorum Imperatorem coronatur. Observatum quoque fuit, quod Gregorius Papa XI. dum esset annorum 17. factus fuerit Cardinalis, Anno ætatis 37. electus Pontifex fuerit, septimus quoque fuerit eorum Pontificum qui in Avenione sederunt, electus quoque fuerit à 17. Cardinalibus. In Pontificatu septem annis vixerit, postquam facta electione coronatus fuit. Undecimus quoque fuerit Pontifex, qui hoc nomine Gregorii fuit; insignitus, undecies autem septem, vel septies undecim faciunt numerum 77.

Roma in elogio S. Sylvestri in Quirinali.

Simon Majolus co. 4. fol. 209.

6. Verum enim verò ad trecentorum militum numerum denuò revertamur. O quam mysticus est hic numerus! Numerus 300. apud Græcos per Tau, vel T. scribitur. Tau autem sanctam Crucem repræsentat. Ita S. Augustinus affirmat: *Trecenti in Græco T. similitudinem Crucis ostendunt.* Et S. Gregorius Papa: *Iste trecentenarius numerus in Tau litera continetur, quæ Crucis speciem tenet. Cui si super transversa linea adderetur, jam non Crucis species, sed ipsa Crux esset.* Unde hac ratione discamus, quod ad temporales inimicos nostros vincendos, obtinendamque gloriosam victoriam Crux quam maximè desideretur. *Prævidit mysterium S. Gedeon* (inquit S.P. Augustinus) *Elegit trecentos viros ad prælium, ut ostenderet, non in numero multitudinis, sed in Sacramento Crucis mundum ab incursu gravium hostium liberandum. Trecenti enim in Græco T. similitudinem Crucis ostendunt.* Porrò hac eadem doctrina supramemoratæ quoque difficultati de trecentis & octodecim militibus quibuscum adversus quatuor Reges eorumque numerosum exercitum pugnando, gloriosa etiam victoria reportata fuit. Respondetur ex mente S. Pauli Magni Nolani Episcopi: *Non multitudine, nec virtute Legionum, sed jam tunc in Sacramento Crucis* (*cujus figura per literam Græcam T. numero trecentorum exprimitur*) *adversarios Principes debellavit.* Verùm enimvero numerus trecentesimum excedens, id est, decem & octo, ad quid inservire dicetur? Scribitur etiam hic numerus in Græco duobus apicibus, sive literis, quarum prima est *Iota*, quæ idem significat quod decem. Secunda verò est *Ita*, quæ octo significat. *Iota* autem & *Ita*, sunt duæ illæ primæ literæ, quæ in Græco idiomate ad componendum Jesu nomen concurrunt. Quod si igitur numerum 300. simul cum 18 conjunxeris, idem quod Crux Jesu efficies; ut per hoc innuatur quod Abraham ex prævisa Crucis Jesu virtute, de quatuor Regibus, omnibusq; illorum exercitibus reportavit victoriam. Id quod Eucherius quoq; apertè confirmat, dicens: *Quod verò ille tantum in trecentis decem & octo comitatibus adversarios Principes debellavit: jam tunc in sacra Crucis, quæ per Tau literam græcam, & Jesu nomen græcis literis scribitur, qui Salvator interpretatur, in numero trecentorum & decem & octo exprimitur.*

D. Aug. t. 10. ser. post Dom. Pass. ser. 1. & 108.

D. Greg. l. 30. mor. in c. 39. Iob. c. 17.

D. Paulin. Epis. Nolanus ep 2. ad Severum in Bibl. PP. t. 5.

Apud Pet. Bungium Bergom de numeris.

Eucher. in Gen. l. 2. c. 22.

7. Cæterùm quanti solum sanctæ Crucis efformatum signum valeat, ex alio quodam stupendo casu, quem Spiritus Sanctus in Judicum libro recenset, expressè deducitur. Jabin enim Rex Chanaan in Asor gubernans, validum quendam in campis constitutum habebat exercitum, cujus Dux generalissimus Sisera erat; miles certè magnanimus atque cordatus; at verò gentis Israeliticæ juratus inimicus, utpote adversus quam per viginti annos continuos arma semper movit, eandem molestare nunquam desinens. Debora verò uxor Lapidoth, fœmina virili animo prædita, cui in sapientia & prudentia nulla poterat similis reperiri, Barach filium Abinoen die quadam advocavit, eique ex nomine Magni Dei Israelis seriò præcepit, ut arreptis armis fastum & arrogantiam Siseræ inimici mortificare atq; compescere contenderet, universumque Israelem tandem aliquando à tot hostilibus infestationibus vel semel liberaret; hocque fine ex tribubus Zabulon & Nephtali decem millia bellatorum eligeret; hisq; stipatus impertertitè, & sine timore in campum procederet. Futurum enim ut & ipsa suis sit partibus factura satis, omni cum industria curando, ut Sisara in manus suas tradendus esset. *Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, & duc exercitum &c. Siseram Principem exercitus Iabin, & currus ejus, & omnem mul-* *Iudic. 4. v. 6. 7.*

titudinem, tradam eum in manu tua. Barac igitur ex divino præcepto, & generoso hujusce mulieris sermone animatus, hinc se patrando facinori accinxit; utque inimicum suum assequi posset, strenuè est progressus. Sisara verò viso Israelis exercitu, metu perculsus & penitus
Ibid. v. 16. consternatus, ut vitam suam salvare posset, in turpem se fugam commisit: *In tantum ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret.* Jael autem mulier magnanima, fugitivum hunc ducem conspicieus, eundem ut in tabernaculum suum divertetet, & aliquantulam quietem captaret, rogavit, & obtinuit. Postquam verò propinatum sibi lac potasset, somnoque sepultus erat, sapientissima mulier accepto clavo & malleo tempora ejus transadigens in terram
Ibid. v. 21. confixit: *Tulit itaque Iael uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondite, & cum silentio posuit super tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram.* O animum hujusce mulieris minimè fœmineum, sed vitilem prorsus & masculum. Rupertus Abbas Tuitiensis non tam actionem quantum vis generosa illa fuerit, quàm modum illius omninò mysticum, maximaque ponderatione dignissimum considerat. Cur enim, inquit, mulier non alia ad occidendum instrumenta quàm clavum & malleum arripit? Nunquid commodius & faniliusipsum occidere potuisset, si acceptum cultrum in fauces vel cor ejus adegisset? Quænam est hæc tam mira generosum belli ducem trucidandi inventio?

8. Pro faciliori hujus facinoris, & ministerii in eo reconditi intelligentia, ad Davidem Regem necessario est recurrendum, qui suas ad Deum orationes effundens, & particularis cujusdam gratiæ impetrandæ cupidus, dicebat:
Psal. 142. *Expandi manus ad te.* Optarem enim hoc loco scire, quænam sit hæc cæremonia, & ad quid Davidi utilis fuerit hæc manuum & brachiorum extensio. Quod si David orare decrevit, cur non potiùs manus suas conjungit? Si Deo supplicat, cur non potiùs coram Deo apparet genuflexus? Si veniam & remissionem postulat, cur non magis idipsum pectus suum percutiendo insinuat? Aut si aliquem vult humiliationis actum edere, cur non se in terram
Tertull. l. 3 adv. Marc. c. 18. prosternit? Benè idipsum quoque Tertullianus advertit: *Quare non genibus positis manibus cædentibus pectus, facie humi prostrata?* Multi expositores respondent, & quasi omnes in unam eademque opinionem concurrunt; dicentes; hanc brachiorum extensionem Crucem Jesu Christi repræsentare. Ita Hugo à S. Charo: *Formam Crucis significans.* S. Maximus: *Incessus hominis cum manu levaverit, Crucem pingit.* S. Bruno Episcopus Herbipolensis: *Qui expansis manibus orat, Crucem Redemptoris imitatur.* Incognitus Carmelitanus: *Quando expandimus, manus in modum Crucis, tunc significamus nos imitatores Christi passionis, omnia adversa patienter tolerando.* Alii dicunt: *Dum ait: Expandi manus meas ad te, formam Crucis significat, quæ est salus. Qui enim expansis manibus orat, illam Crucem Redemptoris imitatur.* Ecce igitur habetis hic facilitatem actionis à Jalee exercitæ intelligentiam, quæ antea videbatur difficillima. Sinistram extendit, & clavum super tempora Sisaræ dormientis applicat, dextera verò malleum in altum elevat, ut fortiorem ictum imprimat: Siste hic ô sapiens mulier, & in eodem corporis habitu sive positura, prout stas ad ictum dandum parata, immobiliter persevera. Vos autem ô Auditores ipsam considerate, numquid prout brachiis extensis à vobis hic hic conspicitur, Crucem coram vobis efformate videtur? Imò verò. Cur autem? nisi quia sciebat, quod sine signo Crucis victoriam adversus Sisaram obtinere minimè posset. Cui veritati etiam Rupertus Abbas Tuitiensis subscribit dicens: *Sinistram manu misit ad clavem & dexteram ad fabrorum malleos: Talis habitus corporis profectò figuram crucis exprimit.*

Hugo. Card. ib.

D. Maximus in Ho. Hyem Hō. 3. de Cruce B Bruno. in Psalt. Incogn. Carm. ibid. Francisc. Butto in Catena ibi.

Rup. Abb. in Iud. l. 1. cap. 7.

Huic quoque conforme est quod in Exodo legitur, scilicet quod dum populus Dei cum Amalecitis pugnaret, Moyses in cacumen montis cujusdam ascenderit. *Moyses & Aaron & Hur ascenderunt in verticem collis.* Quod equidem prima facie consideranti mirum videri posset. Quid enim Moyses, qui populi Israelitici dux erat primarius eo tempore, quo commissus sibi populus cruentis præliis insistit, in montibus circumvagatur? nunquid ad populum suum magis magis animandum convenientius fuisset, si primus in acie stetisset, suamque vitam pro commissa sibi gente exponeret? videri non immeritò posset homo ignavus, qui hostis sui vultum subire vereatur, ac proinde milites ejus haud immeritò de ejus ducatu conqueri possent, sicut enim oculus Domini pascit equum, sic quoque animos & vires militi suggerit præsentia ducis. Nec valet, si respondeat, se alios constituisse vices suas & locum tenentes; hoc

Exodi 17. v. 10.

Stobæus serm. 54. Plut. in Apopor.

eiam

enim ejus reputationi minimè conducit. Præterea quis est qui nesciat, generosiorem esse cervorum gregem sub ducatu leonis, quam integram leonum turbam duce cervo? Et quis non eligeret in bello Capitaneus esse, si licitum & honestum esset, aut sine culpa & reatu inexcusabilis ignaviæ liceret ineunte prælio se subducere, & de loco securo sibi prospicere. Veruntamen ô Auditores, si militiæ ducem præcæteris dotibus prudentia decet, certe Moyses in hac actione prudentissimum se esse probavit, siquidem ad superandos & prosternendos Amalecitas, obtinendamque de iis victoriam, ingeniosissimam in monte inventionem excogitavit. Ipse namque manus & brachia extendendo Crucis figuram formabat, & hac ratione efficacius quam personali assistentia exercitum suum triumphare faciebat: at verò quandò paulisper manus demittebat, suaque brachia Crucis formam referre desinebat, Amalecitæ resumpto animo iterum prævalebant, Israelitæ verò periclitabantur: *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel*, id est, quando formabat Crucem. *Moyses manuum elevatione mysterium Crucis ostendit. Sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Adeò ut victoria aut strages ex eo solum dependere videretur, quod Moyses corpore & brachiis formaret vel non formaret Crucem. Confirmat idipsum sanctus Isidorus, dum ait: *Moyses brachia in modum Crucis extendit, sicque hostis signo Crucis Dominicæ superatur.* Et S. Gregorius Nazianzenus: *Moyses in monte manus extendens ut Crux adumbrata, & ante indicata victoriam tulit.*

D. Aug. tom. 10. serm. 94. & 2. de temp.

Isid. in Exod. c. 25. Greg. Nazianz. Apol. 1. Damelis 3. v. 50.

10. Scribit Daniel quod tres pueri Hebræi Sidrach, Misach, & Abdenago, eo quod statuam Nabuchodonosoris Regis, timore Dei illos cohibente, adorare renuissent, in ardentissimam quandam fornacem fuerint projecti. Cumque nemo non illis compatiens pulcherrimum juventutis suæ florem in cinerem redactum esse existimaret, ignis econtra nequicquam illos offenderit: imò flammæ fornacis illius in auram suavem transformatæ, corpora eorum restaurarint, & vegetiora effecerint: *Medium fornacis quasi ventum roris stantem, & non tetigit eos omninò ignis: neque contristavit, nec quicquam molestiæ intulit.* Veruntamen qua ratione fieri potuit, ut ignis activitatem suam adeò subito perdiderit, & præsens combustibile non combusserit utique respondebitis mihi, & bene quidem, ignem illum operari non potuisse, eo quod Deus concursum suum suspenderit. Neque idipsum ego inficior; veruntamen manet difficultas, undenam Deus ad concursum suum suspendendum motus fuerit? Andreas Episcopus Cretensis respondet, tres pueros illos in flammis istis stetisse brachiis extensis & apertis, ideoque veram formasse in flammis illis Crucem, ac proinde nil mirum fuisse, si flammarum vicerint activitatem, & victoriam à Tyranno reportarint: *Intulerunt olim manus in altum Azarias & socii in Babylonica fornacis igne precantes, & elatam in altum ipsius flammam extinxerunt manuum extensione, Crucem exaltatam adumbrantes.*

Andr. Cretensis Episc. orat. 2. de exalt. S. Crucis in Bibl. vet. PP. tom.

11. Adhæc insigne prodigium haud dubiè fuit, quod Jonas in medio mari, imò in ventre ceti cujusdam grandis permanserit tribus diebus atque noctibus, ibidemque toto tempore illo vivus conservatus fuerit & illæsus. Procul dubio recurrendum hic nobis est ad miraculum, & dicendum; singulari Dei virtute ibidem fuisse sic conservatum. Optimè quidem: veruntamen scire percuperem, quidnam Jonas fecerit, ut Deum ad se hoc modo conservandum disponeret? Idemmet Andreas Cretensis scribit; Prophetam hunc toto Spiritu Deo se recommendasse, eumque rogasse, ut se in gravi ista ærumna & vitæ periculo constitutum eripere & conservare dignaretur, idque non tantum voce sed & manibus cooperantibus factum fuisse, eo ipso enim dum voce sua ad Deum clamaret, manus quoque & brachia in Crucis modum extendebat, quasi tanquam Propheta verus dixisset. Per hoc Crucis signum, quo illa in qua venturus Messias crucifigendus erat repræsentatur, te rogo, ô supreme Creator, ut me ex extremis hisce angustiis liberare digneris. Moxque cetus littori appropinquans summo cum impetu in terram usque eundem evomuit: *Elevavit aliquando Jonas vocem manibus in Crucis formam sublatis, & statim virtutem ex alto attraxit sine noxa ex bellua ejectus.* Constantinus Imperator labarum suum quoque in Crucem quandam transmutavit, eamque in bello exercitum suum semper præcedere voluit: *Semper enim hoc signum proponebatur ante ordines universos, quod semper maximè laborantibus aciebus in prælis adesse præcipiebat.* Accidit autem quod dum miles quidam, qui Labarum istud ferebat, se vulnerandum aut interficiendum esse metuens, alteri illud ferendum committeret, eoque resignato in fugam se mox reciperet, eodem vix in

Andr. Cret. ubi sup.

Euseb. Cæsar. in histor. Scholast. Tripart.

alterum translato, dum fugæ initium capesseret, sagitta trajectus mox occubuit mortuus *subito percussus interiit*; Alter verò contra qui illud velut glorioſiſſimum vexillum gubernabat, non obſtante, quod in illum veluti tam ſalutaris ſigni bajulum omnes ſagittæ velut in ſcopum dirigerentur, ſalvus remanſit & illæſus. *Ille verò qui ſacrum ſuſcepit trophæum, multis ſe jaculantibus permanſit illæſus.* Et quod maximè obſtupeſcendum eſt, ſcribit Euſebius, quod *mirabiliter Divina regente virtute ſagittæ hoſtium ſigebantur in ſigno, à ſignifero autem inter pericula protinus avolabant.* Tandem verò concludit, neminem eorum qui ſacrum hoc vexillum portabant, ab infidelibus unquam læſum fuiſſe, *dicitur autem neque ullum unquam hujus ſigni miniſtrum, ut ſolet in bello, vulnere mortuum, aut cladem captivitatis perpeſſum.*

12. Idemmet Conſtantinus cum exercitu ſuo Romam venit, & Maxentio tyranno profligato, almam urbem triumphans & ovans ingreſſus eſt. Cui Senatus in perpetuam rei memoriam ſtatuam erexit, in cujus dextra vexillum collocavit, in quo Crux tutilare cernebatur, cum ſequenti inſcriptione: *Quia in hoc ſigno ſingulari, quod eſt verè virtutis inſigne, urbem Romam, Senatumque & populum Romanum, jugo tyrannicæ dominationis ereptum, priſtinæ libertati nobilitatique reſtituit.* Unde conſtat, quod Romani tametſi gentiles exiterint, Conſtantini Victorias, juxta relationem Euſebii Cæſarienſis Cruci adſcripſerint.

Euſebius Caſ. l. 9. c. 9.

13. Incredibilem fere hiſtoriam referunt Paulus Oroſius S. P. Auguſtini diſcipulus, & Cardinalis Baronius, nimirum quod Theodoſius poſt diuturnum bellum cum Eugenio Arbogaſte & Flaviano à ſe adverſa ſemper fortuna continuatum, tandem exiguum habuerit militem ſuperſtitem, qui etiam omnibus viribus exhauſtus, armis rem ulterius tentare tantò minus audebat, quod exiguum hoc militiæ Theodoſianæ reſiduum intra Alpium anguſtias recluſum & conſtrictum hæreret. Imperatori quidem non deerat animus, ut illos omnibus quæ excogitare poterat, motivis ad pugnandum excitaret & animaret, nec tamen illis quicquam perſuadere aut ad dimicandum permovere poterat. Quapropter ipſemet, ut erat invicto & intrepido animo præditus, non obſtante quod ſe à ſuis derelictum eſſe cerneret, Deo ſeſe recommendans, à ſolo Bachurio, & pauculis aliis comitatus adverſariorum aggreſſus eſt aciem, Deo ipſi & ſociis ſuis mirabiliter favente, ejuſque conatus prodigioſe adjuvante & promovente; nam ventus quidam protinus ſurrexit Theodoſii conatibus admodum favorabilis, qui omnem excitatum pulverem in hoſtilis exercitus faciem ſumma cum violentia propellebat. Quæ etiam in eum evibrabantur ſagittæ, in tam incredibili erant frequentia, ut ipſummet ſolem obſcuraverint, veruntamen omnes mirabiliter non ſine gravi vulnere plurimorumque ſtrage retorquebantur in hoſtem, quem proinde fugientem Theodoſius ſtrenuè proſecutus, in extremum adegit exterminium, omnibus fugatis & diſſipatis. Ecce (ô ſtupor! ô prodigium! ô miraculum!) Theodoſium victorem & glorioſe triumphantem. Verum enimvero ô Auditores, quamnam exiſtimatis hujuſce victoriæ fuiſſe originem. Supramemorati Scriptores referunt, Imperatorem nec non & alios qui eum fuerant inſecuti, ſigno Crucis ſignatos fuiſſe in pectore, in Caſſide ſeu galea, imò & in cunctis aliis armis: *Sciens ſe eſſe non ſolum ſigno Crucis tuendum, ſed & victoriam adepturum ſigno Crucis ſeſe muniens, ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum, etiamſi nemo ſequeretur, victor futurus emiſit:* inquit Paulus Oroſius: Et Baronius: *Erat totius virtus exercitus Theodoſii ſignum Crucis quam expaveſcerent adverſariæ poteſtates. Erat Crux illa munimen & ornamentum effulgens in armis atque militaribus ſignis, qua & ſuam ipſius muniret frontem, magis quam corona ac diademate curare caput ejuſdem cura erat.*

Paul. Oroſius Bibl. vet. PP. t. 1. l. 7. fol. 226. co. 1. & 2. Cæſar. Baron. t. 4. fol. 505. A.

14. Ad Conſtantinum Imperatorem revertamur. Hic ab exercitu Byzantino bis ſuperatus fuit. Jamque tertia vice ad prælium repetendum ſeſe accinxerat, quocunque tandem fine illud terminandum eſſet, dumque jam hoc fine turmis ſuis in aciem diſtribuendis & collocandis inſiſteret, in aere conſpicuum Crucis ſignum videt, ſtellis lucidiſſimis diſtinctum & adornatum, cum hac illud circumambiente inſcriptione; *In hoc ſigno omnes hoſtes vinces.* Unde factum eſt quod poſtea in omnibus prælis fuerit victorioſus, & particulariter adverſus Scythas, uti Nicephorus Calliſtus ſcribit! *Conſtantinum Magnum in bello contra Byzantios cum jam bis victus eſſet, iterum vidiſſe ſignum Crucis in cælo ſtellis effigiatum dicunt, hac inſcriptione: In hoc ſigno hoſtes omnes vinces.* O ſignum bellicoſum! ô Crucem genitricem victoriarum, & palmarum triumphorumque

Nicephor. Calliſt. l. 7. cap. 47. & 49.

rentem. Hoc signo, ô Christiane in quibuscunque eventibus frontem & pectus tuum communias, nec quicquam timeas, siquidem mox ut hoc signum se prodit: *Ecce Crucem Domini, fugiunt partes adversæ.* Omnes inimici nostri in fugam sese recipiunt. Quod si verò illo te non communieris superaberis & victus eris. Quis sibi unquam persuadere potuisset, Gygantem illum qui exercituum Israeliticorum terror erat, omnibusque terribilis & formidabilis, illum inquam à vili quodam juvene greges pascente jacto in frontem ejus lapide in terram prosternendum esse? Et tamen verè ita contigit, nam superbum hoc & inflatum monstrum, quod integras turmas & cohortes in singulare secum ineundum certamen provocabat, enecatum est ense proprio, idque ab inermi quodam juvene, qui vexilla nunquam explicari vidit, nec impetuosum tympani murmur pulsari, aut ad bella vocantes & excitantes tubas insonari unquam audivit. Magna inquies hæc Davidis fortuna, e contra vero infelix Gygantis fatum extitit: *Percussit Philisthæum in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram.* Imò verò, si locus in quo lapidis ictum accepit, id est, frons ejus bene consideretur, satis perspicuum fiet, casum hunc nec ex parte unius fortunam, nec fatum ex parte alterius nominandum esse. Cur ita? Audite salutare venerabilis Bedæ monitum, quod cuilibet nostrum suggerit, dum ait: *Quisquis in fronte feriri timet, signo salutifero Crucis ipsam frontem armet.* Philisthæus frontem inermem habebat, id est, Cruce minimè munitam, atque ideò is victoriam perdidit, quam David feliciter reportavit. Unde S. P. Augustinus dicit: *Videte fratres, ubi David Goliath percussit, in fronte, ubi Crucis signum non habebat.*

1. Reg. 7. v. 50.

Beda 1. Reg. l. 3. cap. 2.

D. Aug. ser. 119. de temp.

15. Porrò quod inimicos corporales attinet, illi nobis insidiantur, ut vitam eripiant: hostes verò infernales nos aggrediuntur, ut animam perdant; veruntamen & pro his Crux nobis tanquam armatura offensiva & defensiva deservit, per quam non minus quam alii in fugam agentur & profligabuntur: *Ad primum signum Crucis Dæmones evanescunt*, inquit sanctus Athanasius: *Crux est clypeus & armatura, & trophæum contra Diabolum, signaculum ne tangat nos everſor.* Megarenses, ut Justus Lipsius refert, ut scire possent quantò tempore eorum Respublica duratura esset, oraculum consuluerunt, illique summa cum instantia, ut huic suæ cutiositati responderi dignaretur, supplicarunt. At quo gratum responsum tulerunt responsum, scilicet Rempublicam ipsorum floridam mansuram & perseveraturam esse, donec arbor quædam peperisset; Quo responso accepto omnes mirè gavisi sunt, existimantes, quod sicut arborem parturire, res est manifeste impossibilis, ita quoque impossibile esset ipsorum Civitatem & Rempublicam quovis tandem superveniente infortunio interire posse. Accidit autem quod miles quidam, postquam multis annis in bello stipendia meruisset, salva vita sua Megaram reversus, omnia arma sua quibus in prælio fortis & invictus remanserat, in vacuam in media via plantatæ Olivæ cujusdam sinum deposuerit atque condiderit, in quo multo tempore conservata permanserè. Hæc autem arbor postquam notabiliter excrevisset, tandem corticè sua aperturam sinus illius omnio contexit. Tandem verò postquam jam annosa facta exaruisset, à Megarensibus eadem arbor amputata fuit, fuereque juxta ejus medullam hæc prædicta arma inventa, quæ ex gravido ejusdem Olivæ ventre veluti partu quodam videbantur enixa. Et mox subsecuta est pronuntiata ab oraculo veritatis; Confestim, enim post hunc casum Reipublicæ Megarensium terminatum est dominium. *Megaris diu stetit Oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ Cortice ambiente ætas longa occultaverat* (ita refert Plinius.) *Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonita oraculo, cum arbor arma peperisset, quod succisa accidit ocreis galeisque intus repertis.* Nimirum Dæmon non jam ut Princeps, sed ut Tyrannus nunc regnat in mundo, id est, in hominum mente & corde, sese tanquam verum Deum adorari, suaque responsa velut veritatis requiri oracula. Relicto autem tantisper oracuło, verbum Dei incarnatum accedamus, illudque interrogando consulamus, quamdiu dominium Dæmonis tyrannicum in hoc mundo sit duraturum; Non dubito, quin audituri simus brevi illud fore terminandum: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Per hunc enim Principem cuncti scriptores Dæmonem intelligunt: *Per Principem hujus mundi Diabolum significari omnes Doctores affirmant.* Verum quando *nunc* illud futurum erit, in quo *Diabolus ejicietur foras*? Nunquid eum idipsum sequentibus verbis expresse dicentem auditis: *Cum exaltatus fuero à terra? id est, quando in Cruce levabor*, inquit Dionysius Carthusianus. Et Hugo Charensis: *Cum exaltatus fuero à terra in Cruce*, quod idem erat, ac si

Plin. l. 1 c. 39. fol. 284. n. 20.

Ioan. 12. v. 31.

Franc. Tol ibid. fol. 661.

Annot. 13. col. 1. B.

Dionys. Carthus. ibi. fac. 2. C. f. 342.

ac si diceret : Tunc quando arbor Crucis filium Dei pariet, tyrannicus Sathanæ principatus terminabitur. Sicut enim in illa Megarensi Oliva armatura illa, quæ militis unicum robur & fortitudo erat, tenebatur abscondita : ita in Crucis Oliva (ita mihi illam appellare liceat, cum ex multorum opinione Crux aliqua ex parte fuerit ex Oliva constructa) abscondita tenebatur Crucifixi Redemptoris nostri potentia. *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Per quam inimicus nostet & tyrannus infernalis hactenus semper profligatus fuit, & dissipabitur semper. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, quasi per passionem victoriam de Diabolo habeo*, id est, *in Cruce*, inquit S. Thomas. *Modus autem mortis est per exaltationem in ligno Crucis.* Dæmon à Cruce provenire cognoscit totum suum exterminium. Sicut eidem Cruci Christianus omnes suas sibi partas victorias referre debet acceptas : *Per Christum jugum & servitus & Dæmoniis potestas fracta & ablata sunt, quantum est ex parte Christi omnes liberati sunt & erepti à Dæmonis principatu.* De S. Apostolo Bartholomæo legitur, quod dum fidem Christianam Indis prædicaret, templum quoddam idolorum ingressus, omnes idolorum in terram prostraverit statuas, Dæmonesque ex iisdem abigens, illis ne eo denuo regredi ausint, serò præceperit : *Apostolus templum Deo dicavit, & Dæmonem in desertum abire præcepit.* Eodem verò tempore Angelus quidam in eodem loco comparuisse dicitur, qui templum illud circumiens in quatuor ejus partibus digito suo Cruces formavit, populum commonefaciens, quod si deinceps à Diabolicis insidiis securi esse vellent, in quovis casu obvio Crucis signo se communirent : *Et ecce Angelus Domini apparuit in templo circumvolans in quatuor angulis signum Crucis digito suo sculpsit, admonens populum, ut idem signum frontibus suis imprimerent, & Dæmonem non timerent.*

16. S. Ignatius Martyr ad Philippenses scribens, quandam opinionum suarum apparenter quidem valdè arduam, revera autem certissimam refert. Affirmat enim, quod Dæmon Judæ postquam is Magistrum suum Principibus Sacerdotum venditum tradidisset, pœnitentiam agere persuaserit : *Tumultuatus est & pœnitentiam immisit Proditori.* Id tamen de pœnitentia quadam desperata intelligendum esse credo. Ideò enim Sanctus hic Pater mox subjungit : *Et laqueum illi commonstravit, & suspendium quo strangularetur edocuit.* Efficere quidem volebat, ut Judas commissum errorem agnosceret, ita tamen ut hæc agnitio pertingeret *usque ad contritionem exclusive, & desperationem inclusive* : prouti realiter quoque accidit, nam *pœnitentia ductus laqueo se suspendit.* At verò quidnam dæmoniis interest, simplicem mali cognitionem huic apostatæ suggerere. Crederem id eum ideò fecisse, ut Judas errorem suum recognoscens ad minus Christi mortem omnibus modis impediret. Sed quomodo id intendere potuisset ? Nunquid Dæmon ad mortem usque Christum oderat ? Nunquid in cor Judæ eo fine intravit, ut eum morti traderet ? Procul dubio : *Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariothes,* Joan. 13. v. 2. inquit Evangelista Joannes. Cur igitur tantam ad ejus liberationem adhibet industriam ? Priusquam difficultatem istam resolvam, curioso quodam eventu eandem corroborabo, ut pariter postea ad utrumque subnectatur responsio. Nostis itaque quod uxor Pilati maritum suum rogarit, ne ullo modo in Christi mortem consentiret, & quod visiones passa fuisset ipsam valdè conturbantes, ac proinde nequaquam innocentem illum morti permitteret : *Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Unde Pilatus conjugis consilio acquiescens, omni modo eum liberare studuit, nunc dicendo : *Non invenio causam in hoc homine.* Mox replicando : *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Mira res, nullus se pro Christo liberando ingerit, solis hisce duabus personis Pilato & ejus conjuge exceptis, qui tamen utpote gentiles, illi potius adversari debebant. Quales igitur huic fœminæ visiones obvenerunt, ut iis ad suum cum marito pro Christo liberando studium adhibendum adeò fortiter permoveretur ? Idemmet sanctus Ignatius Dæmonem harum machinarum authorem fuisse dicit : *Terrebat, id est, Dæmon mulierculam turbans eandem in somnis, ut à Crucifigendo cessarent.* Cajetanus : *Somnia hæc immissa fuerunt à Dæmone.* Lyranus : *Diabolus apparuerat ei movens eam terroribus ad liberationem Christi.* Adde insuper, quod ipsimet etiam Hebræi, dum Christus in Cruce jam moribundus hæreret, visi fuerint in ejus à morte liberationem condescendisse, quando dicebant : *Si filius Dei es, descende de Cruce, & credimus tibi.* Ex quo in desiderio mortis

Matth. 27.

D. Ignat. ubi supra Cajet. ib. fol. 124. col. 1. v. 19. Corn à Lap. in c. 26. Matt. v. 20. nu. 51. Baron. tom. 1. f. 1. 8. n. 81. C.

Christi

Hugo Card. ib f. 329. col.

Abacuc. cap. 3.

D. Tho. in c. 12. Ioan. fol. 71. col. 1. D.

Franc. Tolet. ib fol. 662. col. 2. F.

Petr. de Natal. in vita S. Barthol: lib. 7. c. 103. fol. 176. col. 2.

D. Ignat. Mart. Epist 8. ad Philipp. de Bapt. in Bibl. Vet. PP. t 1. f. 17. col. 2. B. C.

Sebast. Barraa. t. 4. l. 7. c. 5. n Evang. f. 429. col. 1. c. Et Lyranus in glossa ibid. fol. 452. co 2. D. G. Bern. ser. 1 de Pasch. fol. 62. col. 1. B.

Christi adeo fuerunt obstinati, quomodo se nunc à semetipsis diversos & discrepantes esse ostendunt? Etenim Sanctus Bernardus me obstupescere facit, quando hæc verba Judæis & aliis ab infernali spiritu suggesta esse affirmat: *Hæc plane serpentis astutia, hæc adinventio nequitiæ spiritualis, malitiose nimis Linguas erudiens blasphemorum, suggerebat, ut dicerent, Descendat & credimus.* Nunc igitur attendite, Diabolus trium præcipuè personarum scilicet Pilati, uxoris suæ, & Hebræorum interventu Christi mortem impedire quærit, Quo studio absit ut vobis eum Charitatis actum elicuisse imaginemini. hæc enim virtus nullum in Dæmone locum habet, sed potius consilia & suggestiones istæ fuere pessimæ suæ iniquitatis effectus Attenti auscultate id quod S Joannes Evangelista in sua nobis Apocalypsi refert.

Apocal. 20. v. 1. & 2.

37. Dicit enim, se Angelum quendam vidisse, qui de cælo veniens in infernum descenderit, ibidemque Sathanam catenâ ferreâ fortiter strinxerit: *Vidi Angelum descendentem de cælo habentem clavem abyssi & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus. & Sathanas, & ligavit eum.* Hoc totum transeat, quia per hoc Angelus nimis præsumptuosam Sathanæ temeritatem deprimere satagit. At vero quod difficultatem ingerit, est id quod sequitur: scilicet quod Angelus *Signavit super eum.* Quo enim signo illum obsignavit? Cum qua re signum illud fecit? Qualem illi per hanc obsignationem characterem impressit? Albertus Magnus Signum Crucis fuisse respondet: *Id est, signum Crucis posuit super illum* Itane? Ergo Sathanas quoque Crucis signum sibi impressum defert! Hoc signum Christiano tanquam ejus offensiva & defensiva armatura optime convenit, non vero Dæmoni, utpote qui per illud nec ad se defendendum, nec ad offendendum alios prævalere potest. Evangelista causam satis evidenter exprimit, cum Crucem Dæmoni adhibitam fuisse dicit tanquam frænum ad reprimendam ejus arrogantiam, ad enervandam ejus potentiam, viresque illi eripiendas, ne in futurum nova nobis prælia intentet. *Vt non seducat amplius gentes, Posuit super eum signum Crucis* inquit Albertus, *quo eum superavit, ut à fidelibus possit expelli; Omnino enim subiacet Cruci, & nihil potest, nisi permissus à Christo.* Ecce igitur qualiter Crux eum mortificet, Crux illum deprimat, Crux denique in extremum exterminium illum præcipitet. Unde mirum nō est, quòd tantam adhibuerit industriam & diligentiā non ad ejus mortem simpliciter impediendam, sed ad modum moriendi immutandum, qui debebat consummari in Cruce, damna nimirum de longe prospiciens, quæ illi inde futura imminebant. Sciebat enim futurum esse, quod Christus in Crucem ascendens, omnes ad se gentes tracturus esset, ipse verò una cum amisso dominio ab hujus mundi possessione esset pellendus. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, id est, *cum exaltatus fuero à terra.* Prævidebat, quod Angelus in infernum se recipiens, subjugaturus & depressurus illum esset; ac proinde tanta cum industria & sollicitudine Crucis mortem impedire satagebat, nunc per inspiratam Judæ pœnitentiam: *Cum autem paranda esset Crux, tumultuatus est, & pœnitentiam immisit proditori, non quod pœnitudine duceretur ob tantum malum, sed sentiebat sui ipsius pernitiem. Crux enim prima fuit ipsi condemnationis, mortis, & perditionis causa* inquit supradictus Martyr Sanctus Ignatius. Mox vero per apparitiones & illusiones quibus uxori Pilati mendaciter imponebat: *Terrebat mulierculam turbans eandem in somniis, ut à crucifigendo cessarent.* Quod Rabanus confirmat, dicens: *Intelligens Diabolus se per Christum spolia amissurum, vult per mulierem liberare.* Denique quando jam in Cruce vitæ suæ agonem agebat, ficta, & dolosa promissione simulatæ fidei exhibitionis, ultimum per Hebræos, ad hoc ut descenderet de Cruce & in ea non moreretur, conatum adhibuit; Pro cujus majori certitudine doctrinam quæso S. Bernardi audite: *Timebat ergo jam tunc Diabolus, sed nunc maximè virtute Crucis enervari se sentiens inimicus Quos instigavit ad Crucifigendum, instigat ad suadendum, ut de de Cruce descendat. Hæc plane serpentis astutia, hæc adinventio nequitiæ Spiritualis, malitiose nimis linguas erudiens blasphemorum suggerebat ut dicerent: Descendat & credimus.*

Alb. Mag.

Ibid. n. 3.

D. Ignat. Martyr. ubi supra.

Idem ib. Rabanus.

D. Bern. ser. 1. in die Paschæ fol. 62. col. 1. B.

18 Inveniuntur nonnunquam multi adeo ignavi milites, qui nocturno tempore ad captandam requiem in vicinum se tuguriolum recipientes, mox ut surgente vento cannas sive arundines sese invicem allidentes audiunt, meram hastarum hostilium collisionem esse suspicantes, in turpem se fugam recipunt. Majorem autem Dæmon erga umbrā vel figuram Crucis ignaviam demonstrat. Neq; enim serpens adeo

Fraxini umbram timet, quantum Dæmon serpens ille infernalis umbram Crucis reformidat. Quod si credere detrectes, ecce tibi hujus rei evidentem experientiam. Pestilentissimus namque hic Spiritus miserum & desolatum Saulem Regem, in cujus pectus vivum quasi infernum quendam ingesserat, miris modis agitabat, cruciabat sensus, viscera contorquebat, adeoq; cor ejus infestabat, ut nec minimum ei concederet quietis momentum. Nam haud secus ac homo aliquis furiis agitatus dentibus fremebat, dilacerabat vestes, capitis sui capillos evellebat, pectusq; suum continuo percutiens, omnem regiã suam ejusq; conclavia tristissimis lamentis resonare faciebat, adeo ut miserabiles ejus calamitates, ipsammet quoque impietatem ad cõpassionem commovere potuissent. Cor ejus velut ab integro quodam anguttiarum exercitu obsessum & circumvallatum in proximo erat desperationis periculo. Invidebat illis qui constituti jam erant in agonia mortis. Denique ad illos erat ærumnarum terminos redactus, quod libenti animo esse suum in non esse fuisset cõmutaturus, utpote qui non esse felicitatẽ esset arbitrabatur in comparatione ad esse illud, in quod illum redegerat spiritus infernalis. Tandem David pastorculus Cytharædus peritissimus ad ipsum vocatus, chordas optimè dispositæ cytharæ suæ manus suæ plectro adeo cõcinne movit, ut sonori plectri sui concentu amaritudinem animi regii in suavitatem facilè commutarit, adeo ut Rex cor suum pristinæ suæ tranquilitati restitutum, sensuum suorum procellas in serenitatem transmutatas esse, omnesque animi sui tempestates in placidũ quoddam subsidisse silentium experiretur. A tactu seu mensura musicali tactus sive percussus fugiebat tentator averni, infernalisque discordia, ad chordarum illarum concordiam confusa fugiebat: *David tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* 1. Reg. 16. v. 23. Itane? Dæmon ad cytharæ sonitum terrefactus fugit: Quænam est hæc novitas; Is qui nulla ab armatis exercitibus movetur formidine, cui fulgura & fulmina paleæ sunt, hastæ plumæ, globi ferrei & plumbei umbræ sunt, is inquam ad cytharæ cujusdam sonitum perterrefactus fugam capit. Mirares (inquit Sanctus Archiepiscopus Valentinus) *musica fugatur Diabolus, ad Cytharæ sonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia.* S. Thom. à Villa nov. [illegible] de [illegible]. Veruntamen Dæmon non tam à sono cytharæ, quam ab ipso cytharæ instrumento totus consternabatur, non ab harmonia sed à cythara; neque tamen à cythara tanquam à cythara, sed à cythara tanquam à Crucis Salvatoris nostri figura. Unde Beda: *Neque enim putandum est, cytharam illam quamvis dulcissime resonantem tanta potuisse virtutis existere, qua Spiritus pelleret immundos; sed figura Sanctæ Crucis, & ipsa quæ canebatur Passio Dominica, jam tunc Diaboli refringebat audaciam.* Quod si igitur David de Dæmonio ipsum sola Crucis umbra fugando triumphavit; quanto magis Christianus Dæmonem terga vertere faciet; & solo Crucis signo victor evadet, crux igitur sit armatura nostra Crux sit hasta nostra ad profligandũ mundi, & Inferni inimicum. Crucem ô Fideles & Christianæ militiæ milites pectori insculptam, in fronte formatam & cordi impressam portate. Ad hoc Sanctus Ephrem nos exhortatur dicens: *Pingamus in januis atque in frontibus nostris & in pectore, atque in membris omnibus vivificum signum. Armemur etiam insuperabili hac Christianorum armatura.* ac tum demum cum securitate: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*

Vist. Virg. f. 365. col.

Beda l. 3. in Samuel. cap. 1. ad fin.

Michael Ayguani in Psal. 31. fol. 175. col. 1. num. 483. D.

D. Ephrem.

PARS SECUNDA.

19. Tertius inimicus noster mors est, qui in nostram destructionem semper collimat, contra quem Crucis quoque signum potentissime prævalet; ac proinde dicitur: *Ad Crucis contactum resurgunt mortui; Mortua vincula rumpens; Mors mortua nunc est, quando in Ligno mortua vita fuit.* Et ut Sanctus Ephrem ait: *Crux victrix est mortis.* Et S. Joannes Damascenus: *Posteaquam per Lignum mors allata est, oportebat sane per Linguã etiam donari vitam & resurrectionem;* adeoque sicut illud terrestris Paradisi Lignum mortem nobis attulit, ita Crucis arbor vitam nobis restituit, mortisque insultus nos minime timere facit: *Hæc facit ut jam mortem non timeamus*, inquit Chrysostomus, Id quod manifesti speciminis experientia comprobatum fuit, quando Helena Imperatrix in monte Calvariæ Constantini Imperatoris jussu tres Cruces viginti passibus subtus terram invenit. Cum enim in neutra trinæ illius Crucis aliquod cerneretur vestigium, è quo, quænam Christi Crux fuisset, evidenter cognosci potuisset, prima & secunda,

S. Ephrem apud Thom. de Trusillo f. 1089. col. 1. n. 10. D. Ioan. Damasc. apud eund. ib. Chrysost. l. 1. de Venerat. Crucis serm. penult.

Vinc. Bellu. l. 13. c. 9. f. 170. col. 2.

Juda

Petr. Equilin. Episc. l. 4. c. 117. f. 92 col. 3.

Judâ Hebræo, qui locum in quo Crux jacebat, ostendit, & conversus postea fuit, monente, mortuo cuidâ, qui jam sepeliendus efferebatur, applicata fuit, sed casso & irrito eventu: mox verò ut tertia applicaretur, defunctus protinus revixit: *Cum circa horam nonam quidam mortuus in feretro portaretur, Judas feretrum tenuit, & primâ ac secundâ Cruce appositis, mortuus minimè se movit; apponit tertiam, & protinus defunctus redit ad vitam.* Sed relinquamus ista, & ad Scripturæ loca revidenda nos conferamus. Lucæ cap. 7. Legitur quod Sapientia Incarnata civitatem Naim ingressa, præter obviam ingentem hominum multitudinem in ipsis urbis foribus quatuor offenderit homines, adolescentem mortuum in feretro ad sepulturam efferentes. Mater autem vidua ob filii amissionem mœsta prorsus, & desolata filii sui jacturam amare deplorabat, ut quem meliorem domus suæ substantiam, pretiosissimumque omnium divitiarum suarum monile esse reputabat. Dominus igitur compassione erga illam commotus, eam consolabatur, dicens: *Noli flere.* Postea verò manum extendens feretrum tangit, ipsumque elata voce ad vitam revocat, dicens: *Adolescens tibi dico surge.* Et ecce confestim Spiritus ad cadaver illud reanimandum ex improviso revertitur, omnia membra revivificantur, pallores mortis in gratos vitæ colores commutantur, oculos aperit, erigit caput, & ad respiciendum inflectit, labia ad reddendas datori aut redditori vitæ suæ gratias movet, ac tandem è feretro descendens pedibus Christi advolvitur. Qui ipsum vivum factum Matri suæ restituit: *Et resedit qui erat mortuus, & dedit illum matri suæ.* Sanctus Ambrosius circa hunc locum pulchram quandam speculationem instituit, & dicit imprimis: *Hic mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulcherum ferebatur elementis: Et spem resurgendi habebat.* Merito hic aliquis quærat, qua in re hæc ejus spes fundata fuerit? Forte in eo quod alios defunctos à mortuis viderit suscitatos? Non est

Philosoph. id credibile, quia naturaliter *à privatione ad habitum non datur regressus.* Imo dato & non concesso, quod non neminem aliorum hominum à mortuis resuscitari vidisset, non tamen ob id certam spem concipere aut consequentiam infallibilem elicere poterat, se quoque resuscitandum esse, cum certissimum sit, quod *Privilegia paucorum non faciunt legem communem.* Sed audite solidam magni hujus Sanctæ Ecclesiæ Doctoris responsionem, qui totam suam spem à morte in vitam resurgendi in eo collocatum fuisse dicit, quia jacebat & ferebatur in ligno, id est, in feretro: *Spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno, quod si nobis ante non prodierat, tamen postquam Christus id tetigit, proficere cœpit ad vitam.* Feretrum illud nullam aliam cum Cruce similitudinem habebat, quam quod lignum esset: Et tamen *Spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno,* quanto igitur à fatali mortis ictu securior erit, qui vel fronti, vel pectori, vel cordi Crucem impressam defert; ac proinde Deus noster hominem de tertia finxit ex quatuor mundi partibus in forma Crucis acceptâ; nomen quoque Adam, quod plasmati suo imposuit, ex quatuor primis Literis quatuor stellarum, quæ in figura Crucis in cælo fixæ conspiciuntur, desumpsit, scilicet *Anathole, Delphis, Arcto, Mesembria,* hæ enim simul conjunctæ *Ada* nomen constituunt, ut illo veluti scuto diffensivè & offensivè adversus omnes inimicos suos uti possit, inquit S. Cyprianus.

D. Ambr. ibid.

D. Cyprianus de monte Sina & Syon.

20. Paupercula quædam mulier Sunamitis Filiolum quendam primario quidem à Deo per preces, deinde verò etiam ab Elisæo per Eleemosynas impetraverat, qui excessivo quodam capitis dolore correptus, brevi post tempore inter materna brachia mortuus erat. Quapropter tristis & afflicta, ut filius suus vitæ pristinæ restitueretur, in montem Carmelum Elisæo supplicatura se contulit. Qui abiit in conclave quoddam, in quo exsangue cadaver jacebat, se subduxit, atque ut puerum mortuum vitæ restitueret (notate obsecro modum, & cæremonias quas observavit.) *Incubuit super puerum, posuit os ejus & oculos super oculos ejus, & manus super manus ejus, & incubavit se super eum & calefacta est caro pueri.* Eundem ferè modum Elias quoq; filium mulieris Sareptanæ resuscitaturus, observavit. *Expandit se atque mensus est super puerum*; id est, manibus pedibusq; se super puerum extendit. Certe nisi has ab Elia & Elisæo observatas cæremonias mysticas esse scirem, illas superfluas esse utiq; dicerem; Nam in lib. 4. cap. 14. cum cadaver quoddam in S. Elisæi sepulchrum reconderetur, vix in sepulturæ locum immissum fuerat, aut ossa S. Prophetæ Elisæi tetigerat, cum ecce subito resuscitaretur: *Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Unde per argumentum *à fortiori* arguere licet hoc modo:

4. Reg. 4. v. 34.

3. Reg. 17. v. 21.

4. Reg. 14. v. 22.

Quod si ossa Elisæi jam mortui virtutem habuerunt restituendi mortuis vitam, quanto magis per solum contactum vel unico duntaxat verbo prolato u erque Propheta duos illos parvulos ad vitam resuscitare potuerunt, quando adhuc in vivis ambo erant: Cur igitur: *Elias expandit se.* Et Elisæus: *Posuit manus super manus ejus*? Quænam sunt hæ industriæ, aut cæremoniæ? Mea opinione existimarem dicendum, quod illa manuum, brachiorum, & pedum extensio, sit quædam signi Crucis formatio, sicuti in prima quoque parte insinuatum fuit, unde per hanc cæremoniam significare voluerunt, quod signo Crucis mors fugetur, & revocetur vita per mortem deperdita. Unde Crux à Sancto Joanne Chrysostomo appellatur: *Mortuorum resurrectio, arbor resurrectionis, & lignum vitæ æternæ.*

Chrysost. & D. Basil. super illud Ps. Signatum est super nos. Exod. 13. v. 13.

21. Quamnam existimatis causam esse, quod Deus in veteri Lege Asinum sacrificari prohibuerit, ejusque loco ovem in Sacrificium offerri præceperit: *Primogenitum Asini mutabis ove.* Variæ & multæ hujus rei rationes adduci quidem possent, quas brevitatis causa intactas pertranseo, & solum dico, Deum idea de causa prohibuisse, ut scilicet Asinus quoad fieri posset conservaretur in vita, nec violentæ morti subjaceret. Ergone inquies, istud stolidum animal præ cæteris privilegiatum esse dicemus? Imo verò; Idque quia solum hoc inter omnia alia Crucem in humeris & dorso suo portat. *Nullum enim animal compertas, quod Crucem super humeros habeat, uno excepto Asino.* Et Vincentius Belluacensis: *Crucem habet in anteriori dorsi parte super humeros.* Qua in re Deus demonstrare volebat, nequaquam convenire, ut animal illud occideretur, a quo vitæ victoriarumque nostrarum portabatur instrumentum: *Non enim occidi fecerat: Animal, à quo & vitæ & victoriæ instrumentum tergo & humeris ferebatur.* Quid igitur de Christiano futurum dicemus, si is salutaë Crucis signum in fronte, pectore & corde gestaverit? Audi sanctum Brunonem: *Hanc O Christiane armaturam diebus singulis & noctibus, horis atque momentis in omni loco circumferre non desinas, nihilque sine ipsa perficias. Sed sive dormias, sive iter agas, sive evigiles, sive operi instes, sive manduces, sive bibas, sive maria navigues, hac te lorica circumtege, membraq; tua omnia salutari signo exorna, & non accedent ad te mala. Hoc enim signo conspecto adversaria potestates conterrita trementesque recedent.*

Vincê. Bellu. d. 18. cap. 10.

Haymon. Corii in c. 3. Gen. v. 7. fol. 115. col. 1. n. 67. BDr. uno serm. de vivifica Cruce apud Th. de Trusil. in festo invent. S. Crucis fol. 1089. co. 1. n. 20.

SERMO DECIMUS QUARTUS
IN FESTO
S. MATRIS MONICÆ.

Mulierem fortem quis inveniet? Proverb. cap. 31.

1. TAmetsi Salomon in toto hoc mundo mulierem aliquam constantia & fortitudine præditam inveniri, impossibile judicaverit; ego tamen idipsum possibilitatis terminos excedere, minime censeo. Et quidem si verum est, quod *Fortis sit, qui animum habet infractum, vel qui validis viribus præditus est*? Quot olim fœminæ inventæ fuere, quæ animo dotatæ erant ferreo, & sub fœmineo pectore corde non tantum masculo, sed potius Leonino præditæ cernebantur. Mulieres Argivæ adeo animosæ fuisse leguntur, ut armata manu civitatem suam sub directione Thelesillæ ab obsidione Cleomenis Spartharum Regis liberaverint. Iberiæ & Sarmatæ mulieres non tantum viris in armis gerendis pares sunt, verum etiam vitos, dum armigeræ sunt, longe præcellunt, utpote armis à juventute assuetæ & quidem in arte sagittas in hostem jaciendi, maxime dum se fugere fingunt, sibi pares non habent: Mulieres Gothicæ, eo tempore quo mariti ipsarum ad bella concesserant, ab ingenti quodam vicinorum populorum exercitu obsidione graviter cinctæ, arreptis armis in hostē eruperunt, totum-

In Polyanthea v. Fortitudo.

Herod. & Theat. vita hum. l. 4. fol. 460. col. 1. Clement. Alexand. l. 4. strom.

Simon Majolus col. 3. v. mulier fol. 27.

torumque hostilem exercitum in fugam vertentes penitus dissiparunt: *Ipsa armis assumptis sola exercitum adversariorum verterunt in fugam.* In Provincia *Novi orbis*, quæ Pervacum dicitur fœminæ inveniuntur, adeo armigeræ & bellicosæ, ut omnibus Coronis, Regnisque circumvicinis mirum terrorem incutiant: *Armis plurimum valent, proximisq; regnis omnibus terrori extant, atque divitiis potentiaque pollent.* Mulieres Lacœnæ una cum maritis suis in prælio contra Massenos constitutæ; *virorum obibant munera.* Hæc enim milites animabat, illa exercitum in bonam ordinatamque aciem distribuebat, alia fortiter in hostem urgebat, &c Saffamerhi Scythiæ populi in more positum habebant, quod nulla mulier nubere tentaret, nisi prius in bello tres milites trucidasset: *Non prius nubunt, quam rem occiderint.* Emanuelis Comneni Imperatoris Orientalis tempore, mulieres Germanorum non minus in militiam conscribi volebant, ad recuperandam Jerosolymam, unde masculam vestem induitæ, lanceis suis, quibus ad latus accinctæ erant, mira edebant fortitudinis specimina. Carolus Dux Burgundiæ Bellovacum obsidione quidem cinxerat, in suam tamen potestatem eandem, quavis etiam vi adhibita, redigere non poterat, idque quia mulieres animo prorsus virili se defendebant, & quidem in ultimo prælio tanta cum furia inimicum aggressæ sunt, ut fossæ civitatem circumambientes meris fuerint cadaveribus repletæ. Mulieres Bohemæ integro septennio Regnum suum prudenter gubernarunt: *Imperium per annos septem tenuere, præliis imperterritæ, armis exercita, omnia virorum agmina obvia prostraverunt.* In obsidione qua Turcæ Famagustam Anno Domini 1570 cinxerant, mulieres virili veste indutæ, visæ sunt animo intrepido præliari, cohortes inter se facientes, ad ejusque loci defensionem quam maxime accurrentes, ubi actiores erant Thracum insultus & impetus. Ac proinde existimo, quod si Salomon aliquam habuisset generosarum harum mulierum cognitionem, nequaquam dicturus fuisset: *Mulierem fortem quis inveniet?* Teuca Argogonis Sclavoniæ Regis Conjux marito mortuo in viduitate perseverans, arma contra Romanos sumpsit, illorumque exercitus dissipavit, Paulum quoque Ennium Consulem interemit una cum omnibus militibus, quotquot sub ejus imperio militarunt. Marcella Lennii filia Patrem suum portam Covini defendentem à Turcis occisum videns, armis sese Patris sui induit, & cum incredibili magnanimitate præliata impetum inimici sustinuit, illiusq; & sequacium suorum sodalium in Covinum ingressum impediens ab urbe propulsavit, multisq; Turcarum desideratis, ad naves usq; quibus profugiebat, profligavit: *Vestitu muliebri abjecto, exu, paterno clypeo gladioq; armata in primam aciem prodit, ubi acriter pugnando, hostes, qui jam jam se in oppidum irrupturos sperabant, vera virtute repulit.* Maria Puteolana armis militaribus se totam dedicavit, in præliis nullus erat belli Dux adeo magnanimus, qui superare illam posset, rigidæ hyemis frigidissimis noctibus sub Dio dormiebat, scuto cervicalis loco utens, deque inimicis suis in gravissimis præliis septies palmam gloriose retulit. Perillustris Domina de Baligni, impiis conatibus, quibus Hispani urbem Cameracensem oppugnare satagebant, totis se viribus opposuit atque generoso ac masculo animo omnibus se militaribus actionibus ultro citroque ingessit? Ipsa namque una cum Gynecæo suo valla erexit, munitiones instauravit, aggeres in bona symmetria absolvit, gubernavit sclopeta, majora tormenta bellica oneravit, & iterum cum magno fructu explosit, animabat milites, vigilias visitabat & recognoscebat, in omnibus locis ubi mœnia magia minari videbantur, pericula ipsa omnium prima occurrebat, & hastata & hastigera in præliis, admirandam se omnibus reddebat & formidabilem. Et tamen Salomon dicere non dubitabit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Non sunt equidem omnes ejus indolis & conditionis, de quibus Eruditus ille quondam dixit: quod ab otio se divellere nesciant, aut si illud fugiant, id alio fine non faciant, quam ad se exornandas, fucandas, expoliendas aut ut se ipsamet vanitate vaniores exhibere possint. Ergone nullæ unquam in mundo inventæ sunt Deboræ, Jaeles, Judithæ, Fredegundes, Semiramides, Thomirides, Isicrathæ, Amazones, Cleopatiæ, Artemisiæ, Cæliæ, Camillæ, Panthasilea, Zenobiæ, & aliæ similes, ut proinde causam habeat interrogandi & dicendi: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod si sanctæ Matris nostræ Monicæ qualitates sibi habuisset perspectas, dixisset utique: *Mulier fortis inventa est*, quia verè virilis & invicta mulier fuit, deque Amazonum genere fortis & constans; Nam si *fortis dicitur à ferendo, & fortes*

Idem ib.

Ælianus l. 12. de variis histor.

Alex. ab Alex. l. 1. cap. 24.

Felix Astolph. fol. 329.

Io. Ravis.

Æneas Sylv. in hist. Boe.

Felix Astolph. fol. 332.

Prov. 31. Polybius & Ioan. Ravis.

Fulg. l. 3. cap. 2. Egnat. l. 3. c. 2, Theat. vit. hum. l. 4. fol. 412 co. 2.

Sabell. & Perrus.

Cæsar Campan. l. 13.

Scipio Glareanus in scuto Rinal. c. 8. fol. 34.

fortes sunt, qui æquo animo ferunt adversa. Quis fortior Monicâ in sustinendo summa cum patientia illato sibi tum à Patritio marito suo, tum ab Augustino filio, tum denique ab ipsomet Deo Redemptore suo gravi Martyrio? Equidem ex quo tria diversa martyriorum genera sustinuit, liberè inde arguere nobis licebit, ipsam triplicata fuisse fortitudine præditam; dicereque audacter poterimus, inventam tandem esse mulierem tripliciter fortiorem ea, quam Rex sapientum tam studiosè inquirebat. Id quod in præsenti discursu pleniùs videbimus.

2. Primò igitur hæc sancta Mulier Martyrio affecta fuit in statu conjugali, per manum Patricii mariti sui iracundi, terribilis, & ferocissimi. Qui quidem tametsi illam non instar Tyranni cujusdam ferro quodam transverberaret, attamen malignante morositate, atque ferocia sua, cor ei transfigebat, suisque dissolutionibus totidem animam vulneribus cruentabat, quibus malis omnibus ipsa aliud quam invictæ patientiæ scutum nunquam opposuit. De qua proinde Laurentius Justinianus ait: *Ista hominem martyrem facit; sine ferro & flamma Martyres esse possumus, si patientiam veraciter in mente servemus.* Multæ econtra conjuges sæpe sunt inventæ, quæ hoc patientiæ scuto destitutæ, valde exorbitantes & violentas adversum maritos suos resolutiones & decreta concepêre. Alexander Ferreus à conjuge sua occisus fuit, eò quod ipsa devorare non posset cõtinua, quæ quotidie in pectus ejus ingrediebantur à marito fastidia. Idem quoque in una nocte omnes in oppido Lennio uxores maritis suis fecerunt. Cur obsecro Demetrius Antigoni Regis filius, manibus Anthinæ conjugis suæ ab hac vita sublatus fuit, nisi ob continuas quas diutius tollerare neutiquam poterat, molestias? Regina Sardorum ob frequentes quas à Canduale marito suo excipiebat contumelias, eidem per Gygem mortem accersiri quoque fecit. Unde mulieres Scytiæ, ærumnarum quibus miseræ conjuges subjiciuntur, optime consciæ: *Conjugia respuerunt & Rempublicam administrarunt sine viris.* Virgo illa quæ Ferra communi vocabulo nominabatur, cum ab Agerico Patre suo (qui præcipuus erat in aula Theodoberti Regis Franciæ nobilis) suaderetur seu potiùs cogeretur maritum ducere, lachrymis penè inconsolabilibus tota immaduit: *Sic ubertim flevisse dicitur, ut nimio lachrymarum humore oculorum aciem hebetaverit.* Unde Solon magnus ille Legislator, ne fæminæ ad jucunda connubia invitæ essent, legem condidit, quo gravis in maritos illos fulminabatur pæna, qui uxores suas sive verbis contemnere, sive factis offendere præsumerent.

B. Laur. Iustin. l. de patient. c. 2. fol. 24. col. 1. n. 10.

Tull. de officiis.

Apoll. Rodius.

Iustinus. Herod. l. 1. Val. Maxim. l. 3. c. 2.

M. Marulus l. 4. c. 8.

Alex. ab Alex. l. 4. cap. 8.

3. Deus in mundi exordio Evam formaturus, non appræhendit os aliquod ex capite Adami, ne ipsa se viro suo prælatam esse existimaret; neque etiam ad eam plasmandam os aliquod pedis assumpsit, ne Adam ipsam à se pedibus conculcandam & supplantandam esse crederet: sed costam quandam accepit, per hoc ei insinuando, eam cordi suo æque commendatam esse debêre, ut propria ejus erat persona; quia *erunt duo in carne una.* Ponderanda quoque sunt hoc loco ad propositum nostrum aptè deservientia illa Dei verba, quibus se Deus ad formandam mulierem determinabat, dicens *Faciamus ei* (id est, Adamo) *Adjutorium simile sibi.* In Hebr. habemus *Nazar*, quod derivatur à *Nazar*, quod *Auxilium* significat, juxta Hieronymi ab Oleastr. expositionem: *Opem ferre, auxiliari.* Quod si igitur mulier à Deo eo fine creata fuit, ut marito in omnibus laboribus & molestiis subsidium & auxilium ferat; Ergo maritus se erga conjugem exhibere non debet ut mordacem & continuo latrantem canem, & ferocem Tyrannum. Quam ô Auditores existimatis causam fuisse, quæ Adamum ad comedendos fructus à Deo prohibitos induxit? Creditisne fortè ipsum per gulæ peccatum seductum fuisse? aut enim divini sibi impositi præcepti fuisse oblitum? Abulens. eum id ideò fecisse dicit, ut tanquam bonus, placidus & affabilis maritus conjugem suam nequaquam contristaret, vel Evæ ipsum ad manducandum invitanti minimum posset causare fastidium. *Ne uxorem contristaret*, vel *Ne contristaret delitias ejus*, Non fuit ejuscemodi maritus Patritius, sed in toto illo tempore, quo cum Sancta Monica in uno Matrimonii consortio vixit, nullus unquam dies transiit, in quo truculentia sua & barbaro agendi, & illam alloquendi modo illius cor & animam ejus transfigendo, non offenderet, idque duodecim solidis annis. Cui tamen ipsa nunquam præsumptuosè aut arroganter respondit, non recurrebat ad ensis, cultri, veneni vel toxici violentias, prouti supra memoratæ mulieres conjugatæ fecerunt, sed patientia cõmunita cedebat tempori, donec choleræ ardores in Patritio denuo fuissent temperati, ut postea

Abul. ib. Hugo. Card. ib.

Gen. 2. v. 24.

Gen. 2. v. 15.

Oleast. ib. fol. 8. co. 4.

Abul. ib. fol. 19. col. 4. G.

stea innocentiæ suæ oportune exponeret rationes, ipsum capacem redderet relationis ejus de cujus contrario fuerat male informatus, *Noverat hæc* (inquit S. Pater Augustinus.) *non resistere irato viro, nec tantum facto, sed nec verbo, Iam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat.* Mira profectò res est, quod nos ab unica musca molestati mox ad impatientiam præcipitamur, cum tamen constans hæc mulier ad tot ærumnas sibi à marito suo causatas ne quicquam turbata fuerit; ipsa nàmque patientiâ obarmata, in hoc solum cum marito suo decertare voluisse videbatur, ut quantum Patritius in ipsa contristanda pertinax remaneret, tantundem Monica in eodem malo sustinendo esset patiens. Excogitent igitur antiqui Imperatores & sævi Tyranni omni cum studio, quomodo ad augenda servorum Dei martyrja vivum cum mortuo colligare & connectere possint, ut hac ratione mortuus vivo quoque mortem miserabilem & horrendam adsciscat, pro uti fecit Maxentius, qui *Mortua jungebat corpora vivis*; Quicquid enim sit de hujus crudelitate martyrii, illus tamen tormenta & squalores brevi terminantur. At verò hæc sancta Mulier ab anno ætatis suæ decimo tertio, quando cum Patritio per matrimonium copulata fuit, toto sui status conjugalis tempore pænosissimum invicta tamen cum patientia sustinuit martyrium. Unde sanctus Bernardus dixit: quod *si ne ferro martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conservamus.* Et sanctus Zeno Episcopus & Martyr; Patientiam matrem & coronam martyrum appellat: *Tu quotidiana Martyrum & Mater es & Corona.*

D. Aug. t. 1. l. 9. Conf. fol 36. co. 1. C.

S. Bern. t. 2. de modo bene vivendi c. m. 40. f. 1670. D. Zeno serm de patient. fol. 308.

4 Sennacherib Rex Assyriorum cum formidabili exercitu ad oppugnandam Jerosolymam, in qua Ezechias Rex rerum potiebatur, sese accinxit. Mœnibus autem civitatis illius vicinior factus, omnes suas cohortes in bonum juxta leges bellicas, redegit ordinem, ut generali quodam insultu eandem quaqua versum aggrederetur. Deus autem civibus urbis suæ defensionem impossibilem esse videns, quendam Angelorum suorum misit, qui in una nocte maximam inter milites illos stragem fecit, trucidando ex illis simul & semel centum octoginta quinque millia. Verum quidem est, quod Sennacherib Rex illæsus permanserit, vitæque suæ in urbem Ninive fugiendo consuluerit. Veruntamen cum idem Rex in urbis illius templo Idolum Nestoch, veluti Deum suum particularem genuflexus adoraret, irruerunt in eum ex improviso duo filii ejus Adramelech & & Salasar, & hostili cum furore, per capillos apprænensum, dejecerunt in terram, ubi multis vulneribus confectus, & in proprio sanguine crudeliter volutatus vitam suam miserrimè finivit: *Cumque adoraret in templo Nestoch Deum suum, Adramelech & Salasar filii ejus percusserunt eum gladio.* Historiam hanc Abulensis ingrediens duas movet difficultates Prima est, cur Deus permiserit, ut Senacherib ex illa strage per Angeli potentem manum facta evaderet Jure enim meritò tanquam caput illius exercitus, & omnium aliorum sceleratissimus, & ipse in eadem strage cadere & occidi debuisset. Secunda verò est: Cur Deus illum à propriis filiis trucidari voluerit? Cur non ab Angelo, aut ab aliquo è militum suorum numero. Potestne actio aliqua audiri, quæ hac sit inquior aut barbarior? Filios manus suas in paterno sanguine lavare, eique qui vitam dedit, necem adeò truculentam inferre! Crudelitas & scelus verè inauditum. Tostatus autem unica duntaxat responsione utrique difficultati satisfacit dicendo, Deum illum non ab Angelo, sed à filiis occidendum esse decrevisse: *Hoc fuit ad inferendum ei majorem pœnam, erat enim pejor omnibus viris suis, & volebat eum Deus punire acerrimè.* At verò unde putas deduci mortem Sennacheribo, nec non & vulnera eidem à filiis suis illam acerbiora & dolorosiora fuisse? Idemmet Abulensis idipsum expresè declarat; dicens, *Occisus est à filiis suis, à quibus maximè diligi debuisset.* Ejusmodi conturbationem ab eo recipere, à quo consolationem se acceptarum sperabat. Offendi & lædi à filiis, qui ipsum debebant defendere! Ab iis mortem illatam esse, à quibus vel maximè speratè debebat vitâ! Hoc certe maximũ est omniũ tormentorum, quæ in vita sua posset sustinere. *Hoc fuit ad inferendũ ei majorẽ pœnam. Et volebat Deus eũ punire acerrimè.* Nam si per manũ Angeli mortuus fuisset, mors ejus tolerabilis adhuc & levis censeri potuisset, sed per manum filii trucidari, dolorẽ gignit, qui patẽ non habet, tormẽrumq; est, quodvis aliud longè superexcedens. Quod Monica offenderetur à gẽte extranea, calumniã à socru pateretur, malè tractaretur à propria sua ancilla, quæ illã mulieris valdè probroso meritriculæ nomine sæpe calumniabatur, res adhuc tole-

4. Reg. 19. v. 39.

Abul. ib.

D. Augu. t.1. lib. 9. Conf. fol. 36. col. 2. D.

larum adversus se irritatam vicit obsequiis, tolerantia & mansuetudine. At vero videndo se à proprio marito affligi, à quo gaudia & consolationes expectare debebat, *A quo maximè diligi debuisset.* O quam est hoc tormentum asperum! O quam acerbum martyrium! Adeo profecto magnum erat, ut merito tanquam patientiæ martyr, fortisque ac cōstans mulier canonizari potuisset. *Mori à persequente*, inquit Gregor. *martyrium in aperto opere est, ferre verò contumelias, martyrium est in occulta cogitatione.*

D. Greg. in Evang. hom. 35. t. 2. fol. 330. D.

5. David multa à Dei benigna manu recepta beneficia considerans, ne ingratitudinis argueretur, eadē per actum quendam religiosum recognoscere decrevit, dicebatque intra semet ipsum: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo?* Vel uti alii legunt: *Et sacrificabo hostiam laudis.* Num forte a te ô Rex inclyte expressius intelligere poterimus, qualis nam sit calix ille quem offerre statuisti? Num forte aureus aut argenteus multis gemmis, margaritis, lapidibusq; pretiosis distinctus calix erit; Minime gentium. Sed eo loco de martyrii calice loqui intelligitur, quod etiam ab ipsomet Christo sub calicis metaphora repræsentatum fuit, quando Jacobo & Joanni Apostolis suis dixit: *Potestis bibere calicem quē ego bibiturus sum?* Unde Rupertrus Abbas Tuitiensis: *Nomine calicis passionem voluit significare martyrii.* Quasi diceret: si primas in Regno meo sedes desideratis, opus est, ut pro venturi Messiæ fide & lege effundatis sanguinem & vitam prodigatis. Veruntamen ô David, si ita est, quod per hunc calicem martyrium intelligas, ergo non dedisti verbis tuis ad Deum prolatis efficacem satis fidem, non enim executus es id quod promisisti. Tu enim non es mortuus martyr, ergo non bibisti calicem. Verbum tuum verbum regium non est, ut video. Attamen vix mihi persuadere possum Regem aliquem qualis David erat, verbis aliquid promisisse, eidemq; factis non satisfacere, sacrificando Martyrii calicem promissum. *Et sacrificabo hostiam laudis* Pro hujusce difficultatis intelligētia, ad Jobi viri integerrimi, justi, Deoq; adeo grati exemplares actiones recurramus. Hic igitur prout a parentibus fieri consuevit, vehemēti affectu ferebatur erga filios, ac proinde ut in Dei continuo timore vitam transigerent, nullus transibat dies, quo non pro illis Dei sacrificium quotidianum offerret; *Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos: sic faciebat cunctis diebus; ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Accidit autem illis ingens infortunium, nam dum omnes in domo primogeniti mensæ accumberent, exurgens validus quidam & impetuosus ventus concussis & demolitis parietibus, totam domū evertit, omnesque pariter sub domus ruderibus extinxit: *Repente ventus vehemens irruit, à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt* Id vere ita accidit. Job autem ab omni prorsus sacrificio Deo offerendo cessavit, neque enim vel unicum sacrificium pro extinctis filiis obtulisse reperitur aut legitur, quod valde mirum est. Nam si pro illis adhuc viventibus sacrificabat, cur non facit idem pro iisdem sive pro animabus illorum, postquam illos mortuos esse audivit? Num forte animas haud secus ac corpora corruptibiles ac mortales fuisse credebat? Nequaquam, quia dixisse noscitur: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Vera igitur hujus rei ratio hæc est, quando veredarius pessima de filiorum suorum morte nuntia tulit, ærumna inde concepta cor sibi videbatur transfigere, veruntamen contractis humeris, heroicum patientiæ actum exercuit, dicendo: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Hic autem patientiæ actus sacrificium quoddam fuit Deo longe gratius, quàm unquam in vita sua forte obtulit, & omnibus aliis quæ facere potuisset æquivalens fuit. Circa quod Scriptor quidam modernus hunc in modum ingeniosè loquitur dicens: *Cur non magis consurgit, ut offerat pro defunctis sacrificia, qui offerebat pro sanis. Cur abstinet à sacrificio offerendo, eo præcipue tempore, quo illud universi solent offerre? Non abstinet à sacrificio, sed illud offert Deo gratius, nimirum verba illa æqua nimitatis, tollerantiæ, & potentiæ, quæ sunt pro gratissimo Deo holocausto.* Hoc est sacrificium illud quod David volebat, quasi diceret: Quod si fortasse nonnemo me offenderit, aut molestus mihi fuerit, totum patienter sustinebo, & in hac forma: *Sacrificabo hostiā laudis.* Hanc autem Davidis Regis intentionē fuisse, expositores expresse affirmāt, dum inquirunt: *Non ait: sacrificabo tibi tauros, & alatilia, offeram boves cū hircis, sed calicem salutaris accipiam, id est patienter feram adversa.* Quasi *Patienter adversa sufferre*, idem sit, quod calicem Martyrii bibere, Deo-

Ps. 113. v. 12.

Ib. v. 13.

Matt. 8.

Rupertus Abbas.

Iob. c. 1. 5.

Ib. v. 19.

Idem.

Ib. v. 21.

Didacus de Baeza. t. 3. de Christo figur. c. 6. §. 2. fo. 75.

Franc. Labat. Appar. conc. v. Patien. t. 3. prop. 3.

Deòque sanguinem & vitam sacrificare. Et sanctus Hieronymus subjungit: *Calices mortificationem carnis ostendunt, & semper animum ad Martyrium præparatum.* Unde si ærumnas & mortificationes cum patientia supportare, idem est, quod martyrii calicem bibere, quoties Monica in hoc exercitio fuit, exercente illam Patritio marito suo. Neque enim omni die tantum, sed quolibet die frequentius hunc calicem bibebat, atque à mortificationibus ab eodem marito suo illato torquebatur & dirè afficiebatur Martyrio. Quoties eheu patientiæ suæ sacrificia Deo obtulit? Ferra cor ejus dilacerantia erant viri ferocitas, vita quam agebat licentiosa, animi sui durities, verborum asperitas, supercilii sui rigor & severitas, vultus sui atrocitas, in præcipiendo durum imperium; adeò ut ne momentum quidem fuerit, in quo amarũ Martyrii calicem non biberit. Tametsi è venis sanguinem suum effuderit, ab oculis tamen copiosas lachrimas sparsit. Licet in Martyrio suo mortem non sustinuerit, attamen sustinuit summa cum patientia martyrium, ac proinde eum tanquam Martyrem Magnus ille Pontifex sanctus Gregorius canonizat, dicens: *Non sine ferro & flamma Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus.*

D. Hier. epist. 20. ad Marcellã. t. 1. fol. 77. n. 1.

D. Greg. t. 2. in Evang hom. 35. f. 351. E.

6. Quam acerbum & dolorosum hujus sanctæ fœminæ martyrium fuerit, per aliquam Scripturæ comparationem obsecro explicemus. In Exodo legitur quod Deus, quando cor Pharaonis induratum esse, & populo Israelis præceptam à se libertatem abnuere cognoscebat, Moysen populi illius Ducem advocavit, eique præceperit, ut Aaroni diceret, ut virga sua pulverem percuteret, fore enim ut ex pulvere illo multi subnascerentur ciniphes, quæ Pharaonem puncturis & morsibus suis, sicut & universam Ægyptum atrociter torquerent: *Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & sint Ciniphes in universa terra Ægypti.* Aaron autem in divini hujus præcepti executione exactissimus fuit, unde sacer textus ait: *Et facti sunt ciniphes in hominibus & jumentis.* Verumtamen dices forsitan, ecquod damnum aut quem dolorem hominibus & jumentis hæc animalcula adsciscere poterant, adeò minuta, ut ab oculo hominis discerni vix possent? Cùm dentes illorum incompatibiliter subtiliores fuerint capillo, quomodo hominibus & animantibus brutis pellem adeò duram & crassam habentibus tormentum aliquod adferre poterant? punctura quam aculeo suo vel dentibus infigebant adeò modica & levis erat, ut ferè invisibilis esset, neque à puncto mathematico distingui facilè posset. Nihilominus Scriptores affirmant, ciniphes hosce toti Ægypto intolerabile quoddam intulisse supplicium: *Supplicium urbium & regionum.* Res verè admiranda & peregrina hæc est. Alium insuper Scripturæ locum supradicto in hoc sensu nequaquam inferiorem invenio. Jonas enim ut divinis præceptis obediret, in civitate Ninive publicè prædicat, civitatem illam ruinæ proximam esse, utpote totaliter à fundamentis susque deque evertendam: *adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Tempore autem prædicationis finito è civitate egreditur, & in locum quendam eminentem conscendit, unde totum urbis Niniivitanæ distinctum videre commodè poterat, ibidemq; sub hædra quadam recumbit, frondesq; nonnullas ad Solis radios declinandos, gratamq; sibi umbram comparandam implectit, ut sub iisdem comminati à se ex parte Dei urbi Niniviticæ supplicii exitum præstolaretur. Interea Deus iutra hæderæ medullam vermiculum quendam enasci facit, qui eandem ore suo arrodens protinus exsiccat. Propheta igitur oculos suos in hæderam reflectens, eandem prorsus arefactam omniq; virore & foliis umbram ei facientibus destitutam esse cernit. Unde adeò vehementer turbatus est & excanduit, ut ex mortis desiderio, Deum ut vitam ei adimeret suppliciter rogarit: *Petivit anima sua ut moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quàm vivere.* Quis hic, O Auditores non obstupescat. Estne possibile, Jonas plutis hæderam quàm vitam propriam æstimet? quod magis illum affligat arbusti cujusdam arefactio, quàm sui ipsius extinctio? Quod mortem, quæ *ultimum est terribilium omnium*, dulcem sibi consolationem reputet, econtra verò privationem umbræ alicujus tormentum esse censeat insupportabile? Persuadere mihi nequaquam possum, umbram illam tantam ei conciliasse consolationem, quod ea se destitutum vidēs desperate, & proter illius jacturam mortem desiderate debuerit: *Melius est mihi mori quàm vivere.* Et tamen Codex Complutensis & Regius dicit, quod *Destituebatur anima sua, quia Deus percussit hederam & exaruit.* unde credere oportebit, Jonam adeò fuisse subtilem & delicatum, ut ne quidem unius muscæ morsum aut aculeum sustinere potuerit. Theophylactus autem totum hoc humanæ fragilitati adscribit.

Exod. c. 16. n. 17.

Jonas. 3. 4.

Lippomanus in Catena.

Jonas n. 9.

Codic. Compl. & Regium.

adscribit. *Ut discamus humanam humilitatem* quæ nullius turbationis sustinendæ capax aut habilis est. Sicut enim Ægyptus punctutam minutissimi alicujus, & fere invisibilis animalculi seu muscæ supportare nequivit: ita Jonas privationem umbræ alicujus ab arbore quadam provenientis sustinere non potuit. Ex quo facile conjicere possumus, quam molestæ & intolerabiles fuerint Monicæ ærumnæ, quas quotidie à Patritio marito suo patiebatur. Cujus altæ vociferationes & execrationes non tantùm leviter pungebant, uti Ægypti ciniphes faciebant, sed animam ejus verè vulnerabant & transfigebant. Non tollebant Monicæ umbram aliquam, sed quietem omnimodam aufferebant, non arefaciebant arborem, sed omnem quam à marito expectare potuisset consolationem mortificabant & extinguebant, adeò ut martyris titulus, illi jure meretissimo debitus fuerit, siquidem omnes illas à marito originatas miserias pro Dei amore patienter sustinebat. Unde Chrysost. inquit: *Quis est martyr, cui hic (id est patiens) non possit æquari? Imò Martyres innumeros hic unus æquat.* Hæc igitur, hæc inquam O Salomon est mulier illa inter omnes mulieres fortissima, omniumque Amazonum generosissima. *Mulier fortis inventa est.*

Theoph.

D. Ioan. Chrysost. hom. 1. in 2. ad Corin. c. 1. f. 163. col. 1.

7. Istud Monicæ martyrium duodecim annis duravit, iisque absolutis postea cessavit, idque duabus potissimum ex causis. Primò quia paulatim per suam prudentiam & mansuetudinem mitem ipsum & placidum reddidit: & ex Idololatra servum Dei ipsum convertit: *Dei gratia & exteritate sua ferocissimum virum Deo lucrata est.* Secundò, quia Deus illum evocavit ad alteram vitam. Mox verò hac ærumna cessante aliud quoddam in ea suscitavit martyrium, priori nihilominus, vel potiùs longè gravius, id quod ex eo præcipuè suam habebat originem, quod Augustinum filium suum Manichæorum hæresi videret obnoxium, ejusq; conversionem quotidie anxiè expectaret: *Cœpit de filio Augustino Manichæorum errore inflato, vehementer angi.* Nunquam ei cessabat persuadere, ut ad veritatis & fidei Catholicæ agnitionem tandem pertingere curaret, omnes tentabat id obtinendi vias, omnia excogitabilia media in eum finem adhibebat, persuadebat hoc, de hoc loquebantur incessanter. Jam ejus conversionem adeò securam esse credebat, ut eum vulturi in manu sua habere existimaret, mox autem eũ ab eadem conversione adeò procul videbat remotum, quantùm cælum à terra distat, inde affligebatur, & torquebatur plurimum. Quævis hora mille annorum spatium ei esse videbatur, donec eum ad sacri Baptismatis undam suscipiendam permotum videret, proximque dispositum. Non elabentur multi dies, ajebat, quin, ut in Dei auxilium omninò confido, visura sim te tandem ardentibus meis respondisse desiderijs, si non hodie, saltem crastina luce. Hæc filii sui ab eo tantopere desiderata, tamque diu expectata in tam arduo negotio facienda resolutio, ingens illi tormentum erat, atque martyrium. Sperabat enim, & tamen subitò omnem spem suam è manibus evolare aut elabi dolenter videbat: *Si quem egregiè distorquere optas, ejus spem differ, nam spes est cordis martyrium, animæ gladius, tormentum vitæ*, afferebat eruditus ille. Valdè ingens tormentum est, diem illum venientem frustra expectare, in quo bonum, quod incredibili cum desiderio præstolati sumus, tandem nos consecuturos opinamur. Magnum illud patientiæ speculum Job in profundum erat miseriarum præcipitatus, perdita erant omnia ejus armenta, combustæ segetes, filii mortui, domus collapsa, ablatæ divitiæ, miseriis undique vestitus, atque à capite ad calcem usque continuo quasi ulcere dilaceratus erat, adeò ut inductus fuerit ad maledicendum nocti illi, in qua in mundum hunc natus fuerat: *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus: sit nox illa solitaria, nec laude digna; maledicant ei, qui maledicunt diei, &c.* Videbatur non posse satiari in omnis mali imprecatione facienda, donec eam totaliter infelicem & calamitate repletam videret. Postea verò subjungit: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Quibus postremis verbis patientissimus Propheta sibi contradicere videtur, nam precatur illi malè, omne bonum eidem exoptat. Vita noctis in eo consistit, ut lux non accedat, & aurora ab ea procul sit remota, siquidem apparente luce, & nascente aurora mox moritur, vivit autem quamdiu lux & aurora venire non conspicitur. Unde Job dicendo: *Expectet lucem & non videat, non ortum surgentis auroræ*, noctis longam vitam desiderare videtur. Unde potius videtur dicere debuisse. *Veniat quamprimum lux, & surgat aurora*, ut tenebræ dissipentur, & destruatur nox illa maledicta: si autem illam vivam conservare voluit, cur illi maledicit? Quod si verborum Jobi intelligentiam desi-

Ambr. Staiban. in templ. Ezem f. 125.

Petr Equilin. in vita ejus.

Idem ib.

Emanuel Nazara in Iosue c. 10. v 13. §. 40. n. 201. fol. 605.

Iob. 3 n. 6. 7. 8.

deratis, duos alios terminos sive verba: *Expectet, & non videat*, simul conjungite. Illis enim dicere velle videtur: unicè hoc nocti conceptionis meæ optarem, ut scilicet diei sequentis expectatione torqueretur, scio enim quod mori tolerabilius futurum esset, quàm ejusmodi expectare. *Expectet & non veniat*, vel, *non videat: Tam est amarumnosum diu expectare, quod nunquam veniet, ut tametsi illud non advenire magna felicitas sit, acerbè tamen infelicitatur & torquetur quis diuturna expectatione.* Hinc igitur atrocitatem martyrii Sanctæ Monicæ arguere possumus: *Expectabat diem, & non videbat*; id est, diem illum sibi felicissimum expectabat, in quo Augustinus sperabatur convertendus, Manichæorum errores relicturus, ad Evangelicam veritatem accessurus, desertus hæreseos tenebras, venturusque ad Catholicæ fidei salvificam lucem, sed quod diem illum desideratum non videat, imò quod magis magisque differatur, insuperabile ei tormentum conciliabat. Unde sæpè Augustinum filium suum hisce verbis alloquebatur: *Credo fili mi in Christo, quod antequam è vita migrem, te fidelem veracemque Christianum sim visura.*

Ditlac. de Cela. in Iob. c 18. v. 9. fol. 186. §i 119. v. 2.

Petr Episc. Equilinus in vita ejus.

8. Deus omnibus sequelam suam consectantibus magna profectò præmia promittit, præcipuè verò: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* E quibus unum terrenum est: *Centuplum accipiet:* alterum verò cæleste: *Et vitam æternam possidebit.* Sed nunquam sufficiebat magnum illud gloriæ præmium, quod adeò magnum est & excellens, ut quodvis aliud superexcedat & absorbeat? dicente S. Paulo Apost. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendis, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Cùm igitur cælestia adeò sint excessivè magna, cur insuper alia præsentis vitæ præmia expectat? Id quod maximè confirmatur ex eo quod Abolens. subjungit, dicens: *Hoc videtur contra conditionem novi testamenti; unum enim in quo Lex Moysi & Christi differunt, esse asseritur, quod Lex Moysi sola temporalia expressè promittat observatoribus, Lex autem Christi sola spiritualia; hic autem temporalia promittit, cùm centuplam reddatur in præsenti.* S. Ambrosius optimè respondet, quod si Christus bona duntaxat cælestia promisisset, magnum discipulis suis creasset tormentum, siquidem præmia illa post mortem usq. expectari debuissent, atque idcò ut illos tali rantoq; martyrio eximeret, eos de præmio præsenti in hac vita securos facit; *Prius hic promisit, ut fastidia dilationis afferret.* Monica Deum amabat, eundemq; affectu suo sequebatur, sancta ejus observando præcepta, nec aliud præmium desiderabat, quàm Augustini sui conversionem; quævis hora videbatur ad mille annos sibi extendi; donec tandem dies ille adeò desideratus propinquaret, atque ideò hunc diem in menses & annos differri atque suspendi conspiciens, continuo torquebatur, patiebaturque ex hac præstolatione in corde suo ingens martyrium.

Matth. 19

Abul. in c. 19. Matt. q. 217 f. 300 col. 2. K.

D. Ambr. l. de pœn. c. 16. l. 1. fol. 154.

9. Sacra Scriptura de Joseph Ægypti Vice Rege pro eo tempore loquens, quando in conspectum ejus Benjamin frater suus adductus fuit, dicit: *Commota sunt viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lachryma.* Quænam sunt hi dolores, quæ afflictiones, quæ lachrymæ O Joseph Gaudendum potius & jubilandum tibi esset, ex quo oculorum tuorum pupillam vides, clarissimum scilicet fratrem tuum à te tantopere desideratum, consolare igitur & lætare posita omni mœstitia & animi conturbutione. Imò verò S. Ambros. legit? *Torquebantur viscera ejus.* Vultis causam scire, O Auditores? Ardenter se manifestare, illum amplexari & osculari desiderabat, sed *continuit se*, quia temporis opportunitatem id faciendi expectabat. Unde ob hanc temporis dilationem, *Commota sunt, id est, torquebantur viscera ejus, quia complectendi eum quem desiderabat, libertas differebatur.* Omninò existimo quod desiderium Monicæ videndi filium baptizatum atque Catholicum sine compatione ardentius fuerit, & consequenter dolor ex tempore à Deo determinati expectatione obortus major fuerit, atque ideò haud dubiè: *Torquebantur viscera ejus.*

Gen. 43. n. 30.

D. Ambr. t. 4. l de Ioseph. Patriar. c. 10. fol. 256.

10. Habuistisne O Auditores aliquando reflectionem aliquam quoad supplicium illud, quo Deus mulierem ob primæ transgressionis peccatum commissum castigavit? Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos; Primò dicit: *Multiplicabo ærumnas tuas.* Transeat hoc, quia culpa magnes quidam est, qui pœnæ fertum infallibiliter post se trahit; In hoc nullam invenio difficultatem, verùm quod Deus matri alicui filiorum multitudinem impertiendo, supplicium inferat, & pœnam hoc ipsum non satis benè capere valeo; Nam apud fœminas Hebræas nullum est majus opprobrium, quàm filios non parere; ac proinde Rachel Jacobo dicebat: *Da mihi liberos, alioquin moriar*; Ecquæ autem matri alicui major accidere lætitia

1. Cor. 2. 9.

Gen. 3. 16.

posset, quàm coram se integrum videre filiorum manipulum? Fatcatur hoc Cornelia nobilis illa fœmina Romana, quæ se pretiosiora & opulentiora monilia aut gemmas non habere dicebat, quàm filios suos. Quomodo igitur multos parere filios mulieri alicui supplicium reputari poterit? Oleaster difficultatem resolvit dicens: *Decreverat Deus, ut fœmina suscepto semine, & formato fœtu, statim illum emitteret, & non gestaret in alio ad novem menses cum maxima molestia* (Intellige, priusquam peccaret,) mulier autem in desideriis suis impatiens est, eademque differre & suspendere, est illam per continuum quoddam martyrium torquere. Non habet eo tempore quo gravida est, desiderium majus, quàm partus suos viventes & in hanc auram enixos videre. Atque ideò facere, ut cogatur pro cujulibet filii nativitate novem menses expectare, est illi adeò acerba pœna, quæ gravi quodam & cor & animam ejus martyrio afficiat. Et consequenter plures illi impertiendo filios mensium illorum novenæ toties multiplicantur, ideoque voluntatem suam quovis momento tortura, seu equuleo dilationis & desiderii cultro confici & martyrio quodam affici persentiscit: *Multiplicabo conceptus tuos.* Verùm enimverò quantùm corpus anima inferius est, & mundo nasci minoris æstimatur, quàm renasci Deo, tantò major fuit dolor Monicæ, dum ardens suum desiderium filium suum Deo & gratiæ divinæ patiendi ex anno in annum differri vidit, verè enim dolor hic tormentum quoddam fuit, quod acerbissimo ipsam martyrio cruciavit.

Oleaster. ibid.

11. Latro suspensus hærebat in Cruce, modicum ipsi vitæ reliquum erat, jam enim luctabatur cum morte, cùm ecce ex una parte culparum suarum gravitatem agnoscens, ex altera verò Crucifixi Redemptoris Divinitatem considerans, atque in ejus misericordiam firmiter sperans, ex sancta quadam & inculpabili præsumptione, hanc Domino petitionem proponit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum:* Dicere volebat: O Domine, satis integrè & distinctè scelerum meorum cognosco excessum, ea enim pœnam merentur gravissimam, intensivam & extensivam; nihilominus tibi supplico, ut pro tua pietate mihi concedere digneris Paradisum, hoc enim est maximum meum desiderium, quod in extremo vitæ meæ habeo. Hæc Crux respectu dissolutionum mearum pœna est nimirum levis, & quidem tantò est levior; quod morte mea mediante brevi terminanda sint hæc mea supplicia. Scio equidem nequaquam consentaneum esse, imò nec possibile, quod Paradisum impetrare valeam, nisi prius (ut justum est) per condignas pœnas culpis meis satisfecero; atque ideò sponte propria pœnam quandam mihi eligo, quæ Crucis hujus tormentum sine comparatione aliqua *intensivè & extensivè* excedit; eritque hæc, ut scilicet Paradisum expectem, usque *dum veneris in regnum tuum.* Sed dices fortè, nunquid tormentum illud, quod in Cruce patiebatur martyrium quoddam erat? Imò verò. At verò hoc minimè ad expiandas culpas suas ipsi videbatur sufficere, ideòque martyrium quoddam elegit longè dolorosius, scilicet Paradisi consecutionem seu possessionem sperare & expectare, usque dum veniat Dominus in Regnum suum: *Novum martyrium ipsa Cruce durius & dirius, nempe tempore retributionis longiùs protrahi.* Porrò videatis an non ea, quæ dixi conveniant cùm data sibi à Crucifixo Redemptore nostro responsione: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Per hæc namque verba nihil aliud dicere volebat, quàm clariùs dixisset: Scio quod Paradisum à te tam cupidè desideratum eousque expectare, donec ego illum ingrediar, quod intra quadraginta dies adhuc futurum non est, hoc inquam præstolari & sperare, erit martyrium quoddam pro te nimis acerbum. Hodie est tempus & dies concedendæ gratiæ, pietas mea sustinere non valet, ut tu tanto tempore dilationis, expectationis, & spei equuleo torquearis, quod patiendi genus ipso Crucis suppicio longè est atrocius. Atque ideò: *Nondum venero, sed hodie mecum eris in Paradiso.* Unde S. Petrus Chrysologus, ab hoc pio verborum istorum sensu non videtur multum fuisse alienus, dum ait: *Ne superaretur tædio, ne laxaretur tarditate, ne longa expectationis fatigatione succumberet, beatitudinem cælestem, & cæleste promittit obsequium.* Mira profectò res! Filius Dei eo ipso quo perspicuè cognoscebat, quod latro Paradisum per quadraginta duntaxat dies expectando acerbius Cruce subiret martyrium, ad compassionem commotus ait ad latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Beata autem Monica licet per similem expectationem qua diem illum tandem appropinquare desiderat, quo Augustinus filius ejus ad fidem convertatur Orthodoxam, simile imò atrociùs patiatur martyrium, Deus tamen

Eman. Naz. in Iusue c. 10. v. 13. §. 40. fol. 605. n. 202.

Luc 23. n. 44.

D. Petr. Chrysol. serm. 14. fol. 18.

Euc. 23. n. 42.

men pro illius consolatione ei non dixit : *Hodie baptizabitur*, vel : *Hodie convertetur* : sed prolongatur hoc desiderium ex mensibus in menses, ex annis in annos, & quanto tempore dilata fuit ejus conversio, tantò quoque temporis spatio hujus sanctæ Viduæ duravit martyrium. Denique quam acerbum & pœnosum id fuerit ab ipsismet quoque gentilibus agnitum fuit, Seneca affirmante : *Nihil esse æque amarum, quam diu pendere, æquiori animo ferunt præcidi spem quam trahi.*

Seneca l. 2. de benef. cap. 5.

12. Filius Dei cum dilectis Apostolis suis quondam de instante loquebatur messe, eamque copiosam esse dicebat, messores autem paucos, ideoque minimè sufficientes : *Messis quidem multa ; operarii autem pauci.* Ac proinde iis committit, ut Dominum messis conveniant eique dicant, tempus messi instituendæ oportunum præsto esse, ac proinde de operariis ad eam colligendam necessariis paulatim cogitandum esse, nam messem in sua maturitate diu differre, jacturam non lucrum adfert. Ac proinde : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Doctissimus Abulensis ad hunc Scripturæ locum nonnihil maturius ponderandum aliquantisper hic subsistit ; & observat, quod Dominus discipulos suos ad metendum mittat, cum autem nemo metere possit, nisi prius semineat, ideò quærit, cur Dominus illos prius ad metendum, quàm ad seminandum emittat? Si enim nihil seminarunt, quidnam colligere potuerunt? Respondet autem idemmet scriptor, quod is qui seminat, fructum colligere non possit, nisi tempus ad maturitatem requisitum expectet, ut messem colligat maturam & usu aptam. Quia igitur Verbum Dei incarnatum magna erga discipulos suos benignitate utebatur, illos ad seminandum emittere noluit, ne cogerentur illud subire tormentum, quod utique passuri essent, si tempus messi opportunum illis expectandum esset : *Hoc dictum est ad confortationem discipulorum, quia si diceret eis Christus, quod mittebat eos ad seminandum, videbatur eis imponere tristitem, eo quod qui seminat, expectat longo tempore.* Hoc autem martyrii genere, quo Christus compassione motus discipulos affligi & torqueri noluit, sancta hæc Vidua ab Augustino filio affecta fuit : Ipsa namque tanquam agri sanctæ Ecclesiæ strenua cultivatrix semine lachrymarum terram seminavit, ac proinde dicitur, quod *fiebat irremedialibus lachrymis.* vel : *Qui seminat in lachrymis.* Toto autem tempore quo fructum lachrymarum suarum, id est, Augustini conversionem expectavit, continuatum est ejus martyrium. *Eo quod qui seminat, expectat longo tempore.*

Matth. 9. 38.

Idem ib.

Abulen. ibid. c. 19. §. 8.

13. Porrò sancta Monica *bis* sancti Augustini *mater fuit*, quia bis illum est enixa, semel ex utero in mundum, & semel illum per lachrymas genuit Deo ; semel quoad corpus ; altera autem vice quoad animam. Post primam generationē, secundam vehementer desiderabat. Ad hanc omnes ejus operationes pariter & orationes unicè dirigebantur. Omnes fastidiebat mundanas delicias, nequicquam in toto mundo evenire poterat, quod consolari aut felicem reddere eam posset, nisi ut videre sibi liceret Augustinum verè factum Dei servum, ac proinde filio suo dicebat : *Nulla re jam delector in hac vita, cum te contempta felicitate terrena videam servum Dei.* Summa desiderium suorum in hoc unicè consistebat, ut filium suum secunda vice Deo generare, ipsumque de novo quoad spiritum filium habere posset. In Genesi Deus Abrahæ apparet, ipsumque consolaturus dicit ei : *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* O te ô Abraham felicem & fortunatum! *Si Deus pro te, quis contra te,* meritò ex nunc dicere potes : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et tamen hæc à Deo Abrahæ promissa protectionis gratia ei parum grata fuisse videtur, siquidem ei in hunc modum respondeat : *Domine Deus quid dabis mihi?* quasi diceret : Quascunque tandem mihi benevolentiæ demonstrationes exhibueris, nulla tamen earum satisfactionem aliquam mihi adferre poterit, nisi filium mihi nasci dederis : *Ego vadam absque liberis, mihi non dedisti semen.* q. d. Non habere filium est summa infœlicitas mea, sicut econtra filium & posteritatis semen à te nanciscī fœlicitatis meæ culmen & florem esse censeo, omnibusque hujus vitæ bonis antepono. Unde donec ei Dominus filium concederet, in continua permanebat mœstitia : *Quamdiu illum aut de illo absolutam promissionem non obtinebat, incredibiliter angebatur.* Porrò quod sanctissimam Monicam attinet, ea quidem habebat filium, & tamen etiam dici poterat, non habere illum ; Habebat enim illum quantum ad mundum, non verò illum habebat quoad Deum & spiritum ; ac proinde illum à Deo per orationes postulabat, simul protestando, quod quævis alia terrena satisfactio sibi esse videretur mera amaritudo : *Nulla re jam delector in hac vita.* Et quantum Abraham à suo torquebatur desiderio impetrandi sibi filium quoad carnem, tantundem,

Gen. 15. 1.

Ibid. n. 2.

Ibid. n. 2. 3

Eman. Nazara.

imò comparabiliter majori torquebatur martyrio Monica, desiderando filium Deo videre renatum, eumque nanciscì filium etiam quoad animam & spiritum. Et quidem, si verum est, quod dolor ex expectatione boni alicujus obortus, augescat pro ratione bonitatis objecti expectati seu desiderati, major itaque cordis dolor in Monica erit, quam in Abraha fuerit, quanto scil. Spiritus præ corpore melior est atque præstantior. Unus enim filium sperabat quantum ad carnis successionem: altera verò quoad propagationem spiritus. Unde facilè nobis persuadere possumus, sanctam hanc Viduam cruciatum sustinuisse longe majorem quam Abraham: *Incredibiliter magis quam Abraham angebatur.* Atque ideò pictura vel statua nobis ob oculos ponitur veluti Crucem purpuream coloris sanguinei in manu sua portans, sicuti Bartholomæus manu sua defert cultrum. Laurentius craticulam, Catharina rotas, Stephanus lapides, Andreas Crucem, singuli singula martyriorum suorum instrumenta: sic igitur Monica crucem in manu sua tenet sanguineo sive carneo colore imbutam, ad significandum, quod per crucem martyrizata fuerit in corde.

14. Verum ut martyrii hujus gravitas & acerbitas tantò magis eluceſcat, alium quendam scripturæ locum ponderemus. Enormis igitur impietas, & maximus qui unquam committi potuit ingratitudinis actus mihi fuisse videtur, quem populus Israeliticus commisit, quando vitulum aureum adorando idololatravit. Tam gravi injuria Deum illum offendit, qui tot insignium beneficiorum abundantia illum sibi devinxerat. Tam enormem erga illum Deum commisit ingratitudinem, qui eum in quovis casu obvio protegebat, nunc Pharaonem affligendo per cyniphes, muscas, ranas, tenebras, per aquas in sanguinem conversas, per bestiarum mortes, per cineres qui super Ægyptiorum & bestiarum membra descendentes vulnera & ulcera incurabilia in iis causabant; nunc illum à tyrannica Pharaonis servitute liberando, dum illos mare rubrum siccis vestigiis pertransire fecit, hostilem exercitum eos insequentem sub ejusdem maris aquis submersit, manna in deserto illis depluit, aquæ scaturiginem è petra promanare jussit, denique in prælio in Raphidim contra Amalec inito victoriam valdè glorioſam iis impertivit, quando inquam tam benefico Deo terga deinceps vertit eumque contempsit, Illiusque loco vitulum seu potius in vitulo Dæmonem adoravit. Et tamen verè id fecit: *Congregatus populus adversus Aaron dicit: surge, fac nobis Deos qui nos præcedant.* O populo scelerate! ô gens iniquissima! ô Israel Deo tuo valdè ingrate! Observandum autem, inquit Cajetanus, quod dum Aaronem convenirent, eidem dixerint, surge: per hoc namque verbum satis indicatur, quod mane summo diluculo, Aarone adhuc dormiente ad eum accesserint, & quilibet proptiam sibi quietem adimendo, mature satis ad eum molestandum, atque è lecto pellendum convenerint, ut eum ad fabricandum illis vitulum cogerent: *Ex verbo surge, insinuatur quod matutinus fuit hic concursus, tanquam Aaron adhuc jacentem excitaverint.* Optarem me hoc loco maximi hujus sceleris penetrare posse originem & causam motivam. Postulaveratne forsitan populus ille aliquam à Deo gratiam, quæ eidem fuit à Deo denegata? Aut detrectabat Deus illum deinceps amplius protegere? an verò aliquod ipsi à Deo flagellum immissum fuit? sacratum textum legite, ô Auditores, moxque sceleris rationem invenietis Moyses cum Deo locuturus montem ascenderat, ubi multò tempore permansit, priusquam reverteretur & à populo iterum conspici posset, qui tamen magno cum desiderio reditum ejus exspectabat; *Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses.* Molestia igitur quam gens illa ex tam diuturna reditus sui expectatione perpessa fuerat, eos in impatientiam quandam præcipitavit, & ad idololatrandum induxit: *Impatientissime ejus absentiam ferens,* inquit ad Aaronem, *Fac nobis Deos qui nos præcedant.* Ex hoc itaque facto facilè vobis est conjicere, quam sit ingens dolor rem desideratam diu frustra expectare, Ne quicqtam dubitò, quin major sit affectus matris ad filium, quàm militis erga suum Ducem. Quodsi igitur milites Moysis tantum experiebantur dolorem, Ducis sui expectando reditum, qui brevi adfuturus erat, quantum igitur tormentum S Mater Monica perpessa fuit, dum tantò tempore dilectum suum Augustinum ad fidem Catholicam accedentem expectavit: Hebræus saltem tametsi indignus, aliquod habuit in sustinendo expectationis diuturnæ tormento effugium: Monica verò non item, atque ideò consequenter tanto intolerabilius reddebatur ejus martyrium. Cui addendum, quod Israelitæ paucis tantum diebus expectarint, hæc autem vidua multis annis, *expectare diu est durius tormentum & martyrium*

Exod. 32. 1

Cajet. f. 250. col. 2. v. 1.

Exod. c. 32. n. 1.

To. Hage ibid. f. 728. col. 1. n. 2.

Eman. Naz. in Ioſue. c. 10. n. 201. §. toto. f. 605. S. Cypr.

tyrium. Affirmante S Cypriano, quod *ſemel vincit, qui ſtatim patitur*, econtra vero. *Qui manens ſemper cum pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.*

15. Quoniam Auguſtinus certior factus fuerat ſcholas Rhetoricæ, Logicæ & Philoſophiæ majori cum flore Romæ vigere, quàm in quibuſvis aliis locis orbis, Carthagine diſcedere, & Romano itineri ſe accingere firmiter decreverat, cumque gloriæ quam lucri cupidior eſſet, hora in mille annos elabi credebatur, di nec Romam videret. Mater autem cum filii cogitationes jam penetraſſet, eidem perſuadere contendit, ne diſcederet, aut ſaltem ne diſcedens ipſam poſt ſe relinqueret. Auguſtinus quidem ut matri tantiſper ſatisfaciat, nihil ſibi certi decretum eſſe, ſuo tempore de hoc deliberationem inſtitui poſſe, nec eſſe qui eum ad iter iſtud capeſſendum perurgeat, fingit; ac proinde expectaturum ſe dicit ventorum & maris navigandi ſecuram opportunitatem, idque tantò magis ſibi eſſe, neceſſarium ajebat, quod amicum quendam expectaret, ſine quo impoſſibile ſibi eſſet Carthagine diſcedere: Ipſa verò in genua provoluta & lachrymabunda ſupplicabat cælo, ne eum à ſe diſcedere permitteret. Auguſtinus autem nocte ſequenti ſe mari commiſit, veliſque ex favorabili vento expanſis & inrumeſcentibus, navigium à portu mox ſolvit, Romamque verſus iter ingreditur. Mater illuceſcente die de diſceſſu filii ſui certior facta, planctus edidit inconſolabiles, dolor pectus ejus penitus occupabat, ejuſque animam tranſadigebat, atque ad ipſas ſtellas uſque dolentiſſima exprimebantur ſuſpiria. Ad mare properabat, obſervatura an navigium videre poſſet, ſed navigii prora Romam verſus directa undas feliciter ſulcabat, jamque eo uſque progreſſa erat, ut ex portu ne per viſum quidem attingi poſſet. Quis igitur hic S. Monicæ explicabit anguſtias, cum charum ſibi Auguſtinum è manibus ereptum, nec non marinæ inſtabilitati, & corporis animæque periculis expoſitum cerneret. Ipſa quidem exinde mortua non fuit, tum quia ærumnis mundi hujus erat aſſuefacta, tum etiam quia per prudentiam animata, & per conſtantiam imperterrita facta erat: verum quidem eſt quod vultus ejus impalluerit, & in continuo fuerit linquentis ipſam animi periculo, unde ipſam ad parietem vel tabulam domus adnitentem videns, ipſam quandam ex marmore ſtatuam, eo ad probandam ſculptoris artem expoſitam fuiſſe, credere aliquis haud immeritò potuiſſet. Quilibet igitur qui ſenſu præditus eſt, conſideret, an Auguſtinus à matre ſua per adeò improviſum iter diſcedens eamque inſalutatam deſerens, non fuerit tyrannus, qui acerbiſſimo cor matris ſuæ ſui amantiſſimum martyrio confecit? Rutilia Matrona (tametſi hanc cum Monica conferre idem ſit, quod flumen vaſto mari comparare) filium habebat in moribus valdè diſſolutum, qui proinde ob multa delicta patrata, ſupplicii loco miſſus eſt in exilium. Mater autem quia videbat, ſe hanc filii à ſe avulſionem ferre nequaquam poſſe, ejus ſe Societati conjunxit, & ne tam dire torqueretur ob abſentiam filii, ipſa quoque à Civitate ſua exulare voluit. Sciebat enim, quod ſi abeunte filio ipſa in civitate remanſiſſet, per deſiderium videndi filium continuum habitura eſſet animi cruciatum, quovis cultro magis penetrativum, ipſaque morte doloroſiorem. *Rutilia filium ſecuta in exilium* (ita refert Seneca) *& uſque eo fuit indulgentia conſtricta, ut mallet exilium pati, quàm deſiderium.* Etenim cuilibet veſtrum, ô Auditores, permitto ut comparationem inter Rutiliam & Monicam inſtituat, minimè dubitans quia magnas deprehenſuri ſint inter utramque hanc matrem diſparitates, quod Monicæ tormentum, Rutiliæ anguſtias tantum excedat, quantus eſt inter ſolem & quamvis ſtellam exceſſus.

S. Aug. in lib. Con. Gabr. Flamma l. 5 de vitis SS. die 4. Mati f. 21. fac. 2.

Aloys. Lippom.

Seneca ad Albinam de Conſolat. c. 16. f. 71. fac. 1.

16. O Auguſtine Matris Tyranne! ô Mater ab Auguſtino filio crudeli martyrio affecta! Ecce tibi, ô Salomon, mulierem fortem, quam quærebas, feliciter inventam. *Mulier fortis inventa eſt.* Verum enimverò ne Auditores meos prolixioris ſermonis faſtidio Martyres efficiam, hic filium præcidens tantiſper reſpirabo.

PARS SECUNDA.

17. TErtium hujus ſanctæ Viduæ martyrium, fuit ardentis cujuſdam deſiderii, idque à Dei manu ſuſtinuit. Martyrium utique longe acerbius illo, quod ſancti Martyres per ferrum Tyrannorum perceperunt, quia per mortem ipſis carnificibus longe pientiorem, brevi tempore fuere liberati. *Qui deſiderio angitur, tormentum quidem mortis patitur, ſentiendi autem facultatem non amittit. Mori enecat Martyrem, ut non ſentiat; deſideria vivum retinent, ut perpetuo miſer emoriatur*, ſcribit quidam hujus temporis author eruditus. Cum ſancta hæc

Benedict. Fernand. in c. 29. Geneſeſ. l. 1. n. 9. f. 791. col.

vidua

vidua apud Ostia Tyberina graviter infirmaretur, quasi mox redditura spiritum, obtenta culparum suarum generali absolutione, sacrosanctum sibi dari popposcit viaticum. Sacerdos igitur desiderio ejus satisfacturus, eamque communicaturus, cum sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ipsam accedit, cumque jam panem cœlestem receptura esset, ex improviso cathartus quidam pectus ejus ita affecit, ut inde ardentis sui ad communicandum concepti desiderii executionem penitus impediverit: *Vexatione stomachi Sacramentum sumere nequivit.* Quam acerbum hoc ô Auditores huic sanctæ illatum martyrium fuit, quando moribunda Deum sub sacramentalibus speciebus realiter præsentem, sibi proximè vicinum esse, & tamen ab ejusdem fruitione seu communione se per simplicem quendam cathartum impediri vidit? Sacerdos in oratione quadam secreta Missæ quæ legitur Feria 5. post Dominicam 3. Quadragesimæ dicit Deo, quod sacrificium istud offerat in pretiosa morte servorum suorum: *In tuorum Domine pretiosa morte justorum sacrificium istud offerimus.* Nobis autem significare volens, quales ejusdem sacrificii vel sacramenti sint qualitates, subjungit: *De quo martyrium sumpsit omne principium.* Nescitem profectò, quænam assignari causa posset, ob quam quodvis martyrium dicendum sit suam à sacramento Eucharistiæ trahere originem? Quidnam martyrio cum Eucharistia, aut viceversa intercedit? Eucharistia quodam est suavitatis compendium: martyrium autem est quædam quinta essentia omnis amaritudinis. Ministri Eucharistiæ sunt Sacerdotes: martyrii verò ministri sunt carnifices: Eucharistia promotivo charitatem habet: martyrium verò odium authorem agnoscere debet: Eucharistia dat vitam, martyrium verò mortem. Fortene ideò Eucharistia martyrii origo dicitur, quia sicut in Eucharistia aliud est quod videtur, scilicet accidentia panis & vini: & aliud quod creditur, id est, Salvatoris nostri corpus vivum & verum, quod sub illis sensibilibus signis continetur: ita quoque in martyrio de foris videntur accidentia tormentorum & dolorum, intus verò secum habet in animo Martyris certam & securam spem gloriæ?

Petr. Episc. Equil. in vita ejus & Tho de Trusillo in festo S. Monicæ f. 100. col. n. 20. fer 5. Dom. 3. Quadrag. orat. secreta.

18. Vulgari Proverbio dici solet: *Clavus clavum tradit*: sic quoque una difficultas viam sternit ad facilius capiendam alterius difficultatis intelligentiam, prouti in præsenti difficultate videbimus, si ei insuper novam difficultatem adjunxerimus. Nostis itaque quod cum Elisabeth gravida S. Joannem Baptistam in utero ferret, beatissima Virgo domo suâ relictâ una cum sponso suo Josepho ad eam visitandam per montana se receperint. Cumque in domo Zachariæ appulissent, completis hinc inter Zachariam & Josephum, illinc vero inter Elisabetham & Mariam salutationum, amplexuum, & osculorum cæremoniis, mutuo inter se colloquerentur, infantuli quoque in utriusque matris utero recluso id est, Joannes & Christus, sibi mutuo accedere, interque se familiarius agere cœperunt. Unde de illo S. Lucas scribens dicit: *Exultavit infans in utero ejus.* Joannes enim, tametsi intra materni caceris tenebras reclusus esset, in domum tamen parentum suorum divinum prorsus adveniſſe hospitem perspicuè cognovit, & in signum jubili & lætitiæ quasi tripudians exsiluit & saltavit: *Exultavit infans.* Verum enimvero S. Joannes Chrysostomus existimat, hosce saltus fuisse effectus intensi cujusdam & excessivi doloris, quem Joannes tunc patiebatur, quod adigente velut ex nimia tormenti gravitate insaniens, pedibus maternum uterum percutiebat, quasi ad egrediendum violentiam adhiberet, tacitisque vocibus adversus matrem lamentaretur, utpote quæ inauditi doloris martyrio ipsum cruciaret. *In claustra naturæ insultat calcibus, & clausis labiis vociferabatur figuris, talia matri dicens: Inique facis, ô mater, quæ tardas Prophetam, gestas in utero præcursorem Christi, Martyrem stringis.* Quomodo? Martyrenne Joannem vocas in utero matris existentem? Martyrium utique non est sine tormento, Christo autem nemo adeò vicinus esse potest sine gaudio. Verum enimvero Auditores date mihi veniam, ut umbris fabulosis aliquantisper utar, ut vel hac ratione lux veritatis magis magisque illucescat.

Luc. 1.

D. Ioan. Chrysost. apud Metaph. & Laurent. Sur. die 24. Iunii.

19. Non dubito quin notum sit, Narcissum à Poetis repræsentari, veluti quandam pulchritudinis perfectam ideam. Hic enim pulcherrimus juvenis simul in se unitum habuisse fertur annorum jucundissimum ver, omnisque delicatæ pulchritudinis Aprilem, rosam genarum ejus rubedini comparatam veluti pallidiusculam languescere, ipsumque aurum capillorum suorum collatum flavedini gloriam suam videri potuisset amittere. Ad gratiositatis suæ elegantiam collatæ ipsemet gratiæ omnis videbantur gratiæ expertes. Accidit autem, ut fertur, quod postquam aliquamdiu fugitivus feras sectatus fuisset,

fuisset, sitibundus ad fontem quendam properarit, dumque positis ad fontis marginem manibus, caput suum ad arida labia sua refocillando, demisisset ad aquas, pulchritudo vultus & aspectus ejus in undis ei perfectè fuerit repræsentata, dumque hanc fallacem & apparentem imaginem, veram quandam & animatam crederet esse effigiem, suspenso cum attentione in eadem obtutu, attonitus illam considerabat, & proptia delectabatur imagine, videns enim quod seipsum in gestis secundaret, falso sibi persuadebat, eam quoque sibi correspondere in affectu: nam quando eam intuebatur vultu placido, ipsa quoque aquis impressa effigies benigna eum facie respiciebat, quando tremulam ei dexteram porrigebat, ipsa quoque timidulam extendebat manum suam. Uno impallescente vel rubescente, alter quoque pallidus fiebat aut rubicundus: Quando Narcissus, ut elegantis illius vultus labris proximior fieret, caput suum aut etiam se pronum demittebat, effigies illa suis quoque labiis illi obviat & approximat: At verò cum vix extimam undæ superficiem ad imprimendum effigiei osculum tetigisset, mille efformantur fluctuantes gyri, in quibus velut in intricato quodam Labirynto ignorans, an visa antea pulcherrima effigies vel verecundata se abscondisset, vel fugisset indignabunda, ad eandem retinendum manus quidem suas extendit, sed protinus evanuisse deprehendit, adeò ut nil nisi undam stringens dictos postea pallus sit cruciatus. Unde ô me miserum alte exclamabat, qui dum ob propinquitatem te possidere existimo, protinus te amitto procul à me fugientem. Ecquis igitur me impedit ut te possideam? Quisnam desideriorum meorum objectum ab oculis meis abripit & subducit. Certus sum quod id nec maris amplitudo faciat, nec altitudo montium, nec remota situs positio, neque vasti oceani profunditas, sed extima undæ cujusdam superficies; Hæc sola est quæ extremè me affligit & vivacissimis me doloribus cruciat.

Ovid. l. 3. Meth. fab. 6.

Quoque magis doleam, nec nos mare separat ingens
Nec via, nec montes, nec clausa mœnia portis
Exigua prohibemur aqua. ——

In hoc etiam proprie S. Joannis Baptistæ in materno utero etiamnum delitescentis consistebat martyrium; Mentis namque oculis in humanitatis Christi speculo, ipsummet videbat Deum incarnatum, ac proinde Franconius Abbas dixit: *Divinitus in luto tanquam imago in speculo refulget*, sed nec venerari, nec amplexari, nec possidere illum poterat. Magnæ Dei matri vicinus erat, nec tamen vultum illum beatificum, veram scilicet paradisi effigiem videre poterat: ad assequendum enim desideriorum suorum objectum nil præter solum matris uterum inter utrumque amantem interjectum impediebat; quodsi aliqua inter ipsos fuisset situs distantia, qualis erat priusquam Maria è domo Nazarethana recessisset, sensus doloris adeò in eo acerbus non fuisset, sed ad objecto amato & beatifico vicinum esse nec tamen illud videre, aut eo frui posse, hoc expressum est & ingens martyrium. *Martyrem stringit.* Hisce præmissis facilius sanctæ Ecclesiæ mysterium intelligemus, quando dicit: *Sacrificium illud offerimus de quo martyrium sumpsit omne principium.* In Sacramentum enim Eucharistiæ Deum nobis vicinum habemus, verum accidentia sacramentalia quodam quasi martyrio nos afficiunt, dum enim illum veluti cortina quadam obvelatum abscondunt, quo minus illum ibi videre aut eo frui possimus, nos impediunt. Nam nudum esse inter vestes, famelicum inter epulas, inter divitias pauperem, est quoddam tantali supplicium, qui licet ad labia usque inter aquas hæreret, siti tamen improba peribat. Unde sanctus Bernardus ait: *Quod martyrium gravius est quam inter epulas esurire, inter vestes multas algere, paupertate premi inter divitas quas offert mundus.* Sacerdos cubile in quo Monica febricitans & moribunda jacebat, ingreditur, sacra illi mysteria adfert, ut percipere Deum illum possit, qui ex eo quo nos prosequitur amore sacramentali dignatus est, dexteram suam extendit, ut eam pane Eucharistico, cujus magne fame laborabat, pasceret, cibo autem hoc sacramentali labiis ejus admoto, eum ab accidente supra memorato recipere & sumere prohibetur. An non hæc sancta vidua novus quidam Tantalus tibi esse videtur, quæ cum non terrenam aquam, sed panem cœlestem ori suo vicinum & proximum habeat, quantumvis sit famelica illiusque panis recipiendi cupida, attamen Deo illo quem sacramentatum sibi vicinissimum habebat, præ desiderio suo frui non permittitur. O tormentum! ô martyrium! desiderii cultro in corde suo graviter sauciata patienter sustinuit. Procul igitur omni dubio in illorum martyrum choro collocari

Franch. Abb. de gra. Dei in Bibl. vet. PP. to 2. & 11. foll 451. co 1.

D. Bern. p. 1. in fest. omnium SS ser. 1. in fine f. 373. A.

cari merebitur, de quibus Magnus ille Pontifex
D. Greg. S. Gregorius loquens dicit : *Quamvis occasio persecutionis deest, habet tamen pax vestra martyrium suum ; quia etsi colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio truculamur.* Deus autem qui retributionum & favorum abundantia perpessis ærumnis correspondere, suosque Martyres
Ambr. Staiban. in vita ejus c. 2. fol 31. præmiare consuevit, circa S. Monicam morientem se à semetipso minimè dissimilem esse demonstravit. Siquidem eo ipso, quo speciebus sacramentalibus cibari, & viatici loco provideri non potuit, aliunde idipsum liberaliter compensavit, nimirum in pulcherrimi infantuli humana specie eidem apparendo, eamque inter amplexus suos eousque fovendo, donec ei suum in ejus brachiis redderet spiritum : *Puerulus (id est Christus) eum amplectens visibiliter apparuit, inter cujus amplexus anima illa sancta volavit ad cælum.*
Petr. de Nat. in vita ejus.

20. O quam sunt huic sanctissimæ matri Monicæ obligati omnes illi, quotquot in religione Eremitana filii sui degunt, imò omnes sancti servi Dei, quotquot sub vexillo & regula Magni Patris sancti Augustini Deo in hac vita militant ! In Joppe mulier quædam vidua, nomine Tabitha, vel alio nomine Dorias, ab hac vita migrat, quia verò erga pauperes magnam exercuerat in vivis charitatem, ideò iidem ob ejus mortem vehementer affligebantur. Nonnulli autem certatores facti sanctum Petrum in Lidda commorari, duos ad eum expedivere cursores, qui eum ut in Joppen haud gravate veniret, suppliciter rogarent, prouti etiam fecit. Cumque venisset Joppen subitò eum in locum ubi Tabitha quiescebat, deduxerunt, quem undique pauperibus inconsolabiliter plorantibus refertum invenit. Qui omnes mox ut Apostolum viderunt, instanter apud eum supplicarunt, ut eam ad vitam per Dei gratiam denuo revocaret, utpote quam pauperum cordialissimam fuisse matrem dicebant ; cujus proinde beneficentiæ varia ei passim ostendebantur specimina. Unus enim dicebat: Jam non tantum lacer, sed & totaliter nudus incederem, nisi illa hanc mihi vestitum comparasset : Alibi vidua quædam vestem qua amicta erat, ei ostendebat dicendo, hanc mihi vestem sua pecunia comparavit, propriisque manibus suis consuit & concinnavit : *Ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorias.* Quibus omnibus visis & auditis sanctus Petrus eam per manus apprehensam à mortuis suscitavit ; *Dans autem illi manum, erexit eam.* Videor mihi religionem Eremitanam audire dicentem, nisi Monica fuisset, quæ per Dei gratiam filium suum convertisset Augustinum, ego de facto non essem. Non quidem vestes quas ipsa mediante accepit, demonstrat, sed immensam gloriam tot sanctorum Confessorum, Martyrum, Sanctarum Virginum & Viduarum, tot religionum & congregationum Fratrum & militum, qui in omnibus mundi partibus ad majorem Dei Opt. Max. & Ecclesiæ Catholicæ gloriam & exaltationem florent, & hactenus floruerunt. Sic S. Joannes à S. Facundo Calicem quendam exhibet cum hostia consecrata. S. Fulgentius integra librorum volumina. S. Simplicianus pedum pastorale & mitram. Sanctus Leonardus ferreos carcerum compedes. Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus catenas quibus tam quam mancipium vinctus fuerat. Sanctus Thomas de Villa-Nova verus pauperum pater, loculos sive bursam è quibus pauperculis mendicis aurum dispensatur & argentum. Beata Rita quandam Crucifixi spinam in fronte. Beata Clara de monte falco cor Christi passione & tribus globulis in bilance mysteriorum sanctissimæ Trinitatis figurantibus pulchrè insignitum & adornatum. Sanctus Guilielmus vexillum Lilia aurea referens cum galea in capite, ad pedes ejus autem thoracem ferreum & coronam Ducalem. Sanctus Nicolaus Tolentinas habitum stellis distinctum, in manu vero ferream quandam ostentat disciplinam, tot denique alii innumerabiles sancti & sanctæ Dei, qui in illustrissima S. Augustini religione floruerunt, & in particulari religio hæc demonstrat S. Augustinum à Monica conversum, qui sub sacra Chlamyde sua congregatas tenet viginti octo religiones, Milites quoque alios que Sanctos & Sanctas, ornamenta nimirum cælorum & Ecclesiæ Dei. Unde sicut S. Petrus Tabitham resuscitaturus per manum apprehendit : *Dans autem illi manum*, quod idem fuit, ac si dixisset, ut notavit Chrysostomus ; hac manu tua multa bona contuliſti in pauperes, eadem quoque manu igitur bonum recipias vitæ. Ita in die resurrectionis universalis Deus sanctæ Monicæ dicere poterit ! Circumfer oculos tuos, & vide ac considera omnes præclaras arbores, quæ tuis copiosis lachrymis adaquatæ in sacratissima Eremitana religione fructum salutis suæ, tum meæ divinæ gratiæ, tum plorantibus oculis tuis referunt acceptum : *Leva in circuitu oculos tuos,*
Act. Apost. c. 9. n. 39.
D. Ioan. Chrysost.
Isai. 60.

& vide, omnes isti qui congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longe venient, & Filia tua de latere surgent. Unde ipsam Deo gratias agentem, audite mihi videor dicentem: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi*, nam si in vita mortali mundum doloris mei lachrymis irrigavi & seminavi, nunc lætitiæ fructum mihi metere conceditur, nam *qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Eja igitur ô benignissima Mater, gratiam nobis impetra, ut nos lachrymis tuis, quarum adhuc in mundo bona habetur memoria, irrigati, fructus meritorios facere, illiusque beatitudinis participes esse possimus, qua Deus triplicatum tuum remuneravit martyrium.

Psal. 29.

Psal 125.

Nunc nostris melius rogitans tu consule rebus,
Pro nostra melius funde salute preces:
Omnis te sexus omnisque te invocat ætas,
Te quicunque vocant, omnibus affer opem.

Mapheveius Landen. apud Ambr. de S Monica f 140. col. 2.

SERMO DECIMUS QUINTUS
IN FESTO
S. ANTONII DE PADUA.

O lingua benedicta, quæ semper Dominum benedixisti, & eum benedicere fecisti.

1. DEus hominem formando, omnibus eum prærogativis & perfectionibus dotavit, quæ ad ejus statum requirebantur. Unde S Augustinus cum homine loquens dicit: *Quidquid quæsieris in terra, deterius est, quam tu.* Dirigite, obsecro ô Auditores, oculos, ad elegantiam comæ, quæ est in vertice capitis humani, quæ quot pilis constat, totidem videtur opulentissimis filis aureis contexta & concinnata. Dicite sodes, nunquid vertex hominis tam eleganti coma exornatus diademate quodam ex gemmis, & lapidibus pretiosis concinne fabricato redimiri mereretur? Ad contexendam pro cælorum ornamento coronam aptiorem Dii materiam advenire non potuerunt, quam Berenices comam sive cincinnos. Capilli apud puellas Palæstinæ in tali erant pretio & æstimatione, ut auri valorem superexcederent, adeò ut pro unica tantum Salomonis coma comparanda ducentos siclos benè impensos esse existimarent. Mox ut in sereno cæli theatro cometa quidam apparere, crispinatosque crines suos in auram spargere incipit; omnem stellis gloriam adimit. Inter omnes elegantias quibus Apollo ambitiosus superbire cernitur, nulla est rarior, quàm sint deaurati flavæ capillaturæ suæ radii. Denique coma complementum est majestatis illius, quæ in hominis vultu pomposè residere videtur. Etenim, quod si homo, ut sanctus Bernardus scribit, civitas quædam est, ausim dicere frontem ejus plateam esse ex argenti candore pavimentatam & expolitam, vel etiam Capitolium quoddam, in quo honestas triumphat. Si vultus hominis animatum quoddam cælum est, frons ejus utique via lactea, vel etiam Zodiaci Zona erit, cujus signa sunt indicia, è quibus animi inclinationes prognosticantur, & per lineas quasi per totidem vias judiciosa astrologi cogitatio fertur ad investiganda maximè recondita cordis secreta: *Frons imago quædam animi, mentis motum specie sua exprimit.* Insuper conspicuum illud, quod in genarum compositura relucet, observate artificium, in quo per gratiosum quoddam hymenæum lilia & rosæ sibi mutuo desponsantur, in quibus quicquid anni tempora in contrarium suadeant, uno eodemque tempore vigorem suum habent, autumnus in pomis (quia genæ velut duo gratiosè colorata poma faciei inhærent) & vernum tempus in floribus, quia ob jucundè rubescentes genas vultus floribus esse videtur respersus, in quibus admiratio velut argumentosa apis se circum-

D. P. Aug. t. 8 in Psal. 32 f. 484 col. 1. C.

D. Bern. in Ps 90. & in Cant. serm. 4. fol. 501. col. 1. I.

D. Isid. & Vinc. Beluac. l. 28. c. 86 spec. naturalis.

circumagens, liquores gaudii libat, ut favos stuporis effermet; in iisdem quoque gratiæ velut in duobus hortis delitiantes florem excolunt perfectæ pulchritudinis. Ad hæc nos portam esse dicerem Orientis, in qua velut in propriis cunis nasci videtur puerascens jubilus cum risu, nisi labia & dentes fidem mihi facerent, idem os esse velut mare quoddam, in quo nascuntur, quot dentes tot margaritæ & duo coralli in duobus rubentibus labiis. Oculi dici possunt magnetes stuporem sibi attrahentes, sine quibus tota Dei fabrica esset, quasi non esset; nisi enim essent oculi, qui eam spectarent, ipsa inter ignorantiæ tenebras ignota delitesceret. Tollatis Solem, qui quidam cæli oculus est, & mundi venustatem & elegantiam mox simul è medio auferetis. Imò ipsamet cæli gloria nomen suum à potentia visiva mendicare videtur, siquidem cæli beatitudo sive cœlestis gloria totaliter consistit in visione beata. Auditus inter quinque sensus corporeos primatum obtinet, utpote qui primo nascitur & ultimo moritur. Item qua ratione à nobis scientiæ comparari possent, nisi aures nostræ nobis mutuarent auditum? Sine auditu sepultæ nedum mortuæ essent omnes virtutes. Aures nostræ portæ sunt, per quas omnia objecta sono duce ad audientiam transeunt animæ. Ad demulcendum aures Rhetorica mire laborat, ut facundiam doceat & eloquentiam. Poesis ad complacendum auribus, verbis metricos pedes præscribit, ita ut ne apex quidem per metri leges ligatus extra obitam gradiatur, auribusque fastidium procreet. Ad subministrandam auribus recreationem, digiti in cymbalis & cytharis discurrunt, & venti intra fistulas cavasque arundines carcerati, per harmoniæ monetam, ab auditu sibi comparant libertatem. Quod si deinde de odoratu, qui suam intra narium sphæram obtinet, activitatem sermonem instituere velimus, perspicue Deum ordinasse videmus, quod ne hi suis quoque sint destituti oblectamentis, flores sua fragrantia animalia quoque musco & zibetio suo eosdem recreent, arbores quoque ad oblectationem eviscerantur, ut ex storace & myrrha ex eisdem emanante, ad arcendos fastidiosos odores incensorum præservativa conficiant. Imò hæc potentiæ veluti Dea quædam honorari videtur, siquidem iidem offeruntur ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii excitati suffitus & odores, qui aliàs soli debentur Dei supremæ Majestati. Gustus quoque non minus quam alii sensus pariter conspicuus esse videtur. Ut enim ejus genio per omnia satisfiat, mare se illius debitorem esse recognoscit per oblatos pisces, aera per ministrata volatilia, terra per illata quadrupedia, arbores per enatos ab illis fructus maturos. Nulla est in tertis provincia, quæ pro gustus oblectatione sua non expediat acceptissima munera. Vitellius ex eo, quod in unum ferculum non expenderat plus quam viginti quinque scutorum millia, visus sibi est fuisse nimiæ parsimoniæ observantissimus. Cleopatra in unius acetarii condimentum valorem adhibuit centum sestertiorum. Paulus Æmilius Architriclinum aliquem, qui splendidæ mensæ fercula in bonum & concinnum redigere ordinem noverat, non minoris æstimabat, quam aliquem belli ducem, qui integrum exercitum in campis redigere novit in optimè ordinatam & dispositam aciem. Verum enimverò in sancto Antonio Paduano, qui à toto mundo sanctus per anthonomasiam honorificè appellatur, cunctas perfectiones & prærogativas morales longe spectabilius collocavit incredibilis ejus sanctitas, quam natura in aliis hominibus perfectiones adaptaverit Physicas. Ipse namque comam habuit auream sanctarum cogitationum. Frontem honestatis decoro aptè proportionatam: Genas gratiosè coloratas rubore modestiæ. Os ejus & labia nunquam aperta sunt, præterquam ad benedicendum & glorificandum suum Creatorem. Odoratus ejus nulli fuit alteri suffitus sive odoribus intentus, quàm orationum incensis. Oculi ad solum Dei honorem, & proximi utilitatem dirigebantur. Gustus ejus alia non desiderabat fercula, quàm quæ jejuniis & abstinentiis sunt destinata. Potentia auditus aliud nunquam recognovit objectum, q. in sacras resonaret laudes, & divinas benedictiones. Quæ cum ita se habeant, attamen lingua Sancti hujus inter omnia alia corporis sui membra perfectissima & singularissima esse videtur. *O lingua benedicta, quæ semper Dominum benedixisti.* O linguam prodigiosam & immortalem! O linguam quæ potius divinum quam humanum, quid sapit. De hac igitur sancti Antonii Paduani lingua dicturus, cum insufficientiam meam satis mihi perspectam habeam, vos rogo, curate ut linguæ vestræ ejus defectum silentio attentioni conjuncto suppleant.

Petrus Berc. in reduct. lib. 24. c. 63. fol. 670. col. 2. n. 10.

1. Gentes nonnullæ inveniuntur (si Solino credimus) linguæ prorsus expertes. *Nonnulla gens linguis cares.* Quod Plinius confirmat, dum ait: *Alii sunt sine linguis, alii nutu tantum loquuntur.* Idemmet de Astromoris, & Throgloditis pariter legitur. Et quidem, si id verum est, existimo quod in corpore humano nulla possit imperfectio aut calamitas hac major aut infelicior reperiri. Magno enim Dei dono privatus est, quisquis tali instrumento naturæ est destitutus. Quomodo enim, qui sunt ejusmodi, desideria sua exprimere possunt? Quomodo cordis conceptus manifestare? Quomodo animi cogitationes revelare? Quomodo repræsentare internarum potentiarum affectus potuerunt? Hæc ea quæ præterita sunt ita nobis proponit, ac si realiter ob oculos posita illa cerneremus. Peroratrix est voluntatis, intellectus ministra, & memoriæ secretaria. Id quod mens in secreto concepit, ipsa in aëris tela vivis facundiæ coloribus depingit. Pro necessitatis exigentia ipsa nunc ad iracundiam commover, nunc excitat ad pietatem, mox turbatas mentes tranquillat & serenat. Hæc & similia alia encomia ad celebrandam sancti Antonii Paduani benedictam linguam mens mihi esset in medium adducere, verum perterreor ex illa mihi in memoriam revocata Titi Livii statua in præcipua magis urbis Romanæ plateæ erecta, quæ ad indicandum silentii signum, digitum labiis habebat admotum, significans quod deinceps ex quo ipse tum verbo & lingua, tum calamo & scriptis locutus fuisset, nemo aliorum os aperire, aut calamum in iis, quæ historias concernunt, chartæ applicare præsumat. Cùm enim lingua sancti nostri pariter in prædicatione adeò excellens, loquendi facultatem mihi interdicit, meæque linguæ silenti frænum imponit. Verumtamen re melius considerata aliter censeo, neque enim prædicationis sancti Antonii excellentia me à deprædicandis linguæ ejusdem sancti præconiis non tantum non deterrere, sed etiam ad eam dilaudandam animare debet, sicut enim claritas per approximationem umbræ magis elucet & apparet; ita malè concinnati discursus mei ruditas, ad magis declarandam eloquentiam hujus sacratæ linguæ, quæ cum tanto spiritus fervore in prædicationibus sese exercuit, mirè deserviet. Unde ut à perplexitate mea tandem me eximiam, dicam cum Chrysostomo: *Qua tandem linguam tuam convenienti appellatione decorabo? Quo nomine linguam tuam exornabo?*

Solin. c. 32. Plin. lib. 6. c. 30. Idem lib. 5. c. 8.

Petr. de Vald. in Theatro serm. 3. de punct. fol. 678. col. 1. in principio

D. Chrysost. hom. de S. Romano.

3. Haud immeritò illi linguæ sacram hanc linguam similem dixero, quæ in exitu ab Ægypto casti Israelitæ Josephi auribus insonabat, quam audivit quidem, sed non intelligebat: *Linguam quam non noverat audivit linguam cali* nimirum, siquidem & *cali enarrant gloriam Dei.* Lingua Antonii per omnes Christianitatis partes auditur quidem, verùm nusquam ferè invenitur, qui esse hujus linguæ valeat penetrare certitudinem, seu qui certo dicere possit, quæ & qualis hæc lingua sit. Sunt qui illam mortuam credunt, eo quod à corpore sit separata, nec ab illa anima informetur, quæ in cælo beatis est connumerata. Alii verò ipsam vivere asserunt, siquidem in ipsa Spiritus vitales aliaque vitam infallibiliter insinuantia accidentia deprehenduntur: Quicquid dixeris, hoc saltem certum est, quod lingua sit verè peregrina, atque hisce nostris sæculis toti mundo obstupescenda. Peregrina inquam, quia cùm aliæ linguæ vel mortis dominio subjaceant, aut ad vitæ jurisdictionem pertineant, hæc simul & super feretro jacere creditur, velut mortua, & super vitæ quadriga triumphat. Etenim tametsi in præsentiarum disputare nolim de genuina intelligentia sententiosi illius Salomonis Proverbii, quod dicit: *Mors & vita in manu linguæ.* Certum tamen est, quod si verum sit, aliquid in manu sua habere, idem esse ac absolutum habere illius dominium, negari quoque non possit, quia lingua Antonii, utriusque scilicet mortis & vitæ dicenda sit moderatrix & Domina. Quot enim per culpam mortalem mortuos Antonii lingua prædicatione sua ad vitam gratiæ resuscitavit? Quot etiam in malè operando nimium vivaces, pungentibus reprensionibus, & minarum severitate mortificavit? Quot per divinæ justitiæ timorem ad detestationem peccatorum & morum reformationem permovit? Quot ad præteritas dissolutiones deplorendas reduxit? Quot fuêre qui reapse experti sunt beatam illam linguam in ipsorum cordibus causare hastæ Achillæ effectus, quæ *vulnerabat & medebatur.* Utinam in hanc vitam denuò reverterentur Latrones ad contestandum, quod tanquam sicarii pretio conducti affectatis venerabundi obsequi demonstrationibus vitæ suæ sanctitatem, & meritorum celsitudinem veneraturos se simulantes, dum se auri monetam se illi offerre velle fingerent, ferro ipsum trucidare conati fuerint, sed irrito prorsus effectu, siquidem ipse nec muneribus se trahi aut allici, nec dolis & insidiis circum-

Psal. 80. Hugo. Card. ib. fol. 215.

Prov. 18. n. 21.

veniri se permisit, sed sicut quondam ille se à ferro Marii & Cinnæ lingua se defendit: & sicut puer ille mutæ linguæ solvens impedimenta vitam tutatus est Cræsi; Ita Antonius pro sua tutela alium ensem non adhibuit, quam sacratæ linguæ suæ, à qua se mox adeò pungi & compungi senserunt, ut ab hujus sancti lingua uno eodemque tempore vitam experti sint & mortem, vitam quidem animæ, sceleribus suis autem mortem, utpote qui mox vitæ superioris pertæsi ac pœnitentes impiam vivendi normam convertere, Deoque se reconciliare decreverunt, *Mors & vita in manu linguæ.*

Io. Ravi. in offic. fol. 219.

4. Propheta Regius linguæ suæ proprietates explicare volens illam scribentis calamo similem esse dixit: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quæ quidem anologia valdè mihi peregrina esse videtur, lingua enim loquens; à calamo qui non loquitur, sed scribit, valdè est diversa. Lingua velociter currit, penna autem adeò lentè procedit, ut vix progredi videatur. Partes linguæ ad aures pertinent, pennæ autem opera objecta sunt oculorum. Nisi fortè dicatur, quod non est improbabile, Davidem propheticè fuisse de Antonii lingua locutum, quæ verè penna fuit, quia ut verbum Dei, Evangelium, & fidem Catholicam in famosiores Europæ Provincias deportaret, velociter volavit. Lingua Antonii penna fuit, quia, sicut penna sine manu non scribit, ita Antonius non fuit locutus ore solùm sed & operibus. Penna fuit Antonii lingua, quia sicut Jupiter ad rigandam encausto chartam penna aquilæ cujusdam utebatur: ita Deus ad registranda in mentibus hominum Legis Evangelicæ præcepta, usus est sacra Antonii lingua: *Calamus Scribæ, id est, Spiritus Sancti, quasi dicat, non loquor à me ipso, sed à Spiritu sancto*, Inquit Hugo. Penna fuit, qui sicut Cytharædi pennam adhibent ad hoc, ut Musica resonent instrumenta, ita lingua Antonii in pulpitis harmonicum reddidit Davidis Psalterium, in Cathedris verò ex doctrinis Theologicis sonorum edidit concentum. Fuit penna, quia in voluminibus quæ composuit, sensate locutus fuit. Penna quæ pavoni Junonis excidit, cæli lingua æstimata fuit, quæ Jovis minabatur supplicia: Lingua Antonii tanquam penna cælestis pœnas obstinatis describebat & supplicia. O quam pulchra invenitur inter hæc duo objecta proportio: Procul dubio penna fuit, siquidem dicere ipsius nihil erat aliud quàm scribere: quia sicut penna quicquid scribit in foliis depictum post se relinquit, ita quidquid lingua Antonii in medium proferebat, characteribus indelebilibus imprimebat in charta cordium. Id quod Sanctus Basilius optimè notavit, similes effectus justis proprios esse affirmans: *Lingua justi cordibus credentium verba inscribit vitæ æternæ, tincta quidem non atramento sed Spiritu Dei viventis.* Penna fuit, quæ Divini Verbi characteribus animos auditorum rigabat, nunc terroris materiam exprimens, mox benevolentiæ, denique timoris & amoris lineas egregiè deducens, siquidem in potestate linguæ suæ stare videbatur vel minus terrere, vel per spem & firmam fiduciam erigere: *Placidum & severum se exhibebat, quare fiebat, ut sermo ejus & amore & timore afficeret Auditores.* O penna! O lingua! O lingua scribens! O penna loquens! *Lingua ejus calamus scribæ.*

Ps. 44.

Hugo. Card. in Ps. 44. fol. 115. col. 4.

D. Basil.

Io. de la Haye in vita S. Ant. c. 8.

5. Porrò linguam sancti nostri hosce in Catholicorum aliorumque Dei timore imbutorum hominum pectoribus peperisse effectus, nihil mirum est: At verò quod omnem admirationem longè superat est, quod ubicunque sacrata hæc lingua majorem inveniebat resistentiam, prouti in Hæreticorum perfidia & peccatorum obstinatione fiebat, ibi se magis operativam esse probabat. Notum est ex libro Numerorum, quod numerosus Israelis exercitus, qui sub Moyse & Aarone Rectoribus militabat in planitie Moab, haud procul à Jericho castra metatus fuerit Unde Propheta Balaam magnanimitatem Moysis militumque suorum generositatem sibi satis perspectam habens, congregari fecit primates & seniores Madian, eosdemque hunc in modum est allocutus: Hic cervicibus vestris imminens Israelis exercitus in sinistras valdè suspiciones me adducit; vehementer enim metuo, ne vos ex improviso aggrediens, omnes interficiat in ore gladii, adeò ut nullus gentis vestræ superstes remaneat; quare solliciti estote pro vobis: *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur.* Si modum scire vultis, quo id illos facturos esse suspicor, audite: *Quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.* Quasi dicat: vestras perspicuè prævideo futuras miserias; nam Israelis exercitus vobiscum aget sicut bos, qui terræ herbas lingua sua carpit & dimetit. Quænam est hæc à lingua bovis desumpta metaphora? Cur non utitur potiùs similitudine venti, ramos arboris alicujus decutientis, ejusdemque frondes per aera dissipantis? vel fluminis alicujus, quod rapido ac præcipiti cursu suo aggeres vel litora infe-

infestans ac devorans, omnem à se terram, quæ ad impediendum illius transitum ei se opponit, procul dissipat & abjicit? vel cur non utitur similitudine lupi, qui præ nimia fame in rabiē actus agnellum dilacerat? Respondet Origenes: *Vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce, quacunque invenerit secat.* Balaam igitur Moabitas herbæ similes futuros esse dicit, quos proinde Israelitici enses, velut linguæ bovinæ depascent & demetent. Unde & Origen. prosequitur: *Ita & populus hic quasi vitulus ore & labiis pugnat, & arma habet in verbis.* Sed dices: Ergone exercitus Moysis Moabitas cum aliis armis non occidet, quàm verbis & linguis? Sic est inquit S. P. Augustinus: *Per quod indicari videtur, quia populus Dei non tam manu & armis quàm voce pugnabat & lingua.* Simili igitur ratione, Antonius prædicando adversus Moabitas hæreses foventes, & adversus peccatores nutrientes culpas & scelera pugnabat, præter linguam & verba nulla alia unquam arma adhibebat: *Ore & labiis pugnabat, & arma habebat in verbis. Non tam manu & armis quàm voce pugnabat & lingua.* Præcipuè verò id in urbe Ariminensi præstitit, ubi aconitum aliasque herbas maximè noxias & venenosas prorsus extirpavit, quando Bonivillum hæresiarcham cum universis sibi adhærentibus, qui velut noxiæ herbæ illo tempore progerminare & propagari cœperant, in ipsa, ut ajunt, viridi herba extinxit: *Versuta hæreticorum dogmata luculenter confutavit.* Quis insuper omnia alia loca & provincias recensere unquam poterit, in quibus lingua sua velut ense noxium hæreseos semen & pernitiosa odiorum zizania radicitus extirpavit? *Profligatis tetris erroribus, non pauci ad fidei integritatem sunt reducti. Odia inexplicabilia, & implacabiles inimicitias ad pacem & concordiam revocavit.* Quis unquam vidit, ô Auditores, quis unquam audivit magis peregrinas alibi factas metamorphoses? lingua vertitur in pennam vel calamum, & penna in ferrum & ensem seu falcem ad demetendas & evellendas discordias, & hæreses extirpandas?

Orig. hom. 3. in c. 22. lib. num. & hom. 11.

D. P. Aug. ser. 93. de temp. ser. 2. t. 10.

Io. de la Haye in vita S. Ant. c. 7.

Exod. c. 13. Ibid.

6. Verùm enimverò quisnam est ille qui in benedicta glorioſi Paduani lingua hæc fuit prodigia operatus? Audite prodigiorum istorum authorem ex sequenti Scripturæ loco. Statuerat Deus olim Moysen & Aaronem ad Pharaonem ablegare, ut ab eo sollicitarent populi Israelitici liberationem, ne illos deinceps sub servitutis jugo & crudeli tyrannide expressos & angariatos teneret. At verò observetis velim verba quibus eos alloquitur: *Ego ero in ore tuo, & in ore illius* q. d. Non est quod sinistrum hujus rei exitum formidetis, Ego ero in ore vestro, ego ipsemet linguæ vestræ insidebo. Cur non potiùs eis Angelum quendam assignat, qui eos instruat, atq; ad Regem illum ad hoc, ut divino præcepto non contradicat, disponendum, terminos illos plusquam Rhetoricos suggerat & subministret? Num fortè is ad hoc munus instructoris obeundum non sufficeret? Scio equidem, quod in tot aliis obviis casibus longè majoris momenti & ponderis, Angelorum operâ usus fuerit, cur nunc quoque non eorum obsequio & ministerio utitur, sed potius ipsemet utriusque linguæ dirigendæ assistere decrevit? Fortè ideò, quia ut dicit Salomon: *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Procopius opinatur, quod cum lingua Moysis balbutiens in eloquentem & facundam linguam transmutari debuerit, Deus expressè demonstrare voluerit, idipsum particulare Dei opus esse, ideoq; Angelus se huic rei ingerere noluerit: *Non Angeli, non creatura, Creatoris est novas formare linguas.* Portò linguam Antonii in pennam & ensem transmutatam fuisse clarè ex affectibus videre licet, siquidem lingua ejus nunc loquitur, nunc scribit, nūc dimicat; Modò enim Fidem prædicat, mox Christi Evangelium auditorum suorum cordibus inscribit, demùm verò ex jam sopitis & superatis discordiis palmas reportat, atque de hæresibus dissipatis gloriosè triumphat: Et quid inde aliud arguere possumus, nisi quòd Deus ipse non verò Angelus linguam ejus direxerit & gubernarit? *Non Angelus, sed ego ero in ore tuo.* O lingua benedicta quæ sedes & residentia fuisti Dei illius, quem cœlorum vastitas capere non potuit? Quid mirum; Auditores, si funesta mors pedem suum linguæ huic immittere non potuit, si illam is qui vitæ author est, inhabitavit?

Exod. 4. 15

Thom. de Trus. in vita S. Anton.

7. Etenim ab illa exclamatione quam S. Bonaventura circa hanc linguam fecit, satis perspicuè consequitur, illam plus divini in se habuisse, quàm humani. Dicit enim: O lingua benedicta quæ semper Dominum benedixisti, & cum benedicere feciſti. Portò mox ut natus est S. Joannes Baptista, decrepitus ejus Pater & Sacerdos Zacharias suppellectilem scriptoriam sibi adferri jussit, & arreptâ penna nomen quod infantulo sibi nato imponi decreverat, in chartam exaravit: *Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen ejus.* Pulchra

chra admodum & ingeniosa est observatio, quam super hoc factum sibi format Origenes. Dicit enim linguam hujus Sacerdotis antea mutam fuisse : *Eris tacens & non poteris loqui.* Mox verò ut loquelam recuperavit, lingua ejus ex humana in divinam est transmutata. *Humana esse desiit, & transiit in sortem Divinam.* Ergone sermo linguæ conditionē manifestat? (Certum id est, nam *qui de cælo loquitur, & qui de terra est, de terra loquitur.* Qualis igitur sermo Zachariæ fuit? Prima verba quæ post recuperatam fandi facultatem formavit & expressit, benedictiones fuerunt, & laudes quas Deo pronuntiavit: *Apertum est autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Lingua ejus Deum benedicit, igitur divina est, ut argumentatur Origenes: *Humana esse desinit & transiit in sortem divinam, nimirum quando loquebatur benedicens Deum.* Cùm igitur Seraphicus Bonaventura exclamet: *O lingua benedicta quæ semper Deum benedixisti*, quis negare audebit Antonii linguam Divinitatis titulum majori sibi jure vendicare, quàm linguam Zachariæ? Hæc enim semel vel bis Deum benedixisse reperitur, sacra autem Antonii lingua eum quovis tempore, omni hora & momento sine intermissione benedixit & deprædicavit : *semper Deum benedixit.* Lingua non humana sed divina, ideoq; cum S. Petro dicere possumus quòd sit *effecta divinæ consors naturæ.*

lb. n. 20.

Ibid. n. 46.

Origines hom 9. in Matt. 3.

2. Petr. cap. 1.

8. Vocavit Deus quondam Jeremiam magnum illum Prophetam eique promisit, quòd si conaretur separare pretiosum à vili, os futurus sit Dei: *Si seperaveritis pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Quidnam per hanc Prophetæ factam promissionem intelligit, quando dixit: *Quasi os meum eris.* Non videntur Expositores quoad hoc satis benè convenire. Hugo Cardinalis putat idem esse quòd *Mihi familiariter & inseparabiliter adhærebis.* S. Hieronymus, S. Theodoretus, S. Thomas & Lyranus: *Eris mihi familiarissimus.* Alii exponunt: *Quasi os meum eris, id est, dabo tibi inter Prophetas aliquid eximium, nempe ut assiduè stes ante faciem meam ego, q; te libenter aspiciam, ut quotidie donis singularibus ornem.* At vero S. Joannes Chrysostomus dicit per os Dei propriè intelligendum esse Verbum incarnatum: *Quasi os meum eris, id est, os Dei, quasi Christus & simillimus Christo, qui est os Patris & verbum Patris.* Omnia igitur hæc præmia Deus Jeremiæ concedet, si superius memorata probè executus fuerit, è quibus præcipuum est, quod os & lingua ejus in os & linguam Divinam commutabuntur : *Os Dei.* Hucusque igitur vidimus indicium qualitatis Domini: Videamus nunc quamnam Propheta ad præmium illud comparandum facere debeat industriam, cuinam præcipuè operi, hoc fine præcipuè debeat incumbere : *Si separaveris pretiosum à vili.* Fortè vult Deus ut Propheta flores separet ab urticis? Rosas à spinis? à fæcibus vinum? Triticum à palea? aurum à luto? gemmas à saxis? Rupertus Abbas Tuitiensis: *Pretiosum à vili, id est verum à falso* Quidnam, obsecro, Catholica Fide pretiosius esse potest aut verius? Lingua autem Antonii prædicationibus suis hanc separationem fecit? Igitur debebatur illi promissum Divinitatis præmium. *Quasi os meum, id est lingua Dei eris.* Lingua quæ animam in Dei æstimatione adeò pretiosam, ab hoc mundo adeò vili & abjecto separat, dicendo meritò est lingua Divina. Dicite sodes, quod fuerint inventæ animæ, quæ hac linguâ prædicante relicto mundo religioso statui, & Dei obsequio se dedicarunt? Ecce igitur illam in Dei linguam transmutatam *Quasi os meum eris.* Tot certè sunt animæ, quæ mediante sacrâ Antonii linguâ à vili statu peccati, sensualitatis, avaritiæ, superbiæ, odii, aliorumque similium malorum separatæ fuerunt, ut earum numerus penitus explicari nequeat. Sufficiat obiter insinuasse Scrivanum quendam pessimæ vitæ, corruptissimorumque morum hominem, quem pro Christi fide Martyrem effecit. Taceo pessimos illos sicarios, quos licet non minùs iniquitate quàm ferro armati essent, ad pœnitentiam reduxit. Per transeo viginti duos latrones, quos in unico duntaxat cum illis habito colloquio à latrociniis suis contraxit & convertit. Sed dicite, nunquid unicus Benevillus hæresiarcha mille aliis sceleratis æquivalet? Et tamen hic per linguam Sancti nostri adhæresin detestandam & amplectendum Evangelium permotus fuit. Unicus Ezzelinus Tyrannus Paduanus, nunquid quoad malitiam, cujus author erat, decem millibus æquiparandus erat? Et tamen hic per Antonii correctiones compunctus visus est, suspensus ad collum fune lachrymabundus & contritus ad pedes Sancti jacere prostratus. Quid igitur prohibet, quò minùs hoc Enthymema formemus: *Lingua Antonii separavit pretiosū à vili. Ergò lingua Dei est.*

Hugo Card. ibid. fol. 210. col. 4.

Sanchez apud Cornel. à Lapide ibid.

D. Chrys. or. 1. 5. contra Iudæos.

Thom. de Trus. in vita S. Anton.

9. Et quidem si consequentiam hanc nondum satis probatam esse existimetis, non ingratum vobis futurum spero, si illam alio quodam Scri-

Scripturæ loco corroboravero. Noſtis igitur Chriſtum in Evangelio ſuos interrogaſſe Apoſtolos, quidnam homines de ſua perſona arbitrentur aut ſentiant : *Quem dicunt homines eſſe filium hominis ?* Hic reſpondit : *Alii Ioannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii verò Ieremiam, aut unum ex Prophetis.* Et poſtea ſubjungit: Vos autem qualem de me conceptum efformaſtis? Quid dicitis ? quem me eſſe arbitramini. Placuit mihi à vobis explorare aliorum judicium hominum, nunc quoque curioſus & cupidus ſum inveſtigandi arbitrium veſtrum. Reſpondete: *Vos autem quem me eſſe exiſtimatis?* Verum, obſecro te, ô Domine, condona inurbanitatem meam, nam deſiderium ſciendi ad interrumpendum ſermonem tuum me urget. Peto igitur à te ô Domine, nunquid diſcipuli tui veri homines ſunt ? Quis dubitat? Jam jam interrogaſti: *Quem dicunt homines* ; quòd ſi illi quoque ſub numero hominum continentur, cur poſtea ſubdis: *vos autem &c.* quaſi ipſi inter homines cenſendi non eſſent? *An diſcipuli non erant homines?* Abulenſis punctum difficultatis hujus tangit, & reſpondet : *Ad oſtendendam dignitatem Apoſtolorum, quia illi non erant ut homines, ſed ut Dii.* Homines quidem erant, ſed Deificati. At vero in quonam Divinitas hæc ſuam habet originem? Fortè ex familiari converſatione cum Chriſto qui verus Deus erat ? Nequaquam; ſed ex ſermone quem protulerunt prædicando non tantùm humanitatem, ſed etiam Divinitatem Verbi incarnati, prævidebat enim quòd dicturi eſſent : *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, unde ſibi divinitatem compararunt: *Quia aliquid de Chriſti Divinitate ſentiebant.* Alias autem turbas *Ideo turbas vocavit homines, quia de Chriſto ſolum ſentiebant eſſe hominem.* O igitur lingua Antonii ſacratiſſima quæ Deum toties ac tam frequenter in plateis & compitis, in Cathedris, in oppidis, in Eccleſiis, in choro ac pulpitis publicè prædicaſti, laudaſti, glorificaſti, quid ni non humanitatis ſed Divinitatis titulum juſtè promeruiſſe cenſeberis? valeat ergo conſequentia hæc. *Ergo lingua Antonii lingua Dei eſt.*

Matth. 16. n. 14.

Abul. in c. 19 Matt q. 55.

Idem. ib.

10. Accidit quòd Sanctus per urbem Podienſem tranſiens obvium habuerit certum quendam Notarium, virum tum ob licentioſam vitam, tum ob inordinatam conſcientiam valde famoſum, coram quo ſervus Dei humiliatus profundam ei fecit reverentiam : Cùm autem peccator ille ab eo per contemptum ſe derideri exiſtimaret, iratus dixit ad Sanctum : *Niſi timerem iram Dei, gladio te percuterem, quòd ita me ridiculum facis.* Noli quæſo iraſci, reſpondit Antonius, nam ego te ideo veneror, quia prævideo *Præclarum te Martyrem fore*, prout ipſa poſtea factum eſt ; Nam idem abiens ad prædicandum Saracenis, *Chriſtum eſſe verum Deum & Dei filium : Mahometem autem eſſe filium Sathanæ & perditionis*, Martyrium intrepidè ſuſtinuit. Lingua Antonii futura prædicit, facta Prophetiſſa. Id quod ſcribente Iſaiâ Divinitati proprium eſt : *Annuntiare quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos:* Manifeſtum igitur eſt linguam S. Antonii quiddam Divinitatis participaſſe, ex hoc Enthymemate: Lingua Antonii *annuntiabat quæ ventura erant. Ergo lingua Dei eſt.*

Io. de la. Haye in vita S. Ant. c. 9.

Iſai. 5. 4.

11. Nulla inveniri poteſt creatura præſertim corporea, quæ in uno eodemque inſtanti in pluribus locis eſſe poſſit ; Soli enim Deo facultas hæc reſervatur, cùm enim ſit infinitus, nec tempori commenſuratus, nec loco circumſcriptus, non ſolùm ſimul & ſemel pluribus locis & ubique operationum ſuarum efficacia adeſt ; verùm etiam nullus eſt locus vel ſpatium, quod eſſe ſuo non adimpleat. Optimè idipſum Propheta cognovit, dum ait : *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* Verùm enimverò lingua Antonii in hac particulari conditione quiddam Divinitatis ſuo modo participare videtur, nam ſæpius in uno eodemque temporis puncto in pluribus diſtinctis, & procul diſtantibus locis deprehenſus eſt fuiſſe operatus, ſic namque in monte Peſſulano ſimul & ſemel uno eodemque tempore, auditus eſt in pulpito prædicans, & in choro Conventus ſui cum fratribus Pſalmos decantans : *Eodem tempore & lectionem in choro fratrum viſus eſt legere, & in primario tempore Concionem habere. Ergo lingua Antonii lingua Dei eſt.*

Pſ. 138.

Io. de la. Haye in vita ejus c. 16. & Laur. Sur ibid. Thom. de Trus. in vita ejus.

12. Gregorius IX. Summus Pontifex Concionem Sancti noſtri auſcultans, tum ob dicendi facundiam, tum ob doctrinarum ſuarum diſpoſitionem, tum denique propter exactiſſimam ſcripturarum notitiam adeò vehementi admiratione affectus fuit, ut eum Arcam appellârit Teſtamenti: At meritò quidem : *Quia quemadmodum ex arca cœleſtia dabantur oracula, ita Antonii lingua Divina mentis aperiebat arcana.* In arca lex recondita erat : Lex quoque erat ſacrata Antonii lingua. Nam ſi, Lex *jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria.*

Franc. Mendoz. in virid. n. 148.

Cic. lib. 1. de legib.

Hæc quoque commendat bona, mala verò detestatur: exhortatur ad virtutes, & vitia prohibet. Lex Dei divina imponebat præcepta: Antonii lingua superna publicabat mandata. De lege Demosthenes scribit: *Vt corpus animâ carens cadit, sic civitas nullis administrata legibus everti tur.* Quot enim animæ in æternam fuissent pernitiem præcipitatæ, nisi ab hac lingua regulatæ fuissent? In area virga collocata erat: Virga quoque Antonii lingua fuit; sicut enim virga Moysis petram percutiens aquas desideratas extraxit; ita quoque lingua Antonii ex lapideis peccatorum cordibus abundantiam elicuit lachrymarum. Sicut virga uti Ephrem Syrus scribit: *Confudit omnes incantatores, & reliquos maleficos Ægypti*; ita lingua Antonii peccatores confudit & convertit hæreticos. In Arca Manna conservabatur: Manna quoque erat lingua Antonii; Nam sicut Manna omnium gustui conformabatur, ita hujus linguæ sermones, & exhortationes, uniuscujusque Provinciæ accommodabatur auditui, quando nimirum Summi Pontificis jussu Romæ variarum nationum peregrinis prædicans, *singuli planè intelligebant idioma nationis suæ in quo & nati & educati fuerant.* Unum Manna omnes edebat sapores, una lingua omnia mundi idiomata pronuntiabat. Quòd si igitur S. Antonius per Diploma Gregorianum declaratus est esse Arca Testamenti, pariter linguam suam legem, virgam, Manna. Denique linguæ filii Dei legem Evangelicam instituentis & promulgantis similem fuisse concludere oportebit; quasi virga lingua eadem operata est prodigia revocando defunctos de morte ad vitam, & quasi manna cœleste satiando mentes, auscultantiumque famem verbi cœlestis & Divini pane pascendo. *Ergo lingua Antonii lingua Dei est.*

Demost. apud Max. ser. 58.

D. Ephrè.

Io. de la Haye in vita ejus c. 15. & Thom. de Trus in vita ejus.

13. Etenim lingua Sancti nostri in hoc solum Christi linguæ dissimilis nonnullis videri posset, scil. quod in maris vasto theatro nulla operatus fuerit miracula, sicut Christus quando tempestates sedavit: *Facta est tranquillitas magna in mari*, aut quando undarum instabilitatem per plantas Petri & proprias stabilem reddidit: *venit ad eos ambulans super mare*; quæ omnia dignoscuntur fuisse effectus à Redemptoris nostri lingua producti. Verum decipiuntur quotquot hanc opinionem imbiberunt. Audite igitur. Antonius firmato pede in maris Adriatici littore cunctos ad se pisces advocat, etiam illos qui Adriatici maris littora legere non solebant, peregrinos pisces; qui omnes ad eum auscultandum eique obediendum promptissimi accurrerunt. Quibus omnibus Antonius velut si rationis compotes fuissent, concionari cœpit, & dicere. Accedite ô creaturæ Dei, & nolite quicquam timere nec escarum fraudes, nec retium insidias, nam Verbum Dei, quale est quod ego vobis sum prædicaturus, non auffert nec eripit vitam, sed eandem potius dat & prolongat. Præterquam Deus vobis donaverit hoc, quod est. Esse vivens, insuper nobilis hujus elementi habitationem pro vestra securitate vobis assignavit, in quo securi prorsus degitis à terræ incendiis, à turbulentiis aëris, nec non & à cæli fulminibus. Pascuorum vobis abundantia non deest, & omnimoda fruimini libertate. Vastum quoque est quod in alto mari obtinetis dominium; quod si vos alii offendere quærant, alis præditi estis ad fugiendum, atque ad abscondendum vos loca refugii. Quapropter *Laudate Deum, & benedicite eum in æternum.* Mementote quod tempore vindictæ Divinæ à cæli suppliciis exempti fueritis, & veluti salvum quendam conductum in diluvio universali habueritis: non autem sic Creaturæ aliæ, quæ velut à calamitatum exercitibus obsessæ inter medias tempestates miserabiliter & infeliciter naufragantes, inter mortis horrores vitam suam perdiderunt. Ac proinde vos qui permansistis illæsi *Laudate Deum, & benedicite eum in æternum.* Vobiscum ô Balenæ & Cete grandia loquor, qui montes in mari formatis, & in squamosa gente Gygantes estis; nulla ad vos capiendos inveniri retia possunt, ac proinde eo modo in mari degitis, sicut magnates in terra; Nullus est qui vobis legem præscribat, aut vos non formidet; Nullus Dominium quod in mari obtinetis impugnat, nec est qui vestra in mari itinera intercipiat, aut impediat, ipsumque mare gratulari sibi videtur, quod immensam molem vestram in sinus sui amplitudine hospitio excipiat. *Laudate Deum, & benedicite eum in æternum.* Vos ô Delphini, qui ex instinctu naturali humanum idioma intelligitis, inter alios Oceani habitatores adeo veloces estis, ut nullus qui vos in motu assequatur inveniri possit. Vos Astrologi estis, qui impetuosas, aquilonarium ventorum violentias prævidetis, vestra tripudia tempestatum maritimarum certissima sunt prognostica: caretis omni felle, quod choleram in vobis accendat, ideoque naturaliter placidi estis atque mansueti, nec anni vitæ vestræ brevitatem ali-

Matth 8. 27. Luc. 8. 25. Marc. 6. 49.

quam

quam recognoscunt; atque ideo *Laudate Deum, & benedicite eum in aternum.* Magnum quoque est quod vos ô Murenæ possidetis privilegium, qui cum venenosissimis serpentibus amnistiam inistis, ideoque ab illo nequaquam contaminamini; vestra in pariendo quovis mense fœcunditas, à quovis alio piscium genere magnam pateretur invidiam, si ad illam cognoscendam capacia essent. Non habetis in specie vestra masculos, qui vobis prædominentur, Domini estis & vestri ipsiusmet gubernatores. Una spina dorsi, cultri loco vobis servit, quo filum insidiosam escam portans à vobis præscinditur. *Laudate* igitur *Deum, & benedicite eum in aternum.* Vos quoque Polypi, sive Polypedes, ad pedum vestratum multitudinem reflectionem facite, quos natura vobis addidit; ut per molles & liquidos Oceani campos libere oberrare possitis; hanc vobis Deus donavit prærogativam, ut si escam hami prædati hamo vicissim cedatis in prædam, facile vos ab ejus aculeo liberare valeatis. Adhæc ut securi esse possitis, ne undatum procellæ in arenam vos projicientes, in atida piscatoribus in prædam relinquant; natura provida mater vos scopulis occurrentibus ut affigatis sollicitè vos edocuit, donec tempestas in tranquillitatem commutetur; & tametsi vobis Carabi insidientur, nunquam tamen inter vos prælium committitur, in quo victores non evadatis. Atque ideo *Laudate Deum, & benedicite eum in aternum.* Hic quoque adeste Barbatuli Mulluli, qui gustum delicatissimum submnistratis hominibus, neque vescimini cibis vulgaribus & grossis, sed perfectissimis corallis in profundiori maris sinu enascentibus. *Laudate Deum, & benedicite eum in aternum.* Carpiones item quibus terra & aqua mensas præparant. *Laudate Deum, & benedicite eum in aternum.* Sepiæ quæ aquas sanguinis vestri atramento turbatis, ne à piscatoribus investigati aut inveniri valeatis. *Laudate Deum, & benedicite eum in aternum.* Ostrea denique rudi & scabrosa cortice armata, locustæ impenetrabili amictu vestitæ; Testudines quoque quæ amplam habetis domum vestram in dorsis vestris circumferendi facultatem, *Laudate Deum, & benedicite eum in aternum.* Tandem verò discursu suo, quem ad congregatos pisces habuerat, hunc in modum terminato, pisces qui muti sunt, caput suum inclinantes affirmativ m dedere signum, quo se divinæ huic linguæ | omptè parituros esse contestabantur, ac tandem undis sese denuo immergentes cum gaudio & lætitia disparuerunt. Adhæc sicut mare præceptis à lingua Christi enunciatis contradicere non potuit, ita quoque ipsummet mare, linguæ D. Antonii, haud secus ac si divina fuisset, sese obsequiosum exhibuit, efficiendo ut numerosa piscium familia, ad Sanctum in littore stantem accurrat, eundemque attenta aure auscultet.

14. O quot sunt hujus linguæ prodigia, quæ divinarum benedictionum egregium fuit instrumentum! *O lingua benedicta* (exclamavit olim Seraphicus Bonaventura) *qua semper Dominum benedixisti, & alios benedicere fecisti, nunc apparet quanti meriti fuisti.* Quod si sancto hoc viro apertis campis prædicante Dæmon per excitatam horrendam ventorum, aquarum, grandinum, tonitruorum & fulminum tempestatem efficere nequit, ut vel una pluviæ imbricosæ aut grandinis stilla super auditores magno numero circumstantes decidat, idipsum linguæ adscribatur Antonii, *Qua semper Dominum benedixit* Quodsi ad instar linguæ magni Eliæ (de qua Chrysostomus serm. 2. de Helia dicit: *Clavis cæli fuit lingua Elia, jubet enim & clauditur cælum; erat postmodum & aperitur*) in territorio Paduano Cæli prout prostulaverit necessitas clausi, pluvias prohibere videantur: mox vero aperti in commodum agrorum salutares aquas videantur diffundere. Id totum adscribatur linguæ Antonii: *Qua semper Dominum benedixit.* Quod si à Canonicis Lateranensibus ad gloriosa Francisci vexilla transiens à quodam hisce verbis illusus: Abi, abi quia sanctus eris: ipse modeste respondit; Quod si hoc unquam audieris, *Dabis gloriam Deo*, prout tempus & experientia deinceps monstravit; adscribendum hoc est linguæ Antonii: *Qua semper Dominum benedixit.* Quod si Antonius gloriosum Doctorem S. Thomam de Aquino, qui per longam stellarum observationem ensem fabricavit Philosophicum talis temperaturæ, ut incudem quandam in duas potuerit diffindere; si inquam hunc Doctorum Angelum secutus ferrea petulantium & facinorosorum peccatorum corda emollivit, eadem ad veræ perfectæque contritionis actus reducendo; tribuatur id totum linguæ Antonii, *Qua semper Dominum benedixit.* Quod si mulier quædam in Franciæ regno Verbum Dei à S. Antonio prædicatum audiendi percupida & ab hoc pio opere repugnante marito impedita, in sublimiorem domus suæ locum ascendens, *Thom. de Trus. in vita ejus.* *Claud. Parad. l. de symb.*

Concionem Sancti distincte audivit, & perfecte intellexit, licet à Sancto esset duorum milliarium spatio remota: *Cum ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri Dei prædicantis audivit.* Id linguæ Antonii tribuatur, *Quæ semper Dominum benedixit.* Denique tot ab hac lingua patrata fuere divina prodigia, ut meritò dici hæc lingua possit consors facta omnipotentiæ divinæ.

de symb. Heroicis f. 62. apud Ant. Ricciar. in Com. symbol.

15. Sanctus Pater Augustinus de Benignitate Dei nostri loquens, Deum breve aliquod medium viamque compendiosam adinvenisse dicit, qua nobis suam participare Divinitatem posset: *Beatus & beatificatus Deus præbuit compendium participandæ Divinitatis suæ.* O felices nos, si viam hanc ad finem adeo glorioſum & dignum consequendum valde oportunam assequi possemus. Videamus igitur, num fortasse in Scriptura sacra aliquod invenire possimus ejus indicium. Et quidem ni fallor tale quid in exodo nobis occurrit; Ibi namque legitur, quod cum Deus firmiter statuisset, ut Moyses cum Pharaone locuturus eundem convenirent: *Loquere ad Pharaonem Regem Ægypti omnia quæ loquor tibi*, is se excusaverit dicendo, se ad id muneris ineptum esse, siquidem ad hoc ut quis adeo magno & præpotenti Monarchæ loqui ausit, requiratur, ut sit orator aliquis magnæ qualitatis & experientiæ, ejusmodi autem conditiones in se minime se recognoscere, cum sit lingua balbus & blæsus: *En incircumcisis labiis ego sum, quomodo audiet me Pharao?* Itane? inquit Deus, adeone humiliter de persona tua sentis? Ita vilem te æstimas? Ex nunc Divinitatis meæ nomen meteris: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Estne possibile quod per unam humilitatis tanta obtineatur excellentia? seu quod viro adeo humili Divinitas attribuatur? Imo vero, hic est stylus Dei ordinarius; neque enim est oportunius & efficacius medium, nec via securior aut compendiosior ad impetrandum à Deo nescio quam Divinitatis participationem, quam humiliationis actus exercere. Idipsum S. P. Augustinus inferre volebat, quando ait: *Deus præbuit compendium participandæ Divinitatis suæ.* Ita Rupertus Abbas Tuitiensis hunc Scripturæ locum exponit: *Quoniam cum Pharaone dimicare & cum Regibus confligere te indignum dicis, atque hoc modo usque ad novissima terra te deprimis: Ecce ego suscitabam te super altitudinem nubium, faciamque te Deum.* Portò glorioſus Sanctus noster iter aliquando faciens vesperi in monasterium quoddam alienæ Religionis divertit, ejusdemque Patres pro exhibendo sibi hospitalitatis & charitatis obsequio imploravit, quod & promptis animis ab eis actutum præstitum fuit. Religiosi autem illi ex aspectu, incessu, moribus & loquendi modestia satis adverterunt, ipsum non vulgarem quendam virum, sed virtutibus præstantissime ornatum esse, eundem ut spirituali quodam sermone coram illis habito communitatem seu familiam ipsorum dignari vellet, instantissime rogarunt. Quid hic facies ô sancta & facunda Antonii lingua. Patres isti religiosum istud à te præstolantur obsequium, ut ex tua facundia & spiritus, qui te inhabitat, abundantia consolationem aliquam hauriant. Ad quid igitur te resolves? Devotæ ipsorum petitioni non condescendere, inexcusabilis erit inurbanitatis tuæ actus, utpote qui se tibi tanto cum affectu exhibuere benevolos & charitativos. Audite igitur, Auditores, qualem tandem resolutionem benedicta hæc lingua cœperit. Non sum, inquit, ejus qualitatis, & eruditionis, cujus me esse existimatis. Idiota sum, & linguam habeo simili exercitio prorsus inhabilem. Sum omnium fratrum Religionis meæ facile infimus; ac proinde non studui, quin potius ob inidoneitatem & incapacitatem meam, superiores nostri officiis vilioribus magisque domesticis Monasterii me applicuerunt. *Dixit, quod in monasterio occupatus semper extitit in lavandis quadris & scyphis, atque in verrendo cœnobio potius quam in literarum studiis.* Faciamus itaque hoc loco aliquam inter Antonii & Moysis linguam comparationem. Moyses Pharaonem alloqui renuit, quia verè & realiter in lingua sua patiebatur defectum. *Et incircumcisus labiis ego sum.* Lingua autem Antonii docta, facunda, & eloquens erat, & tamen ad loquendum seu exhortandum se ignorantem profitebatur & inidoneum. Responsio quam Moyses Deo dedit, veritatis actus fuit, quod verò Antonius respondit, humilitatis effectus extitit. Moyses per veritatis expositionem loquendi defectum manifestavit, Antonius autem sub specie ignorantiæ virtutem humilitatis abscondit. Denique Antonius ut humilem se demonstraret, vilis æstimari voluit & ignorans. Unde si vera est illa Gregorii magni sententia: *Humiles dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt.* Lingua Antonii incomparabiliter plus

Ibidem.

Exod. 6. 30.

Exod. 7. 5.

Lib. 1. Cod. 26.

Thom. de Trus in vita S. Ant.

D. Greg. in Past. t. 1. f. 872. & vide in

præ

Indice verbo humilis.

præ lingua Moysis se humiliavit, quis igitur Divinitatis participationem ei denegabit. Verum eheu quam differentem linguam meam invenio à lingua glorioſiſſimi Patris Antonii. Hæc enim eloquens erat & indefeſſa, mea autem utpote ex ſermonis prolixitate delaſſata & fatigata ad ulterius dicendum idoneam ſe & inhabilem declarat. Unde de bonitate veſtra futurum ſpero, ut mihi modici temporis ſpatio reſpirandi facultas concedatur.

PARS SECUNDA.

16. HUcuſque de lingua Antonii egimus quoad eſſe & operari illius temporis, qui vivus erat; ſupereſt ut etiam ad eandem quoad tempus mortem conſequens reflectionem faciamus. In qua quidem prodigium quoddam obſervo per tot annorum centurias obſervatum, quod certe toti mundo ingentem ſtuporem conciliat; ſcilicet quod in hodiernum uſque diem illæſa, intacta & incorrupta ſervetur, haud ſecus ac ſi viva eſſet. Tempus omnia devorans atque paulatim conſumens, nullos ad damnum aliquod illi adferendum dentes habet. Mors quæ omnia diſperdit, ad eam incinerandam vires non habet. At verò videamus obſecro, an hujus incorruptibilitatis, aliquas penetrare cauſas valeamus. Et quidem inprimis reperio, quod Cor Germanici in mediis flammis poſitum comburi non potuerit, obſtante potentiſſimo quodam veneno quo erat infectum: Lingua Antonii nullo quodam fuit toxico aut veneno imbuta, ſed ſuaviſſimo halitu, qui ex dulciſſimi pueruli Jeſu, quando illum intra ejus brachiorum amplexus conſtringebatur, infantilibus blanditiis demulcebat, exſpirabatur, condita fuit, atque ideo intacta & incorrupta conſervatur. Lingua Antonii è diametro oppoſita fuit linguis animalis illius, quod in Hiſpaniarum Provinciis invenitur, & Xiphia appellatur, quod linguam habet adeo duram, ut quod alia animalia dentibus faciunt, ab eo per linguam fiat: at verò ubi animal idem mortuum fuerit, quavis cera aut herba eadem lingua mollior & fragilior efficitur; de qua proinde Opianus ſcripſit:

Paul. Areſ in Con. S. Ant. de Padua.

Opian. apud eundem ibid.

Verum Xiphiam quidem ubi reliquerit ſpiritus
Statim ipſi etiam ille commoritur validus gladius
Ipſoque arma cum Domino extinguitur & reliquitur
Os imbelle.

Lingua autem Antonii qualis in vita fuit, talis quoque in morte perſeverat, nunquam à ſemetipſa variat, nunquam putreſcit, ſed vita ſemper perſeverat. Corruptibilitas & mors effectus ſunt peccati: *In pulverem reverteris: Et per peccatum mors.* Et ſicut Theologi docent: *Corruptio infligitur à Deo per peccatum.* Ubi igitur effectus non deprehenditur, cauſa quoque non reperitur. Cum igitur lingua Antonii incorruptibilis ſit & immortalis, ſignum valde manifeſtum, quod nulla prorſus culpa fuerit contaminatus. S. P. Auguſtinus in ea eſt opinione, quod ſi Adamus divinum non fuiſſet tranſgreſſus præceptum, ſuamque innocentiam conſervaſſet, immortalis futurus fuiſſet: *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipſe ſibi author eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.* Et S. Thomas de Aquino: *Inerat anima vis quædam ſupernaturaliter divinitus data per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare.* Argumentemur igitur nunc *ab effectu ad cauſam*, ſcilicet: Quod cum videamus linguam Antonii inalterabilem præſervari & incorruptibilem, credamus neceſſum ſit, ipſum Innocentiæ ſtatum perpetuo conſervaſſe, nullumque ab eadem ſancta lingua verbum iniquum emanaſſe, quod vel venialiter divinis præjudicare præceptis potuiſſet.

Gen. 3. 20. ad hom. 5. 12. Franc. Mendoza in virid. l. 6. cra. 11. D. P. Aug. Lib. 1. de Quæſt. nov. & vet. Teſt. D. Th. P. 1 q. 97. a. 2. in Corp.

17. Mira profecto res eſt, quod Dæmon Job invictum illum patientem à pedibus ad verticem uſque toraliter putredine cooperire potuerit: *Percuſſit Iob ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem capitis.* Job. 27. Lingua tamen ſua intacta permanente: *Derelicta ſunt tantummodo labia*; Job. 9. 20. vel ut alii legunt: *Lingua circa dentes meos.* Et quidem nonnulli illud ſingulare quoddam Diabolici ſpiritus ſtratagema fuiſſe opinantur, eo collimantis, ut nimirum per linguam occaſionem præſentaneam haberet offendendi Divinam Majeſtatem. Alii autem exiſtimant, Dæmonem linguæ nullum conciliare nocumentum, aut eam contaminare potuiſſe, eo quod fuerit inſtrumentum earum benedictionum, quas Deo quotidie pronuntiabat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Job. 1. 21. Cur igitur glorioſi ſancti noſtri lingua Deum continuò benedixerit, & ab aliis bene-

dici curarit: *Lingua benedicta, quæ semper Dominum benedixisti, & alios benedicere fecisti*, inquit Seraphicus Bonaventura: consequenter non minus quam lingua patientis Jobi ab omni debebat putredine illæsa & intacta conservari, affirmante S. P. August in Job: *Lingua quæ Deum maledicit, semper minuitur, quæ Deum benedicit, semper augetur.*

18. Osvvaldus Britanniæ Rex erga pauperes & inopes summe fuit beneficus & charitativus; nam *Quotidie ad se in atrium miserorum confluentiam alere solitus erat.* Accidit autem quod die quodam cum egenorum multitudo eleemosynarum copiam superaret, & dispensator idipsum Regi una cum Adriano Episcopo Lindesfarnensi mensæ accumbenti referret, & ex dicto dispensatori præceperit, ut omnes epulas quibus mensa regia accumulata erat, pauperibus mendicis dispensaret una cum patinis argenteis & aureis, in quibus ad mensam illatæ fuerant; eaque omnia propria detenta regia è mensa sublata ministris suis consignarit. Tunc Prælatus assidens manui illi benedixit, eamque osculatus est dicens: *Nunquam inveteresçat hæc manus.* Ex quo factum est, quod post longam annorum mortem ejus subsequentium seriem manus illa in sepulchro incorrupta & veluti etiamnum viva fuerit inventa, *Hinc ajunt adhuc integram in monumento illibatamque ostendi.* Porro id quod manus Regis hujus erga pauperes & egenos præstabat per cibum corporalem, idemmet Antonii lingua per verbi divini cibum spiritualem erga miseras animas peccatrices operabatur, neque enim vel unus elabebatur dies, quo eas sua prædicatione non pasceret. Ac proinde majori eum jure quam regia Osvvaldi manus immortalitatis præmio donati meretur: *Nunquam inveteraşcat Antonii lingua.*

Io. Bapt. Fulg l. 4. & Andr. Ebor. de liberalib.

19. Cælum est inalterabile & incorruptibilis temperaturæ, idque quia ut Philosophi docent: *Non habet annexam privationem*, quæ principium est incorruptibilitatis. In lingua Sancti nostri nunquam deprehensa fuit privatio divinæ gratiæ, quæ principium est spiritualis vitæ, cui proinde *Vivere visa est & spirare.* Porro David de lingua sua loquens inquit: *Exultavit lingua mea.* Psal. 13. Ubi Hebræus legit *Cabod*, quod *gloria* significat, Et S. Hieronymus legit, prout etiam in Græco *Gloria mea.* Lingua gloriosa, quia Deum glorificabat: *Quia instrumentum est gloriæ divinæ.* Quasi verò lingua Deum glorificans & gloria, unum prorsus sint & idem: *Quod in Hebræo est gloria, Græcus reddidit lingua.* Etenim sacra Antonii lingua ob laudes quas Deo quotidie persolvebat, procul omni dubio dici debet gloriosa; cumque corporea sit, corpus glorioſum appellari poterit. Ex quatuor autem gloriosorum corporum dotibus una est impassibilitas, ac proinde cum lingua Sancti nostri ob celebratas continuas Altissimo laudes gloriosa fuerit, decens quoque erat, ut nullis mortis & passibilitas subjaceret ictibus: *Vivere visa est & spirare.* Ægyptii olim in more positum habebant, quod nullam præter solam Persicum inter omnes arbores Diis suis offerrent, cujus ratio est, ut opinatur Plutarchus, quia folia arboris istius linguæ similima sunt. *Lingua folium æmulatur.* Porro si ita est, quod homines sint dicendi arbores, prouti Propheta regius, & cæcus à Christo illuminatus clare edixerunt, Antonius haud dubie Persicus fuit, quia linguam suam & in vita & in morte Deo consecravit, ac proinde tanquam quid Divinum, putrefactio eam involare, nec mors aliquam in eam jurisdictionem prætendere præsumpsit: *Vivere visa est & spirare.* Berosio, qui apud Athenienses perfectissimus erat Astrologus; statura quædam in Scholis erecta erat, cujus linguam deaurabant: *Astrologiæ peritus Berosus, cui ob divinas prædictiones Athenienses publice in Gymnasio statuam inauratam lingua statuere.* Cum igitur lingua Sancti nostri eventus futuros toties & tanta cum certitudine prædixerit, juste titulum hunc merebatur tum in Scholis, tum in sacris Urbis Paduanæ templis, honorem recipere, ut immortalitatis auro deauraretur: *Vivere visa est & spirare.* In Indiis Orientalibus nonnullæ reperiuntur aves, quæ cum ex arborum aromaticarum fructibus, nimirum cynnamomo & aliis similibus sese sustentent, tam diuturno tempore vivunt, ut de incorruptibilitatis dono participare videantur: *In India Orientali aves sunt, quæ sustentantur Cynnamomo & aromaticis alimentis, carnem habent fere incorruptibilem.* Ac proinde quia magni servi Dei lingua vix alia re pascebatur præterquam jejuniis, orationibus, prædicationibus, laudibus & benedictionibus divinis, cur non debuisset dono perfrui incorruptibilitatis. *Vivere visa est & spirare.*

Balthas. Paes. in Epist. D. Iacobi c. 1. §. 1.

Lib. de Iride & Osiride. Psal. 1. Ioan. 9.

Plin. l. 7. cap. 37.

Ioan. de Carthag. t. 1. lib. 9. hor. 12.

1. Cæli Com. 15.

20. Ecquænam ulterius de hoc glorioso Sancto expectati prodigia poterunt? Legite vi-

tam

tam ejus (inquit S. Bonaventura) & certe jam dictis longe majora invenietis : *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Mirabilis enim fuit in sanitate restituenda illis infirmis, quorum salutem Medici desperantes, eosdem in discretione mortis repositos velut incurabiles dereliquerunt : *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Quod si Vercellensis Episcopus gravi quadam indispositione oppressus languet, & moribundus spem suam in nulla re alia, quæ eum è tantis subtrahere calamitatibus possit, præterquam in morte repositam habet, Antonius tamen dextram suam tandem extendens efficit, ut tangere & sanare simul & semel in unico temporis momento accidant. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* In urbe Patavina mulier quædam erat adeo incurvata, ut fronte sua terram quasi contingere videretur, quæ tamen per Antonii efficaces intercessiones staturæ perfectionem subito recuperat. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Nullum repetiebatur remedium pedem quendam paulo ante à tibia per securis ictum totaliter præcisum uniendi : Antonius autem signo Crucis desuper formato illum denuo simul reconjungit, idque adeo perfectè, ut sine ullo potuerit impedimento ambulare. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Multi ex maritimis tempestatibus in mortis voragines inter dehiscentium undarum naufragia redacti sunt, qui tamen S. Antonii auxilium & patrocinium invocantes, deportati sunt ex improvisio ad littus & portum. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Ad ostendendam Doctrinæ Evangelicæ veritatem, qua dicitur : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum,* Matth. 6. mortui cujusdam avari pectus aperiri fecit, quod exeors esse ostendens, tandem cor viri illius in armario inter monetas repositum exhibuit : *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Ut Hæreticum quendam realem Christi in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam credere renuentem confunderet, famelicum asinum quendam ad pabulum quoddam, cui superimpositum erat sanctissimum mysterium, adduxit, qui mox coram Christo Sacramentato genuflexus sese pronum prostravit. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Alius quidam hæreticus patratis in virtute fidei miraculis fidem adhibere obstinatus renuit, quem ut Antonius ad credendum permoveat, vitrum ex ingenti quadam altitudine supra petram quandam sine ulla confractione aut læsione cadere permisit *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Vitis quædam quæ ob humoris radicalis defectum exaruerat, cadentibus pampinis ad uvas ferendas inhabilis facta erat, nec ad aliud quam ad ignem fovendum serviebat, quæ tamen à viro Dei vitoti, vigori, & vitæ pristinæ mox restituta fuit. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Nonnulli S. Antonium ob virginitatem Lilio comparatunt : Filius autem Dei velut Apis argumentosa Paradisi sub forma parvuli infantuli abblandiens eum frequenter amplexabatur, quasi favi dulcedinem in brachiis suis delibaturus. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Angeli veluti cursores & nuntii Antonio deserviunt, ejusque literas & nuntia summa cum velocitate ad diversa loca deportant. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Ad Patrem suum à falsis calumniis liberaturus uno die Padua Ulyssiponem proficiscitur, altera verò rebus suis expeditis Ulyssipone Paduam revertitur. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Magno Dei servo Paduæ moriente, eodemmet die Ulyssipone omnes urbis campanæ sine ullius ope à seipsis, & sponte propria sonuere, omnesque infantes pueri una voce exclamantes : Mortuus est Sanctus. *Si vitam Antonii legeris, reperies mirabilia.* Quod si denique aures vestras longo hoc & rudi ac indocto discursu meo non offenderim, nec vestram humanitatem tædio aliquo affecerim, annumerandum id est inter vera à S. Antonio patrata miracula.

* * *

SERMO

SERMO DECIMUS SEXTUS.

IN FESTO NATIVITATIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Quis putas puer iste erit?

1. DIfficulter duo homines inveniri poterunt, qui quoad staturam, vultum, loquelam, mores, indolem animique inclinationem per omnia sibi similes existant. Nam quia *Similitudo est convenientia in forma*, quæ ut Aristoteles scribit, in qualitativa uniformitate consistit: *Similia ea sunt, quorum est qualitas una*, sequitur manifestè quod homines potius inter se differentes sint, quam scilicet, ut proinde Poëta observaverit, quod

D. Th. 1. p. q. 3. a. 3. Cajet. ib. Arist. apud Iul. Solin. c. 5.

Ovid.

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ.

Veruntamen quia rei difficultas ejusdem possibilitatem minime tollit, similitudo hominum inter se absolute negari non debebit. Nam cum creaturæ licet *in infinitum à Deo* distent, eidem tamen similes existant. *Non secundùm eandem rationem specificam aut genericam, sed secundùm aliqualem analogiam*; ut habemus in Genesi: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, Gen. 2. Vel ut dicit S. Joannes Evangelista: *Cum apparuerit similes ei erimus*; Joan. c. 3. Longe magis inter homines qui *Sunt ejusdem ordinis, rationis & speciei*, similitudo aliqua inveniri poterit. Quod tametsi ratione sufficiente persuaderi non posset, ad id tamen ostendendum sequentes experientiæ servire possunt, à variis Historiis adductæ. Et quidem inprimis Aristodemus Rex ab Ægina Conjuge sua duos filios habuit, quorum unus Euristhenes, alter verò Proclesappellabatur, qui adeò sibi mutuo similes erant, ut cum Lacedæmones Rege mortuo, conformiter legum suarum dictamini primogenitum ejus in successorem

D. Th. & Cajet. ubi supra.

eligere & coronare vellent, eum à secundogenito distinguere nequaquam potuerint. *Nesciebant utrum puerorum eligerent, cum essent similes.* Herod. in Erato l. 6.

Sic quoque Antiocho Syriæ Rege occiso, Laodices Conjux ejus Artemonem in suum consortem & Regem sibi copulavit, eo præcipue ducta motivo, quod Antiocho Regi simillimus esset. *Antiocho Regi Syriæ Artemon in tantùm similis fuit, ut Laodice conjux regia necato jam Antiocho eum in Regni successorem elegerit.* Plin l. 7. c. 12. Certus quidam Babitta Messenius, vir humilis conditionis, quoad vultus lineamenta, & mores agendi, in nullo prorsus à Dorimacho differebat, de quò Polybius libro 4. Histor. scripsit: *Vultu & omnibus corporis lineamentis, voce denique ipsa tam similis fuit, ut si quis ei capitis ornamentum, chlamydemque illius addidisset, haud facile fuisset uter eorum esset, discernere.* Turanius Magnus duos pulchertimi aspectus juvenes M. Antonio Triumviro ducentis sestertiis vendidit, quorum unus Asiaticus, alter vero Germanus erat, eique ambos illos germanos fratres esse persuadebat: *Quod in omnibus simillimi erant.* Cumque empror adversus factam sibi fraudem & fucum vehementer exciperet, hac se Turanius argutia defendit, dicens: *Ob id se tanti pueros vendidisse, quod cum tam diversis inter se regionibus ortiessent, magis mira similitudo fuerit, qua minus gratia haberet, si inter fratres similitudo inventa esset.* Memorant quoque historiæ, omnibus visum fuisse Vibium & Publicium, duas veras esse Pompeii Magni effigies, adeo ut *Permutato statu, & Pompejus in illis, & illi in Pompejo salutari possent.* De Hibræa quoque Milasio oratore famosissimo scribunt, eum in faciei lineamentis, & in reliqua corporis statura

Io. Bapt. Fulg. l. 9. c. 15.

Val. M. l. 9. c. 15.

adeo

adeò exacte certi cujusdam Cynnicorũ servi effigiei, & corporis proportioni correspondisse, ut hunc tota Asia germanum ejus fratrem fuisse existimarit: *Tam similem servat, ut tanquam germanorum fratrem totius Asiæ oculi assignarent.* Item ib. In Theat. vitæ hum. l. 17. de forma simil.

Augusti Imperatoris temporibus juvenis quidam Romam venit, ab ipsomet Imperatore, tam in vultus effigie, quàm in statura, & reliqui corporis dispositione nequicquam differens fuit: *Forma corporis tam similis Augusto, ut omnem populum spectaculi admiratione suspenderet.* Sic quoque servus quidam, cui nomen Clemens erat, *quantum ad lineamenta attinet, planè erat persimilis Agrippæ*, unde ut pecunias sibi congregaret, in multis casibus, Agrippam se esse jactitabat, & veluti talis passim ab omnibus esse credebatur. Sporus quoque Neronis servus *fuit simillimus Sabinæ formosissimæ fœminæ ab Imp adamatæ.* Dion in Tiberio. Zephil in Nerone.

Richardus Britanniæ Rex sub Henrico IV. carceri mancipatus erat, quando Comes Salisburgensis Musicum quendam Regi in facie simillimum, chlamyde Regia induit, hunc que Richardum qui è carcere fugerat, esse dicens, multorum Dominorum sibi fidem conciliavit, qui eum velut Regem suum sunt consectati. Cùm Justiniano Imperatore gubernante Childibius, qui pro Romanis præturam in Thracia administrabat, in bello occubuisset, accidit quod in Sclavonia alius quidam ejusdem nominis, aspectus, lineamentorum per etrorem apprælicensus, & velut mancipium à quodam, qui firmiter se prædictum Prætorem coëmisse credebat, fuerit coemptus. Plurium ejuscemodi similium longam possem seriem adducere, sed hactenus adducta pro mille aliis quæ adduci possunt sufficiant. Verum enimvero inter omnia quæ hactenus sibi invicem assimulari visa sunt, inter nullos tam conspicua similitudo hactenus visa fuit, quàm inter duas illas personas, earum quæ carne unquam amictæ fuere dignissimas & præstantissimas, nimirum inter Christum verum Dei Filium & Redemptorem nostrum, & Joannem Baptistam. Unde si quis sanctissimo hoc puero nascente ex me quæsisset: *Quis putas puer iste erit?* Luc cap. 1. utique respondurus fuissem. Puer iste nativitate, & in vita Redemptori mundi hujus simillimus erit; Id quod præsenti discursu latius explicabo, vos inter memores estote, quod in hoc Evangelio de loquente pariter & tacente tractetur: De tacente quidem hisce verbis: *Eris tacens & non poteris loqui*: Ibid. v. 20. De loquente vero, dum Evangelista ait: *Apertum est os Zachariæ, & prophetavit dicens*: Ibid. v. 64. curate ut mecum sanctum Zachariam imitemini, ego quidem loquendo, vos autem attentè & devotè auscultando.

Fulg l. 9. c. 16.

2. *Quis putas puer iste erit?* Quonam hic puer evasurus, qui prædictus est à Prophetis, annuntiatus ab Angelis, ab universa Judæa expectatus, in plurimorum lætitiam datus; precibus & orationibus impetratus, prius sanctus quam natus, prius Propheta quam in hanc lucem editus, prius officio quam vita functus, qui priusquam aeris serenitatem videre possit, luce potitus est cæli; qui mutis loquelam restituit, priusquam ipsemet linguam unquam laxarit, qui à sterili quadam conceptus est & natus? *Quis putas puer iste erit?* Prodromus erit Regis cœlestis, Stella erit nuntia Solis, Aurora diei, Propheta Propheratum, Lucerna lucens, Angelus in carne, Novi Testamenti Elias, Incarnati Verbi Testis, Flos virginitatis, Speculum Pœnitentiæ, Fœcialis gratiæ, Sanctitatis exemplar, Caput Eremitarum, Gloria Martyrum, Omnibus hominibus major, Denique vox verbi incarnati: *Quis putas puer iste erit?* Hic ex mente S. Ambrosii, parvus quidem est quoad corporis staturam & molem, magnus quoad meritorum quantitatem: *Puer & magnus. Præcellit cunctis, eminet universis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est inferior est Ioanne* Quærite ex S. P. Augustino quis Joannes sit, & respondebit: *Quisquis Ioanne plus est, non tantum homo est, sed Deus.* Serm 64. de Nativ. Ioan. t. 3. D. P. Aug. t. 10. serm. 1. & 2. de S. Ioan. Bapt.

2. Verum enimvero ne me ultra materiam promissam latius extendam, observemus obsecro quæ inter Christi & Joannis Nativitatem reperiuntur similitudines: De Salvatoris Nativitate dicitur: *Impleti sunt dies ut pareret.* De Nativitate Joannis quoque in hodierno Evangelio replicatur: *Elisabeth impletum est tempus pariendi.* Lucæ 2. 7. Illa à Gabriele Archangelo Mariæ annuntiata fuit: *Missus est Angelus Gabriel.* Lucæ 1. 57. Insinuata quoque fuit hæc Zachariæ ab eodem Archangelo: *Gabriel Angelus locutus est Zachariæ: Elisabeth uxor tua pariet tibi filium.* Christus absque ullo culpæ nævo conceptus fuit: Joannes quoque in utero materno sanctificatus: *Antequam exires de ventre sanctificavite.* Jerem. 1. 5. Nativitas Christi miraculosè ex matre sine Patre facta fuit: Joannis autem Nativitas ex Matre sterili & infœcundo Patre prodigiosè accidit. *Ex utero senescentis, & sterilis Ioan natus est.* Nascente Salvatore Angeli annuntia- Antiph 3. ad vesp. S. Ioan.

nuntiarunt Pastoribus gaudium & lætitiam: *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Luc. 1. 15. Nativitas quoque Joannis multis gaudiosa extitit: *Et multi in Nativitate ejus gaudebunt.* Filio Dei ab Angelo nomen impositum fuit: *vocabis nomen ejus Ioannem.* Ibid. 14. Redemptor nolter Angelus est appellatus: *Magni consilii Angelus:* Marci 1. 2. Eodem quoque nomine Joannes est decoratus: *Ecce ego mitto Angelum meum.*

3. Porrò cum de Nativitate loquamur, non pigeat vos observare id, quod Joannis Evangelistæ Sacer calamus in principio Evangelii sui scribit, idque verbis majorem in se doctrinam continentibus, quam omnes tradere possint Doctores Scholastici. De triplici enim Nativitate ibi loqui videtur, scilicet de generatione Verbi æterni ex Patre per actum intellectus geniti, dum ait: *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Joan. cap. 1. Deinde de Nativitate Joannis Baptistæ, dum ait: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Denique tertio loco agit de temporali Nativitate Christi, dicens: *Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Ubi maximè observandus est admirabilis ordo quem Evangelista observat. Primò enim loco, ut justum est, agit de generatione æterna, eamque duabus aliis anteponit. Secundò verò loco Nativitatem sancti Joannis Baptistæ reponit: *Antequam de Christi adventu agat & Nativitate, de Ioanne agit.* Denique tertium locum Christi Nativitati attribuit. Veruntamen videtur mihi, quod sanctus Joannes Evangelista debitum ordinem minimè observet. Sicut enim generationem æternam primo loco ponit, ita videbatur æquitas ex parte dignitatis majoris exposcere, ut immediatè secundo loco ageret de Nativitate Christi, utpote quæ longè dignior & excellentior est nativitate Joannis; cum certum sit, quod *digniora sunt præferenda.* Addo insuper, quod nativitas Joannis in hac à Joanne Evangelista facta dispositione, statuatur in medio inter nativitatem æternam, & nativitatem temporalem Salvatoris. Locus autem medius est excellentissimus, qui proinde generationi debebatur nobilissimæ qualis est æterna, tanquam situs personis maximè conspicuis debitus. *Prælati & Iudices habent esse in medio.* Sic cor in medio consistit corporis humani. Polus, qui stella est immobilis in medio cæli est situatus. Homerus Senem Priamum in medio filiorum suorum reposuit: *Senem Priamum medium inter liberos collocavit.* Sertorius in quodam à se instituto convivio T. Fabium tanquam digniorem in medium posuit, Antonium verò ad dexteram, & semetipsum ad sinistram collocavit: *Igitur discubuere Sertorius inferior, in medio T. Fabius Hispaniensis Senator ex proscriptis, in summo Antonius.* Suetonius de Tiberio scribit: *Medius inter duos Angelos simul sedit.* Ac proinde cum Adrianus Imperator quendam servorum suorum in medio duorum transeuntium senatorum ambulantem vidisset, alteri cuidam ex servis, ut dicto servo colaphum impingeret, præcepit. *Adrianus Imperator, cum quodam tempore servum suum inter duos Senatores à conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, & diceret: Noli inter eos ambulare.* Quomodo igitur nativitas Præcursoris ab Evangelista loci medii dignitate honorata fuit? utique magna cum prudentia id à S. Joanne factum fuit; In bona namque Philosophia scimus, quod *medium participat de extremis.* Quod Legistæ confirmant, dum ajunt: *Medium sapit naturam extremorum.* Atque ideò pueri hujus nativitatem in medio duarum aliarum nativitatum reposuit, dicens: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes,* ad insinuandum, quod in medio consistens, & de duobus extremis scilicet generatione Verbi & Nativitate Christi participans, ambobus quoque extremis similis esset.

4. Enimverò aliam quandam circa Præcursoris nativitatem ponderationem instituamus: præcipuè verò circa modum loquendi, quo Evangelista utitur. Natus est homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. *Fuit homo &c.* Cur obsecro illum hominem appellat? Nunquid sufficiebat dixisse: *Fuit Ioannes missus à Deo?* Joannes enim esse hominis includit, unde dicendo Joannes, hominem quoque illum fuisse sufficienter innuit, ac proinde ly Homo superfluè positum videtur, estque quædam sine necessitate facta repetitio. Et quidem ni fallor, difficultas hæc cum alia quadam correspondere videtur, quæ ab eodem Joanne Evangelista insinuatur, qui Christum in Crucem suspensum describens ait, quod priusquam moreretur, semetipsum in Filium Mariæ adoptivum declaravit. *Mulier ecce Filius tuus* Joan. 19. 26. Videtur etenim Christus Mariam mulierem, non verò matrem vocando afflictionem addere afflicto: nam quantum illam confortasset à filio pronuntiatum nomen Matris, tantum existimo illam contur-

Apud Franc. Mend. in virid. Sueton.

Ælius Spart. de vita Adria Imp.

Barth. Cassan. in Cath. glo. mun. p. 1. consid. 13.

Corn. à Lap. in c. 1.

Homerus Iliad.

conturbatam fuisse ex audito nomine mulieris. Cur igitur illam non matrem, vel saltem ad minus Mariam appellat? Respondet S. Idephonsus serm. 8 de Assumpt. *Vt eam veram matrem ostenderet verum se hominem patiendo tormenta monstravit.* Dionysius Carthusianus: *Non ait, Mater, ne illa audito nomine tam suavi intimum cruciaretur atque deficeret.* Verum enimvero sanctus Epiphanius ad præsens meum propositum doctè respondet, quod cum tanta fuerit tamque excellens Mariæ sanctitas, fieri facilè potuisset, quod mundus, vel saltem ad minus simplices eam non mulierem vulgarem, sed veram credidissent esse Deam: *Consulto illam vocavit mulierem, ne mundus deciperetur. Deam illam proclamans, tanta erat ejus sanctimonia & vitæ integritas.* Hanc eandem rationem dicere possumus, circa Præcursorem procedere, dum illum Evangelista non solum Joannem, sed & hominem appellat: *Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Joannes.* Cum enim Joannes Dei filio adeò similis esset quoad nativitatem, quoad extrinseca lineamenta vultus aliaque corporis accidentia, cavere voluit Evangelista, ne mundus consequenter opinaretur, illum quoque eidem Dei filio similem esse quoad nativitatem. Ac proinde dicit: *Fuit homò &c.* quasi diceret: Tametsi illum Dei filio adeò videatis esse similem, scire tamen debetis illum non filium Dei esse, sed purum merumque hominem: *Fuit homo.* Unde Venerabilis Beda sanctitatem Joannis adeò sublimem fuisse dicit, ut ad *non plus ultra* perfectionis intra humanitatis sphæram contentæ pertigerit: *Cujus est tanta vita sublimitas, ut quicquid illo sublimius est, hoc jam hominis naturam transcendere dubium non sit.* Et S. Paschasius: *Ne fortè existimaretur super humanam naturam esse & plus quam homo,* ideò necessum fuit ut Evangelista ipsum hominem esse declararet: *Fuit homo.*

Ibi. art. 46. In c. 19. Io apud Ioan. de Carth. de 7 verb. Christ l. 10. hom. 5.

Ap. Laurent. Zamos. l. 1. dist. 1.

In c. 11. Matth.

5. Ne vobis hæc mea opinio suspecta aut veritatis ambiguæ esse videatur, audite eandem per Archangeli cujusdam legalitatem debite authenticatam. Etenim cum gloriosa Virgo Maria ex ore Gabrielis Archangeli se Dei matrem futuram esse intelligeret, mox ipsa hac interrogatione eidem replicavit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. 34. Ipsa quidem non dubitavit de substantia, sed de modo interrogavit, inquit S. Ambrosius: *Non dubitat esse faciendum, sed quomodo fiat inquirit.* Angelus autem ad hanc Mariæ difficultatem vel petitionem resolvendam, prægnantem Elisabethæ sterilis uterum & Joannis Baptistæ conceptionem in exemplum adduxit, dicens: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua*; Luc. 1. v. 13. quasi dicere vellet, sicut uxor Zachariæ paritura est filium, licet decrepita sit & sterilis, ita quoque tu ô Maria Dei Filium paries, licet virgo existas. Verum enimvero ô Angele gloriose, compatere mihi, si fortè nimis præsumptuose eloquar. Neque enim illud argumentum tuum admittere possum, quia *A minori ad majus non valet nec licet arguere affirmative* Non enim valet si dicam: Sufficio viribus ad onus aliquod decem librarum portandum mille libras. Incomparabiliter majores repugnantiæ reperiuntur in hoc, quod virgo Deum pariat, quam quod mulier maritata licet sterilis, qualis Elisabeth erat, generet hominem. Unde Lyranus: *Majus est virginem concipere, quam sterilem.* Optimè *à fortiori & à majori ad minus affirmativè* argumentatus est Angelus ille, qui postquam cum Jacob luctatus & ab eodem superatus fuisset, eidem dixit: Macte sis animo, & noli fratrem tuum Esau meruere, quia *si contra Dominum fortis fuisti, quantò magis contra hominem prævalebis*? Hoc argumentum benè concludit: at verò si dicas, Elisabeth sterilis pariet; Ergo etiam tu virgo manens parere poteris; meritò tibi neganda erit consequentia. S. Bernardus respondet: *ideò sterilis cognata conceptus virgini nuntiatur ut dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur.* At verò quis vestrum est, ô Audidores, qui nesciat, quod comparatio similitudinem semper includat? *quæ divinitus per comparationem similia sunt.* Cum igitur Archangelus quandam inter gravidum Elisabethæ & Mariæ uterum comparationem instituat, idipsum ad minus idem est quod affirmare quandam inter Salvatoris & Præcursoris nativitatem, analogiam & similitudinem. Hoc videtur indicare voluisse Andreas Hierosolymitanus, cum ait: *Qui matricem præter omnium spem prolificam in senectute reddere potest, virginem quoque gravidam præter rationem exhibebit palam; Et licet mirabilius sit istud in virgine; utrumque tamen Divinæ omnipotentiæ opus est.*

Lyran. in Gloss.

D. Bern. Sup. Miss. est. hom. 4.

In Bibl. vet. PP. t. 2 in sal. Ag.

6. Gabriel Archangelus de partu quem B. Virgo Maria in hunc mundum edituta erat, duo præcipuè puncta tetigit. Primò scilicet, quod futurus esset magnus: *Hic erit magnus.* Secundò quod Filius Dei appellandus esset: Et

In Cat.

filius altissimi vocabitur. Certum autem est Joannem quoque duabus hisce conditionibus ornatum in hunc mundum progenitum fuisse. Et quidem quod primam conditionem attinet, Astrologi dicunt, quod si quis sub planeta vel ascendente Solis in domo vel signo virginis consistentis nascatur, is futurus sit statura procerus & magnus. Sic Selericus de Othone & Theogenes de Augusto, eo quod hi sub ista constellatione nati essent, illos quoque magnos, id est, Imperatores futuros esse præviderunt; Idem quoque observatum est in Alexandro, qui postea magnus fuit. Suetonius de Nerone refert, hunc pariter sub Sole ascendente natum esse, imò priusquam terram attigisset, Solis radiis fuisse illustratum. *Suis illam radiis priusquam terram attingeret Sol illustravit, & totius orbis erat summus princeps futurus.* Similiter de quodam nostri temporis Japoniæ tyranno, qui Stabucondon dicebatur, illum magnum futurum esse eidem prædictum fuisse: *Quia dum nasceretur, Solis radius stomachum suum verberavit.* Dum sancti Joannis Baptistæ Nativitatem considero, invenio illum natum esse sub Solis Horoscopo, quando is in signo virginis subsistebat. Audite igitur nunc quam circa Nativitatem Præcursoris in mente mea recudo Astrologiam. Elisabetha sex menses gravida fuerat, quando *Sol justitiæ Christus* in signo, id est, in utero Virginis Mariæ consistebat. Ab Oriente Nazareth apparere cœpit, per montana Judeæ graditur, & in domo Zachariæ appellit, & trium mensium spatio, donec scilicet Joannes natus sit, subsistit. Eodemque temporis momento quo ex matris utero prodiit, Sol Christus in signo, id est, utero Virginis Matris præsens aderat, adeò ut priusquam terram tangeret à Divino sole gratiæ suæ radiis fuerit illustratus. Unde Petrus Damianus serm. 13. & 1. de S. Joann Bapt. *Vsque in diem Nativitatis Ioan. gloriosa virgo cum cognata sua morata est, donec puerum, natum sinu beatissimo confoverit, & non pariete remoto propinquiorem redderet præsentiæ Creatoris.* Ecce igitur tibi hic formatam figuram, considerate illam, opinionemque vestram edicite: *Quis putas puer iste erit?* Sine ulla erroris suspicione dicere haud dubiè cogemini, quod nasciturus sit magnus & Christo persimilis: *Hic erit magnus coram Domino* Non sumus soli, Auditores, qui in hasce cogitationes & discursus descendimus, sed plures sunt ante nos eodem modo locuti: *Hinc facilitas Ioannis patet, ortus enim fuit, quando Sol in signo virginis erat, scilicet inter viscera sanctæ Matris. Cum igitur in ortu Baptistæ, Sol regnaret in virgine, in signo inquam illo maximo & faustissimo, faustissimum ortum meritò fuisse dicemus.* Magnus nascitur Christus, Magnus Joannes Baptista. *Magnus coram Domino.*

Suet. Trãq in vita Neron. & Did. Vega in fest. S. Ioan. Bapt.

Franc. Labat. de S. Ioan. Bapt. & Petrus Bess. in festo S. Io. Bapt.

7. Quoad secundum punctum, quod Angelus tetigit & Mariæ revelavit, id est, *Filius altissimi* vocabitur, videtur idipsum quoque ad minus apparenter de Joanne probari posse. Dicite enim sodes Quid est Joannes? Hoc nemo melius ipso scire utique poterit, qui ipsemet se nil præter vocem esse declaravit: *Ego vox clamantis in deserto.* Quis hanc vocem genuit? Zacharias? Nequaquam; quia mutus erat: *Eris tacens & non poteris loqui.* Alium ei genitorem quære e oportebit. B. Petrus Cardinalis Damianus dicit, quod Nativitas Joannis *fuit supra naturam*; ac proinde Origenes: *Non mihi videtur homo, sed plusquam homo Ioannes.* Videamus igitur an aliquem ei genitorem invenire possimus *in Divinis.* In quo ordine certum est inprimis, quòd talis genitor esse non possit Spiritus sanctus, utpote qui nec genitus est, nec generatur: *Non producit verbum:* Nec filius genitor dici potest, quia tametsi Filius genitus sit, non tamen generat. *Non producit verbum.* Superest igitur ut hoc soli Patri velut ejus proprium conveniat, non solùm quia *intelligendo seipsum generat verbum*, verùm etiam quia dicitur: *Paterna vox audita est.* Unde cùm hæc vox à Patre æterno producta sit, piè de hac voce, id est, Joanne Baptista æstimari poterit quòd *Filius altissimi vocabitur.* Et quis scit an hæc non fuerit Chrysologi mens, quando de Zacharia loquens dixit: *Zacharias quòd tacet non est sola pœna, sed signum, non est terrena debilitas, sed cœleste signum.* Quod signum? aut quale secretum illud? Exponat hoc ipsum Cardinalis Damianus, qui cum Zacharia loquens dicit: *Eris tacens, & non poteris loqui.* Cur ita? *ut intelligat Ioannis vocem supra naturam formatam, te Patrem maximè cognoscere.*

Ioan. 1. 23.

Luc. 1. 20.

Petrus Damianus Origen.

D. Petr. Chrysol. serm. 86.

B. Petrus Dam.

8. Videtur quidem Joannis Nativitas in unico tantùm cum Christi Nativitate minimè correspondere, siquidem Christus Mariam, Joannes vero Elisabetham matrem suam habuit. Veruntamen profundius rem hanc considerans, etiam quoad hoc similitudinem currere video, cum hac tamen differentia, quod Christus sit Mariæ filius ex eadem verè & propriè genitus, Joannes autem licèt non sit ex Maria genitus, ejus tamen sit filius adoptivus, videa-

videamus idipsum per quendam Scripturæ locum clariùs. In Genesi legitur, quod Rachel sterilis existens Jacobo marito suo persuaserit, ut saltem ad minùs filium quendam ex Bala domus suæ ancilla seu serva habere procuraret. *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, ut pariat super genua mea.* Id quod Jacob mox fecit, adeò ut Bala intra novem menses peperierit. Rachel Balæ partui præsens existens, filium ejus suscepit, eumque brachiis portat & ad pectus suum amabiliter adstringit. Et elevata in cælum facie, Deo gratias refert, quòd filium ei exoptatum donans tam clementer eam exaudiverit. *Dominus exaudivit vocem, dans mihi filium Dan.* Sileas quæso ô Rachel; Nam si serva tua puerum hunc peperit, quomodo tu illum filium vocare præsumis? Tuus utique esset, si illum ex utero tuo genuisses, nunc autem cùm Bala illum enixa sit, sequitur quòd Balæ filius sit, non verò tuus. Quo igitur jure dicere potes: *Dans mihi filium Dan?* Respondet Rachel utriusque nostrum filius est, Balæ scilicet naturalis, Rachielis autem adoptivus. Sed qua ratione? *Quo jure?* Nunquid auditis illam dicentem: *Peperit super genua mea?* q. d. Ego ipsum in lucem editum prima in brachiis meis excepi, ideoque ex concessione Legis, quæ illum mihi filium adoptivum cedit & consignat, eum possideo. Lyranus: *Ut pariat filios quos possim tenere super genua mea, ita quòd licet sint super naturam, tamen mei erunt per adoptionem.* Alii: *Natum excipiam pro meo, ut solent matres in genibus filios suos statuere.* Abulensis: *Quia reputabat hunc filium ancillæ esse suum*: Ex hoc igitur duntaxat capite quòd Nativitati suæ præsens adfuerit, eundem inter brachia sua suscepit. Porrò gloriosissima Virgo Maria, in domo Elisabeth commorata *quasi tribus mensibus*, id est, à mense sexto usque ad nonum Nativitati Joannis præsens esse, eumque sustentare inter propria brachia sua voluit, affirmante idipsum Cardinali Damiano, cùm ait: *Ipsa Dei genitrix felicem puerum de terra levavit, & cognatæ partum omni persecutæ est servitute.* Unde si Rachel se matrem adoptivam Dan appellavit, cur Maria diceretur mater adoptiva Joannis, & Joannes Mariæ non censeretur adoptivus filius?

Gen. 30. 3.

Ibid. n. 6.

fol. 320. col. 4. H. B. Petrus Dam. ser. 23. & 1. de S. Io. Bapt. in Bibl. Ho. ser. de S. Io. Bapt.

6. Verùm enim verò de Nativitate S. Joannis ad vitam ejus transitum faciamus. Ex Evangelio Matthæi & Lucæ omnes nôstis quòd dũ Filius Dei esset in flumine Jordanis, ut à sanctò Præcursore suo baptizaretur, vox Patris subitò & ex improviso audita fuerit: *Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus.* Sanctus quoque Spiritus in forma columbæ subitò apparuit, & super ipsum firmiter subsistit: *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Ut quid opus erat, ut Spiritus Sanctus in forma & signo sensibili atque visibili super Christo videri se faceret? Nunquid ad hoc ut Christus verus Dei Filius declararetur, vox Patris sufficiebat, *Hic est Filius meus dilectus?* Pro hujus difficultatis intelligentia optimè servit, quod inter Salomonem & Sabæorum Reginam accidisse refertur. Magna enim hæc Principissa ex fama plusquam prodigiosa Solomonis Sapientiam Regis, quæ quotidie magis magisq; dilatabatur, permota, ut eum videret & cognosceret, visitare & convenire eum decrevit. Quare cum ingenti decore, & pompa maxima, qualis nimirum coronam adeò potentem & dignam meritò decebat, ad iter se accinxit, multa secum adferens præstantissima munera ex aromatibus, auro, argento, gemmisque inæstimabilibus congregata. *Et venit tentare eum in ænigmatibus.* Nam ut experientiam certiorem se redderet, an res ipsa universali famæ consonaret, hâc usa est ingeniosissimâ inventione. Duos nimirum fecit & colligavit florum manipulos, quorum unus naturales & veros, alter verò artificiales & fictos complectabatur flores; ex quibus tamen artificiales naturalibus adeò similes erant, ut ab invicem difficulter possent discerni. Hos igitur Sapientum Regi præsentavit, rogans eum, ut suum, in discernendo veros à fictis coram se properet judiciũ. Salomon autem mox ut utrũque hunc manipulum vidit, vehementer obstupuit, & ne vix quidem determinare se potuit. Quamvis id, in quo oculus deficiebat, ingenium ejus præstantissimum, & prudentia mirè supplerit. Nam confestim sibi apem adduci, ejus liberum per aëra volatum permitti præcepit, quæ postquam aliquot volando gyros confecisset, tandem tremulum pedem suum firmavit, & deauratis alis suis recollectis, in naturalium florum manipulo subsedit & perseveravit, è quo vestigio veros à fictis seu artificialibus discernere potuit. Unde Regina multò magis attonita & obstupefacta remansit. Etenim flos Christus erat, qui proinde Nazarenus, id est, floridus cognominabatur: Flos quoque fuit Joannes Baptista, quia Nazarenus professione suâ fuit, quod similiter idem quod floridus significat. Ambo juxta Jordanis flumen consistebant, sibi-

Matth. 3. 17. Luc. 3. 22.

3. Reg. 10.

Vide apud Franc. Labat t. 3. de laud. S. Io. Bapt. & Crisch. Basiliens. serm. 47. Item Balth. Arias ser. de S. Ioan. Bapt.

que adeò similes erant, ut vix inter utrumque discerni posset, uter illorum flos esset naturalis & verus Dei Filius, donec tandem Pater veritatem elatâ voce declaret dicens: *Hic est filius meus dilectus:* at verò quia vox illa audiebatur quidem, non tamen videbatur, ideò à nemine circumstantium certò discerni poterat, an ly *Hic* super Christum, an super Joannem caderet, ac proinde Spiritus Sanctus corpoream columnæ formam induens, ut visibilis signi loco serviret, super Christi caput firmiter subsitit, ut velut suavissima apis Paradisiaca demonstraret, quòd ly *Hic* super verum florem non verò super artificialem appellaret. Hinc igitur facilis est conjectura, quanta fuerit inter Christum & Joannem similitudo. *Tanta quidem erat similitudo virtutis inter Ioannem & Christum, quisnam eorum verus Messias esset, dubitarent; Ita scilicet necesse fuerit divinitùs provideri, & Patris voce & Spiritus Sancti in columbæ specie adventu, ut ita homines dijudicarent, quisnam eorum verus Messias esset.*

Luc. 3.

Franc. Labat. prop. de S Ioan. Bapt.

10. Dei Filius intra solitarii cujusdam deserti eremiticos saltus procul ab omni hominum commercio delitescebat & jejunabat. Tentator infernalis, ut de ejus sanctitate caperet experientiam, suarumque virium valorem certius agnosceret, cum variis tentationibus aggredi decrevit; ac proinde tribus ipsum prælis infestavit, totidemque turpes ab eo repulsas retinuit. Unde se contra eum minimè prævalere posse videns, à cœpto certamine desistere, atque eum licet ignominiosè deserere, & fugere ab eo statuit: *Et consummatâ omni tentatione Diabolus recessit ab illo.* Sanctus autem Lucas eandem historiam conscribens, quandam magnæ considerationis particulam adjunxit, scilicet Diabolum Christo indulsisse inducias cum proposito tempore oportuniori ad nova intentanda certamina redeundi. *Recessit ab illo usque ad tempus.* Quodnam obsecro, erat tempus illud quod Sathanas ad intentanda nova prælia & conflictus, & ad Christum superandum sibi favorabile & opportunum fore credebat? Magister Historiæ scholiastæ dicit, per tempus illud intelligendum esse tempus Passionis & mortis Christi: *Discessit à Domino Lucifer ad tempus, tempore Passionis reduit, timore mortis putans eum dejicere.* S. Ambrosius: *usque ad tempus. Frequentat spicula, ut aut præmio vincat, aut tædio.* Alii exponunt, *usque ad tempus*, id est, donec occasionem acciperet magis oportunam, & majoris lucri sui locum. Verùm enimverò, Auditores, quando unquam se Dæmoni locus, tempus & occasio novi ineundi cum Dei Filio certaminis & prælii præsentavit? Cum magno Basilio Seleuco regiam adeamus & ingrediamur, ibi namque magnum quendam Dei servum reperiemus, qui illicitos Herodem inter & Herodiadem ardentes amores & scandalosum utriusque convictum mutuũ subodorans, dosdemque pro animarum suarum salute promovenda, & ex puro divini honoris zelo acerbè reprehendit, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris sui.* Dæmon hasce voces mali oetestatrices inaudiens, virum hunc adversarium suum, quocum in deserto congressus fuerat, esse omninò credidit, adeoque industriè eum considerat & observat, atque intra semet ipsum dicit: Ecce jam tempus adest diu à me expectatum, hic est locus consiliis meis valdè proficuus & opportunus; Nunc dandus est ei ultimus & fatalis ictus, ut per hanc unicam victoriam toties perpessas jacturas & damna mea recuperare valeam. Quid igitur facit? *Dum convitium fit Dæmon per puellam saltat*, inquit Theophylactus, eousque laborat, donec obtineat, ut Herodis jussu caput ei detruncetur, quod & reipsa factum postea fuit. *Misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco, & decollavit eum in carcere.* At verò si placet, subsistamus hic nonnihil. Quòd si inimico infernali cum Christo hostilitas intercedebat, cur Christo relicto Joannem adoritur? Quid mali Joannes ei intulit? Fortasse ipsum tanquam partialem amicum & cognatum Christi persequebatur? Difficultatis hujusce sensum ex eo quòd Matthæus Herodi Tetrachæ accidisse refert, facili negotio conjicere poterimus: Hic enim cùm ad aures ejus fama sanctitatis & miraculorum Christi pervenisset, se omninò existimare significavit, Christum esse Joannem illum Baptistam, quem ipse decollari jusserat, eundem à mortuis resuscitatum esse credens: *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis.* Quod si Baptista mortuus erat, quomodo illum resuscitatum esse arbitrari poterat? Quod si Herodes ille vir erat intelligens veresimile est quòd non ignoraverit id quod Jesus ait: *Homo cùm dormiret, non resurget, donec atteratur cœlum non evigilabit, neque consurget de somno suo.* Unde igitur permovebatur ut Joannem Baptistam à mortuis resuscitatum esse crederet? Scio equidem Cajetanum in ea fuisse opinione,

Luc. 13.

Mag Hist schol. Petr. Comest. in Evang. c. 35. D. Amb. ibi. lib. 4. in cap 4. Luc.

Theoph. in Cat. D. Thom. in cap. 6. Marci. Marc. 6. 27.

Matt. 14. 1 Marc. 6. 14.

Iob. 14.

nione, quòd Herodes *hæsitando, non definiendo dixit hæc verba* : Lyranus tamen è contra ea vult esse dicta affirmando, non dubitando. *Herodes audivit famam de Iesu, & credidit, licèt falsò, quòd ipse esset Ioannes Baptista, quem ipse decollaverat* Verùm scire percuperem per quid Herodes ad talem falsitatem veritati ad eò repugnantem credendam permotus fuerit? Doctor Angelicus S. Thomas ex aliorum sententia dicit, Herodem Pythagoræ & Platonis opinionem sustinuisse asserentium animas ex uno corpore transmigrare in aliud, ac proinde Præcursoris nuper à se decollati animam ad aliud quoddam corpus informandum & inhabitandum se recepisse: *Aliqui dixerunt, quòd ipse tenuit dogma in transfusione animarum. Plato enim & Pythagoras posuerunt, quòd anima exeunte ab uno corpore, subintraret aliud corpus. Hanc opinionem Herodes tenens, ut dicunt, credebat, quòd anima Ioannis transiisset in animam Christi.* Unde motus est, ut non solùm eam quæ Christum & Joannem intercedebat, similitudinem crederet, verùm etiam ipsos unam & eandem *numero* entitatem esse; quòdque Christus ipsissimus Joannes esset existimaret, sed deceptus est. *Credidit licèt falsò, quòd ipse esset Ioannes.* Dæmon autem in Herodis regia conversationem & vitam Joannis observans, *Credidit licèt falsò quòd Christus esset.* Unde sicut hic deceptus est credendo, quòd Joannes esset Christus; ita ille quoq; delusus est, dum Christũ Jonem esse censuit. Hoc autem nequaquam accidere potuisset, nisi inter utrumq; magna similitudo intercederet. Unde Basilius Seleucus scripsit: *Cùm Diabolus à Christo victoriam desperasset, in Ioannem vertit arma, & Herodianis pro armis affectibus iesus viam aperit ad Baptistæ mortem.*

Cajet. in c. 6. Marci v. 6.

D. Thom. in c. 14. Matth.

Lyran. ubi suprà.

D. Basil. Seleuc. mar. 18.

11. Etenim Herodem ejuscemodi erroneum sibi formasse judicium nequaquam admiror, siquidem cuivis homini facillimum est errare. Sic namque Theodoricus etiam errasse legitur, quando caput piscis cujusdam in mensa appositum videns, Symmachi à se decollati caput fuisse existimavit. Similter justum & æquum erat ut Dæmon, utpote omnium fraudum & dolorum technarumq;e architectus, jam dicto deceptus esset atque delusus. At verò quod universa Hierosolyma, imò totus mundus (nisi idipsum incarnata Sapientia prævidens impediwisset); Joannem Dei Filium & Messiam verum esse existimassent, id mihi non modicam conciliat admirationem. Videamus idipsum paulò clariùs per quendam Scripturæ locum adductum. Deus itaque incarnatus, uti nôstis, in vertice montis cujusdam constitutus, & in societate discipulorum suorum, nec non ingentis turbæ ipsum subsecutæ positus, postquam illos verum docuisset modum conquirendi sibi merita ad æternam Beatitudinem, tandem ad discipulos conversus, iisdem dixit: Ad hoc ut vos (ô dilecti mei discipuli) cognoscere valeatis, quanti vos æstimem, & affectum meum quo vos persequor, eximio vos honore afficere decrevi, eundem vobis impertiendo lucis titulum & dignitatem mihi soli aliàs debitum, nam. *Ego sum lux mundi;* Nunc enim acquiesco, ut & vos quoque eundem vobis vendicare titulum possitis ac proinde evidenter declaro quòd *vos estis lux mundi.* Universum itaque mundum perambulabitis, ut mentes ignorantiæ tenebris obumbratas illuminare possitis. O valdè fortunati discipuli, qui digni facti estis, ut illius honoris fieretis participes, qui à Patre æterno soli Dei Filio debetur. Proficiat honor ille vobis, eoque feliciter & cum mille benedictionibus perfruamini. Verùm enimverò difficultas quædam hic mihi subnascitur, ô Auditores, nimirum, quòd S. Evangelista Joannes Sancti Præcursoris recensens proprietates, eidem hunc lucis honorificum titulum denegarit, dicens: *Non erat ille lux.* Ergone non vocabimus lucem vitum illum Illustrem, qui prodromus est Solis, & aurora diei? Quòd si Christus in hoc titulo Apostolis suis, imò ipsimet Judæ traditori concedendo adeò benignus & liberalis fuit, cur Evangelista in eodem titulo S. Joanni attribuendo adeò parcus extitit? Verè hîc proverbium istud verificatum esse video, scilicet quòd Dominus est munificus, servus autem avarus Num fortè Sanctus Joannes non æquè ac alii discipuli fuit promeritus? Fortassè ad illorum sanctitatem nondum pervenit? Imò verò ejus perfectiones & merita, quorumvis aliorum hominum sanctitatem & merita-miris modis superarunt: *Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ.* Et sanctus Pater Augustinus affirmat, quòd *præcellit cæteros, eminet universis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne.* Num fortè Evangelistam ob ejus ingen-

Procop. lib. 1. belli Gothici.

Ioan. c. 8.

Matth. 5. 14.

Ioan. 1.

Matt. 11. 11.

D. P. Aug. serm. 2. de Nat. S. Ioan. Bapt.

tem-

tem gloriam aliquo invidiæ motu agitatum fuisse dicemus? Absit; quin potiùs mysterium aliquod sub iis verbis latere dicendum est. Siquidem S. Gregorius, S. Augustinus & alii affirmant, Præcursorem adeò dignum, perfectum, & sanctum fuisse, ut si lucis titulum & honorem ab Evangelista accepisset, forsitan mundus, vel ad minus homines indocti & simplices graviter hallucinati fuissent, eum tanquam veram lucem verumque Messiam adorando. Fortè dicetis, idiotas similem quoque conceptum de aliis quoque Apostolis facere potuisse, & tamen illos mundi lucem appellare voluit. Veruntamen, non est eadem de Joanne & Apostolis ratio: siquidem nullus est Apostolorum, qui non aliquem commiserit errorem aut gravem imperfectionem, unus enim Dominum tradidit, alius negavit, ille infidelis fuit, hic usuris fuit deditus, alter ambitioni obnoxius, alter enim altero major & dignior esse cupiebat: imò in maximis augustiis cõstitutus eorũ Magister ab omnib desertus & derelictus permansit; & cuinã quantũvis simplici homini in mentem venire posset, ejusmodi homines tam graviter delinquentes lucem verè divinam arbitrari? At verò qui tantas Præcursoris perfectiones, tamque eminentes sanctitatis gradus consideraret, eum facilè veram & Divinam lucem esse æstimare posset. Atque adeò Joannes cautè dixit: *Non erat ille lux* quasi diceret: Advertite, nolite errare ne decipiamini nescientes ob unius & alterius similitudinem, inter eosdem discernere. Hinc igitur alterutrum ab alio distinguetis & secernetis, Christus lux est: at verò Joannes non est lux. Non erat ille lux. Audite Sanctum Patrem Augustinum idipsum per pulchram quandam doctrinam veraciter contestantem, dum ait: *Tanta fuit sanctitatis Ioannes, ut Christus credi posset. Magna etiam commendatio Ioannis ab Evangelista insinuatur. Non erat ille lux. Quasi diceret: Tanta fuit opinionis, ac tanta virtutis, ut illum non esse Christũ declarare perneccessarium videatur*

D. P. Aug. ser. 23 de sanct. & D. Greg. hom. 7. in Evang. apud Tol. in c. 1. Io. in Com. fol 38. B.

Conjiciat igitur hinc quilibet vestrum, an sibi non fuerint magnopere similes.

12. Veruntamen quòd si hanc Præcursoris cum Christo similitudinem melius magisque perspicuè contemplari desideretis, ad sanctum Lucam quæso recuratis, qui velut peritissimus pictor in Evangelii sui tela vivis doctrinæ suæ coloribus eundem adumbravit. Nam S. Joannem Baptistam delineaturus genealogiæ suæ lineas ducit, dicens, quòd Patrem habuerit Zachariam, matrem verò Elisabetham, hunc, *de vice Abia*, hanc verò *de filiabus Aaron. Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.* Etenim nescio quamobrem Evangelista de matre ejus mentionem fecerit, cùm apud Historiographos Hebræorum extra morem positum fuerit, mulieres recensere in prætexanda Genealogia & generationum descendentia: *In Hebræorum Genealogiis non solent mulieres recenseri.* Optimè legem hanc & consuetudinem S. Matthæus Chronista observavit, quando ordinem Genealogiæ Christi describens, solos recenset viros, scilicet Isaac natum esse dicit ab Abraha, non verò de Sara. Jacob ab Isaac, non verò ex Rebeca & sic de aliis. Imò ob alium quendam respectum conveniens quoque videri posset, nullam Zachariæ Patris sui mentionem facere, sed à solo Joanne immediatè incipere. Verùm ecce tibi solidam hujus rei rationem. De Melchisedecho, qui Sacerdos erat S. Paulus Apostolus ad Hebræos scripsit, eum nec Patrem nec matrem, nec Genealogiam habuisse, sed similem esse Filio Dei. *Melchisedech sine Patre, sine matre, genealogia, & assimulatus est Filio Dei.* Joannes e stirpe Sacerdotali oriundus erat, qui proinde tanquam primogenitus & unigenitus in Sacerdotio succedere debebat: *De sacerdotali prosapia Ioannes ortus*, inquit Beda, *ut eò potentiùs imitationem Sacerdotii præconizaret, quò ipsum ad sacerdotale genus pertinere clarescerat.* Cur igitur hic è tribu sacerdotali prognatus Sacerdos a Sancto Luca non ad eum modum describitur, quo Melchisedech à S. Paulo Apostolo: *Sine Patre, sine matre, sine Genealogia?* Respondet S. Ambrosius: *Docet nos Divina Scriptura non solùm mores in his quæ præcabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, ut veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas, in his quos volumus laudare præcellat.* Veruntamen pro magis perspicua propositi nostri intelligentia, duas præcipuè in hoc facto circumstantias particulares advertere debemus. Prima ab Evangelista Joanne adducitur, scilicet quòd per hic natus à Deo missus sit. *Fuit homo missus à Deo.* Secunda verò est, quòd Nativitas ejus ab Angelo quodam, non verò ab homine aliquo annuntiata fuerit. *Apparuit Angelus Domini, &c. Elisabeth pariet tibi filium.* Idque (inquiunt) *ut ex missione Angeli constaret, Ioannem non humanâ, sed divinâ virtute nasciturum.* Atque ideò S. Lucas sapientissimè in Genea-

Adhebr. c. 7. 3.

Beda in Cat. D. Thom. in c. 1. Luc. D. Ambr. in Cat. D. Th. ubi supr.

Ioan. c. 1.

Luc. 1 14. Corn à Lap. ibid.

Corn. à Lap in Evang. Luc fol. 844 n. 27. B.

Luc. 1. 1.

mealogia Joannis non solùm Patrem, sed etiam matrem inseruit & nominavit, aliàs enim mundus eum de cælo totaliter descendere, credere potuisset; & Gens Hebræa illum utique tanquam verum Messiam proclamasset: *Assimilatus Filio Dei*, non minùs, imò plus quàm Melchisedech. Unde ut demonstretur quòd Joannes non sit Messias Filius Dei, sed ei duntaxat similis existat, sciendum fuit quòd in terris Patrem & matrem habuerit non respiciendo ad qualitatem stirpis sacerdotalis, vel etiam ad leges observandas ab iis, qui historiam Genealogiæ Zachariæ & Elisabethæ contexunt. *Itaque aut necessarium, aut valdè conveniens erat, ut ejus nominaret matrem & quis fuisset*; Ne ingens Joannis & Christi mutua similitudo efficeret, ut Joannes Filius Dei esse crederetur. *Corn à Lap. in Evang.*

13. Porrò Joannes Christi actiones taliter est imitatus, ut exinde simillimus fuerit effectus. nos utique toto spiritu in hoc conniti deberemus, ut similes Joanni esse aut fieri possemus per vitæ suæ virtutumque & perfectionum, quæ in ipso residerunt, perfectam imitationem. Quatuor præcipuè particulares circumstantias in hoc sancto Præcursore considero. Locum scilicet, in quo habitavit: vitam quam duxit: vestes quibus amictus fuit: ac denique actiones quas fecit. Locus erat solitarium quoddam desertum. Vita sustentabatur in continuis abstinentiis; vestitum Camelorum pelles ministrabant. Actiones quibus deditus erat, aliæ non erant quàm prædicare, baptizare. Et quidem Religiosi ipsum specialiter imitari debent, subducendo se totaliter à sæculo, & mundum omnimodè contemnendo. Verùm eheu quot inveniuntur, qui vitam potiùs sæcularem quàm religiosam agunt, ea post se relinquendo vitæ scandala, & effrænis vitæ licentias temerè usurpando, ut etiam dissolutissimi sæculares inde stomachati graviter offendantur. Præterea quibus se cibis Joannes pascebat? Non aliis quàm iis quos in facultate sua de facto habebat, non verò iis quos vellet aut habere poterat. Abstinentiarum suarum parsimonia alium ei victum non indulgebat, quàm locustas, herbarum radices, & alios similes cibos rusticos in sylvis & dumetis enatos. Quot sunt Ecclesiastici sæculares, qui ex iis radicibus vivunt, qui ex Christi meritis exprimuntur, sed tanto cum luxu, ut ipsamet quoque idipsum erubescere superfluitas posset, de quibus proinde cum Apostolo dici potest: *Quorum Deus venter est*, quorum mensæ Vitellii & Epicuri mensas confundere possent. Quales erant panni quibus Summi Sacerdotis Zachariæ filius cernebatur amictus? Forte Holoserici? aut panni Anglicani? aut pellibus vulpinis suffultæ, vel Attalicæ vestes? Minimè; quin potiùs in summo hyberni temporis rigore discalceatus incedebat, reliqua corporis sui parte rudi & asperâ Cameli pelle contectus. Observetis velim quales hodie sint habitus, qui cum tanto luxu & superfluitate portantur, quasi nescirent, quòd membra illa quæ ab auro & argento vilia reputantur, tandem aliquando nuda mensura sint vel putredine vestita. Et tamen verum est, quòd vix inveniri possit materia satis elegans & pretiosa, quæ fastui & superbiæ ipsorum satisfacere possit. Videbitis nonnunquam Sacerdotem, cujus coma longior est quàm toga. Color purpureus quo tincta sunt eorum tibialia, elegantius in vultu emicaret, si nimirum is erubesceret, quod in sacro altari cum vanitatibus cernatur adeò scandalosis. Quid de iis dicemus. Qui cœlum versus nihil in se erectum habere, nihil nisi solam superioris labii barbam? Dummodò hæc per adhibitum ferri industriam sursum erigatur, parum de reliquo curant, quod anima præcipitetur deorsum. & quam utilius operam suam collocarent, si suam acerba quadam disciplina mortificarent sensualitatem, quàm quod adhibita ignis violentia O ferri duritie suam continuo martyrio afficiant barbam. Cogor proinde approbare eruditi illius Scriptoris lamentum, qui amarè deplorabat, quòd moderni temporis luxus fastuosior & delitiosior in publicum prodeat in Religiosis quàm in filiabus vanis & sæcularibus. Loquor hæc reservato bonis religiosis debito respectu de malis religiosis, qui scilicet simul cum verecundia Dei quoque timorem exuerunt. Discant insuper Prælati à Joanne, cui præcipuè debeant incumbere, ne per ipsorum negligentias officium sacerdotale suis functionibus defraudent. Quare imprimis gregem suam prædicationis pane pascere debent, item baptizare debent, id est, omnes illas functiones exercere, quæ in animarum beneficium redundant. Joannes in hoc maximam gloriam habebat repositam, si actionibus Dei honorem & animarum subsidia promoventibus utiliter impendere posset, non substituebat alios, sed in propria persona illas actiones exequebatur; id quod hodie plurimi facere dedignantur & erubescunt, tanquam rem vilem & abjectam. Pro se solos creatos esse ho- *Scipio Glazeom in scuto Rinal. c. 27.*

Ad Phil. 3. 19.

nores stultè sibi persuadent, ac propterea labores aliis committunt, cogitationibus suis de hoc solùm sunt solliciti ut superstitutos invenire possint, qui onera sua in humeros suos deportanda suscipiant. Vos omnes quotquot me hoc in loco dicentem auscultetis, seriò adhortor, ut vos Joanni similes efficere studeatis, sit ipse vitæ vestræ exemplar & prototypon, è quo heroicas eximiasq; ejus virtutes edisscere possitis.

PARS SCUNDA.

14. OStendimus hactenus sanctum Præcursorem Christo fuisse similem in Nativitate & in vita, ac proinde indicavimus similitudines, quæ inter Christum & Joannem intercedunt quantùm ad humanitatem. Quod si autem Religio & pietas id mihi concederent, quod Theologicus vigor abnuit, forsitan insuper adjicerem encomium longè sublimius, scilicet quod habuerit nescio quam similitudinem cùm ipsusmet Redemptoris Divinitate. Existimo, quod hunc loquendi modum meum non nimis æstimabitis licentiosum & præsumptiosum, siquidem omnis creatura rationis capax à Deo creata est. *Ad imaginem & similitudinem suam*, Genes. 127. nam ut S. P. Augustinus lib. 83. q. dicit. *Vbi est imago, continuo est & similitudo.* Et ut docet S. Thomas : *In homine invenitur aliqua Dei similitudo, quæ deducitur à Deo sicut ab exemplari, non tamen est similitudo secundùm æqualitatem, quia in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum.* Et ex doctrina ejusdem Doctoris Angelici habemus, quod *Si quis appetat esse Deo similis, in quo aliquid natum est Deo assimulari, non peccat, dummodo similitudinem Dei debito ordine appetat adipisci, ut scilicet eam à Deo habeat.* Unde in hoc secutioni & S. Joanni accommodationi sensu quem nos sacra Theologia docet, moveor ut mihi persuadeam Joannem habuisse nescio quam similitudinem cum Salvatore nostro, si is quatenus Deus est consideretur.

D. Th. p. 1. q. 93. ar. 1.

Idem p. 1. q. 63. ar. 3.

15. Porrò Joannes rogatus, ut qualitates & conditiones personæ nonnihil distinctius exponeret, se nihil aliud, quam vocem esse expresse declaravit : *Ego vox clamantis in deserto* Joan. 1. 23. Quidnam homo commune habet cum voce? Potiùs dicere debuisset : *Ego vir clamans, Ioannes prædicans Præcursor vociferans.* Quod si tu, ô Joannes, vox tantum es, meritò hi qui te auscultant, dicere tibi poterunt, quod pennato illi sylvarum cantori nonnemo dicebat: *Vox præterea nihil.* Eo ipso quo te vocem esse asseris, malevolis tuis occasionem præbes, tibi improperandi dicendo : *Sapientius est agere quàm fari.* Melius opinione mea respondisses, te silentium esse, quia Socrates tria præcipuè discipulos suos docebat, nimirum : *In animo prudentiam, in voce verecundiam, in lingua silentium.* Cleanthes dicere solebat : *Maximè juvenibus convenire silentium.* Aristotele Calisthenem ad Alexandrum mittens eum *Monuit ut cum eo rarissimè loqueretur.* Pithagoras & Appollonius Thyanæus quinque annis tacituri permanserunt. Verùm enimverò respondere utique poterimus, Joannem valdè prudenter se vocem esse declarasse, siquidem Cato milites instruere solebat, ut non tantum cum ferro dimicarent, & manu, verum etiam vocem adhiberent : *Verba pluſquam gladium, & voces pluſquam manum hostes in fugam vertere, attonitosque reddere.* Verùm transeamus hasce nugas, & ad altiores magisque peregrinas cogitationes erigamur : *Quid est quod Ioannes vocem se esse dicit?* Beatus Laurentius Justinianus Joannem non simpliceem vocem, sed vocem verbi fuisse dicit: *Ioannes vox verbi.* Quomodo autem Joannes vox verbi esse intelligitur? Dicite sodes Auditores, quamnam putatis *inter vocem & verbum* esse differentiam? Verbum est id, *quod mente concipitur.* Unde sicut Filius Verbum est Patris, ita Joannes vox est expressiva Verbi Divini : *Vox Verbi.* Vox expressa repræsentat verbum impressum, cui simile existit. Ac proinde Joannes non dicit : *Ego vox clamans, sed clamantis;* id est, vox verbi, similis Verbo. Id quod Origenes authenticè confirmat : *Dicit Ioannes se esse vocem non clamantem in deserto, sed clamantis, ejus scilicet, qui sitibat & clamabat, si quis sitit, veniat ad me, & bibat.*

Æneas, Silvius.

Max. ser. 12.

Laer. l. 7. c. 2.

Valer. Max. l. 7. c. 2.

Plat. in Rom. apoph.

Eudolph. Cart. p. 1. c. 19.

Orig. in Cat. D. Th. in In. c. 1.

16. Joannes vox fuit, sed non verbum. Veruntamen optarem facultatem concedi, ut ad minùs Joannem ad minùs semel Verbum fuisse asserere possem. Vicarius repræsentat Episcopum, sed non est Episcopus. Sacet Evangelista Joannes de ineffabili sanctissimæ Trinitatis mysterio loquens dicit: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* 1. Joan. 5 7. Videamus quinam hi tres illi. Primus testis est Pater æternus, qui tam in monte Thabor, quam in Jordane testimonium edidit : *Paterna vox audita est : Hic est filius meus dilectus*: Matth. 17. 5. Secundus est Spiritus Sanctus : *Spiritus est, qui testificatur, quoniam*

Platan. in Lacon. apoph.

niam Christus est veritas. Nunquam autem invenietis, quod Verbum, secunda nimirum in Divinis persona, de semetipso testetur; imò potiùs omninò contrarium factum est: *Ego testimonium non perhibeo de meipso. Si ego testimonium non perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Joan. 5. 31. Et meritò ita factum est; siquidem legibus statuitur, quod *nullus idoneus testis intelligitur in re propria.* Ergone ut Chronista Evangelicus asserit: *Tres sunt*? potiùs dicere debuisset: *Duo sunt.* Notandum igitur hoc loco est, id quod Christus ait: *Alius est, qui testimonium perhibebit de me.* Quisnam autem hic erit? Eundem Scriptorem Evangelicum hac super re interrogate, qui dicit: *Hic venit.* Joan. 5. 32. Quis autem est ipse? Joannes Baptista. Cur venit? Venit *in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*, Joan. 1. Joannes igitur vice verbi restatur, ergò saltem semel in sanctissima Trinitate locum Verbi obtinebit; ac proinde Petrus Damianus, & Laurentius Justinianus serm. de S. Joan. Bapt. hoc illi eloquium tribuunt, dicentes: *Ioannes totius medius est Trinitatis.*

L. Nullus ff. de test.

17. Adeò magna sanctitatis fama in Joanne erat, ut ad ipsum expediti fuerint Legati, qui de suo statu informationem caperent, cumque de ejus meritis & qualitatibus præstantissimis certiores facti essent, Sacerdotes & Levitæ, & quotquot ad eum missi fuerant cum omnibus modis, tanquam verum diuque à toto mundo desideratum Messiam recipere & proclamare volebant. Hanc tamen dignitatem tanquam sibi minimè debitam aut convenientem acceptare omninò renuebat, dicendo: *Non sum ego Christus*, Joan. 5. 21. Simile quid in historiis prophanis reperio. Mortuo enim Polydecte Rege, non obstante, quod filium quendam parvulum tanquam Coronæ suæ successorem hæredem reliquisset, Lacedæmones ad Regni gubernacula Lycurgum demortui fratrem eligere volebant. Quam ille dignitatem renuens, accepto inter brachiorum amplexus parvulo Coronæ hærede Senatum ingressus, eundem omnibus commonstravit, dicens: Non sum ego Rex vester, sed hic Polydecti fratris mei filius: *Ecce legitimum Regem vestrum.* Idem quoque accidit Præcursori. Hunc enim Sacerdotes & Levitæ Messiam esse volebant, qui oblatam sibi dignitatem animosè & fortiter renuit dicens: Non sum ego Messias. *Non sum ego Christus.* Unde Chrysostomus in Col. *Ad hoc mittunt, ut interrogarent, Tu quis es? Non quasi ignorantes sed volentes eum inducere ad hoc quod dixi* (id est, ut se Christum esse manifestaret) *unde Ioannes ad mentem, & non ad interrogationem eis respondit Non sum ego Christus.* Quin potiùs, vellut novellus quidam Lycurgus verum illis Messiam, Christum ostendit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hic verus est Christus, quem ego vobis digito demonstro. *Ecce legitimum Regem vestrum.*

Petrus Bess in festo S. Io. Bapt.

18. Veruntamen hoc loco insuper observo, quod non solùm se Christum esse neget, verum etiam se Prophetam, & Eliam esse inficietur. *Non sum ego Christus, Non sum Elias, Non sum Propheta.* D. Joan. c. 1. Verùm cùm Joannes spiritu & virtute Eliæ præditus fuerit: *Venit in spiritu & virtute Eliæ*; cùm sit Propheta, imò plusquam Propheta: *Hic est Propheta, & plusquam Propheta*, cur semper per negationes respondet? Pro hujus intelligentia notandum est, quod sacri Theologi docent, & præcipuè S. Thomas, quod quidditas Dei definiri aut repræsentari non possit *per affirmationem, sed per negationem.* Unde Angelicus: *Quia de Deo scire non possumus quid sit, sed quid non sit; non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potiùs quomodo non sit.* Sanctitas & conditio Joannis habebat, nescio quid Christi Divinitati simile. Vultis igitur scire quid Deus sit? Non est Angelus, non homo, non arbos, non lapis, &c. *Quia de Deo scire non possumus Quid sit, sed quod non sit.* Ita quoque de Joanne. Non possumus scire quid sit, sed quod non sit. Non Christus, non Propheta, non Elias. *Non sum ego Christus, non sum Elias, non Propheta.* Et S. Augustinus de laud. Joan. dicit: *Vis scire quid sit Ioannes: non est Deus, non est Christus.*

D. Th. 1. p. q. 3 ante art. 1.

19. Unica duntaxat mihi opponi poterit objectio, ex qua magna Christum inter & Joannem intercessisse dissimilitudo ostenditur: Cùm enim Christus plurima fecerit, Joannes verò nullum: *Ioannes nullum signum fecit.* Joan. 14. Videntur sibi mutuò quoad Divinitatem, & humanitatem valdè sibi fuisse dissimiles. Hujus ejusdem disparitatis vix ullam scirem rationem reddere, imò idipsum maximè admiror, cùm multi alii sancti fuerint ipso longè inferiores, qui tamen innumera quasi operati fuêre miracula. Verùm sistite nonnihil, videor enim nonnihil hac in re majoris lucis particeps fieri, ac proinde dico, quod ex hoc discrimine

non dissimilitudo, sed major potiùs inter utrumque similitudo argui possit. Quod ut ostendam, sequenti utar similitudine, Accipite bilancem, atque in unam lanceam monetam ream reponite, idemque etiam ab altera parte fiat, ita tam ut utraque moneta in pondere omninò æqualis sit levata in altum bilance, utrumque lanx in omnimodò æquilibrio stare comperietis. Quid autem factu opus ad hoc, ut una lanx majoris, altera minoris ponderis efficiatur? Tollite aliquid de substantia unius, idemque alteri adjungite. Christus etenim & Joannes quasi duæ monetæ aureæ fuerunt, horum unus scilicet Christus reapse pondus sine comparatione majus continebat præ Joanne, quoad sanctitatem eminentissimam & merita infinita: attamen in exteriori apparentia apud homines similes & velut in æquilibrio positi esse videbantur. Verùm quid faciendum ad hoc, ut Christus sicut verè est, ita quoque exterius Joanne major esse apparet? Tollatur aliquando ab uno, id est, à Joanne, miracula scilicet, & addantur illa Christo, sic enim in extrinseco cognosci facilè poterit, quod Joannes non est Christus. Et fortè Præcursor hoc ipsum inferre volebat, quando dixit: *Me oportet minui, illum autem crescere.* Id quod sanctus Valentinus Archiepiscopus optimè notavit, dicens: (Miro sapientiæ Dei artificio factum est, ut Joannes sine signo Christum signis innumeris corruscantem testificaretur populo, ut signorum claritate Joannis de Christo testimonium fulciretur, & falsa de Joanne opinio tollertur.) Et sanctus Thomas de Aquino Doctor Angelicus, idipsum confirmat, dicens: (Si Joannes signa fecisset, homines ex æquo Joanni & Christo attendissent; Et ideò ut homines principaliter Christo intenderent, non est datum Joanni, ut faceret signum.) Quod si igitur devota quadam curiositate motus me interrogares: *Quis putas puer iste erit?* Responderem similis Christo erit, prout hactenus explicavi.

S. Thom. à Villa N. Con. 1. de S. Ioan. B.

D. Th. 3. p q 38. a. 2. ad. 2.

20. Pro conclusione addo, quod de Alexandro Magno scribitur, hic enim cùm venisset Theassaliam, ibidem Ophei Poetæ sive ut alii volunt Homeri statuam invenit, qui digitum labiis super impositum constanter tenebat. Magnus hic Heros statuam hanc ut observaret, nonnihil substituit, viditque quod frons ejus in ejus conspectu sive præsentia copioso sudore madesceret. Qua de re Philosophi interrogati, prodigium interpretantes responderunt, statuam hanc inferre velle, quod quisquis heroicas & eximias vitæ suæ actiones scribere aut celebrare vellet, ei vel tacendum sit vel sudandum. Cùm igitur sancti illius qui omnium sanctorum est Maximus, encomia & prærogativas explicandas & celebrandas in me susceperim, opus erat, ut non solùm sudarem, prout me facere videtis, verùm etiam in silentii signum per digitum labiis admotum, me reliqua taciturnitatis pede pertransire velle significarem, idque magis cùm Joannes magnus sit, imò maximus, *Magnorum autem non est laudatio, sed admiratio.*

SERMO DECIMUS TERTIUS.

IN FESTO

S. PETRI APOSTOLI

Cœpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem istum quem dicis. Marci cap. 14.

1 NOn minus execrabilis, quàm reprehensione dignus est calamus ille, qui cùm in foliorum candore generosa & heroica alterius facta explicare deberet, defectus & deformitates è contra earum actionum describit, quæ quod verecundiæ rubore vultum tingant, efficiunt, ut quis aperta fronte in publico ambulare non ausit. Tacitus pari laude dignum æstimabat eum qui illas operationes manifestat, quæ virtutum habitibus vestitæ, in honoris theatro gloriosæ apparent, qualem is meretur, qui imperfectiones illas tu-

cet

cet, quæ famam obscurantes in reputationis & honoris præjudicium emergunt. Quia dextri oculi defectus vultum Antigoni Regis deformitate aliqua defœdabat, ideò ne deformitas hæc appareret, prudens ille & ingeniosus pictor dexteram faciei partem supprimens solam sinistram vultus partem effigiabat, ita ut pictura Regem veluti in dexteram partem respicientem referret. Cum Memnon omnium qui sub Darii Regis obsequiis militabant, militum expertissimus, contumeliosè de nonnullis Alexandri Magni defectibus loquentem militem quendam audisset, eidem asperrimè reprehenso comminatus est, quod nisi os suum contineret, & debito cum respectu de tanto Monarcha loqueretur, graves temeritatis suæ pœnas daturus esset. Atque ideò B. Petrus Cardinalis Damianus, dum super eo quod S. Marcus Evangelista de S. Petro Magistro suo scribit, reflectens videt, quod qui S. Petri laudes & facta æterna memoria digna celebrare debuisset, eorum loco Magistri sui peccata detegit, ejusque plusquam omnes reliqui Evangelistæ manifestet defectus, ab admiratione vehementi se continere non valens dicit: *Quæri potest, cur B. Marcus Magistri sui laudes atque præconia omninò tacuerit; Imò si diligenter inspicitur auget, & verbis accumulat, si quid in eo reprehensibile est; supprimit autem & velut ex industria lævigat, vel etiam plerumque silentio præterit quod laudabile est.* Unde si Petrus hunc à Christo favorem accepit, quod super undas ambulare potuerit. *Ambulabat super aquam ut veniret ad Iesum; Marcus de hoc nullam mentionem facit.* Matth. 14. 30. Si Petrus à Christo in Theologia examinatus, per axiomata ad præcipuos fidei articulos pertinentia excellentissimè respondit, dicendo, ut alii Evangelistæ affirmant: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* S. Marcus duobus duntaxat verbis idipsum præterit, dicendo: *Tu es Christus*, & reliquum *veluti negligendo transcurrit.* Matth. 16. 17. Si Petrus à Salvatore nostro est beatificatus: *Beatus es Simon Bar Iona*, Marci 8. 30. Si illum in fundamentalem Ecclesiæ suæ Petram elegit: si illum cæli terræque Dominum constituit: si illum gregis sui pastorem esse voluit: *Pasce oves meas.* Si pro Petro rogavit: *Ego pro te rogavi Petre*, Joan. 21. 18 per hoc clarè insinuans quod ipsum solum pluris faciat, quam reliquos omnes simul conjunctos. Si Filius Dei voluit, quod una eademque in ore piscis inventa moneta pro se tantum & dilecto suo Petro Cæsari gabella solvatur, ideoque Petrus, *tanquam Domino comparatus fuerit* Luc. 12. 32. De omnibus hisce prærogativis sanctus Marcus ne vel unicam, imò ne minimam quidem tetigit. Si Petrus in horto Gethsemani generosum quoddam facinus commisit, ensem pro Magistri sui justa defensione stringendo & animosè in Malchi auriculam vibrando. Sanctus Marcus facti quidem substantiam describit, sed quisnam tam generosi facinoris author fuerit nequaquam dicit: *Unus quidam de circumstantibus.* Marci 14. 47. In summa, *quicquid ad Magistri sui, id est, Petri gloriam pertinet, veluti oblivioni tradit.* Econtra vero si pauperculo Petro aliquod infortunium aut lapsus aliquis humanus accidat. Ecce tibi protinus in campo positum & expeditum Marci calamum, ut eundem Petri errorem in Evangelio suo perspicuis verbis manifestet. Sic exempli causa, si Petrus in monte Thabor petat, ut patiatur erigi in eodem monte tria tabernacula, subito Marcus id notanter describit, eumque veluti extra propositi orbitam loquentem reprehendit, dicens: *Non enim sciebat, quid diceret.* Marc 8. 33. Si Petrus vehementis erga Creatorem suum affectus teneritudine motus, mortem eidem dissuadet: *Absit à te Domine non erit tibi hoc*; Et Salvator eum desuper reprehendat; Marcus penna sua protinus arrepta reprehensionem illam signanter annotat: *Vade post me Sathana. Austera narrat animadversione correptum.* Si Petrus vacillat & offendit in atrio Pontificis, & Dominum suum trina vice negando turpiter cadit, illius certe Marcus nullatenus obliviscitur, sed calamo suo minimè parcens latè & fusè idipsum exponit: *Negavit dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Iterum negavit: Cœpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem istum quem dicit.* Et in hoc præcipuè notandum est, neminem aliorum Evangelistarum hoc, Petri infortunium & miserabilem casum cum tanto rigore & emphasi exaggerare ac Marcus facit: *Durius loquitur & tanquam crimen exaggerat.* Unde satis patet quod *quæ laudibus sunt efferenda præterit, quæ ad reprehendendum videntur apta, describit.* Poterisne ô Marce causam nobis exponere *cur à tot Magistri præconiis calamum reprimis, & sola quæ infirmitatis sunt ad posterorum memoriam stylo committis* ita curiosè Cardinalis Damianus interrogat. Respondet autem S. Evangelista, causam cur non perfectiones, sed lapsus, non virtutes, sed defectus, non gloriam sed ignominiam scribat & exponat, hanc esse, quia nimirum in Petro ipsi quoque

Plin. lib. 35. c. 10.

B. Petrus Dam. ser. 14. & 1.

Marc. 14. v. 70. 71. 72.

D. Petrus Dam. ubi supra.

lapsus perfectiones fuêre : defectus in ipso non minus fuere laudabiles ac virtutes, ejusque ignominiæ non minus celebrandæ sunt, quam ejus gloriæ. Id quod à S. Patre Augustino traditam doctrinam tanquam veram confirmat, qua dicit. *Nonnullis errare profuit* ; cui Venerabilis quoque Beda consentit dicens : *In flagitia aliqua cecidisse profuit.* Unde & ego hodie à S. Marco edoctus, S. Petri lapsus & defectus explicabo, ad hoc ut sicut Thales ex umora turris cujusdam, ejusdem novit altitudinem conjicere, ita vos quoque ex ejus defectibus & imperfectionibus, virtutum suarum excellentiam, prærogativas & gloriam colligere valeatis. Unde Marcus dicit, quod *Petrus cœpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem istum quem dicis* ; quia hoc negasse Magistrum suum, *occasionaliter* maximæ suæ dignitatis origo & principium extitit. Porrò supervacaneum esse existimo, vestram singulari studio attentionem expostulare, scio etenim, quod quando sermo est de proximorum nostrorum defectibus, quilibet dicentem attenta avidaque aure soleat auscultare. Id quod vos quoque facturos esse confido. Progrediamur.

D. P. *Aug. in Epist. Beda in Erasm.*

2. Quandoquidem duo glorioſi Apostoli Petrus & Paulus nec in vita, nec in morte unquam fuerint separati, ideò quoque eosdem in præsenti discursu à se invicem dissociare aut sejungere nolo, sed conabor ut unus alteri in toto hoc discursu semper & constanter adhæreat, quia per sancti Pauli doctrinam, S. Petri Apostoli prærogativas & excellentias celebrare & elucidare conabor. Scribit igitur inprimis magnus ille Gentium Doctor in Epist. ad Romanos & docet, quod universa mala quæ servis Dei accidunt, illis convertantur in bonum : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Epistolæ hujus expositores ab ipsius Apostoli sensu nequicquam differunt, & speciatim Cardinalis Cajetanus ita exponit : *Præsentis textus intentio directe tendit ad hoc, quod Deus etiam in hac vita coefficit omnia quomodolibet redundantia in illum (id est sanctum) in bonum illius.* Quibus verbis mihi à doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ non procul abivisse videtur, qui ita loquitur : *Usque adeò talibus Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciet proficere in bonum.* Circa quem passum optarem me penetrare posse, quidnam hi scriptores una cum S. Paulo intelligant *per ly (omnia) & per ly (bonum)* Scio quidem, quod multi *per ly omnia* intelligant omnes hujus mundi calamitates pro amore Dei voluntarie & libenter toleratas, quales sunt falsæ Susannæ impositæ calumniæ, persecutiones Davidis, Danielis angustiæ, adversitates Jobi, in Apostolos exercitatæ tyrannides, tormenta & dolores à sanctis Martyribus perpessi. Et quidem id totum optimè dicitur. Veruntamen S. P. Augustinus sub hoc universali nomine (*omnia*) ipsa quoque peccata includit : *Omnia cooperantur in bonum, etiam peccata.* Mutantne itaque etiam peccata faciem suam & convertuntur in bonum : Imò vero, saltem *occasionaliter* ; quia Deus *suo inscrutabili consilio novit ex malo elicere bonum.* Sic enim è tenebris quoque lux nascitur, sed *terminativè, & ex bello pax.* Verum enimvero qualenam sit bonum illud quod è peccato nasci potest, & quidnam per ly *bonum* intelligi debeat, quoad hoc variæ sunt opiniones. Sanctus Anselmus per bonum illud vult bonum utile intelligendum esse : *Ita Deus cooperatur eis, ut omnia vertat in bonum & utilitatem eorum.* At verò quia fieri potest, quod bonum illud utile non sit verum bonum; ideò Magister sententiarum mentem sancti Pauli declarat, dicens : *Omnia cooperantur in verum bonum.* Quasi inferre vellet : Si fortasse aliquis servus Dei per humanam fragilitatem peccatum aliquod committat, Deus eo velut instrumento utetur ad formandas & fabricandas ei veri boni coronas, adeò ut tandem redundet in subsidium & profectum, & majorem gloriam Dei. Et quis scit an sanctus Paulus Romanis scribens, non voluerit illis legalis amici dilectissimi sui Coapostoli, & Pastoris illorum, Sancti inquam Petri conditiones notificare? quasi diceret : Ecclesia tua ô Roma, caput aliquod seu Pontificem quendam est habitura, cujus culpæ à Deo in coronas sunt transmutatæ, cujus ignominiæ in honores, jacturæ in victorias sunt versæ. Unde optimè sanctus Primasius ait : [Omnia cooperantur in bonum, hoc est, crescunt, sive adjuvante Deo contraria vertuntur in prosperum.]

Apud Corn. à Lap. D. P. Aug. l. 1. de corrept. & gra. c. 1.

D. Anselmus ibid.

Magister sent. ib.

Ad Rom. 8 v 28.

D. Th. ibid lect. 6.

D. Prim. Epis. Apo. in c 8. ad Rom. 2. in Bibl. PP. p. 2. fac. 6.

3. Existimo omnino Prophetam Regium totum hoc in spiritu prævidisse, quando in Psalmis suis qualitates alicujus justi, & divinæ erga eundem pietatis effectus nobis proponens dixit : *Cum ceciderit Iustus non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* Psalm. 36. q. d. Quod si Justus, utpote viribus fragilis & debilis,

lis, à diabolicarum tentationum impulsibus nonnunquam exagitatus, in gravem aliquam culpam ceciderit, nequaquam dubitet, aut desperet *quia Dominus supponit manum suam.* Quonam fine Deus manum suam subtus alicujus servi sui pedes supponere dignatur? Non solum ut illum conservet & sustentet, sed etiam ut illum elevet & exaltet: (Cum ceciderit justus per peccatum propter carnis infirmitatem non collidetur (inquit Ludolphus Carthusianus) id est, non frangetur irrecuperabiliter gratiam Dei & virtutes amittendo, & finaliter in peccato illo permanendo, quia Dominus supponit manum suam auxiliatricem, ne criminaliter delinquat, eum auxilio suæ gratiæ & misericordiæ sublevando.] Adeoque Deus servos suos non solum manu sua sustentat, verum etiam lapsos aut in culpam præcipitatos sublevat, & ad honores & dignitates exaltat: [Supponit manum suam auxilio suæ gratiæ sublevando.] Et subdit Remigius Antisiodorensis; [Illa afflictio non erit ei ad dejectionem, sed potius ad exaltationem. Hoc est, Divina benignitas, ad felicitandum dilectos & electos suos miseriis utitur, & infortunia immittit, ad augendam amicorum suorum fortunam. Adeò ut sicut Antheus ab Hercule in terram prostratus, majores sibi vires recuperabat, ita ut fortior semper surgeret quam ceciderat: ita hi per culpam misere prostrati à majoribus criminum lapsibus, majora sibi conciliant incrementa virtutum. Quis unquam major Filii Dei amicus extitit Petro, qui trina vice in amoris proba examinatus, semper in amando inventus est ferventissimus. Hic igitur justus erat, at verò misere lapsus est, veruntamen *non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Verè enim manus Dei fuit, quæ Petrum non solum à lapsu suo erexit, verum etiam eundem ad majorem dignitatem & totius Ecclesiastici status præeminentiam sublimavit. Unde enim tantæ Petro collatæ præeminentiæ suam habuere originem, præterquam à commissis ab eodem erroribus & peccatis, hæc enim moraliter fuerunt suæ exaltationis motivum & occasio. Dicat idipsum Rupertus Abbas Tuitiensis: [Oportebat, inquit, prædestinato atque vocato ad tantam celsitudinem Petro Apostolo causam subesse, & magnitudinem honoris ejus præire, unde illi humilitatis atque compassionis scientia jugiter posset accedere; Ideò labi permissus est.]

Ludolph. Carth. in Psal. 36.

Remig. Antisiod. in Ps. 36.

Rupertus Abb. de ope Spir. S. de Sap. tit. 2. cap. 18.

4. Quandoquidem Prophetæ Regio videbatur in se excellentiarum Petri, quas in spiritu præviderat, origine indicanda, nequaquam plenè satisfeciſſe, iterum loqui cœpit: [In *Petra*, inquit, *exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* Psalm. 26. Et quidem satis clarè videtur, verba illa de Rege Davide intelligenda esse, attamen alii eadem cuiliber fideli Dei servo applicari posse volunt: *Potest specialiter exponi de quolibet electo*; quorum unus, isque omnium præcipuus fuit S. Petrus Apostolus. Verum quidnam significat per hoc quod se in Petra exaltatum esse dicat? *In Petra exaltavit me* Carmelitanus incognitus Michael de Ayguanis respondet: *Sic ergo in petra exaltantur, qui per Christum beatifici sunt* Hic propriè Petrus fuit, cui verbum Dei incarnatum dixit: *Beatus es Simon Bar Iona. Et hæreditatem captunt cœlestem*, quod accidit quando ei claves regni cælorum donavit: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Quod autem Propheta subjungit: *Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos*, coincidit cum eo quod Christus Petro significavit; quod scilicet, *porta inferi non prævalebunt adversus eam*; id est, adversum Ecclesiam curæ ejus commissam. Unde liquet quod non incongruè versus ille Davidicus in persona S. Petri exponatur. Verum ad propositum nostrum eundem nonnihil ponderemus & examinemus. Mihi equidem Propheta Regius dicere velle videtur, quando S. Seniculus Petrus lapsus est *in petram scandali* ex erroribus per incautum sermonem commissis, Deus ab iisdem eum exaltandi & sublimandi occasionem sumpserit: [quasi dicat. In firmamento suo, atque fortitudine qua me stabilivit, & sustentavit, tanquam in fortitudine petræ; ipse dedit mihi victoriam, & glorificavit super inimicos meos, & nunc ex Dei beneficio exaltatum est caput meum.] O quantus honor quantaque gloria in Petrum ex lapsu in culpæ & scandali petram redundavit. *Exaltavit caput meum.* Ly *caput* etiam quidem per figuram Synecdoches intelligere possumus, *qua accipit partem pro toto.* Per caput Petrum, qui Collegii Apostolici caput est, intelligendo; veruntamen melius per ly caput pars principalis & suprema intelligitur corporis, id est, verum naturale caput Petri, ô quanto cum jure S. Petrus dicere potest, lapsus suos occasionem fuisse, exaltandi, adornandi, & glorificandi caput suum, tribus enim coronis caput Petri redimitum fuit, veluti Regis terræ, cæli & inferni. Unde Ly-

Th. Angl. Card.

Matth. 16. 18.

Ibid.

Paulus Palent. f. 367. col. 2.

Idem ib.

ranus

Lyran. in Psal. 26. Fanus dicit: *Exaltavit caput meum coronando me corona regni*, imò *coronis regnorum*. Prudenter itaque Marcus lapsus Petri describit, quia ab illis potius quam à prodigiis suis omnes originē traxerunt Petri gloriæ. Unde cum dicit: *Cœpit anathematizare & jurare &c.* non contemnit Apostoli nostri actiones, sed potius præclaras ejus laudat & commendat prærogativas. Rosa à spinis non offenditur, sed defenditur: *Vallant, non violant*. Tales quoque fuerunt S. Petri imperfectiones & defectus, siquidem ei plus utilitatis quam damni, plus honoris quam ignominæ ei conciliarunt.

5. Duo præcipuè casus huic Apostolo accidisse leguntur, ambo quidem mystici ex diversa tamen fortuna sive occasione nati. Unum S. Matthæus refert, nimirum quod cum filius Dei discipulos suos navem conscendere jussit, prouti & fecerunt, ut in terram Genesareth trajicerent; acciderit, quod mox ut discipuli à littore solverant, Dominus è longinquo super undas maris ambulans illos fuerit insecutus. Ineunte autem nocte, tempestas quædam adeò ingens in mari oborta fuit, ut tametsi artis navigandi admodum periti essent, valdè tamen se periclitaturos extimuerint. Redemptor autem noster eos consolatus est hortando eos ne timerent, eò quod ad subveniendum illis præsens adesset: *Ego sum, nolite timere.* Bonus igitur Christi discipulus Petrus Magistrum suum conveniendi percupidus, eidem mox supplicavit dicens: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Qui ei gratiam postulatam nequaquam negavit, sed protinus dixit: veni; unde ipse omnis moræ pertæsus, è sponda seu margine navis in mare se præcipitem egit: *Et ambulabat super aquam ut ad Jesum veniret.* Et ecce ex improviso procellæ sub Apostoli pedibus intumescere cœperunt, adeò ut ad vitam salvandam auxilium à Domino coactus fuerit exposcere dicendo: *Domine salvum me fac.* Unde nisi Dominus oportune adfuisset, & S. Petro manum præbuisset auxiliatricem, miser Petrus in mari submersus, mortuus & sepultus fuisset. Alter verò casus postea accidit, refert enim S. Joannes, quod postquam sanctus piscator, una cum multis aliis integra nocte retia in mare Tyberiadis jaciendo in vanum laborasset, una cum navigio suo littus petierit, cumque Joannes Petro Magistrum ipsorum in littore stare, eosque præstolari diceret, subito S. Senecio *Tunica succinxit se & misit se in mare*, & quasi per ducentorum cubitorum spatium per mare transiens, tandem feliciter & securè in conspectum Domini sui pervenit. Hic igitur nunc meritò causa inquiritur, cur Petrus super mare Tyberiadis libere & sine periculi timore inambulet, in mari verò Genesareth tot fuerit naufragii, submersionis, & mortis periculis expositus. Nunquid utriusque maris liquidum elemētum utrobique aqua est? Nunquid est una eademque utrobique Petri persona? Imò quod plus est, in mari Tyberiadis pannosis vestibus suis amictus erat, quæ in similibus submersionis periculis magno sunt ad emergendum impedimento. Ecce tibi in promptu difficultatis hujus resolutionem. Tunc Petrus modica erat fide imbutus, ac proinde Dominus illi dixit: *Modicæ fidei quare dubitasti.* Unde nemo sit, qui illum tanquam imperfectum culpare, aut velut defectuosum contemnere præsumat, siquidem modica fides qua in mari Genezareth imbutus erat, ei cautelæ loco fuit, qua deinceps in mari Tyberiadis constitutus majorem & perfectiorem fidem concipiat, tanquam bonus Philosophus procedat *à minori ad majus, & ab imperfecto ad perfectum.* Unde ex timore quo in mari Genesareth percussus erat, libertas postea nata est atque securitas. *Olim miserat se in mare* (inquit Rupertus Abb. Tuitiensis) *& ambulaverat super aquas, ut adveniret ad Jesum, sed videns ventum validum venientem, timuit.* Ecce timorem qui ex modica, quam in Redemptorem suum habebat, fide natus est; ac proinde *In ipso timore suo penè submersus est*; Postea verò in mari Tyberiadis, ubi Dominus in littore erat: *Nunc autem stanti Domino in littore, sponte se idem mitti in mare, & non timet*; quia timor ille nupetus securitatem in corde Petri causavit, ipsumque adversus omnem alicujus sinistri maritimi casus suspicionem validavit: *Nihilq; periculi passus est.*

Matth. 14. 28. Ibidem. Ib. v. 30. Ib. v. 30. Joan. 21. v. 17. Rupertus Abb. in cap. 21. Jo. c. 1. l. 14.

Incarnata Patris sapientia de funestis amarissimæ Passionis suæ eventibus, quos pro mūdi redemptione ab Hebræorum manibus passurus erat, cum discipulis suis sermocinabatur. Cūque Petro nimis videretur exorbitans, quod justus pro peccatore, & Dei Filius pro vilissimo terræ vermiculo pateretur, reprehendit hæc cū discipulis suis loquentem Dominum: *Et amantus affectu*, inquit Chrysost. subjunxit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sed quale Petrum responsum retulisse existimatis? *Qui conversus dixit Petro, vade post me Sathana.* Nunquid hæc vobis rigorosa & acerba reprehensio esse videtur? Illum à se repellit, & summa cum indignatione

D. Hier. in c. 16. D. Matth. D. Chrys. in Cat. D. Th. in c. 8. Mar. Matth. 16. 21.

tione eum alloquens, Sathanæ maledicto nomine compellat. O miser Petre, quis hic te defendere præsumat? Cum enim ipsemet Dei Filius tanta cum asperitate te reprehendat, indubitatum est, te magnum quendam commisisse errorem. Errorem? Reprehensionem? Ah valde decipitur, quisquis hoc credit. Nam sermo Petri, quo magistrum suum alloquebatur, nullo fuit errore aut defectu obnoxius, sed potius amore refertus, & consequenter Christi responsio non fuit reprehensio, sed potius honor & remuneratio. Etenim bene illam ponderemus, & comperiemus esse veritatem; Porrò pro meliori intelligentia sequentem præmittamus historiã. Quamprimum Ludovicus XII. Caroli VIII. filius coronatus fuit, suique regni possessionem apprehendit, confestim per Secretarium suum omnium præcipuorum aulæ suæ nobilium catalogum quendam exactum sibi confici jussit. Quem acceptum optime observavit, superque singulorum merita maturam deliberationem instituit; ac tandem arrepta penna nonnullorum nominibus in margine Crucem quandam sub hac figura † adnotavit, dicens: *Hos præ aliis honoris titulis insignire volo* Hanc quoque Christi intentionem eo tempore fuisse, quo dixit: *Vade post me Sathana*; ex eodem Redemptoris mystico sermone facile conjicio, nam dum suam Crucis mortem, quam Hierosolymis passurus erat, discipulis suis revelaret, & S. Petrus *amantis affectu* se illi opponeret; respondit Christus *Vade post me*. In Hebræo legitur *Leeh acharai*, quod idem significat, quod *Sequere me*. q. d. Ego quidem ante te crucem adibo, tu autem *vade post me*, id est, post mortem meam me in ejusdem Crucis passione sequeris. Unde S. P. August. ait: *Meritò Petro dictum est, sequere me, qui non solum mortem, sed mortem Crucis, sicut Christus expertus est.* Ecce tibi S. Petrum signo † honoratum. Verum quidem est, Christum Dominum S. Petrum *Sathanam* nominasse, sed tantum abest, ut hoc nomen præsenti proposito quidquam officiat, quod etiam conceptum meum potius peregregiè confirmet. *Sathanas* enim (ut Theophyl. & Rupertus Abbas Tuitiensis exponunt) idem est quod *Adversarius*, seu contrarius; ac proinde Christus ei dicere voluisse videtur: vere in cruce sustinenda Sathanas, id est contrarius seu adversarius mihi esse videris, cùm enim ego capite sursum erecto, & pedibus deorsum protensis sim crucifigendus, tu è contrario *inversis vestigiis*, id est, pedibus sursum elevatis, & capite deorsum inclinato crucifigeris. Videte igitur Auditores, qualiter id quod mundus reprehensionem & contemptum esse judicat, tandem in fine honorificentia & impensa laus esse videatur. Petrus enim honoratus fuit, non verò reprehensus.

Theoph. in Cat. D. Th. in c. 8. Mar. Rupertus Abb. t. 1. l. 1. in vol. 4. Evang. c. 25.

7. Refert Plinius, quod Apelles colorem quendam adinvenerit subtilissimum pariter & obscurum, quo picturis suis à penicillo suo totaliter absolutis ultimam dabat perfectionem, eas colore illo adumbrando taliter, ut licet qui artis pictoriæ periti non erant, existimarent quod illas deturparet, & ex penicillo acceptam elegantiam adimeret, color tamen ille ad reddendam picturam magis spectabilem ultimum conciliaret perfectionis complementum. Idipsum quod nonnulli in Petro defectum appellant & errorem, & consequenter colorem quendam obscurum sanctitatis suæ picturam obfuscantem esse existimant; id inquam aliorum judicio umbra quædam esse videtur, quæ gloriæ suæ splendorem & claritatem magis facit eluescere. Pupillæ nigredo oculum perspicaciorem efficit. Naturæ abortus, inter Principum raritates & elegantias reservantur. Monstra *faciunt & perfectionem universi.* Equus quem semel momordit lupus, longe deinceps fit generosior. Actiones Petri culpabiles æstimatæ, occasionem ei dederunt, ut erga Redemptorem suum fieret in amore fervention, fortiusque ab eodem redamaretur. Quod si idipsum non creditis, sequentem scripturæ locum attenti auscultate, is enim non mentitur, nec decipit. Christus Dominus ut de affectu Petri erga se redderetur certior, trina vice eundem interrogat: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* qui mox respondet: *Etiam Domine, tu scis quia amo te?* Replicat Dominus: *Simon Ioannis, diligis me?* Et ecce lingua ejus, quæ à corde ipsius ne quicquam differebat, idem iterum affirmat & confirmat dicens: *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* Repetit tandem Dominus eandem interrogationem tertio, & dicit: *Simon Ioannis amas me?* Cui Petrus respondit: O Domine, tu nosti interiora humanorum cordium, optimeque nosti an te diligam vel non: *Domine, tu omnia scis, tu scis quia amo te.* Hugo Cardinalis: *Amo te plus his*; quasi diceret: Amor quo ego erga te feror, quemvis aliorum hominum amorem longe superat. Quid dicis ô Petre? *Cor alterius videre non poteras*, inquit Pater meus S. Augustinus. Quomodo igitur tantum de temetipso præsumis? Nunquid alius Dominum ardentius diligere potuisset Simone Joannis? videtis mihi plus

Plin. l. 35. c. 10.

Ioan. 21. 17.

Hugo Card.

D. P. Aug. in Ca. D. Th. in a. 11. Io.

nimio de te præsumere, dum inquis: *Amo te plus his.* Dic enim sodes, quodnam habes conjiciendi fundamentum, ut tibi persuadeas, quod Dominum plus quovis alio diligas? pro hujus difficultatis resolutione revocate vobis, ô auditores, in memoriam, id quod S. Lucas in domo Pharisæi accidisse refert: Huc enim Magdalena accedit, dumque se pedibus Salvatoris nostri unguento instructa advolvit, Pharisæus temerè judicare apud semetipsum incipit, Christum ignorare statum illum peccaminosum, in quo mulier hæc posita erat, ideoque dicebat: *Hic si esset Propheta, sciret utique, qua & qualis est mulier quæ*
Luc. 7. 39. *tangit eum, quia peccatrix est.* Hoc igitur advertens Dei filius cordium scrutator, parabolam quandam introducit de duobus debitoribus, quorum unus quingentos, alter verò quinquaginta denarios debebat: *Unus debebat denarios*
Ib. n. 41. *quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus autem illis, unde redderent,*
Ib. 42. creditor pecuniarum istarum *donavit utrisque.* Scire igitur cupiem ô Simon, uter duorum illorum Dominum plus dilexerit? *Quis ergo eum plus diligit?* Cui Simon prudenter respondit, utique is qui plus sibi dono datum accepit, id est, qui dimissi sunt quingenti denarii? *Æstimo quia is cui plus donavit.* Non poteras ô Simon melius respondere: *Recte judicasti.* S. Petrus qui differenti Domino præsens aderat, totum hunc discursum exactè notavit, præcipue verò id quod Dominus concludendo subintulit: *Cui minus dimittitur, minus*
Ib. n. 48. *diligit.* Itane? inquit Petrus, Ergone ille plus diligit Dominum, cui Dominus plus dimisit? Aliis discipulis unicum tantum debitum remisit, quod valebat quinquaginta, quando *Relicto eo omnes fugerunt.* Mihi autem quinque debita remisit, quorum quodvis centum valet, ut proinde omnia ad quingentorum denariorum summam ascendant. Primum est, quando in mari
Matt. 26. 57. dubitans hæsitavi in fide; *Modica fidei quare*
Matt. 14. 28. *dubitasti?* Secundum est quando in cœnaculo me ejus voluntati opposui, nolens permittere
Io. 13. 8. mihi à Domino lavari pedes: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Et tria alia debita quæ in atrio Pontificis contraxi, quando eum trina vice negavi. Unde cum aliis unicum duntaxat debitum, mihi verò quinque dimiserit, illis inquam quinquaginta, mihi verò quingentos, sequitur per legitimam consequentiam, quod sicut *cui minus dimittitur, minus diligit,* ita quoque *cui plus dimittitur, plus diligat.* Mihi plus remisit quam aliis, *Ergo plus aliis eum diligo. Amo te plus his.* Verum enimvero cavete, ne Petro per omnia fidem adhibeatis, utpote qui in propria causa loquitur: *Nemo sibi jus dicere seu jus lex esse debet, in propria causa,* inquit Lex. Accedat igitur tertius quispiam, qui hactenus dicta corroborat; dicens: *Vere pœnitens cum majori affectu ad Deum redit, quia majus beneficium à Deo se accepisse agnoscit, juxta illud: Cui plus donavit, plus diligit.* Unde etiam ex doctrina S. P. Augustin. facile conjicitur, ipsum præ omnibus aliis ardentius à Christo esse redamatum: *Si Petrus plus quam cæteri Christum dilexit, sane etiam plusquam alii à Christo est dilectus, quia Christus eos magis amat, à quibus magis amatur.* Etenim dicat quoad hoc unusquisque quod libet; ego saltem existimo, imperfectiones Petri, eidem ornamentum addidisse, non vero deformitatem. Nam tamersi ei aliqualem umbram addiderint, id tamen cedit ad majorem elucidationem candoris suæ sanctitatis Encaustum nigrum in auro extensum, majorem illi valorem addit & pretium. *Cæpit anathematizare & jurare, quia non novi hominem illum.*

L. unica Cod ne quis in sua causa judic. *Th. Stapleton.* *D. P. Aug. in Io.*

8. Porro aptissimam præsenti proposito invenio Historiam. Erant Romæ in templo Fortunæ multæ statuæ in perpetuam diversorum virorum illustrium memoriam erectæ. In particulari vero erecta erat prope altare Fortunæ famosa Servii Tulli statua, cum hoc tamen speciali discrimine, quod cum omnes aliæ statuæ discoopertæ, nec ulla chlamyde contectæ essent, hæc sola toto corpore pallio cooperta fuerit, idque nonnulli ideo factum esse volunt, ut per hoc exprimeretur discrimen quo ab aliis differebat, cum enim omnes alii liberi nati fuissent & nobiles, ipse è contra servus fuit, atque ab ancilla quadam natus. Unde pallium istud regiæ suæ reputationi & coronæ nescio quem nævum adspergere videbatur. Sed quid dico nævum? Pallium istud adeo locuples torque gemmis & margaritis per circuitum distinctum & exornatum erat, ut quisquis ad statuas illas videndas ingrediebatur, omnia alia negligens, solum hujus pallii pretium ingentesque divitias respiciens attonitus staret; unde sola Servii statua præ omnibus aliis, apud cunctos in admiratione erat: *Pero era la capa omanto tan artificiosa y ricamente labrada, que tenia mas que ver, que todas las demas.* Porro video non jam in Templo Fortunæ, sed in Scripturæ sacræ Theatro comparentem S. Petrum Apostolum, qui cum non videatur ausus fuisse tempore Passionis Christi cum aliis discipulis

Andr. Ebor. de infælic. in exemp. Roman. *Apud Petr. de Valder. serm. 3. de D. P. Aug. in Theat. Relig.*

pulis comparere & Christum profiteri, à sacris Evangelistis negationis trinæ obscura chlamyde contectus repræsentatur: *Cæpit anathematizare & jurare, quia non novi hominem illum.* Obscurum autem pallium istud eum *saltem occasionaliter* adeo spectabilem & præclarum reddidit, ut in eo maximas causarit Ecclesiæ divitias, totumque mundum in stuporem adegerit. Nam si dixit: *Non novi illum*, bene locutus est ex mente S. Ambrosi: *Bene dixit, temerarium quippe erat, ut diceret, quia noverat eum, quem mens humana non potest comprehendere.* Dixit: *Non sum ego, quia mavult se negare quam Christum.* Iterum dixit: *Nescio quid dicas: Hoc est, sacrilegia vestra nescio.* Sed suppositio etiam quod errasset, ex ejus tamen errore nascitur gloria. Audite quæ dicturus sum cum attentione.

D. Ambr. l. 10. in

9. Probissime nostis ô Auditores, Incarnatam Dei Patris Sapientiam in cunctis actionibus suis prudentissime sese moderatam fuisse. Quod cum certissimum sit, causam scire desidero, ob quam mota fuit, ut Petrum nostrum eligeret ad Papatum evehendum. O quam sublimis dignitas! Nulla in terris invenitur major, si Dei Majestatem exceperis. Cur illam non potius Joanni contulit, qui erat illi adeo charus, adeo dilectus & amatus nec non proximo sanguine junctus? Hodie in more positum est, ut quilibet de suis in altum evehendis curam habeat. Quodnam in Petro meritum vidit, quod etiam in Joanne non invenitet? Verum quidem est eum fuisse juvenem, attamen doctus, prudens, & sanctus erat. Hæ sunt rationes quæ Salvatorem ad eum à Papatu non excludendum movere debebant; Demum vero Petro ad Papatum electo, audite quam supremam & summatiam in eum transtulerit authoritatem: *Adest Petrus* (inquit Cardinalis Damianus) *& ad ejus arbitrium orbis universus solvitur & ligatur. Et quod plus est: Præcedit Petri sententia, sententiam Redemptoris.* Adde quod excellentius est: *Quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus.* Poteritne etiam dignitas aliqua hac major aut excellentior reperiri. Quod si itaque dignitatem hanc Joanni contulisset, nihil esset quod opponerem, siquidem meritum in eo erat, & parentela. Non dico quod Petrus dignitatem hanc meritus non fuerit, sed tantum videtur mihi quod in S. Joanne motivum aliquod fuerit longe excellentius pro electione ad Pontificatum. Nonnulli Christum id feciisse respondent, ne occasionem aliis daret cognatis conferendi Ecclesiasticas dignitates: verum hoc non prohibetur, quando consanguinei etiam optime sunt meriti. Alii autem dicunt causam electionis Petri fuisse, quod is primo peccator fuerit & postea pœnitens, id est, quod suum trina vice negaverit Magistrum. Nam si Joannes electus fuisset, non obstante quod supradicta authoritate effulsisset, nihilominus ex quo adeo justus & instar Herminii cujusdam candidus erat, humanis fortasse erroribus nequaquam fuisset compassus, neque homines ausi fuissent pro absolutione & remissione coram ipso apparere. Eligatur itaque Petrus, qui cùm peccator & ipse fuerit, occasionem habebit cæteris quoque peccatoribus compatiendi. Homines quoque Petrum uti fragilem hominem, turpiter lapsum fuisse considerantes libenter se ad pedes ejus prosternent seque authoritatis suæ clavibus haud gravatè submittent. Unde patet, quòd hoc Dei permittere ut Petrus illum neget, fuit idem quod illum ad Pontificatum disponere & habilitare. Unde Arnobius ait: *Christus ter negatus negatori suo, quam solus habuit, tribuit potestatem.* Unde facilè deducitur, quòd tota ratio, *quare tribuit ei potestatem Pontificiam* est, quia *Ter negavit. Et dedit non ut Petro, sed ut negatori.* Unde sicut pallium servitutis Servium spectabiliorem effecit, ita obscura chlamys negationis in majorem Petri excellentiam redundavit. Atque ideo liceat mihi dicere: *O felix culpa Petri quæ talem ac tantam meruit habere dignitatem.* Optimè igitur S. Marcus illum celebrat dicendo: *Cæpit anathematizare &c.*

Arnob. in Psal. 138. apud Sebast. Barrad. lib. 9. c. 5.

10. Quisquis fossam aliquam profundam & latam vult transilire, ut securè ad alterum fossæ latus perveniat, tribus circiter passibus retrogreditur, & sic saltus ille felicem fortitur effectum. Petrus à vilitate piscatoris progredi seu transilire voluit ad excellentiam Pontificiam, seque mittere in locum & præeminentiam supra omnes alios Apostolos. Quid facit? Tribus passibus retrogreditur, ter Magistrum suum negando. O quam feliciter & fortunatè saltus hic ei cessit? Pulcherrima est S. Joannis Chrysostomi ponderatio sequens: Christus in cœna existens, dolensque intimè, quòd è discipulis suis unus illum traditurus esset, dixit: *Unus vestrûm me traditurus est.* Quod discipuli audientes omnes contristati sunt vehementer. Petrus autem specialiter cupidus sciendi, quisnam transgressor & traditor ille sit, & de remedio huic malo adhibendo sollicitus, proximè ad Joannis auriculam

B. Petrus Damian. serm. 26.

Matt. 26. 22.

accedens, ab eo petiit, ut à Domino, quisnam traditor ille esset interrogaret: *Innuit ergo huic, id est, Ioanni, Simon Petrus dixit ei: Quis est de quo dicit?* Unde Joannes ut Petri devotæ curiositati satisfaceret, ad Magistrum conversus ab eodem petiit; *Domine quis est?* Unde clarè videtur quòd Joannes proximè Christo assideret, atque ideo legitur, *Erat ergo recumbens unus ex discipulis in sinu Iesu, quem diligebat*, quod idem est ac si diceret, Joannem præcessisse Petrum, eoque digniorem fuisse: *Dignior est prope Dominum.* Et Aristoteles: *Nobilius est quod est propinquius optimo.* Cardinales Papæ viciniores, cunctis quoque aliis spectabiliores existunt. Tales erant Apostoli, qui proximi Christo assistebant. Nec est quod hìc mihi aliquis replicet dicendo, quòd inter Apostolos nullus fuerit horum curialium respectus, siquidem in contrarium mox adducam quod inter illos hac in re accidit, quando *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Cui accedit, quòd ubi non est ordo, ibi confusio reperiatur. Agedum igitur, Auditores, hoc in bona memoria tenete. Joannes in Cœna habet præcedentiam supra Petrum: Estque Petrus inferior Joanne.

Jo. 13. 24.

Aristot. 2. de Cœlo. t. 66.

Bartol. Cass. p. 1. Consid. 12. col. 1 & Consid. 16.

Luc. 22. 24.

11. Eamus nunc juxta mare Tyberiadis, quando Dominus post glorioſam resurrectionem suam dilectis discipulis suis se manifestavit, & locum ac posituram eorundem discipulorum diligenter observemus. Cùm enim ex sumpto pane & pisce illic per resuscitatum Magistrum suum nonnihil restaurati & refocillati essent, ad ambulandum se receperunt. Petrus accedit ad Christum, & ad ejus sinistram sese collocat, deque multis gravis momenti ad Dei gloriam animarumque salutem pertinentibus negotiis, cum Domino & Magistro suo satis prolixè loquitur. Quando ex improviso, inquit Sacer Textus, Petrus conversus retro Joannem conspicit: *Conversus Petrus, id est retrospexit* (exponunt Scriptores) *& vidit illum discipulum quem diligebat Iesus sequentem &c.* erat autem Joannes. Igitur hìc Petrus stat ante Joannem & proximus Christo. Quænam est hæc mutatio? In cœna Joannes tanquam dignior præcedit Petrum. Hic autem sit omnino contrarium: unde procedit hæc revolutio? Sanctus Maximus totum hoc negationi attribuit. In cœna Petrus Christum nondum negaverat, & ideo erat Joanne inferior: Post resurrectionem Christi autem jam antè negaverat & cordialiter pœnituerat, ac proinde factus est Joanne superior. Negatio igitur illa encaustum quoddam fuit, quod Apostolicæ dignitatis aurum magis eluceſcere fecit. Fuit chlamys obscura Servii, qui eum toti mundo spectabiliorem & admirabiliorem reddidit. Unde scribit. S. Maximus: *Postquam negavit Dominum, fuisse meliorem; Fidelior enim factus est, postquam se fidem perdidisse deflevit, atque majorem gratiam reperit quàm amisit*; Et Arnobius, *Major gradus redditur ploranti, quàm fuerat ablatus deneganti. Domine hic autem quid?* Exponit S. Joannes Chrysostomus: *ut ostendat Petri post negationem fiduciam, Qui enim tunc non est ausus Iesum interrogare, sed id munus Ioanni delegaverat; Hic commissa sibi fratrum cura, non alteri vicem suam mandat, sed ipse Magistrum interrogat; Ioannes quidem tacet, ipse autem loquitur.* Imperfectiones Petri non fuerunt ei dedecori, sed decori & ornamento, quæ eum reddebant præclariorem. Unde *si cœpit anathematizare & jurare quia &c.* de hoc tamen & aliis ejus defectibus dici potest: *Iustorum peccata sunt pulcherrima; & cooperantur in bonum.*

D. Max. hom. 4. de S. Petr.

Arnob in Psal. 118.

D. Chrys. hom. 87. in Ioan. lib. 3.

12. Dicite sodes, si nôstis, quandonam Petrus tanquam Dei in terra Vicarius plenariam muneris sui potestatem accepit? utique respondebitis, eam accepisse illum postquam Theologicam illam Divinitatis & humanitatis Christi attestationem edidit, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Tu secunda Sanctissimæ Trinitatis persona es realiter *Christus* Sacerdos & Rex, *Filius* non adoptivus, sed naturalis *Dei vivi*, qui essentialiter est in abstracto ipsissima vita. O ingens & gravis Theologia! Remunerare te volo uti decet; *Et ego dico tibi* subdit Salvator: *Ego* qui bonitas sum infinita, qui non possum non benefacere bene meritis, *Ego* qui sum veritas infallibilis, nec possum mentiri, *Tibi* qui adeò profundam edidisti Sanctæ Fidei Confessionem attestando Divinitatis cum humanitate hypostaticam unionem; *Dabo Claves Regni Cœlorum*, id est, claves potestatis, ut tanquam Dominus possis pro tuo beneplacito præcipere & mandare in terra pariter & in cœlo. *Dabo de futuro*, dabo promittit, sed non dedit. Sed cur illas non dedit in præsenti? Cur non dicit *Do tibi claves Regni cœlorum.* Nondum tempus erat, inquit Os aureum, Petrus nondum habet omnes circumstantias & conditiones ad hoc requisitas. Quando autem promissionis hujus in effectum reducendæ tempus adimplebitur? Post Christi Resurrectionem, id est, postquam Christum negavit & flevit, tunc illum vocavit,

Matt. 16. 17.

Corn. à Lap. in cap. 21. Io. v. 21.

tunc

tunc illum Collegii Apostolici caput & vicarium suum generalem constituit, dicens: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ex quo igitur Petrus negavit, & negationem suam deflevit, quòd verus quidam erat veræ contritionis effectus, jam illi debentur claves Pontificiæ authoritatis: *Tunc sponsionibus, nunc collationibus honoratur.* Tunc promisit: *Dabo claves;* Modò exequitur: *Pasce oves meas;* datque ei totius gregis plenam facultatem. Petrus non fuit Servio minus ingeniosior, utpote qui trinæ negationis suæ chlamydem pretiosissimis lachrymarum suarum margaritis adornare novit, quando *exivit foras & flevit amarè.* Petri igitur dignitates & excellentiæ suam ex eo traxerunt originem, quòd *cœpit anathematizare & jurare, quia &c.*

Joan. 21. 17. & 18.

D. Chrys.

13. Nolo hoc loco præterire quod S. Marcus non neglexit, sed accuratè notavit, estque totum id quod ad Magistri sui laudem in Evangelio suo scripsit. Refert igitur hic Evangelista quòd tres Mariæ adeuntes sepulchrum, ibidem Angelum quendam repererint, qui felicissima illis nova retulit, Creatorem scilicet suum resurrexisse à mortuis, easque bono animo esse jussit, præcipiens ut Apostolos adeant, eosque felicissimi hujus de gloriosa Christi Resurrectione insinuati nuntii facerent esse participes. Ite igitur ô piæ mulieres, nec ullam temporis jacturam facite: *Ite, dicite discipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Obsecro vos, Auditores, cum singulari attentione Angeli verba observate. Dicunt etenim Doctores, in Scriptura Sacra ne jota quidem unicum superfluum esse; Et tamen videntur mihi in hisce Angeli verbis non unum sed plura superflua esse. Nunquid enim sufficere potuisset, si dixisset, *Dicite discipulis ejus?* Cur igitur ulteriùs adjungit: *Et Petro*, jam etenim satis notum erat Petrum Christi esse discipulum, ac proinde ipse quoque intra aliorum numerum censeri poterat contineri. Porrò hac phrasi multi alii usi fuerunt Virgilius ait: *Reliquias Danaum atque immitis Achillis.* Nunquid enim Achilles Græcus extitit? Igitur sufficiebat dicere: *Reliquias Danaum*: Et alibi quoque: *Dii me terrent, Iupiter hostis.* Jupiter ab omnibus habeatur Deus, ideoque sufficiebat dicere: *Dii me terrent.* Ita etiam David: *Eripuit me Dominus de manu inimicorum meorum, & de manu Saul.* Cùm enim & Saul inimicus ejus fuerit, utique jam exprimebatur in numero *inimicorum suorum.* Legistæ seu JCti in Rubrica Codicem quendam hisce verbis intitulant: *De servitutibus & Aqua.* Quòd si Jurista, inquit Accurtius, de omnibus iis rebus tractare contendit, quæ ad hominis beneficium serviunt, quid opus erat, ut aqua specificaretur, siquidem & illa in numero *de servitutibus* continetur. Resolvit autem difficultatem Accurtius dicendo. (Specialiter ponitur de aqua, generaliter de aliis, quia specialia quædam de aqua est dicturus.) Ita David specialiter de Saule loquitur, quia erat inter cæteros quos habebat, inimicos omninò truculentior. Jupiter credebatur quidem esse Deus, specialem tamen ejus mentionem seorsim ab aliis facit, quia Deorum omnium maximus erat. Achilles quoque erat Græcus, sed quia omnium erat generosissimus, ideo illum specifice nominat & exprimit. Hanc eandem regulam vel Phrasim Angelus cum tribus Mariis loquens intelligebat, quando dixit: *Ite & dicite discipulis ejus & Petro.* Licet enim verum sit, quod Petrus intra aliorum discipulorum numerum contineatur, quia tamen post negationem & contritionem omnibus est prælatus, non debet cum aliis promiscue nominari, sed tanquam persona in dignitate maximè singularizata particulariter nominari & honorari meretur: *Major gradus redditus est ploranti* (planctus autem supponit negationem) *quam fuerat ablatus deneganti*, inquit S. P. Ambros.

Marc. 16. 7.

Virg. 3. Æneid.

Idem 12. Æneid.

Accurt. l. 2.

D. Amb. & Arnobius in Ps. 138.

14. Rupertus Abbas Tuitiensis ingeniosè considerat, quod Redemptor noster postquam gloriosus resurrexit, primum inter omnes Apostolos S. Petrum visitarit. Æquitas autem exigere ob varias rationes videbatur, ut hic honor Joanni præ cæteris omnibus deferretur, non solum quia Christo erat charus & dilectus, aut quia consanguineus ejus erat, & Magistrum suum in quibuscunque eventibus tam prosperis quam adversis fidelissimè secutus fuerat. In monte enim Calvariæ juxta truncum Crucis simul cum Maria non Petrus, sed Joannes plorans & constans videtur. Quisnam virginis Matris custos extitit? Non Petrus, sed Joannes. Atque ideo Joannes incomparabiliter se fecisse videtur ad hanc gratiam recipiendam magis idoneum & digniorem quam Petrus. Et tamen sapientia infinita, quæ errare non potest, præfert Petrum Joanni. Habe igitur patientiam, ô mi dilecte discipule, decrevi enim per meam præsentiam præ quovis alio Petrum consolari: ac proinde dicit sanctus Lucas: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Scire percuperem, quamobrem Petrus in recipiendo à Magistro

Luc. 24. 34.

suo resuscitato primæ visitationis honore, aliis omnibus fuerit prælatus & privilegiatus. Rupertus Abbas Tuitiensis hanc difficultatem movet, & veluti præ nimia admiratione attonitus hærens, videtur non posse ejus dare resolutionem aut rationem: (Prius Petro negatori sui nominis apparuit, quam dilecto suo Joanni, qui cum matre ejus, juxta morientis Crucem stetit & persistit.) Attendite, Auditores mysticum hujus sacri Scriptoris loquendi modum: (Petro negatori sui nominis apparuit.] Non dicit (Petro Amico, discipulo, pœnitenti, flenti, sed negatori, quasi tota ratio apparationis refundatur in negationem, suppositâ emendatione.) S. Marcus igitur dum Magistri sui imperfectiones describit, gloriam ejusdem manifestat, & registrando strages, enarrat ejusdem victorias. Ideoque referens quod Petrus *cæpit anathematizare & jurare, quia nescio hominem quem dicis*, id fecit probe sciens, quod ignominiæ Petri tandem in ejus redundent honorem, deformitas in venustatem, jacturæ in lucra, umbræ in claritatem, neglectus in ornamenta, defectus in augmenta, dedecora in decora, siquidem *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Rupertus Abb. l. 1. de oper. Spir. S. de Sapien. lib. 2 c. 28.

PARS SECUNDA.

15. SAnctus Leo, & S Maximus dicunt, quod tametsi Petrus in principio quidem labilis fuerit, postea tamen factus est inter omnes totius ædificii Ecclesiastici petras firmior, solidior atque constantior: *Qui antea infirmus fuerat, factus est omnibus firmamentum* Atque ideo corallo similis fuit, qui in medio sinu maris constitutus herba est fragilis, foras autem exundis protractus, in petram firmam & constantem evadit. Unde ab erudito quodam ingenio factum est emblema, cum hac inscriptione: *Post hac minime flectar.* Petrus Petra fuit firma & stabilis, ac Domino suo semper deinceps fidelis. Unde Petro idem evenit, quod Vincentio Somotolo accidisse referunt Historiographi. Hic enim ob magni cujusdam mali suspiciones adversus Uladislaum Poloniæ Regem rebellavit, atque ad militandum contra eum, alterius Regis sui inimici partibus se adjunxit. Transactis autem nonnullis diebus ab errore suo resipiscens, & errorem adversus naturalem Dominum suum commissum recognoscens, eum humillimè convenit, atque ad ejus pedes provolutus veniam ab eo petiit, & impetravit. Et pro futuro tempore proprio Regi se fidelem semper exhibuit & pro eodem variis in præliis sanguinem & vitam exponens multas victorias reportavit, adeoque Rex eo qui antea rebellis extiterat, neminem habuit generosiorem aut fideliorem militem & vasallum; qui proinde etiam ad fidelitatem contestandam erigere potuisset Emblema Coralli, cum supradicta adjuncta Epigraphe: *Post hac minimè flectar.* Portò in una eademque & occasione & tempore Petrus à Domino suo trinâ vice rebellavit, inimicis suis se jungendo, haud secùs ac si illum nunquam vidisset aut cognovisset, eum cum jurejurando abnegavit dicens: *Non novi hominem illum.* Postea verò errorem suum agnoscens seriò pœnituit, humilique corde veniam poposcit, quando *exivit foras & flevit amarè*, factus deinceps inter omnes milites Apostolicos generosissimus & fidelissimus: *Post hac minimè flectar*, licèt contra eum totus searmaret Infernus: *Porta inferi non prævalebunt. Et factus est omnibus firmamentum.*

D Leo & D. Max.

Pyrrhus Columna.

Io. Gerbat. in hist. Pol. sub. An. 1331.

16. Apostoli Christi à S Joanne Evangelista sub metaphora duodecim lapidum pretiosorum describuntur, quarum prima quæ S. Petrum refert, est Jaspis: *Fundamentum primum Jaspis.* Cur S. Petrus potiùs huic gemmæ; quàm alteri fortè longè pretiosiori comparatur? Actiones Petri à nulla alia gemma adeo discrepant, sicut à Jaspide: *Hic inter pericula tutum facit hominem*: cùm tamen S. Petrus inter maris pericula haud dubiè naufragatus fuisset, nisi à cælesti Magistro suo habuisset subsidium. *Maleficiis & incantationibus resistit*: cùm tamen maleficis servæ vel ancillæ ostiariæ incantationibus resistere non potuerit Petrus, dum illa diceret: *Et tu de illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Oculos acuit.* S. Petrus autem cæcus factus est, siquidem Deum non agnovit: *Non novi hominem illum. Phantasmata fugat:* Petrus autem unà cum aliis, Magistrum suum Phantasma esse censuit: *Cogitaverunt Phantasma esse.* Qua igitur ratione Joannes Petrum Jaspidi similem esse dicit: *Fundamentum primum Jaspis?* unde Joachim Abbas quærit: *Cur Jaspis Petro adaptatur?* Ac tandem resolvit, dicens Jaspidem symbolum esse perfectæ alicujus & stabilis fidei, qualis in Petro fuit: *Propter fidem, qua maximè in eo commendatur.* Ac proinde: *Primum fundamentum rectissimè Jaspis, qui significat rectam fidem esse, commemoratur, quia Petrus Apostolorum primus de fidei fortitudine commendatur.* Id quod cum illo coincidit quod Sancti suprà nominati Maximus

Apoc. 21. 19.

Petrus Berchor. in Reduct. lib. 2. c. 84.

Matt. 16. 23. ibid.

Marc. 6. 49.

Joach. Abb. ibid.

Maximus & Leo dicunt : *Factus est omnibus firmamentum.*

17. *Factus est omnibus firmamentum* ; quia non solùm fides sua, sed etiam ea quam aliis prædicavit, constantior & firmior est, quavis alia ab aliis Apostolis prædicata, adeo ut omnes venti, mundi & inferni illam dejicere aut prosternere nunquam potuerint : *Porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Quæratis hodie fidem in Asia, ubi illa à S. Joanne prædicata fuit Quærite illam Athenis, ubi illam prædicavit S. Paulus: Quæratur in Achaia, ubi eam S. Andreas docuit : Quæratur in Judæa & Samaria, ubi illam S. Jacobus plantavit. Quæratur in Lycaonia & inferiori India, ubi eam S. Bartholomæus prædicavit, & sic de omnibus discurrere licet. Solum Romæ ubi plantata est à S. Petro inviolabilis conservatur & firma. Cur ita! Refert Herodotus Dianam ab universa Ægypto habitam & agnitam esse Isidis filiam. Æschylum autem Poëtam Euphorionis filium eam Cereris filiam esse constanter affirmasse. Unde Diana adeò graviter indignata, ut ejus temeritatem puniret, effecit ut Insulâ Ghemmensis in qua Poëta ille natus erat, super aquas vacillans semper moveretur, nec ullam unquam haberet firmitatem : *Æschylus Euphorionis filius fecit Dianam Cereris filiam, ideoque ajunt Insulam redditam fuisse natantem.* De S. Petro autem per sensum contrarium loqui possumus ; Hic enim ex quo Christum Filium Dei vivi esse affirmavit : *Tu es Christus filius Dei vivi,* in præmium veritatis istius ita fuit remuneratus, ut sua non jam Insula, sed Civitas Romana nunquam vacillaret aut moveretur, sed in fide semper constans firma solidaque consisteret, neque ab omnibus terrenorum & infernalium inimicorum ventis conquassata fluctuaret *Et porta inferni non prævalebunt adversus eam.* Sedes Apostolica nunquam fuit mobilis, sed in fide Christi immobilis semper permansit : *Sedes Petri ab initio nascentis Ecclesiæ, nunquam defecit à fide,* inquit Sanctus meus Archiepiscopus Valentinus Thomas de Villa Nova. *Aliorum Apostolorum Sedes deficientes ; aliæ sæpius in hæresim prolapsæ, aut à barbaris captæ defecerunt ; Hac fixa & immobilis semper stetit, juxta Domini vaticinium stabit, sicut Petro promisit.*

Herod. Halicarnas lib. 2. hist. Euterpe.

Matth. 16.

S. Thom. à Villa Nov. Conc. 2. de Nat. Virg. Maria.

18. S. Petri excellentias & dignitates nemo per intellectus volatum assequi potest. Quòd si enim ejus imperfectiones & defectus adeo sunt spectabiles, eumque adeò eminere faciunt, facilè considerare, & *à fortiori* bonam consequentiam facere potestis, quales in ipsum honores & gloriæ redundent, per laudabilia & heroïca opera sua, quibus in toto vitæ suæ discursu deditus fuit. Cumque ego ad illa pro dignitate sua vobis proponenda insufficiens sim, vos nihilominus eadem cum maxima qua potestis cordis devotione veneremini, glorioso huic Apostolo supplicantes, ut nobis præstare dignetur auxilium, ut in fide Catholica semper constantes, & in gratia Dei stabiles esse permanere possimus. Quòd si verò per humanam fragilitatem, aut suggestionem diabolicam aliquarum contraximus culparum reatum, S. Petrum nobis tanquam speculum & exemplar ob oculos ponamus, per veram pœnitentiam eum imitando, ut hac ratione *omnia cooperentur in bonum, etiam peccata.*

SERMO DECIMUS OCTAVUS.
IN FESTO
VISITATIONIS
B. V. MARIÆ.

Exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, & intravit in domum Zachariæ Elisabeth. Luc. cap. 1.

TAmetsi quis honore & dignitate Magnus sit, verè tamen magnus non est, nisi eas gratias præstet, quæ Magnorum sunt propriæ. Unde Vespasianus Magnatibus salutare hoc consilium suggessit: *Non licere quemquam à vultu Imperatoris* *Bruss. lib. 3. c. 13.*

ris tristem discedere. Et Democritus dicere solebat, Magnates promptiores esse debere ad gratias præstandas, quàm ad easdem promittendas, *Ad largiendum quàm ad promittendum promptiores.* Magnatum nomen tantundem obscurat gratiarum denegatio, quantum idipsum honorat ad easdem concedendas animi pronitas & inclinatio. Alexander illustrissimo Magni nomine, non solùm ideo decoratus fuit, quòd brevi in diversis gravissimis præliis triumphando, totius ferè mundi factus est Monarcha, sed præcipuè quia beneficum semper animum per gratiarum concessionem iis exhibuit, quotquot generositatem ejus recognoscentes, eum debita cum reverentiâ venerabantur. Et quidem in speciali quodam casu accidit, quòd cùm ultrà cum exercitu suo ab Indis veniens progrederetur, & Tassilus Indorum Rex ei obviam procederet, eique diceret, Quòd si tu ô Alexander inferior me es, justum est ut tibi à me gratiam aliquam exposcenti, non contradicam: Si autem me major es, æquum item erit, ut gratiam, si quàm à te peto, facilè recipiam: Magnus hic Princeps generosè respondit: Tanquam milites per arma certabimus, tanquam Magnates certabimus utrimque per gratias. Cùmque intellexisset Bessum centurionem suum Darium vitâ exuisse, tantam ille displicentiam concepit, ut Bessus temeritatem suam morte suâ luere debuerit, eò quòd illi gratiæ Dario exhibendæ occasionem nimis maturè ademerit. Singularissima gratia illa fuit, quam Titus Imperator duobus illis Senatoribus præstitit, qui vitæ suæ insidias struxerant, quando illos non solùm in pristinum gratiæ statum restituit, verùm etiam ad mensam adhibuit, in eaque omnia eis benevolentiæ signa demonstravit. Illisque diebus quibus ab eo nulla alicui præstita fuerat gratia, se Imperatorem fuisse non censebat, dicens: *Amici perdidimus diem.* Universa Roma Flavii Vespasiani benignitatem & clementiam obstupuit, dum erga Vitelli capitalis inimici sui filiam adeò se exhibuit benevolum, ut eam magnificâ dote locupletatam, cum viro quodam illustrissimæ notæ in matrimonium collocavit. Cyrus post captam Regni Assyriorum possessionem, in nulla re adeò gloriabatur, quàm in gratiis subditis suis concessis. *Nullum in suos beneficentiæ genus prætermisit.* Julius Cæsar quotquot in bello sibi acquisivit inæstimabiles divitias; *Non ad vexationes, non ad luxum, non ad voluptates contulit, sed bonis viris qui bene de Republica promeriti erant dispensavit.* Dum Agesilaus Rex Apellem gravi quâdam infirmitate correptum visitaret; lecto proximè assistens, minimè id animadvertente infirmo, bonam auri quantitatem involucro cuidam insertam ad caput lecti reliquit, ut infirmus proinde suis prospicere necessitatibus posset: *Sciebat enim Agesilaus nihil esse gloriosius, quàm beneficium apud bonos viros depositum.* Quidam Archelai aulicus in publico convivio aureum unde bibebatur craterem dono sibi ab Archelao dari poposcit. Cùmque Archelaus aulicum donum istud minimè promeritum esse sciret, eundem peritum donum denegando mortificare voluit, ne tamen & ipse mortificaretur per objectum sibi denegatæ gratiæ opprobrium, eundem craterem per unum ex Ephebis suis Euripidi dono datum transmisit. Alexander Severus contumeliam sibi irrogatam esse censebat, quando comparens coram illo subditus nullam ab eo gratiam postulabat, unde dicere solitus erat: *Quid est quòd nihil petis?* Pariter de Adriano legitur eum ad concedendas gratias adeò fuisse inclinatum, ut easdem etiam sponte exhiberet: *Amicos non petentes locupletavit, & petentibus nihil negavit.* Econtra verò Antigonus Rex magnam regio suo nomini injuriam intulit, actumque Magnatis nomine indignum commisit, quando Thrasillo unicam tantum dracham ab eo poscenti, eandem negavit, dicendo: *Non esse munus regium.* Cui cùm replicaret Thrasillus: *Talentum igitur da,* hoc responsum retulit: Talentum suum superexcedere statum. Eumque duplici hoc responso vacuum à se demisit. Nullis verbis sufficienter explicari potest, quantam Deus Opt. Max. ad præstandas nobis gratias & beneficia exhibenda inclinationem habeat; tanta enim hæc est, ut ea non præstare petentibus non possit, ut scribit Clemens Alexandrinus: *Quia cùm sit bonus, si cessaret unquam benefacere, Deus quidem cessabit esse, quod nefas est dicere.* Veruntamen sicut Heliogalo decretum erat, ut quisquis aliqua in Imperio Romano ambiebat officia, illa nonnisi aulicorum suorum interventu & favore impetrare posset, ita quoque Deus vult, ut ad obtinendas à benignitate sua necessarias gratias, Beatissimam Mariam Virginem tanquam unicam adhibeamus Mediatricem, utpote quam omnium divinarum gratiarum constituit dispensatricem, per cujus manus omnes divinæ gratiæ nobis communicandæ pertranseant.

Id

Stobæus.

Plut. in Alex. fol. 265.

Felix Astol. in offic. histor. lib. 2. c. 9.

D. Hier. t. 6. lib. 3. in Epist. ad Galat. c. 6.

Lamprid. Ponta de Princ.

Idem c. 10. de liberal.

Ambros. Mar. in Thea. Polit. c. 2.

Plut. in apopht.

Ponta l. 1. c. 6 de magnanim.

Idem c. 19. & 22. de liberal.

Plut. in apoph.

Lib. 8. strom.

Id quod in hodiernæ festivitatis historia manifestè videtur : *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda.* Mox enim ut Maria in domum Zachariæ ingressa, non verò antè, Elisabeth repleta est Spiritu sancto, Joannes Baptista autem in materno sanctificatus est utero: Unde Origenes : *Non autem repletus fuerat Spiritu, donec assisteret Maria, qua Christum gerebat in utero.* Jacobus de Valentia ait : *Illa vox salutationis fuit quoddam instrumentum & vehiculum per quod Christus ex utero matris emisit spiritum sanctificationis in Ioannem Baptistam : qua quidem sanctificatio mundavit eum ab originali, & confirmavit ipsum in gratia & acceleravit in eo usum liberi arbitrii, ut cognosceret Dominum suum.* Volens per hoc demonstrare, quòd Deus utpote Magnorum omnium Maximus, omnes nobis gratias exhibere promptissimè velit, ita ut cunctæ per manus transeant Mariæ. Cùm igitur in hoc sermone de gratiis dicturus sim, & in gratiam B. V. Mariæ omnes nobis gratiæ præstentur, ideo vos omnes obtestor, ut in gratiam Virginis Mariæ devotæ & attentæ auscultationis & silentii vestri gratiam mihi præstare non gravemini.

Luc. 1.

Orig. in Cat. D. Th. in cap. 1. Luc. Iac. de Valent. in Cant. V. M.

2. Exurgens Maria abiit in montana &c. Inter alios eximios & mysticos titulos qui Mariæ Virgini à Sanctis Patribus attribuuntur, unus est quo Mediatrix nostra dicitur. Hoc nomine appellatur à S. Epiphanio *Mediatrix nostra*, S. Bernardo & S. Anselmo *Mediatrix & Reconciliatrix*, à S. Ephrem *Dei & hominum Mediatrix*, à B. Laurentio Justiniano *Mediatrix salutis*; Et tandem à S. Bernardino *Mediatrix mundi* intitulatur. Eoque nomine fortè ideò insignitur, quia sicut medium extrema unit, ita in ejus purissimo utero facta est unio illa inter omnes alias maximè stupenda, quæ *hypostatica* communiter dicitur, per quam vilissimum humanitatis nostræ plumbum, perfectissimo Divinitatis auro unitur, quando *Verbum caro factum est.* Licet multæ quoque aliæ rationes sint, ob quas tanquam Mediatrix honorificè salutatur. Veruntamen ex Angelici Doctoris doctrina illuminatus dicere ausim; illam ideo vocari Mediatricem, quia omnes gratias quas desiderare possumus, nobis à Deo facit impetrare: siquidem *Ad officium Mediatoris pertinet, interpellare ad unam eorum inter quos est mediator pro altero.* Illudque quod est unius solius inter multos dividere, id est, gratias quæ Dei sunt, hominibus conferre, prouti nos de Christo tanquam homine supra nominatus Doctor edocet, dicens: *Officium Mediatoris est, ea qua unius sunt deferre ad alterum.* q. d. *Dona Dei hominibus exhibendo.* Unde inter alias rationes cur Maria mediatrix dicenda sit, una est, ut suo interventu efficiat, ut totum id à Deo impetrare possimus, quod necessitates nostræ suaserint postulare. Nulla est gratia quam sua mediatione & facinoris sui interpositione non possimus obtinere. Et in hoc sensu Richardus à S. Victore scripsit: *Inter Divina atque humana media & mediatrix est Maria, Quia bona plurima nobis impetrat & largitur*, inquit Ægidius Columna. Quam veritatem varia Scripturæ loca adducenda planius attestabuntur.

D. Epiph. hom. de lau. Virg. D. Bern. Cap. 17. Apoc & ser 2. de assump. D. Ansel. de excell. Virg. D Ephrē. orat. ad Virg. B. Laur. Iust. ser. de annūt.

Richar. de S. Vict. c. 39. in Cant.

3. Ecclesiam corpus quoddam mysticum esse certissimum est : *Tota Ecclesia dicitur unà corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diversa membra habet diversos actus*, inquit Doctor Angelicus. Caput hujus corporis Christus est, ut S. Paulus docet scribens ad Ephesios: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam :* Oculi qui ad aliorum membrorum custodiam vigilant sunt Prælati, Genæ rubicundæ Martyres sunt, qui pro fide sanguinem suum fuderunt Aures sunt Fideles Dei verbum auscultantes. Dentes candidi virgines. Manus sunt Religiosi qui ligant & solvunt Peccatores. Pedes totum corpus sustentantes sunt Apostoli, Lingua Prædicator & Prophetæ, & sic de aliis membris discurrendo deinceps. Veruntamen collum corporis istius est B. V. M. prout volunt Bernardinus de Senis, Bernardus & Hieron. Unde Spiritus S in sactis Canticis cum Ecclesia loquens dicit: *Collum tuum sicut monilia; sicut turris David, sicut turris eburnea.* Et quidem in hac similitudine ex una parte considero, quam proportionem virgo cum collo habeat: Ex altera vero parte quod hæc similitudo non adducatur *gratis*, sed cum fundamento *in re per similitudinem ad naturale corpus hominis.* Cum itaque constet quod similitudo sit relatio quædam æquiparantiæ & in convenientia formæ consistat, vix scirem, quænam inter collum humanum & gloriosam virginem convenientia inveniri possit. Collum enim sustentat caput, velut Atlas mundum. Christus autem sustinetur à V. Maria, imo potius omnino contrarium fit. Forte in hoc similitudo consistit, quod sicut nulla pars corporis adeo est vicina capiti, sicuti collum : ita quoque nulla creatura adeo vicina sit Christo, uti Maria? Huic equidem resolutioni, nihil habeo quod opponã.

Ad Eph. 2.

D. Th. 3. p. q. 8. a. 1.

D. Bern. Senens. D. Bern. D. Hier. Cant. 1. 9. 4. 4. 7. 4. D. Th. 1. p. q. 5 ar. 3. f. 53.

Veruntamen ad præsens propositum convenientius dici posse existimo, similitudinem inter collum & Mariam in hoc consistere, quod sicut membra corporis humani, ut in vita sustententur, opus habent, ut à capite suam recipiant influentiam, hanc autem habere non possint, nisi transeat per collum. Unde videmus, quod detruncato collo omnia emoriantur corporis membra; ita quoque cum Ecclesia corpus sit, ejus autem caput sit Christus, Maria collum, nosq; membra ejus, consequenter dicendum erit, nos à capite, quod Christus, influentias gratiarum non posse recipere, nisi per Mariam illæ tanquam per collum transeant; unde Bernardus *Sicut per collum vitales spiritus à capite descendunt in corpus, sic per virginem à capite Christo vitales gratia in ejus corpus mysticum transfunduntur* Et S Hieronymus: *In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente, in Maria vero sicut in collo transfundente.*

D Bern. Io. de Cat to 3. l. 14 hom. 17.

4. Id quod mihi in sacra Genesi in figura repræsentari videtur in casto Josepho Jacobi Patriarchæ filio. Hic candidus Herminius; quod in domo Domini sui valde voluerit esse fidelis, zelumque honoris Dei ob oculos continuò positum habuerit, ab uxore Putipharis iniquissimam persecutionem sustinere debuit, siquidem miserum hunc juvenem tanquam temeratium, & omnis herilis reverentiæ & respectus oblitum calumniando eousque miseriarum redegit, ut à Putiphare detrusus fuerit in carcerem. In hunc autem eundem carcerem duo Pharaonis ministri, quorum *Alter pincernis præerat, alter pistoribus*, ob inadvertenter commissos aliquos licet leviusculos defectus, ex præcepto regio conjecti fuerant. Qui diluculo quodam evigilantes, præter omnem modum conturbati erant. Quod Joseph videns, animique turbationem ex carceris squalore ortum fuisse existimans, eosdem pro viribus consolatus est & animavit. Qui tandem mœstitiam suam non ex carceris infortunio, sed ex somnio quodam, quod utrique acciderat obortam esse dixerunt, eamque inde vel maxime augeri, quod cum cupidi sint cognoscendi, quænam sit somnii interpretatio, neminem tamen invenire possint, qui in hac parte illis præsto esse possit: *Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis.* Tunc Joseph compassione motus, somnium utriusque sibi recenseri petiit, eos de interpretatione fideli securos esse jubens: *Referte mihi quod videritis.* Primus itaque somnium suum sequenti tenore recensere cæpit: Vitem quandam mihi conspicere videbar, tres è se propagines pro-

Gen. 40.

Ib. v. 8.

germinantem, è quibus botri magni & pulchri penduli erant, è quibus unum dextera exprimens, craterem inde vino repletum videbar mihi Pharaoni ad bibendum propinare. Cui Joseph mox applaudendo respondit: O te felicem, cui ex enarrato mihi somnio tuo felicissima nova augurari possum; Neque enim dubites, frater mi, à carcere protinus liberandus, atque in officium & statum pristinum indilate te restitutum lætus videbis. Non enim tres adhuc dies labentur, per tres vitis propagines significati, quin Rex tibi jam dictam præstiturus erit gratiam. Aptius tibi somnium ad prognosticandam tibi desideratam libertatem, evenire nequaquam potuisset: *Post tres dies recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum.* Miram igitur Pincerna captivus ex juvenis hujus interpretatione consolationem accepit. Porro alter non minus felicem somnii sui interpretationem sive augurium sperans, suũ quoque somnium enarrare cæpit: *Et ego vidi somnium*, videbar enim mihi super caput meum habere tres cophinos farina refertos, dumque illos in capite portarem, in eo qui aliis omnibus supereminebat, vidi descendentes volucres eosdem insidentes, & ex panibus comedentes: *In uno canistro quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.* Quo somnio audito, mox Joseph subjunxit: Displicet mihi tuum istud somnium; neque enim quod in eo latet sinistrum prognosticum tibi libenter prænuntio, cogor enim tibi mortem brevi imminentem exinde tibi prædicere, intra triduum enim per tria canistra significatum morte morieris; ac proinde Deo te recommendes, tuumque pectus patientiæ clypeo communias, ac demum me de tristi hoc tibi annuntiato nuntio excusatum habeas; nolo te hoc tuum grande infortunium celare, ut vel sic jaculum prævisum minus lædere possit: *Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendent te in Cruce.* Dicat hic mihi aliquis, cur hic mortis sententiæ est adjudicatus, alter vero gratiam Regis pristinam recuperavit? Si Rex Pharao in pane ad mensam suam allato pilum invenit: traditio Hebræorum est, quod idem Pharao craterem ori admovens, ut biberet, muscam in vino mortuam in cratere invenerit: Et licet tam pilus in pane, quã musca in vino nauseam provocet, mea tamen opinione nemo est qui non magis nauseet muscam mortuam in potu, quam pilum in pane, atque ideo si alteruter ex hisce ministris regiis reus

Ib. v. 13.

Ib. v. 17.

Ibid. 19.

mortis

mortis dicendus erat, is pincerna potius quã magister pistorum fuisset. Qua igitur ratione hic fit omnino contrarium, cur unus salvatur ad vitam, alter vero condemnatur ad mortem? Unus restituitur *in gradum pristinum*, alter vero *suspensus est in Cruce*. Modernus quidam disparitatis hujus rationem inquirit, dicens: *Cum utriusq; sine discrimine referatur peccatum, inquiramus, cur alter periculo exemptus, alter vero supplicio infami punitus?* Tota diversitatis ratio in habiti somnii inæqualitate consistit. Uni enim in sua phantasia repræsentantur canistra farina repleta capiti imposita; pessimum omen: alterius vero phantasmati vitis quædam apparet botris onusta. O quam fortunatum est hoc prognosticum! *En se mihi offert ratio; alterum videlicet vitem in somnio spectasse, alterum non vidisse.* Ergone possibile est, quod ex vite quadam somniata infallibiliter sequatur gratia liberationis respectu Pincernæ? S. Hesichius dicit, quod vitis expressa quædam sit figura Mariæ: *Vitis uvarum ferax, valde florens, intacta, incalcata, & munda, conformiter illi quod Ecclesiasticus dicit: Ego quasi vitis fructificavi.* Vult igitur Spiritus S. demonstrare, quod sicut vitis somniata pincernæ gratiosum fuit prognosticum, ita mystica vitis Maria sit Mediatrix nostra, ad impetrandas illas à Deo gratias, quas postulamus: *Esten vitis, Maria sacratissima enigma, ubi ergo virginis umbra, vera fuit salutis tutela.* Ecce tibi gratiam concessam *ubi Maria nullum symbolum, certissimum fuit tormentum.*

Eman. Naxera in Iosue c. 2. v. 5. §. 11. moral.

Serm. 2. de B. M. V.

Eccles. 24. 23.

D. Meth. Episc. Patan. in Biblia. PP. t 1. in fest Purif. B. M. V.

5. S. Methodius Serenissimæ Cælorum Reginæ devotissimus, excessiva quadam devotione exstimulatus, eandem salutat terminis quibusdam, qui bene considerati non immerito videntur limites & rigorem Sacræ Theologiæ excedere, Audite illos prius, neque enim dubito, quin tunc à mea opinione non procul abibitis. Hæc igitur ejus sunt verba: *Euge euge mater Dei, omnes namq; Deo debitores cum simus, tibi ipse est debitor.* Quid audio? Deus debitor est creaturæ! & Maria creditrix est sui Creatoris! Quomodo esse potest? Creditor *habet jus supra debitorem*. Nemo autem jus vel authoritatem aliquam super Deum habere potest, nulla enim inveniri major authoritas potest, quam sit illa quæ Deo propria est. Et S. Th. docet, quod *Nunquam Pater debitor filii efficitur, multo minus homo potest Dominum sibi constituere debitorem.* Videamus autem an mentem S. Methodii penetrare valeamus. Certum est igitur inprimis, quod Maria in verbi incarnatione, totam suam humanitatem Deo dederit: *Tu enim admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuo dedisti*, scribit idemmet. Bene itaque dicit, quod Deus ei factus sit debitor. Ut autem se ab hujus debiti obligatione liberaret, opus quidem fuisset, ut Deus Mariæ suam dedisset Divinitatem, utpote quæ ipsi humanitatem suam mutuo dederat: Hoc autem erat impossibile, eo quod implicet contradictionem. Quid igitur Deus faciet, ut inæqualitatem hanc ædæquet, & debitum istud liquidare valeat? videamus an idipsum S. Paulus nobis explicare velit, quando ad Corinth. scribens, ait: *Oportet hæreses esse.* Non video sane cur hæreses mundo necessariæ esse dicantur, cum nulla earum urgeat necessitas, *neq; simpliciter, neq; secundum quid.* Quod si dixisset: *oportet fidem esse*, jam utique propositio ejus applausum mereretur & reverentiam. Multi volunt Apostolum propositionem hanc de Collyridianorum hæresi intellexisse, qui teste S. Epiph. in tam excessiva venetatione B. V. M. habebant, ut illam *adoratione latria* tanquam verum Deum adorarint: *Collyridiani Mariam pro Deo colebant.* De hac hæresi Apostolum locutum esse credunt, quando dixit: *Oportet hæreses esse*; Quam porro hæresin, cum Deus tanquam divinitati suæ valde præjudiciosam extirpare potuisset, libere permittebat: Quasi Deus debito suo erga matrem suam contracto, Divinitatem ei *efficienter vel formaliter* dando satisfacere non valens, visus sit eandem Divinitatem B. Virgini certo quodam modo *permissive* concedere. Verum enimvero licet Deus B. Virgini Divinitatem suam quodam modo *permissivè* indulserit, dissimulando & non impediendo Collyridianos B. Virginem tanquam Deum colentes & adorantes, per hoc tamen Deus debito suo non videtur satisfeciisse adæquatè saltem quoad modum, nam Maria humanitatem suam Deo dedit *formaliter & efficienter*, non vero *permissivè* tantum. Et consequenter debitum suum minime liquidasse videtur, *saltem quantum ad modum*. Quid igitur faciet, ut debitum istud adæquet? Deus se habuit ad instar nobilis alicujus, qui debito aliquo mille scutorũ obnoxius est, qui cum non habeat promptam & paratam pecuniã ad satisfaciendum, dat æquivalens, id est, vas aliquod argenteum, catenã sive monile aureum, gemmas, margaritas, aliaq; quævis pretiosa, quibuscum debitũ exsolvit: Ita enim Deus quoque feciisse videtur, cum enim debito suo per aurum Divinitatis satisfacere non possit, siquidem Creatura illius incapax existit, hinc in vicem illius B. Virgini do-

D. Tho. in addit. ad 3. p. q. 14. in Resp. ad primum.

1. Cor. 2:

D. *Epiph. l. 3. hæres. 79.*

nat gemmas & monilia, id est, gratias & favores maximos, non solum pro seipso, verum ut etiam aliis easdem pro suo beneplacito dispensare possit; ut scil. easdem ex aurifodina Divinitatis accipiat, easque tanquam Mediatrix distribuat. Quod si enim Poëtæ finxerunt, Jovem Amaltheæ nutrici suæ pro porrecto sibi lacte consignasse cornucopiam; ut illam pro suo arbitrio diffunderet: cur non dicamus Deum concessisse Mariæ Cornucopiam gratiarum, ut illas pro suo libitu dispensaret, cum ab illa non tantum velut à nutrice lacte sit pastus, verùm etiam carnem ab ea acceperit & purissimum ejus sanguinem in instanti sacrosanctæ suæ incarnationis. Meritò igitur nunc S. Methodius dicat: *Eugé Maria Virgo, quæ semper Deũ debitorẽ habet* Unde duo SS. Bernardus & Bernardinus de Senis ajunt: *Non timeo dicere, quod in omnium gratiarum influxus quandam jurisdictionem habuerit hæc virgo, de cujus utero tanquam de quodam Oceano Divinitatis rivi, & flumina emanabunt omnium gratiarum.*

D. Bern. Senens. serm. de Nativ. M.V. & D. Bern.

6. Ex hactenus dictis igitur scimus, quod Deus ad liquidandum prædictum debitum, videtur nec voluisse aut potuisse hominibus gratias aliquas præstare, quæ per manus Mariæ matris suæ non transirent. Veruntamen pro solidiori illius doctrinæ intelligentia nonnihil prolixius hac de re discutiamus. Etenim Deum justum non esse nec possum nec debeo affirmare. Deum autem justissimum esse, non solum credo, verum insuper adeo id pro comperto habeo, ut pro illa veritate sanguinem fundere vitamque prodigere minime dubitarem. *Justus quidem es tu Domine Deus judex justus. Justitia plena est dextera tua. Justitia ejus manet in sæculum sæculi*, inquit variis in locis S. Scriptura. At vero si Deus justus est, imo ipsamet Justitia in abstracto, cur igitur peccatum homini dimisit, non vero illud Angelo condonavit? Quod si Angelus rebellis per superbiam peccavit: *Super solium Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo.* Per eandem quoque superbiam peccavit & homo: *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum.* Imo saltem extensive hominis peccatum majus & gravius fuit, & fuit infinitum, non solum respectu personæ offensæ, quæ fuit Deus, sed etiam in se *syncathegorematicè*, nam si infiniti homines in hunc mundum nascerentur, nisi Deus per speciale privilegium impediret, omnes culpa originali contaminati nascerentur; unde non immeritò lamentari possumus dicendo: *Patres nostri manducaverunt uvã acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Adhæc si decretum erat, ut alterutra naturarum Angelica nimirum vel humana periret, alia verò salvaretur, congruentius videbatur, ut salvaretur Angelica, utpote incomparabiliter dignior humana. Variæ ad hoc adferuntur Theologorum responsiones: Inter quos Ægidius Columna dicit: *Quia homo peccavit per alium, congruum fuit, ut per alium restauraretur, & ideo lapsus hominis fuit reparabilis; Diabolus verò, qui non peccavit per alium, sed per se ideo lapsus ejus fuit irreparabilis.* Alii causam voluntati adscribunt, dicendo quod *Angelus inflexibiliter adharet malo*, quod homo non facit, quia post peccatum commissum pœnitet, vel saltem pœnitere potest, si vult. Verum enimvero prætereamus rationes Theologicas, & pro clariori gravis hujusce difficultatis intelligentia ad morales propius accedamus.

Isa. 14.

Jerem. 31. 29.

De summa Trin. & fide Cath.

7. Pulcherrimam Aulus Gellius enarrat historiam, dicit enim, quod Prothogenes pictor ille famosissimus picturam quandam delineatit, ad cujus pulchritudinem dignè celebrandam, hoc sufficit dicere, quod ad eam perficiendam solidos septem impenderit annos, eaque Rhodis asservabatur. Rex Demetrius picturæ illius habendæ cupidus, omnem pecuniam pro illa habenda est pollicitus, nec tamen obtinere illam potuit. Tandem cum ingenti exercitu sese movens Insulam illam obsedit, quam cum inexpugnabilem esse comperisset, flamma & igne conflagrare decreverat, & porrò feciisset, nisi pulcherrimam hanc picturam flammis & igni in prædam futuram esse veritus, factæ resolutionis eum pœnituisset. Unde liquet, Insulam illam ob solum hujus imaginis respectum à tali incendio liberatam fuisse: *Malo Civitatem illam inexpugnabilem relinquere*, inquit Demetrius, *quam illud eximium & pretiosum opus destruere.* Sic quoque Assuerus Rex, in gratiam Reginæ Hesther, quæ Hebræa erat, omnibus aliis Hebræis vitam dono concessit. Eadẽ quoque ratione Deus homini peccatum dimisit, non verò Angelo, idque in grariam Mariæ, utpote quæ de eadem stirpe erat aut esse debebat, & in Adam lumbis virtualiter continebatur *Quia hæc benedicta puella erat in lumbis Ada per seminalem rationem*, inquit Bernardinus Senensis.

Aulus Gell. l. 15. cap. 31.

8. Veritas isthæc in Exodo expresse ratihabetur. Miserabiles enim Israelitæ sub tyrannica protervi Pharaonis crudelitate angustiabantur; Cum ecce Deus miseriis & ærumnis illorum compassus, supra montem Horeb in flamma quadam valde luculenta apparet, eique libere significat, se nec posse nec velle Tyranni illius iniquitatem, & desolatæ gentis illius calamitosas

miserias amplius deinceps sustinere; ac proinde velle se ut Moyses ad hoc se disponat, ut in liberanda gente illa ejus opera uti possit. Audite ipsissima Dei verba: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* Exod. 8. 7. Siste paulisper ô Domine Deus, si ita dignaris. Tu gentem illam populum tuum vocas? Eique adeo singularem gratiam, qualis est ejus ab hisce ærumnis liberatio, præstare decrevisti? Nunquid tu infinita es Sapientia præditus? Igitur etiam sine ullo errore omnes eventus circa hanc gentem futuros quantumvis occultos & reconditos perfectè cognoscis. Nunquid igitur perspectum tibi est, quod hic populus, quem tanto cum affectu tuum esse dicis, quemque in libertatem omnimodam statuisti asserere, tandem aliquando tantorum beneficiorum immemor, hanc tuam paternam ei exhibitam benevolentiam, enormi quadam ingratitudine sit re- Exod. 32. compensaturus? Nunquid nosti, quod cum te offendere nequeat manu, linguâ suâ te graviter sit offensurus? quod dorsum tibi vertens, adoraturus sit vitulum? Et hunc tu populum tuum appellare non dubitas, & tanquam gentem tibi gratissimam liberare decrevisti? quo fine gratiis afficis & honoras, qui atrocia merentur supplicia. Præmiis afficiendi sunt qui te adorant, qui autem per Idololatriam à te deficiunt, puniendi. Non ego solus hoc tuum consilium vehementer admiror, sed plures alii mecum. *Cur Hebræum populum lutea servitutis sordibus squalidum & dura cervice rebellem, atque barbara idololatriæ pronum, Deus populum suum appellat.* Cum tamen fuerit populus beneficiorum immemor, qui etiam ab ipsomet Deo vocatur *Populus dura cervicis.* Verum enimverò Deus inter hæc omnia obligationes illas prævidebat, quas cum Maria matre sua contracturus erat, ideoque priusquam illas contraheret, anticipando iisdem per gratias hominibus ex Hebræa stirpe sua natis præstandas satisfacere voluit, vocando illos populum suum, eosdemque particulari quadam affectione amando & ab Ægypti angustiis illos liberando. Deus itaque huic tametsi *dura cervicis* populo, in gratiam Matiæ nondum in hunc mundum natæ, adeo se favorabilem, gratiosum & benefi cum exhibere voluit. Ita Petr. Galatin. *Tam ingens atq; immensus fuit ab æterno Dei in matrem Messiæ amor, ut propter eam Israeliticum populum sibi peculiarē fecerit, eo quod ex ipso proditura esset.* Petrus Galat in l. 7. c. 11.

9. Gabriel Archangelus felicissima nova Incarnationis Verbi B. Virginis annuntiaturus, à Deo velut legatus cælestis ad eandem virginem amandatus fuit, dumque in terreno illo Paradiso, in quo Maria morabatur, advenisset, cum summa reverentia hanc salutationem ex parte Omnipotentis Dei eidem detulit: *Ave gratia plena.* Luc. 1. 28. Optarem equidem scire, cur cælestis Paranymphus inter multos terminos salutationem significantes, nimirum: *Vale, salve, Eja, Euge,* & similes, hunc particularem *Ave* elegerit? siquidem *eligere est secernere unum præ alio cum consilio,* quod est actus pertinens ad intellectum, voluntas autem elegit id quod *in quo reperitur ratio majoris boni,* sive apparentis, sive veri. Cum igitur Angelus satis superque cognoverit, quod omnia supradicta nomina, sive termini synonimi sunt, & Salutationem æque repræsentent, cur potius elegit *Ave?* Quænam major ratio boni in hoc quam in aliis terminis reperitur? Salmeron respondet, quod *Ave* derivetur à verbo *Aveo,* quod desiderare significat. *Et ita idem est dicere Ave, ac dicere desidera,* quasi dixisset: *Ave Beata Virgo seu desidera, quia quodcunque avebis, & supra quam avebis obtinebis* Vel cum Clemente Alexandrino, *Cogita & faciam.* Ægidius Columna, inquit, quod *Ave,* idem dicat, quod *sine va,* id est, sine miseriis culpæ, & sine ulla imperfectione: *Dicit primo illam salutando Ave id est, sine va, sine culpa, & absque omni imperfectione.* At verò Græcus observat, quod hæc vox *Ave,* contraria sit voci *Eva: Contra vocem prius editam mulieri, dirigitur nunc sermo ad virginem;* Eva nihil aliud significat, quam omnes miseriæ originem, & Adam idipsum prævidens, *vocavit nomen uxoris sui Heva.* Angelus autem virginem salutat dicens: *Ave,* id est, tu es contraria *Eva,* siquidem ærumnæ ab Eva profectæ, per tuæ gratiæ thesauros denuo resarciuntur. *Bene invertit in salutatione Maria nomen Eva, ad declarandum, quod sicut illa malorum nostrorum fuit origo, sic econtra Maria omnium bonorum futura esset principiū.* Verum enimvero S. Epiphanius ad magis particularia descendit: *Eva facta est mortis causa hominibus, per eam enim ingressa est mors in mundum; Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius Dei accessit in mundum, & ubi redundavit peccatum ibi superabundavit gratia, & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet.* Alphons. Salmer. t. 3. tr. 5. Clem. Alex. 7. strom. c. 6. Ægid. Col. in sal. Ang. Græcus in Cat. D. Th. in c. 1. Lev. D. Epiph. contra hæres.

10. Postquā Lazarus mortuus esset, Christus cū per miraculū resuscitaturus in Bethaniā se contulit. Martha autē de ejus adventu certior facta, ei obviā processit, & lachrymantibus oculis lugubre illud nuntiū, scilicet fratrē suum mortuū esse, ei retulit, eumq; rogavit, ut pro ejus resurrectione

tem latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur.

15. Maxima quam à Deo impetrare possumus gratia est, quod postquam propter culparum nostrarum gravitatem juste iratus est, nobis denuo clementissime placari & in gratiam suam nos recipere dignetur. Hæc etenim est gratia impetratu difficillima, veruntamen per intercessionem Virginis Mariæ, securi esse possumus, Deum hanc gratiam nobis nequaquam negaturum esse. Non credo quod Deus unquam adeo in ira sua excanduerit, quantum semel apud S. Prophetam Isaiam cap. 10. excanduisse legitur. Hic enim Deum introducit minas terribilissimas adversus illos superiores detonantem, qui condunt leges iniquas, qui Justitiam subvertunt, & opprimunt paupetes, viduas quoque & miseros pupillos in perditionem totalem redigunt: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio paupetes, & vim facerent causa humilium populi mei, ut essent vidua præda eorum, & pupillos diriperent.* Porro fulmina suppliciorum, quæ Deus comminatur talibus, innumera sunt & incredibilia, nec invenire poterunt, ad quem pro auxilio & subsidio, suique liberatione recurrere poterunt. Decrevit adversum illos armare Regem Assur, qui crudelissimam inter illos stragem faciat, ut ab exercitibus ejus conculcentur sicut lutum
Ib. v. 5. 6. platearum: *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est; in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.* Totum capitulum istud vos, ô Auditores, legite & vix verbum aliquod invenietis à primo ad ultimum usque, quod peculiaria non comminetur tormenta & supplicia, ultroque fatebimini minas longe acerbiores esse, quam ego vobis repræsentare potuerim. Et tamen nullam in tota Scriptura sacra invenio minarum istarum executionem, adeo ut furor divinus mitigatus, temperataque ejus severitas esse videatur. Unde autem id provenire existimatis? Forte exinde, quod Deo visum fuerit minarum suarum rigorem fuisse nimis excessivum? vel transgressores aliquem præstiterunt humiliationis actum? Rupertus Abbas Tuitiensis id in gratiam Mariæ factum esse existimat, de qua Propheta in capite sequenti, id est, undecimo loquitur dicens: *Egredietur virga de*
Isa. 2. 1. *radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet.* Unde videtur, quod ad eum modum quo apparente die nox terminatur, & nascente sole evanescunt tenebræ, ita apparente aliqua Mariæ figura, divinæ justitiæ indignationes, minæ, supplicia & pœnæ dispareant. *Virgo Dei genitrix virga est, flos filius ejus*, inquit B. Bernardus. Unde Rupertus Tuitiensis: *Virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligimus. Et quam pulchra oppositio, supra ostendebatur ille spiritualis Assur, virga furoris Domini, & in manu ejus baculus indignationis ejus.* At vero cur hæc flagella non consequuntur eos, qui se per tot transgressiones omnis imaginabilis pœnæ reos effecerunt? An non audistis jam causam assignatam: *Ecce autem virga gratia*; factum enim hoc est in gratiam virgæ nascentis de radice Jesse, quæ est Sanctissima Dei Genitrix Maria.

Serm. 2. de adv. Dom.

Rupertus Abbas in Isa. l. 2. c. 6.

16. Pro hujus primæ partis clausula ad speculationem quandam mentem nostram erigamus, non minus difficilem, quam attentione vestra dignam. Etenim cum Martha & Magdalena Filium Dei domi suæ suscepissent, *Martha* in eo debita cum reverentia excipiendo, & ardentissimi affectus sui erga ipsum demonstrationibus exhibendis valde sollicita & industria *Satagebat circa frequens ministerium:* Maria autem, ut eum tanta cum dulcedine & efficacia loquentem audiret, totaliter abstracta *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Sacet autem Evangelista hanc historiam enarrans capitulum sive tractatum hisce verbis tandem concludit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Et quidem particula ista de vita contemplativa, quæ activa est melior, intelligi debeat, attamen Guarricus Abbas dicit: *De Magdalena dictum est, sed de Maria impletum est*, quando nimirum in gloriosæ Assumptionis suæ die cælestem gloriam introivit; ac proinde historia hæc à S. Ecclesia in prædictæ solemnitatis die solemniter legitur, prout Ludolph. Carthus. observat, qui *per ly optimam partem* visionem beatificam & gloriam sempiternam intelligit, qua in die illo remunerata fuit in cælesti paradiso. *Pars Mariæ ei præficitur quæ non auferetur ab ea; Exultata enim est super Choros Angelorum, repletum est in bonis desiderium suum: videt Deum facie ad faciem, sicut & gaudet cum filio suo in æternum, hæc est pars optima quæ non auferetur ab ea.* Verum enimvero magnam in jam dictis invenio difficultatem. Etenim gloriæ Maria utique est videre Deum tanquam objectum beatificum, qua igitur ratione gloria illa pars esse poterit? *Optimam partem.* Cur pars & non potius totum appellatur? Adhæc S. Thomas docet, gratiam esse causam

Luc. 10. 39.

Ibidem.

Ib. v. 41.

Ludolph. Carth. p. 1. c. 61.

Idem. ib. f. 123 3.8.

D. Th. p. 1. q. 23. a. 5.

sam meritoriam gloriæ : Beata Virgo autem plus gratiæ habuit quàm omnes Sancti, & tamen totum Deum vident, *totoq; Deo fruuntur*; qua igitur ratione B. Virgo *parte quadam tantum frui dicitur* ? Insuper quis est qui ignoret, quod id *Quod est omninò simplex, aut omninò videtur, aut omninò latet*? Talis autem est Deus, ergò non solùm à Maria, verum etiam à Beatis omnibus, vel totus videtur, vel nihil illius cernitur, hoc ultimum dici non potest. Ergò affirmari debet prius. Præterea Philosophia nos edocet, quod ubi non datur quantitas, *quæ est ratio divisibilitatis totius in partes, ibi non possunt dari partes.* Quod autem quantitas in Deo non datur certum est, quia hæc ut constat, est accidens. Et S. Pater Augustinus dicit, quod *Deus est sine quantitate magnus.* Atque ideò capere non possum, quomodo de Maria dicatur: *Optimam partem elegit.* Hujusce difficultatis resolutio consistit in hujus vocis, *Partem*, intelligentia, quæ æquivoca est ; potest enim de ea parte intelligi, quæ concurrit *ad constitutionem totius*, & hæc non est ejus intelligentia: aut verò accipi potest pro officio, vel munere, vel obligatione; Et hoc sensu dicitur, *Mearum partium est*, aut *Meæ partes sunt*, id est, hoc me concernit, meum hoc est officium. Ita ergò intelligenda est illa Evangelii clausula: *Optimam partem, id est, optimum officium elegit in cælo sibi Maria, quæ* vel *quod non auferetur ab ea.* Ecquodnam autem est munus istud vel officium. Officium nimium Dispensatricis gratiarum cælestium, & in hoc consistit una pars gloriæ suæ accidentalis: *Maria reputat suæ beatæ gloriæ partem etsi accidentalem, hominibus copiosè misereri, sic est sollicita de nostris periculis, sic sollicita pro humanis miseriis: sic enim pientissima Virgo miseros amat mortales, sic sollicitantur Mariæ viscera hominum ærumnis, ut partem gloriæ suæ reputet illis oportunè auxiliari, illos materna pietate fovere.*

Aug. Phil.

D.P. Aug.

Didac. Montelad. Trac. ap. pen. c 13. §.22.n.112

17. Porrò S. Ecclesia hoc die potissimum demonstrat partem & officium Mariæ V. esse gratias divinas dispensare ; Mox enim ut B. Virgo in domum Zachariæ pervenit, Elisabeth Spiritum S. recepit, & Joan. Baptista in utero materno sanctificatur. Duæ gratiæ eximiæ & singulissimæ in uno eodemque conceduntur temporis momento. Scio equidem multos hoc loco facilè mihi dicturos esse, quod in multis necessitatibus suis pro illis gratiis impetrandis ad Mariam V. recurrerint, quæ urgentibus ipsorũ ærumnis oportunè mederi potuissent, nec tamen quidquam obtinuisse. Unde id nascitur? Quia sunt Zachariæ & Elisabethæ contrarii, hi enim *Erant ambo justi.* Et tu qui in peccatis cõtinuo vivis, qui confœderatus es multis sceleribus, denique qui filium tot peccatis offendis, ad matrem ejus gratias ab ea postulando temerè recurris? Quid igitur miraris, si preces & supplicationes tuæ cassæ apud illam sint & irritæ? Hi magni servi Dei: *Erant incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini*; tu autem vix aliquid operaris, quod divinis non adversetur præceptis. Illi omnia Dei mandata observabant, tu ne unicum quidem adimples, & tamen è cœlo favores præstolaris? Et tamen à Virgine Maria gratias exposcis ? Quomodo gratias à Principe postulare audes, qui gratiam Principis amisisti. Qui sibi gratias dari desiderat, qui gratias à Virgine expectat, in ejus gratiam, charitatem & Eleemosynam pauperibus tribuat.

PARS SECUNDA.

18. MAxima gratia quam mediante Virgine Deipara à Deo possumus & debemus desiderare, est gratia habitualis, sive justificans, in cujus virtute grati Deo efficimur, & in perfecta cum ipso amicitia conjuncti sumus. Hæc est gratia illa, quæ à nobis maximè æstimari debet, cùm hæc sit substantialis, reliquæ verò accidentales. Opportunè hic mihi incidit modus loquendi Gabrielis Archangeli, quando ex divino jussu ad Serenissimam cœlorum Reginam se recepit, ut ei annuntiaret, Verbum æternum illam in matrem suam eligere fuisse dignatum : Inter cætera namque quibus eam alloquebatur, dixit ei: *Invenisti gratiam apud Dominum*, quasi diceret: Verè fortunatissima es ô Virgo, quæ apud Deum inveniſti gratiam. S. P. Augustinus, & alii Patres causam quærunt, ob quam dixit: *Invenisti*, & non potius *habuisti, accepisti, acquisivisti, dedit tibi Deus*, Quidnam propriè *invenire* significat ? Idem quod assequi rem aliquam, quæ antecedenter amissa aut perdita erat. De Pastore qui oviculam amiserat, S. Lucas ita scribit: *Si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit, &c. & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat illam? Et cùm invenerit eam, &c.* Et de muliere, quæ drachmam amiserat, ait: *Si perdiderit drachmam unam, &c. Et quærit diligenter donec inveniat eam? Et cùm invenerit &c.* Igitur invenire præsupponit amittere. Atque ideò si Maria (ut Archangelus dicit) gratiam inve-

Luc. 1.30.

Luc. 15.8

nit, necessum est, ut illam prius ut unusquisque nostrum amiserit: *Non dicitur aliquid inveniri, nisi quod diligenter quaritur, sic nec dicitur quaeri, nisi quod priùs fuerit amissum.* Ipsa namque gratiam nunquam perdidit, quia haec non perditur nisi per culpam, qualem ipsa nunquam ne venialem quidem commisit, sed gratiam potiùs ab instanti Conceptionis semper conservavit. Alii igitur illam perdiderunt. Et quis nisi Adamas? Qui ut S. Thomas docet: *Creatus fuit in gratia*: per peccatum autem transgressionis *gratiam amisit & charitatem.* A quo autem gratia inventa fuit? A Maria: *Invenisti gratiam.* Unde si illam reinvenire & recuperare volumus, necessum est ut eam in ejus manibus investigemus. Est haec observatio S.P. Augustini, dicentis: *Notanter dicitur invenisti: Non dicit Habuisti, vel acquisivisti, quia res habita, vel justè acquisita, ut propria custoditur, sed inventa his qui perdiderunt, restituitur. Sic Maria invenit gratiam non sibi soli retinendam, sed tanquam aliis restituendam; qui enim invenit perditum, tenetur restituere? Gratia verò quam Eva perdidit, Maria invenit, non solùm pro se, sed etiam pro nobis.* Et postea mox magnus pater meus exclamat: *O Maria, gratiam apud Dominum invenisti, & hanc per totum mundum diffundere meruisti.* Cùmque nos non minùs quam Adamus & Eva gratiam Dei per peccata commissa amiserimus, ideò idem Pater nos quoque invitat & exhortatur, ut ad Mariam recurramus, ut hac mediante illam recuperare valeamus: *Omnes qui peccando gratiam amisimus. Securi ad thronum gratiæ accedamus, & Mariam inventricem gratiæ piis fletibus, & devotis orationibus pulsemus, ut gratiam nobis reddat, quam pro nobis & propter nos invenit.*

Ægid. in 2. dist. 24. art. 5.

D. Aug. apud Ludolph. Carth. 1. p. c. 5.

D. P. Aug. ubi suprà.

19. Doctissimus Idiota proinde dicere non dubitavit, quòd quisquis Mariam invenit, omne bonum inveniat: *inventâ Maria Virgine invenitur omne bonum.* Verum, inquies, quale est hoc bonum, quod omnis in se boni rationem complectitur? Certè non est aliud, quàm Deus ipse, qui est bonum infinitum per essentiam, & omne bonum considerabile in se continet. Vult igitur hic Idiota dicere, quòd inventâ Maria, Deus ipsemet inveniatur. Unde Quisquis Deum omnium gratiarum authorem & fontem invenire desiderat, Mariam quærat. Ac proinde Alanus super illa verba Canticorum: *Quaramus eam tecum,* subjungit. *Bene dicitur, quaramus eum tecum, quia sine gloriosa Virginis fide, qui Christum quærit, errare potest, proficere non potest.* Tres illi Orientis Reges, mox ut Regis Judæorum in Bethlehem recens nati felicissimum nuntium audierunt, omnes relictis regnis suis, itineri se committunt, ut debita illi reverentiæ reddant obsequia, eique ex pretiosissimis, quæ in Gazis suis conservarunt, muneribus velut ejus vasalli tributa exsolvant. Cùmque ineundæ viæ ignari essent, stella quædam crinita atque flammigera ex improviso coram eis apparet, quæ eos præcedens totius itineris ineundi semitas clarè eis ostendit. Quam singuli videntes: O quam pulchra & lucida stella haec est, dicebant, Sit cælum benedictum in sæcula, quòd itineris nostri imminentem felicitatem tam pulchris sideribus prognosticat, videbatur enim stella haec scintillantibus hisce splendoribus, veluti totidem linguis hunc in modum eos alloqui: Animosè & liberè me sequamini, & gressus vesteos movete, nec quicquam timete, ego enim ducis loco vobis inserviam, ut à recta semita aberrare non possitis. Progressi sunt igitur totâ die lætissimo corde, vesperi autem mox ut in diversoria se recepetûr, stella quoque veluti petitâ ab eis licentiâ se subduxit & abscondit. Dum verò illucescente die itineri se rursus accingerent, ecce stella eadem veluti evigilans novo rursus lumine vestita, conspicuè se iis videndam exhibet, securamque quâ gradiuntur, viam commonstrat, nec unquam illos deserit, aut ab eorum oculis se subducit, donec ad locum ab iis desideratum & quæsitum felicissimè pertingerent. Idipsum S. Matthæus hac loquendi phrasi recenset: *Et ecce stella quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos.* Sed quousque comes illorum fuit? Quis fuit terminus ad quem, in quo substitit? Audite: *Usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer.* Quænam est haec verborum circumlocutio? *Staret supra, ubi erat Puer.* Nunquid se brevius expedire poterat, dicendo: *Staret supra puerum?* Minimè, sed directè super illum locum firmatur, ubi erat parvulus. Quis autem erat hic locus? Maria sive brachia Mariæ. Quasi tacitè illis Regibus dicere voluisset: vos natum Regem quæritis? Me igitur respicite super Mariam firmiter subsistentem, eamque vobis commonstrantem. *Supra ubi erat puer.* Matrem quærite, si filium vultis invenire. Inventâ Maria Deum quoque incarnatum inveniitis, qui fons est gratiarum omniumque imaginabilium bonorum origo; *Inventâ Maria inve-*

Idiota apud Ioan. Haye Com. in Exo. c. 33. v. 19.

Cant. 5. 5. n. 17. Alan

Eus. Gallican. in Bibl. PP. t. 5.

invenitur omne bonum. Estque hæc Eusebii Gallicani speculatio dicentis. *Stat stella supra stellam. Maria stella maris interpretatur. Stat supra ubi erat puer, sed ubi erat, nisi in sinu matris? vocat igitur stella Magos, habent enim stella linguam suam, quasi diceret: Hic est puer, hic eum quærite, hic eum invenietis.*

10. O igitur Beatissima Virgo Mater Dei, ego tanquam peccator inter omnes, & super omnes gravissimus, qui per tot culpatum meatum reatus gratiam perdidi, & indignationem filii tui authoris omnis gratiæ incurri, & consequenter omni bono privati merui, ego inquam ante pedes tuos prostratus humiliter & reverenter tibi supplico, ut quæ gratiam à me amissam invenisti, eandem mihi restituas nunc & in hora mortis meæ, in qua *nunc prout ex tunc* tibi animam meam omniumque illorum, qui hucusque me patienter auscultarunt, suppliciter commendo.

SERMO DECIMUS NONUS.

IN FESTO PROPHETHÆ ET PATRIARCHÆ SANCTI ELIÆ,

Institutoris Religionis Carmelitanæ.

Elias dum zelat zelum Legis, receptus est in cœlum.
Lib. 1. Machab. cap. 2.

1. SIngularis Magnatum prudentia est potiùs clementiæ effectus quàm severitatis rigores exercere. Illi enim ornamentum adferunt & laudem, hi verò deformitatem & contemptum conciliant. De animo benignitatis temperamento moderato Tullius affirmat dicens: *Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro verò dignius placabilitate & clementia.* Per hujus virtutis exercituum multi Principes se plurimum reddiderunt celebres. Rudolphus Imperator suadenti sibi, ut manum à clementia retraheret, dixit: *Severum & immitem fuisse me aliquando panituit, lenem & placabilem nunquam.* Cùm Tyrrhenus adolescens Cumæ traditoriè trucidatus esset, Pytthacus parens ejus, qui homicidam morte punire poterat, id facere noluit, sed potiùs eo illæso relicto, pietate & clementia erga eum uti satius esse duxit: *Sentiens utilius condonare quàm ulcisci.* Theodosius cognomento Junior interrogatus, cur capitis pœnâ non mulctaret eos, qui in suæ majestatis contemptum liberè nimis de eo loquebantur, hoc responsum reddidit: *Vtinam mihi liceret mortuos ad vitam revocare.* Aurelius Cæsar Thianam cum exercitu suo veniens, & occlusas sibi portas reperiens, vehementi indignatione correptus protestatus est, dicens: *Canem in hoc oppido non relinquam*, ubi autem civitatem illam postea ingressus est, cunctis militibus severè interdixit, ne vel minimam cuiquam civium injuriam inferrent, sed potiùs omnes quotquot in urbe essent canes interficerent, dicebat enim: *Canem me negavi relicturum. Canes omnes occidite, & sic clementer hostes suos tractavit.* Æternâ laude digna fuit Philippi Visconti benignitas, ad quem cùm in prælio navali habito juxta Insulam Ponzi, captivus addictus fuisset Alphonsus Rex Neapolitanus, eundem cum omnibus clementiæ & benevolentiæ demonstratione tractavit, eiq; insuper ingentem pecuniæ quantitatem & necessarios milites subministravit, quibuscum se ad Apuliam recuperandam reciperet. O animi generosi ob exhibitam in alios clementiam æterna memoriâ dignissimi, hoc ipsi imprimentes salutare Polibii monitum: *Benignitate atque clementiâ hostem vincere, quàm armis præstat.*

Cic. lib. de offic. 1.

Æneas Silvius de reb. gest. Alphonsi.

Laert. l. 1.

Panorm. de reb gest. Alphonsi.

Flavius Vopiscus.

Iovius in Elegio. Alphonsi. Poli. lib. 3.

2. Cùm tamen sermone explicari non possit,

quam sit in Magnate aliquo contemptibilis ac detestabilis severitas, dum serò nimis experiri coguntur, verum esse quod Chrysostom. dixit: *Semper asperis uti sermonibus magis exacerbat hominem.* Unde Seneca: *Evitabis crudelitatem, & ministram crudelitatis iram.* Non crudelitas, sed inaudita barbaries fuit, quam exercuit Maxentius, dum mortuorum cadavera hominibus viventibus firmiter adstrinxit & colligavit, ut hi ab illorum putrefactione & fœtore contabescētes miserè emorerentur. Quis unquam severitatem audivit adeò crudelem, ac fuit illa Alexandri Terei, qui homines etiamnum viventes subtus terram sepeliri curavit, ut adeò crudelis mortis probarent tormentum. Porrò quia pietas Arpago dissuadebat, Astyagis trucidare nepotem, prout sibi à Rege ob suspicionem ex somno quodam conceptam mandatum fuerat, voluit ut clam & secretò ejus occideretur filius. Eumque postea ad mensam regiam invitatum, innocui cadaveris carnibus cibavit, & pro ultimo missu adduci fecit in lance quadam occisi cadaveris pedes, manus, & caput. Quis non exhorresceret impietatem filii Soldani Ormuzii commemorati audiens, qui in una eademque nocte oculos Patri, matri, & fratribus eruit. Deinde verò ut eos vivos comburet, ignem illi Palatii parti subjecit, ubi eos tenebat recluses. Robertus III. Rex Scotiæ filium primogenitum Davidem, Albinæ Duci fratri suo consignavit, qui eum fame enecandum, squalidæ turris, sive carceris fundo inclusit. Certior autem factus, quòd filia & ancilla Castellani eundem modico pane & proprio lacte sustentarent, utramque carnificis manibus crudeliter enecari præcepit. *Inhumanitas omni ætate molesta* (inquit Romanæ eloquentiæ Parens) *nec est unquam utile quod crudele.* Cùm itaque clementia & mansuetudo laudabilis & amabilis, severitatis autem rigor vituperabilis & execrandus sit, cur obsecro magnus Dei servus, Propheta & Patriarcha Elias hanc se sectari, illam verò fugere in vita sua ostendit, quando posthabitâ omni benignitate severissimum se omnisque clementiæ expertem exhibuit, nunc cœlo pluvias, terræ fructus, fluminibus aquas interdicendo; & per annonæ caritatem ac torridam sitim Provincias castigando & regna, nunc Achabum cum summa severitate atque rigore aggrediendo; Mox feris præcipiendo, ut integram puerorum turbam dentibus & unguibus dilaniarent atque discerperent, paulò post aliquot Sacerdotū Baaliticorū centurias trucidando, aliàs ignem de cœlo in bina vice evocando, eoque primum & secundum Principem quinquagenarum cum quinquaginta suis à Rege ad eum missos comburendo & incinerando: denique Regi Ochoziæ comminando mortem, adeò ut Nerone aliisque crudelitatis ministris haud dissimilis esse videatur. Quid igitur dicemus ad hæc? Ergone Elias immane quoddam severæ crudelitatis instrumentum fuisse dicendus erit? Absit, imò potiùs pius, fervens & zelosus minister divini honoris: *Elias zelat zelum legis*, prouti in præsenti discursu deinceps prolixius videbimus.

D. Chrys.

Senec. lib. de Mo.

Polyant. verb. crudelitas & Virg. lib. 8. Æneid. Alex. Alexand. Plut. in Demet. D. Felix. Astol. in eff. l. 3. c. 21

Blon. de bell. Angl. lib. 2.

3. Etenim quòd Elias in puniendis delinquentibus & divinarum legum transgressoribus, per miros severitatis cujusdam excessus processerit, idipsum ex nullo alio motivo faciebat, quàm ex fervore zeli quo fuit correptus, quando honorem divinum conculcari, eamque venerationem quæ verò Deo debebatur in Idolum Baal impiè transferri conspexit; Hinc enim nascebatur cœlestium rerum contemptus, & maxima quæ reputationi Divinæ Majestatis irrogari poterat contumelia. Nam ut S. Hieronymus inquit: *Ubi honor non est, contemptus est: ubi contemptus, ibi frequens injuria.* Dum itaque vidit una cum neglectu & contemptu veri cultus Divini conjunctam pariter esse perditionem animarum, mox in Sancti Prophetæ pectore zelus subnascebatur adeò ardens, ut nullum non adhiberet medium à tot inordinatis iniquitatibus obviandum; cùmque ipsâmet experientia teste comprobasset, vanam esse omnem erga illos exercitam humanitatem ac benevolentiam, coactus est ad suppliciorum variorum rigores convertere, ut hisce mediantibus Idololatræ ad divinorum præceptorum observantiam reducerentur; Nam ut magnus Ecclesiæ Doctor Ambr. scribit: *Ad vitam zelus est Divina præcepta servare, & amore nominis ejus custodire mandata.* Et quomodo tot severitatis atque rigoris demonstrationes negligere vel omittere potuisset, si verum est, quod idemmet Doctor scribit: *Zelum Dei qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei.* Unde hic zelus in hoc sancto Patriarcha adeò prædominabatur, ut semetipsum ab impulsibus ad similes severissimas pœnarum executiones eum exstimulantibus coercere nequaquam posset. Hinc Chrysostomus ore suo aureo de ipso dixit: *Helias ille zelo Dei insignis, ut vidit Judæorum gentem contempta Dei misericordiâ perpetuò in delitiis vivere, & idolorum cultui deditam, & à Deo quidem impio-*

D. Amb. in Ps. 118.

Idem ibid.

D. Chrys. serm. 1. de Elia.

impietatem tolerari, ipsos autem longanimitate istâ ad majorem vitæ impœnitentiam abuti, voluit eos punitum iri.

5. Videns itaque sanctus Propheta quòd quasi omnes gentes Deo dorsum obverterrent & genibus flexis corda sua idolo Baal consecrarent, adeò excandescere cœpit, ut irâ succensus, terram pede concusserit, extensâ dexterâ horribiles minas fulminarit, & elevatâ in cælum facie per Dei Israelis vitam juraverit, se impietatem hanc impunem nequaquam dissimulaturum, sed acerbissimâ vindictâ in eandem animadversurum esse, prout & fecit, dum rori & pluviis præcepit, ne deinceps caderent super terram, donec hæc sterilis effecta, in vicem solitorum fructuum crudelissimam quandam pareret charitatis annonam, adeò ut populi passim fame & siti inconsolabiliter oppressi miserè perierint: *Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Quasi diceret: Juro quòd sicut verum est, Dominum Deum vitam habere: *Vivit Dominus*, ipsissimamque vitam esse, ita quoque futurum sit verum, quòd cælum deinceps non pluet nisi me jubente & volente. Siste hîc ô Elia, quid tibi opus est juramento? Nunquid sufficiebat dicere: *Non erit ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba?* Cur igitur juramentum interponis! *Vivit Dominus.* Quis ignorat juramentum illud illicitum esse, quod in proximi detrimentum redundat? *Qui malum se facturum jurat, peccat, & melius est juramentum frangere quàm implere.* Et Summistæ cla è dicunt; quòd *talia juramenta non ligant.* Et alii dicunt: *Quisquis juramento affirmaverit, aliquid se facturum, quo secuto salus corporalis vel spiritualis adimitur; vel sine quo utraque salus, vel altera reparari non poterit; fidem servare prohibetur.* Præterquam quod olim quoque prohibitum fuerit, Deorum nomina in juramentis attestari: *Veteres interdum metu pejerandi Deorum nomina omittebant, & formula tantum juris jurandi contenti erant.* Quantò magis notabilem committet errorem Elias, per invocationem nominis Dei vivi & veritu suo juramento adhibitam, dum inquit: *Vivit Dominus Deus Israel*: Et quidem hoc Eliæ juramentum videtur mihi aliquam cum fuga Jonæ habere similitudinem & correspondentiam.

1. Reg. 17.

Hug. de S. Vict. l. 7. p. 2 c. 12. Greg. Sayr. lib. 3. cap. 31. nu. 20. Io. Bach. in Clavi Regia l. 5. cap 3. Polyan. verbo. Iuramentum

4. Huic enim Deus præcepit, ut in Niniven abiens ibidem prædicaret, eamque gentem ad errores suos emendandos permovere satageret. Jussit autem, ut illi Civitati in proximo imminentem subversionem & desolationem præconizaret, quòd scilicet in propriis ruinis sepeliendi essent prius quàm morituri, quòd omnia illius urbis ædificia susque deque essent subvertenda, adeò ut ne lapis quidem unicus superfuturus esset, è quo Niniven hîc substitisse conjici aut cognosci posset: *Surge, vade in Niniven civitatem grandem & prædica in ea: adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Jonas autem in commisso sibi Divino obsequio executor exactus minimè fuit, nam neglecto itinere Ninivitico, navem Tharsensem jam jam à littore solventem conscendit, & in Tharsis fugit: *Et surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis.* Itane ô Jona Divina præcepta executioni mandantur? Profecto duplicis pœnæ reum te efficis, utpote qui duos notabilissimos errores committis; unus est, quòd opera charitatis erga Ninivitas exercenda facere recuses: Alter autem, quòd divinæ voluntati non pareas. Dic igitur sodes, cur non vadis: aut quamobrem fugam capere meditaris? Num fortè gaudes de sceleribus quæ Ninivitæ committunt? aut voluptatem habes in supplicis Civitati illi ex comminatione Dei imminentibus? Basilius Seleucus in personâ Prophetæ respondet: Proprietatem Dei satis superque agnosco, quòd scilicet hoc sibi proprium vendicet, quod scilicet subitò iterum placatur, & ideò scio, quòd tametsi illis prædicavero supplicium, Deus tamen idipsum illis nequaquam sit immissurus, ac proinde ego prædicatione factâ non verò adimpletâ, mendacii procul dubio arguendus ero: *Novi Dei hominum amantissimi artes, iram simulat, studet eos antè exsolvi repœnâ, quam experiantur: Ego verò eversionem proclamans mendax vates inveniar.* Hic erat pariter Eliæ discursus: Probè novi quàm magni sit Dei erga homines benignitas: Quòd si ego ad hosce Idololatras per sterilitatem, famem, sitim castigandos simpliciter ipsum deprecatus fuero, ut nubibus cæli pluvias terræ subministrare interdicat, certus sum, quòd paulò pòst compassione erga hominum miseriam commotus nubibus mandabit, ut ad dandum terræ per tot terræ hiatus veluti totidem ora postulatum subsidium sese penitus evisceret & per pluvias exonerent: ego autem vel invitus impios hosce exaudiros & consolatos esse videre cogar. Nequaquam id patiar, ac proinde Deum per expressum juramentum ad hoc obligare volo, ut scilicet pluviam super terræ faciem nequa-

Io. 3. n. 5.

D Bas. Seleuc. orat. 12.

quam mittat, nisi dum ipse eam à Deo postula

D Chrys. to. 1 ser. 1. de S. Elia. vero. *Vivit Dominus Deus Israel &c. Decernit ut ad conceptam in eos pœnam Deum juramento adstringebat: Dicebat itaque: Bonus erga illos Deus est (est doctrina Chrysostomi) pauciſque eorum flectitur lachrymis, longanimitate enim abutentes perditè vivunt, & simulachra colunt, atque ita Deus ipse contemnitur.* Verùm, inquit Deus, quid si pœnitentiam egerint, quid si lachrymam aliquam emiserint, quid si in genua prolapsi veniâ postulaverint, tuumne juramentum adeò fortiter constringet, ut petitam ab eis gratiam, illis denegare, nec quicquam ad pietatem erga illos exhibendam moveri debeã? Num in prædictis casibus pluviam illis abnuere obligabor? *Omnino*, quia ligatus es juramento:

Idem ib. *Vivit Dominus.* Non debes dare pluviam, nisi *juxta oris mei verba.* Nullam illis exhibere debes pietatem: *Illi dolis se addixerunt, ego per Deitatem tuam juro: Ostende mihi, quod juramentum hoc contra te valeat, & non quando tibi videbitur pœnæ finem faciam.* Quid hic dicetis, Auditores? Nunquid sub jurejurando affirmaretis, majorem esse Divini honoris zelum in Elia, quam in ipsomet Deo.

5. Dicite sodes, optimi Auditores, nunquid ipsemet quoque Elias universali huic famis & sitis miseriæ subjectus erat? Nunquid & ipse eas quas duæ hæ crudelissimæ Megæræ adducere solent afflictiones persentiscebat? Omnino existimo, quod nisi medeatur, supplicando Deo suo, ut per submissas è cælo aquas terram nonnihil restauret, ipsemet quoque fame & siti mori cogetur in societate aliorum, ipsaque ejus innocentia non minus quam alii delinquentes mortis pœnæ subjacere debebit. Jam enim torrens Jordanis omnis aquæ expers dudum exaruit; quô igitur medio ô Elia siti tuæ subvenies. Corvus qui in tui sustentationem panem adferre solebat, non comparet amplius: Quod si alios aliqua adhuc annona provisos in subsidium imploraverit, illos utique potius ad lapidandum te excitabis, siquidem tu ipse es tum propriarum tum alienarum miseriarum faber & minister. Ad minus igitur tui ipsius rationem aliquam & respectum habe, teque à tyrannicis fatalis mortis manibus eripe. Eja igitur commoveare ad rogandum Deum, ut per pluviæ abundantiam restauret Regionem. Audite quid Propheta per os Chrysostomi aureum respondeat: *Non ingratum est quod*

D Chrys. serm. 1. de S. Elia. *fame crucior, tantum ut impios puniri videam: Pereat corpus meum cum his qui fame opprimuntur.* Nihil morì proprium curat, dummodo in vivis Idololatræ non maneant aut relinquantur superstites, plus Dei honorem zelans, quam propriam suam vitam, magisque vivaciori sensu Deo factam injuriam percipit, quam propriæ personæ illata gravamina. Etenim zelus hic Eliæ magis elucebit, si vos ô Auditores cum attentione & sine fastidio casum quendam in libro Judicum relatum auscultaveritis.

6. Samsoni dolo & fraudibus Dalilæ misere tradito, eruti sunt à Philisthæis oculi, postea verò catenis vinctus Gazæ conjectus est in carcerem, atque ad bestialem in molendino laborem exercendum non minus operosum quam vilem destinatus fuit: *Eruerunt oculos ejus, & duxerunt in Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* In tantum, ut tandem crescente coma vires quoque pristinæ denuo redierint. Dumque in templo à Philisthæis in honorem Dei Dagon festiva quædam celebraretur solemnitas, Samson ex carcere exsolvi, & intra templum introduci meruit, qui ad columnam quandam, quæ sola totam ædificii machinam sustinebat, proximus accedens, eamque circumplectens tanta cum fortitudine & violentia traxit, ut illa rupta & dejecta totam repente templi illius machinam everterit, ipseque una cum triginta circiter millibus personis oppressus & mortuus fuerit. Optarem hoc loco, ut motivum principale penetrare possem, quod Samsonem ad similem circa Philisthæos & patiter semetipsum stragem faciendam permovit. Et quidem ubi locum hunc Scripturæ & preces, quas Samson pro felici & facili sui propositi executione ad Deum effudit, benè ponderaverimus, ipsum crudele hoc facinus ob proprium suum interesse fecisse reperiemus, nimirum ut se de recepta per erutos sibi à Philisthæis oculos injuria & ingenti damno debite vindicaret, ac proinde divinum auxilium exposcens dixit: *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam.* Sed quo fine ô Samson? *ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.* Ubi observandum, quod Philisthæi uno eodemque tempore, idololatriæ scelere se polluebant, sacrificia in Dei Dagon honorem offerendo, id quod in maximam Dei veri offensam redundabat, hoc tamen Samson ne minima quidem cogitatione apprehendit, vindicta enim quam fecit, non fiebat ex zelo honoris divini, vindicando injuriam per idololatriam Deo vivo ac vero illatam, sed propter oculorum proprio-

Judic. 16. v. 21. 22.

Judic. ib.

rum

rum jacturam : *Samson agnescens honorem labefactari divinum, sibique obcaecata lumina animadvertens, opus virtutis aggreditur, non divini honoris zelo, sed vindictæ oculorum studio.* Idipsum Cajetanus confirmat, dicens : *Quamvis Philisthini Deos suos laudarent, nihil tamen scribitur zeli in Samsone, sed duntaxat amor vindicandi oculos proprios.* Unde facili negotio conjicere licet, quantus fuerit Eliæ zelus, siquidem nihil curabat mori non ex motivo proprii interesse, uti Samson injurias & adversitates ab Achab Rege, Jezabele Regina, cæterisque Baaliticis Pseudoprophetis receptas & perpessas, sed ex eo solum capite, quia Dei honorem conculcari videbat : *Non ingratum est quod fame crucior, tantum ut impios puniri videam*

Cajet. ib.

7. Tam ardens fuit Eliæ zelus, ut Deum inventiones & stratagemata excogitare opus fuerit, ad illum tempetandum & mitigandum. Hoc enim fine fecit Deus, ut viduæ illius Sareptanæ, quæ se erga sanctum Prophetam adeò charitativam exhibuerat, filius moreretur, quod ut audivit Elias, vehementer turbatus, ad Deum confugit, eundem rogans, ut sibi eum à mortuis ad vitam resuscitandi virtutem concedere dignaretur, dicendo : *Domine Deus meus, etiamne viduæ apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus.* Quasi diceret : Tu ô Domine mihi præcepisti, ut me in hujus mulieris domum reciperem, futurum enim, quod illa necessitatibus meis promptissimè prospiceret, prout reipsa quoque præstitit ; imò adhuc in recenti memoria formalia verba, quibus id mihi præcipere dignatus es, dixisti enim : *Surge & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi ; præcepi enim mulieri viduæ ut pascat te.* Quare mandatis tuis prompte obedivi. Mulier quoque prædicta propter præfatum præceptum tuum fecit quod potuit, neque charitati ulla in re defuit. Cur igitur nunc unicum benefactricis meæ filium mori voluisti ? Hæcce merces beneficiorum, quæ in me promptè & liberaliter contulit ? ad minus facultatem mihi concede, ut eum vivum desolatæ matri suæ restituere, & à mortuis resuscitare possim Nec est quod dicas, mortem ejus naturalem fuisse, nimis enim perspicuè in hoc facto clementiæ tuæ stratagemata agnosco. Scio etenim quod hac morte velut occasione quadam uti velis, ut me ad compatiendum maledictorum illorum Idololatrarum miseriis inducere possis : *Non est mors illa naturæ eventus ; tuum opus est, mea sunt technæ, sentio artes tuas.* (Sic à Chrysostomo Elias loquens introducitur) *Hoc agis Domine, ut si dixero tibi, salva filium viduæ mortuum, tu mihi ex adverso respondeas : Filium meum Israel tu fame occisum misericordia dignare Petis à me gratiam, petitur vicissim & à te gratia. Solve famis sententiam, & solvam mortis calculum.*

3. Reg. 17. n. 20.

D. Ioan. Chrysost. serm. de S. Elia.

Tandem inquit os Chrysostomi aureum, Propheta ad Regem Achab abire decrevit, ut fœlicissima ei nova annunciaret, futurum scilicet intra breve tempus, ut cælum in copiosam pluviam resolveretur. Verum audite, quam fuerit ex mente sancti Chrysostomi voluntas Prophetæ perplexa & irresoluta : *Currit igitur*, inquit, *volens & nolens* Sed quomodo fieri potuit, quod Propheta simul vellet & nollet. Erat *volens*, quia Deus id ab eo desiderabat : *Nolens* quia Baalitæ minimè hanc gratiam merebantur adipisci. *Volens* ne transgrederetur præcepta Dei. *Nolens*, quia intra semetipsum magnam sentiebat repugnantiam. *Volens*, quia non erat impossibilis Idololatrarum correctio. *Nolens*, quia timebat ne obstinatiores redderentur post acceptum beneficium. Volens, quia gentes illæ ad extremas redacti erant miserias. *Nolens*, quia divini honoris ardens zelus eum ad vindictam rigorosiorem instigabat. Tandem verò necessum fuit, ut huic *volens* illud *nolens* caderet, & desiderio Dei zelus Eliæ prævaleret. Unde Chrysostomus : *Videns pertinacem Eliæ animum adhuc à misericordia abhorrentem, à peccatoribus ipsum segregat. Ego, dixit, scio zelum tuum, quia peccatores ob zeli inimicitatem ferre non vales.*

Chrysost. ubi supra.

8. Veruntamen Propheta cavere volens, ne sanctitas zeli sui ab indiscreta quadam pertinacia contaminatetur, *post multos dies*, nova à Deo mandata recipiens, quibus ei dicebatur : *Vade & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ*, itineri se accingens abivit ; ac demum postvarios diversorum sacrificiorum occisionis Propheratum Baal eventus, ascendit in verticem Carmeli : *Et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*, & Sodali suo præcepit, ut contra mare conversus respiceret, sibique si quid videret referret. Quod is summa cum diligentia observavit, conversus enim ab Oriente in occasum, cælum serenum, mareque tranquillum esse, ac ne minimum quidem secuturæ pluviæ signum conspexit. Unde ad Magistrum suum reversus dicit : Ne vel minima quidem in cælo nubecula conspicitur. *Non est quicquam.* Tandem ei præcepit, ut septies ad videndum revertetur : *Revertere septies vicibus.* In hac recensita historia duas

Ibid. n. 42.

Ibid. n. 43.

duas habeo difficultates: Prima est cur *posuit faciem suam inter genua sua?* Secunda cur saltem ad minus semel ipsemet non iverit, ut respicetet versus mare, ut videret si forte nubecula aliqua è mari proditet? Facile enim fieri potuisset, quod Discipulus ejus vel non fuisset adeò perspicaci visu præditus, qualis ad ea quæ procul posita sunt, videnda requiritur: vel quod in observandis è cæli dispositione dependentibus effectibus minimè fuisset practicus sive expertus. Verum enimverò dum rem profundius considero, utrique difficultati per unàm eandemque responsionem satisfieri posse video. Nam caput suum *inter genua* posuit, & in propria persona ad videndam nubeculam aquatum pluvialium bajulam abire noluit, quia cum consideraret Idololatras brevi ex tali secutura pluvia fore consolandos & refocillandos, nubeculam illam videre noluit, ne esset sibi majoris amaritudinis animi sui occasio. Quasi dixisset: Ex quo Deum Idololatris pluviam dare velle video, cor meum disrumpi mihi videtur, dum illos ex hoc consolandos & animandos esse considero, atque ideò cum id impedire nequeam, saltem ad minus oculos meos prohibebo ne videant, quod non nisi afflictionem atque molestiam natum est adferre, *posuit faciem suam inter genua.* Ergone ô Elia proximi tui invidebis? Nulla te tangit charitas qua proximi tui commoveare miseriis? Num fortè de illorum numero es, de quibus dictum fuit: *Non tam proprius bonis gaudent, quam alienis malis?* Etisne Mutio illi Romano similis, qui *alienam prosperitatem ægre ferebat?* Aut M. Crassum imitaberis, qui Pompeii honores nec videre nec audire poterat? Aut sectator eris Caligulæ, cujus oculi assuefieri minimè poterant videndis honoribus Mallio, Torquato & Cincinnato exhibitis? Minimè gentium. Non enim Eliam aliqua exstimulavit invidia, inquit Basilius Seleucus, sed potius ardens divini honoris zelus in pectore ejus æstuabat, neque ad lubentem de cælo pluviam videndam induci potuit, quia verebatur, ne vel ab Idololatria minimè converterentur, vel post accepta beneficia longe pejores & deteriores evaderent. *Metuit ne supplicii medicamentum reddatur inefficax, & ingratus populus perduret in bonitatis divinæ contemptione.* Oculi ejus aliud videre non poterant, nisi vel actiones divinæ gloriæ ampliationem concernentes: vel illorum supplicia, qui illam sine aliquo respectu deturpabant.

Stob ser. de invidia. Suetonius Bras. l. 3. c. 7. Io. Rauvis in offic. verbo invidi Basil. Seleu orat. 11. in Eliam.

9. Mortuo Achabo Rege in gubernationem regni successit Ochozias filius ejus Patre non minus impius & sceleratus. Hic igitur cum ex infirmitate quadam se in lectulo suo aggravatum persentiscceret, cupidus erat sciendi indispositionis suæ futurum exitum. Cumque à falso Deo Accaron frustra petiisset consilium, expedivit ad Eliam Principem quinquagenarium id est, Capitaneum quendam quinquaginta militibus stipatum, eique præcepit, ut in montem Carmeli abiret, servumque Dei inibi repertum ad palatium Regium ex Regis præcepto descendere juberet; qui mandata Regis fidelissime exequens, ubi ad Eliam Prophetam accessit, eidem Regis nomine dixit: *Homo Dei Rex præcepit ut descendas.* Tunc Propheta furore accensus dextera sua minitans, elata voce dixit: Jam jam me hominem Dei esse experieris: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Et ecce mox delapsus de cælo est ingens ignis, qui eos corripiens totalitet consumpsit, & in cineres redegit. Rex in infirmitatis suæ lectulo positus triste hoc nuntium percipiens, aliam quandam militum turbam cum adjuncto illis Duce ad Eliam dimisit quibus idem prorsus accidit, nam ad nutum Eliæ omnes cœlesti igne fuere devorati. Quid culpæ hi quinquaginta cum Duce suo commisere ô Elia, quod tam crudeliter in illos animadverteris? Non solum enim te non offenderunt, quin potius te tanquam Dei servum venerati sunt & honorarunt: *Homo Dei.* Potius ergo cum aliquo respectu & reverentia, quàm cum rigore illos tractare debuisses, abblandiri, non castigare, obsequia illis offerre, non verò tanta illis conciliare debuisses fastidia. Verum Auditores, nolite credere Eliam se casualiter, aut ex proprio arbitrio sive capritio adversum illos milites & Ducem ipsorum commovisse: quin potius Elias ex ipsorum loquendi modo quo utebantur, motus fuit, ad evocandum de cælo ignem ut comburerentur. *Homo Dei* Hucusque nihil est quod displiceat, *Rex præcipit ut descendas*, hæc verba sunt omnium subsecutorum malorum origo. Ergone vos mihi præcepta ex parte Regis insinuare audebitis? Ecquis est Rex ille? Quid mihi cum Rege intercedit commercii? Quamnam jurisdictionem Rex super me obtinet? Eo ipso quo mihi imperat, se Dominum meum, meque servum suum esse prætendit, Regis mea nihil interest. Neque alium agnosco Dominum præterquam Dominum Deum Israelis, illius duntaxat sum & constanter manebo servus.

4. Reg. 4.

Num

Num forte Rex tuus jurisdictionem & dominium quod Deus vivus & verus supra me obtinet, eidem eripere sataget ? Tantum sibi præsumit! Tantum arrogare sibi audebit ! Hoc est verè honori divino præjudicare, ejusque reputationi gravem molestiam atque injuriam inferre. Vestri igitur temerarii ausus ab igne cœlitus descendente consumantur & in favillam & cinerem penitus redigantur : *Descendat ignis de cælo & devoret te & quinquaginta tuos.* Ignis itaque de cœlo descendit potius, quam quod Elias ex jussu Regis descenderet de monte : *Si non descendit Elias corpore, descendit in zelo.* Ut proinde dici possit : *Zelus Domini exercituum fecit hoc, id est propter zelum Domini exercituum hoc factum fuit.*

4. Reg. 1. v. 10. Ioseph. de la Zerd. t. 2. in Iudith. sect. 25. n. 2 152. Idem t. 1. ibid. c. 8 sect. 3. n. 101

10. Verum enimverò attonitus & obstupefactus considero, quomodo Deus ad ò pius, benignus, & clemens severitati ne dicam crudelitati Prophetæ sui condescendere potuerit. Cur furores ejus non potius mitigat ? cur concursum suum non suspendit, ut flammæ nullam habeant ad comburendum activitatem ? cur igni non præcipit, ne è loco suo vel latum unguem recedat ? utique non est Elias elementorum Dominus; ac proinde illa nisi Dei voluntas intercesserit, nequaquam obediunt. Porrò difficultas ista hæc magis augetur ex eo quod sequitur: Cum enim Christus una cum discipulis suis civitatem ingredi vellet, id ei minimè permissum fuit : *Et non receperunt eum.* Idque fortasse ut Maldonatus scribit, quia *nullus inter Iudæos & Samaritanos usus esset, sed alii ab aliis tanquam à prophanis hominibus abstinerent* : vel quia cum tempus esset, quo scenopegiæ festum celebrari solebat, credebant Christum templum suum eis à Sanabalath Darii Præfecto in monte Garizin ædificatum, minimè ingressurum esse; veruntamen ut res hæc se habeat, veritas saltem est quod Samaritani *non receperunt eum.* Unde duo Apostoli Jacobus & Joannes nonnihil commoti atque ad Dominum conversi dixerunt, Samaritanorum inurbanitatem meritò plectendam esse, seque proinde dummodo ejus consensus accederet, paratos esse ad evocandum de cælo ignem, eos usque ad cineres devorantem: *Cum vidissent discipuli ejus Iacobus & Ioannes, dixerunt Domine, vis dicamus ut ignis descendat de cælo & consumat illos?* Cur Apostolorum proposito Magister ipsorum non tantum non consensit, verum insuper acriter illos reprehendit, dicente Evangelista: *Et conversus increpavit illos dicens:*

Luc. 9. 53. Maldon. in c. 9.

Luc. 9. 54.

ib. n. 55;

nescitis cujus spiritus estis. Mira profectò res. Eliæ ignis de cælo sine contradictione conceditur (inquit S. Hieron.) non autem prædictis discipulis: *Si ad servi Eliæ injuriam ignis descendit de cælo, & non Samaritanos, sed Iudæos consumpsit incendium, quantò magis ad contemptum filii Dei in impios Samaritas debet flamma sævire ?* Deus prohibet ignem ad requisitionem discipulorum, eosque reprehendit, cum tamen postea sine contradictione aliqua Eliæ ignis de cælo evocatus indulgeatur. Forte quia ut inquit Chrysostomus: *Clavis cæli fit sermo Eliæ. Iubet enim & clauditur ; orat postmodum & aperitur: Claudit inquam cælum & aperit; ligat & solvit ; referat quod concluserit, ut Sanctorum meritum monstretur, non solum in terris posse quod voluit, sed & à cœlestibus posse impetrare quodcunque petierit.* Veruntamen Abulensis (quod tamen cum pace & maximo cum respectu Jacobi & Joannis dictum esse volo) causam discriminis hujus esse dicit, quod Eliæ zelus longe perfectior fuerit, quam discipulorum. *Christus increpavit Iacobum & Ioannem, quod petebant ignem descendere de cælo: Dicendum quod increpavit illos quia non movebantur bono zelo, sed propter vindictam* Unde per bonam consequentiam deducere possumus, quod ex quo ignem petentibus Apostolis abnuit; Eliæ verò eundem evocanti non contradicit, *signum sit quod movebatur bono zelo,* id est, zelo perfecto divini honoris.

D. Hier. epist 15. ad Algasiam q. 5.

D. Ioan. Chrysost. ubi supr.

Abul. 4. Reg c. 1. q. 19.

11. Esdras cum Deo de operibus ab omnipotenti manu Dei productis, præcipue verò de creaturis viventibus & ratione præditis colloquens dicit : *Et tunc conservasti duas animas, nomen unius vocasti Henoch, & nomen secundæ vocasti Leviathan.* Scio equidem quod per Enoch intelligatur filius Jared & Pater Mathusala, de quo Scriptura ait: *Ambulavit cum Deo & non apparuit quia tulit eum Deus, & posuit in paradiso terrestri,* Et addit Ecclesiast. *Enoch placuit Deo & translatus est in paradisum.* Quidnam autem per *Leviathan* significetur, variæ de hoc sunt sanctorum Patrum opiniones. Nonnulli ad præsens meum propositum per *Leviathan* Eliam intelligendum esse volunt. *Quasi Elias sit Leviathan,* scribit Pineda. Verum inquies, cur Scriptura eum proprio nomine non appellat, sicut socium suum Enoch. Quomodo nomen hoc, quod metaphoricum est, Eliæ adaptari poterit ? Forte metaphora hæc in magnitudine consistit, quia cum *Leviathan* idem sit, quod maris Indici cetus, ut sanctus Thomas dicit : *Per Leviathan intelli-*

Esdræ l. 4 c. 6. v. 49.

Gen. 5. 24

Liran. ib. Eccl. 44.

Io. Pined. in cap. 4. Iob n. 20. Plin. l. 9. cap. 34. D. Th. in c. 2. Iob lectio.

intelligitur aliquis magnus piscis, quæ magnitudine sua quinque jugera terræ arabilis, id est, tantundem spatii quantum quatuor boum paria in uno die arare solent, adæquat *Et habet corpus æquale montibus*, ut scribit Isidorus. Idem quoque de Elia dicere possumus ob excellentiam & magnitudinem sanctitatis, meritorum, & zeli honoris divini. Verumtamen hoc vocabulum *Leviathan* cùm nonnihil majori ponderatione consideremus, ut mysterium inibi latens melius penetrare valeamus. *Leviathan* igitur à verbo Hebræo, *Levath* nascitur, quod propriè significat *addere, adhærere, adjungere, copulare. Vel comitatem, aut societatem. Et videtur continere copulationem plurium.* Adeò *ut Leviathan* aliud non significet, quàm *copulatum, quasi ex multis compositum, & videtur continere copulationem plurium: Activè, quia se adjungit aliis: vel passivè, quod illum alii comitantur, accipi potest.* Et Odo Abbas Cluniacensis dicit: *Leviathan quippè additamentum eorum interpretatur*, hominum scilicet. Ecce tibi igitur expositam rationem ob quam Elias ab Esdra *Leviathan* appelletur: Rex Achab & Jezabel Regina falsos Prophetas & Sacerdotes congregabant victu regio & quotidiano stipendio illos sustentantes, ut hi honorem verò Deo debitum, eique ablatum, Idolo Baal conciliarent, altaria erigendo & offerendo victimas. Elias zelo ardentem sese probavit, seq; *Leviathan* esse ostendit congregando religiosos, ingentem sibi adsciscendo sacerdotũ multitudinem, suamque sub nomine Montis Carmeli fundando Religionem, ut omnes simul congregati ex zelo honoris divini Idola Baal, Dagon & cujusvis alterius falsi numinis in terram prosternerent, divinæ Majestatis honorem vitæ suæ exemplaritate, abstinentiis & jejuniis præcipuè verò doctrinis Theologicis, & solidâ Evangelii prædicatione resarcire satagarent. Est igitur Elias *Leviathan*, id est, caput & generalis Religioni Carmelitanæ ex zelo divini honoris institutæ. *Zelans zelavit legem Dei.*

Pinetus Iob. c. 40. v. 40.

S. Oddo. Abb. l. 4. in c. 4.

Iob. c. 10.

Bibl. PP.

11. Etenim ne nobis subnascatur scrupulosa aliqua opinio, qua id quod diximus, meram tantum speculationem per humanum discursum excogitatam esse existimetis. Audite id quod in hujus efficacem confirmationem refert Ecclesiasticus. Hic enim de hoc S. Propheta & Patriacha loquens dicit: *Qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te.* Porrò quod Reges unxerit, nihil in se eximium habet, idem namque Samuel, Sadoch, & Nathan fecerunt. Quod verò homo aliquis ad suam requisitionem alios viros congregari, eosque sic congregatos Prophetas facere possit, inauditum est penitus. Imò Scriptura prorsus contrarium asserit, dum ait: *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia* inquit Sanctus Petrus, *sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et Sanctus Paulus: *Alii datur operatio virtutum, alii Prophetia: Hæc omninò operatur unus & idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Fortè id intelligendum erit de Elisæo discipulo, quem immediatè post se constituit Religionis suæ Carmelitanæ Generalem? *Eliſaum unge post te Regem.* Id est, ad regimen Ordinis sacri, jam de facto ab ipso instituti & fundati? Etenim pro hujus puncti intelligentia recurramus ad id quod in Paralipomenis recensetur. Ibi namque legitur quod Josias Rex arcam Dominii in templum Salomonis collocandam esse ordinaverit, voluerit que hanc cæremoniam solemniter fieri per adhibitas festivitates & sacrificia, adscitisque cantoribus, tubicinibus, cytharædis, qui in Psalmis & Hymnis harmonice decantatis per musicos modulos celebritatem adaugeant: *Porrò cantores filii Asaph stabant in ordine suo, & Heman & idithum Propheta Regis.* Verùm inquies, quod si hi jam nominati regiæ musicæ Cantatores sunt, cur igitur Prophetæ appellantur? Abulensis respondet: *Propheta dicitur à prophetando, id est, laudando vel canendo, sicut filii Asaph & Eman & idithum dicebantur Prophetæ in Cytharis & Lyra.* Adeoque per Prophetas intelliguntur Regiosi, qui Psalmos & Hymnos in choro canentes Deum collaudant. Unde quando Ecclesiast. Eliæ dicit: *Prophetas facis post te*, dicere volebat: Hic est magnus ille Elias, qui ex zelo divini honoris postquam se in primum suum Conventum, sive terrestris Paradisi Monasterium solitarium subduxerat, post se Religiosos instituit & reliquit, ut divinas in choro laudes nocte dieque decantantes, eum Divinæ Majestati honorem restituerent, quem Achabi & Jezabelis Sacerdotes Idololatriæ & Pseudo-Prophetæ eidem abstulerant, & Baal Idolo suo perfide consecraverant. Quique doctrina sua & Divini Verbi prædicatione Idololatriam confunderent, & pessima Hæreseon zizania templis nostris propulsarent: *Prophetas fecit post se (id est, Religiosos Carmelitanos) ad iter disci-*

Ecclı. 45. 8.

3. Reg. 1.

2. Pet. 1.

1. Cor. 12.

2. Paralip. c. 35. n. 15.

Toſtat. in 3. Reg. 18.

D. Ioann. Chryſoſt. in locis ſupe-

plinæ

rius citatis. *plinæ rectè currendum, concordi quadam copulatione compoſuit*, inquit Chryſoſtomus.

Matth. 17. 13. In monte Tabor una cum Chriſto & tribus diſcipulis pariter adfuere Moyſes & Elias. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Petrus autem de tribus Tabernaculis

Ibidem. in eodem monte ædificandis ſollicitus fuit, eoque fine Chriſti beneplacitum popoſcit: *Domine ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Quærendum nobis hic eſt, an Petrus à Chriſto exauditus fuerit? Quantum ad erectionem primi tabernaculi pro Chriſto erigendi, non obtinuit petitam gratiam, qui abiturus erat paulo poſt in Jeruſalem, ibi moriturus, ac proinde *loquebantur de exceſſu*, inquit Abulenſis, *quia de hoc mundo receſſurus erat per mortem.* Præterquam S. Ephrem Syrus ſubjungit, quod *illico ei oſtendit, ſe non opus habere ejus tabernaculo, ipſe enim erat, qui Patribus ejus fecerat tabernaculum nobis in ſolitudine.* Et in hoc ſenſu ſacri Evangeliſtæ affirmant, quod *neſciebat, quid loquebatur.* Quoad duo alia tabernacula autem, quæ Moyſi & Eliæ erigere moliebatur (*Moyſi unum & Eliæ unum*) obtinuit intentum. Non tamen tunc ſunt à Petro actualiter fabricata duo illa tabernacula, ſed Petrus facultatem tantum obtinuit, ut ab aliis ſucceſſu temporis erigerentur, ſuntque duo illi Conventus qui in monte Thabor pro Religione Carmelitana fuere ædificati, unus in Moyſis, alter vero in Eliæ honorem. Unde Toſtatus ait: *Petrus petebat tabernacula fieri pro Moyſe & pro Elia.* Quæ tabernacula vel monaſteria poſtea ibidem verè erecta fuiſſe, Venerab. Beda teſtatur, cum ait: *In Thabor ædificata fuere duo monaſteria, unum in honorem Moyſis alterum in honorem Eliæ.* Et quidem bene obſervandum eſt, quod Thabor à duobus Evangeliſtis Matthæo & Marco mons excelſus eſſe dicatur: *Duxit eos in montem excelſum.* Etenim apprimè conveniebat, ut locus ille ſublimis & celſus eſſet in quo duo religionis Carmelitanæ monaſteria erigi debebant; religionis inquam tam ſublimis in ſanctitate: tam altæ in doctrina, adeò excelſæ in ſuis Doctoribus, adeò eminentis in vitæ meritis, & exemplis, adeò denique ob quæcunque alia virtutum ornamenta ſpectabilis atque præclaræ, in teſtimonium zeli Eliæ & majoris gloriæ Dei noſtri.

Abul. ibi. q. 57. D. Ephr. Syrus in Bibl. hom. t. 4. in feſto transfigur.

Toſtat. q. 7. Beda apud Corn. à Lapid. in cap. 17. Matth.

14. Operæ pretium eſſe exiſtimo, ut ingentis zeli Eliani exceſſum ex actione quadam, quæ inter cætera ad honorem altiſſimi à Patriarcha noſtro patrata opera, longè excellentiſſima eſt conjiciamus. Legitur itaque lib. 3 Reg. cap. 18. quod Elias Regi Samariæ ſuaſerit, ut omnes ſuos Pſeudo-Prophetas Baal, qui aſcendebant ad numerum octingentorum & quinquaginta, nec non quadringentos aliorum Idolorum Sacerdotes, qui dicebantur *Propheta lucorum, id eſt, omnium aliorum Deorum*, congregaret ſimul in monte Carmeli. Ut autem ad Idololatriam extirpandam omnis poſſibilis conatus adhiberetur in hæc pacta ſive conditiones, tota religionis utriuſque verè nimirum & falſæ ſumma redacta fuit; Nimirum, ut dicti Prophetæ altare quoddam erigant, eique victimam imponant; tum verò ſi Baal prætenſus ipſorum Deus, ignem cælitus ſuper altare & victimam demitteret, eum tanquam verum indubitatumque Deum habendum & adorandum eſſe; quodſi verò id Baal nequaquam fieret, omnes ad deſerendum Baal cogendos eſſe, utpote qui publica præconis voce declarandus eſſet verè falſus Deus. Idem quoque Elias facere cum iis qui partibus ſuis adhærebant. Pactum hoc tale fuit, ut omnibus confeſtim viſum fuerit rationabile, cui contradici à nemine poſſet: Atque ideò *reſpondens omnis populus ait: optima propoſitio.* Idololatræ igitur Dei ſui Baal ſuæque Divinitatis experientiam facturi *incidebant ſe cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Nec tamen ideò viſum eſt, quod Deus illos per ignem prout pactum fuerat exauditet. Tandem Elias quoque veræ religionis ſpecimen daturus, poſtquam victimam in altari prout decebat accomodaſſet, genuflexus haſce ad Dominum preces emiſit: *Domine Deus Abraham & Iſaac, & Iſrael, oſtende quia tu es Deus Iſrael. Exaudi me Domine, exaudi me, ut diſcat populus iſte, quia tu es Deus.* Et ecce ſubitò & ab improviſo viſus eſt turbo ignis cælitus ſuper victimam deſcendere: *Cecidit ignis Domini & voravit holocauſtum, & ligna, & lapides, &c.* Atque ideò univerſus populus Deo Eliæ tanquam vero Deo acclamavit *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* Ecce extirpatam Idololatriam. Ecce omnes gentes verum Deum ſuppliciter adorantes. Ecce qualiter genuflexi & venerabundi ad eum adorandum ſe accingunt. Ecquid zeloſiſſimus Propheta in obſequium Divini honoris ulterius facere poterat? Quid inſuper à me ô Auditores dicendum expectatis? Audite.

Abul. 1. Reg. 18.

3. Reg. 18. v. 25.

Ibid. 28.

15. Mox ſanctus Propheta præcepit, ut omnes octingenti quinquaginta Prophetæ, ad torren-

tem Ciſon perducerentur, ibidemque omnes propria manu occidit, adeò ut ne unus quidem
Ibid. v. 41. ex eis ſuperſtes remanſerit : *Et interfecit eos ibi.* Faciamus obſecro circa hanc ſtragem bonas mentis noſtræ reflectiones. Etenim Populus Iſraeliticus, ut in lib. Num. legitur, ſeſe cum mulieribus Moabitis contaminabat, cumque iis manducabat, bibebat, & ſine ullo verecundiæ aut timoris Dei retinaculo cum illis & per illas adeò ſunt effæminati, ut ad illarum ſollicitationem idolis earum adorandis operam dare cœperint ; concluſio denique hæc fuit ; *Fornicatus*
Num. 25. v. 1 *eſt populus cum filiabus Moab.* Unde Phinees zelo honoris Divini commotus, ſtragem crudeliſſimam in gente illa inſtituit : *Et occiſi ſunt vi-*
Ibid. v. 9. *ginti quatuor millia hominum.* Porrò factum iſtud Deo adeo placuit, quod Phinees hoc beneficio remunerare decreverit, ut ſcil. omnes quotquot è ſua ſtirpe deſcenderent, ſemper ſacerdotes eſſent : *Erit tam ipſi quam ſemini ejus*
Ibid. v. 13. *pactum Sacerdotii ſempiternum,* idque in ſempiternum duraturum fuiſſet, niſi Hebræorum Synagoga interiiſſet ; *Cauſa hujus promiſſionis &*
Toſtat. in c. 25. num. q. 10. *beneficii fuit, quia Phinees habuit magnum zelum pro Deo, dolens de offenſa illius, & eam vindicare volens, atque pro illa ſe morti exponens, cum occidiſſet Principem unius tribus Iſrael,* qui fuit Zembri Princeps tribus Simeon. Id quod nobis firmiter perſuadet, quod Deus ſit gratus illorum remunerator, qui ſe ſui honoris zelatores eſſe oſtendunt. Verum enim verò à veteri ad novum Teſtamentum tranſitum faciamus. Notum itaque eſt omnibus, quod Petro uno cum Chriſto & duobus aliis diſcipulis in horto Gethſemani exiſtente militum turbæ eo ingreſſæ ſint ad capiendum Salvatorem. Videns autem prædictus Apoſtolus cujuſdam miniſtri, qui Malchus dicebatur majores inſolentias, utpote qui plus cæteris omnibus Chriſtum millenis injuriis afficiebat, cum ſe intra patientiæ terminos continere non poſſet, arrepto gladio percuſſit eum, & amputavit ei auriculam. *Simon ergo Petrus habens*
Jo. 18. 10. *gladium, eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dexteram.* Cauſam autem cur hic diſcipulus permotus fuerit, ut gladium apprehenderet ad temerarium hunc miniſtrum offendendum, S. Ambroſius non ſolum hanc fuiſſe dicit, ut magiſtrum ſuum defenderet, verum etiam ut zelum Phinees imitaretur : *Petrus eruditus in lege, promptus affectu,*
D. Ambr. c. 12. in Luc. t. 5. de Petri percuſſ. *qui ſciret Phinees reputatum ad juſtitiam, quia ſacrilegos percuſſiſſet, percuſſit Pontificis ſervum.*

Porrò zelum iſtum quem S. Petrus erga Dei filium exhibuit, pari gratitudine Deus recognovit, qua Phinees zelum recompenſavit, remuneravit enim Petrum quoque Pontificia ſummi Sacerdotis dignitate. *Sciebat enim Petrus quod Phinees puniendo ſacrilegos mercedem juſtitiæ, & ſacerdotii perennis accepit.* Ita Gloſſa ordinaria. Eaque dignitas omnibus Pontificibus à S. Petro deſcendentibus collata eſt intuitu generoſitatis ſuæ quam in horto ex zelo Dei exhibuit : *zelando ut Phinees meruit pactum ſacerdotii ſempiternum.* *Beda in Glo. ord. in c. 14. Marci.*

16. Sed quid eſt zelus horum, ſi cum ardenti Eliæ noſtri zelo comparetur ? Phinees ad reſarciendum Dei honorem duos duntaxat propria manu occidit, Zambri ſcilicet Principem tribus Simeon, & mulierem quandam Madianitidem. *Et arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum* *Num. 25. 27.* *Iſraelitem in Lupanar, & perfodit ambos ſimul virum ſcilicet & mulierem.* Alii autem qui aſcenderunt ad numerum viginti quatuor millium, *Abul. in c. 25. Num. q. 7.* *mortui ſunt in plaga à Deo immiſſa per Angelos percutientes, ut ſuſpenſi à Moyſe.* Petrus quoque cum unico tantum vili ſervo congreſſus eſt, nec aliam ei offenſam intulit, quam quod auriculam ejus amputarit. Non quidem præclaras haſce actiones contemno, quæ pro primo ſuo mobili zelum habuerit honoris divini ; imò laudo eas & celebro, veruntamen ſi cum Eliæ zelo comparentur, tot gradibus inferiores apparent, quantò major fuit Idololatrarum ab Elia occiſorum numerus, fuerunt enim illorum octingenti quinquaginta. O zelum verè incomparabilem. Et Deus ſumme juſtus eundem non pari remunerabit præmio, quo Phinees & Petri zelum remuneravit ? Certè ſi hi *meruerunt ſa-* *Jo. Cart. t. 4. l. 17. hom. 2.* *cerdotii pactum ſempiternum*, haud dubie Elias quoque promeruit, ut progenies ſua, id eſt, Religio Carmelitana conſervaretur ſalva, & florida, quoadusque hic duraturus eſt mundus, & ut in die judicii eodem Generalis ſui Eliæ ardenti zelo munita pro fide dimicaret, & Antichriſti tyrannidem proſterneret. In hac progenie Eliana ſive Carmelitana non ſolum conſervabitur ſacerdotium, ſed fuit erit que ſemper copioſiſſimus numerus infinitorum Theologorum, Scriptorum atque Doctorum, qui ſunt luminoſa & ſplendida mundi hujus candelabra, Tubæ Sonoræ quæ ab oriente uſque ad occaſum doctrinam promulgant ſancti Evangelii. In hac progenie Eliana mundus hactenus veneratus eſt, & etiamnum veneratur numerum ſine-

nume-

numero Prælatorum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriacharum, Purpuratorum, qui decus & ornamentum singulare sunt & fuerunt Ecclesiæ Catholicæ. Præcipuè verò duo Summi Pontifices Dionysius Martyr & Benedictus V. cui in Basilica S. Petri, aureo charactere, hæc erecta est inscriptio: *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Cassinus aluit, Vaticanus coronavit.* Alludens ad tres montes Carmelum, Cassinum & Vaticanum. Hæc est religio illa, quæ usque ad tempora Sancti Cyrilli centum quadraginta millium martyrum sanguine purpurata fuit. Hæc est illa religio quæ tot Sanctorum gloriam Deo, nec non Ecclesiæ militanti & triumphanti vendicavit. Ex horum numero fuit S. Angelus Martyr, qui aliam unde sustentaretur, annonam non habuit, quam qua in abstinentiis & jejuniis utimur, qui cum deserti horridissimi habitator & incola esset, tanquam Angelus meruit victum quotidianum ab Angelo subministratum accipere, qui tanquam Propheta futura multa prædixit, ex ardenti zelo, qui fidem Christi promovere satagebat, persequente illum Berengario sceleratissimo & incestuoso homine sanguinem & vitam pariter prodegit. Talis fuit Cyrillus Alexandrinus, qui à Cælestino I. in Præsidem Concilii Ephesi celebrati electus fuit, quique pro defensione Matris Dei intrepidum se Athletam exhibens, Nestorium hæresiarcham confudit & obmutescere fecit. Talis quoque S. Andreas Corsinus in custodia Evangelici gregis sui Pastor vigilantissimus, nunc Empyrei cæli gemma præstantissima, de quo ipsamet Beata Virgo Maria tanquam fideli servo gloriari non dubitavit. Huc quoque spectat S. Joannes Damascenus, Scriptor illorum temporum famosissimus, qui tot ærumnas & adversitates pro Ecclesia Catholica generosè & intrepidè sustinuit, quique meruit, ut manus dextera Leonis Isaurici Imperatoris jussu sibi amputata, per ipsammet Angelorum Reginam in statum pristinum redintegrata restitueretur. Sanctus item Albertus virecum vororumque utriusque Parentis cœlitus datus; eoque fine præcipuè natus, ut juratus esset sensualitatis, mundi & Inferni inimicus. Hic vix-mortuus ab ipsissmet Angelis tanquam sanctus fuit Canonizatus, quando ab iis in præsentia Episcopi & totius Cleri modulis musicis decantatus fuit sequens Missæ introitus: *Os justi meditabitur sapientiam.* Valdè etiam inter illos eminet S. Petrus Thomas Episcopus Pactensis, Patriarcha Constantinopolitanus, Legatus Bononiensis, ubi quoque Pontificia, quam ibi in persona sua referebat, authoritate Collegium quoddam Theologorum instituit, quod in hodiernum usque diem ad majorem Dei gloriam egregiè floret. Ad horum quoque numerum pertinent præsentis temporis duæ præstantissimæ Virgines seu potiùs viragines, Beata scilicet Maria Magdalena de Pazzis, præ nimia divini amoris vehementia quasi desipiens, in eorum proinde numerum meritò referenda, de quibus Apostolus dicit: *Nos stulti propter Christum.* Stulta quidem cognomine, (nam Pazzo stultus Latinè dicitur) cæterùm omnium virginum, quas præterita sæcula sub stellis viderunt, sapientissima & prudentissima Dei ancilla extitit. Et Sancta Virgo Theresia, cujus vita quoddam continuatum mortificationum theatrum fuit, quæ ad assequendum martyrium in Africam navigavit, quæ à B. Virgine Maria in filiam adoptata fuit, quæ ad sactarum virginum propagationem supra triginta duo Monasteria ad majorem Dei gloriam ædificavit, quæ ad placandam Dei iracundiam adversus peccatores excandescentem, proprium corpus Divinæ justitiæ flagellis castigandum offerebat, cujus pectus tanta charitate plenum fuit, ut meritò quædam amoris Æthna dici meruerit, unde & cor ejus per spiritum quendam cælestem ignoto amoris jaculo transfixum fuit, quæ denique à Deo lætissimo vultu in sponsam hisce verbis fuit adoptata: *Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem*, ut nimirum filia Eliæ patri suo non esset dissimilis, qui *zelavit zelum legis.* Verùm enimverò nolo hoc loco Catalogum quendam texere, tot tam in doctrina, quàm in dignitatibus Ecclesiasticis præclarissimorum virorum, hosce enim omnes alios innumeros ex hac Religione prodeuntes sanctos Dei servos hic præterire cogor, siquidem ad eos enumerandos lingua pariter & dies deficeret. Sufficiat igitur hactenus adductum in confirmationem argumenti de remuneratione & præmio ardentissimi zeli, qui cor Eliæ erga divinum honorem defendendum & promovendum exarsit, zeli inquam non inferioris, sed longè majoris quàm fuerit Zelus Phinees & Petri. Vos interim utrumque zelum cum majori industria & diligentia inter se mutuo comparate, & in bilance prudentiæ vestræ ponderate, quousque nonnihil silebo & quiescam.

Rob. Bellar. 62. de Monarch. c. 5. t. 2. Claud. de la Valle Gall. l. 2. Epitaph. 8. Ioan. de Cart. t. 4.

Petr. de Natali lib. 4. c. 131 Baron t. 9.

PARS SCUNDA.

17. Magnus Dei Propheta Elias jussu & ordinatione divina ex fallacis mundi hujus miseriis dicessurus, & in curru quodam igneo à quatuor flammivomis equis deducto, in cælum sive in terrestrem Paradisum transferendus hunc suum imminentem discessum, cum dilecto suo discipulo Eliseo contulit, quando juxta flumen Jordanis concorditer colloquentes ambulabant. Et ecce subitò de cælo in terram demissus est currus igneus, Prophetæ excipiendo & abvehendo à Deo missus: *Cùmque pergerent & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Etenim cùm Elisæus abscedente Magistro suo, oculos in currum defixos teneat, nos quoque in eundem mentem & cogitationes nostras defigamus, & hujus discessus, curruve circumstantias nonnihil discutiamus.

4. R. 2. n. 11.

Et primò quidem dispiciendum est, quænam causa sit, quod curru insidens in cælum abeat? Nunquid Deus facere poterat, ut per Angelum quendam ad locum quo transferendus erat, transportaretur, sicuti multi factum fuisse volunt, quando relicto Paradiso terrestri in montem Thabor se contulit: *Forsan Angelico ministerio adductus*, inquit Dionysius Carthusianus. Aut verò nunquid Deus illi unam ex glorioси corporis dotibus, agilitatem scilicet communicare potuisset, ut hac ratione sine aliis adhibitis cæremoniis eo perveniisset, quo per eundem currum transferendus erat? Porrò notum est in Historiis parumper versatis, quod quando belli Duces victores & triumphantes revertebantur ex prælio, mos fuerit eosdem incredibili cum solemnitate & lætitia in Capitolium Romanum deducere. Dimicaverat Elias cum Rege Achab & Jezabela Regina, cum fame item, persecutionibus & morte, & glorioسam de omnibus retulit victoriam, conveniebat igitur, ut in curru quodam triumphali cælestе Capitolium ascenderet: *Ascendit per turbinem in cælum.* Unde Chrysostomus: *Dominus qui est Rex regum & Dominus dominantium, Heliam suum tota se corporis & animæ devotione zelantem post multorum laborum sudores, post duarum persecutionum gravissimas defatigationes, post tantorum bellorum magnas illustresque victorias, optima de mundo & Diabolo spolia ferentem, igneo curru atque equis flammantibus impositum, triumphali gloria præfulgente ad sua regna voluit pervenire.*

Dionys. Cant. in Cauc. 17. Matt.

D. Chrys. ser. 3. de S. Elia D.

18. In curru quodam triumphali in cœlum conscendere debebat, ad eum modum quod Sol in montibus Orientis apparens, post fugatas tenebrarum obscuritates, videtur quasi festivus & lætus in deaurato curru suo triumphali in cœlum ovans ascendere. Sol etenim apud Græcos *Helios* dicitur, atque ideò S. Propheta noster Elias verè *Helios* appellandus post dissipatas Idololatriæ tenebras, occisos Idololatras, altaria, in honorem Baalis erecta, in terram prostrata meritò glorioso curtui insidens triumphabundus in cælestе Capitolium ascendere debebat. *Ascendit per turbinem in cælum. Helias verè* inquit Chrysostomus) *curru atque equis fulgentibus igne ad cælestia devectus ascendit.*

Chrysost. ubi supra. 17.

19. Dum sanctus hic Patriarcha in curru evolaret ad cælum, pallium suum veluti memoriale perpetuum dilecto discipulo suo Eliseo post se dereliquit, mihi autem occasionem submistrat considerandi & investigandi causam, ob quam currus ejus triumphalis igneus fuerit? *Currus igneus.* Item quomodo ignis activitatem suam omnem amiserit? nec non cur flammæ currus illius ignei ipsum nequicquam offenderint? in promptu autem adest responsio; nam ignis divini amoris, exteriores currus illius flammas impediebat, quo minùs in sanctum ejus corpus, membra illius offendendo, operari possent: *Iuxta illud: Intus existens prohibet extraneum.* Vel cum S. Maximo dicere possumus: *ubi cor ardet, flammam membra non sentiunt.* Aut verò dici potest, quod ex quo ferebatur in cælum, cælumque ardentibus votis suspirabat, jamque cœlo proximus erat, fieri non potuerit, ut flammatum sentiret incendium, cùm S. Ambrosius nos optimè doceat, quod *Nihil detrimenti patiatur in terris, cujus animus demoratur in cælis.* Fortè etiam Carbunculi qualitatem induerat, de quo Plinius testatur, quod flammis resistat: *Carbunculus ignem non sentit*; id quod Isidorus quoque confirmat. Nisi fortè dicere malimus, quod quia Elias abstinentiis & jejuniis utpote proportionatis sustentandæ vitæ suæ alimentis summo studio deditus erat, ignis ipsemet quantumvis sit vorax & insatiabilis à Propheta tamen suo tam rigide jejunante jejunare didicerit; adeò ut sicut Elias ab omni comestibili abstinuit, ita quoque ignis bonum Eliæ exemplum secutus, ab omni quoque

D. Max. serm. 2. de S. Laur.

D. Amb. serm. 1. Plin. l. 37. c. 7. Isid. l. 16. c. 13.

quoque combustibili offendendo sese coërcuerit : *Equidem ex eo quod facta currus flamma, dedit habenas Eliæ, & Eliam jejunatorem vidit, scivit ignis manere jejunus.* Porrò currus iste Elianus, juxta sententiam S. Ambrosii ab Angelis deducebatur : *Magister Elisei nonne Angelis ducentibus raptus est in cælum, & quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit* Et quidem si verum est, quod Chrysologus ait : *Semper est Angelis cognata virginitas, in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura* Sequitur, quod cùm Elias purissimus semper in virginitate permanserit, ejusdem virginitatis virtute factus sit Angelus per gratiam, ac proinde non minùs quã Angeli, qui currum ejus veluti aurigæ dirigebant, impassibilis extiterit, ac proinde impossibile erit, quod aliquam ab igne injuriam seu læsionem pati posset. E quibus hucusque adductis rationibus quilibet facilè cognoscet, cur ad stellas usque in curru igneo fuerit deportatus.

Did. de Baeza p. 1 in Evang l. 3. t. 1. §. 9. D. Chrysol. serm. 143. de Annũt. B. V. M.

20. Sola hæc in mente cujuspiam vestrum, ô Auditores, subnasci posset nova sciendi curiositas, cur scilicet currus Elianus ab equis protractus fuerit: *Currus igneus, & equi ignei.* Quodsi currus per terram protrahendus esset, abs re non fuisset eidem adhibere equorum subsidium, at verò cùm iter sum currus hic per aëra prosequi debuerit, meritò eidem protrahendo inidonei censeri possent equi, qui per aëra non gradiuntur, aptiores autem huic muneri existimari volucres, seu alatilia possent, si nimirum à duabus generosis Aquilis fuisset protractus. Verùm enimverò præsto nobis est sub his equis latitans pulchrum mysterium. Sensus ordinariè rebellis esse rectæ rationi, eique prædominari solet, eamque velut equus quidam effrænis in præcipitia perturbare : *Proni sunt sensus hominis ad malum.* O quot mala inordinatus hic equus causavit. Dicat idipsum Balthasar, confirmet Holofernos, asserat Amnon, attestetur Samson, confiteatur Sichem filius Emor multique alii similes, quibus sensus indomitus idem fuit, quod equus Sejani Dolabellæ, & Cnejo Pompejo: Quia verò Elias huic indomito equo per frequentissima jejunia, & perpetuas abstinentias rectæ rationis frænum imposuit, ideò non aquilæ, sed equi veluti in trophæum Victoriæ currui suo subjugari & alligari cernuntur : *Currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque & ascendit Elias per turbiginem.* Quonam? *In cælum* Curiosus sum hoc loco investigandi cur Deus Eliam à terra & ab omni hominum commercio sustulerit, siquidem habitatio vivorum, qualis Elias tunc erat, & etiamnum est, non cælum, sed terra esse noscitur. Scio equidem nonnullos responsuros esse, per cælum intelligendam esse mediam aëris regionem ; sed huic obstat, quod Elias non huc, sed in Paradisum terrestrem translatus esse tradatur, ubi illum ab omni prorsus hominum consortio segregatum esse constat ; cùm tamen convenientius esse videatur, ut tanquam homo inter homines habitet, qui exemplo & prædicatione sua malos à bonis dispergat, justos autem in perseverentia boni confirmet. Chrysostomus raptum Eliæ à terra, zelo quo Dei honorem persequebatur adscribit ; quasi Deus dicere voluisset : zelus hujus dilecti Prophetæ mei, quo me honoremque meum prosequitur, adeò magnus est & fervens, ut si ipsum inter homines reliquero, timendum sit, ne videns transgressores qui me offendunt, diram sit de iis sumpturus vindictam, adeò ut eos universim occidendo, totus brevi temporis spatio depopulandus sit mundus, ac proinde operæ pretium erit curare, ut tantisper in alium procul positum locum transferatur: Ego autem interea cælum deserens, in ejus locum peregrinabor in terra, ut viventium creaturarum inordinationes è medio tollam, salva remanente eorundem vita & salute corporali. Unde Chrysostomo videtur, quod Deus currum igneum Prophetæ obvium mittens, eidem dixisset: *Ascende quasi in cælum, ego autem in terra peregrinus ero : Nam si diu manendum in terris, propediem humanum genus, quòd à te continuò plectitur, aboleretur. Dein transi in cælũ O Helia*

Chrysost. serm. 1. de Elia Tom. 1.

21. Etenim, ô Auditores, veritatem subtricere nequeo, quantum enim ex Eliæ zelo ædificor, tantundem, modicum, quem Christianismus divino honori defert zelum obstupesco, eundemque in omnibus divinum cultum concernentibus actionibus ardens hic Propheta rigorosum se semper & zelantissimum exhibuit, extraordinarias zeli sui demonstrationes contestando, dum nunc pluviis interdicit, nunc ignem de cælo cadere facit, nunc Idololatras occidit ferro, nunc erga eos qui Dei honorem deturpant atque conculcant, vindictæ expressiones palam demonstrat. At verò quando postea in propriæ personæ à Jezabele Regina, eum ad mortem usque persequente tangitur, dum illata sibi ab impia illhuc muliere damna vivaciter

citer perſentiſcere, eaque ulciſci poſſet, id tamen minimè fecit, qui potiùs humeros ſuos contrahens, ſeſe obarmavit patientia. Ille namque Elias qui ſupra omnem modum ſenſitivus erat, choleram ſuam cohibuit, & muliebris furiæ ardores declinans, alio divertit, ſeque in fugam recipiendo vitæ ſuæ conſuluit: injurias etenim Divino honori illatas pluris quàm irrogatas propriæ perſonæ moleſtias æſtimare probavit: cujus tamen contrarium ab aliis hominibus fieri conſuevit. Videbis enim perſæpe, quod Pater filium, quem Divina præcepta prævaricati conſpicit, quem Deum parum vel nihil timere animadvertit, pro ſuo arbitrio & libitu vivere permittat, omnemque diſſolutionibus ſuis continuandis habenam laxet: at verò ſi ſua propria monita ſpernere, aut ſuæ perſonæ aliquod irrogare præjudicium attentarit, errorem diſſimulare nequit, ſed omnibus nervis in id contendit, ut ſuæ paternæ ſeveritatis experiatur effectus. Quodſi itidem ſubditus aliquis actibus Chriſtiano homine indignis, præcipuè verò blaſphemando Divinam Majeſtatem offendat, videbis Superiores tam ſæculares quàm Eccleſiaſticos ad ejuſmodi exceſſus ſuos occludere oculos & aures, dum omnia ſe videre diſſimulant, ſeque ne quicquam videre vel ſcire fingunt: at verò ſi unico duntaxat verbo honorem proprium vel exiſtimationem tangant, vel lædant, prorſus implacabiles fiunt. Plures ejuſmodi caſus, qui hiſce noſtris temporibus in diverſorum Magnatum perſonis acciderunt, enumerare poſſem, verùm cùm id minimè mihi liceat, duo ſolummodo ex ſacra Scriptura petita inſinuabo exempla.

22. Arca Dei viventis à Philiſthæis in prælio capta, veluti quoddã victoriæ trophæum in templo Dei ſui Dagon delata fuit, quod idolum die ſequente in terram collapſum atque proſtratum ſine capite & manibus deprehenſum fuit: *Invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini: Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.* 1 Reg 5. v. 4. 5. 6. Nec tamen ob id quidquam ad reſtituendam Hebræis arcam fuêre permoti: At verò quando poſtea *Aggravata eſt manus Domini ſuper Azotios & demolitus eſt eos: videntes ejuſmodi plagam*, inito conſilio Arcam Dei Iſraelitis remittere decreverunt. *Dixerunt: Non maneat Arca Dei Iſrael apud nos, quoniam dura eſt manus ejus ſuper nos.* Eman. Naxera. in Joſ. c. 9. v. 8. §. 22. Unde facilè conjicitur, quod *Dum ſolum Dagon honor periclitabatur, arcam retinere: dum illorum vita peribat, reſtituere cogitarunt. Furto ablatum reſtituunt, non ut Dei ſui injuriam avertant, ſed ut ſibi conſulant.* Ratò homines ex motivo zeli honoris Divini moveri ſolent, ut movebatur Elias, communiter autem ex motivo proprii commodi vel intereſſe. Tranſeat cultus divinus, uti poteſt, dummodo conſervetur vel ſaltem non patiatur ſive perſona, vel reputatio, dicere nonnulli ſolent.

23. Quorum alius quidam Jeroboam Rex erat, qui dum ante altare temerè conſiſteret, offerens incenſa & dignitatem functioneſque ſacerdotales uſurpans à Propheta Addo, vel ut ſcribunt Lyranus & Hugo à Gad Propheta reprehenſus fuit: *Ipſe eſt Gad.* Lyran. Hugo ibid. Unde Jeroboam indignatus, dextera ſua ei minas intentavit, ſuiſque ut eum apprehenderent, ſeriò præcepit: *Extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum.* In qua actione duo valdè notanda acciderunt; Nam manus Jeroboam ſubitò exaruit: *Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum*: Ipſum quoque altare ruptum ſeu confractum eſt: *Altare ſciſſum eſt, & effluxit cinis de altari.* Tunc autem Rex ab altari oculos avertens, illudque ne quicquam conſiderans, Prophetam duntaxat pro reſtauratione vel ſanatione manus ſuæ rogavit: *Ora pro me ut reſtituatur manus mea mihi.* D Theodoret. ibid. Unde Theodoretus ait: *Quod accidit altari eum non ſtupefecit, ſed id quod manui, valdè anxit.* O quot hodie repiuntur, qui dicunt, ſi altare cadat, ſi Eccleſia minetur ruinam, ſi patiatur aut intereat cultus Divinus *quid ad me?* dummodo œconomus vel ſubſtitutus meos mihi non diminuat reditus, mihique cenſus meos exſolvendo exactè & punctualiter reſpondeat, quid mea intereſt, ſi non ſatisfiat obligationibus, ſi nunquam ſive Miſſa dicatur, ſive perſolvatur officium. Satisfaciat redituarius meus ei quod mihi debet: quod ſi demũ Deo debitor remaneat, idipſum nullas cogitationibus meis inferet moleſtias, vel faſtidium. Adimpleat is obligationes ſuas quibus mihi obſtringitur, ſi poſtea Eccleſia deficiat, ſi talis Abbatiæ præter ſola veſtigia nihil ſuperſit; ſi illa degeneraverit in habitationem beſtiarum, aut etiam in ſpinetum & dumetum evadat, de hoc ne hilum quidem curabo. O Sancte Elia ubi es? Ubi eſt ardens zelus tuus? Non dubito, quin longè alia tibi in ſimili caſu mens foret; utique enim diceres: Abeant reditus & cenſus in malam Crucem, dummodo Dei honor conſervetur illæſus. O quot ſunt hac in re Philiſthæorum, & Jeroboam, non verò Sancti Eliæ Zelatoris veri

Dei

Dei imitatores ! Hic enim vere *zelans zelavit legem Dei.*

24. Quid ultra dicemus? Tandem igitur dilecto discipulo suo Eliseo pallium suum post se relinquere voluit, ut eidem pro Divini honoris defensione zelum demonstranti, adversus omnes inimicos terrenos & infernales scuti loco deserviat; hi namque dum eum veste mea indutum conspexerint, ipsum non jam Eliseum esse credent, sed quod ego ipse sim existimabunt, & expaveſcentes terga mox vertent: *Propterea Elias in cælum ascendens* (inquit Chrysostomus) *nihil aliud quam meloten discipulo reliquit; Cum hac, inquit cum Diabolo pugnavi, & tu contra illum armatus hanc capies;* Quamprimum enim hanc vestem meam indueris, Idololatræ pertertiti & confusi remanebunt. Neque deinceps falso & ementito Deo suo Baal vel altaria erigere, aut in erectis victimas sacrificare præsument. Potrò hunc habitum, quem Eliseo in perpetuum monumentum memoriæ suæ reliquit, filii quoque sui Religiosi Carmelitani hæreditarunt, estque ille qui tanta cum devotione fidelibus dispensatur, à glorioſissima Dei genitrice & Virgine Maria Beato Simoni Stochio, Anglico Generali Carmelitano hisce pariter verbis donatus: *Dilectissime fili, recipe hoc tui ordinis Scapulare, mea Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis & pacti sempiterni,* Ehem quoties legi, quoties audivi diversos confidenter dicentes, passus sum ab inimicis Assessinium, variæ mihi in sylvis structæ fuerunt insidiæ, explosi fuere è sclopetis in me globi, nec tamen vel minimum exinde nocumentum accepi, multa me non tetigerunt, alii verò licet tetigerunt, non tamen læserunt, adeò ut vitam meam multis titulis & variis vicibus huic sancto Carmelitano habitui in acceptis referre debeam. Legite libros in hanc rem & argumentum copiosè scriptos, & prodigia ac miracula sine numero reperietis. Unde si securi vivere, & inimicos temporales & corporales superando remanere vultis illæsi, de hoc sancto Eliæ & Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli habitu vobis prospicite; Hoc scuto impenetrabili pectora vestra armate; Nam tanquam scutum fortè & invictum vos proteget à mundo in hac vita, & ab inferno in hora mortis vestræ, Amen.

Chrysost. hom. 2. ad pop. Ant. t. 5.

Ioan. de Carth t. 7. 17 homi

SERMO VIGESIMUS
IN FESTO
S. JACOBI APOSTOLI.

Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus,
Isai cap. 55.

1. TItuli qui honorem & gloriam præ se ferunt, iis duntaxat aptè conveniunt, qui illos justè fuere promeriti auro virtutum, & generosorum heroicorum facinorum pretio illa comparando: *Titulus enim est index cujuscunque operis.* Hinc Pompejus licet Domitium in Licia præliando devicisset, Imperatoris tamen titulum acceptare recusavit, eo quod illum nequaquam promeruisse crederet, *negavit se eum honorem admissurum quamdiu hostium vallum staret erectum.* Julius quoque Cæsar cum à populo Romano tanquam Rex salutatus esset, hunc sibi honorem vendicare recusavit, eo quod sibi, se honorem istum sufficientibus meritis minimè conquisivisse, persuaderet: *Cæsar, inquit, sum, non Rex, maluit privatum nomen quam Regium.* Ob hanc eandem rationem Tiberius contumeliæ loco accepit, dum Domini titulo à quodam mactaretur: *Cuidam à quo fuerat Dominus appellatus denuntiavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret.* At verò qui generositate sua patratorumque facinorum heroicorum præstantia glorioſos sibi titulos acquisiverunt, illos mini-

In Polyanth. v. titulus.

Plut. in Agesil.

Plut. in vit Cæs.

In Polyanth. v. Honor.

minimè erubescunt: Sic Alexander haud invitus audivit, se per antonomasiam dici Macedoniæ Heroem atque Monarcham. Hercules qui Hydras vicit, dilaceravit leones, dracones occidit, Tauros aliasque ferocissimas bestias superavit, monstrorum domitor passim ab omnibus fuit appellatus. Æneas ob charitatem erga Anchisen patrem suum exercitam, nec non ob exhibitam militibus suis pietatem Pii nomine, omni jure honoratus fuit. Cræso cujus facultates omnem excellere mensuram, cujusque aurum numerum nescivit, divitis titulo à toto mundo acclamatum fuit: Scipio qui dextræ suæ robore universam Africam subjugavit, à senatu populoque Romano Africani cognomentum accepit. Cæsar appellatus est Dictator perpetuus, Cato Magnus, Octavius Augustus, Seneca moralis, Ulysses astutus, Hermes Trismegistus, Solon sapiens, Lycurgus Legislator, Plato Divinus, Aristoteles Philosophus, Archimedes Mathematicus: Duo Franciæ & Hispaniarum Reges tanquam potentissimi totius Europæ Monarchæ glorioso singuli titulo honorantur, dum hic Catholici, alter verò Christianissimi titulum passim ab omnibus audiunt. Et quis est qui nesciat, ipsos quoque Doctores Ecclesiæ honorari denominationibus, meritis & virtutibus ipsorum aptè correspondentibus? Sic Gregorius Magnus appellatur, Hieronymus eloquens, Augustinus literarum Pater, Ambrosius mellifluus, Chrysostomus os aureum, Bernardus contemplativus, Dionysius Areopagita, Thomas de Aquino Angelicus, Thomas de Villa-Nova Eleemosynarius, & alii, aliis similibus honorificorum titulorum nominibus condecorantur, prouti cujusque meretur virtutis activitas. Enimverò quid vobis, ô Auditores, de ipsismet sanctissimis Apostolis imaginamini, qui sacra fidei dogmata disseminarunt, qui Orthodoxam fidem proprio sanguine fœcundarunt, qui sanctum Jesu Christi Evangelium in Europam, Africam, Asiam, & Americam deportarunt, nunquid & hi titulos habuerunt excellentissimis prærogativis suis, nec non quas ad majorem Dei gloriam, & totius mundi salutem operati sunt, gloriosis actionibus & operibus suis conformes & proportionatos? Habuerunt utique; & quidem Petrus appellatus fuit *Cephas* quod idem est, quod Petra, Item *Bar jona*, id est *filius Columbæ*: Paulus vocatus est vas electionis: *Vas electionis est mihi iste.* Andreas virilis, quia *diu pendebat in Cruce.* Joannes dilectus: *Hic est Discipulus ille quem diligebat Jesus.* Thomas Dydimus, vel Fidelis: *Dominus meus & Deus meus.* Matthæus Levi: *Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, nomine Levi.* Jacobus Minor, Justus: *Iacobus cognomento Iustus*: Philippus supernorum amator, quia *Philos* idem est, quod *Amator*, & *Iper*, idem quod *super*, quasi rerum supernarum amator. Bartholomæus filius suspendentis aquas à Bar, quod est filius, & phtolos, quod idem significat quod summitas, denique *Mois*, id est, *Aquas*, *Simon, Zelotes.* Thaddeus etiam Judas dicebatur, quod nomen idem denotabat, quod *Confessio.* *Matthias* idem est quod *Humilis.* Tandem verò sanctus Jacobus, cujus hodie solemnitatem Ecclesia festive celebrat, à Christo *Boanerges* appellatus fuit, estque nomen hoc idem quoad significationem quod *filius tonitrui.* Theophylactus ei imponit titulum Principem Apostolicæ legionis, dum ait: *Fecit eum Dominus Principem super legiones Apostolorum*: Et quidem universa Hispania hunc eundem Apostolum celebrat & conclamat tanquam Archistrategum suum generosissimum & invictissimum suum Athletam: *O Dux & decus Hispaniæ, Jan-ctissime Iacobe, qui inter Apostolos primatum tenens, primus eorum martyrio est laureatus.* Etenim cum ut à principio diximus, *titulus sit index cujusque operis*, manifestum est, quod egregia opera à S. Jacobo patrata perspicuè satis expresserint, ipsum esse generosum exercituum Apostolorum & militiæ Christianæ ducem; Imò magnum quoque magistrum, qui doctrinam nos docuit Evangelicam. Quod utrumque munus clarè exprimitur in assumpti Thematis verbis ex Isaia depromptis: *Ecce dedi eum ducem ac præceptorem gentibus; utrumque enim munus & ducis & magistri perfectissime adimplevit.*

2. Porrò exercitus sine duce, est veluti corpus quoddam sine spiritu: *Militaris turba sine duce, ut sine spiritu corpus.* Unde Epaminondas ejusmodi exercitum comparare solebat bestiæ capite destitutæ dicens: *Exercitus sine duce, magna bestia est sine capite.* Talis utique futura fuisset militia Apostolica, nisi capitis & ducis loco generosum & invictum habuisset Jacobum Apost. utpote sub cujus directione fallax esse ostendebatur axioma illud sive dictum militare, quo dici solet: *Armorum exitus semper incerti & timidi*; siquidem milites sub S. Jacobi disciplina conscripti Leonino corde præditi erant, ac proinde de suis reddebantur victoriis securi. Et quidem tametsi Democritus dicat: *Non verbis*

Act. 9. v. 15. *Iac. de vor.*

Iac. de vorag. in vita ejus.

Marci 3.

Theoph. in Matth.

Isaiæ 55.

Curt. lib. 10.

Xenoph. apud Stobæum.

Cic. ad Attic.

verbis vincuntur hostes, sed armis. Hi tamen Catholicæ fidei inimicos armis superabant solius verbi divini, quippe *penetrabilius est verbum Dei omni gladio ancipiti.* Verum enimverò qua ratione fieri poterat, ut invictus Dux Jacobus solus cum septem militibus quos in Hispania sub vexillum Crucis conscripserat, scilicet Basilio, Calocero, Pio, Chrysogono, Theodoro, Athanasio, & Maximo, tot innumera subjugaret infidelium millia, eademque devicta, & legis Evangelicæ vinculis adstricta & alligata, in glorioso orthodoxæ fidei currum ad Christum adduceret? Fortè præceptum istud tenaciter observavit, quo dicitur: *In magna paucitate contra magnam vim hostium, artificio magis quam viribus decertandum est?* Imò verò illi a Lucano traditæ regulæ militari firmius inhæsit, qua Dux & Capitaneus utpote intrepido & invicto animo obarmatus, exercitum suum præire jubetur: *Prima Ducis virtus primus inire manus.*

3. Etenim ob hujus invicti roboris sui quo præditus erat respectum, Christus ipsum ad generosum hoc elegit officium. Christus enim Dux erat S. Ecclesiæ generalissimus, ac proinde Propheta dixit: *Et tu Bethlehem terra Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iudæ, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Quis enim est Dux ille generalis de quo hoc loco Propheta loquitur, nisi Verbum Incarnatum? Teste S. Hieronymo, qui legit: *Ex te nascetur Christus:* Et Remigio, qui dicit *Dux iste Christus est.* Porrò uxor Zebedæi filios suos Joannem & Jacobum virili animo & spiritu præditos esse cognoscens, eosdem Christo tanquam Duci generalissimo & Archistratego præsentare & recommendare statuit, ut illos veluti Capitaneos & Decuriones in suam militiam conscriberet, unumque illorum ad dexteram, alterum verò ad sinistram collocaret, ut illos hac ratione in quibusvis occurrentibus casibus fideles haberet ex utroque latere assistentes. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Hanc etenim fuisse mulieris hujus intentionem optimè notavit Chrysostomus dicens: *Caperat dicere intra se: Ecce Rex cælestis descendet ad regna tartarea, ut Regem mortis destruat: Cum autem victoria fuerit consummata, quid aliud restat nisi ut regni gloria subsequatur.* Ecce igitur ipsos ad præliandum expeditos & promptos. Verum responsum quod accipiunt, auscultate: *Potestis* inquit Christus, *bibere Calicem quem ego bibiturus sum?* Quasi diceret: Generosum & intrepidum animum vestrum ô Jacobe & Joannes satis quidem mihi perspectum habeo, veruntamen sciendum vobis est, quod esse militiæ Christianæ ducem, non omnibus conveniat, est enim maximi ponderis & momenti officium, & munus valdè laboriosum, unde ad epotandum Calicem parati esse debetis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Obsecro vos, quonam fine calicem hunc illis epotandum offert? Scio quidem Neroni hanc fuisse consuetudinem, quod quotiescunque cyathum aliquem chrystallinum ebiberat, eundem mox in terram allisum confringeret, ne ullus eidem cyatho è quo biberat, labia sua admovere præsumeret: *Ne quis unquam ex eis biberet.* Fortè illos ad prælium excitare & animare volebat, prouti Philippus Rex Franciæ faciebat, qui cum Othone Imperatore præliaturus, vinum generosissimum militibus suis ebibendum prius propinavit, ut spiritus illis adderet, & generosi animi ausus? *Bibite ex hoc, commune aut laudatissimæ mortis, aut victoriæ poculum erit.* Vel fortè imitatus est Agesilaum Lacedæmoniorum Regem, qui dum mensæ accumbens craterem ebiberet, eundem vino denuo adimpleri, & ejus quem ex Aulicis aut Convivis suis dilectissimum habebat propinari faciebat. Quasv salias, quæ in hanc rem adduci possent, rationes libens pertranseo, hucusque Scripturæ intelligentiam per introductam historiam quandam ab Herodoto relatam penetrare conabor.

4. Postquam Ægyptus in summa tranquillitate & libertate constituta esset, duodecim totius Ægypti præcipui primates, ejus potiti sunt imperio, ita ut singuli singulis Ægypti provinciis aut regionibus præessent. Hoc autem regimen cum hoc expresso pacto adoriebantur, ut videlicet deinceps neuter illorum alterum bello peteret, aut molestias aliquas inferret, sed potius in optimæ amicitiæ integerrimo fœdere perpetuo viverent, quod ut tantò facilius assequerentur, per mutuas contractas nuptias ictum fœdus sanguinis communione stabilivere: *Isti juncti inter se affinitatibus regnabant, pactionibus initis, ne mutuo auferre imperium conarentur, neve quis plus alio quippiam obtinere quæreret, sed ut essent inter se quam amicissimi.* At verò quia ambitio, & emolumenti proprii studium duæ sunt effrenes bestiæ, quæ nunquam exsatiari possunt, ideò in deteriora deinceps fuere prolapsi; tandem verò post multa litigia mutuo inter se decreverunt, suum ad

Demoss. Exord. 5. Ephes. 6. 17.

Apud Th. de Trusillo in fest. S. Iac.

Cæs. l. 1 de bell. Afric.

Lucanus.

Matth. 2.

D. Hier. & Remig. apud D. Th. in Cat. c. 2 Matth.

Matth. 20.

D Chrys. in Cat. D Th. in cap. 20. Matth.

Matth. 20.

Petrar. Dial. 38.

Caustin. in Poly. hist. symb. l. 3 n. 51. A. 1214.

Herod. in Euterp. l. 2

oraculum accipere refugium, ut ejus arbitrio decideretur, uter illorum tanquam caput & Monarcha toti deinceps dominaretur Ægypto, à quo hoc obtinuere responsum. *Qui in templo Vulcani aurea phiala libasset, eum totius Ægypti regno potiturum.* Quamobrem certò quodam die omnes duodecim Deo sacrificium libaminis oblaturi abibant; Cum ecce Sacerdos incipiens à primo usque ad undecimum singulis phialam auream libandam obtulit; cumque tandem ad duodecimum usque, qui Psammitticus erat, ordo perveniſſet, phiala autem aurea quæ illi præsentaretur præsto non esset, ne aliis quoad devotionem irreligiosior, aut minor esse videretur, acceptam è capite galeam æream vino implevit Diisque sacrificavit, *Porrexit eis Pontifex aureas phialas: Ibi Psammitticus, qui postremus eorum stabat, cum non haberet phialam, detractam sibi aream galeam tenuit, libavitque* Hacque ratione inter omnes alios totius Ægypti Rex declaratus fuit. Enimverò si scire volumus, quisnam inter duodecim Apostolos dux militiæ Christianæ sit declarandus, ad divinum confugiamus oraculum, quod utique nobis respondebit, Eum præficiendum esse, qui è phiala ferrea libaverit vel biberit: *Qui aurea phiala libabit* Idque Salvator dicere voluit, quando velut divinum oracullum Jacobo & Joanni honores prædictos per matrem postulantibus: *Dic ut sedeant* &c. protinus respondit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Etenim Jacobus omnium primus est qui è phiala bibit, qui in galea ferrea sacrificavit, id est, qui detruncato sibi per ferrum capite, tanquam verus Christi martyr moriens semetipsum Deo vivo & vero in testimonium fidei sacrificavit. Atque ideò quando Christus illis dicentibus: *Possumus*, confestim subjunxit: *Calicem quidem meum bibetis*, iis verbis sanctum Jacobum, utpote qui primus Apostolorum effectivè semetipsum Deo sacrificavit & martyrii phialam ebibit, si non Regem, saltem ad minus militiæ Apostolicæ ducem declaravit: *Jacobus qui primus in arenam prosiliit, manusque cum hoste conflixit, Christianæ phalangis principatum sibi acquisivit.*

Idem ib. *Idem ib.* *Did. de Baeza l. 3. c. 4. t. 1. in Evang.*

5. Magnus Patriarcha Jacob ex hac vita migraturus, cunctis filiis suis, qui eum consolaturi ad ipsum venerant, benedictionem impertivit, singulisque, quæ iis sigillatim eventura erant, certò prædixit: *Congregamini*, inquit, *ut annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Postquam autem futuros eventus Rubeni, Simeoni & Levi prædixisset, conversus ad Judam eidem est vaticinatus, ex ejus stirpe semper nascituram esse gentem præliatricem, & in particulari generosissimos belli Duces: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est.* Certissimum est quidem, quod sanctus hic moriens senecio non casualiter aut fortuito, sed cum fundamento & ratione, mentem habens à Spiritu sancto illuminatam vaticinatus fuerit. Veruntamen scire percuperem, quam ob causam fœlix hoc augurium Judæ potius, quam aliis fratribus illius acciderit? Mihi namque videtur honorem istum Simeoni & Levi potius debitum fuisse, utpote qui fuere armigeri, prout invictus eorundem animus satis superque probavit, in heroico illo facinore quod patrarunt, quando in urbem Sichem ingressi, ulti se sunt de illata ratæ sorori suæ injuria: *Arreptis duo filii Jacob Simeon & Levi fratres Dinæ gladiis: ingressi sunt urbem confidenter, interfectisque omnibus masculis Hemor & Sichem pariter necarunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Quis unquam audivit facinus aliquod memorabilius? Hisce igitur meritò præ omnibus aliis acclamandus & deferendus fuisset Regis vel Ducis titulus, non vero Judæ. Respondet Pererius: *Prædicat excellentiam fortitudinis, quod ut Leo hostes suos debellaturus esset*; ac proinde sanctus Seniculus prius dixerat: *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* Hebræus legit: *In cervice, in humerum*, Theodoretus, volebatque dicere: *Subjugabis tibi inimicos tuos.* Unde Pererius: *Hoc impletum est in ipsa Tribu Juda, statim post mortem Josue hunc enim monitu Dei ducem secutæ aliæ tribus debellarunt hostes suos.* Atque ideò declaratus est Dux & una cum ipso omnes ex ejus tribu descendentes. Laudabilis equidem est hæc Pererii resolutio, non diffiteor, veruntamen non displiceat vobis præter hanc audire aliam expositionem. Hugonis Cardinalis proposito nostro magis accommodam; si tamen prius dignanter auscultaveritis, quod de Alexandro Magno Macedone scriptores referunt. Hi etenim rationes inquirunt, ob quas hic Heros gloriosum hunc titulum, quo Magnus passim ab universo mundo appellatur, sibi comparaverit. Et quidem nonnulli ex illis volunt; Alexandrum gloriosum hunc titulum sibi adsciviſſe, eo quod dum cum exercitu suo proficiscereturin Persidem, perveniſſetque usque ad mare Pamphilium, nec esset qui illud primus ante omnem exercitum naji-

Ilid. v. 10 *Gen. 34. v. 25. & 26.* *Perer. Prophet.* *Theod. ib. Perer. ubi supr.*

Gen. 49. 1.

trajicere auderet; ipse primus omnium hoc facinus sibi vindicarit, seque periculo exposuerit, quem proinde strenuè & intrepidè præeuntem universi alii milites animosè sunt subsecuti: *Nam & Alexandri Magni ductu, mare Pamphilii secessit, & iter aperuit, cùm Deus ejus operâ ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset.* Hoc supposito, nunc velim Hugonis expositionem attentis autibus auscultetis; Hic namq; doctissimus Cardinalis existimat, Judam & omnes ab ejus progenie descendentes, declaratos fuisse à Patriarcha Duces Israelis, eò quod eo tempore quo exercitus Israeliticus, Pharaone illum diris modis persequente per mare rubrum Moyse duce transiturus erat, nec erat qui primus maris semitas, ob mortis inde conciliandæ formidinem ingredi auderet; Judas intrepido animo primus liquidum maris iter ingressus fuerit, hocque generoso ausu cunctos ad se sectandum animarit, quasi dicendo: Me ducem omnes sequamini, omnem ponentes metum, de felici hujus transitus successu nequicquam dubitate, ego præcedam & ducatum vobis præstabo. Hunc igitur tam generosum ausum, & facinus prorsus heroicum, inquit præfatus Cardinalis, censuisse Jacobum Patriarcham dignum esse, quod titulo Ducis cunctarum aliarum tribuum remuneraretur: *Quia scilicet primus introivit mare rubrum post Moysen.* Et Pelbartus: *Tribus Iuda inter alias tribus filiorum Israel maximam gloriam promeruit, eo quod Moyse percutiente mare & facta maris divisione, intravit, ejus quoque exemplo aliæ tribus secutæ sunt per turmas suas; & propterea illi tribui Iudæ Deus contulit specialem super omnes gloriam & dignitatem, quod videlicet ex illa deberent elegi Reges Israel.* Enimverò quisnam ex omnibus duodecim Apostolis primus fuit, qui mare rubrum proprii sanguinis in martyrio pertransivit, præterquam S. Jacobus? Quis primus extitit qui alios ad procellosas & sanguinolentas undas penetrandas & transeundas animos suggessit, præterquam S. Jacobus? Illi igitur soli debetur, & dandus erit glorioſus generosi & invicti Ducis titulus. Cùmque mare rubrum martyrii longè fuerit alio mari rubro Palæstinæ periculosius, de glorioso hocnostro Apostolo potiori jure quam de Juda dici debebit: *Deus contulit ei specialem super omnes gloriam & dignitatem.* Denique si Judas ob facinus prædictum declaratus fuit Dux duodecim tribuum, Jacob, meretur titulū Ducis duodecim Apostol.

Cornelius à Lap.

Hugo Card. in c. 49. Gen. 3. Pelbart. ser. 2. de S. Andr.

6. Persæpè intra memetipsum sollicitus fui investigare rationem & finem ob quem impius Tyrannus Herodes, qui Ecclesiæ fideles tanta cum crudelitate persequebatur, totum fel & choleram suam adversus sanctum Jacobum Apostolum potiùs evomuerit, quam contra alios dum hunc ante omnes in carcerem conjici, & mortis supplicio afficri jussit. Quod si præter Jacobum nullus alius fuisset, cui Herodes potuisset inferre sævitiei suæ molestiam, dicere quis posset, quod ictus ille *à sufficienti divisione*, in neminem præterquam in ipsum cadere potuisset? nunc autem ratio isthæc non valet, cum extra omnem controversiam sit, plurimos alios fuisse Christi discipulos, in quem tyrannica Herodis immanitas sævire potuisset. Et tamen *Misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia? occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio?* ac demum *videns, quia* hæc in S. Jacobum exercitata barbaries *placeret Iudæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum.* cur igitur tota Herodis, aliorumque Hebræorum malitia in solum Jacobum conversa fuit? Curiosus est per omnem modum instinctus ille naturalis, quo Cervi imbuti esse dicuntur? dicit enim Plinius, quod quando multi cervi simul sunt congregati ad flumen aliquod trajiciendum, unus eorundem ad transnatandum aquas primus audacter ingreditur, secundus autem qui primum immediatè sequitur, capite suo in primum innitur, id quod tertius pariter imitatur, dum in secundum se inclinat, quartus innititur tertio, quarto quintus, & sic de aliis, donec omnes sic, ut præfertur, à primò adjuti & animati, successivè feliciter transeunt: *Maria tranant gregatim nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes*, scribit Plinius? adeoque si primus qui ducis primatum obtinet, periclitaretur, omnes pariter essent passuri naufragium. Cùm igitur Herodes & Hebræi eam esse Jacobi generositatem probè satis agnoscerent, ut omnes alii fideles, in mari hujus mundi Pharisaicarum contrarietatum ventis agitato trajiciendo ab ejus exemplo & invicto robore animos haurirent, & audaciam pariter & fiduciam conciperent, tota illorum furia & rabies in hunc sanctum Apostolum conversa fuit? Quasi persecutores dixissent: Tollatur è medio dux omnium cæterorum? etipiatur vita soli Jacobo, cujus fortitudini & invicto robori omnes alii innituntur, hoc namque qui cæterorum primus dux est, prostrato, omnes alii

Act. Apost. Ibid.

Pind. l. 8. cap. 32.

sequaces facilè periclitabuntur ? unde de eo dici potest. *Primus in hunc Oceanum se conjicit Iacobus primus suppliciorum, tormentorumq; undas ingreditur, & impetum earum frangit? Huic Bartholomæus innititur, huic Petrus & Paulus &c.* Ecce tibi igitur Jacobum, quasi cervum, omnium cæterorum fidelium fortissimum ducem,

Pet. Bessæus in fest. S. Steph. t. 1.

7. Super eandem Herodis tyrannidem, de novo reflectentes, aliam quandam instituamus ponderationem. *Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Ecquidnam tibi O pessimè Tyranne in hoc sancto Apostolo displicere potuit quod adversus ejus innocentiam tanta crudelitate & rabie furere incipias? Num fortè actiones tuas reprehendit ? num tua fortè præcepta est prævaricatus ? An fortasse honorem tuum aliqua in re læsit? verùm eheu rabidam intentionam tuam me assequi video, os etenim felle plenum dulcem salivam non expuet? cogitationum autem suarum perversitatem, O Auditores unicus duntaxat Scripturæ passus expressè manifestabit. Adonibezech in una cum Chananæis & Pherezæis societate adversus Israelis exercitum fortiter ac strenuè sese obarmabat, postquam autem in prælio quodam infelicissimè pugnatus universus ejus exercitus dissipatus esset, in fuga saluti suæ consulere voluit, verùm Israelitis vestigia ejus strenuè consectantibus, infelix captus est, & in manus inimicorum suorum miserè redactus. Unde textus sacer ait : *Quem persecuti comprehenderunt.* Ut autem crudelitatem suam talionis pœna lueret, Israelitæ summitatem manuum ac pedum ejus amputarunt: *Cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum?* Unde & proprio ore confessus est, *sicut feci ita reddidit mihi Deus.* Nonnulli hujus loci expositores, nimirum Cajetanus, Abulensis, Arias, Montanus, Vatablus, & alii dicunt, quod Adonibezech præfato non manus, sed major & principalis earum digitus, id est, pollex tam in manibus, quàm pedibus detruncatus fuerit: *Apprehenderunt eum, & abscinderunt pollices manuum ejus, & pedum ejus.* Cuperem hoc loco scire cur pollicem, non verò alium quendam digitum ei amputarint? Credo ideò id ab iis factum esse, quia pollex inter omnes digitos manus principalior est, qui fortitudinem atque vigorem cunctis aliis ministrat, qui sine pollice difficulter & malè operari poterunt. Minores proinde digiti sine principaliori, id est, pollice perditi sunt & nulli, sicut sine duce milites nihili fiunt. Ad propositum igitur præsens quis est qui Ecclesiam corpus quoddam mysticũ esse nesciat? Cujus caput Christus est, collum Maria, & sic deinceps de aliis membris consequenter discurrendo. Portò manus sunt sancti Apostoli, quos Deus ad tot tamque admiranda prodigia patranda adhibet. Herodes igitur ut alios digitos ad laborandum pro fide, ad sustinendum martyrium inhabiles reddat, efficiatque ne debita cum libertate & alacritate animi functionibus Apostolicis & Ecclesiæ adhiberi possint, præcipuum manus hujus digitum, pollicem scilicet, qui cæterorum dux & Rector est detruncat : *Occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Unde S. Joannes Chrysost. de eo dicere non dubitavit : *sic acer atque gravis ludæis erat ut magnum munus illis obtulisse, cùm eum interfecit Herodes, visus sit.*

Iud. 1.

Ib. n. 7.

Chrysost. hom. 57. in cap. 17. Matt.

8. Verùm enimverò decapitando S. Apostolum, eundem quantumvis inviti & renitentes declarant Ecclesiasticæ militiæ ducem, & ab effuso in ejus martyrio sanguine, alii Christianæ militiæ bellatores longè facti sunt generosiores & constantiores. Refert Ælian. naturalem esse Elephantum proprietatem, quod dum fossam aliquam à venatoribus eis hoc fine præparatam vident, ut in illam prolapsi nec ex ea exire valentes, venatoribus cedant in prædam, ut hocce periculum evadant, natura magistra & instructrice in eandem fossam unum è suorum numero demittant, qui cæteris Elephantibus dorsum suum exhibet, ut super illo haud secus ac super ponte quodam reliqui liberè & sine ullo periculo transeant. Demum verò postquam super dorso ejus omnes transierunt, unus eorum alteri in fossa hærenti pedem porrigit, quem is proboscide sua circum volvens & stringens firmiter tenet, donec & ipse è tali fossa liberetur & extrahatur. Portò ut Elephantes Apostolici cum majori securitate transire possent fossam martyrii, Sanctus Jacobus velut Dux eorum primus se in eandem fossam demittit, aliisq; velut Elephas pontis loco inservit, ut tutius atque securius transire possint sine periculo. De Elephantibus quoq; Plinius refert, quod sint animalia fortissima & generosa, ac proinde superioribus sæculis, veluti tempore Machabæorum simul ad prælia deduci solebant. Rex Antiochus, quando ei cum Juda Machabæo dimicandum erat, in suo exercitu præsentes habebat Elephantes triginta duos? si tamen fortè fortuito defatigati erant? aut alias ex aliquo casu obvio pavore aliquo correpti, ac proinde immobiles subsistentes ulterius progredi nolebant, sanguinem eis, vel sanguinem Mori vel uvarum liquorem

Guillel. Paris. ser. 4. Dom. 2.

quorem exhibebant, ad cujus conspectum animum & generositatem pristinam reinduentes depositâ lassitudine atque timore facti alacres intrepidos sese atque fortissimos demonstrabãt: *Sunt bellicosi & audaces nimis maximè cum eis in prælio sanguis uvæ vel mori ostenditur*, inquit Vincentius Belluacensis. Et quidem in Scriptura sacra expressè habemus, quod supradicti Machabæi ad Elephantes animandos & in furorem aliquem adigendos eadem inventione fuerint usi: *Et Elephantes ostenderunt sanguinem uvæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Alii quoque affirmant, quod quando liquor sanguineus mori vel uvæ præsto non erat, & haberi non poterat, bovem & taurum quendam mactarint, ut Elephas copiosum trucidati bovis sanguinem manare cernens, resumeret animum, & rupto omnis timoris fræno ferocire, & in stragem inimicorum faciendam sese ingerere inciperet. Observaverat fortè S. Jacobus Elephantum Apostolicorum socordiam & pusillanimitatem, tum quando *Eo relicto omnes fugerunt*, tum quando timore perculsi sese è publico subducebat *Propter metum Iudæorum.* Atque ideò ut illos instar boni Ducis animaret, & excitaret, illis ob oculos ponit, non purpureum mori vel uvæ liquorem sed proprium sanguinem, quem immani Herodis jussu operante carnificis manu è collo à busto præciso effudit: *Iacobus qui primus in aream prosilivit, manusque cum hoste conflixit, Christiana phalangis principatum sibi acquisivit: sic inter Apostolici serratus apices factus est ipse Princeps.*

Vinc. Belluac. in spec. nat. l. 19. c. 43.

1. Matth. 6. v. 34.

Matt. 26. 57.

I. 29. 19.

Did. de Baeza l. 3. c. 4. t. 1. in Evang.

9. Gloriosus hic Apostolici exercitus Dux ab Incarnata sapientia *Boanerges* est appellatus, quod idem est, ac *Filius tonitrui* Scio equidem nomen istud ei minimè à Christo imponendum fuisse, nisi ipse aliquam cum tonitru haberet similitudinem & Analogiam Fortè hoc nomine insignitus fuit, quia sicut Seneca dixit: *Mira fulminis si intueri velis, opera sunt?* Ita quoque talia fuerunt sancti Jacobi opera, quia *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Non equidem ignoro Alexandrum Magnum tanquam Dominum terræ & maris ab Apelle fulgur in manu sua deferentem fuisse depictum. Pari quoque modo sanctus Jacobus tanquam tonitrui filius, & velut generosus belli spiritualis Dux, Vexillum Crucis plantando, in possessionem suam sibi vendicavit Judæam & Samariam, flumen Iberum & Saracusæ, Hispaniæ & Indiarum. Fortè etiam, quia sicut fulmen dum ætheræ exhalationibus generatur, virtute Solis elevatum in altum, in media aëris regione *Concoquitur in lapidem, qui erumpens, & tonitru corruscationemque faciens, omnia ladit in qua impegerit, vento semper comite.* Ita sanctus Jacobus virtute mystici Solis Christi in sublime elevatus, & vento Spiritus sancti adjutus, Dæmones dissipavit & abegit, qui ab Hermogene & Phileta veluti Dii adorabantur. Fortè nominis hujus origo inde quoque desumpta fuit, quod sicut tonitru, ut sanctus Gregorius scribit, super Nurciam delapsum, omnes qui in illo districtu reperiebantur serpentes dissipavit & abegit: *Tonitru omnes illos, qui eundem locum occupaverant serpentes interemit;* Ita quoque sanctus Jacobus prædicationis suæ efficaci tonitru venenosos infidelitatis serpentes confudit & profligavit. Vel inde sumitur nomenclatura: quod sicut ex tonitru occisi sunt sexcenti Saraceni sacri templi Sancti Michaëlis in monte Gargano invasores: *& cœlo fulgura dimissa sexcentos Saracenos obruerunt*: Ita quoque sanctus Jacobus in favorem & subsidium Ferdinandi I. Anno 1045. dissipavit Saracenos Urbem Conimbriæ violenter & tyrannicè occupantes, Mauros que adversum quos pientissimus Rex Ramirus pro Christi fide Anno 834. belligerabat in irreparabilem confusionem redegit. Vel quod sicut tonitru hanc sibi proprietatem vendicat, quod argentum & aurum consumat, butsam sive marsupium relinquens intactum, liquefaciat ensem, nec tamen tangat vaginam, consumat vinum sine ulla vasis offensione: *Loculis integris atque illæsis conflatur argentum, manente vagina gladius liquescit*, scribit Seneca: Ita quoq; S. Jacobus per Dei verbum penetrabat animas, nullo corporibus damno illato, prouti circa Lupam Reginam accidit: Aut verò quod sicut tonitru ibi majores causat effectus, ut majorem invenit duritiem & violentiam: *Valentiora quia resistunt, vehementius dissipat*: Ita quoque sanctus Jacobus in Hispaniis ubi majorem à principio invenit resistentiam atque duritiem, majores quoque produxit virtutis suæ effectus, dum illam ad Catholicam fidem convertit. *Durior quidem Hispania fuit, nec facilè quidem fidem Christi suscepit.* Tonitru vel fulmen intra nubis viscera concipitur, dumque in media aëris regione nubes illud veluti jam jam paritura subsistit, quasi mulieris parturientis ob viscerum convulsiones pateretur dolores, videntur dolentes ejus & horridæ

Seneca l. 2. c. 31.

Thom. de Trusil in vita S. Iac.

Simon Majol. Coll.

D. Greg. l. 5. Dial. c. 1. t. 1.

Laur. Sur. in Dedicat. templi S. Mich. in Gargano. monte. t. 5. mense sept. Greg. Reisch. in Marg. Phil. l. 9. c. 20.

Seneca natur. l. 2. c. 40.

Seneca l. 2. c. 52. & 53

Ioan. Osor. in fest. S. Iac.

voces ad ſtellas uſque aſcendentes exclamante audiri, tremunt in mari naves, feræ terrefactæ latibula & ſpecus ſuas petunt, fabricæ concutiuntur, tremunt homines, imò ipſamet terra, tametſi natura ſua immobilis ſit & ſtabilis, vacillare tamen videtur, quia tonitru ſuo terribili fragore & terrore, omnium quæ in terris vivunt, creaturarum pectora percellit. Meritò igitur Filius Dei ſanctum Jacobum *Boanerges*, id eſt, *filium tonitrui* appellavit, quia prævidebat quod è gravido cæleſtis gratiæ ſinu enatus, per tonitru vocis ſuæ, & Evangelicæ prædicationis fulmen, perterrefacturus eſſet Magos, conſternaturus Saracenos, in fugam acturus eſſet Mauros, diſſipaturus Tyrannos, integrosque infernalium turmatum exercitus profligaturus eſſet. O fulgur terrificum, O inclytum Apoſtolicæ militiæ Ducem! O *Dux & decus Hiſpaniæ Boanerges Chriſtus Iacobum nomine novo vocavit, ut vitæ ſanctitate & miraculis eſſet quaſi fulmen, & vocis efficacia eſſet quaſi toniruum, quod homines & infideles ac barbaros concuteret.*

Corn. à Lap. in c. 3. Marci.

10. Pro certa veritate compertum habeo, non ſine peculiari divinæ diſpoſitionis myſterio accidiſſe, quod glorioſus Apoſtolus noſter licet inter Judæos natus fuerit & mortuus, poſtea tamen à diſcipulis ſuis ſepeliendus in Hiſpaniam fuerit transportatus, non obſtantibus tot à Lupa Regina factis oppoſitionibus & contradictionibus: *Decollato igitur Iacobo, Diſcipuli ejus nocte corpus navi impoſuerunt, & ſepulchrum ejus divinæ providentiæ committentes, navim ſine remigio conſcenderunt, & Angelo Duce in Galitiam in regno Lupæ Reginæ applicaverunt*, inquit Petrus Epiſcopus Equilinus. Scio quod Jacob moribundus à Joſeph filio ſuo Vice Rege Ægypti aliam non poſtularit gratiam, quam ut ſub jurejurando ſibi promitteret, quod oſſa ſua non in Ægypto, patria nimirum aliena & peregrina, ſed in Meſopotamia patria ſua ſepelire vellet, ut hac ratione oſſa ſua juxta alios anteceſſores ſuos quieſcerent: *Facias mihi miſericordiam & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas de terra hac.* Et corpus ſancti Jacobi eſt inter patriotas ſuos, & tamen à diſcipulis ſuis ſepeliendum deportatur in terram alienam & extraneam! Credemuſne forſitan Apoſtolum ductum fuiſſe motivo Scipionis Africani, qui ob multas injurias à patriotis ſuis receptas, indignabundus ad patriam converſus dixit: *Ingrata patria, oſſa mea non poſſidebis.* Nam tametſi oſſibus meis cunas dederis, meis tamen cineribus tumulum dare nequaquã poteris: Jacobus equidem idem dicendi & faciendi occaſionem habebat, verùm in ejus corde nec ira, nec indignatio, nec vindicta erga eos, qui illum ad mortem uſque perſequebantur locum habere poterat. His addo difficultatem longè majorem. Ex quo enim ejus diſcipuli corpus illius in Hiſpaniam ſepeliendum deportant, cur eidem honorificum aliquod vel Toleti in Caſtilia, vel Madriti, vel Salamancæ, ſepulchrũ non procurant, ſed eundem in Galitiam, & præcipuè Compoſtellam deportant? Reſponderi quidem poterit, quod cùm olim ut ſcribit Cælius Rhodigini conſuetudo fuerit quod militibus qui in militia ſe laudabiliter & generosè geſtrant, daretur ſtella quædam, quæ eis erat velut arrha ſecuturi præmii, quod prælio conſummato, erant conſecuturi: *Stellatura in militaris annonæ erogatione, videtur frumentariis teſſeris perſimilis, quibus acceptis, plebi gratuitum diſtribuebatur frumentum.* Ideò cùm Sanctus Jacobus dux fuerit militiæ Chriſtianæ & Apoſtolicæ, pro qua Hiſpani ſemper tanquam fideles Orthodoxi egregiam navaruut, & etiamnum navant operam, voluiſſe eum corpus Galitiæ & Compoſtellanis conſignare, velut arrham ſecuturi præmii. Hæc autem reſponſio totam adæquare difficultatem non videtur? ac proinde pro ſolidiori reſponſione ſequentem Scripturæ locum dignanter attendite. Moritur Dux Joſue, & ut ſacet textus aſſerit, ſepelierunt eum in Thamnatſare, civitate nimirum ſituata in ultimis tribus ſuæ confinibus: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnatſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim*: Cur obſecro in finibus, & in ultimis tribus ſuæ terminis ſepelitur? Nunquid honorificentiorem ei ſepulturam attribuere potuiſſent, in tali aliqua civitate, ſeu Metropoli, quæ in medio Provinciæ fuiſſet ſituata? Nequaquam, ſed in confinibus convenientius ſepeliebatur, nam ex altera parte Moabitæ jurati Iſraelitarum inimici ſubſiſtebant, atque ideò ſepeliatur Joſue in hiſce confinibus, ut ſi aliquando adverſarii noſtri ad infeſtandum nos venerint, mox ubi ad confinia noſtra propiùs acceſſerint, ſciant & videant, ibi ſepultum eſſe eum, qui ſicut ipſis in vita formidabilis fuit, ita quoque mortuus eiſdem terrorem & formidinem incutiet, ſicque iter ſuum ſiſtant, nec vel paſſum unum ulterius procedere præſumant. Sanctus Jacobus ſepultus eſt Compoſtellæ, in ultimis Hiſpaniæ totius terminis, juxta Turcarum confinia, ut etiam poſt mortem, velut Dux inclytus & invictus

Pet. de Natal. in vita S. Iac.

Cæl. Rhodig. lect. antiq. l. 11. c. 2

Gen. 47. 30.

Ioſue 24. v. 30.

Hiſpa-

Hiſpaniam & Chriſtianitatem defendat ejuſq; oſſa ſerviant ad inimicorum terrorem, ſintque veluti ſcutum, vallum, munimentum & fortalitium adverſus omnes immanis Thraciæ inſultus. Unde meritò replicare hoc loco poteto verba illa, quæ alius quidam dixit de oſſibus Jacobi Patriarchæ ex Ægypto in Sichem translatis: *Hoſtium telis non alia oppoſuit arma, quàm Patriarchæ cineres: Turcarum telis non alia oppoſuit arma, quàm D. Iacobi Apoſtoli oſſa.* *Magaglianes.*

11. Dicite ſodes O Auditores, cauſam, ſi eam noſtis, cur in Hiſpania nullæ aliæ gentes admittuntur præterquam Catholicæ? Excluduntur enim ab inde Hæretici, Hebræis non conceditur per totam Hiſpaniam incolatus, Turcæ quoque ibi locum non habent, nec ullus infidelis, aut alius qui Legem Evangelicam non obſervet. Cùm tamen in omnibus Europæ Provinciis Hebræi ſaltem admittantur, quicquid ſit de Hæreticis. In Hiſpania autem quæ vera Hiſpania eſt, alios non invenietis præterquam ſolos & meros Catholicos? Unde hoc procedit? Fortè quia Rex Catholicus ſub glorioſæ Coronæ ſuæ umbram aliam quàm Catholicam fidem nequaquam admittit? Nihil quidem habeo quod reſponſioni huic oppoanm. Verùmtamen potius idipſum attribuendum videtur Sancto Jacobo Apoſtolo, qui Hiſpaniam in ſuam protectionem ſibi vendicavit, ac proinde nulli fidei Chriſti inimico ſalvum conductum ad Hiſpaniam incolendam indulgere decrevit. Spero quod ad idipſum dilucidandum ſequentem audire Hiſtoriam vobis non diſplicebit. Erat quondam Romæ Templum ſumptuoſiſſimum, in quo cæca Gentilitas plurimos Deos venerabatur & adorabat. In idem autem Templum Tarquinius Jovis ſtatuam collocare, & ut is ſolus in eodem adoraretur, præcipere decrevit. Porrò omnes Dii qui hactenus in illo templo fuerant religioſo aliquo cultu venerationis affecti, Jovi libenter quidem cedebant, conſentientes inſuper ut illi ſoli in eodem loco adorationis cultus adhiberetur, unico duntaxat Deo accepto, qui Deus Terminus vocabatur, hic enim ſolidè perſiſtere, & nulli aliorum Deorum locum vel cultum cedere voluit? vocabaturque Terminus, eò quod omnia Romanorum confinia & Termini ſub ejus erant protectione conſtituti. Eheu quot gentes Catholicæ fidei inimicæ & hoſtes non jam in Templum, ſed in univerſam Hiſpaniam admitti deſiderarunt, ſed caſſo prorſus irritoque conatu, licet enim aliæ Civitates vel Provinciæ locum cedant ſive Hebræis, ſive Mahumetanis, ſive ſchiſmaticis, ſive Hæreticis, DEUS tamen Terminus, id eſt, Sanctus Jacobus Apoſtolus, qui in Galitia, quæ limes & terminus eſt Hiſpaniæ, locum illis nunquam cedere decrevit, & præter Religionem Orthodoxam Catholicam nullam aliam patitur, aut admittit. *Alphonſ. Vigliegas.*

12. Omnes illi ſeptem Diſcipuli qui corpus Jacobi Apoſtoli Compoſtellam verſus deportarunt, Hiſpani fuerunt, ab eodem Apoſtolo ad fidem converſi, qui quando per terras proficiſcebantur, cadaver Apoſtoli arcæ cuidam incluſum, in humeris ſuis deportarunt. Nolite credere id ſine peculiari myſterio factum fuiſſe? Et quidem ſi illud penetrare velitis, mementote ejus quod ſcribit Valerius Maximus: Poſtquam enim Romæ diem ſuum obiiſſet Paulus Æmilius, Legati Macedoniæ in urbe præſentes, circa inſtantia funeralium ſolemnia à Senatu Romano hanc ſibi gratiam fieri rogarunt, ut ſcilicet iis in die ſepulturæ, propriis ſuis humeris excipere & deportare cadaveris Æmiliani feretrum: *Principes Macedoniæ cum Legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto ſponte ſua ſeſe ſubjecerunt.* Qua actione demonſtrare voluerunt, quod ſicut Macedones, invicto robore hujus Ducis dum viveret, armorum vi fuerant ſubjugati, ita quoque ea actione proteſtari voluerint, quod eidem etiam poſt mortem ſponte propria velint eſſe ſubjecti & ſubjugati, cadaver ejus humeris ſuis portando: *bis enim te Paule Macedonia urbi noſtræ illuſtrem oſtendit, incolumem, ſpoliis ſuis, fato functum humeris,* Porrò ſanctus Jacobus armis verbi Divini in Hiſpania dum viveret dimicans, devicit, fideique Catholicæ ſubjugavit novem Hiſpanos, è quibus duos ibi prædicandi Evangelii cauſa reliquit, ſeptem autem alios ſecum in Judæam perduxit: *Solummodo novem ibi diſcipulos acquiſivit, duos ex illis ibidem cauſa prædicationis reliquit, & alios ſeptem ſecum aſſumens in Iudæam rediit* Mortuo autem glorioſo Apoſtolo, atque ab impio Herode Martyrio affecto, ſeptem illi, univerſam Hiſpaniam repræſentates, ſacrum Apoſtoli corpus per totam viam uſque in Hiſpaniam humeris ſuis deportarunt, per hoc inſinuantes, quod ſicut Apoſtolus noſter tanquam Dux invictus & inclytus de iis devictis triumpharat in vita, ita quoque Legi Evangelicæ ſubjugaturus eſſet univerſam Hiſpaniam poſt mortem. Unde pari jure Hiſpani illi Sancti Jacobi diſcipuli cum *Val. Maxim. lib. 2. c. 5.* *Idem ibid.* *Petr. de Natal. in vita ejus*

Tit. Liv. l. 1. Dec.

Lactant. Firm. Polyd. Vergil. lib. 3. Prodig. Et in Theatr. vit hum. l. 1.

Macedonibus Legatis dicere poterant *Bis te Hispania nostra Iacobe illustrem ostendit, incolumem spoliis suis, fato functum humeris.* At verò uti non indoctus Scriptor quidam ait, vivus & mortuus per sacras suas reliquias Hispaniam honorare voluit: *Hispaniam etiam, sacro suo corpore voluit honorare, ut vivens & moriens Hispania esset.* Ioan. Osor. Proprium namque est belli ducum, non tantum inimicos suos armis vincere, verum etiam eosdem jam devictos & prostratos benevolentia, civilitate, & clementia sibi devincere.

13. Hercules in tanta erat apud Pygmeos formidine, ut quando Leonina pelle indutus eandem nonnihil tantum commovebat, omnes pertetre facti & consternati in fugam se protinus reciperent. Porrò quantum inimici mundani & infernales ex solo armorum Apostolici Athletæ nostri aspectu confusi & profligati fuerint, facili conjectura ex sequentibus eventibus colligere licet. Refert Vinc. Belluacensis, Nobilem quendam Civitatis Bartimonæ qui Sacrum Jacobi corpus veneraturus Compostellam adierat, hanc ab eodem gratiam postulasse, *Vt deinceps à nullis hostibus detineri posset.* Dum igitur reverteretur in patriam, repetitis vicibus, diversisque in locis in mari captus fuit, catenæ verò quibus vinctus erat, mirabiliter semper dissolvebantur. Ultima autem vice cùm veluti mancipium venditus esset, pedes ejus duabus gravibus catenis vincti fuêre, cui S. Jacobus ab eo in adjutorium advocatus apparuit, & ruptis catenis liberum dimisit. *Ruptis catenis vir ille solutus, per urbes & castella Saracenorum quandam partem catenæ ferens in manibus in testimonium tanti miraculi, ad terram suam Saracenis videntibus palam rediit.* Vin. Bellvac. in spect. hist. l. 26. c. 39. Tho. de Trusill. in festo S. Iac. Petr. de Natal. ubi sup. Paganus autem quidam, manus in eum conjicere & damnificare eum volens, *visa catena terribilius fugiebat.* Quin etiam à truculentis & horrendis regionis illius feris se sæpè defendit? nam hæ *eum devorare quidem volebant, sed statim visa catena, quam Apostolus tetigerat, recedebant.* Hermogenes Philetem juvenem arte magica immobiliter constrictum tenebat, qui à Jacobo Apostolo conversus, eidem quicquid sibi acciderat insinuari fecerat, unde *Misit ad eum Apostolus sudarium suum, cujus contactu confestim solutus Philetes.* Quid plura? Idemmet Hermogenes postquam Christi fidem amplexatus esset, graviter à Dæmonibus infestabatur, quem ut Jacobus ab hisce per Dæmonem ei intentatis molestiis liberaret, baculum suum eidem transmisit: Cui *Apostolus baculum suum dedit, & ille securus abiit.* Idemib. Verè instar veri Ducis hac in re se habuit, nam fæcem creaturarum adeò vilem, ut sunt Dæmones fustibus & baculis profligabat.

14. Unicum est quod mihi nonnemo objicere posset, scil. quod sicuti caput ad membra, superior ad subditos, ita quoque belli Dux ad milites relationem dicat: *Remoto autem uno Relativorum, auffertur & alterum.* Cùm igitur Jacobus nullos sub se milites habuerit, quomodo Capitaneus vel belli Dux esse potuit? Quid audio? Tune Jacobum nullos habuisse milites asserere audes? Prætereo novem discipulos quos sub vexillum Crucis conscripsit, & militare fecit? & de solis Equitibus qui non solùm in Hispania, verùm etiam in Italia & in tota Europa in tanto numero florent, & sub protectione Sancti Jacobi vivunt, hoc loco meminisse volo, an non hi sunt generosi ejus milites, qui pro sanctæ Ecclesiæ Dei protectione contra infideles arma gerunt? Cum his & de his loquebatur Sanctus Archiepiscopus Valentinus cum dicebat: *Cùm aliquæ religiones sint institutæ ad hospitium peregrinorum, aliæ ad redemptionem captivorum, aliæ ad exemplum hominum, aliæ ad vacandum contemplationi:* Audite ô vos generosissimi Equites Jacobi: *Vester ordo institutus est ad defensionem fidei.* S. Tho. à Villa nov. serm. de S. Iac. Ad horum generositatem & magnanimitatem deprædicandam sufficit dicere, quod sint milites tam generosi Ducis & Athletæ, qualis fuit S. Jacobus. Unde si ille quondam Franciæ Rex juvenem Hispanum, qui ad latus suum ense concinne admodum accinctus erat videns, Hispanos armatos nasci dixit, melius idipsum de militibus seu Equitibus Sancti Jacobi de Spada dici poterit, nimirum illos nasci intrepiditate & generositate armatos. Vos contra inimicos Christi, sive illi Mahumetani sive Mauri, vel etiam Saraceni sint, nunquam decertastis, quin victoriæ honorem semper ab iis reportaveritis, aut palmam martyrii. Unde supradictus Sanctus Archiepiscopus incomparabilem validitatem & animositatem vestram, quam in tot generosis actionibus intrepido corde demonstrastis, dignè concelebrans hoc celebre de vobis encomium exclamavit: *O felix militia quæ semper fuit victoriosa, omnibus insuperabilis, nam si vincit, quanta gloria? si moritur, est victoria.* S. Tho. à Villa nov. ibid. in fin. ser.

PARS SECUNDA.

15. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac Præ-*

Præceptorẽ. Præterquam quod ſanctus hic Chriſti Apoſtolus magnus Chriſtianæ militiæ Dux fuerit, magnus quoque fuit doctrinæ Evangelicæ Magiſter. Hic namque, inquit S. Vincentius Ferrerius, primus fuit inter omnes Apoſtolos qui illam docere cæpit. *Fuit primus Apoſtolus qui exercuit legationem Evangelicam*, ut proinde meritò ei attribui poſſit titulus ille, quem S. Ambroſius Eleazaro impoſuit, dicens: *Factus cæteris magiſterium* Calliſtus Papa II. certos quoſdam admirabiles caſus recenſet, qui in propria ejus accidere perſona, quando quatuordecim circiter annorum adoleſcentulus erat. Inter alias namq; devotiones quibus agebatur, una erat qua ſingulariter ferebatur erga S. Jacobum. Dum autẽ huic devotioni inſiſteret vana quædam ipſum inceſſit ambulandi variaſque mundi regiones perluſtrandi curioſitas? cui ut ſatisfaceret itineri ſe committens, libellum quendam eo præcipuè fine ſecum ſumpſit, ut res raras magiſque notabiles quæ in itinere occurrebant, ſive viſas, ſive auditas in eo annotaret. Die autem quadam ſylvam quandam pertranſiens, in latrones incidit, qui ipſum rebus omnibus quas habebat exuerunt; libello prædicto ei duntaxat relicto: *Raptis omnibus ſpoliis meis, codex mihi tantum remanſit*. Poſtea verò in carcerem quendam conjectus fuit, in quo iterata vice omnis ei pecunia adempta fuit, libello ſemper ei ſalvo manente beneque ſervato: *Perdito cenſu meo mihi tantum modo codex permanſit*. Multoties in mare & flumina lapſus eſt, cum evidenti vitæ periculo, nec tamen libellus ille vel minimum madefactus fuit. *Et minimè codex infectus evaſit*. Nocte quodam dum profundo quodam ſomno tenererur, ignis domum in qua degebat corripiens, quicquid in ea uſpiam aſſervabatur combuſſit? Juvenis autem quaſi miraculosè vitæ periculum evadens, libellum ſuum à flammis illæſũ & intactum permanſiſſe deprehendit: *Et codex meus evaſit inuſtus*. Supra omnem igitur modũ admirabatur, qua ratione fieri poſſet ſquod libellus ille inter tot latrociniorum, naufragii, & incendii pericula, aliis omnibus facultatibus ſuis deperditis conſervaretur immunis & illæſus, cauſamq; ejus ſciendi cupidus ſuſpicatus eſt, id fieri propter aliquas particularitates, S. Jacobũ Apoſtolum miraculosè concernentes, intra librum deſcriptas. Contigit autem quod paulò poſt dictus Apoſtolus eidem juveni dormienti apparuerit, eiq; revelaverit, quod ille ipſemet dictum ſuperius librum ſemper conſervarit, ſubjungendo in hæc verba: *Itaque miracula quæ in hoc codice continentur, diebus feſtis legantur*. Meritò hic inveſtiganda eſt cauſa ob quam S. Jacobus tantam hujus libri conſervandi curam habuerit. Mihi autem reſpondendum videretur id factum, quia liber ad ipſum pertinebat. Miles etenim curam & rationem habere debet armorũ ſuorum? Et apud Thebanos magnum dedecus erat, ſi miles aliquis ſcutum ſuum perdidiſſet. Unde Epimanondas ad mortem uſque vulneratus, lætus ex hac vita deceſſit, eò quod ſcutum ab inimicis ſibi minimè ereptum intra manus ſuas adhuc teneret. Pari quoque modo Magiſter & diſcipulus nihil ita curare debet, quam ne arma ſua, id eſt, libros ſuos amittat. Quod igitur S. Jacobus librum Callixti Papæ, qui tunc Guido Burgundus vocabatur, adeò ſollicitè conſervarit, per hoc verùm ſe Chriſti diſcipulum & fidei Catholicæ doctrinæque Magiſtrum ſe eſſe demonſtravit: *Factus eſt cæteris Magiſterium*.

D. Vinc. Ferrer. in ſer. de S. Iac. prope fin.

D. Amb. l. 2. de Iacob. c. 10.

Calixt. Papa apud Vinc. Belluac. in hiſt. d. 26. c. 30.

15. Cùm Civitas Conimbriæ à Saracenis occuparetur, Ferdinandus I. Hiſpaniarum Rex ad obſidionem urbis illius diſſolvendam cum toto exercitu ſuo eo proceſſit: *Volens eam eripere Saracenorum miſerabili jugo*. Id quod accidit Anno 1045. Accidit autem quod Epiſcopus quidam Græcus Peregrini habitu indutus, cui nomen Stephanus erat, cùm à multis S. Jacobum Hiſpaniæ Protectorem eſſe illique nationi in præliis peculiariter propitium eſſe intellexiſſet, & quod *Armatus in multis præliis ſoleret favere Hiſpanis*: Is idipſum nequaquam credens riſit, dicendo S. Jacobum piſcatorem natum eſſe, nunquam militem aut bellatorem fuiſſe: *Caput ipſe irridere dicens, quod piſcator eſſet, non autem eques, & in armis exercitatus*. Unde colligitur Peregrinum in magno errore fuiſſe falſo credendo S. Jacobum Apoſtolum vel non poſſe, vel non velle Civitatem Conimbriæ protegere & defendere, utpote quem piſcatorem tantum, non verò militem eſſe credebat. Opus igitur hic erat Magiſtro, qui illum falſitatem ſuam agnoſcere faceret, & veritatem doceret. Et Ecce in promptu præſentem Jacobum Apoſtolum, ut uno eodẽque tempore & militis & Magiſtri adimpleat officium. Hic igitur ut peregrinum edoceat veritatem, eidem totus armatus apparet, claveſque portatum Conimbricenſium eidem exhibet dicens, ad hoc ut videas & intelligas, quod ad exercituum Hiſpanicorum defenſionem præliis me intromittam, craſtina die claves haſce Ferdinando Regi conſignabo, Civitatis Conim-

Tho. de Truſ. in feſt. S. Iac.

Idem ibi. Et Cæſar. Bar. t. 1.

briæ portas aperiam, Agarenosq; in fugam turpē convertam. Neq; enim tantum piscator sum, prout malè credis, verùm insuper miles & Magister. Militem me esse, hæc, quæ cernes, arma manifestant: Me verò Magistrum esse veritas, quam tibi indico, firmiter persuadet? Et si hoc tibi non satisfaciat, totum quod dixi, oculari experientia verum esse comperies, hisq; dictis cōfestim disparuit: *ut intelligas, quod ego soleam armatus favere prælijs ipsis Hispanis: Propterea in hoc habitu & ornamento tibi apparui, & claves has gesto, ut aperiam Ferdinando Regi portas Civitatis, quam obsidet, & ab ea Agarenos omnes longè propulset.* Unde sicut Christus Magistri partes est executus, quando *Exprobravit crudelitatem discipulorum*, ita quoq; in præsenti casu S. Jacobus Magistri officium exercuit circa peregrinum.

Apud Thoo, de Trus. ubi sup.

S. Mar. 16. v. 14.

17. Multi S. Jacobum illi lapidi pretioso qui Chalcedonius vocatur, comparant, ob multas rationes. Primò quia si hæc gemma incalescat, paleam sibi attrahere noscitur: *Iste lapis calefactus paleas attrahit.* Jacobus à Divina charitate incalescens, quot infidelium animas ad fidē pertraxit? & in particulari quidem novem ex Hispania assumptos & adoptatos discipulos, deinde duos Magos Hermogenem scilicet & Philetā? Item Lupam Reginam quæ per miracula per S. Apostoli reliquias patrata, ad Christi fidem conversa, sumptuosū ei ex proprio palatio suo templum exstruxit. Aliam quoq; infelicis & miserabilis cujusdam animæ paleam è manibus Dæmonis & Inferni flammis sustulit & liberavit: *Cùm ad Infernum à Dæmonibus duceretur, B. Iacobus occurrit, & ipsam ab inferno & à Dæmonibus liberavit.* Volunt insuper Scriptores, quod Chalcedonius ad collum gestatus, activitatem habeat illuminandi mentem, ad superandas omnes difficultates, diabolicis quoque illusionibus resistendi & conservandi virtutem: *Perforatus & portatus facit vincere causas, resistit illusionibus Dæmonum, & virtutes conservat.* Ad cujusl bet Magistri officium spectet, ut doctrinam veram atque Catholicam in salutem animarum alios edoceat: modum quoque tradat superandi difficultates ab Hæreticis vel infidelibus contra fidem Christianam motas & excitatas, prout Jacobus fecit, qui falsas rationes & cavillosa Magorum argumenta dissolvit, illusionibus quoque Diabolicis intellectum Hermogenis & Philetæ obfuscantibus, ne verum Deum agnoscerent & adorarent, pro virili sua parte se opposuit, fidemque in iis qui infidelitate deposita ad Dominum se converterunt strenuè conservavit.

Petr. Berch. in Red. l. 10. c. 59.

Iac. de Vorag. ser. 1. de S. Iacobo. Et Vinc. Bell. in spec. Hist. l. 26. c. 38. Petr. Berch. ubi sup.

18. Ipsemet quoque sanctus Apostolus, qui Doctor & Magister gentium fuit, Sanctum Jacobum Magistrum suum recognoscere non est dedignatus, siquidem ad ipsum confugit ut Catholicæ fidei dogmata cum ipso conferret, quo fine Jerosolymis ipsum expresè convenit. Unde Chrysostomus affirmat, quod *Ivit Paulus Ierosolymam, ut conferret de dogmatibus suis cum Iacobo.* Magister itaque fuit doctrinæ ejusdem Apostoli, eam dilucidando, explicando, eamque liberando à cavillationibus multorum qui eandem à veritatis semita deviare quærebant. Cur enim S. Jacobum tantum in materia de operibus bonis (de quibus Epistola ejus est refertissima) scripsisse existimatis? Et quidem in hoc particulari sensu quod Fides sine operibus mortua est? utique hoc duntaxat motivo, ut nimirum mentem illuminaret eorum, qui solam fidem ad justificationem nostram sufficere credebant, S. Pauli doctrinæ inniti, dicentis: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem, Iacobus timens ne quis ex Paulo erraret, putaretque solam fidem justificare, scripsit suam Epistolā hoc fine, ut doceat opera requiri ad justificationem.*

D Chrys. t. 2. D. Aug. c. 4. de fide & operibus. Corn. à Lap. in c. 4. ad Ro.

19. Alii Jacobi Magisterium per aliam quandam similitudinem vel Analogiam expresserunt, faciendo ipsum Carbunculo similem, gemmæ nimirum pretiosissimæ quæ inveniri possit, quæque omnes alias in splendore suo excedit: *Dicitur carbunculus, quia videtur quasi carbo ignis non ardore, sed splendore, cujus fulgor est tantus, quod nec nocte vincitur, lucet enim in tenebris, adeò ut flammas ad oculos vibret.* Lusitaniæ Rex in more positum habebat, quod in die solemni *Corporis Domini* ad frontem equi sui suspendi curaret Carbunculum quendam lucidissimum, qui vias & plateas quas obibat lumine suo illustraret: *Præferebat in fronte equi Carbunculum tantum & tam fulgidum, ut plateam illustrare videretur.* Ehem quam aptè Apostolo nostro hæc gemma comperit, quando nimirum veluti Magister doctrinæ Evangelicæ gentilium & infidelium mentes illuminabat docendo, ut veritatem agnoscere, verumque Deum credere possent. *Ita inter Gentiles & Iudæos luxit Iacobus, omnes sua sapientia & sanctitate illuminavit.* Nolo hoc loco prætereire aliam quandam Carbunculi proprietatem? Dicit enim Plinius quod *aquis perfusus inardescit, & in aceto positus splendescit magis.* Jacobus in

Ioan à S. Gem l. 1. c. 12.

Idem ibid.

Plin. l. 37 c. 17. Ibid. l. 16. c. 13.

per-

persecutionum aquis in charitate magis magisque accendebatur. An non enim ardentis charitatis effectus fuit, quando ad Martyrium procedens, paralyticum sanitatem ab ipso deposcentem protinus sanavit? *Quem Apostolus invocato Christi nomine sanum effecit.* Josias qui eum tunc fune ex collo suspenso tenebat ligatum, viso prædicto miraculo, veniam ab eo postulavit: *Et ipse veniam dedit Iosiæ & osculum pacis etiam ipsi contulit.* Sicut etiam Carbunculus aceto impositus *splendescit magis*, ita quoque Jacobus in amaritudine mortis constitutus, dum sanguinem suum funderet, vitamque pro amore Christi prodigeret, tanquam magnus Magister omnes alios Martyrii tormenta patienter sustinere docuit. *Ita Iacobus in persecutionibus magis charitate Christi exarsit, ideoque primus inter Apostolos martyr occubuit.* Et tanquam Magister doctissimus (non minus quàm Julius Cæsar) duas nos lectiones edocuit, una qualiter per verbum Dei ferire, altera verò qualiter pro fide Christi mori debeamus: *Disce ferire, disce mori.*

Petr. de Natal.

Tho. de Trus. in vit. ejus.

Cornel. à Lap ubi sup.

20. Optarem scire causam ob quam inter omnes alios Apostolos ad solum Jacobum quartum fidei mysterium de passione & morte Christi Jesu prædicare spectarit: *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus est.* Mysterium sanguineum & cruentum martis & mortis, in quo omnis generis bellica instrumenta concurrerunt, nimirum gladii, clavi, spinæ, Cruces, Lanceæ? variæ quoque in militia usitatæ actiones militares acciderunt, nunc perfidiæ & proditiones, & militum, id est, Judæ defectiones, mox eorundem recuperationes, & de novo aliorum acquisitiones, latronis nimirum & centurionis, nunc insultus & invasiones nocturnæ, quales in horto videntur Gethsemani paulò post falsorum testimoniorum stratagemata & subdolæ inventiones, nunc præliantium turpes fugæ, qualis fuit illa meticulosorum discipulorum, de quibus dicitur: *Relicto eo omnes fugerunt:* Nunc cujusdam è primoribus rebelliones: *Mulier non novi illum.* Nunc Ducis Generalissimi captivitas: *At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.* Videntur quoque in hoc mysterio profunda & horrenda vulnera, sanguinis copiosæ effusiones, crudeles immanesque cædes. Ac proinde mysterium istud Martiale, non à Petro, aut à Joanne nec ab Andrea aut ab aliis, sed à solo Jacobo prædicatum est? quia *tractant fabrilia fabri*, & ut Poeta scribit:

Catech. f. 50. art 4

Matth. 26. 57. Luc. 22. 18. Marci 14. 46.

Navita de ventis, de Tauris narrat Arator
Enumerat miles vulnera, Pastor oves.

Ovidius.

Quia Petrus à Redemptore nostro creatus est Papa, & potestatem accepit exercendam in cælo & in terra, ideò hic Deum prædicavit tanquam creatorem cæli & terræ, dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.* Ad Andream pertinebat prædicare Filium Dei tanquam veracem Messiam nostra mortali carne amictum, quia fuit primus inter discipulos, qui ipsum tanquam talem recognovit, eique una cum Simone fratre suo obedientiam reddidit: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus*, & adduxit fratrem suum Simonem ad Jesum. Ac proinde ei soli conveniebat eum tanquam talem prædicare, dicendo: *Et in Iesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.* Joannes qui discipulus fuit amori totaliter deditus, aliud mysterium notificare non debebat, quàm mysterium amoris, quale est Incarnationis verbi, dicendo. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Jacobus denique de subjectis martialibus tractat, de armis scilicet, de vulnetibus, de sanguine, de conflictibus, de morte: dicendo: *Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus & sepultus.* Unde facilè conjicere possumus, ipsum Ducem bellicum strenuissimum fuisse, qui eadem die qua Generalissimus suus, id est, 25. Martii pro fide dimicando sanguinem suum fudit, & mortuus est. In hac autem passionem & mortem Christi prædicandi functione, egregium quoque Magistrum se esse probavit, siquidem per distinctiones congruas & terminos Philosophicos magnam omnibus dedit satisfactionem? Actionem assignando per Ly *passus*, Agens autem innuit dum ait: *Sub Pontio Pilato*: Qualitatem autem actionis indicat, cum dicit: *Crucifixus*, terminum quoque exprimit actionis, cum dicit: *Mortuus*, operis denique complementum asserit Ly *Sepultus*. ô Dux bellicosissimus! ô Magister Eximius atque doctissimus. Ex scriptura notum est quod mortuo Josue gens ejus supra sepulchrum illius Solis erexerit statuam, in magni illius miraculi memoriam, quo illum firmiter consistere fecerat. *Ad conservandam memoriam illius prodigii quo solem stiterat.* Hanc solis statuam appellabant *tamnat chares, id est imago solis.* Quantò igitur potiori jure glorioso Apostolo nostro, aurea quædam sculpenda est imago, in comparatione ad heroicas illas actiones, quas tum in qualitate inclyti

Ovidius. In symb. Apost. art. 1.

Ioan. 1. v. 41.

In symb. Apost. art. 2.

Ibid. art. 4

Ibid. art. 4.

Tho. de Trus. in fest. S. Iac. Apost.

ducis, tum in conditione Magni cujusdam Magistri laudabilissimè edidit? Sit autem statua ista hæc Cæsaris statuæ non multum dissimilis; quæ velut bellator ensem in dextera, in sinistra autem tanquam Magister sustinet librum, hæcque ei subnectatur Epigraphe: *In utroque Iacobus.* Sic enim prophetico correspondebit vaticinio, quo dicitur: *Ecce testem populi mei dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.*

SERMO VIGESIMUS PRIMUS IN FESTO S. ANNÆ.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu supergressa es universas.
Proverb. cap. 31.

1. TAmetsi major pars hominum cum integro necessitatis vel egestatis exercitu absque ullis indultis induciis conflictetur: fortuna tamen sæpè ut iis ad quos propendet prodiga manu felicitandis excedit, dum iisdem divitiarum quasi montes aggerit, gremiumque suum argento & auro plenissimum expandit: *Copia singulorum sunt, qui iis egeant, infinita multitudo,* inquit Romanæ facundiæ parens Tullius. Hæc fortuna Anneum Senecam summa quadam constante ex septem cum dimidio millionibus auri locupletavit, quàm ille summam possedit quidem, sed non æstimavit. Tanta itidem erat in Macedoniæ Regia auri abundantia, ut quadragesies mille equi illam ferre non sufficerent. Quam opulentus unicus tantum privatus in Ægypto fuerit, vel ex hoc facilè conjicere licet, quod suis alimentis pariter & stipendiis sustentaverit octoginta millia equitum exercitus Pompejani, atque ad mensam suam adhibuerit quotidie mille nobiles, idque tantò cum apparatu, ut cibi & potus aureis phialis & lancibus inferrentur, & pro quolibet ferculo aurea ista hæc suppellex renovaretur. Civis quidam Romanus, cui nomen erat P. Clodius, palatium quoddam sibi in habitationem comparavit centum quadraginta septem millibus Sestertiis, ex quo censu quoad divitiarum suarum reliquum facilè deduci poterit calculus. Pallas qui tandem libertus fuit Claudii Cæsaris confecerat cumulum ex septem cum dimidio millionibus auri, quibus ex ærario publico adjuncta fuerunt quadraginta aureorum millia. Rex Indiarum in Persida adeò dives erat, ut in sua Metropoli Pelimbrote pro omni nata belli occasione suis stipendiis quotidie sustinuerit sexcenta millia peditum & triginta millia equitum, ac demum octies mille Elephantibus alimenta submini strarit. Soldani Babyloniæ exercitus ab hoste suo dissipatus passus est stragem magnam, in qua quæ hosti in prædam cessere divitiæ, fuerunt incredibiles, amisit enim quadraginta millia curruum qui pleni erant armaturis, aureis passim laminis expolitis, quadragesies item mille hastas quarum cuspides ex puro puto auro fabricatæ fuere, scalæ, quas secum ferebant, erant ex solido, & fuso argento, nonnullæ etiam aureæ erant: *Fuerant in eodem exercitu scala prorsus aurea & argentea.* Candaces Æthiopum Regina in continuis stipendiis sustinebat quinquaginta armatorum millia, & quadragesies mille alios viros, in diversis exercitiis occupatos prout præsens Coronæ suæ postulabat necessitas. Ex splendore & opulentia munerum, quæ Plinius Junior, diversis passim distribuit, de divitiarum quas possidebat, quantitate facilis esse poterat conjectura. Dum enim Filia Quintiliani traderetur nuptui quinquaginta scutorum millia donavit sponsæ, & totidem sponso, cumque sibi in horum munerum valore nimium fuisse parcus videretur, munificum hoc donum, *Munusculum nuncupavit.* Romano cuidam juveni, qui nominabatur Firmus, trecenta scutorum millia assignavit. Calviniæ cognatæ suæ in augmentum

Cic. 2. offic. Cornel. Tacitus l. 13.

Franc. Picas l. 2. de Strygibus.

Plin. l. 33. c. 10.

Idem l. 36. c. 15.

Plin. Iun. epist. l. 8. ad Montanum.

S. Antonin p. 3. tit. 9. c. 8. §. 5.

Plin l. 6. c. 29.

Sim. Majol colloq. 25.

tum dotis suæ dedit centies mille scuta. Alia quadraginta millia Metilio Crispoui donavit. Pro studiosa juventute in literarum studiis sustentenda quinquagies mille anticipate assignavit, & trigesies mille scuta in annuũ censum collocavit, hinc igitur ducite, quoad reliquas, quas habebat divitias facilem calculum. Pithius Celenus, qui ab aliis Bittinus dicitur Dario Regi muneris loco obtulit Platanum & vitem quandam ex puro auro fabricatam. Idem quoque Xerxi Darii in Regno successori, prodigiosam divitiarum suarum amplitudinem ostendit, quãdo exercitum ejus quinque mensibus, tam quoad corporis alimoniam, quàm quoad stipendium sustentavit, cùm exercitus Xerxis ascenderit ad numerum septingentorum nonaginta octo millium militum, si unicuique militi stipendii loco singulis mensibus tria tantum dedisset scuta, sumptus Pithii summam inferebant duorum millionum per singulos menses, & per quinque menses decem milliones, & tamen post omnes hosce erogatos sumptus, quadraginta milliones in parata pecunia in ærario reliqui manebant: Quis unquam æstimare poterit divitias, quas Salomon in solo auro possedisse scribitur? Patet ejus David pro fabrica templi post se reliquit triginta milliones, quibus centum & octo milliones æris proprii adjunxit. In sepulchro Patris, *magnificentiæ tantum & pietatis argumento.* Collocari fecit mille milliones, & tamen adhuc in ærario Regio superfuerunt, rer mille centum & octo milliones? Imò Scriptura sacra dicit: *Fecit ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum.* Verùm enimverò quonam omnes hæ mundi hujus divitiæ abierunt? *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt.* Et ut sanctus Bernardus ait: *Quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt.* Porrò veræ divitiæ illæ duntaxat censendæ sunt, quæ ad spiritum pertinent, quæ nunquam amittuntur aut evanescunt, quæ possidentur in hac vita & patiter conservantur in altera, de quibus Salvator noster loquens dicebat: *Si verè divites esse cupitis, veras divitias amate?* dicat idipsum sanctus Bernardus: *Vera divitia inquit, non opes sunt, sed virtutes.* Et in his omnes Sanctæ Annæ divitiæ consistebant: In dotibus, prærogativis, dignitatibus, & divitiis spiritualibus, quæ à multis utriusque sexus sanctis participantur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias.* At verò S. Anna tanquã Beatissimæ Virginis Mariæ vera & naturalis Mater, & consequenter Avia Jesu Christi Filii Dei vivi & veri super cunctas alias privilegiata extitit. *Tu supergressa es universas.* Unde sancta Brigitta illam appellavit: *Omnipotentis Dei Gazophylacium, quia thesaurum super omnia sibi amabilem in suo utero recondebat.* De hujus itaque gloriosæ Matris excellentiis fusius dicemus, spero interim, quod quantũ ego sum facundiæ inops, tantumdem vos futuri estis quoad devotionem erga hanc sanctam divites & opulenti, ideoq; assiduas mihi aures daturi estis. Ordiamur

1. Filios qualitates, nobilitatem, & divitias parentum suorum hæreditare quotidiana nos docet experientia. Quantum ad qualitates, certissimum est quod *filii matrizant.* Unde Eutipides dicere solebat: *Nunquam ex malo Patre bonus filius.* Et Demosthenes affirmavit, quod communiter à Genitoribus dignis filii nascantur minimè dissimiles, adeò ut si nonnunquam contrarium accidat, id casuale accidens sit & infortunium. *A viris egregiis perinde quasi facio quodam id accidat, improbos proficisci filios.* Hic naturæ effectus etiam à Sancto Valentino Archiepiscopo observatus fuit, ideò dicit: *Filii imitantur parentes ut plurimum & parentes trãsfundunt in filios, non solum proprietates & passiones & agritudinis corporalis figuram, colorem, formam, motus, habitus, sed etiam passiones animorum, mores, ingenia, vitia, & virtutes &c.* Verùm enimverò quoad Sanctam Annam omninò cõtrarium accidit. Nam ipsa omnem dignitatem, prærogativas, & excellentias à filia & Nepote suo sibi vendicavit. Ob horum namque respectum Deus in ipsa accumulavit omnes gratias & divitias spirituales, quas imaginari nobis possumus ei convenientes. Unde Lanspergius inquit, *Quis inficiatur Annam multa gratiarum copia cumulatissimam factam à Deo Optimo Maximo, qui ipsam Vnigeniti sui Filii, ex filia ipsius carnem nostræ mortalitatis assumpturi, Aviam prædestinavit dulcissimam fore, ut quo Filius nata celsior, eo Genitricis Mater gratiarum multitudine & altitudine ditior nasceretur* Quod Anna Mariam peperterit, quæ veri DEI vera mater fuit, hoc inquam talem quandam in ipsa beatitudinem causavit, ut super omnes alias creaturas facta sit veneranda & privilegiata. Ita testatur S. Fulbertus, cùm ait: *Verè beata & omni veneratione habenda, & quodam privilegio sacro praditanda Mater, qua omnium antecessit matres in concipiendo & generando eam, qua suum & omnium generaret Creatorem.*

3. De hac gloriosa sancta videtur mihi locutus

Herod. l. 1. 7. cap. 4. *Sabell. l. 8.* *Budæus de Ass l. 5.* *Pineda de rebus Salom. li. 4. c. 1. n. 9.* *8. Reg. 10.* *Iac. 5. v. 3.* *D. Bern. serm. 4.* *D. Bern.* *Prov. 31* *Euriped.* *Demosth.* *S. Tho. de Villan. conc 3. de Nat. B. M. V.* *Lanspergius in festo S. Annæ.* *S. Fulbert ser. in ortu B. M. V.* *Eccles. 24. v. 19.*

tus fuisse Ecclesiasticus, quando illam terræ & horto Jerichuntino assimilavit, dicens : *Quasi plantatio Rosæ in Iericho.* Optatem etenim scire, quidnam in hac Rosa speciale fuerit, quod adeò præ cæteris celebretur. Fortè quia similis est iis, quæ (ut Poetæ fingunt) nascuntur ex sudore Latonæ, quæ mane candidæ appatent, meridiano tempore purpureæ, nocte autem in viriditatem quandam transeunt ? vel quia similis est iis, quæ ante peccatum nascebantur in terrestri Paradiso, quæ spinas non habebant ? de quibus S. Basilius scribit: *Verum Rosa tunc spinis carebat, postea verò pulchritudini floris adjuncta sunt spinæ.* Fortè etiam quia plus aliis pollebat virtute animalibus venenosis & immundis odoris sui fragrantia eripiendi vitam : *Affert rosa Scarabæis suo odore interitum* ? Aut quia teste Avicenna, *valet contra omnia vulnera calida, sive sint intrinsecus sive extrinsecus ?* vel etiam quia *ex hac conficitur oleum, roseumque vocatur, diversis morbis & multis utile causis.* Porrò Ecclesiasticum per hanc Rosam Mariam Virginem intellexisse, omnes Expositores concorditer affirmant, id que ob multas rationes, siquidem omnes Rosæ proprietates in B. V. Maria valdè sunt conspicuæ, nimirum quod sit *florum Regina, terra ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans, terræ visus* : Maria etenim est Angelorum Regina, ornamentum cælorum, decus hominum, justorum oculus, purpura Martyrum, Paradisi decor, & totius lætitia universi. Sicut Rosa, teste Hugone Cardinale, *Rubea est in colore & candida in natura* Ita Maria per puritatem est candida, & rubicunda per charitatem. Sicut Rosa suavem spirat odorem : *ita Beata virgo fama sua odore totam pigmentat Ecclesiam.* Rosa natura sua frigida est : *Et B. Virgo exemplo sua castitatis refrigerium præstat contra æstum libidinis.* Rosa inter spinas nascitur spinis tamen carens *B. Virgo de Iudæis incredulis non incredula.* Rosa in sinu suo aurea grana defert : *Et significant charitatem Virginis, quàm gessit in corde, in verbo, & in opere.*

S. Basil. ho. 5. in Hexam.

Sim Majol. col. 5.

Avicen. apud Vinc. Belluac in spec. nat.

Achill. Tatius l. 1. de Leuc. & Cliteph.

Hugo Cardinal. in c. 24. Eccles. siast.

Hugo ib.

4. Verum enimverò quænam est ratio quod Maria repræsentetur sub pulchra metaphora Rosæ, quæ in Jericho, non verò in alia Civitate, aut regione nascitur ? Respondent aliqui, id fieri quia Rosæ Jerichuntinæ similes sunt Rosis Chinensibus, quæ licet aridæ sint & siccæ, in nocte tamen natalis Domini nostri Jesu Christi fiunt virides & florent, expandendo sese haud secus ac si vernum tempus adesset : *In testimonium Virginei partus.* Harum una Romam allata fuit anno sancto 1625 in mense Decembri, quæ in nocte Natalis Domini, visa est florida, recens, & purpurascens. Nomen igitur Rosæ optimè convenit Mariæ, ejusque qualitates pulchertimè exprimit : *Quia cæteris floribus antecellit.* Rosa autem Hierichuntina, id est, in Jericho nata dicitur figurate & ad majorem sanctæ Annæ gloriam, Pro quo notandum est, terram Jericho ab aquis salsis irrigatam factam esse sterilem. Transeuntem autem Elisæum rogarunt incolæ, ut cùm terra optima sit, sed sterilis, is eam pristinæ bonitati restituere & fœcundam reddere dignaretur. Qui ut eos consolaretur, salem sibi adferri jussit, eumque intra fontis cujusdam aquas injecit dicens : *Sanavi aquas has, & non erit ultra sterilitas.* Unde ab illo tempore terra illa producebat Rosas excellentiores cæteris sive specie, sivè rubore, sivè odore. Ac proinde Ecclesiasticus inferre volebat : *Sicut plantatio Rosæ in Iericho* ? Græcus legit : *Plantæ rosarum*, id est, Beata Virgo orta est de terra sterili, qualis erat terra Hierichuntina significans sanctam Annam, ab hac namque non jam Sale Elisei, sed gratiæ cœlestis fœcundata nata est Rosa quædam virginea, fuitque Maria ejus filia. Advertendum autem est hoc loco, quod Rosæ odoriferæ Civitatem hanc Jericho nomine honorat nt, *Jericho* enim juxta interpretationem Ariæ Montani & Rabani Mauri, idem est quod locus odorum : *Iericho locus odoratus, seu florens interpretatur, forte hoc Rosarum genus loco nomen dedit* Vel ut alii affirmant : *Iericho apud Hebræos odorem notat : unde ab ea (id est Rosa) dicta videtur urbs Iericho.* Adeoque cum Jericho denominationem suam non dederit Rosis, sed potius econtra Jericho nomen suum sortita sit à Rosis, ideò Ecclesiasticus per hanc similitudinem : *Quasi plantatio Rosæ in Iericho* inferre volebat, Annam omnem suam dignitatem, nobilitatem, & excellentiam à pulcherrima sine pari rosa, id est, Maria Virgine filia sua, Magnique Dei Matre recepisse. Hanc fuisse credo mentem Rodulphi Agricolæ, quando elegans poema de ea cecinit :

Lap. in c. 14 Eccl. p. 1.

4. Reg. 2. v. 20.

Corn. à Lap ubi sup.

Ariai Mont. Rab. Maur.

Conspicuos præstant alios benefacta parentum
Tu contra Natæ nobilitate cares
Magna quidem meritisque tuis pietate fideque
Quis neget ? At nata hæc splendidiora facit.

Rodulph. Agric.

5. Ero-

Adrichom. in descriptione Terræ sanctæ in fonte Elisei. Et Saligna cus t. 9. cap. 6. ornel. à

5. Etenim Moyſes de Monte deſcendit, ut populum ſuum revideret, & præcepta à Deo ſibi data publicaret, ut ab eo obſervarentur? Sacer autem textus quandam magnæ ponderationis circumſtantiam adfert, dicens: *Cumque deſcendiſſet Moyſes de Monte Sinai, tenebat duas tabulas Teſtimonii, & ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Quænam eſt hæc tam prodigioſa vultus Moſaici immutatio? priuſquam aſcenderet montem: *Non erat cornuta facies ſua* Poſtquam vero cum Deo locutus fuiſſet, redeundo ad populum ſuum, cornutam faciem referebat. Scire percupetem, qualenam fuerit hoc ornamentum, quod Moyſes in facie gerebat. Abulenſis dicit? *Procedebant radii magni fulgoris*, qui adeo reſplendeſcebant? *ut non poſſent Filii Iſrael intendere in faciem Moyſis propter gloriam vultus ejus.* Idemmet & à Lyrano & Hugone Cardinali confirmatur, dicentibus: *Radii miri fulgoris ferebantur de facie ejus, quia reverberabant oculos intuentium, quos Apoſtolus appellat gloriam vultus Moyſi* At vero quales erant hi radii, qui adeo luminoſi in vultu Moyſis reſplendebant? Iſidorus gloriæ radios fuiſſe affirmat: *Deſcendente Moyſe cum tabulis facies ejus glorificatior videbatur.* Unde facies ejus cum tanto luminis exceſſu relucebat, ut ipſiſſimus Solis planeta eſſe videretur: *Quaſi Sol radiantiſſimus Moyſi ſuam gloriam, id eſt, radios ſuæ lucis efflavit, adeo fulgidos, ut Hebræi in faciem Moyſi quaſi in alterum ſolem intueri non poſſent.* Ecce igitur qualiter Moyſes de Monte revertens à Deo impetrarit, ut in vultu ſuo gloriæ radii reſplendeant Deſidero igitur, O Auditores, cauſam effectus altius inveſtigare, ſiquidem in bona Philoſophia, effectus non datur, qui originem ſuam non habeat à cauſa ſua determinata. Verum quidem eſt, quod ſacer textus hanc ſolum cauſam aſſignet quod ſcilicet cum Deo locutus fuerit: *Ex conſortio ſermonis Dei.* Verum ratio iſta mihi non totaliter ſatisfacit, Moyſes enim alias ſæpius cum Deo locutus eſt, nec tamen ſubſecuti ſunt ſimiles effectus. Sanctus Methodius effectum iſtum non adſcribit ſimpliciter habito cum Deo colloquio, ſed potius materiæ ſubjectæ, de qua cum Deo loquebatur, quæ attinebat Mariam Virginem quæ veracis Meſſiæ futura erat Mater: *Moyſes ille magnus, propter figuras intellectu difficiles, quæ te Virgo tangebant, diutius in monte commoratus eſt: Vt ignota de te* (O caſta) *Sacramenta edoceretur.* Quod ſi igitur in vultu Moyſis glorioſi ob-

Exod. 34. v. 29.

Lyran. & Hugo Card. ib. fol. 99. col. 4.

D. Method. hor. de Pu. f. in

orti ſunt radii, ex eo duntaxat capite, quod de Maria locutus eſſet, quam nunquam vidit, nec viſurus erat, Quales igitur in Sancta Anna redundare & reſplēdere gloriæ debebant, quæ vera ejus Genitrix fuit, quæ novem menſium ſpatio eandem in ſinu ſuo portavit, millies inter brachia ſua ipſam ſtrinxit, proprio lacte ſuo eam aluit, quavis hora cum ea loquuta fuit, & quovis momento eam aſpexit? Nec lingua id ſufficienter exprimere, nec calamus recenſere valet, quod inde per bonam poteſt conſequentiam inferri. Vos ipſi argumentum à fortiori formate, & dicite: *Superno lumine facies Moyſis fuit perfuſa, quia Mariam cogitaverat, de Maria loquentem audierat: Splenduit facies Moyſis à longe Virginem ſpectans? Et non ſplenduiſſet Genitorum Virginis anima inſignium virtutum decore ipſiſſimam Virginem proxime intuentes, amplectentes, oſculantes?*

Bibl. PP. t. 3.

Aloyſ. Novar. in umb. virg. l. 4.

6. Decreverat David Rex Arcam Dei è domo Obededom, ubi tribus menſibus commorata fuerat in locum decentiorem dignioremque nimirum in Civitatem ſuam Syon transferre, hocque fine Iſraëliticæ nobilitatis florem, quem præſentem eſſe voluit, congregavit. Cantores & tubicines per muſicalium concentuum harmoniam per aera reſonabant, omniſque populus præ nimia lætitia jubilabat, & exſiliebat: *David & omnis domus Iſrael ducebant Arcam Teſtamenti Domini in jubilo, & in clangore buccinæ.* Et quales eo tempore Davidem functiones in hac ſacra Cæremonia obiiſſe exiſtimatis? Reſpondebitis utique ipſum magna cum Majeſtate proceſſiſſe præcedente eum Ephœbo quodam ſceptrum ejus portante, & alio ſimili deferente regium ejus diadema? ipſum autem regio fuiſſe paludamento indutum, ejuſque extremitatem per quendam magnatum ſuorum de terra fuiſſe ſublevatam. Cinctum quoque fuiſſe perilluſtri primatum ſuorum caterva interque eos Davidem pedetentim cum ea gravitate, quæ regiam ejus coronam decebat haud procul ab arca proceſſiſſe. Fatendum eſt quidem hunc verum fuiſſe modum, quo David procedere debuiſſet, ſi Majeſtati & dignitati perſonæ correſpondere voluiſſet: at vero Scriptura illum omnino contrarium feciſſe affirmat, ſcilicet quod depoſita majeſtate, & poſthabito reverentiæ & dignitatis ſuæ decoro per plateas exſilieret & ſaltaverit, haud ſecus ac ſi nullos nunquam modeſtiæ terminos didiciſſet: *David ſaltabat totis viribus ante Dominū*, adeo ut

2. Reg. 6. v. 15.

Ib. v. 14.

Michol uxor sua stans ex opposito ad quandam palatii regii fenestram, similesque Regis exorbitantias videns, valde inde turbata fuerit, ac proinde *despexerit eum in corde suo*, domumque reversum Regem aspere reprehenderit, per contemptum & ironiam eidem dicens: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, id est, quam ignominiosus.* Certe nisi huic rei latens aliquod subesset mysterium, condescenderem regiæ Conjugi, illamque ex mille titulis bene fecisse crederem. Verum, O Auditores, state attenti ad Davidis Regis rationes, certus enim sum quod iis auditis & benè pensitatis Davidi Regi tanquam Principi valde prudenti sitis acclamaturi. Porro omnes sacri Scriptores in hoc conveniunt, quod Arca Dei Beatissimam Virginem Mariam figurarit: Et quidem alios inter sanctus Ambrosius, qui dicit: *Arcam quid nisi sanctam Mariam dixerimus.* Et Ludolphus Carthusianus: *Maria est per Arcam Testamenti præfigurata.* Id quod David Prophera etiam cognoscebat? imo quod plus est, eam è stirpe sua nascituram prævidebat, quod ipse post multa & multa sæcula, & post longam quandam generationum seriem ejus parens futurus esset? atque ideo hocce punctum considerando, tantus in ejus corde surrexit jubilus atque lætitia, ut se Regem esse oblitus, pluris hanc æstimarit parentelam, quam sceptrum, diadema, omnesque alias divitias regias: *Saltabat totis viribus, ex gaudio devotionis*, inquit Doctor Angelicus, quasi diceret: Ehem quale regnum! quanta Majestas! quam excellens dignitas, quantæ divitiæ in hac parentela latent. Majoris æstimo, quod futurus sim Pater hujus Mariæ in hac Arca figuratæ, quam universos alios mundi hujus honores. Alii proinde omnia fortunæ bona sibi vendicent, ego in summo felicitatis culmine constitutum me esse censebo ex hoc quod magnæ Dei Matris ex Dei ordinatione futurus sim parens. O quantum gaudium! quam inexplicabilis jubilus, ac proinde extra me totaliter rapior. *Elatus enim gaudio in saltationem erupit: prævidebat enim in Spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam?* inquit magnus Ecclesiæ Doctor Sanctus Ambrosius. Ex hoc autem Davidis Regis antecedente, ad spirituales sanctæ Annæ divitias facilis deducitur consequentia, id est, facile colligi possunt prorogativæ & dignitates, ex hoc quod non à *longe, & post multas generationes*, sed immediate Magnæ Dei Matris Mariæ mater fuerit, originatæ. Quænam divitiæ, quæ dotes, aut excellentiæ dignitati suæ poterunt comparari? *Ipsa supergressa est universas.*

D. Amb. serm. 25. Ludolph. Carth. 1. p. c. 12. C.

D. Th. in 4. dist. 16. q. 94. a. 2. apud Mich. Solon. de Iustit. & jure t. 1. q. 3. a. 6.

D. Amb. ubi supra.

7. Porrò circa ejusdem Regis personam & actiones aliam quandam considerationem instituamus? Hic etenim licet Deo gratus esset, homo tamen erat, & tanquam homo peccare poterat, siquidem *Nullus sine crimine vivit?* Imo tanquam homo reapse effective peccavit. Primo quidem quando *vidit mulierem se lavantem, erat autem mulier pulchra valde.* Ex aspectu autem mulieris istius quid subsecutum est? *Missis itaque David nunciis tulit eam.* Quid vero deinceps factum fuerit, in Sacra Scriptura legit poterit. Secundo ut ei quod acciderat, ne in deterius abiret, congruum adferret remedium, alium quendam commisit errorem non minoris gravitatis & enormitatis, dum scilicet Generali Campi Magistro sive Duci Joabo literas scripsit tenoris sequentis: *Ponite Uriam ex adverso belli, ut percussus intereat*, id quod etiam executioni punctualissime demandatum fuit, ut proinde innocens Urias sine culpa condemnatus fuerit ad mortem, *Et mortuus est Urias Hethæus.* Qua ex re Deus indignatus facinus illud impune dissimulare noluit: sed Nathan Prophetam ut eum graviter reprehenderet, erroriseque commissi gravitatem ob oculos poneret, ad eum misit, qui tardè, & ut dici solet, plumbeo pede incedens, parabola quadam, singulari cum dexteritate usus, eousque Davidem perduxit, ut errorem suum agnoscens, suamque culpam proprio ore confitens, remissionem peccatorum suorum à Deo impetrarit. Ut tamen eum magis & vehementius confunderet, omnia à divina benignitate collata efficaciter exprobravit, dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in Regem super Israel, & ego eripui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo, dedique domum Israel, & domum Iuda.* Paulo post vero subjungit: *Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora.* Verum O Nathan offerendo & promittendo, cave necontra regulam illam pecces, qua dicitur: *Ne quid nimis.* Dic enim sodes O Nathan, Nunquid David Rex est? Regem esse, dignitatem insinuat adeo sublimem, ut divinum aliquid participet. Quid igitur Deus Davidi majus regia dignitate dare potuit? Certum etenim est, quod David sceptrum & diadema non repererit in cunis infantiæ suæ, neque Regni investituram deprehenderit in fasciis, sed DEUS solus est, qui

2 Reg. 11. v. 4.

Ib. v. 15.

Ib. v. 18.

1. Reg. 12. v. 7.

Ibid. v. 8.

qui hanc præeminentiam ei donavit. Tunc igitur illam velut ordinariam quandam & mediocris considerationis gratiam fuisse existimabis?

Abul. lib. 5. 4. *Et si parva sunt ista? Quomodo parva?* Interrogat Abulensis: *Nam Deus dederat David magna munera, cum tulerit eum de pascuo, & fecerit Regem, dederitque ei nomen, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Si judicasset ista esse parva, ipse esset superbus & ingratus: Ideo Deus nihil ei dare deberet, sed potius aufferre quæ dederat.* Nathan profecto melius dicere non poterat, jam enim DEUS absolute disposuerat, favorem quendam ei exhibere, qui omnes alios excederet, sicut Sol omnibus stellis præeminet, nimirum excellentiam omnium maximam, divitias opulentissimas, culmen aliquod Corona & sceptro suo longe dignius & eminentius, denique ipsomet Regno majorem sublimioremque honorem: *Adjiciet tibi multo majora*, id est Messiam verum ex stirpe sua nasciturum & descensurum: *Nasciturum ex te Messiam* O Anna mater glorioſissima, quantus est favor ille, qui tibi de manu magni Dei obtigit, præ illo quem David obtinuit, longe excellentior. Huic namque datæ fuere promissiones, tibi vero fuit concessa promissionum factarum executio. Hic Regnum habuit & Coronam, in sanctam Annam autem major redundat excellentia ex quo quod Mater sit Mariæ, & Avia Messiæ filii magni Dei Atque ideo incomparabiliter major est duplicata hæc sanctæ Annæ dignitas, quam omnes alii Davidi exhibiti favores, tametsi hi sint vere innumeri: *Credendum plane est hanc beatissimam, quæ mater extitit matris Domini & Christi*

Thom. Trus. in vita ejus *avia, amplissimis beneficiis, gratiis, & privilegiis divinis fuisse exornatam & insignitam, cum fuerit superno fonti videlicet Christo tantopere conjunctissima.*

8. Fidelissimus Abrahæ Patriarchæ servus Eliezer, ut verbis Abrahæ Domino suo per juramentum firmatis fidem faceret, Mesopotamiam versus se recepit, ut mulierem quandam omnibus imaginabilibus perfectionibus præditam Domino suo Isaac eligeret, quæ pro voto Abrahæ sponsæ ejus esset. Dumque ea quæ promiserat executurus discederet, inquit sacer textus:

Gen. 24. v. 10. *Abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum?* & versus Civitatem Nachor contendit. Nescio quæ non curiositas me hoc loco existimulet, ut resciam quid boni, pulchri, aut pretiosi Eliezer secum attulerit ad honorandam muneribus Domini sui sponsam, omninò enim existimo dona hæc neq-

quaquam vulgaria fuisse sed valde eximia, pretiosa & opulenta, eo vel maxime quod Abraham opulentissimus esset, ipseque Eliezer secum attulisse dicatur *de omnibus bonis* Nonnulli existimant ipsum attulisse annulos, monilia aurea, gemmas pretiosas, margaritas vestesque superbissimas, aliaque ad sponsalitia spectantia ornamenta, mundumque muliebrem opulentissimum. Abulensis veto Hebræorum quorundam opinionem adducit, qui dicunt eum chartam quandam præsentasse cui inscripta erat donatio omnium bonorum, tam stabilium quam mobilium, quæ Abraham filio suo Isaac donare statuerat, quorum omnium sponsa sua futura esset moderatrix & Domina: *Dicunt Hebræi, quod portabat Eliezer unam chartam, in qua confitebatur Abraham donare omnia bona sua tam mobilia quam immobilia filio suo Isac, & portans illam chartam æquivalenter portabat omnia bona.* Docti quidam Rabini affirmant in illa charta contentum fuisse donum quoddam sponsæ offerendum longe excellentius & pretiosus omnibus donis antea dictis, illi namque chartæ inscriptum erat *spes de futuro Messia*, quasi Abraham servo suo dixisset, quod si in Mesopotamia de possessionibus, de censibus, de divitiis, denique de sponso filio meo interrogatus fueris, respondebis maximam quam sperare & optare possint opulentiam, maximaque divitias in hac charta contineri: *Responde me pro omnibus divitiis unam habere spem, spem de futuro Messia: hac una spe meus alitur animus, hac una vivit.* Hanc solam spem, scilicet Messiam ex stirpis suæ linea nasciturum omnibus divitiis suis potiorem æstimabat. Unica hæc spes Abraham feliciorem reddebat, quam omnes ejus divitiæ. Nunc igitur considerate, quod si Abraham fuisset Pater, & Sara vel Rebecca Mater Mariæ, prouti fuerunt Joachim & Anna: aut si Messias fuisset proximus eorum nepos, prout istorum erat, si Jesum & Mariam vidissent, si cum ambobus locuti & conversati fuissent, si illos sustinuissent & portassent, atque strinxissent in brachiis suis, si cælitus ipsis permissum fuisset illos amplexari & amplexati, prouti de Genitoribus Mariæ, ad minus saltem de S. Anna credere possumus, hanc utique gratiam pluris æstimassent, quam omnes mundi divitias atque thesauros. Unde quando hi S. Genitores Mariam filiam suam, & Anna Jesum Dei filium neporem suum in brachiis tenebant (affirmant enim nonnulli, *Quod mortua fuerit B Anna postquam vidit Christum natum* Et quod *Filium Dei ex filia sua incarnatum agnoscere, ampleti, atque*

Apud Franc. Mendoza in virid. l. 1. pervigil. Nat. Dom.

Th. de Trus. in vit B. Anna.

atque adorare meruit, uterque illorum ex majori cordis abundantia dicere poterat : *Hac una ſpe noſter alitur animus, hac una vivimus.*

9. Iſaias Propheta triſte nuntium attulit Ezechiæ Regi Iſraelis, ſcilicet Deum ejus vitæ ultimum terminum brevi adfuturum determinaſſe, eumque proinde monuit, ut cunctis rebus ſuis mature ordinandis proſpiceret, eo quod brevi moriturus eſſet : *Diſpone domui tuæ, quia morieris & non vives.* Et quidem tametſi indiſpoſitio ſive infirmitas Regis iſtius gravis eſſet, nihilominus quia infirmi bene ſemper ſperare conſueverunt, ad hujus ſpei anchoram ſuorum quoque deſideriorum naviculam alligatam habebat, futurum confidens, ut cuncta corporis mala ad portum ſalutis brevi exonerare poſſet, veruntamen quia Iſaias infauſtus ei erat horoſcopus, qui naufragium ei certum comminabatur, ideo tantum in corde ſuo dolorem ſenſit, ut in amariſſimum fuerit planctum reſolutus, adeo ut nemo inveniretur, qui conſolari eum poſſet. *Et flevit Ezechias fletu magno.* Itane? Rex igitur, qui animo ſemper generoſo & intrepido eſſe debet, adeo ſe ignavum oſtendit & puſillanimem? Sanctus quoque Hieronymus hunc Ezechiæ fletum valde miratur, dicens: *Certe juſtus erat Ezechias, & corde perfecto, iturus erat ad Dominum, plorare non debuit.* Porrò multi fletui hujus Regis compatiuntur, ejus hanc cauſam aſſignantes quod ſcilicet cœlebs moreretur, nec filium haberet, cui Regnum relinqueret atque Coronam. Ita Hugo Cardinalis : *Quia uxorem duxit, nec filios procreavit.* Alii ideo ipſum de immminente ſibi morte triſtatum fuiſſe dicunt, quia ſciebat inimicos ſuos ex morte ſua exhilarandos & gaviſuros eſſe : *Cogitabat ut morte ſua hoſtes ſui lætarentur, & dicerent, ob eam cauſam illum è vita deceſſiſſe, quia abſtulit de medio idolorum aras, & ejus mortem pœnam ſacrilegii falſo interpretarentur.* Alii ideo ipſum fleviſſe dicunt, quia juvenis erat, in ætate 30. Annotum conſtitutus, eſt enim mors longe ingratior juvenibus quam ſenibus. *Quia juvenis erat triginta annorum : juvenibus autem mors eſt acerbior.* Verior tamen opinio, in quam major Expoſitorum pars concurrit, eſt, quod fleverit, eo quod per mortem ſuam filium & lineam generationis ſuæ detruncari videret, adeoque promiſſionem Davidi de naſcituro ex ſemine ejus Meſſia factam, in ſe deficere, ſeque proinde à tam nobili, digna, & illuſtri parentela excludendum eſſe. Dicat hic aliquis, Ergone poſſibile eſt quod res illa tantam animo ejus cauſare potuerit moleſtiam & oculis planctum? Potius vitæ ſuæ, Coronæ regiæ, & Majeſtatis ſuæ jacturam deflere. Veruntamen hæc omnia nihili prorſus fecit in comparatione ad Mariæ & Meſſiæ conſanguinitatem & parentelam : *Flevit* (inquit Gloſſa ordinaria) *quia moriebatur ſine filiis, & promiſſionem patribus ſuis factam timebat perituram.* Et Euſebius ſubjungit : *Iure lugebat à ſerie Nativitatis Chriſti ex ſemine David futura, ſuam poſteritatem excluſam dolebat.* Unde colligitur quod Majoris Mariæ & Meſſiæ æſtimarit parentelam, quam Coronam, divitias, Regnum, & vitam. O igitur Anna Mater glorioſa, quis te nobilior, quis ditior eſſe poterit, quæ vera & naturalis Mater fuiſti talis filiæ, quæ vera Dei Mater extitit? Tua dignitas cum Coronis, ſceptris, divitiis, Regnis, & theſauris comparata, idem mihi eſſe videtur, ac ſi aurum plumbo compararetur. Tu Mater fuiſti mulieris illius, quæ in prærogativis & perfectionibus nullam ſibi in toto mundo ſimilem agnoſcit? ipſumque Deum incarnatum habuiſti nepotem. Quid inſuper dici poteſt? quid poteſt ultro deſiderari? *Tu ſupergreſſa es univerſas.*

Iſa. 38. v. 2.

Ibid. v. 4.

D. Hier. l. 2. adv. Pelag.

Euſebius ep. Balth. Paez in cant. Ezech. textu 2.

10. In ſacra Geneſi perſpicue habemus, quod Enos filius Seth primus fuerit, qui ut proteceptis beneficiis gratias ageret, Dei nomen invocare cœpit : *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Litera Hebræa legit : *Speravit invocare nomen Domini.* Euſebius Emiſſenus in Catena, Lipomannus & ſanctus Cyrillus Alexandrinus dicunt quod ſperaverit invocare. *Sed ſperavit & obtinuit.* Quidnam? *Vocari Deus.* Dei nomine & Divinitatis titulo honorari. Verum enimverò quidnam præſtitit, ut ſe dignitate adeo magnum redderet? Cur auguſtus hic titulus Divinitatis non potius Abelo conceſſus fuit, qui ejuſdem & forte majoris ſanctitatis fuit quam Enos erat? nam ab ipſomet Dei Filio vocatus eſt per antonomaſiam juſtus : *Abel juſtus.* Quodnam eſt igitur motivum illud quod in Enos præ reliquis inventum eſt, quod illum tanto honore præ Abelo digniorem reddidit? Etenim pro hujuſce difficultatis intelligentia inveſtiganda mihi videtur ratio, cur inter tot Regum coronas ad Chriſti Genealogiam ſpectantium, etiam connumeratæ ſint quatuor mulieres infames & peccatrices, à ſanctitatis flore proinde multum alienæ, nimirum Thamar *fornicatrix*, *Raab meretrix*, Ruth *Idololatra Moabita*, & Berſabea *adultera*. Unde ſanctus Hieronymus

Gen. 4. v. 26.

D. Cyrill. Alexand. l. 1. Euſeb. Emiſſ. in cat. Lip.

Matt. 23. v. 35.

hanc

haud immerito admiratur, quod quævis mulier honorata & bonæ famæ à Christi Genealogia sit exclusa, ibidemque hæ quatuor prædictæ solum locum habeant, quæ verecundiæ larvam in vultu suo ob commissa crimina portant: *Notandum in Genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit.* Respondent Expositores, quod tametsi hæ mulieres à tot illustrium & coronatorum capitum numero meritò excludi debuissent, nihilominus dignæ existimatæ fuerint quæ in eorum numero admitterentur, propter merita filiorum suorum, qui in omni virtutum genere fuerint eximii, omnibusque dotibus instructi, qui hominem aliquem illustrem valdeque conspicuum reddere possent: *Inter regales Christi Domini progenitores, prætermissis sanctissimis regalissimisque fœminis distinctè scribuntur, Thamar fornicatrix, Rachab meretrix, Ruth idololatra, Bethsabea adultera.* Audite rationem, quæ protinus subjungitur: *In quo explicatur quantum ornentur parentes ex filiis.* Tantam dignitatem per filiorum merita sunt assecuti.

D. Hier. in Cat.

Did. de Baeza t. 2. in Evang. l. 14. c. 2 §. 12.

11. Ecce igitur tibi nunc viam apertam per quam pertingere possis ad difficultatis istius intelligentiam, cur scilicet Enos potius quam Abel attribuatur titulus & honorificentia Divinitatis: *Speravit, imo obtinuit vocari Deus.* Abel etenim quia à Cain fratre suo in flore annorum suorum occisus fuit, nec conjugem habuit, nec liberos, Enos autem omnino contrarium accidit, is enim filios genuit tam præclaris qualitatibus imbutos & conspicuos, adeoque in virtutibus eximios, ut filii Dei dici meruerint: *Videntes filii Dei filias hominum, quod esset pulchræ &c.* Ideo propter respectum filiorum, Pater Enos, à quo descendunt, Divinitatis denominatione honorari meruit: *Obtinuit vocari Deus.* Atque hinc est quod supradictus scriptor propter istud punctum optime consideratum dixerit: (Filios genuit tanta virtute conspicuos, tot facinoribus religiosis claros, ut dum ipsi habentur filii Dei, patrem suum fecerint acclamari. Quippe quando Enos tot divinorum filiorum Pater effectus est: Quasi natura ipsa videtur esse divinus.) Quod si ratio hujus scripturæ efficax est, & valet, quales itaque erunt divitiæ spirituales Annæ, quales dotes & prærogativæ, quæ in ipsam ex eo redundant, quod mater fuerit filiæ talis, quæ maxima & augustissima est, quam hactenus unquam habuit, aut deinceps habiturus est mundus, quodque Dei Opt. Max. unigenitum Filium ex eadem filia verum habuerit Nepotem. Quod si Enos Divinitatem obtinuit, si illi attributa est excellentia maxima Divinitatis, eadem utique ob eandem rationem sanctæ Annæ debebitur. Et si sapiens in Proverbiis Matri dicit, quod si filios suos bene & honestè educaverit, iidem futuri sint delitiæ animæ suæ: *Erudi filium tuum & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ* vel ut Septuaginta legunt: *dabit ornatum animæ tuæ.* Quænam mater unquam vel uspiam reperiri poterit, majoribus prærogativis dotibus, & excellentiis locupletata quam sancta Anna? *Ipsa supergressa est universas.*

Gen. 6. v. 2.

Idem ubi supr.

Prov. 29. Septuaginta.

12. Certissimum est apud Philosophos quod omnes Possessiones, facultates, vel scientiæ nobilitatem suam accipiant à dignitate objecti quod respiciunt, quod vocatur: *Circa quod*, quia inter se dicunt relationem. Ac proinde sacra Theologia inter omnes scientias, tam practicas, quam speculativas est nobilissima? Estque doctrina Sancti Thomæ dicentis: *Secundum* dignitatem materiæ Theologia est dignior, quia est principaliter de iis, quæ sua altitudine rationem transcendunt, & Deum pro objecto suo habet: Deus est objectum hujus scientiæ. Quo nullum inveniri potest ens perfectius. Et consequenter inveniri non poterit scientia Theologia nobilior. Et quis est qui nesciat digniorem semper professionem æstimandam esse, quæ exercetur circa aurum & gemmas, præ quavis alia quæ circa ferrum & terram exercetur. Quod confirmari potest per argumentum ab eminentia dignitatis sacerdotalis desumptum. Hæc enim inter omnes dignitates Ecclesiasticas sublimissima est, & ut nonnulli Theologi scribunt, adeo magna, ut *Divina virtute nec esse possit, nec fingi nobilior, quia in Eucharistia peragitur Christi corpus.* Id autem verum esse vel exinde patet quod Papa tametsi Papa sit, attamen in quantum Sacerdos non est plus Sacerdos, quam quivis alius Sacerdos Catholicus: *Nec perfectius reperitur aliquid in sacrificio Papæ, quam alterius Sacerdotis, quia in sacrificio Sacerdotis alicujus simplicis tantum continetur de corpore Redemptoris sub specie panis, & de sanguine sub specie vini, quantum in sacrificio Papæ.* Unde tametsi Deus facere possit nobiliores Angelos, cœlos, homines, & animalia, veruntamen an nobiliores facere possit Sacerdotes ignoro? siquidem Sacerdos ordinem quendam dicit & relationem ad sacrificium quoddam, quo nullum dignius esse potest, siquidem in Deo incarnato pariter & sacramentato consistit. *Sic nec divina virtute esse non*

D. Th. 1. p. q. 1. a. 5. in corp.

Idem ib.

Joan. Bapt. Poza l. 12. tract. 10. c. 2. in Elucidario Deip.

Idem ib.

potest

potest nobilius sacrificium, nec fingi poterit nobilius sacerdotium: Sacrificium & sacerdotium sunt relativa, ergo quò sublimior est dignitas sacrificii, eò major est dignitas sacerdotii. Agedum igitur, O Auditores, Dicite sodes quodnam erat objectum *circa quod*, in quod scilicet affectus & cogitationes sanctæ Annæ dirigebantur? Dilecta filia sua Maria. Qualis erat Maternitatis suæ terminus correlativus? Maria ejus amantissima filia? Num forte huic unquam in sanctitate & dignitate inventa est similis? Minime gentium, quia *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem* Ab hoc igitur objecto ipsa dignificata est. Hic ejus conterminus, magnam & ineffabilem ejus arguit nobilitatem: Maria est Aurifodina, ex qua sancta Anna divitiarum suarum eruit aurum: *Annæ dignitas eousque crevit, ut nulla queat esse major de potentia Dei si in creaturam nudam ordinetur. Filiam enim conspicit, qua nulla illustrior, melior, & nobilior esse potest considerata Deipara Majestate.*

13. Verum enimvero facile hic replicare quis posset, quod cum conterminus sacerdotii sit sacrificium, objectum autem *circa quod* Christus sacramentatus: Conterminus autem Maternitatis sanctæ Annæ sit filiatio Mariæ, bene inde sequi videatur, quod major sit sacerdotii dignitas, quam Maternitatis S. Annæ. Sed nolo minutulas hasce ingredi difficultates, sed veritatem ejus suo loco discutiendam relinquo, hoc tamen confidenter dixero, quod cum sacerdotes reperiantur sine numero, unica autem sit Mariæ Mater, majori in pretio habeatur suo sensu sancta Anna, quam Sacerdos Christianus: Nam *pretiosa quæ rara, pretiosissima quæ singularia & unica.* Gemma illa majori in pretio habetur, quæ nullam sibi similem habet. Etenim quod si in mundo tot reperirentur Phœnices, quot Aquilæ, totidemque Aquilæ quot Phœnices, utique Aquilæ Phœnices longe antecellerent. At vero quia unica tantum & sola Phœnix est, Aquilæ autem multæ sunt, ideo Aquilæ non sunt in tanta æstimatione, in quanta Phœnices Sacerdotum totus est plenus Christianissimus, Matres autem Mariæ, non sunt inventæ; nec possunt inveniri plures præterquam unica, unde eadem circa hanc quæ circa Phœnicem recurrit ratio: *Quia rarissima est, & Phœnicis instar singularis, & una.* In ipsa veluti brevi epitome compendiatæ sunt omnes spirituales divitiæ, omnia gratiarum dona. *Ipsa supergressa est universas.* At vero quonam medio adeo eximium favorem obtinuit, ut scilicet post tot sterilitatis annos filiam quandam pareret, quæ tantam ei conferret excellentiam. Mediantibus orationibus & Eleemosynis, quas una cum sancto Joachimo consorte suo faciebat. Ut per hoc nos doceret, quod similia adhibere media debeamus, si quod desideramus, à Deo obtinere velimus. Quare idipsum moniti & exempli loco in cunctis casibus obvijs deserviat.

PARS SECUNDA.

14. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu supergressa.* Tales ac tantæ sunt Sanctæ Annæ spirituales divitiæ, ut in præscripti temporis brevitate exprimi nequeant, imo quo plus celebrantur, tanto plus de ea dicendum ac celebrandum restat. Unde occasionem capto vehementer admirandi, quod nec in sacra Scriptura, nec in sacris Evangelistis ulla ejus fiat mentio, cum tamen ab iisdem de tot aliis personis tractetur, tam viris quam mulieribus, quæ longe minoris sint conditionis & sanctitatis. *Clavus clavum trudet*, id est, per aliam quandam difficultatem motam dignam habere poterimus hujusce difficultatis resolutionem. Etenim sanctus Matthæus quando prima vice de Beata Virgine Maria meminit, illam levi valde brachio & obiter quasi ac perfunctorie tangere videtur, solum dicendo: *Matt. c. 1.* *Iacob autem genuit Ioseph, Virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Cur obsecro de Beata Virgine non recenset gratiæ suæ excessus, excellentiam sanctitatis, virginitatis candorem, radios gloriæ, & incomparabiles splendores virtutis? Fortene per prærogativarum ejus multiplicitatem aliquam in memoria passus est confusionem. Antonidus pictor famosissimus in tela quadam, ingeniose & cum insigni magisterii sui specimine cœlum depinxit, ita tamen, ut in eo nec zona Zodiaci, nec Stellæ, nec Planetæ, nec Luna, nec aliud quodvis ornamentum appareret, sed solum in eo pulchram delineavit Solis sphæram? Causam autem ejus ab Euphranore interrogatus, prudenter respondit, æstimare se effigiato Sole, qui maximum cælo adfert ornamentum, superfluam esse quamvis aliam adjectam pulchritudinem, imo in tam nobilis planetæ conspectu, atque præsentia omnino obscurandam esse. Equidem Beatissimam Mariam Virginem cœlum quoddam esse, Sanctus Joannes Damascenus perspicue affirmat dicens: *Cœlum & sedes Dei est Maria.* Sanctus *Plin. l. 5. c. 10.*

Mat

Matthæus ſanctitatis coloribus illam depingit, diceus: *Iacob genuit Ioſeph virum Maria*, interim pertranſeundo tantarum ſtellas virtutum, tot tantorumque meritorum Planetas, elegantem zodiaci zonam, id eſt, gratiam? alioſque plures gloriæ luminoſos ſplendores, qui eandem vel ipſimet Deo reddere ſtupendam: *Evangeliſta Matthæus his pauculis verbis, & myſterium Virginis, & negotium divinæ maternitatis ac Incarnationis abſolvit. An non expediret ut antequam divinæ corporationis Sacramentum proponeret, quo homo Deus decenter monſtraretur, Matris Virginitatem gratia plenitudinem, puritatis decorem, & confertum omnium, in ea ſanctitatum cumulum præſtrueret, & præmonſtraret?* Nequaquam, ſed ſufficiebat quod Solem Chriſtum in hoc cælo depinxiſſet, dicendo: *De qua natus eſt Ieſus.* Matrem Chriſti eſſe, maxima eſt Mariæ gloria, hac omnem aliam obfuſcat, neque in muliere quapiam dici aut conſiderari plus valet. Unde Sanctus Thomas de Villa Nova Archiepiſcopus Valentinus, ait: *Omnia collecta ſunt, cum dictum eſt, ex ea natum fuiſſe Ieſum: ſufficit ad ejus plenam hiſtoriam, quod ſcriptum eſt, quod de illa natus eſt Ieſus. Quid amplius? Quid ultra requiris in Virgine: Sufficit tibi quod Mater Dei eſt.* Porro reſolutio quam hactenus quoad filiam dedimus, nos quoque in cognitionem venire facit alterius difficultatis pertinentis ad matrem, ſiquidem certi ſumus ex Philoſophia, quod *cognito una relativorum, cognoſcitur & alterum.* Etenim nec Scriptura ſacra, nec Evangeliſtæ ullam Sanctæ prærogativam recenſent, ſiquidem maxima ejus gloria & excellentia in eo conſiſtit, quod ſit Mater Beatiſſimæ Mariæ Virginis. Unde ſufficit dicere: *De qua nata eſt filia, qua vocatur Maria. Quid ultra requiris in Anna? ſufficit tibi quod Mater Dei Genitricis eſt.*

15. Videtur mihi quod Regius Propheta David ſanctam Matrem Annam, ejuſque filiam Mariam cum æterno Patre loquentes introducat, ambæque gratias Deo agendo dicant: *In beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.* Quæ verba à diverſis diverſas patiuntur interpretationes. Hugo Cardinalis dicit: *In beneplacito tuo, id eſt, non in noſtris meritis, ſed tua bona voluntate exaltabitur in futuro cornu noſtrum, id eſt, dignitas quam habebimus in futuro.* Alii per ly *beneplacito*, Verbum Incarnatum intelligunt: *In beneplacito filio tuo.* Quando igitur, O Pater æterne, unigenitus filius tuus beneplacitum tuum executioni mandabit, Incarnationem ſui adoriendo, quid inde ſequetur? *Exaltabitur cornu noſtrum*, id eſt, *dignitas noſtra.* Quod eſt idem ac ſi diceret: Ipſemet Deus ineffabilem Mariæ excellentiam contulit, dum illam in Matrem ſuam elegit, eodemque tempore mirificis dotibus ſanctam Annam locupletavit, quando ſanctæ Annæ filiam in Matrem ſuam elegit, eamque ſingulariſſimè honoravit, dum ſemetipſum ejuſdem ſanctæ veriſſimum Nepotem eſſe voluit. Unde Angelicus Doctor ſanctus Thomas de Virgine dicit: *Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideo præ cæteris majorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.* Et meritò quidem, ſiquidem. *Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius:* Chriſtus autem eſt omnis gratiæ principium *ſecundum Divinitatem authoritative, ſecundum humanitatem inſtrumentaliter:* ac proinde Evangeliſta Joannes dicit: *Gratia & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ergo conſequenter, quia Virgo Mater præ omni alia creatura Chriſto viciniſſima fuit, ab eo quoque ſuperfluenter eſt per gratiam locupletata. At vero, O Auditores, dicite ſodes, quiſnam poſt Mariam, quantum ad humanam conſanguinitatem Salvatori omnium proximus fuit? Sancta Anna utique, debeat igitur quoque poſt Mariam præ quavis alia muliere gratia & gratiis locupletari, ut hac ratione verificaretur Prophetia, quæ dicit: *In beneplacito filio tuo, exaltabitur cornu noſtrum, dignitas noſtra*? atque ob hunc reſpectum ambæ *Supergreſſæ ſunt univerſas.*

16. Iſaias Propheta de Chriſti ſtirpe loquens, ſub virgæ, radicis & floris metaphora ita prophetizavit: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Per hanc virgam Rupertus Abbas Mariam Virginem intelligit: *Virgam de radice Ieſſe, ſanctam Virginem Mariam intelligimus.* Similiter Gloſſa ordinaria, dicit: *Egredietur virga, id eſt, Virgo Maria.* Pulcherrimus autem flos quem progerminat, Jeſus Chriſtus filius ejus eſſet, *Et flos de radice ejus aſcendet, id eſt, Chriſtus, qui dicitur flos: juxta illud: Ego flos Campi.* Radix unde virga immediate naſcitur, mediante qua florem progerminat, ſancta Mater Anna eſt? *Hæc eſt radix illa benedicta, quæ ſurculum protulit & virgam, virgaque florem ſuper quem requieſcit Spiritus almus.* Porro fundamentis explanatis, deſuper quandam artificioſæ

S. Ioann. Damaſ.

Did de Zelad. in Eſther Tr. append. c. 2. §. 348.

S. Thom. à Villa nova t. 2. ſer. 2. de Nat. B. V. M.

Apud Phil.

Pſal. 44.

Hugo Card ibid.

D. Tho. 3. p. q. 21. a. 5. in corp.

Iſa. 13.

Rup. Ab. ibi. & gloſſ. ord.

Ioann. Lanſp. ſerm de S. Anna.

sæ cujusdam difficultatis machinam, superæ dificemus: *Et Flos de radice ejus, id est, virga ascendet* Flores non nascuntur immediate ex radice, sed ex germine sive virga. Quomodo igitur Isaias dicit: *Flos de radice* & non *de virga?* Etenim juxta Rûperti Abbatis Tuitiensis doctrinam hoc idem est, ac si diceret: Hic divinus flos non minoris æstimat se de radice, id est, de Sancta Anna tanquam Nepotem ejus, progigni, quam quod de virga seu virgulto Mariæ Matris suæ nascatur, unde ut Aviam suam sanctam Annam specialiter honoret, voluit, ut Isaias Propheta expressè diceret? *Flos de radice ejus ascendet, Non magis se Mariæ Filium Christus, quam Annæ gloriatur esse nepotem.*

17. Sancta Mater nostra non jam divitiarum sed thesaurorum plenissima fuit. Etenim scire desidero, quo fine in hoc solemni die, gloriæ sanctæ nostræ consecrato in Missa legatur Evangelium de agro, in quo thesaurus latebat absconditus: *Simile est Regnum cælorum thesauro in agro abscondito &c.* Matth. 13. Quis aut qualis est hic ager? aut quisnam est ille thesaurus. Porro legitur quod Lucullo dormienti umbra quædam seu phantasma quoddam apparuerit, eique dixerit: Expergiscere & vade ad mare, ibi namque quendam amicorum tuorum è navi jamjam egredientem reperies, qui magno te videndi desiderio tenetur: *Luculla amicus tuus Antiochus venit, ut tecum sit.* Ioan. Bapt. Fulg. lib. 1. cap. 5. Expergefactus igitur mox secutus est monitum in somno sibi propositum, intellexitque Romanos quasdam Ciliciæ naves persecutos esse, quæ ut leviores, atque ad fugam capiendam expeditiores essent, statuam quandam immensi ponderis marmoream in littore exposuerant? Quam ille ut invenit, & attentius consideravit, vidit protinus Autolici amici sui nomen in ea expressis grammatibus exsculptum. Cum magno igitur labore adhibitis machinis domum suam statuam illam deduci fecit, tandemque in cognitionem veniens multam eamque admodum pretiosam latere suppellectilem, eam aperiri fecit, invenitque in ea statua inæstimabilis pretii thesaurum. O ingentes Luculli divitias! Etenim sancta Ecclesia nos quoque hodie monet advenisse fidelem quendam amicum nostrum, id est, sanctam advocatam & protectricem nostram Annam, cujus hodie celebramus festivitatem. Illam itaque recepturi obviam illi procedamus, adeamusque mare in Evangelio hodierno nobis demonstratum, cum dicitur: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti,* Matth. 13. ibi namque in agro, quodam littori vicino statuam quandam reperiemus, quæ ingentem in sinu suo thesaurum amplectitur: *Simile est regnum cælorum thesauro in agro abscondito.* Idem ib. Generosus & audax vir ad instar Luculli agrum hunc si non invenit, saltem sibi comparat & emit: *Et emit agrum illum,* ô felicem illum! ô fortunatum quisquis est. Verum dicite obsecro, ubi latet thesaurus iste? *In agro.* Quidnam autem per *agrum* intelligitis? observate omnes literas, quibus hoc nomen Agrum constat. *A Anna. Genitrix. R. Regina V. Virginis. M Maria vel A. Anna. G. Genuit. R. Redemptoris. V. Virginem. M. Matrem.* Quasi Spiritus Sanctus figuratè indicare vellet in hac nobili statua S. Annæ thesaurum quendam conservari, scilicet Virginem Mariam, thesaurum inquam inexplicabilem omnium excellentiarum, dignitatum, divitiarumque Spiritualium, quas à filia sua Maria, & Jesu nepotulo suo feliciter hæreditavit.

18. Similis quoque fuit margaritis in mari Evangelico repertis: *Simile est regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas* Matth. 13. Si tamen supponamus Emblema quoddam solis in margarita expressi, qui radiis suis ultimam ei perfectionem tribuebat, hac ei adjuncta Epigraphe: *Tu splendorem, Tu decorem.* Veruntamen margarita nostra S. Mater Anna, non solum à Sole Christo, verum etiam à Luna Maria excellentiarum suarum gloriam traxit. Unde Nepotulo suo Jesu dicere potest: *Tu sol splenderem:* Filiæ autem: *Tu Luna decorem.* Porro de Pyrrho legitur quod quando gloriosis factis suis feliciter terminatis in patriam reversus est, ab omnibus excellens nomen istud, Aquila Generosa, impositum & acclamatum fuerit. Quibus ille respondisse fertur: *Per vos Aquila sum, vestris armis veluti vestris pennis sublevor.* Idem quoque S. Anna dicere poterit, nimirum si tanquam Aquila generosa ad inexplicabiles evectus suum prærogativas & divitias spirituales, factum id est, alis & plumis mihi mutuatis tum à Maria filia mea, tum à dilecto Jesu nepote meo. Qui vivit & regnat in sæcula sæculorum Amen. Plut. in Reg. & Imp. Apoph.

* * *

SERMO

SERMO VIGESIMUS SECUNDUS
IN FESTO
S. DOMINICI CONFESSORIS.
Et Patriarchæ Ord. Prædicatorum.

Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt Iustitiam, adepti sunt repromissiones. Ad Hebr. cap. 11.

1. QUod ii qui densis tenebris sunt involuti, lucis dieique claritatem videre aut advertere non possint nulli mirum videri debet, cum enim obscuritas objecta obtenebret, potentiam visivam pariter impedit, quo minus circa illa activitatis suæ exercere functiones possit: at vero quod ipsummet lumen obtutus spectantium obfuscare possit, ne objectorum species in pupillarum speculis sese reflectere aut insinuare possint, id cuilibet merito à veritate & verisimilitudine valde alienum videbitur, cum oculi sine lumine, sint sicut vetæ inter tenebras talpæ ab amica autem luce umbrarum fugatrice, ad perfectam eorum omnium quæ colore vestiuntur visionem disponantur & habilitentur. Verumtamen ipsa nos quotidiana experientia docet quòd à luminis, quod in splendidissimo solis Planeta residet, excessibus, nisi quis oculis Aquilinis sit præditus, visus noster adeo obtundatur, ut ad videndum totaliter reddatur inhabilis ad eum fere modum, quo Israëlitæ. *Non poterant intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus,* vel uti Saulo accidit, quando *Circumfulsit eum lux de cælo apertisque oculis nihil videbat.* Ac proinde qua ratione ego hodie oculis mentis meæ magnum Patriarcham Dominicum contemplari potero, qui inter gloriæ suæ radios luminosum resplendet? aut quo modo obumbrare me potero, ne visus hallucinetur, neque intellectus à sanctitatis suæ splendoribus confusus remaneat? Haud dubie hinc cæptum est plurium celeberrimorum oratorum sapiens consilium, quo, cum oculorum suorum obtutus directe in eum figere non possint, eundem sibi sub variarum metaphorarum umbris ob oculos statuunt, Rhetoricæ coloribus eum adumbrando, & flotidæ cujusdam eloquentiæ ornamentis eum variis modis in tela aëris, & hominum mentibus delineando, nimirum sub specie odoriferi Lilii, & sanctæ cujusdam pudicitiæ fortunati germinis, quod non jam in hortis Hesperidum, aut Rosetis Floræ, sed in felicissima regione Hispaniæ, intra nobilem familiæ Gusmannicæ districtum natum effloruit. Etenim vere lilium quoddam est, quod in frondibus seu foliis castarum cogitationum suarum filis contextis virginitatis vexillum nive candidius explicavit, intra vero sinum suum velut in ærario argenteo aurum reclusit Evangelicæ Charitatis. Aut sub specie elegantissimæ Iridis, quæ post horridum culpæ tempus facta annuntiatrix cælestis serenitatis, & pacis inter Deum & hominem stabilitæ trophæa explicans, & instar arcus triumphalis erecta, solemnizare videtur glorioſos à Dominico adversum tres capitalis inimicos, Mundum, Dæmonem, & carnem reportaras victorias. Vel sub prodigiosæ cujusdam Phœnicis specie quæ ex Christianarum virtutum aromaticis lignis & continuis mortificationibus, rogum sibi rigidæ cujusdam Pœnitentiæ efformavit, suoque in pectore Charitatis flammas accendit, relictisque sæcularibus vestibus, Habitus religiosi plumis, puritatem Spiritus & carnis mortificationem repræsentantibus revestiens, Deo renascitur, ut immortalis factus vivat in templo æternitatis. Alii eum sub specie viretscentis Lauri expresserunt; sicut enim Tiberius Lauro utebatur, eandem capiti suo imponendo, ut secà fulmine rueri posset: ita quoque Dominicus umbra protectionis suæ, & orationum suarum efficacia omnipotentis dexteram, Justitia vindicatrice per tres formidabiles sagittas, pestem, famem, & bellum exercenda armatam,

2. Cor. 3. v. 7. A. 9. v. 7. & 8.

Ioan. Carthag. t. 1. de Christ. Resurr. l. 14. hom. 10. Et Vinc. Bellu. in spec. hist. l. 7. c. 3.

matam, continuit, quæ alias extremam mundo ruinam minabatur, utpote qui effrænis in carnis dissolutionibus luxuriabatur. Alii eundem conati sunt repræsentare sub signo stellæ cujusdam flammivomæ, quæ ab aura Spiritus Sancti fugatis tenebrosis originalis maculæ caliginibus, in sereno frontis suæ cælo apparuit, sucumque jucundum gratiæ diluculum portando demonstravit, Dominicum è numero illarum stellarum futurum, quæ juxta Danielis Prophetiam splendidè scintillabunt: *In perpetuas æternitates.* Dan. 12. v. 3. Multi illum exhibere tentarunt sub mystico cæli symbolo, siquidem continuum quasi gyrum fecit per Hispaniam, Franciam, Germaniam, Poloniam, Italiam, Mauritaniam, Thraciam, ab Oriente ad occasum, ut Evangelicæ veritatis lumen defertet ad illos, qui in ignorantiæ tenebris & in umbra mortis sedebant. Dominicus etenim Cælum fuit, quod loco viæ lacteæ in se habuit incontaminatam Virginitatem. Cælum fuit, in quo loco solis refulget splendidissimus Sol Ecclesiæ Magnus & Angelicus Doctor Aquinas? velut Pulchra Luna splenderet Catharina Senensis, velut stellæ tot sancti emicant, qui Cœlo Empyreo gloriosè resplendent. In hoc Cælo Zodiaci zonam constituunt tres summi Pontifices, innumerabiles Purpurati Patres, magna Ecclesiæ ornamenta, infiniti item Prælati, Episcopi, Archiepiscopi & Patriarchæ, qui Christi gregem vigilantissimè custodiunt. Me quod attinet, ne inter tot gloriæ sancti hujus Patriarchæ splendores visus meus totaliter obtundatur & hebetetur, statui cœco quodammodo velut in nocte, intra Fidei suæ vela procedere, quia *Fides est de non visis.* Et quidem in hac præscripti mihi temporis modicitate sanctum hunc Patriarcham in mentibus eorum qui me auscultant, veluti quoddam Fidei Evangelicæ prodigium exprimere, ostendamque verificari de illo id quod scribit Apostolus: *Sancti per Fidem vicerunt regna, operati sunt Justitiam, &c.* Anno 1170. dum Ecclesiam gubernaret summus Pontifex Christi in terris Vicarius Alexander Tertius, Imperii sceptrum autem sustineret Fridericus Primus, vivebant in Callaroga, territorio Hispaniæ, Diœcesis Ozomensis, duo conjuges valde Illustres, nec minus Deum timentes, quam nobiles è Gusmannorum familia, Felix & Joanna. Visum autem est cœlo ambos hosce conjuges felicitare, prolem eis concedendo, filium scilicet quendam, qui splendor Ecclesiæ, mundi gloria, & Athleta futurus esset sanctitatis famosissimus. Appropinquante autem partus tempore, dignatus est ei Deus in visione quadam aperire, quod utero suo Canem quendam gerat, luminosam & ardentem facem quandam ore suo ferentem, cujus splendores in omnes se mundi partes diffunderent: *Hujus mater gravida sibi visa est in quiete continere in alvo Catulum ore præferentem facem, quia editus in Lucem, orbem terrarum incenderet.* Quod ei Prognosticum quoddam fuit, quo ei prædicebatur futurum ut in lucem filium quendam ederet, qui doctrinæ suæ luce ignorantiæ hæreseon, culparumque tenebras fugaret. Certum equidem est infinitæ Sapientiæ Dei non defuisse alia media, quibus idipsum devotæ Genetrici demonstrare potuisset. Cur igitur ipsum potius sub Canis & facis accensæ metaphoris repræsentare voluit? Nunquid ipsum congruentius candidus Harminii insinuasset, utpote qui maximus & ardentissimus futurus erat amator Virginitatis, Harminius enim mori mavult, quam pelliculæ suæ candorem sordibus aliquibus deturpare? Aptiusque loco ardentis facis lilium quoddam ore suo detulisset, utpote virgineæ puritatis nobile trophæum? Certum quidem est, quod Divina mysteria à nobis penetrari nequeant, dicente Davide, *Judicia Dei abyssus multa:* Veruntamen si veræ visionis hujus expositioni investigandæ me vellem ingerere, dicerem utique, Canem fidei, sive fidelitatis symbolum esse. Ac proinde quando olim sofidei servatæ reddere volebant, eum de quo quæstio erat, cogebant per canem jurare, si Pierio Valeriano credimus, dicenti: *In Phædone per canem jurat, cum putat fidem & obsequium eum præstandum iis, qui rerum habenas in Civitatibus moderantur.* Canis autem hic accensam & flammivomam facem portabat, quia ignis elementum, inter omnia alia est maxime activum & operum, expressivum. Volebat igitur Cælum Matrem Patriarchæ certiorem reddere, quod filius quem enixura erat, Prodigium quoddam fidei futurus esset, eandem ad Majorem Dei Gloriam, Proximique salutem, operum argumento semper exercitando. Addendum insuper, accensam quoque facem fidem nobis Dominici repræsentare? Ac proinde Candelæ quæ in sacra Purificationis B. V. Mariæ cæremonia accensæ portantur, fidem in populis splendescentem significant: *Lumen significat fidem populorum.* Similiter in funestis diebus septimanæ sanctæ, quando Passionis & mortis Jesu Christi memoria celebratur, candelæ extinguuntur, eo quod fides in Apostolis defecerit, unica tantum accensa remanente, ad significan-

In lect. Breviarii ejusdem sancti.

Psal. 35. v. 7.

Pier. Valer. l. 5.

Barthol. Gavant. in thes. Sacror. rit. tom. p. 1. t. 10. Durand. in rat. div. l. 5.

l. 6. c. 71. n. 25. ficandum, quod in sola Maria Virgine fides conservata fuerit: *Fidem significat, quæ in sola virgine remansit, per quam postea omnes fideles edocti & illuminati sunt?* scribit Durandus. Deus igitur duobus nobis & devotis Gusmannis Felici & Joannæ revelare voluit, Charissimum viscerum suorum pignus, Dominicum, Fidem quandam habiturum non ordinariam, quæ non solum ad propriam salutem sufficiat, sed duplicatam, qua nimirum prodigiosus futurus esset Hæreticis & Catholicis, Hominibus & Deo, Mundo & Cœlo Empyreo.

2. Porrò servi Dei, virtute fidei magna operati sunt prodigia: *Sancti per fidem vicerunt regna*, inquit Apostolus, subdit Sanctus Anselmus: *Quia Deo credebant, & in Deo confidebant.* Verum enimvero si nobis ab effectibus argumentandum esset, inveniremus utique neminem adeo in fide prodigiosum fuisse, prouti fuit Sanctus Dominicus. Hugo Cardinalis de iis Dei servis intelligit, qui ambitionis affectus vicerunt, recusando dignitates & Prælaturas: *Vicerunt regna, id est, Prælatorum præsumptuosam ambitionem contra superbos, qui appetunt regnare & dominari.* Certe quodsi hi effectus ad fidei partes pertineant, ut S. Paulus existimat, Dominicus multas Ecclesiasticas dignitates, ei à summis Pontificibus sponte oblatas, & in specie tres egregios Episcopatus recusavit: *Varia à multis summis Pontificibus offerebantur dignitates, & inter alias tres Episcopatus oblati sunt, quos tamen constantissimè recusavit.* Charitas enim quæ fidei germana soror est, ei persuadebat, bono proximi, non vero propriis dignitatibus acquirendis sibi intendendum esse. *Non quærit quæ sunt.* At vero Angelicus Doctor S Thomas Apostoli mentem exponens dicit: *vicerunt regna, id est, Reges, vel etiam Regna eorum.* Videturque hæc Doctrina Angelica valde conformis esse quibusdam in scriptura recensitis eventibus. Voluit enim Deus, ut Moyses & populus Israëliticus omnes Provincias & Regna, quæ calcarentur à pede ipsorum, sibi compararent, quotquot scilicet continerentur in spatio à deserto Libani, & à magno fluvio Euphrate, usque ad mare occidentale, ibique Jurisdictionis ipsorum termini clauderentur, quousque pedem suum ulterius progrediendo ponere possent? si quis autem huic ipsorum possessioni sese præsumeret opponere, eum per ipsos debellandum & superandum esse. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto & à Libano, & à flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.* Verum dicat quodnam motivum Deo unquam persuadere potuit, ut Moysi concederet, quod tot regionum, Provinciarum atque Regnorum Dominia invadere & obtinere posset? Quòd nam apud Deum habebat meritum, quo Deum ad hoc disponere potuit, ut ei Dominium concederet adeo vastum & amplum? S. Bernardus totum fidei, qua Moyses pollebat, adscribit dicens: *Magna siquidem fides magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus possidebis.* Enimvero si quis merita Moysi cum Dominici meritis, & fiduciam unius cum alterius fide compataverit, idem id esse comperiet, ac si umbram cum luce, terram cum gemmis, plumbum cum auro æquiparare vellet. Ac proinde Dominicus Fidei armis dimicando (affirmante S. Gregorio, quod *Deus militibus suis ante omnia fidei fortitudinem præbet* omnium Provinciarum atque Regnorum, quæ pede suo calcabat, factus est possessor pacificus. Appellit in Thracia, eamque per fidem Deo obedientem reddit. Pervenit in Mauritaniam, eamque Evangelio promptam submittit? Discurrit in Poloniam, eamque cælo obsequiosam efficit: vela pandit in Franciam, eamque Crucifixo devotam valide confirmat. Abit in Germaniam, ibidemque Catholicos ad Christianæ Religionis fervorem protinus excitat. In Italia pedem figit, & pulcherrimum hunc terræ Paradisum Doctrinæ suæ vomere utilissime excolit, eumque in ver quoddam perpetuæ virtutis transformat. Et sicut Rex ille quondam filiis suis dominium ipsorum extendendum esse insinuavit, quocunque in acie gladii pertingere possent: ita Dominicus pede suo semper progressus est ultra, & Evangelicæ fidei gladio eousque regnum Dei propagavit, ut ex supradictis Regnis alia noviter ad fidem attraxerit, alia vero ad majorem Fidei fervorem & Dei amorem excitarit, ac demum supra pertinacissimorum cordium fortalitia, postquam ea in Christi nomine in suam possessionem accepit, gloriosa Crucis vexilla erexit, ut ea in perpetuum Crucifixi subigeret Dominium. Adeo ut jure potiori de Dominico replicari possit, quod Bernardus dixit de Moyse: *Magna fides Dominici magna meruit obtinere, & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexit, eatenus possedit.* O Dominice verum fidei prodigium, quippe qui *per fidem regna vicisti.*

D. Anſel. ibid.

Hugo Card. ad Heb. c. 11.

Thom. de Truſ. in vita ejus.

D. Thom. ib. lect. 7.

Deut. 11. v. 24.

D. Bern. ſerm. 32. in Cant.

D. Greg. Vide in Indice V. Fides.

3 Gedeon per unicum duntaxat fidei actum quem in Deum habuit, judicatus fuit dignus, qui vinceret Madianitas, terræque Madian absolutus fieret Dominus, quod tunc accidit, quando Angelus eum de futura victoria certificavit, dicendo ei, ut Theodoretus observavit: *Proficiscere in robore fidei hujus & vinces.* Porrò Dominicus zelo honoris Divini & salutis Animarum motus? scutoque doctrinæ sacræ & fidei armis communitus & armatus cum hæreticis Albigensibus dimicavit, qui in Alba, Carcassona, Tholosa, aliisque in locis erant, atque ab iisdem gloriosam reportans victoriam, Dæmonis possessiones sustulit, Civitates illas recuperavit, obedientes reddens Sedi Apostolicæ & Religioni Christianæ. *Profectus est Dominicus in robore fidei & vicit.* Et si victoriæ in superatione inimicorum consistunt, *Hic profectò gloriosus Dominicus ita in opere & sermone se mirabiliter & gloriosissimè gessit, ut Domino cooperante centum hæreticorum millia convertisse legatur.* O Dominice gloriosissime, de te Apostolus prævidit, quòd in fide quadam mediocritatis imò & excellentiæ terminos excedente operaturus esses actiones heroicas & invictas, easque celebrando dixit, quòd præcipuus de eorum numero futurus esses, qui *per fidem vicerunt regna.*

D. Theod. q. 12. in Iud.

D. Antonin in vit. S. Cathar. Senensis. §. 2.

4. Verùm enimverò quis est qui nesciat, Fidem sine aliis virtutibus esse veluti hortum sine floribus, arborem sine fructibus, aut spicam sine granis, ac proinde S. Paulus ulteriùs prosequitur, & dicit quòd servi Dei unà cum fide opera justitiæ fecerint. *Operati sunt justitiam.* Variæ sunt intelligentiæ quas Sancti Patres circa istud punctum adducunt. S. Thomas de Aquino dicit: *Aliquando justitia est virtus generalis, quando scilicet obedit Legi divinæ,* de qua loquebatur Propheta regius, cùm ait: *Justus Dominus & justitiam dilexit.* Nonnunquam etiam est *virtus specialis, & ista consistit in commutationibus humanis, quando scilicet reddit quivis unicuique quod suum est. Utramque justitiam habuerunt Sancti.* Et Cajetanus: *Fides operatur justitiam, qua nulli facit injuriam; sed jus suum unicuique reddit.* Scio quidem quod S. Gregorius nos doceat, quod nullus facere possit opera justitiæ: *Quia omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districtè judicetur: si enim remotâ pietate discutiamur, opus nostrum pœnâ dignum est, quod remunerari præmiis præstolamur.* Verum noster Sanctus, verus servus Dei fuit & per magnam fidem suam *operatus est justitiam.* Dicite, obsecro, nunquid foret manifestus actus injustitiæ, si quis benefaceret malis, bonos verò damnis afficeret? Haud dubiè. Igitur justitiæ actus, & res justa erit si quis benevolè tractet bonos, malos verò mordeat & castiget. Hæc erant inter alia Sancti Patriarchæ nostri opera. Etenim scire percuperem, cur in sacro fonte Baptismali Sancto Patri hoc nomen Dominicus impositum fuerit? Existimo id factum esse quia hoc nomen nihil aliud vult dicere, quàm *Domini Canis.* Et S. Vincentius Ferrerius ait: *Dominicus est canis magnus de ovili Christi?* Canis Domini est, ille nimirum quem (ut suprà diximus) mater ejus se parituram esse somniavit. Pro cujus intelligentia advertendum est, quòd Romani Deos suos canum pellibus vestire solebant, ut hac ratione Canum qualitates æmularentur, qui domesticis domus incolis abblandiuntur, exteros verò seu peregrinos allatrent & mordeant, ita enim æquitas postulat, quam Romani à Diis suis circa se exerceri desiderabant. *Ea est canis natura, ut erga familiares & notos sit mitissimus, adversus verò alios & ignotos ferocissimus, quos simul ac viderit, ægrè ferre indicat.* Similiter in quodam Minervæ templo in Daulia Græci canes enutriebant; ut ipsis duntaxat abblandirentur, genti verò barbaræ dentes exhiberent: *Canes valebant, qui Græcis tantùm advenantibus se mites, mansuetos, & ludibundos offerrent, In barbaros verò feri, atroces, ac indignabundi semper irruerent.* Dominicus Domini canis fuit, sed fidelis, Dei namque amicis, id est, paupertibus benevolus erat & abblandiebatur, siquidem ex charitate erga illos, proprios libros vendebat, & comparatâ inde pecuniâ paupertibus benefaciebat: *Libros suos vendidit, & eorum pretium paupertibus distribuit.* Sic quoque pro quodam mancipio vel captivo ab hæreticorum manibus redimendo semetipsum vænum exposuit: At verò adversus extraneos, hæreticos nimirum & ab Ecclesiâ Catholicâ Apostatas in prædicationibus suis clamabat, latrabat, & mordebat. *Suâ prædicatione atque exemplo hæresim quantùm potuit extirpavit.* Quia igitur, ut diximus Justitiæ opus est, *Dare unicuique quod suum est*, ideo Christi mendicis charitatis actus debebantur, Hæreticis autem severitas debebatur & reprehensio.

D. Vinc. Ferreri. serm. de S. Domin.

Apud Th. Bracchiã disc. 4. de S. Dom.

Pier. Valer. lib. 5.

D. Thom. ibid.

Psal. 10.

Cajet. ibid.

D. Greg. lib. 9. mor. c. 11. & lib. 17. c. 10.

Thom. de Trusil. in vita ejus.

Idem. ibi.

Cùm flumen quoddam trajecisset, nec monetam haberet, unde nautæ naulum suum solveret, ad orationem confugit, & protinus moneta solutione faciendæ sufficiens in terra mira-

culosè

culosè apparuit : *In terram respiciens denarium nutu divino illic jacentem vidit, quem protinus à nauta tolli jussit.* Verùm ô Domine, an ignoras quòd *Non sint facienda miracula sine necessitate.* Casus hic adeo levis momenti, maximè qui denarios spectat, non te cogit ad patrandum miraculum, imò verò quia S. Pater sciebat opus justitiæ esse operarium suâ mercede non defraudare. Fiat igitur miraculum (ita apud se statuebat S. Dominicus) ut nullum committatur injustitiæ delictum. Id quod mihi evidentis argumenti loco servit, unde probem sanctum Patrem tanquam fidei prodigium, adeò in ea singularem fuisse, ut *per fidem operatus sit justitias.*

Abr. Bzov. Annal. An. 1204. n. 25.

Hugo. Card. ibi.

5. Huic doctrinæ S. Pauli Hugo Cardinalis adjungit: *Operati sunt justitiam.* Sed quâ ratione? *Carnem propriam justificando, & puniendo per ipsius macerationem contra voluptuosos.* Porrò Dominicus fidem habuit adeò magnam, ut in exercendis ejus actibus verè fuerit prodigiosus. Certissimum enim est quòd *Peccatum sit offensa facta Deo,* offensæ autem contra Deum factæ, sunt actus *contra justitiam*, per illas namque benefactori nostro ingrati & molesti sumus illi cui ex obligatione reverentiam debemus & veneration-em. Econtra verò actus justitiæ compensativæ est damna illata vel in hac, vel in altera vita resarcire vel compensare per effectus pœnalitatis, quia ut Sacri Theologi docent : *Satisfactio est compensatio, seu redditio voluntaria debiti honoris seu obsequii pro injuriâ alteri illata.* Unde necessum fuit, ut Verbum incarnatum pro hominis peccato per proprium sanguinem satisfaceret: *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Deo pro illata injuria recompensando? unde dixit S. Paulus: *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Fuitque hæc satisfactio conformis debito Justitiæ compensativæ & punitivæ. In hac autem justitia punctualissimè observanda S. Dominicus fuit exactissimus. Quâvis enim nocte innocua membra sua catenâ ferreâ ter flagellabat, donec pavimentum loci in quo degebat ob ejus austeritatem quasi rubescens purpuraretur sanguine. Semel quidem ad satisfaciendum Deo pro peccatis propriis, quæ se commisisse existimat, tametsi quorundam opinio sit, quòd *Nunquam in tota vita mortaliter peccaverit.* Secundâ autem vice pro viventium peccatorum dissolutionibus. Tertia denique vice pro eorum reatuum satisfactione, quibus animæ Purgatorii Divinæ obstringuntur justitiæ. *Usque ad minimum quadrantem. Tres singulis noctibus recipiebat manu propriâ de quadam catena ferrea disciplinas? unam videlicet pro se alteram pro peccatoribus qui conservantur in mundo? tertiam pro his qui in purgatorio cruciantur.* Igitur *Ex bonis propriis*, id est, cum moneta proprii sanguinis pro debitis propriis, quæ se contraxisse existimabat, satisfecit, *& pro peccatis alienis.* Unde colligitur, quòd non solùm *operatus est justitiam, sed ultra justitiam*, siquidem proprium sanguinem & pœnalitatis actus adhibuit ad satisfaciendum etiam pro defectibus alienis. Haeque ratione simul cum justitia suam manifestavit misericordiam, alienis compatiendo miseriis, ut verificaretur quòd fides eum impulerit ad exercendos actus justitiæ & pietatis, ac proinde *operatus est justitiam?* vel ut alii exponunt, *id est, misericordiam & humanitatem.*

D. Ansel. lib 1. Cur Deus Homo.

ad Tit. 2.

ad Heb. 9.

Apud Th. de Trus. in vita ejus.

Ita de

Verag. in vita S. Dominic.

Corn. à Lap. ibid.

6. Quotquot justitiæ rectitudinem ob oculos sibi propositam habent, earum promissionum quas Deus præstitit, executionem suo tempore infallibiliter consequentur, de quo Elisabeth à Maria certior facta fuit, quando Beata Virgo eam visitans dixit: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham & semini ejus.* Quod S. Basilius exponens ait : *Hoc enim implevit, quod Abrahæ promisit dicens : Quoniam benedicentur in semine tuo omnes cognationes terræ.* Et S. Paulus expresse idipsum confirmat dicens : *Per fidem adepti sunt repromissionem.* Deus Moysen & populum suum consolaturus, se cum à tot angustiis & miseriis quibus in Ægypto tantùm non opprimebatur, liberare velle promisit: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum qui præsunt operibus. Et sciens dolorem ejus, descendit ut liberem eum. Et educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram, quæ fluit lacte & melle.* Duo illi promittit scil. liberare eum ex Ægypto, & introducere in terram, *quæ fluit lacte & melle.* Et primum quidem consecuti sunt : *Egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.* Secundum autem, quod à populo tantopere desiderabatur, expresse negavit prohibendo Moysi & Aaron, ne eum ullo modo in delitiosam terræ hujus fertilitatem introducerent : *Non introducetis hos populos in terram quam dabo eis* : vel *quam promisi dare eis.* Circa quod causam investigare cuperem, cur Deus promissis suis non steterit, cùm Sanctus Thomas nos doceat, quòd *Promissio Dei efficax est, quia non deficit Deus in promissis.* Veruntamen dicendum quòd justè metebantur, ut

D. Th. in Epist. ad Heb. c. 11. lect. 7.

Luc. 1.

D. Basil. in Cat.

D. Thom. in cap. 1. Luc.

ad Heb. 11.

Exod. 3. v. 8.

Num. 20. v. 10.

Deus Terræ promissionis ingressum illis nequaquam indulgeret, siquidem tam Moyses, quàm populus in fide titubarunt. Neque enim persuadere sibi Moyses poterat, quòd solo verbo è silice aquam elicere posset, prouti Deus promiserat, dicens: *Loquimini & illa dabit aquas?* ac proinde bis eam virgâ percussit: *Percussit virgâ bis silicem.* Unde Chrysostomus: *Cum dubitatione quadam sermonibus suis admixta rupem percussit:* Populus item adeò incredulus erat, ut potius quidvis aliud credidisset, quàm quòd fidem adhiberet Deo promittenti è petra vivam aquæ scaturiginem? ac proinde Moyses acriter eum reprehendit, dicens: *Audite rebelles ac incredduli &c.* Ob hos incredulitatis vel infidelitatis actus Deus adeò indignatus fuit, ut iis protinus terræ promissionis ingressum penitus interdixerit: *Quia non credidistis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Displicet Deo fides infirma, & languida, propter quam non concessit Moysi ingressum in terram promissionis, nempe quia infirmâ fide aquam eduxit de petra.* Ex promissionibus igitur à Deo datis, & à Sancto Dominico impetratis facilè cognosci potest Fidem Sancti Patris fidei Moysi & populi sui prorsus fuisse contrariam. Porrò quando mater S. Patris Joanna, unà cum filiolo suo Dominico Calarogo Missæ summa cum reverentia genuflexa intererat? Sacerdos, cujus labia Spiritus Sanctus aperiebat, & movebat linguam, ad populum conversus, loco *Dominus vobiscum* Divino instinctu motus dixit: *Ecce mundi reparator,* quasi divinitùs dicere voluisset? Huic infantulo, cui nomen est Dominicus, Deus promittit mundi reparatorem eum esse venturum. Nunc igitur, ô Auditores, videamus. *An adeptus sit repromissionem?* Etenim præter mundum hunc terrenum & materialem, duos alios mundos invenio. Unus est homo, qui dicitur *Microcosmos*, id est, mundus parvus, de quo loquens Joannes Evangelista dixit: *Et mundus eum non cognovit.* Quoad hunc mundum Sanctus Dominicus promissionem obtinuit, quòd illius esset reparator futurus, quando DEUS decreverat hunc mundum funditùs exterminare, idque non per diluvia, ut olim, sed per tres sagittas fatales pestis, famis & belli, ob tria gravissima peccata, superbiæ nimirum, avaritiæ & luxuriæ, quæ inter homines invaluerant: at verò Dominicus orationibus suis *obtinuerat repromissionem*, ut esset mundi hujus reparator, & una cum Beatissima Virgine eundem defendebat, iram Dei in pietatem commutans: *Vidit gloriosissimus Dominicus aliquando Christum iratum, & tres lanceas in manibus habentem, quibus universum mundum prosternere, propter tria peccata, quæ in eo potissimùm grassabantur, videlicet superbiam, avaritiam, & luxuriam, volebat, cùm autem Virgo Sanctissima filio suo glorioſum Dominicum obtulisset, cessavit Christi indignatio.*

7. Secundus mundus mysticus est & spiritualis, scilicet Ecclesia. Hæc autem & speciatim quæ Romæ præcipua est, & Lateranensis appellatur Innocentio III. cœlitùs in visione monstrata fuit, quasi præsentaneam ruinam minitans, adeò etiam ut nullum ejus reparandæ superesse videretur remedium, id quod cordi Summi Pontificis magnam creavit molestiam, verùm ex improviso videt comparentem. Sanctum Dominicum, qui ruinis dorsum suum opponens lapsum protinus cohibuit & reparavit murorum. *Papa nocte quâdam vidit in somnis Lateranensem Ecclesiam ruinam minantem, & Dominicum humeris suppositis casuram illam fabricam sustentantem.* Optimè igitur in sacro altari vaticinatus est Sacerdos ille & Dei minister, dum ait: *Ecce mundi (id est, Ecclesiastici) reparator. Et adeptus est repromissionem.* Mundus Ecclesiasticus ex duodecim lapidibus seu petris Apostolicis ædificatus fuit, quorum tres minitabantur ruinam: nam Petrus negavit, Thomas infidelis extitit & Judas traditor fuit: *Ecce Dominicus mundi reparator?* Siquidem loco Petri negantis, Petrum Martyrem substituit, qui Symbolum Apostolorum *Credo* proprio sanguine in terram scribens, confessus Deum, se declaravit fidelem. In vicem Thomæ qui infidelis erat, Thomam Doctorem Angelicum substituit, qui per insignem Theologiam suam fidem corroboravit & stabilivit. Loco Judæ qui rapta fidelitate Dominum suum tanquam proditor tradidit, Dominicus fidei prodigium subintrat. Ecce tibi igitur egregium mundi Ecclesiastici reparatorem: *Ecce mundi reparator: Ecce repromissionem adeptus est.* Unigenitus Dei filius fidelibus suis quondam ab æterno Patre omnia impetraturum promiserat, quæcunque peterent: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis.* Hæc promissio nulli adeo perfecte adimpleta fuit *in omnibus & per omnia*, sicut S. Dominico, prout ipsemet Superiori cuidam ex Ordine Cistercienſi revelavit, se nunquam gratiam aliquam à Deo petiisse, quam non impetrarit: *Confiteor hoc tibi, me nunquam aliquid in hac vita*

Num. 20. v. 8.

Ibid. v. 11.

Chrysost. in Psal.

Ioan. de Pineda. Tom. 5. c. 40. in Eccl. Cathol. 1087 n. 7.

Apud Malvend. in Chron. Ord. Prad.

Ioan. c. 1.

Apud Th. de Trusil. in vita S. Dominici.

Odericus Raynal. t. 13. Annal. An. Christ. 1216. Iac. de Vorag. in vita Sancti. Petr. Equil. lib. 7. c. 22.

Apoc. 21. v. 19.

D. Ant. in vita S.

vita

Cath. Sen. §. 2.

vitâ postulasse, quod non pro voto impetraverim. Unde quando S. Paulus scribit: *Adepti sunt repromissiones*, idipsum S. Dominico potius adaptatur, quam Abrahæ, Davidi, vel aliis veteris Testamenti: *Per fidem adeptus est repromissiones.* O prodigiosam Dominici fidem! O Dominicum fidei prodigium.

8. Scio equidem multos fuisse qui virtute maximæ fidei, qua fuerunt præditi, feras superarunt, devoratricia Leonum ora occluserunt, uti fecit Daniel, alii eadem dilacerarunt, ut David & Samson, id quod Apostolus insinuare voluit, quando dixit: *Per fidem obturaverunt ora Leonum.* At vero S. Dominicus per fidem Leones vicit longe ferociores: Magnum quidem & heroicum opus est similium ferarum robur & fortitudinem superare: Longe tamen excellentius opus est Hæreticorum voluntatem reprimere, contra quam nulla fortitudo prævalet, utpote qui nullam rationem admittunt, vel audire volunt, veritatem abhorrent. Unde Redemptor

Matth. 6. v. 10. Theoph. Antioch. l. 1. Com. in Evangel.

noster fidelibus suis hanc prohibitionem fecit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Quidnam per dexteram & sinistram intelligi debeat Theoph. Antioch. declarat: *Dextera significat Christianos, colentes Christum, sedentem ad dexteram Patris, per sinistram vero Hæreticos indicat.* Per illam igitur prohibitionem dicere volebat, Catholicum & hæreticum adeo procul à se invicem remotos esse debere, ut unus nesciat quid faciat alter. Hoc monitum Spiritus sancti pariter dedit Paulo & Timotheo, quando in partes Phrygiæ & Galatiæ Evangelium prædicaturi commigrabant, tunc enim per expressam prohibitionem moniti fuerunt, ut nullo modo ad evangelizandum in Asiam abirent: *Transeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.*

Act. 10. v. 6.

Rationem autem ejus tradit Oecumenius: *In Asia & Bythinia vetat spiritus ne verbum disseminent Apostoli, præscius hæresim eorum.* Cumque Paulus & Barnabas aliquando conarentur in hac plebe aliquamdiu commorati, & Christi Evangelium iisdem prædicare, ipsi mox ut de ipsis præsentibus facti fuerunt certiores: *Excitaverunt persecutionem in eos, & ejecerunt eos de finibus suis.* Quid igitur tunc sancti Discipuli fecerunt? *At illi excusso pulvere pedum in eos venerunt Iconium.*

Ibid.

Non solum ab iis recesserunt, verum etiam ne quidem calceamentis adhærentem pulverem ipsorum sustinere poterant. Unde idemmet Oecumenius ait: (Neque enim Dominus discipulos vult habere pulvetem pedibus adhærentem à terra impiorum hominum (id est, hæreticorum] ut per hoc ostenderent se nihil afferre ab incredulis.) Ab hac igitur pessima generatione Catholicus procul esse debet remotus & alienus. (Quia, ut S. Leo ait, Hæretici humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.) Et tamen S. Dominicus decem annos continuos cum hæreticis habitavit, sed sicut Daniel inter Leones. Et quomodo timere poterat ne fides sua aliqua ratione contaminaretur, si ipse verum aliquod fidei prodigium erat? Imo horum Leonum ora conclusit, id est, eos silere & obmutescere fecit, vincendo & convincendo illos: *Securi pugnant quos fides armat.* Fuit igitur S. Dominicus unus & quidem præcipuus eorum, qui *Obturaverunt ora Leonum.*

Serm. 5. de jejun. decimi mensis.

Eman. Nax. in c. 18. Josue v. 3. & 4.

9. Veruntamen S. Thomas per hosce Leones, non Leones sylvarum, sed infernales Leones intelligit: *Per Leonem spiritualiter intelligitur Diabolus*, hunc enim S. Petrus hoc nomine appellat: *Adversarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens &c. Qui ergo insultus ejus reprimit, os Leonum obturat.*

1. Petr. 5. D. Thab. lect. 7.

Quoties Sanctus noster cum hisce ferocissimis Leonibus dimicavit, illorumque rabiem repressit? Porro Dæmon Novitium quendam qui nominabatur Didacus infestabat, ut relicto habitu rediret ad sæculum, cujus tentationem advertens S. Dominicus eandem liberavit, ac demum monialibus S. Sixti postea facete dixit, se canis officium expleste, ovem e lupi dentibus liberando. *Insultus ejus reprimit.* Bononiæ alius quidam Religiosus *A Diabolo arripitur.* Sanctus autem Pater Dominicus, eidem ut Religiosum illum liberum dimitteret, præcepit, *Et exire compulsus est.* Præterea tentator infernalis, ut S. Patre prædicante, fructum verbi Dei impediret, pectus fœminæ cujusdam possidere cœpit, totumque auditorium vocibus & clamoribus suis turbare? Sanctus autem non solum os ei reclusit, faciendo ut obmutesceret: [Obturavit os Leonis: sed & insultus ejus depressit.) Sanctus Patriarcha integra quadragesima in pane & aqua jejunavit, disciplinas quotidie acerrimas fecit, super nudam humum dormivit, Dominumque rogavit ut novem Matronas nobiles hæresi quoque infectas è manibus Leonis infernalis erigeret, id quod ei feliciter successit? Nam (viderunt ipsæ fœminæ, quomodo ab eis recederet horribilis Dæmon, qui eas captivas tenebat, & in servitutem

Thom. de Trus.

tem suam redactas.) Insuper misera quædam creatura à septem Dæmoniis torquebatur, sed à sancto Patriarcha per signum Crucis & invocatum Jesu nomen *Statim mulier liberata est.* Alii denique similes eventus innumeri leguntur, quos fastidii vitandi causa libens prætereo. Illud duntaxat ad memoriam vobis revocans, quod Salvator noster Petro aliisque discipulis suis dixit: *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Luc. 22. Id est, ut Beda exponit: *Expetivit vos tentare, & velut qui triticum purgat ventilando concutere.* Verum macte sis animo ô Petre & noli timere, nam Patrem æternum ego rogavi, ut fides in te conservetur: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. Volens eidem demonstrare, quod cum fide armatus sit, timere nequaquam debeat, siquidem superaturus sit omnes insultus & dissipaturus omnes Sathanæ technas: (Nam etsi paululum agitandus sis (inquit Theophilus Antiochenus) habes tamen reconditum semen fidei.) Cum igitur magnus Patriarcha toties cum Dæmone dimicaverit, eumque semper vicerit, & in turpem fugam abegerit, facile hinc est devenire in cognitionem excellentissimæ Fidei suæ, atque concludere ipsum fuisse admirandum ipsiusmet fidei prodigium.

Idem ib. *Beda in Cat.* *D. Th. ib.* *Theoph. Antioch. in Cat.* *D. Th. ib.*

10. Nemo est, ô Auditores, qui ignis violentiæ resistere valeat, nisi fidei armis sese communiat, prout multi fecerunt, & præcipue tres pueri in Babylonicæ fornacis flammas conjecti, qui ut dicit Apostolus: *Per fidem extinxerunt impetum ignis.* Hebr. 11. Circa quæ verba observat Theophylactus: quod *Non dixit extinxerunt ignem, sed vim ignis quod majus est*, id est nimis violentam ignis activitatem. Sic Cajetanus: *Impetum, id est, potentiam ignis.* Hæc quoque specimina Fides S. Dominici edidit, quæ si placet audite. Cum enim sanctus vir Dei una cum Episcopo Oxomensi, ob quædam negotia Alphonsi Regis Castiliæ esset Tholosæ, nunquam cessavit sese totum extirpandæ hæresi Albigensium impendere, qui cum in falsitate sua pertinaces essent, prætendentes S. Dominicum non vero se errare, proposuit illis S. Dominicus ut in medio publicæ plateæ ignis quidam accenderetur luculentus, in eumque tam S. Dominicus, quam ipsi hæretici Albigenses libros suos conjicerent, quibus utriusque partis doctrina contineretur, demum vero ea doctrina probaretur utrimque tanquam veritati consentanea, quæ contineretur in libris iis, qui in medio flammarum incombusti permanerent & illæsi: alia vero quæ in libris incineratis fuisset conscripta, tanquam falsa & erronea condemnaretur ab omnibus Dictum, factum. Sed quid demum accidit? Libri Albigensium facti sunt in escam flammarum, Dominici vero libri prorsus transeunt intacti atque illæsi. (Cum ergo hæreticorum libri facile statim comburerentur, prodiit sanctissimi Dominici Codex illæsus & incombustus) Alia quadam vice propositiones quasdam Theologicas atque Catholicas in chartam conscribit, easque Albigensibus transmittit, tanquam veritatem certissimam & infallibilem in se continentes, eosque insuper provocat, ut si quid habeant quod in contrarium opponant, acturum coram ipso compareant, futurum enim, ut omnem iis daturus sit satisfactionem. Unus autem illorum receptam hanc chartam in ignem projici jussit, nec alio illam honore est dignatus. Ignis autem, haud secus ac si activitatem omnino mortificasset vel perdidisset, nullum chartæ huic nocumentum attulit. Ter enim ab illis in ignem fuit injecta, & semper *Incombusta penitus ab igne resiliit.* Quid hic vobis, ô Auditores, dicendum videtur? nunquid Deus in Dominico ratificat id quod Apostolus affirmat: *Per fidem extinxerunt impetum ignis?*

Thom. de Trus. in vita ejus. *Petr. de Natal.*

11. Etenim tam ignis quàm aqua certatim ad hoc contendere videntur, ut sanctum Patriarcham tanquam verum fidei prodigium præconizent: Idque non solùm per hoc quod cum quinquaginta Anglicani essent in mari submersi, Dominicus mari præceperit, ut eos vivos & sanos restitueret, factumque sit protinus ut *Incolumes ad terram pervenirent.* Neque per hoc tantum, quod ipso iter agente cum sociis, factum sit quod pluvia eum habuerit sancti Patris respectum & reverentiam, ut nec ipsum nec itineris sui comitem secum ambulantes madefaceret, sed procul tribus cubitis ab ipsis in terram dilaberetur. (In itinere positus, dum vi gravis pluviæ inundatio fieret, à se & à sociis imbrem signo Crucis repulit.) Sed quod ipsammet admirationem obstupescere facit, quod cum in itinere quodam Tholosam versus esset constitutus, & Aregiam flumen transiret, nonnulli libri sui in aquas deciderint, quos adhibita quavis diligentia recuperare non potuit? vehementer quidem librorum jactura ei displicuit, verumtamen iter suum strenuè est prosecutus. Elapso autem triduo nonnulli piscatores

Petrus Episc. Equilin. vita ejus.

res partim hamo, partim verò reti, sancti viri libros extraxerunt, omnesque siccos, & ne vel minimum madidos, vel contaminatos, imò in tam pulchro ordine dispositos invenerunt, ac si summa cum diligentia in scrinio quodam fuissent conservati. (Triduo post piscator quidam dum se magnum cepisse piscem putat, sic eos de aqua eduxit, ut ne vestigium quidem humoris appareret? & viderentur non ex fundo fluminis sed ex scrinio vel Bibliotheca prolati.) Mira profectò res! Aqua hosce sancti viri libros non audet offendere, suamque amittit humilitatem & naturalem malefaciendi proprietatem, ut verificaretur quod non solùm doctrina & libri Dominici *extinxerunt impetum ignis?* Verùm etiam suam humectandi activitatem aquæ ademerint. Notate igitur. Doctrina & libri sancti hujus viri, transeunt per ignem & non comburuntur: item per aquas, & no madescunt. Unde doctrina ejus supra fidem orthodoxam fundata ab his elementis adeò canonizata fuit, ut sanctu Patriarcha dicere potuisset: *Transivi per ignem & aquam.* Verùm enimverò ad aquam pervenimus, quæ ut Propheta dicit: *Non potest transvadari?* ideòque non datur ad ulteriora processus, cùm enim Dominicum fidei prodigium esse demonstrarim, de eo nihil insuper dicendum restat. Unde gressum orationis sistens, hic nonnihil quiesco.

Abr. Bzov. ad Ann 1204 n. 25.

PARS SECUNDA.

11 SAnctus Paulus loco supra citato plura alia virtute fidei à servis Dei patrata prodigia prosequitur dicens: *Effugerunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Ad Heb. 11. Omnes autem actiones illæ sunt actus fortitudinis ex fidei calore à servis Dei eliciti, omnes in Abraha Patriarcha præcipuè verificari reperiuntur. Hic namque in præliis insuperabilis erat, nunquam enim se alicui certamini commisisse legitur, quin inimicos suos in fugam egerit, & victor gloriosus evaserit. Ex omnibus tamen militaribus actionibus per ipsum patratis, una est quam præcipuè admirot. Quatuor enim Reges, id est, Chodorlahomor Rex Elamitarum, Thadal Rex Gentium, Amrophel Rex Senaar. & Arioth Rex Ponti, in prælium egressi sunt adversum quinque Reges potentissimos Sodomæ, Gamorrhæ, Adama, Saboim, & Bale: *Quatuor Reges adversus quinque.* G. 14. v. 8. Et hi quinque à quatuor aliis superati & profligati fuêre. Abraham arreptis adversum victorem armis, solus cum turma trecentorum decem & octo militum eis obviam processit, eosque diutius pugnando vicit, & dissipavit: *Divisis sociis irruit super eos nocte, percussitque eos, & persecutus est eos usque Hobam & Phœnicem, quæ est ad Lævam Damasci.* Genes. ibid. O generosum Abrahamum! O victorem glorioſum pro meritis suis nunquam satis celebratum! Quomodo enim cum tam paucis militibus, adversus quatuor copiosos numerososque exercitus prævalere potuit: Fortè aliquo fuit ingenioso & militari stratagemate usus? *Si isti quatuor in fugam verterunt alios quinque & diripuerunt substantiam eorum, quomodo ergò unus Abraham cum aliquibus solum vernaculis victor evasit;* Respondet S. Ambrosius ipsum victoriam illam virtute fidei obtinuisse: *Fide magis quàm virtute militum quæri solere victoriam: Nam & Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellum, & exinnumeris trophæa hostibus reportavit.* Qua ratione sapiens illa mulier Judith ab Holopherne totius exercitus Assyriorum Generali Duce victoriæ palmam fidei virtute reportavit. (Vide belligerantes viros fœmina docuit vincendi artes triumphandi dotes.) Sed qua ratione? (Fide vincere, religione triumphare] Quibus mediis David horrendum & formidabilem illum gygantem deterruit? Dicat idipsum ipsemet victor per Chrysostomi authenticam sententiam: *Ipse armorum virtutis fidens, pugnam accessit, David autem fide.* Qua arte Ezechias Rex ab exercitu Sennacherib ex centum octoginta quinque mille militibus constante circumquaque obsessus, cum minus mille bellatoribus sese defendit? Dicat idipsum S. Paulinus

S Ambr. T. 2 l. 1. de Fide in Prologo.

Ioseph. de la Zerda in c. 16. Iud. v. 1. n. 2.

D. Chrys. t. 1. hom. 46. in c. 2. Gen.

Nulla fides armata Deo, fideique rigore
Fortior Ezechias paucis quam millibus ille
Sennacherim cujus Babylon & optima Ninive
[*Regnum erat.*

D. Paul. in Nat. S. Felicis Natalib.

13 Cùm igitur Hebræi tantos habuerint animos, tamque præclaras obtinuerint victorias per Fidem quam habuerunt in Messiam venturum, quid dicemus patrasse S. Dominicum qui in Fide Evangelica admirandum quoddam fuit prodigium? Ingressus est S. Pater Romæ Basilicam S. Petri, ut orationem suam ad Deum

funderet, eo fine ut Deus mentem suam illuminaret & dirigeret in iis quæ ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem facturus erat. Et ecce apparent coram ipso duo glorioſi Apoſtoli Petrus & Paulus, quorum ille ei baculum præſentat, ac ſi ipſum Altiſſimi Dei nomine Generalem ſanctæ Eccleſiæ Ducem creare voluiſſet, alter verò librum ei porrexit, ad hoc ut fide armatus, doctrinæ Evangelicæ gladio adverſus Hæreticos, & contra vitia prædicando dimicaret, dicens ei: *Vade & concionare, nam ad hoc miniſterium divinitus es electus*; Ehem cum quanto fervore munus iſtud exercuit? Quanta cum animi fortitudine & cum quam intrepido corde ſeſe certaminibus & prœliis hiſce ingeſſit? Longam quidem multorum ſeriem recenſere poſſem, veruntamen unicum duntaxat vobis ut ſufficiat deſidero, quod nihilo inferius illis erit, quæ ab Abrahamo, Juditha, & Davide fuêre patrata. Comes quidem Gallus, cui nomen erat Simon Monfortius modicum quendam bis millium Catholicorum militum exercitum in ordinem dirigit, & Hæreticorum exercitui, qui numerum centenorum militum facilè ſuperabat, obviam procedit. Sanctus autem Pater dicti Comitis lateri aſſiſtens, Crucifixumque in dextera ſua tenens, cunctos Catholicos hortabatur ad generosè pugnandum. Caſtra metantur itaque ambo exercitus, congrediuntur, pugnando utrimque pro viribus urgent, Dominicus inimicorum ſagittas & gladios nihil timens omnes Catholicos tanquam Dux impertertitus præcedit, Crucifixum dextera ſua in altum ſublevat, omneſque ad fundendum pro fide ſanguinem animosè & efficaciter hortatur, ſiquidem effuſus hic ſanguis monetæ loco futurus ſit, quo æternam ſibi gloriam comparare poſſent. Monet inſuper ne ad præſentis vitæ jacturam reſpiciant, quin potius firmiter ſibi perſuadeant, ſe per hanc ſibi comparaturos eſſe immortalitatem. Interim verò perſæpè in Crucifixum & Dominicum integri quidem evolant inimicarum ſagittarum exercitus, ſed nec uni vel alteri appropinquant, minus eoſdem offendunt vel lædunt. Imò evibratæ ab inimicis ſagittæ Catholicis faventes in damnum retorquebantur Hæreticorum: [Zelo fidei Catholicæ inflammatus, inermis inter denſiſſimos ſagittarum telorumque imbres. Crucifixum præferens nullum accepit aut vulnus, aut damnum.] Et poſtquam diu utrimque dimicatum fuiſſet, hic tandem pugnæ exitus fuit, quod ſcilicet viginti millia Hæreticorum in ipſo certaminis loco cæſa fuerint, reliqui verò in turpem & irreparabilem fugam fuerint acti, fuerintque bis mille Catholici adverſum centum Hæreticorum millia glorioſi victores. Cùm igitur Dominicus liberaverit Catholicos, qui *Effugerunt aciem gladii, fortes facti ſunt in bello, Caſtra verterunt exterorum*? Hæcque omnia præſtiterit in virtute fidei, quis illi non acclamabit eum fuiſſe ejuſdem fidei admirandum prodigium? Etenim Comitis Monfortii conatus nunquam tam glorioſo exitu fuiſſent coronati, niſi Sanctus noſter, tanquam ſanctæ Eccleſiæ Dux generalis ſuum quoque contuliſſet ſubſidium. Quomodo enim duo millia centum millibus prævalere poterant? Utique omnes Catholici in nihilum fuiſſent redacti, niſi virtute fidei S. Dominici fuiſſent confortati, prout S. ſcribit Apoſtolus: *Convaluerunt de infirmitate*, id eſt, uti Chryſoſtomus & Hugo explicant: *Ex imbecillitate facti ſunt fortes*: Cajetanus *Ex impotentibus facti ſunt potentes*? Alii: *Ut ex iefirmis & timidis, fierent fortes, validi, & audaces*: prouti in ſupradicta factione accidit.

Thom. de Truſ. in vita ejus.

Chryſoſt. & Hugo ibid.

Cajet. ib.

Abr. Bzov. ad An. Chr. 1215. n. 1.

14. *Per fidem convaluerunt de infirmitate.* S. Lucas refert quod tempore Eliſæi Prophetæ, multi fuerint inter Iſraelitas leproſi, nec tamen ullus eorum mundatus aut ſanatus fuit, præterquam Naaman Syrus. *Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſeo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.* Luc. 4. Cur autem ſolus Naaman adeò fortunatus fuit: Una ex ancillis Hebræis Naamani Duci dixerat, inter Iſraelitas adeſſe Eliſeum magnum Dei ſervum, qui in corporibus omnis generis in nomine Domini fugaret infirmitates, curis ſubitò fidem adhibuit? unde quia ipſe ſolus fidem habuit, ille quoque ſolus à lepra liberatus fuit, non verò alii: [Hic ex ancillulæ Hebrææ ore audivit Summi Dei Prophetam Eliſæum eſſe in Iſrael, qui in nomine Domini eliminabat cunctos, & ſtatim non dubitavit fore, quod à magno Deo Iſrael per Prophetas ſuos ſalus veniret.] Verbum Dei incarnatum ſervi illius Evangelici infirmitatem percipiens, ſtatim promptè ſe obtulit ad abeundum ut curaret illum: *Ego veniam & curabo eum.* Matth. 8. Subjungit autem Sacer textus, quod in eodem momento temporis, abſque eo ut in domum infirmi deſcenderet, ei ſanitatem reſtituerit: *Et ſanatus eſt puer*

Didacus de Baeza p. 2. in Evang. l. 17. c. 2. §. 1.

puer in illa hora. Idem ibid. Ex quo autem Christus se in domum infirmi ad eum sanandum abiturum promiserat, cur non vadit eo, sed in eodem loco ubi promittit, infirmum quoq; à morbo suo liberum reddit? Fides quam infimi Dominus in Christum habuit, meruit, ut Filius Dei ante tempus ejus concessioni determinatum, pratiam hanc illi præstaret. Unde Rabanus:

Rabanus Maur. in Cat: D. Th. ib.

[Quodsi dicat: secundùm mensuram fidei, metietur tibi & ista gratia.] Si fides mensura est gratiarum in ordine ad infirmitates, evidenter hinc colligi poterit Dominicum illustre fuisse fidei prodigium. Vir quidam duplici infirmitate octodecim annos oppressus languidus & cæcus, ad Dominici confugit auxilium. Et convaluit de infirmitate. Bononiæ adolescens quidam scholatis ob dolores quos ex genu & renibus suis continuò patiebatur immobiliter affixus erat lecto, qui à S. Dominico subsidium postulavit. *Et convaluit de infirmitate.*

Iacob. de Vorag. in vita ejus.

Juvencula quædam in Sicilia calculi doloribus affecta, & à Medicis desperata, ad opem S. Dominici recurrit. *Et convaluit de infirmitate.* In Pedimontio Hydropicus quidam jam jam moriturus, gratiam sibi à S. Dominico fieri popposcit. *Et convaluit de infirmitate.* In Monasterio Maddensi Monialis quædam Tripolis nominata per quinque menses continuos vehementibus doloribus cruciata fuit, Dominicus autem, cui ipsa magna fide devota erat opportunum ei attulit remedium. *Et convaluit de infirmitate.*

Th. de Trus. in vita ejus.

Duæ mulieres erant, quarum una in pectore suo apostema quoddam habebat adeò putridum, ut vermes scaturiret, & intolerabilem astantibus afflaret fœtorem: altera verò brachium habebat ex pestifera Cancrena penitus consumptum, ambæ confugerunt ad S. Dominici patrocinium: *Et convaluerunt de infirmitate.* Denique *Contulit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, leprosis salutem, mortuos etiam ad vitam ejus suffragantibus meritis revocavit.* Hæcque omnia in virtute fidei suæ semper & ubique præstitit?

Iac. de Vorag. in vita ejus.

15. *Mortuos ad vitam revocavit.* Porrò mors & vita sancto huic Patriarchæ certatim obediebant? Illa fugiendo, ipsamet experientia comprobantes, quod *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Scio equidem quod Nabuchodonosor ob culparum suarum gravitatem & enormitatem à Deo attrociter fuerit castigatus, dum eum in bestiam quandam degenerare fecit, adeò ut relicta propria Regia sua in sylvis cum feris habitare debuerit, de quo S. Paulinus dixit: *Corporis specie transivit in belluam, qui non solum à Regnis suis, sed etiam à sensibus exulabat humanis, coma tristi Leonem, uncis unguibus vulturem, sensu & pabulo bovem referens: ut unius tantum bellua similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus.*

D. Paul. Epist. 4. ad Severũ T. 5. Bibl. SS. PP.

Postea verò per unicum actum fidei, quem in Deum habuit, Deo complacuit ipsum primitivo statui suo denuò restituere: *Intellecto tamen tandem Deo, & sensui reformatus & regno, factus est ipse nobis in exemplar fidei.* Magna profectò fuit in hoc Rege fide virtus, quod esse & vitam hominis recuperarit, sed *secundùm quid*, siquidem antecedentet etiam homo fuerat. Dominicus autem per fidem suam mortuos suscitans dabat iisdem Deo id concedente esse & vitam *simpliciter* In Nabuchodonosore duæ partes substantiales, corpus scilicet & anima unita erant: In mortuis autem ambæ hæ partes sunt sæperatæ. Fides Nabuchodonosoris operata est solum in uno, Dominici autem circa multos, & in multis virtutem suam manifestavit. Matronæ cujusdam Nobilis filius Romæ mortuus erat, Dominicus autem plorantis matris pietate commotus eundem in Dei nomine resuscitavit. *Et accepit mulier de resurrectione mortuum suum.* In eadem Civitate Architectus quidam è culmine fabricæ cujusdam, quam pro erectione Monasterii exstruebat, dilapsis à collabescente post ipsum muro, ossibus ejus confractis, omnibusque membris conquassatis oppressus est, mox autem propter filiorum afflictionem ad pietatem commotus Dominicus, orationem ad DEUM effudit, vitæ fidei suæ virtute eundem vitæ sanum & salvum restituit. *Et acceperunt filii de resurrectione mortuum suum.* Nepos Cardinalis Stephani Fassanova cum vitæ jactura ex eoque decidit, Dominicus cum viva fide orationem ad Deum fundit, eumq; liberum ab omni offensa resuscitat, omnibus circumstantibus præ admirationis magnitudine attonitis. *Et acceperunt de resurrectione mortuum suum.* Juvenis quidam piscando in flumen cadit, ac deinde mortuus ad litus appellere. cernitur: Mater afflicta & desolata ad sanctitatem servi DEI recurrit, qui eum per brachium quoddam adprehendens, è mortis manibus eripit, & vitæ restituit: *Et accepit mulier de resurrectione mortuum suum.* Nobilis quidam una cum conjuge sua & filio ex Ungaria peregrinatur ad visitandas S. Patris

Thom. Trus.

reliquias, vix autem Bononiam appulerunt, cùm ecce filius gravi quadam infirmitate oppressus mortuus est. Parentes mœsti & dolentes filii cadaverante arcam S. Dominici deferunt dicentes. Huc venimus gaudentes & læti, ut te visitaremus, jam verò filio nostro orbati plangentes & dolentes redire cogimur. In societate filii hucalacres venimus, nunc grata ejus societate destituti tristamur: Redde igitur nobis ô gloriose Patriarcha, vivam cordis nostri lætitiam & unicum solatium. Dumque in hæc verba loquerentur, redeunt paulatim in extincti filii pectus vitales spiritus, & parentes cum gaudio recipiunt filium resuscitatum. *Et acceperunt Genitores de resurrectione mortuum suum.*

Jacob. de Vorag. ib.

16. Etenim ex quo mors vitæ nostræ terminus est, & pariter finis hujus mei discursus, prætereundo igitur quod *Maximis vivens & post mortem miraculis fulserit*, silebo quod dum ab Hæreticis quibusdam sicariis in solitudinem quandam perductus esset, iis sibi mortem minitantibus dixerit, majorem se ab iis gratiam non posse recipere, quam sibi ab iis pro amore Dei pati cogeretur martyrium. Præterea quod sæpè sæpiùs ad eum modum quo Redemptor noster ingressus fuerit jam in Ecclesiam, mox in Monasterium *Ianuis clausis, Maximis vivens & post mortem miraculis fulsit*. Omittam quod Bononiæ juvenis quidam lascivus & dissolutus, dum S. Patris exoscularetur sacras manus, fragrantiam quandam persenserit adeò suavem, ut protinus per eandem extincta in eo fuerit carnis petulantia, & sensualitatis ac libidinis incentiva. *Maximis vivens & post mortem miraculis fulsit.* Non hic recensebo qualiter in Capitulo Generali Romæ celebrato quadraginta Religiosis omni victus annona destitutis, jussu tamen suo mensæ jam præparatæ assidentibus, subitò duo apparuerint Angeli in specie duorum elegantissimorum juvenum, canistris onusti tot panibus refertis quot illorum postulabat necessitas. *Maximis vivens & post mortem miraculis fulsit.* Prætetibo quod dum vasa vinaria Monasterii vacua essent & inania, à ministris à viro Sancto ad vinum inde depromendum ad ea missis vino reperta fuerint plena, *Maximis vivens & post mortem miraculis fulsit.* Dissimulabo eum dono prophetiæ claruisse, siquidem eventus futuros frequentissimè prædixit, nimirum quando Romæ pro Capituli celebratione in S. Sixti Monasterio quatuor advenissent religiosi, vaticinatus est duos in corpore, & duos in animo morituros. Similiter quando Tholosæ inter plures alios Hæreticus quidam flammis adjudicatus erat, pro eo liberando sollicitavit dicens eidem: *Scio quia bonus eris & sanctus. Maximis vivens & post mortem miraculis fulsit.* Lubens prætetibo quod eadem hora qua Dominicus ex hoc mundo migravit ad gloriam, ab Episcopo Brixiensi visæ fuerint duæ scalæ, quæ à terra ad cælum usque protendebantur, ut mundus sciret hasce illi præ Jacobo longè fortunatiori, ab Angelis pariter & à Deo præparatas esse, ut post absolutum in terris certamen, tanquam Generalis S. Ecclesiæ Dux una cum universa Prædicatorum militia ascendere ad cælum possit. *Maximis vivens, & post mortem miraculis fulsit.* Silebo denique quicquid ulterius ad S. Patris laudem dici posset, cùm totum id quicquid hactenus diximus, respectu eorum quæ insuper de eo recenseri possent, nihil sit æstimandum. Mihi namque sufficit quod ipsum verum quoddam fidei prodigium fuisse declaratim? relinquendo Ecclesiæ plenum jus suas plenariè celebrandi glorias dicendo: *Fuit vir planè Apostolicus, pectoris ac spiritus fidei culmen, Evangelii tuba. Orbis oculus, Christi lucerna, secundus præcursor, & magnus animarum Oeconomus, quem multiplices tantarum virtutum in cælo corona decorant.*

D. Antonin. in lect. off. S. Dom.

* * *
* *
— —

SER-

SERMO VIGESIMUS TERTIUS IN FESTO S. LAURENTII MARTYRIS.

Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.

INvictus Levita & Martyr Christi gloriosus Laurentius, nec flammas sentit, nec curat incendia, nec ardores quicquam æstimat. Imò carbones illi rosæ esse videntur, flammæ suaves auræ, & floridus hortus ignita craticula. Unde Gilibertus Abbas inquit: [De craticula vocatur ad hortum, & dum in craticula erat ab horto non aberat.] O prodigia! ô miracula! [Beatus Laurentius craticulam suppliciis, lectum quietis putabat,] scribit Chrysologus. Obstupescit natura, & attonita hæret, credens singulare esse Phœnicis privilegium eidem soli de cælo concessum, quod pennas suas per ignem renovet, & de tempore triumphans rejuvenescat. Item quod nemo excepta Pytausta & Salamandra, talem cum igne sympathiam habeat, ut ab eo minimè lædi possit, quin potius per virtutem quandam incognitam, eidem possit resistere. Similter quod solus Papylio ignem non timeat, sed potius vagabundus cum flamma ludere videatur, nihil æstimans quod sæpè aspere inde damnificetur. Ars quoque attonita remanet, vultumque suum verecundi ruboris larva obtegens, apprehendere nequit, fieri posse, ut licet ignis chalybem domet, ferri duritiem emolliat, scilicet in cineres & calcem vertat, imò ipsamet æra dominativa sua potentia liquefaciat, eidem tamen solus resistat Laurentius, ac proinde in mediis flammis intrepidum sese demonstret. Ætas in admirationem rapitur existimans, quòd sæculis præteritis unicæ fuissent Portiæ Romanæ, Perilli, & Catulli qui desperationis impulsibus agitati inter accensos carbones suffocarentur. Nec alios quam Curtios fuisse, qui ut se patriæ redderent benevolos, in flammivomas sese voragines præcipitabant? Aut Mutios qui in veritatis contestationem in præsentia Porsenæ Regis dexteram suam in ignem constantissimè & pertinaciter ad combustionem usque extendebant. Aut Enetos, Anchyses, Julos, qui Trojana constanter per transibant incendia. Aut solos fuisse Alexandri Ephœbos, qui quantumvis accensi carbones manum concremarent, haud secus ac statua quædam ænea immobiles permanebant, cum tamen nunc videat Laurentium prunas non formidare, sed flammis potius constanter resistere. Gratia quoque præ nimio stupore semetipsam nequit capere sua videns renovari prodigiosa miracula, dum Laurentius veluti novellus rubus in craticula ardet, & non consumitur aut comburitur, & ad Eliæ incitationem in curru igneo ad cælum ascendit: *Ianuas tuas ingredi merui* Nec tamen vobis, ô Auditores, imaginati debetis ignem Martyris nostri similem esse igni montis Chymæræ, qui cum sit exiguæ activitatis & potentiæ, per injectam terram aut fœnum extinguitur & suffocatur. Nec similis est igni, qui in Planitie Panor, Provinciæ Vocan, Jurisdictionis magni Chami nascitur, qui cum sit à frigore circumstantis aeris valdè mortificatus, adeò est debilis, ut per experientiam comprobetur illum ad comburendum vel incinerandum alia esse inhabilem. Dissimilis quoque est ei, qui ut Aristoteles refert in Pitecuto reperitur, qui calorem habet ad calefaciendum, ad comburendum verò minime. Nec comparari potest cum igne fornacis Babylonicæ, qui ut scribit Chrysostomus in Psalm. 96. *Sua natura ignis oblitus tam nihil nocuit, ut etiam capillum lasioni valdè obnoxium non offenderit* Nec cum illo quem adolescentulus Helenus suo portabat in sinu, qui quasi teneræ illius infantiæ & innocentiæ vitæ aliquem detulisset respectum, illum lædere non audebat; Aut cum illo qui in attestationem puritatis simplicii Episcopi activitatem suam amisit, adeò ut ne lineum quoddam velum quod ad unius continuæ horæ spatium in eo igne jacuerat, lædendi vim

Gilib. Abbas apud D. Bern. t. 2. serm. 40 in Cant. D. Petrus Chrysol. serm. 135.

Plin. l. 5. c. 27.

Arist. de mir. c. 35.

Valerius Max l. 4. c. 6.

Majol. Colloq. 22.

habuerit. Vel cum igne Polycarpi, quando is tempore Antonini Smirnæ in eum ignem conjectus, non solum non est læsus, verum etiam membra ejus ex igne illo refrigerabantur: Aut cum igne Beati Manantis, quando regnante Aureliano Imperatore in Paphlagonia ipsimet igniti carbones ad nihilum reducti fuerunt, ipseque servus Dei inter carbones illos integro triduo intactus est conservatus. *Illæsum comperere-* Sim. Met. 2. Sept. *runt lictores athletam Domini, nullo ignis vestigio in eo relicto.* Multum quoque dissimilis est igni illi qui B. Christinæ Scotiæ miræ sanctitati toties venerabundum respectum & reverentiam detulit: *Quando se in ardentes fornaces injiciebat,* Dionys. Carthus. de 4. novis. c. 50. *nec tamen in ea egrediente læsio apparebat.* Nec Laurentii ignis æstimandus est similis igni Episcopi illius Catholici, qui in defensionem fidei contra impii Arii perfidiam, cum Constantinopoli Leone Imperatore vivente disputaret, veritatem Christianam miraculosis operibus comprobaturus, sese audacter in medias flammas conjecit: *Salvusque etiam vestibus intactis remansit.* Quin potius Laurentii vehementissimus ignis, intolerabilem suam exercebat activitatem, adeò ut omnia ejus membra facilè concremata & ab eo igne devorata fuerint. *Non enim,* Serm. 1. de S. Laur. tom. 10. ut S. P. Augustinus inquit, *B. Laurentius brevi vel simplici passione perimitur: Nam qui gladio percutitur, semel moritur, qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur; hic autem longa & multiplici pœna cruciatur, ut mors ei adsit ad supplicium, & desit ad finem.* Unde crudelitatem hanc Tyranno in faciem exprobrabat dicens: *Assatum est jam, versa, & manduca.* Et tamen flammarum atrocitati, & voracitati incendiorum constantissimè restitit? Quod valdè mirandum est qua ratione fieri potuerit. Nam an forte mysticus quidam erat Amianthus, qui ignis violentiæ neutiquam cedit? Aut fortasse Topazii proprietate præditus erat, qui aquarum bullitus temperat & refrigerat? vel forsitan carbunculo similis erat, qui fit in carbonibus intolerabilis? Me certè quod attinet illum mysticum Adamanti similem fuisse existimo, de quo Scriptores referunt, quod *ignium victrix est* Str. l. 10. Sangem. l. 2. c. 30. Vinc. Bell. in sp. nat. l. 8. c. 39. *Adamantis natura, numquam enim igne incalescit. Cum omnia fere igni cedant, ignium victrix est Adamantis natura.* Unde alius quidam Emblema exinde formavit, cum hac inscriptione: *Nec ferro nec flamma?* quia neque ferrum expavit craticulæ, neque ardentes candentesque carbones, erat Adamas qui Italice diamante quasi Deum amans appellatur, ignis enim amoris, qui ardebat in interiori sui pectoris, extremo igni membra ejus exteriora torquenti fortissimè resistebat. *Ignem igne superabat* (inquit B. Laurentius Justinianus) *vehementius namque longeque magis charitatis, quàm materialis ignis utebatur incendio.* O animatum diamantem, qui ferro non cedit, flammisque resistit. *Si transieris per ignem flamma non nocebit tibi.* Vos interea, ô Auditores, rogo sermonis mei ruditati cum patientia paulisper resistite. Serm. de S. Laur.

2. *Si transieris per ignem flamma non nocebit tibi.* Ergone Laurentius inter medias flammas manebit illæsus! Etenim quod ignis ille à Tyranno subministratus cum suis ardoribus nihil operetur, nec quicquam Laurentium offendat, prodigium est inauditum & incredibile. Cujus equidem variæ poterunt rationes adduci, una autem è præcipuis fundata est in veræ Philosophiæ experientia, quæ nos docet, quod *intus* Gisbert. Guil. Cent. 1. Estat. 94. *existens prohibet extraneum.* Cui axiomati à Philosopho quodam hic sensus adaptatur: *Hinc locus debet esse denudatus à colore, auris à sono, nari ab odore? alias enim non reciperet illum sicut nec ignis, quia jam calidus est, calefieri non potest.* Forma substantialis, quæ intrinsecè dedit esse materiæ, impedit quamvis aliam extrinsecam, adeò ut subintrare nequeat nisi præcedens tollatur, quia una alteri resistit. Sic personalitas *quæ est ultimum complementum naturæ*, eam reddit incommunicabilem, & interminabilem à quia vis alia extrinseca personalitate. Albedo vel nigredo, quæ subjectum aliquod afficit, & qualificat, ipsumque tale denominat, cuivis alteri albedini, quam alias superaddere vellet, resistit. Sic quoque ignis externus calorem in subjectum aliquod introducere non potest, quod antecedenter virtute calefactiva invenit informatum, quia unum impedit operationem alterius. Et hic est sensus axiomatis illius Philosophici, quo dicitur: *Intus existens prohibet extraneum.* Charitas interna quæ in Laurentii pectore ardebat, superabat operationem ignis extremi, qui membra exteriora foris cingebat. Estque hæc etiam observatio sanctorum PP. & Ecclesiæ Doctorum S. Aug. t. 10. serm. 1. de S. Laur. Ambrosii & Augustini, dicentium: *Hoc igne B. Laurentius accensus flammarum non sentit incendium, & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit. Corporali enim B. Laurentius laborat incendio, sed divinus Salvatoris ardor materialem Tyranni restinxit ardorem.* Et in sequenti sermone subjungunt sancti Patres: *Ardebat* D. Ambr. serm. 71. in fest. S. Laur.

debat extrinsecus B. Laurentius Martyr tyranni sævientis incendiis, sed majori illum intrinsecus Christi amor flamma torrebat. Adamas animatus erat, qui ferto resistebat craticulæ, & Tyranni ardenti flammæ: *Nec ferro cessit, nec flammæ.* Expertusque est speciale interni amoris opus esse, quod in medio incendio positus *flamma non nocuit ei, & odor ignis non fuit in eo.* O charitas rigerosa Laurentii, quæ nimis dominativū flammarū ausum novit retundere.

3. Valdè religiosa & devota fuit illa Rudolphi II. Imperatoris inventio, quando post decretum & determinatum bellum adversus exercitum Ottomannicum vel Turcicum in vexillis aureis fecit literis scribi, & in armis propriis militumque suorum insculpi hoc verbum ADSIT: Nemo erat qui verbi illius mysterium penetrare posset, nisi ipsemet conceptum suum aliis Ducibus communicaret. Observate igitur, inquit, quam libet hujus verbi literam, singulæ enim integram aliquam dictionem secum infetunt & exprimunt. *A auxilio D. Dei? S Superabo? I. Imperatorem? T. Turcarum*, eo que victor, glorioſam de jurato Christiani nominis hoste reportans victoriam, mihi à favonia Divini succursus & subsidii aura concessam. Laurentius quoque dum cum flammis, craticula carnificibus, atque Tyranno dimicaret, in patientiæ suæ insigni idem verbum expressum habuisse videtur ADSIT. Et quidem si ejus intelligentiam penetrare vobis sit animus, eandem à martyrium crudele perpesso Laurentio interrogare, qui tametsi ingentibus sit tormentis subjectus, veruntamen benevole, placidè, atque benignè vobis respondere non dedignabitur. *A. amore D. Divino S. Superabo. I Ignem T. Tyranni.* Volens inferre, quod virtute divini amoris qui intus existebat, constanter intentata sibi incendia sustinuerit, victa crudelitate carnificum, & Tyranni impietate depressa. Ehem quam ingeniosè veritas ista à S. Maximo ratificatur & confirmatur, dum ait: [O novum mirandumque certamen unius ejusdemque viri. Et flammis corpus urebatur, & ardentis fidei calore mens ignita fervebat. Ubi ergo cor ardet, flammam membra non sentiunt. Ubi Christi ignis operatur, Diaboli necesse est vincatur incendium? Et ubi Dei Spiritus fervet, frigida sit flamma mortalium.

4. Magnanimum se Martyr Christi exhibuit, quando coram Decio Imperatore expressè contestatus est, se minas suas nequaquam formidare, nec tormenta sua expaveſcere: *Non timeo tormenta tua.* Quis cor aliquod ita constans & intrepidum esse audiens non obstupescat? Et tamen in tota Roma nemo erat, qui illum protegeret, imò nullus erat, qui non omnem adhiberet operam ad animum ejus dejiciendum, & incutiendam ei formidinem, & tamen ipse audacter & generose protestatur: *Non timeo, non timeo tormenta tua.* Cujus causam per eventum aliquem *ab oppositio*, qui in persona S. Petri Apostoli accidit, investigare potetimus. Etenim sancti Patres causam examinant & motivum quod Apostolorum Principem ad negandum Magistrum suum, nec non ad affirmandum medio juramento, quod eum non esset commoverit? *Nescio quid dicis, non novi hominem illis.* Et tamen Cæsareæ quæ est sub Jurisdictione Philippi, eū tanquam verum Dei filium apertè confitetur dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi.* In cœna quoque se promptum offert ad carceres & mortem potius subeundam, quam ut Dominum suum neget: *Tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire.* In horto Gethsemani etiam aprehensum ensem in caput cujusdam impertinentis ministri stringit, eique auriculam amputare non dubitat. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servū* Quomodo ergo postea in atrio Pontificis animum & generositatē amisit, & ex generoso Leone, timidulus & ignavus factus est lepusculus? Quænam est hæc mutatio? unde procedit: Num fortè ex unius mulieris alloquio? Non videtur id mihi verisimile, quod si enim in horto impertterrita fronte turmis & copiis armatis occurrere potuit, quomodo igitur fieri poterit, quod ad unicum cum fœmin aliqua in publico atrio habitum colloquium Petrus adeò vehementer instar folii à vento agitati tremat? Respondent sancti Patres quod tam in Cæsarea, quam in cœnaculo & horto vivebat in corde Petri fervidus amor erga magistrum suum, ac proinde timor eo subintrare non potuit, siquidem locum illum à charitate occupatum invenit, quæ *foras mittit timorem.* Ita Chrysostomus: *Ita efferbuit ut gladium evaginaverit* In fuga autem illa quam Petrus aggressus est, quando *relicto eo omnes fugerunt* charitatem amisit? unde cor suum mane & vacuum, non invenit quod subintranti timori resisteret. Fuit; timor ille, quo corripiebatur tantus, ut tandem sermo unius vilis & abjectæ mulierculæ, ei terrorem atque formidinem incuteret: *Et vilis puella minas non sustinet,* inquit Chrysost. ubi sup. Et S. Remigius de omnibus discipulis ait: *In hoc facto demon-*

In 3. resp. 2. Noct. ejusdem festi.

Matth. 26

Matth. 16.

Luc. 22.

Ioan. 18.

D. Chrys. in Cat.

Hierem. Drexel t. 1. fol. 235.

D. Max. hom. 2. de S. Laur. in Bibl. hom. 2.

nullam ei adferret molestiam, sed potiùs consolationem & voluptatem. *Amor prohibuit extraneum*, unde Abulensis dicit : *Hoc*, id est, de quo suprà diximus, *fuit propter amorem Rachelis*. Unde sacer quidam Scriptor motus est ad exclamandum : *O amantium officiositas, arcana animositatis vigore ultra vires audax! Si amas, potes plura poteris, si plus amabis : Supra vires enim evolat amor. Amor quid cupiat scit, quid possit nescit.* Ecce tibi igitur in promptu rationem, cur dura servitus, & intolerabiles septem annorum continuorum labores ei visi fuerint leves, ipsaque tot annorum prolixitas & longitudo visa fuerit paucorum dierum brevitas? unica enim hujus causa amor fuit, quo erga Rachelem ferebatur, utpote futuram dilectam sponsam suam. Amor etenim internus omnibus resistebat molestiis, quas patiebatur foris. Antidotum quoddam erat ab omni illum præservans fastidio, & veluti lapis quidam philosophicus ferrum servitutis transformabat in aurum consolationis & voluptatis. *Videbantur dies pauci præ amoris magnitudine.* Idipsum modo jam dicto ponderans Abulensis ait : *Is pro Rachele serviret etiam amplius, tantò amore (honesto tamen) tenebatur. Nullus enim labor magnus videtur amanti, ignem non timet, nives spernit, gladio se opponit, omnia periculosa sibi grata reputat, dum tamen amatum consequatur.* O quàm bene convenit hæc Abulensis doctrina, cum iis eventibus qui in sancto Laurentio occurrerunt. Quod si enim amor pectori inclusus, licèt is creaturam pro objecto habeat : *Ignem non timet*, quantò magis amor Laurentii qui Deum respiciebat, sufficiens erat ut resisteret laboribus, craticulis, tyrannis, incendiis &c.? *Ignem non timet*, nunquid auditis ipsummet Christi Martyrem hac de re sanctè gloriantem, cùm ait : *Non timeo tormenta tua.* Verè itaque de hoc glorioso Martyre verificatur : *Si transieris per ignem flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.*

Abulens. ibid.

Didac. de Celad. in c. 7. Esther v. 9.

Abul. ibi.

7. Consideranti mihi illustre Laurentii martyrium, videtur in hoc Archilevita renovatos esse eventus illos, qui in corde Germanici eveniisse leguntur. Hoc namque Principe mortuo, amici ejus cadaver ejus rogo imposuerunt comburendum, conservatum postea cineres, prout eo tempore consuetudo ferebat. Cadaver rogo impositum & lignis accensis in cineres totaliter quoad omnia membra redactum est, solo corde excepto, quod prorsus illæsum remansit, atque à flammis totaliter intactum. Physici quidem hujusce prodigii causam conati sunt investigare, sed invenire eandem minimè potuerunt: unicus duntaxat Vitellius ingenii sui perspicuitate eandem penetravit, dicendo : Germanicum toxico aliquo sive veneno imbutum fuisse, illudque toxicum cordis intercepisse regionem, ibidemque sive per frigiditatem, sive per quamvis aliam virtutem occultam flammis validam adhibere resistentiam, cor illud dependendo ab incendio, & conservando illæsum : *Vitellius contra Pisonem palam testatus est, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari.* Unde hîc verificatur maxima illa Philosophia : *Intus existens prohibet extraneum.* Venenum enim ignis impedivit operationem. Verùm enim verò quam fuit in corde Laurentii longè potentior amor præ veneno latente intus in corde Germanici? longè etenim major fuit amoris efficacia in retundenda ignis activitate, ne in sancti Martyris membris operaretur, aut si operabatur, id potiùs in ejus redundabat refrigerium, quàm tormentum : *Hujusmodi igne Laurentius accensus est Martyr* (scribit Beatus Laurentius Justinianus) *cujus nimio ardore calescens, exterioris ignis non ledebatur incendio, sic in craticula positum ipsum dixisse cognovimus : Disce miser* (ita Tyrannum alloquebatur) *quia carbones tui mihi refrigerium præstant.* Et quidem quâ ratione flammæ potuissent non tales producere effectus, quando ipse vivus quidam Adamas erat? Tanquam talis enim, nec à craticulæ ferro superari potuit, nec à flammarum incendio comburi, *nec ferro, nec igne. Ignium victrix est adamantis natura.*

Plin. lib. 11. n. 30.

B. Laur. Iustin. ser. de S. Laur.

8. Hanc veritatem Regius Propheta sub maris, fluviique Jordanis metaphora authorizare voluisse videtur, dicendo : *Mare vidit & fugit, Iordanis conversus est retrorsum.* Postea verò tam fugæ unius, quàm retrocessus alterius rationem investigat dicens : *Quid est tibi mare quòd fugisti? Et tu Iordanis, quia conversus es retrorsum?* Scio equidem hunc Psalmum à Regio Propheta eo tempore fuisse compositum quando populus Israeliticus mare rubrum transiturus erat. Unde Hugo : *Vidit, id est, obedivit Deo, & fugit, id est, divisum est ut populus transiret*: Jordanis autem, quando Josue post mortem Moysis eundem cum populo & Sacerdotibus Arcam portantibus transiturus erat, aquas suas retraxit & exsiccatus est, vel ut alii volunt in mare mortuum sese exoneravit : (Similiter Jordanis fluvius non post

Psal. 113.

Titel. ibid.

Hugo Cardinal. ibid.

Felong. ibid.

post multos annos, cùm transituri essent de deserto in terram promissionis duce Josue, post mortem Moysi siccatus est jubente Domino, recedentibus aquis ad locum originis suæ.) Euthymius dicit quòd mare (Divinam agnovit potentiam, & ineffabili quodam modo divinam agnovit voluntatem, non secùs ac si rationalis fuisset creatura: Et fugit ut celeritatem illius divisionis demonstraret.) Hæc est intelligentia verborum Davidis, quoad sensum literalem. Veruntamen Patres Expositores hic minimè sistunt, sed potiùs ulteriùs in sensum mysticum sese insinuant. Et speciatim Carmelitanus incognitus P. Michael de Ayguanis Bononiensis vult, quòd per mare aquis amaris plenum intelligatur hic mundus, in quo nihil est aliud præterquam ærumnæ & animi amaritudines (Quid enim per mare nisi mundi crudelitas & tyrannorum rabies contra Sanctos significatur? Confirmat idipsum S. Gregorius: *Quid enim*, inquit, *maris nomine, nisi in bonos sæviens mundi hujus amaritudo significatur?* Econtrà verò per Jordanem dulcibus aquis plenum consolationes, gaudia, & dulcedines intelliguntur. Jam verò idem prorsus effectus qui in mari & Jordane conspiciuntur, eosdem in servis Dei quotidiè experimur. Mare cum suis aquis amaris fugit, *mare vidit & fugit*: Jordanis verò cum suis aquis dulcibus non fugit, sed semper redundat: *Jordanis conversus est retrorsum*, Audiatur doctrina Richardi Victorini, quæ hac in re particulatis est; (Pulchrum spectaculum satisque jucundum videre aquam maris fugientem, videre aquam Jordanis redundantem. Notate (Amatum recedere, dulcem refluere, amaritudinem deficere, dulcedinem redundare) Ehem quàm fuit hoc ipsum ab invicto Martyre ratificatum quando (Jussit eum Deus spoliatum scorpionibus cædi:) mox verò ob oculos ejus portari jussit varia & multiplicia suppliciorum & tormentorum instrumenta: (Deinde omne genus tormentorum in conspectu ejus afferri jussit. Ecce tibi aquas amaras. Vultis Jordanem cum dulcibus aquis suis videre redundantem? Respondet Laurentius se dulciores cibos, aut epulas illis delicatiores nunquam desiderasse. (Qui tales epulas se semper optasse dixit.) O Adamantem præstantissimum! O Lapidem non minùs constantem quàm pretiosum. *Nec ferro, nec flamma.* Tormenta mihi dulcia & suavia redduntur, sicut aquæ Jordanis, ac proinde dicebat Tyranno: *Disce miser quanta est virtus Domini, nam carbones isti non dolorem sed refrigerium mihi præstant*

Euthym. ibid. Et Haymo. Halberst.

Incognit. ibid.

D. Greg. in moral.

Richard. Victorin. opusc. de exterm. mali & promot. boni cap. 1.

Petr. de Natal. in vit. S. Laur. lib. 7. c. 44.

Idem ibid.

9. Ponderatione dignissimus est sermo sponsæ cœlestis, quo Sponso certas quasdam particularitates recensens dicebat: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis: Comedi favum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo* Myrrha amara est & aromatica. *Et dicitur myrrha ratione amaritudinis*, inquit Ægidius Columna, & consequenter est fastidiosa: cùm ex altera parte mel sit dulce, vinum dilectabile, & lac suave. Hi igitur liquores cum myrrha minimè conveniunt, imò potiùs eidem omninò contrarii existunt: Quæ difficultas magis adhuc augetur quia S. Cyrillus Hierosolymitanus legit: (Myrrham bibens & acetum. Alii (messui myrrham, id est, munera tibi debeo præstantissima, myrrham amaritudinis, myrrham passionum.) Richardus Victorinus *per myrrham intelligit amaritudinem laborum.* Interlinearis. *Martyres amara passos.* Lyranus per myrrham mortem intelligendam esse dicit, quam Martyres per manum carnificis sustinent, quando *quâdam falce mortis ab hac vita præciduntur.* Atque ideò liquet qualiter gustare amaritudines, sufferre labores, subjacere martyriis, intra mortis manus extinctum succumbere, idem sit quod vinum pretiosum & lac suavissimum bibere & mellis dulcedinem manducare. Idque tantò magis cum Arabicus & Septuaginta per ly *favum panem* intelligant. Syriaca *suavitatem.* Quâ autem ratione esse potest, quòd Martyribus Christi martyrium sit velut panis ex melle pistus ob suavitatem quâ illud tolerando perfruuntur? Ad Davidem protinus recurramus, hic namque nos lumine aliquo ad id intelligendum donabit. Regius itaque Propheta omnes amarissimæ Passionis Christi Redemptoris nostri circumstantias prævidens, in persona Christi dicit Hebræos se circumstetisse veluti totidem apes: *Circumdederunt me sicut apes.* Nescio qualinam sit hæc proportio inter Hebræos & apes, inter tot flagella, vulnera, & plagas, & parvuli cujusdam aculei puncturas. Non videtur similitudo illa benè procedere. Cùm enim Hebræi ipsismet feris ferociores fuerint, quomodo apibus similes dici poterunt? Apes in favis suis mellis dulcedinem efformant: Hebræi autem myrrhæ variorumque tormentorum amaritudinem super Christi humanitatem effundunt. Ergone flagella, clavi, spinæ, lancea & Crux non majo-

Durand. in rat. Divin. offic. lib. 7. c. 21.

Ægid. Columna c. 5. in Cant. n. 14. le. 12.

Catech. 13.

Mich. Ghisl. ibid.

Rich. Victori. ibid. Gl. 1. interl. Tyran. ibid.

Aribic. Septuag. Syriaca apud Cor. à Lap. ibi. v. 1.

Psal. 117.

Andr. Pintus ep. 6 ad Epist. Philad.

majorem filio Dei dolorem attulerunt, quàm si apum punctura fuissent? (Cur apes dicantur importunè cingentes, qui ferarum instar immaniter insultarunt? Aves in favo mella condunt, nectareos instillant succos, & carnifices isti in Christum, quicquid doloris, quicquid amaritudinis erat, instillarunt) Propheta Regius ingeniosâ hac & valdè proportionatâ metaphorâ dicere volebat, omnia tormenta ab Hebræis Salvatoris nostri humanitati illata, adeò ei dulcia & suavia fuisse, sicut est mel in favis formatum ab apibus. Unde S. Augustinus dicit: *Mel quippe Apes operantur in favis: Nescientes autem persecutores Domini, fecerunt eum nobis in passione dulciorem, gustemus & videamus quia suavis est Dominus.* Verùm enimverò undenam hæc amaritudinis in dulcedinem, & tormentorum in gaudia facta in Christo transmutatio suam trahebat originem? Ab amore qui velut flamma quædam ardens in Christi pectore vivebat. *Amore omnia tormenta dulcescunt.* Hic erat quoque sensus & intentio Sponsæ, quando dicebat: *Messui myrrham meam, comedi favum mellis, bibi vinum cum lacte meo.* Dicere enim vult quòd animæ justi alicujus veluti alteri cuidam Laurentio myrrha amaritudinum, pœnarum, & tormentorum quæ in craticula, & toto martyrio patiebatur, adeò videatur dulcis, ac si craterem vino præstantissimo refertum ebibisset, aut veluti si manducasset panem ex melle compositum & lacte commixtum. Unde videtur mihi Laurentius inter flammas constitutus dicere: *Messui cum lætitia myrrham amaritudinum & passionum mearum arumnarum atque dolorum.* Erant hæ metamorphoses ab amore Laurentii causatæ: *Amore omnia tormenta dulcescunt.* Qui proinde amor sanctum Martyrem alloquens ei videbatur dicere: *Messui myrrham ipsam amaritudinem, quàm tibi in fasciculos collegeram, insigni metamorphosi converti in mel suavissimum, cujus dulcedine fruereris: Converti & in lac, quo jucundissimè alereris, atque in vinum, quo ferventior fieret in spiritu.*

D. Aug. to. 8 in Psal. 117.

Andr. Pintus ubi supr.

Mich. Ghisl. ibi.

Ibidem: in cap. 5. Cant.

10. Credidi aliquando quòd Salomon Rex Sapientum sapientissimus de Sponsa loquens, figurate sibi ob oculos propheticos propositum habuisset magnum Martyrem sanctum Laurentium, adeò ut in ejus persona dixisse videatur: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Mirum non est, quòd sponsa amore langueat, siquidem tales in se effectus experitur, ut illum sibi prædominari cogatur permittere. Hujus rei fidem facere potest Antiochus Seleuci Regis filius, qui ob ingentem erga Stratonicam amorem (Jacebat in lectulo moribundo similis, suæque infirmitatis qualitatem manifestare nolens, pectoris vulnus piâ dissimulatione contegebat.) Nec multum aberat, quin mors paulatim subsecuta fuisset, nisi prudens Medicus Herostratus, ad ingressum & abitum Stratonicæ pulsum tangens mali cognitionem fuisset assecutus. Nolo quidem hanc de sponsa opinionem concipere, quia casta, virgo & sancta erat, suumque amorem in Deum directum habebat. Solum me sistam paulisper circa varietatem versionum quas Scriptores huic passui: *Fulcite me floribus* subnectunt. Origenes ex Græco ita traducit: *Confirmate me in myrrhis.* Magna utique est inter flores & myrrham differentia, illi enim ob fragrantiam suavissimi odoris delectabiles sunt? hæc verò ob amaritudinem est fastidiosa. Nihilominus nulla est translatio, quæ non habeat aliquam cum re ipsa de qua sermo est, convenientiam, ac proinde videmus quòd sicut flores confortant: ita quoque myrrha *habeat virtutem confortandi.* Sicut flores sunt odoriferi, ita etiam myrrha talis est, *cujus arbor boni odoris est.* Veruntamen nescio ex quo fundamento Chaldæus & Hebræus legunt: *Fulcite me ignibus plurimis*, siquidem ignis & flores nullam prorsus inter se convenientiam aut similitudinem habent. Etenim indubitatum quidem est, quin si hæc objecta considerentur *secundùm se*, sint inter se disparatissima? at verò amor de quo Sponsa loquitur dicens: *Quia amore langueo*, vel ut septuaginta legunt: *Vulnerata charitate ego sum*, efficit omninò ut ignes convertantur in flores. Ac proinde accendat impius Tyrannus pro martyrio Laurentii ignem, eumque super ignitam craticulam & accensos carbones extendi faciat, protinus videbit, quòd amor Divinus ignem istum atque accensos carbones in flores odoriferos, Rosas, Hyacinthos & Liba convertet: (Prunarum accervi exurentes crudeliter latera Laurentii jucundiores candentibus liliis; & purpureis floribus videbantur, dum succensis torrentibus ignibus, in craticula velut florido accumbit in lectulo.)

Val. Max. lib. 5. c. 7.

Orig. ex Græco.

Vincent. Bellu. in spec. nat. lib. 13. c. 97.

Chaldæus Hebræus.

Septuag.

Andr. de Arcones in c. 15. to. 25. disc. 1.

Cant. 2.

11. Invenio apud Historicos factum aliquod, in quo an crudelitati, aut verò pietati decernenda sit palma haud equidem scio. Anno 1367. Petrus Castiliæ Rex post obtentam adversus Henricum fratrem suum victoriam Hispalim reversus, crudeliter nobilissimam quandam Matronam,

Bierem. Drexel. 2.

tronam, quæ Vracca Guſmanna appellabatur, eratque mater Joannis Alphonſi Guſmanni, enecari fecit? Nam ipſam in foro publico vivam comburi juſſit. Crudeli huic ſupplicio Iſabella Ubedia virgo honeſtiſſima præſens aderat, quæ infelicem hanc Vraccam magno proſequebatur amoris affectu, proinde cùm in rogi buſto ſedens unum pedem nudum haberet, cum circa illam rogus accenderetur, hanc Iſabellam rogavit, ut ſubitò ad pedem illum contegendum accurreret, neque fœminei ſexus honeſtas corporis ſuſtinere nuditatem poterat. Hæc igitur è turba ſe propipiens, ut veſte nudum pedem contegeret in medias flammas protinus ingreſſa eſt: *Ipſum ignem inſiliit*; nihil curando ſi etiam viva cum Domina Guſmanna conflagraret, prout & reipſa poſtea accidit. Nec minor fuit charitas quàm duo filii erga matrem & patrem Seſoſtrem Ægypti Regem nec non & erga alios quatuor fratres ſuos exhibuerunt, cùm enim hi omnes perſtratagema fratris ejuſdem Regis eos perdere ſtudentis ſuper accenſo vehementi igne tranſire cogerentur, hi duo filii ad nutum à Parentibus datum ſuper ignem ſe prono corpore proſtraverunt, dumque parentibus & fratribus pontis loco ſervirent, ut tranſire ilæſi poſſent, ipſimet fuêre in cineres redacti. [Ea (id eſt, Matie) ſuadente, duos ex ſex liberis ſuper ardentem pyram extendens Pater pontem fecit, ſuper quos ipſi tranſeuntes evaderant. & duobus filiis ita incenſis, cæteri unà cum Patre fuerunt ſervati. [O ingens amor, quem hi duo demonſtrarunt, dum nihili curarunt in igne pro parentibus & fratribus ſuis perdere vitam. Magis vehementer admiror, dum conſidero quòd Aquila quædam dum puellam à qua nutrita & educata fuerat, poſt mortem in rogum projici videret comburendam, ut ſimul cum ſua benefactrice moreretur in ignem ſe ſuper dictæ puellæ cadaver conjecit, eſtque unà cum ipſa in pulverem & cineres redacta: Id quod in civitate Seſton accidit. Unde Plinius lib. 10 cap. 5. ait: *Defuncta poſtremò in rogum accenſum ejus injeciſſe ſeſe & ſimul conflagraſſe.* Ecquid de amore animalis cujuſdam ulteriùs dici poterit? *Eouſque proceſſit in puellam amor.* Verùm enimverò ardentiſſimus amor Laurentii amorem Aquilæ, duorum etiam filiorum Seſoſtris, nec non Iſabellæ Ubediæ multis prarafanguis ſuperavit. Dum enim in craticula conſtitutus eſſet, in Paradiſi porta ſe conſiſtere arbitrabatur, ardentes flammas cenſebat eſſe radios gloriæ, tormentorumque ferociratem æternæ beatitudinis gaudiis annumerabat. Ac proinde gratias Deo ingentes egit dicens: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Procedebat idipſum ex Divino amore, qui in ejus pectore ardebat: Adamas erat. *Intus exiſtens prohibet extraneum.* Unde magni illi Patres ſanctæ Eccleſiæ Doctores Ambroſius & Auguſtinus affirmant dicentes: *Nec enim poteſt in viſceribus tormenta ſentire, qui ſenſibus Paradiſi refrigeria poſſidebat.* *D. Amb. ſerm. 19. D. Hugo ſerm. 31. & 2. de S. Laur.*

12. *Januas tuas ingredi merui.* Ingreſſum eſſe portas Paradiſi, idem eſt, quòd compræhenſorem eſſe, conſtitutum eſſe *In termino?* ac proinde neſcio quomodo S. Laurentius verba hæc dicere potuerit. Tu enim ô Laurenti verus viator es, tametſi enim cœli portis vicinus ſis, attamen nondum ultimatè & completè per illas intraſti. Et licet dici ſolet: *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur?* attamen hæc locutio per verbum *præteriti temporis* facta: *Ingredi merui*, qualiter cum virtute ſalvari poſſit, non video. Inſuper quoque adjungit: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* Quænam eſt lux illa? De qua claritate loquitur? Claritas non in nocte ſed in die reſplendet. Porrò cùm Dei Filius amaritudini paſſionis & mortis ſuæ daturus eſſet initium, æterno Patri ſuo dixit: *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* Ecquid autem per hanc clarificationis horam intelligere voluit? S. Hilarius reſponſionem quandam nobis aſſignat, quæ primâ facie contradictionem invo vere videtur? *In hora diſi portio eſt, & quæ erat hac hora? Iam nunc conſpuendus, flagellandus, crucifigendus erat.* Idem affirmat Sanctus Pater Auguſtinus: *Paſſione clarificatus dicitur*: Poſtea verò idem Hilarius ſubjungit, per clarificationem gloriam intelligendam eſſe: *Velorabat, ut id quod ex tempore erat, gloriam ejus quæ ſine tempore eſt, claritatis acciperet.* At verò ſi paſſionem & mortem ſuam intelligebat, quomodo verum eſſe poteſt quod locutus fuerit de gloria? unum enim alterum excludit? & plus inter ſe quàm lux & tenebræ differunt. Adhæc ſi Verbum incarnatum paſſionis & mortis horam deſiderabat, cur hoc termino clarificationis vel glorificationis utitur, dicens: *Clarifica me tu Pater?* Difficultas iſta etiam à S. Joanne Chryſoſtomo obſervata fuit, dum ait: *Ad Crucem duceris cum latronibus, maledictam ſufferre mortem, & hac gloriam appellas?* Imò verò, quia *Amore omnia tormenta dulceſcunt.* Idemque tormenta in gloriam, mortem verò

Herod. Halicarn. in Euterpe lib. 2.

Ioan. 17.

D. Hilar. lib. 3. de Trinit. apud D. Th. in Cat. ibid.

D. Hilar. ibid.

Chryſoſt. Hom. 5. in Ioh Thom. 1.

in jucundam cœlestemque beatitudinem trãsformat. *Ita inquit* (sic prosequitur Chrysostomus) *pro dilectis ipse patior, meritoq; hæc gloriam existimo?* Laurentius inter medias flammas candescenti craticulæ superpositus erat, videbaturque ei nox in diem, tenebræ in claritatem, flammæ in consolationem, in rosas carbones, ardores in recreationes, incendia in refrigeria, craticula in paradisum, pœnæ atque tormenta in gloriam fuisse transmutata : *Omnia in luce clarescunt: Ianuas tuas ingredi merui.* Et meritò: *Quia pro dilecto Deo ipse patiebatur, meritòq; hæc omnia gloriam existimabat.* Denique quia ut B. Laurentius Justinianus ait, Adamas erat, qui nec ferro cedit, nec igni, atque ut verus Diamante, id est, Deum amans: *Non exhorruit carceres, non ignem, non gladium, non pœnam, non mortem.*

B Laur. Iustin. ser. de S. Laur.

13. Inter omnia tormenta quæ excogitari possunt, maximum est ignis tormentum, qui subtilitate sua viscera devorat & penetrat. Et tamen Laurentius illud vel non sentit, vel nihili facit. Unde B. Justinianus obstupefactus exclamat dicens: [O Martyris patientia omni honore colenda, quæ tanto vigore emicuit, tantaque virtute profecit, ut immanissimis nequaquam suppliciis cederet, nec voracibus flecteretur pœnis.] Imò ut S. Ambrosius scribit, ardores nullum illi conciliabant dolorem, sed potiùs animæ auræ videbantur esse refrigerantes: *Sanctus Laurentius has flammas fidei calore non sentit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne quod patitur.* Ratio autem hujus quam S. Dorotheus adfert, est, quia mente & cogitationibus suis in æternæ beatitudinis mercedem defixus erat: *Nec enim poterat viscera ignium tormenta sentire, qui sensibus Paradisi refrigeria possidebat.* Cœli solatia, terræ tormentis, & dilitiæ spiritus doloribus corporis longè prævalebant. Potest etiam totum hoc voluntati suæ tanquam causæ efficienti adscribi, utpote qua pronus erat ad se pro amore Dei ultrò citròque craticulæ & flammis mancipandum. Etenim hæc opinio ex quodam Scripturæ loco mihi firmiter persuadetur, quem proinde velim attentè auscultetis,

B. Laur. Iustin. serm. de S. Laur.

D. Amb. t. 3. ser. 2.

Idem ib.

14. Angelus cum Jacobo integrâ nocte luctando pugnat, & non obstante quòd hic ex laborioso itineris defatigatione admodum debilis esset, ita tamen generosè in hoc certamine nunc se gessit, ut Angelus eum superare nequaquam potuerit, ac proinde tanquam victus cedere, eumque deserere protinus debuit, reversurus ad Paradisum: *Qui (id est Angelus) cùm videret quod eum superare non posset, &c.* Genes. c. 32. Qua ratione fieri potest, ut Angelo cuidam impossibile sit, ne dicam difficile, Jacobi alicujus vires superare? Scio etenim Angelos ea esse virtute præditos, ut integros possint dissipare potentissimos exercitus, imò unicus duntaxat Angelus sufficiens esset ad relevandas in aëra turres haud secus ac si palea quædam esset, ad susque deque evertenda vastissima Regum Palatia, ad sublevatas de terra Civitates sustentandas, vastissimasque cælorum machinas indefetigabiliter immovendas, prout eas de facto quoque movet? & tamen idem Angelus credendus est prævalere non posse viribus unius hominis? Interim verissimum est, quod eum *superare non potuit.* Quod tamen prorsus mihi incredibile redditur. Porrò eadem difficultas etiam nota est aliàs à doctissimo Cardinali Cajetano, cum ait: *Sed quæstione non caret, quo pacto verificetur, quod Angelus non potuit vincere Iacob luctando.* Sed nunc quæso resolutionem ejus audite, quã adfert dicendo: *Non posset, id est, non vellet.* Cùm igitur non posse à non velle nascatur, idem erit non posse quod non velle, ac proinde à contrario, tantùm potest quantùm vult: *Velle posse est. Velis & poteris*, ac proinde ordinariè dicitur: *Nihil difficile voluit.* Omne quod vult, etiam potest. Unde leprosus ille sanitatem sibi restitui desiderans, ita precatus est Salvatorem: *Domine, si vis potes me mundare*, quia *posse* oritur à *velle.* Supra quod idem Cajetanus ait: *Fatetur potentiam in voluntate consistere.* Angelus igitur Jacobum in lucta superare non potuit, quia non voluit? quod si autem voluisset, potuisset utique absque ulla difficultate. Nunc igitur ex hactenis dictis hoc circa glorioſum Martyrem nostrum Enthymema formemus, Laurentius prompta voluntate omnia ferri & ignis tormenta pro amore Dei sustinere voluit. Ergò id facere poterat & potuit. Amor illum movebat ad velle, suggerebat spiritum & animos ad posse. Ac proinde *Nequaquam suppliciis cedit, nec voracibus flectitur pœnis: & frigidum est illi omne quod patitur.*

15. Ex quo S. Laurentius se de facto paradisi portas ingressum esse dicit: *Ianuas tuas ingredi merui*, potiùs eum comprehensorem quã via rorem fuisse credere cogor, ac proinde mẽbra sua, quæ flammas minimè sentiebant, perfruita fuisse dotibus illis, quæ corporibus debentur glorioſis, quarum quatuor sunt, uti omnes

D. Th. 3. p. 9. 82. 83. 84. 85

nes Patres Theologi, & speciatim S. Thomas docent, nimirum: Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas, & Claritas adeò ut corpora beatorum eo quod gloriosa sint, post resurrectionem futura sint impassibilia: *In corpore glorioso, non potuit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam qua perficitur ab anima, & ita corpora illa erunt impassibilia.* Secunda dos erit subtilitas, proprietas nimirum quæ beatorum corporibus suo tempore inserta erit, de qua Apostolus ad Corinthios scribens ait: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, id est, spiritui simile?* 2. Cor. 15. & consequenter docet S. Thomas, quod *Corpora gloriosa erunt subtilissima* quale fuit corpus Christi Redemptoris, quando *Ianuis clausis intravit ad discipulos*: Joan. 20. Unde S. Gregorius lib. 14. Mor. affirmat: *Quod corpus gloriosum dicitur subtile per efficaciam spiritualis potentiæ.* Tertiò dos vel proprietas Corporis glorioſi est quod sit agile. Unde corpora Beatorum nulla erunt gravedine obnoxia, eo quod animæ totaliter prædominati subjiciantur, quæ corpori conjuncta erit, non solum tanquam forma, sed etiam tanquam motrix, ac proinde *Per dotem agilitatis* (inquit Doctor Angelicus q. 84. art.) *subjicitur anima, in quantum est motor, ut scilicet sit expeditum & habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus & actionibus anima.* Quarta dos est Claritas, prout speciatim ex S. Matthæo deducitur: *Fulgebunt justi sicut Sol*, Matth. 13. quæ *causabitur ex redundantia gloriæ animæ in corpus*, inquit Angelicus q. 85. a. 1.

Idem ib. q. 82. a. 1.

16. Potrò corpus S. Laurentii quatuor hisce prærogativis donatum fuisse, manifestè ex eo liquet quod sancta refert Ecclesia & sancti Patres affirmant. Corpus namque ejus jam nunc subtilitatis dotem in semetipso protulit, quando cœlorum dutitiem penetrans ad Paradisi portas pervenit, dicens: *Ianuas tuas ingredi merui.* Etenim quantum à gravedine liber fuit, tantò magis de agilitate participavit, quod vel ex eo manifestè colligitur, quod gloriosus Christi Martyr dicebat: *Non est inventa in me iniquitas.* Iniquitas enim idem est quod peccatum, hoc autem gravitatem sibi tanquam proprietatem infallibilem vendicat, ut proinde Deus Noë dixerat: *Peccatum eorum aggravatum est.* Gen. 18. v. 20. Similiter quando in Scriptura mentio fit Pharaonis, suiq; exercitus, dicitur: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Exod. 15. v. 5. comparatur autem peccatum plumbo ob rationem ponderositatis seu gravedinis: *Per gravedinem plumbi intelligitur quod erant peccatis valdè aggravati & submersione digni*, scribit Lyranus. Cùm igitur Laurentius affirmet, quod *In eò non est iniquitas*, idem est ac si diceret: In me non est inventum peccatum, & consequenter nulla gravedo seu ponderositas. Cùmque insuper verum sit, quod *Ablato uno contrariorum, remaneat aliud*, eo ipso quo Martyr noster omni gravitate caret, agilitatem eidem assignare oportet. Denique sicut in opinione quorundam agilitas glorioſis corporibus virtutem datura est, secundùm quam in pluribus locis esse poterit, dicente S. Augustino l. 2. de Civ. Dei cap. 11. T. 5. *Vbicunque voluerit spiritus, ibi erit & corpus?* Ita quoque sanctus Laurentius utpote glorioſus potuit, potest & poterit in pluribus locis inveniri. Vultisne hujus aliquod specimen? Ecce tibi Laurentium in duobus locis, nimirum primo in craticula: *Strinxerunt corporis membra posita super craticulam?* deinde intra cœli portas: *Ianuas tuas ingredi merui.* Quid præterea videre desideratis? Num fortè claritatem intra tenebrarum obscuritatem præclarè splendescentem? Nunquid ergò auditis eum dicentem: *Mea vox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt?* Veruntamen corpus Martyris super omnes alias dotes gaudebat dote impossibilitatis, id liquide satis insinuavit, quando Tyranno animosè & in faciem dixit, quod veluti insensibilis tormenta ejus nequicquam timeat. *Non timeo tormenta tua.* Unde haud secus ac si corpus ejus insensibile factum fuisset *Tormenta non sensit.* O corpus glorioſum, quod Agilitatis, Subtilitatis, Claritatis, & Impassibilitatis dotes & gloriam tecum ubique circumfert, tibi utique tanquam tali non alia quàm Paradisi debetur residentia. *Ianuas tuas ingredi merui.*

17. Persæ quando ad civitatem aliquam intercipiendam exercitum suum admovebant, inter cæteras quas obsidioni civitatis insinuandæ præmittere solebant, actiones, hæc una ex primis & præcipuis esse solebat, quod videlicet proximè quam fieri posset ad urbis mœnia ignem quendam solerent accendere, quocum civitatis illius contemptum insinuabant, sibique ipsis pariter palmam augurabantur victoriæ. Idipsum Jeremias urbi Damasci accidisse referre volebat, quando ait: *Et succendam ignem in muro Damasci, & devorabit mœnia Ben-*

nadad

vadat Jerem. 49. Decius quidem credebat, quod eo ipso, quo ad comburendum corpus ac membra injusti servi & Martyris Christi, quæ sunt veluti quædam animæ mœnia, luculentum circa ipsum ignem excitasset, simul etiam Martyris superasset constantiam, omnesque sibi comparasset sub ejus custodia depositos sanctæ Ecclesiæ thesauros, verùm opinio ejus vana prorsus & irrita fuit? Laurentium namque sibi vane deluso coactus est audire improperantem: *Assatum est jam, versa & manduca*: imò B. Laurentius Justianus Levitam Christi hunc in modum loquentem introducit: *Disce miser, quia carbones tui mihi refrigerium præstant.*

Serm. de S. Laur.

18. Dicite obsecro, quænam causa sit quod homo à quovis debili perturbationis vento, se in impatientiæ præcipitia ita facilè deturbari permittat, maledicam linguam suam sæpè tam impiè exserendo adversus Deum ipsum & sanctos? Nunquid Laurentium ei benedicentem & gratias agentem auditis? Gratias tibi ago Domine. Cur in nobis totaliter experimur contrarium? Ratio hæc est, quia qui adamantes esse debebamus, terra & lutum sumus. Res amamus terrenas, Deum verò minimè: si enim pro debito obligationis nostræ Deum amaremus, nullus nobis evenire posset casus, quantumvis sinister, qui nobis ingratus esset, aut aliquam nobis adferre posset molestiam. [Delectabile atque jucundum facit amor amarum, quantumcunque amarum atque molestum, sic etiam si infernus amaretur, & dulcis ac delectabilis esset. [Paupertas utique nobis divitiarum loco esset, infirmitas cenſerentur consolationes, tormenta gaudia, amaritudines suavitates, denique mors ipsa in tali casu delectabilis esset. Admirandos hosce effectus in corde sanctorum Martyrum, aliorumque servorum Dei causat charitas, inquit S. Bernardus: *Terreantur licet Martyres, rident: feriuntur, gaudent: occiduntur, & ecce triumphant: quia charitate intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo, quasi insensibiles facti, neminas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt.* Inter cæteros autem glorioſus Martyr sanctus Laurentius expertus est id quod dudum antea de ipso fuerat prophetizatum: *Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.*

Guil. Paris. de moribus cap. 4.

PARS SECUNDA.

19. *Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi.* Servio Tullio in cunis dormiente flamma quædam super caput ejus comparuit; unde augures ei præsagierunt: *Magnam ejus futuram felicitatem.* Quodnam igitur sancto Laurentio pronuntiabimus prognosticum, quando ipsum hodie constitutum esse cernimus in medio flammarum urentium. Magnum quoque Romæ visum est prodigium? Nam sagitta quædam deorsum decidens, atque in petram quandam, cui nomen Imperatoris *Cæsar* insculptum erat, delapsa, primam inde literam, nimirum C. sustulit, reliquo illæso relicto, scilicet, *æsar*? quod cum cæleste quoddam prodigium esse crederetur, significati ediscendi causa ad augures recurerunt, qui dixerunt, quod cùm C. litera quædam sit Arithmetica, centum significans, Dii cælitus significare voluerunt Cæsarē post cētum dies morituū, atque aliis in cælo Diis annumerandum esse, id namque significati per dictionis reliquum scilicet *æsar*, quod remanserat. Simile quid occurrit S. Laurentio? Cùm enim Laurentius Deum negare nequaquam vellet, neque thesauros Ecclesiæ prodere aut extradere, ignis fulmen ab ira Tyranni evibratum super Laurentium decidit, sed non nisi primam nominis Laurentius literam, scilicet L. inde sustulit, quæ cùm in Arithmetica quinquaginta valeat, significat tot vitæ annos eidem adimendos esse, uti & factum est, nam satis juvenis martyrium suum sustinnit, adeoque mansit *Aurentius*, id est, *aureus ensis*, vel *auri ensis*, eò quod ense divinæ gratiæ aurum, & sanctæ Ecclesiæ thesauros ab aviditate Decii defenderit, & tutatus fuerit: vel quod tanquam ensis Ecclesiam Catholicam propugnaverit, ipsemet verò aurum fuerit perfectionis & charitatis. Enimverò omnes per ademptam nomini *Laurentius L.* omnes reliquas scilicet *Aurentius* benè ponderemus. *A. amore V. verbi. R. Redemptoris E. exultans. N. nimia. T. Tormenta, I. Ignis V. urentis S. superavit.* Vel etiam de Laurentio non minus quàm de Cæsare pie quis prognosticare poterit ex nominis reliquo, scilicet *Aurentius*, modo sequenti, ut A. significat. *Ad. V. vitam R. regnaturus: E. excelso. N. numinis, T. titulo I. insignitus. V. victoriam. S. sumpsit.* Et quidem si ignis Laurentii similis in eo effectus causaverit, utique verificabitur illud Thematis: *Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi.*

Cic. apud Ioann. de Carthag. l. 16 t. 1. fol. 24. Apud Petr. de Valder. ser. 2. de S. Laur.

Valerius Max. l. 1. c. 6.

20. Alexander Papa vestitum quendam habebat *de pilis Salamandræ* confectum? vel ut alii volunt de Lino Asbestio, id est, lapidis cujusdam, qui in Arcadiæ partibus reperitur, vel de Lino

Rup. Holkot in Sap. lect. 33. c. 3.

Lino Carpathio, vel Amianto. Portò ad ejus lotionem non adhibebant aquam, sed in ignem projiciebatur. (Quando ablui debuit, non lavabatur in aqua, sed projiciebatur in ignem, & non cumburebatur, sed fulgidior reddebatur. Porro Laurentius ab igne nihil passus est damni, quin potius perfectior multo evasit? ac proinde dicebat: (Non est inventa in me iniquitas.) adeoque promissionis sibi factæ adimplectionem optimè expertus fuit, scilicet: *Flamma non nocebit tibi.* Archelaus Regis, Mithridatis præfectus cum Sylla dimicaturus turrim quandam ligneam valdè altam fabricari fecit, non solum ut in eodem ab hoste securior esset, verùm etiam ut inimico exercitui prædominaretur, ejusque conatus atque molimina observaret. Sylla turri huic vicinior factus, eandem flammis ut eam exureret & conflagraret circumdedit, nec tamen eam per incendium vel minimè lædere potuit, eo quod Archelaus eandem, allumine circumquaque oblinivisset. (Cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quivisse, quod ab Archelao allumine oblita fuisset [Etenim excitatus sub Laurentii corpore ignis, sanctum Martyrem incinerare non potuit, non quia esset allumine oblinitus & obductus, sed quia amore & gratia Divina communitus erat, Quapropter securus esto ô Laurenti, quia *flamma non nocebit tibi. Vbi cor ardet*, inquit sanctus Maximus sermone 2. de S. Laurentio, *flammam membra non sentiunt.*

Aul. Gell. l. 15. c. 1.

Ioa. Boter. l. 1 dict. memorab. vir. illust.

21. Quando Consalvus prælium commissurus erat cum Duce Neomagensi, cumque exercitu suo prope Cirignolam castra metatus esset, in pulverem tormentarium ignem injecisse dicitur, indeque conjecisse infallibilem victoriæ secutitatem, unde ob incendium subsecutum nequicquam conturbatus fuit, sed lætus & hilaris exclamavit: *Vicimus, vicimus commilitones.* Dum sub craticula tua ô Laurenti ignis accenditur, non est quod conturberis, cum idipsum prodigii seu portenti loco habere debeas, è quo te victoriæ palmam infallibiliter assecuturum esse colligere possis, tu enim Tyrannum vinces ejusque crudelitatem? *Flamma non nocebit tibi.* Cumque Lauro respondens nomen geras, de te verificari poterit, quod de Lauro notatur: scilicet, *intacta triumphat.* Cùm Alexander Magnus in actuali prælio constitutus esset, ignis accensus ipsum ex improviso circumdedit. Unde hostes perterriti protinus sine ulla militi suo aut sibi illata offensa sunt retrogressi: (Dum adversus hostes Alexander præliabatur, repente fuit flammis circumfusus, quarum aspectu perterriti ab offensione Alexandri protinus abstinuerunt, (affirmat Plutarchus in vita Alexandri. Dum Laurentius velut novellus quidam Alexander cum Tyranno & gentilibus pro fidei & thesaurorum Ecclesiæ defensione dimicaret, flammæ quibus circumfusus erat, ab ejus læsione se continuerunt, nec inimici ejus quidquam adversus ejus constantiam prævalere poterant. *Flamma non nocebit tibi.*

22. Cæsar priusquam cum Pompejo in apertum certamen veniret, ignem quendam è medio copiarum suarum egredi, & hostilem exercitum circumdare vidit: (In castris Cæsaris ingens flamma emicare visa supra Pompei exercitum advolavit. Hoc se vidisse Cæsar affirmat, cum vigilias circumobiret. Fuitque idipsum infelix pro parte Pompei prognosticum, utpote cujus exercitus juncto Cæsaris robore dissipandus erat. Verùm enimverò quia res servorum Dei non eodem modo, quo res mundanæ, sed potius contrario modo currere, & procedere consueverunt, ignis Laurentii nil ipsi mali est ominatus, quin potius præsagium quoddam fuit Laurentium adversus Tyrannum, cunctaque ei infligenda tormenta victoriosum futurum. *Flamma non nocebit tibi* Cleomenes invitis & frustra prohibentibus Sacerdotibus templum ingressus, ut Junoni litaret sacrificium, flammam & ignem è pectore statuæ cujusdam egredi vidit. *Sibi apud Junonis templum litanti effulsit flamma è pectoribus simulachri?* Unde hoc sibi conjecit prognosticum, *se non expugnaturum Argos*, ignis circumdans Laurentium malum est Tyranno augurium, quod scilicet invictum sancti Martyris animum nunquam sit expugnaturus? quia *flamma non nocebit tibi.* Tempore Arcadii Imperatoris Constantinopolitani, ingens quidam ignis de cælo supra metropolim illam visus est labi, qui diu in aere cernebatur suspensus: *Desuper fusa caelitus flamma pendebat, tam diuque mansit, donec orationibus Arcadii Principis & populi Christiani praesentem perditionem Deus exoratus averteret.* Et quis novit an forte ignis Laurentii non combussisset ipsum cum carnificibus paritet Tyrannum, nisi sanctus Martyr precibus suis idipsum impedivisset?

Plut. in Pompejo. fol. 539.

Herod. in Erato l. & fol. 158.

Cæs. Baron to. 5. An. Chr. 396.

23. *Flamma non nocebit tibi* David de divina voce loquens ait: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Psalm. 28. Quidnam obsecro signifi-

significat hoc intercidere flammam ignis? Ex floribus qui distillantur, duæ partes fiunt, una quæ nobilior est sublimatur, & convertitur in aquam? viliori in fundo sublimatorii reliqua manente. Deus etiam ignem sublimare videtur, nam lucem utpote quæ est pars purior ignis, segregat, eamque vult servire beatis ad eos illuminandos, ardorem autem qui parti impuriori & fæci ignis adhæret, ad damnatorum in inferno tormentum reservat. Et hoc videtur Propheta indicare voluisse, quando ait: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Psal 28. Unde Laurentius igne quodam à Deo sublimato eingebatur, adeò ut veluti Beatus sola ignis luce frueretur, ac proinde dicebat: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* Expers tamen esset omnis ardoris, quia *tormenta non timet, nec sentit.* Per experientiam docens in se verificati: *Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi.*

24. Existimo sancto Laurentio quamdiu craticulæ adstrictus erat, visum fuisse se opiparæ cuidam mensæ accumbere, & in Apolline commorari, ubi vel instar Salamandræ nutriretur flammis, vel potius consolationibus & gaudiis spiritualibus, accideretque ei quod Primislao accidisse Scriptores referunt. Hic enim cum super vomere ferreo manducaret, vocatus ad Regiam, in Bohemiæ Regem fuit electus, id quod ipsi longè antè prædictum hisce verbis fuerat: (Apud Bohemos regnaturum, qui super ferream mensam manducabat) Laurentius qui super ferrea craticulæ suæ mensa consolationibus potius, quàm pane pascitur, sublimatus est ad coronam martyrii, & ad Regiam evectus est Paradisi. *Ianuas tuas ingredi merui.*

Fulgos. l. 3. cap. 4. Theatr. vitæ humanæ lib. 19.

25. Gloriosus Levita in igne positus, videtur silere non posse, sed continuo sermocinatur. Nunc enim Deum alloquitur dicens: *Gratias tibi ago Domine.* Nunc Decium dicendo: *Assatum est, jam versa & manduca*: Mox cum ministris tractat: *Subjicientibus prunas insultat Levita Christi.* Nunc cum confortante eum Angelo: *Misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de medio ignis?* paulò post cum Hyppolito: *O Hyppolite, si credederis in Dominum* Jesum Christum, *&c.* Igitur ô Laurenti, silere nequis? Porrò sal igni injectum quiescere aut facere non potest, quia ex duobus contrariis elementis igne & aqua est compositum: *Sal est in se uno continens aquæ & ignis elementum, & hoc è duobus est unum.* Etenim sanctus Martyr sali similis erat, utpote ex igne charitatis, & aqua divinæ gratiæ compositus, ac proinde silere nescit. Nec mirum, siquidem Laurus, quam sanctus Martyr in nomine suo refert in igne stridet & strepitat, unde proinde desumptum est Emblema cum hac inscriptione. *Non possum uri & tacere.* Et quomodo Laurentius tacere potuisset, qui duplici flamma urebatur? Nequit igitur tacere magnus Levita, sed perspicuè se auditi facit, dum inquit: (Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.) Quibus verbis verum se Admantem esse ostendit, hic enim sibi proprium habet quod nullam umbram facere possit. *Sine umbra.* Vel etiam dum summam suam integritatem indicat dicens: *Non est inventa in me iniquitas*, se denuo verum & animatum quendam adamantem esse probat, qui maculæ omnis est expers. *Macula caret.* Trina vice ferreis flagellis seu virgis quibus crudeliter cæsus fuit fortiter restitit, tandem verò igni superpositus, denuo velut adamas amorosus non cedit, *nec ferro, nec flamma.* Porrò sanctus Augustinus Laurentium grano sinapis comparat, *non specie, sed virtute*, eo quod nullum aliorum seminum, tanta cum energia per gustum percipitur, quando confractum aut diminutum est sicut istud: *Sanctum Laurentium grano sinapis possumus comparare qui diversis actibus & passionibus totum orbem gratia meruit sui flagrare martyrii. Granum sinapis cum teritur accenditur, Laurentius cum patitur inflammatur?* atque supra craticulam & ignem positus, exactissimè facit percipi sive cognosci suam erga Deum gratitudinem. *Gratias tibi ago Domine.* Etenim tres pueri Ananias, Azarias & Misael, ab impio Tyranno, qui superbia elatus adorationem vero Deo debitam eidem rapere contendebat, in fornacem Babylonicam fuêre conjecti: Sancti autem hi pueri flammas illas, *quasi ventum roris stantem* persenserunt, unde ex illo igne nullum sunt passi dolorem aut ardorem, sed recreationem potius velut si suavi aura & favente quodam Zephyro afflati fuissent. Ita quoque Levita noster, tametsi ardoribus esset circumquaque circumdatus, hi tamen ei videbantur esse hortus delitiarum floridus & delitiosus: *Illi in pœnarum suarum flammis ambulabant*, inquit sanctus Pater Augustinus tom. 10 sermone 1. de S. Laurentio. *Et Laurentius in ipso supplicii sui igne discumbit. Illi vestigiis pedum conculcarunt incendia, iste laterum suorum diffusione extinguit.* O quam differentem ab his exitum habent eorum conatus & consilia, qui

Petr. de Natal. l. 7. c. 14.

D. August. serm. 1 de S. Laur. t. 10. ser. 269

D. Hilar. comm. in Matt. c. 4.

qui in suis operationibus voluntatem habent à bono discordem & declinantem à virtute. Consilium & intentio Decii erat Laurentium per ignem in cineres redigere, ejusdemque vivam fidem annihilare: sed flammæ Laurentium cingentes, eidem ad hoc potius servierunt, ut eum redderet perfectiorem, magisque venustum, *tanquam aurum in fornace*, unde ab igne pulchrior & purior egressus est, quam ingressus: *Ipsa flamma ideò suscepit Martyrem, non ut eum à fide sua mutaret, sed ut probatum Domino suo redderet* inquit sanctus Augustinus sermone tertio) *tali enim incendio beata consecrata sunt viscera, non condemnata.* Unde sicut Cæsar Commentarios suos conservavit, ne abundis maritimis contaminarentur, ita Laurentius in flammis fidem conservavit, ne ab iisdem pateretur aut læderetur: *In craticula te Deum non negavi, & ad ignem applicatus te Dominum Iesum Christum confessus sum.*

Paulus Aresi. de Trib lib 44.n.41.

26. In Indiis avis quædam reperitur, quæ à Paradiso nomen suum obtinet, cui pulchrum adeò nomen jure debetur, non solum ob elegantiam pulumarum ex colore cæruleo & aureo variegatarum, verum etiam quia nunquam in terram descendit, ut ibi firmiter sistat, sed semper alis suis in altum evolat, & in aere per gyrum circumfertur. Beatus Laurentius tanquam vera avis Paradisi, licet corpore tenus in craticula jaceret, alis tamen desiderii ad ipsas usque cæli portas, & ad æternæ beatitudinis contemplationem evolabat, unde dicit: *Ianuas ingredi merui?* *Quia ejus animus morabatur in cælis*, inquit sanctus Pater Augustinus. Ut si proprietas esse dicitur, quod sereno tempore tristetur, eo quod naturalis inclinatio sive instinctus ei dictet, quod aura turbida & pluviosa brevi sit secutura. E contra verò exultat & tripudiat, quando auram experitur turbidam esse, ob spem secuturæ serenitatis, unde pluvioso tempore dicere velle videtur: *Serenabit.* Quantumvis aliis videri potuisset tempus illud glorioso Martyri nostro valdè contrarium, quando super eum non jam pluviæ aquarum, sed ignis incendia copiosè decidebant, nihilominus ipse exultabundus jubilabat, eo quod etiam in mediis flammis experiretur serenitatem cœlestium consolationum, ideoque dicebat: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt* Isaias Propheta alatum quendam Seraphinum vidit, qui Prophetæ labia ignito carbone purificatutus, timens ne illum apprehendendo digitos ustularet, forcipem ad carbonem arripiendum adhibuit: *Et calculo, id est, carbone ignito?* (exponunt sacri Scriptores) *quam forcipe tulerat de altari tetigit labia mea.* *Thad. Perus. in c. 2. Isa.* Unde persuadeor, ut firmiter credam, amorem Laurentii erga Deum majorem fuisse eo quo ardebat Seraphinus, utpote qui ignitos carbones benè multos non digito aut manu duntaxat tangere, sed toto corpore in craticula super flammas & carbones supinus jacere debebat: *Strinxerunt corporis membra posita super craticulam?* Nec tamen ab arboribus lædi timebat, imò ut sanctus Augustinus sermone secundo scribit: *Frigidum videtur illi omne quod patitur.* Verùm quidem est quod incensum super carbones in thuribulo positum concremetur, eodem tempore aera odoriferis suffitibus adimplet, unde de eo dicitur: *Dum ardet, redolet? vel fragrat adustum?* uti refert P. Phil. Picinel lib 14. cap. 5. num. 26. & 24. Ita Laurentius quasi mysticum quoddam incensum, super ignem conjectus, magnam de se in cælum emittit gratiarum fragrantiam, quam pro receptis à Deo beneficiis eidem refert, dicens: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.*

27. Verùm enimverò sicut magnes ferrum attrahit, ita craticulæ Laurentianæ ferrum magnetem movet meorum conceptuum. Mira igitur est res, ô Auditores, quod ferrum natura sua durissimum, prout experientia docet, & Lactantius Firmianus confirmat dicens: *Ferrum durissimi rigoris materia est*, attamen ignis vehementi potentiæ cedens in omnem partem flexibile redditur: *Ferrum quando igne excoquitur mollitur & resolvitur.* Unde alius quidam Emblema quoddam inde concepit, cum hoc symbolo: *In quascunque formas*, vel: *Lentescit rigor.* At verò sanctus Laurentius ferro longe constantior esse probatur, dum nec minis emollitur Tyranni ad prodendos Ecclesiæ thesauros? neque ad flammarum ardores flectitur, imò ferro quovis se solidiorem durioremque esse perhibuit, unde *subjicientibus prunas insultat Levita Christi?* imò adversus Decium apertè protestatur dicens: *Non timeo tormenta tua* In montibus Apenninis nuper quoddam ferri genus inventum est, quod in fornacè positum liquefiebat, fluidumque reddebatur non minus quam aqua: Postea verò natura mutata *Ferrum quod & igne velut aqua defluere consueverat, capit congelascere, ac nullis ignibus, nullis follibus totius noctis intervallo incendi ac fluere potuit.*

Lactant. Firm. de ira Dei cap. 10.

Petrus Berch. in Red l. 11. c. 76. n. 14.

Vinc. Mainar. in vita S. Antonini apud Sur. to 3.

tuit. Si craticulæ Laurentianæ ferrum ejusdem conditionis fuisset, illud Laurentio suas qualitates cessurum fuisse existimarem, siquidem hic se si non liquidum, ad minus tamen benignum & charitativum ab igne amoris Divini erga pauperes exhibuit, quando iisdem Ecclesiæ facultates liberaliter distribuit: postea verò mutando naturam ferri, duritiam erga Decium exhibuit, unde facilè ei hæc applicari potuisset inscriptio: *Obdurescit*, dum ei in faciem exprobrat: *Non timeo tormenta tua.* Verum quidem est quod in partibus *Novi Orbis* filum quoddam ab herba quæ Cabuja dicitur extractum, quod specialem hanc virtutem habet recidendi duritiam ferri, idipsum instar Lunæ cujusdam secando. Sed quid tandem fit de hoc filo? *Secat quidem ferrum hoc filum*, tandem verò in fine atteritur & consumitur: *Sed usu ipsum quoque atteritur.* Noster autem gloriosus Levita & ferri illius duritiam vincit, quod in forma craticulæ, velut instrumentum ad dolorosum ejus martyrium concurrit, & tamen invicta ejus patientia, nec non constantissima fides sua nec minimum atteritur aut violatur, assecurante eum quoad hoc Propheta qui dicit: *Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.* Unde de Carnificibus, tyrannis, igne & ferro palmam reportans *triumphat coronatus in cælis.* Neque igitur sanctus Sixtus magnus ille Martyr & Pontifex immeritò ei prognosticavit dicendo: *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te autem quasi juvenem manet glorioſior de Tyranno triumphus.*

Oven. hist. l. 7. c. 10.

28. Exhibeant se igitur Catholicæ fidei inimici per intentata Martyri nostro truculenta ignis tormenta velut ferocissimi Leones, nam mysticus Samson Laurentius facilè adinvenire poterit rationem & modum è faucibus eorum, imò ex vulneribus sibi inflictis extrahendi & colligendi dulcedinem mellis, perspicuè que ostendet quod ex ferri duritie, crudelium ministrorum & carnificum barbarie, igniſque ardoribus *egressa est dulcedo*, cum hæc omnia patienter sustinens consolationes senserit Paradisi: *Ianuas ingredi merui* Ferrum quod sanctus Dominicus loricatus ad nuda carnis suæ membra mortificationis causa portavit, adhoc ut corpus illud innocens non offenderet, quasi compassione motum mollitiem quandam induit, & veluti cæra quædam mollis flexibile atque tractabile fuit: *Duo illa ferramenta super humeros posita, prorsus sponte effracta sunt, & mollita lenitate flexibilia.* Et tamen ferrum craticulæ Laurentianæ quod flammis resistit, licet igneſcat, non tamen per mollitiem & flexibilitatem cedit. Et quidem forte idipsum, scilicet constanter in sua soliditate perseverare, atque ad ignis violentias nequaquam flecti à Laurentio didicit, ut proinde à nullo nisi à solo Laurentio vinci se permittat. Scio equidem quod ferrum quo sancta Vercellensis à Carnifice septies percussa fuit, haud secus ac si innatam activitatem suam amisisset, nullum unquam ictum qui eam lædere aut vulnerare posset, infligere potuerit, adeò ut minister coactus fuerit, ense nequaquam scindere aut vulnerare, sed ensis aciem pectori aut jugulo infigendo eam transfodere: *Gladii cuspidem admovit, ut quod collum secare non valuisset, perforando jugulum eam interimeret.* Unde huic invictæ Christi Amazoni solum quidem ferrum se tanquam devictum & superatum subdidit? quoad hunc autem Martyrem & Heroem nostrum non solum ferrum duritiem suam deseruit, sed & ignis irreparabiles violentias suas deposuit. *Hoc igne* (inquit sanctus Augustinus) *Laurentius accensus flammarum non sentit ardorem*, videbaturque quod ignis violentos suos rigores deponendo, ad conciliandum Martyri aliquod refrigerium, in auram suavem transformatum fuisset. Porrò Craticula altare quoddam fuisse videtur, in quo glorioſus Martyr & Levita noster semetipsum Deo victimam obtulit. *Strinxerunt corporis membra posita super craticulam*, adeoque sacros antiqui Sacerdotis ritus renovans: *Immolavit Deo sacrificium laudis, sacrificium simila in craticula?* inquit Laurentius Justinianus. Fuit item craticula hæc velut currus quidam triumphalis, in quo novellus Elias triumphans in cælum ascendit: *Ianuas tuas ingredi merui?* siquidem *triumphat in cælis coronatus.* Denique craticula nidus fuit, in quo velut novella quædam Phœnix ad gloriæ immortalitatem inter ardores renascitur, quasi diceret, ignes hos patior, *ut in æternum vivam?* vel *ut sim post fata superstes.* Cui optimè subjungi potest illud Gregorii Nazianzeni poëma:

Vt Phœnix moriens primos revivisce ad annos.
In medijs flammis post plurima lustra renascens
Atque novum veteri surgit de corpore corpus
Haud secus egregia redduntur morte perennes;
Dum pia Divinis ardescunt pectora flammis.

Hic

Hic sileo? nam dum craticulæ duritiem, nec non flammarum ardores considero, lingua mea velut examinis immota subsistit, dumque tyrannum intueor, in ejus veluti aspectu loquelam amittens, taciturnam sese in silentio subducit.

SERMO VIGESIMUS QUARTUS.

IN FESTO

B. PHILIPPI BENIZZI.

1. *Iste est qui contempsit vitam mundi & pervenit ad cælestia regna.*

NUllus in mundo lapis invenitur qui peculiari sua virtute non polleat. *juxta illud: Virtus consistit in verbis, in herbis, & in lapidibus.* Inter cæteros autem lapides, valdè admirabiles & ferè incredibiles sunt Magnetis proprietates. Etenim sanctus Pater Augustinus ex quo aliquas hujus lapidis experientias vidit, dixit: *Magnetem lapidem cùm primum vidi, vehementer inhorrui.* In Æthiopia, & in radicibus montium qui sunt ex Occidentis Meridiei & Aquilonis oppositio, certa quædam hujus lapidis species invenitur, quæ non solum non est amica ferri, illudque non attrahit, verùm etiam idipsum tanquam sibi inimicum abigit & repellit: *Ferrum non trahit, sed respuit & repellit.* Alia quædam hujus lapidis species in monte Ida reperitur in Indiis situato, ibique inventus est à certo quodam viro, qui *Magnes* appellatur (ob cujus inventoris nomen multi existimant lapidem hunc nomen istud apud Latinos assecutum esse, quod Magnes vocetur) hic enim dum super hunc montem Magneticum transiret, calceos indutus multis clavis ferreis sub solea munitos, pedem sublevare à terra non poterat, adeò ut ibidem immobilis subsistere debuerit. *Fuit autem in India primum repertus clavis crepidarum baculis, cuspidi inhærens, cùm armenta idem Magnes pasceret?* inquit Isidorus Episcopus Hispalensis lib. 16. cap. 4. Cùm in templi Serapidis, Alexandriæ à Democrate ædificati interiori parte nonnulli ex hisce magnetibus muro inserti essent, ea virtute pollebant, ut statuam quandam ferream in aëre potuerint sustinere, pronti idemmet Sacer Scriptor refert. *In templo quodam simulachrum ex ferro pendere in aëre videbatur.* Servius Episcopus Milevitanus sancto Patri Augustino affirmavit, quod dum una cum quodam Africæ comite mensæ accubuisset, haud sine ingenti admiratione visum fuerit, quod dum unus sub cratere argenteo magnetem moveret, uno eodemque tempore etiam ferrum quod desuper crateri illi imminebat admotum dicti magnetis confirmiter motum fuerit: *Sicut subter movebat manum, qua lapidem tenebat ferrum desuper movebatur.* Plato quoque observavit, quod hic lapis dum primum duntaxat catenæ ferreæ annulum movet, hic virtutem magneticam sibi impressam omnibus aliis communicaverit, adeò ut ex his ferreis annulis unus ab alio successivè attractus fuerit: *Magnes non solùm ferreos annulos trahit, sed etiam annulis ipsis infundit, qua hoc efficere possint, ac proinde ut lapis alios annulos attrahit.* Effectus alii sine comparatione admirabiliores à Scriptoribus recensentur, & speciatim quidem attestatur, quod in partibus Indiarum, ubi in Insulis maritimis ex hisce magneticis lapidibus magni extant scopuli, naves transeuntes dum ad lapides seu scopulos istos propinquius accedunt, in itinere suo immobiliter hærere & sistere cogantur. Unde qui maria ista frequenter trajiciunt, hanc pro navibus eorumque itinere expediendis inventionem excogitarunt, quòd scilicet ab iis naves fabricentur absque ullis instrumentis ferreis, atque ex metis ligneis clavis compaginentur. *Narrant nauta*

D. Aug. de Civit. Dei ad Marc. l. 9. c. 4.

Sim. Majol. coll. 18.

Ludov. Viv. l. 21. de Civ. Dei c. 6. f. 199. coll. 4. K.

D. Aug. Et D. lib. ubi sup.

D. Aug. ubi sup. l. 21. c. 4.

Pla. in Io. & D. Aug. ubi sup.

Ioan. de S. Gem. l. 2. c. 35.

Ludov. Viv. in D. Aug. de Civit. Dei l. 21. c. 4.

nautæ nostrates, (scribit Vives) *in ima India esse maritimas cautes magneticas, quæ medio cursu navigia, si quid in eis ferri, vel clavus unus, sistant, detineant, attrahant.* Veruntamen fatendum est verum esse quod Magnes adamante præsente naturam mutet, suamque perdat virtutem nimirum sympathiam, quam cum ferro habet, in antipathiam transmutando, adeò ut quodammodo pudere ipsum videatur, quod ferro potiùs quàm Adamanti affectum suum applicet, *Inter Adamantem & Magnetem* (inquit Solinus cap. 35) *est quædam natura occulta dissensio, adeò ut juxta positus non sinat magnetem trahere ferrum.* Verum enimverò inter omnes admirabiles Magnetis proprietates hæc est magis præcipua & singularis, quod semper in stellam Polarem inveniatur conversus atque defixus. Quæ proprietas à multis ingeniis eruditis emblemate quodam exprimitur, cum hac illud

Ioan. Feras fol. 150.

animante inscriptione: *Aspicit unam.* Vel *In te una quiescam.* Etenim quis unquam potuit mortaliter loquendo verior aut præstantior magnes reperiri, quam sit Beatus Philippus Benizzius? utpote qui quandiu in hoc mundo vixit, nullam unquam aliam Polarem stellam quàm cælum respexit, omnia namque bona & honores mundi hujus despiciens omnes cogitationes suas in stellam Polarem cælestē Empyrii defixas habuit, adeò ut dicere videretur: *Vnam aspicio: In te una quiescam,* memor nimirum moniti illius, quod Salvator noster nobis reliquit, dicens: *Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna,* id est, ad cælum, mundo terga vertens affectu semper cælum versus intentus & conversus fuit, hodierni Evangelii doctrinam observans, qua dicitur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare &c.*

Luc. 12.

Hicque erit præcipuus punctus citra quem præsentis discursus mei linea terminabitur. Vos interim curate, ut attentionis vestræ magnes ad discursus mei stellam Polarem semper sit conversus. Ordiamur.

2. *Iste est qui contempsit vitam mundi &c.* O quantam Deus noster in formatione hominis sapientiam demonstravit, & specialiter in membrorum dispositione & figura corporis, quam illi dedit, longè diversam ab ea quam animalibus indidit, quæ caput pronum habent, atque ad terram conversum? cùm homo econtra vultum suum ad cælos semper habeat directum. Unde

Ovid. Met.

Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram.
Os homini sublime dedit, cælumq; tueri.

Idque à Deo factum est, ut bruta spem suam in terrenis rebus collocarent, homines autem affectus suos in cælum dirigerent. *Quia non estis de terra* (inquit Imperfectus) *nec de terra venistis, sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram, sed de cælo estis, & de cælo venistis, & iterum redituri estis in cælum, nisi ultrò remanere volueritis in terra.* Ac proinde Thales unus è septem Sapientibus nocte circuibat, ut contemplaretur cælorum motus, stellarumque influxus observaret: *Hic primus in Græcia observavit stellarum motus, & syderum obliqua curricula.* Conformiter huic existimo quod Poëtæ finxerunt, Prometheum Deucalionis patrem, postquam post diluvium homines è lapidibus post terga projectis nasci fecisset, aut ut alii volunt ex luto formasset, ut eisdē spiritum & vitam suggereret, ope Minervæ in cælum ascendisse, & facem quandam ex igne cœlesti accendisse, eaque deinceps è terra formatis corporibus spiritum indidisse & vitam: *Prometheus post factos à se homines dicitur auxilio Minervæ cælos ascendisse & adhibita facula ad rotam Solis ignem furatus:* Fortè ut per hoc homini persuaderetur, ut cùm sit qualitatis igneæ, ignis etiam qualitates in se exprimat? hic enim à terra semper sustollitur, & cælum versus progreditur, prouti illud è flamma formatum emblema exprimit, dum hæc ei subscriptio subnectitur: *Celsa petit.* Porrò Beatum Philippum Benizzium igneâ fuisse qualitate imbutū, & non tantùm vultu, verùm etiam corde, velut Magnetem fuisse affectu suo versus stellam Polarem cœlorum intentum & directum, nomen ejus manifestat. Philippus enim nomen quoddam est, à *Philos, quod est amor, & per quod est super: Quasi amator supernorum, propter cælestem contemplationem.*

Amb. Calep. v. Thales.

Idem ibid. v. Prometheus.

Iacob de Vorag. in vit SS. Phil. & Iac.

3. Ecclesiastes dixit viri prudentis esse oculos habere in capite: *Sapientis oculi in capite.* Et quidem si vera est hæc sententia, omnes universim homines sapientes erunt, nullus enim reperitur qui oculos suos in capite non habeat defixos, quis enim unquam vidit hominem oculos in pedibus ferentem. Unde Sanctus Basilius idipsum ponderans ait: *Cujusnam oculi non sunt in capite?* Fortè Ecclesiasticus hoc loco instituere, vult differentiam inter nos & alios homi-

Hom. 10. in Hex.

homines, de quibus Plinius affirmat, quòd oculos suos in pectore habeant? *Habent oculos in pectore affixos?* Vel ab illis nos discriminat, qui oculos in humeris suis ferunt, prouti cernitur in Blemis & aliis, *Qui in humeris habent oculos*, uti scribunt Aulus Gellius, Plinius & Solinus? Aut verò loquitur id ad excludendum populos illos qui non tantum oculos in capite non habent, verùm etiam ipsomet capite carent, prouti multi referunt, & speciatim Ægidius Columna, dicens: *Sunt quidam homines sine cervice habentes caput intra humeros, & in ipsis humeris habent oculos.* Idque à Sancto Augustino confirmatur, qui cum Religiosis suis in Eremo familiaria miscens colloquia, iisdem retulit, quòd dum fidem Jesu Christi in Æthiopia prædicaret, multos viderit viros & mulieres capite carentes, magnosque in pectore oculos habentes: *Vidit ibi multos homines ac mulieres capite non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore.* Non credo equidem Ecclesiasten hosce sensus intendisse quando dixit: *Sapientis oculi in capite*, sed potiùs ipsum mysticè & per cogitationes longè sublimiores locutum fuisse existimo. Videamus igitur num sensum sententiæ illius, per proprietatem piscis illius penetrare possimus, cujus fel ad restituendam seniori Tobiæ lucem oportunum præbuit remedium, de quo proinde Sacer Textus dicit, quòd Tobias Raphaelis Archangeli jussu *Sumens de felle piscis linivit oculos Patris sui*, eratque nomen piscis istius Callionymus vel Granus, ut alii volunt. Hic enim piscis in superiori capitis parte unicum habet oculum, quo cœlum directè respicit, ac proinde à Græcis *Vranoscopas, id est, spectator cœli* appellatur? quando per mare natat, foris semper & supra aquas oculum illum tenet, gaudens videre cœlum, illudque contemplari. Hoc est, quod Ecclesiastes significare volebat, quando dixit: *Sapientis oculi in capite*, nimirum ille sapiens est & prudens, qui velut Vranoscopus oculos in capitis vertice portat, id est, qui cœlum semper contemplatur, illudque habet velut omnium operationum suarum objectum, in quod cunctos affectus suos dirigit, & sicut Magnes versus stellam polarem, ita ipse ad cœlum omnes cogitationes & consilia sua extendit. Illi autem oculos suos in capite non habent, qui cogitationes suas in terram defixas tenent, summamque curam & sollicitudinem ad consecutionem bonorum mundi hujus, non verò bonorum cœlestium extendunt.

Solin. c. 51. Aulus Gel Noct. Attic. lib. 9. cap. 4. Plin. lib. 7. cap. 2. Ægid. Col. in 2 sent. dist. 1. p. 2. q. 2. a. 3.

D. Aug. serm. 37. in Eremo. Et Fulgos. lib. 1 de miracul. Item Mela lib. 1. cap. 4.

Prov. 11. v. 13.

Eccl. 2. v. 14.

Ille igitur meritò censendus est prudens & sapiens, qui *Oculos in sublime elevans* (inquit Hieronymus) *nunquam de inferioribus cogitabit.* *ca. Eccl.*

4. Philippus noster de eorū numero fuit, qui ab Ecclesiaste inter sapientes recensentur: *Sapientis oculi in capite*, nam veluti *Vranoscopus* piscis, *cœli spectator* perpetuus fuit. Probè sciens id quod monet Chrysostomus dicens: *Quòd si quis in cœlum suspiceret, & quæ illic bona sunt contemplaretur, statim hæc contemneret, & tanquam nullius momēti existimabit.* Quasi animatus magnes aliam in suis operationibus Polarem stellam, quàm cœlum ipsum non respiciebat. Idque facillimè mihi persuadere possum, dum actionem illam nunquam pro meritis satis celebratam considero, quam elicuit, quando in ætate tenera, priusquam in eo rationis diluculum appareret, aut cognoscere posset, quid sit Christi pauperibus per Eleemosynam subvenire, haud secùs ac si Evangelii sacra monita manibus suis tractasset, quibus Regnum cœlorum per Eleemosynam acquiri dicitur: *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, id est, cœlum, veruntamen *date Eleemosynam*? quando inquam in hac ætate genitricem suam genuflexus rogavit, ut postpositis omnibus aliis negotiis, sese adiceret operibus charitatis impendendis in duos Religiosos Ordinis servorum Mariæ, qui tanquam religiosæ & Christianæ paupertatis filii victum suum mendicabant. Dicite enim obsecro, ô Auditores, nunquid istud pietatis opus mundo manifestè satis declarat Philippum non solùm oculos, verùm etiam cogitationes & spiritus suos totaliter versus cœlum habuisse directos? Quisquis enim per affectum terram respicit, ei nequaquā curæ est mendicis subvenire. Unde dum Philippus eosdem in necessitatibus suis sublevare procurat, manifestum de se indicium prodit, quòd priusquam mundum cognosceret, eot habuerit à mundo totaliter alienum, & in ea ætate quâ cœlum etiamnum cognoscere non poterat, matri supplicarit, ne pulchram illam occasionem unius panis moneta cœlum comparandi turpiter negligeret. Videbatur igitur quòd in illa puerili ætate, & annorum teneritudine in doctrina Magni Pontificis S. Greg. optimè edoctus fuerit, dicentis: *Qui cælestis vitæ dulcedinem perfectè cognoverit, in quantum possibilitas admittit, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta relinquit, in comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, deforme conspicitur, quicquid de terrena rei placebat specie? quia*

Hom. 66. in Ioan.

Hom. 11. in Evan t. 2.

quia sola pretiosa margaritæ claritas (id est cœlum) *refulgebat in monte.* Huic igitur parvulo mundi contemptori & inimico vero cœli obsequiosissimo, velut cuidam è grege Christi innocenti agnello per verbum Evangelicum promissum fuit: *Nolite timere pusillus grex quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, cœleste scilicet, terrenum (exponit Maldonatus] *æternum, non temporale.*

Io. Maldon. ibid. col. 1.

5. Portò crescentibus annis, crevit etiam in Sancto devotio & ardor spiritus. Nam ab hominum congressibus se subducens, cum nullo alio præterquam cum Deo conversari gaudebat, totum dierum suorum cursum in loco unico consumens, scilicet in cultivanda anima sua per spiritualia, quibus in sactis templis operam dabat, exercitia. Die quodam particulari accidit, quod dum excessivo quodam fervore affectus suos erga magnam Dei Matrem Mariam sublevaret, eadem Angelorum Regina eidem in ecstasim rapto in curru quodam ex purissimo auro fabricato apparuerit, eumque ad currum illum hisce verbis invitarit: *Philippe adjunge te ad currum istum.* O quam est hic favor eximius! cujus utique per multas vias investigari causa poterit. Etenim Philippus pretiosa quædam gemma erat, ac proinde digna quæ purissimo auro insereretur, ac proinde: *Adjunge te ad currum istum* Adhæc securus erat, quòd cum divinæ gratiæ adjutorio, cum tribus inimicis Dæmone, mundo, & carne dimicans, gloriosam reportaturus esset victoriã, ac proinde triumphabundus in curru quodam aureo ascensurus esset ad cæleste Capitolium: proinde: *Adjunge te ad currum istum.* Insuper Philippus in Civitate Florum, id est urbe Florentina, mysticum quoddam & candidum lilium erat, ac proinde ne illud ab immunditiis terrenis contaminaretur, Maria Virgo illud ab iis, *tanquam pretiosum à vili* separate, & in curru suo velut in vase quodam aureo præservare voluit, ac proinde: *Adjunge te ad currum istum.* Præterea è Principibus soli singulariter dilecti & grati in proprium currum admittuntur, prout de Justiniano Imperatore & Belisario legitur? cùm igitur magna Dei Mater, Philippum nostrum ad confidendum sibi in curru suo invitarit, credere par est, ipsam illum veluti dilectissimum filium & amicum suum declarare voluisse? ac proinde: *Adjunge te ad currum istum.* Currus Eliæ constructus erat ex igne, qui inter omnia Elementa nobilissimus est: Currus autem Philippi factus est ex auro, quod est inter alia metalla præstantissimum: Unde sicut aurum incomparabiliter plus valet quàm ignis, ita currus Philippi tantò majoris æstimationis erat, quantò aurum dignior materiam dicit, quàm ignis? proinde, *Adjunge te ad currum istum.* Adde quòd sicut terra patria est conjugatorum, quibus proinde à Deo dictum fuit: *Crescite & multiplicabimini, & replete terram*: ita cœlum residentia & habitaculum est Virginum. Unde Elias tanquã virgo in curru igneo de terra translatus est ad cœlum, inquit S. Ambrosius: *Elias Angelis ducentibus raptus ad cælum est, & quadrigæ igneæ impositus quasi in quodam triumpho victor ascendit? victor enim extiterat non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum.* Portò Philippus virginitatis candorem incontaminatum conservavit, ut cum tanto majori securitate cœli possessor evaderet, ac proinde ut suum assequeretur intentum, eum Maria ad proprium suum currum invitat dicens: *Adjunge te ad currum istum.* Ulterius Elias sciens, quòd ad cœlum abire cupiens, nihil terreni secum eò inferre debeat, pallium suum post se è curru abjecit. Unde Sanctus Hieronymus dicit: Quod *Elias ad cælorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimentum dimittit:* Philippus autem tanquam animatus magnes Polarem cæli stellam unicè respiciens, non solùm deseruit sæculi vestes, verùm etiam quemvis terrenum affectum. Unde Virgo beatissima eundem ad cælum transferre volens, eundem ad currum suum conscendendum suaviter provocat dicens: *Adjunge te ad currum istum.* Verùm enimverò, ut id ipsum cum pace Magni Eliæ dicam, cùm illæ actiones quæ magis sunt voluntariæ, magis quoque sunt meritoriæ, hominumque ex quadam congruentia cælo consequendo digniorem reddant? fortè autem Elias pallium suum dimisit, quia fortè inadvertenter & *præter voluntatem* ei cecidit, ut proinde Sacer Textus dicat, quod Elisæus *levavit pallium Eliæ, quod ciderat eis* non verò dicat quòd actu quodam positivo illud adjecerit, terræque reliquerit: *Cecidisse dicitur pallium, non Eliam utique projecisse.* De Philippo tamen certum sit, quòd vestis sæcularis ei non ceciderit, sed sponte propriâ & voluntariè eam renuntiarit: *Mundo vestimenta dimisit*, & simul cum veste sæculari paternas quoque hæreditates, parentes, terram, & mundum totum solo servorum Mariæ sacro pallio contentus dimiserit, majori utique jure ad capien-

In vita ejus apud P. Cherub. Mariam. Odalc. l. 1. c. 5.

To. 1. ser. 26. de Eliæo.

Gen. 1. v 28.

To. 1 Epist. ad Iulian

Ioseph. de la Zerda t. 2. in Iud. c. 15. sect. 3. v. 4. n. 25.

piendam cæli possessionem à Beata Virgine ad currum aureum vocari & invitari debuit: *Adjunge te ad currum istum* Philippus non est Gallum imitatus, qui unum oculum versus terram, alterum autem cœlum versus dirigit: *Vnum oculum ad victum inferius deprimit, alterum autem in aera dirigit.* Sed potius affectus quoque ipsos una cum terrenis rebus abstrahens, amantem animi sui magnetem versus Polum cœli stellam reflectebat, sciens S. Augustinus dicere, quòd *Amorem mundi & Dei pariter in uno corde habere non possumus.* Lepidum ingenium duas mappas mundi effigiavit, quarum una terram, altera cœlum repræsentabat? cum hac epigraphe: *unde dos*, id est, unum de duobus, quasi diceret, non potest cœlum simul cum terra possideri, atque ideò alterutrum ex duobus eligere oportet; eodem Ecclesiæ Doctore affirmante, quòd *Homo non potest in hac vita lætari, & in altera jucundari.* Unde Philippus noster cautior factus, huic mundo calces impegit, cùmque ad cœlestia consequenda cunctas suas cogitationes & spiritus extendisset, mirum non est, quòd Cœlorum Reginam audierit dicentem? *Adjunge te ad currum istum.*

Ioan. à S. Gem. lib. 4. c. 53.

6. Verùm enimverò absit ut lingua mea hujus pretiosissimi currus rotas & cursum tanto cum animi impetu prosequatur, ut interea oblivioni tradat tot alia innumera virtutum exempla, quæ in Philippi nostri vita gloriosè resplendent. Portò ut expeditius Deo inserviat, servorum Religionem ingreditur, atque in numerum servorum Mariæ adscribitur. Nolo autem hoc loco exponere, quam fuerit in progressu vitæ religiosæ fervidus in charitate, in fide constans, assiduus in orationibus, in mortificationibus austerus, exemplaris in vita, in victu temperans, angelicus in moribus, viscerosus erga infirmos, ad Ecclesiæ causas promovendas promptus, diligens in exercitiis spiritualibus. Solummodo observare contendam, quod tali quodam habitu voluerit vestiri, è quo perspicuè cognosci posset, ipsum voluisse servum esse non solo nomine, sed etiam facto ipso, ideòque vilissimis & abjectissimis ministeriis, quæ in Monasteriis personis idiotis, nec ulla agendi virtute præditis distribui solent, sese toto pectore dedicari: *Patres enixè orat, ut ipsum ad consortium suum admissum, sacræ Religionis habitu dignarentur, & ut eam gratiam sibi inter fratres universos relato, communi omnium obsequio utcunque compensare liceret.* Enimverò ô Philippe quæ vis alia facilè credidero? Imò haud difficulter persuadebor potiùs, quod natalium nobilitas stimulus honoris, perspicacitas ingenii, desiderium te literatura mediante ad majora promovendi, aliaque motiva similia tibi exercitia domestica dissuaserint, utque te gravioribus Theologiæ studiis totum dedicares consuluerint, ad habilitandum te ad eas dignitates Ecclesiasticas, quas cælum liberali manu conferre iiis solet, qui meritorum divites sunt & opulenti? ac proinde ô Philippe dic sodes, cur in primo tuo in Religionem ingressu, in ætate viginti annorum, Feria sexta post Pascha Resurrectionis, alio quam Laici aut servitoris habitu vestiri noluisti? Fortè ut Christi imitator esses, qui *Formam servi accepit, & non venit ministrari, sed ministrare*? Fortè, quia juxta doctrinam Divi Joannis Chrysostomi specialis magnorum gloria est, humilitatis se amicum exhibere? *Sublimium quippè illa maxima gloria est, si possunt quam maximè se submittere?* Forta quia indicare voluit se illius gregis ovem esse, de quo Salvator dicebat: *Noli timere pusillus grex*, juxta enim expositionem Chrysologi: *Pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo*? vel quia sumptuosam quandam è lapidibus pretiosis virtutum speculativarum & moralium erigere fabricam contendens humilitatis fundamentum prius stabilire cogitasti, docente te S. Augustino: *Magnam fabricam construere vis, prius cogita de fundamento humilitatis.* Etenim ô Auditores, tametsi hasce causas sive resolutiones addactas vobis non displicere sciam, veruntamen aliam quandam auscultare non dedignemini, utpote quæ rectâ lineâ ad subjecti propositi punctum decurrit.

Ad Philipp. 2. Matt. 20. D. Chrys. hom 3. in Matt.

Luc. 12. D. Chrys. serm. 22.

7. Nascebatur inter Christi discipulos molesta quæstio, uter illorum major esset in regno cælorum, omnibus primatum & primum locum sibi debere prætendentibus? tandem verò hanc à cælesti magistro suo habuere decisionem, sive responsum: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Matth. 18, v. 3. Quasi dicere voluisset, ad cæli consecutionem duæ conditiones requiruntur. Prima est: *Nisi conversi fueritis*, quasi diceret, debetis converti, id est, opiniones & affectus mutare. Sed quomodo? Theophylactus dicit: *A superbia ad humanitatem.* Dionysius Carthusianus autem dicit: *Nisi conversi fueritis, id est, corde salubriter immutati, videlicet ab elatione ad humilitatem, & obedientiam.* Secunda:

Theoph. in Bibl. hom. t. 4. Dion. Carth. ib. Art. 32.

P. Cherub. Maria Odalesl. t. l. c. 16.

Euseb. Emiss. ib. in Bibl. homil. 4.

Et efficiamini sicut parvuli. Quasi ex mente Eusebii Emisseni dixisset: *Videtis hunc parvulum? Nisi ab hac fuerit dignitate, qua in vestros animos perturbat, ad hujus patientiam & humilitatem conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli sine invidia, sine odio, sine superbia, sine ambitione, non solùm majores in regno cælorum non eritis, verùm etiam non intrabitis.* Et S. Maximus subjungit: *Unde intelligimus quod humilitate pervenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum.* Portò priusquam Salvator noster monitum hoc discipulis suis dedisset, Isaias Propheta illius nobis exemplum exhibuit in casu sequenti. Etenim menti infelicissimi Luciferi prætensio quædam obvenit, non minus temeraria, quàm immoderata: *Ascendam in cælum, sedebo in monte Testamenti, hoc est, in templo, ubi solus Deus colitur.* In quo, ut Sanctus Bernardus ait, sedere præsumebat, cunctisq; Angelis pariter & hominibus tanquam & superior præcipere & imperare, ab iisque obedientiam & obsequia vicissim recipere. Verùm quid accidit ei? Num fortè suum est intentum pro voto assecutus? Minimè gentium? imò prorsus contrarium ei accidit. Neque enim consecutus est quod desiderabat ac cœlum insuper amisit, quod tantoperè ambiebat, sed inde probrosè exclusus atque profligatus fuit, ut proinde Propheta Isaias eum deridendo dixerit? *Quomodo decidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris?* Sedere in alto volebat, ut omnibus tam Angelis, quàm hominibus prælatus, omnes gubernaret, omnibusque imperaret & præesset, non solùm tanquam superior, sed etiam tanquam Deus, indeque subsecuta est infelix illa cœli amissio, unde fuit præcipitatus. Unde Sanctus Bernardus eum hisce arrogantiâ & fastu plenis verbis loquentem introducit: *Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura (id est homines) non decet esse concives, nec æquales in gloria.* Unde temerarius ille spiritus prætendebat, quòd *Quemadmodum altissimus super Cherubim sedens, gubernat omnem Angelicam creaturam, ita & ipse altus sederet que genus humanum.*

D. Max. ibid.

Isai. 14. v. 12.

Thad. Petrus. ibid.

Isai. 14. v. 12.

D. Bern. serm. 17. in Cant.

8. Noster Beatus Philippus Benizzi semetipsum servorum Religioni dedicat, sub protectione Beatissimæ Virginis Mariæ? Et quidem quantum ad ipsum spectat (nisi Deus aliter præceperit, nunquam vult sedere tanquam superior, imò ut se ad superioritatem inhabilem reddat, laicalem seu ministrantis habitum sibi dari postulat. Non vult subditis præcipere sed potiùs tanquam subditus Superiorum mandata præstolari & iis promptè obedire. In quo specialiter se à Lucifero quàm maximè differre ostendit, quia voluntate suâ tanquam Magnes in suam stellam Polarem cælum scilicet continuò directus erat, ut illud assequi posset, non autem perderet, prouti Angelo apostatæ accidit. Et quidem si verum est quòd quantò magis anima se in cœlum vult arrogantet & superbè extollere, tantò magis se à cœlo videre debeat esse remotam, prouti nobis Salvator noster non obscurè insinuavit, dum ait: *Qui se exaltat humiliabitur*: & è contra quantò plus se quis dejecerit humiliando se versus terram, tantò vicinior cœlo esse incipiet: *Qui se humiat exaltabitur*, mitum non est quòd ipse in primo Religionis ingressu, nec cœlum amitteret, monitum à Dei Filio discipulis suis traditum exequi voluerit, nimirum: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Vult in Religionem suam recipi in qualitate Conversi non tantùm nomine, sed & reipsa, convertendo se ex statu hominis sæcularis in religiosum, seque transmutando in parvulum infantem sive puerum per humilitatem, respuendo superioritatem aut imperium, & eligendo potiùs esse subditum abjectissimum, seque demississimis obedientiæ & servitutis actibus consecrando, ut vel hac ratione ad comparandum sibi cælum, utpote unicum cunctarum operationum suarum objectum, humiliaret. Sciens illud quod Christus, ut Chrysostomus scribit, discipulis suis dixit: *Ego si quis humiliorem se cæteris non effecerit, ipso ingressu cælesti omninò indignum asserо.* Philippus igitur velut Magnes quidam animatus in cæli polatem stellam conversus semper movebatur.

D. Chrys. in Biblio. Hom. t. 4. in Festo Mich. hom. 4.

9. Veruntamen Deo, qui servos suos exaltat, maximè eos qui in humilitatis centro conservantur immobiles, Philippum ad Sacerdotalem dignitatem evocare complacuit? efficiendo ut ei suscipiendus character Sacerdotalis sub præcepto formali injungeretur à suo Superiore, P. Jacobo de Senis Priore Generali, qui eo tempore Romæ commorabatur, Ordinis sui confirmationem à Summo Pontifice Alexandro IV. impetraturus, quam etiam hortante eundem Pontificem Maria Virgine, reipsa per literas Apostolicas consecutus est: *Pater Generalis Philippo servio in mandatis dat, ut se ad sacros Ordines suscipiendos compararet.* Quid igitur hìc facies ô Philippe? ut ordine-

P. Cherub. Maria Odalc. in

ris Sacerdos humilitas non permittit : Quòd si verò ordines assumere detrectaveris, magnam ei quam solemniter professus es, obedientiæ irrogabis injuriam. Si uni adhæseris, alteri te parum affici comprobabis, cùm tamen ambabus tanquam virtutibus tibi unicè charis sancto fis fœdere adstrictus. Quid igitur facies ? utram illarum amplecteris ? Cùm veluti vir secundùm Deum prudens, sciret idipsum quod Samuel Sauli insinuavit, quòd scilicet *Melior est obedientia quàm victima, quia in obedientia* (ut inquit Lyranus) *sacrificatur Deo voluntas propria?* imò verò obediendo actus quoque exercetur humilitatis, dum voluntas propria Dei & Superioris voluntati subjicitur? ultrò citròque in sacerdotalem ordinem suscipiendum libens condescendit? unde humilitatis meritum ne quicquam perdendo, fructus quoque sibi acquisivit obedientiæ. Porrò dum jam Sacerdos consecratus, primum Deo litaret Missæ sacrificium, post absolutam consecrationem in ecstasim raptus, atque immensis splendoribus circumdatus, Angelos audivit suavissimâ & verè Angelicâ voce & modulis decantantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* O inaudita prodigia ! O stupores inexplicabiles! Cœlum Philippi sanctitati applaudit, eaque dignè satis celebranda satiari neutiquam possunt? siquidem sacratissimo quodam Trisagio quod Deo soli debetur, eandem præconizant? Ipsique Creatoris ministri Philippo ter sancto, & novello sanctitatis Trimegisto in Paradisi vaticano acclamant. Ter sanctus enim erat, quia sanctus erat in memoria, sanctus in intellectu, & sanctus in voluntate. Ter sanctus, id est, in Fide, Spe & Charitate. Ter sanctus respectu cogitationum, verborum, & operationum. Ter sanctus propter observantiam Divinorum præceptorum, adhibitionem misericordiæ operum, & ob eam quam cum virtutibus Cardinalibus habuit confœderationem. Ter sanctus declaratus fuit à tribus personis divinis, canonizatus à Patre, approbatus à Filio & decantatus à Spiritu Sancto. Ter sanctus, quia juxta sententiam Tertulliani, *sanctus idem est ac immaculatus*, ac proinde cùm illæsus manserit à triplici infectione quæ ut Sanctus Joannes inquit totum mundum contaminat? *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, ideò cœlitus declarari debebat ter immaculatus & sanctus. Ter sanctus, quia hoc epithetum apud Hebræos idem significat quod sanctissimus, qui titulus soli Deo debetur in cœlo, ejusque Vicario scilicet Summo Pontifici conceditur in terra, unde cùm Angeli ipsum ter sanctum, id est, sanctissimum hic in terris proclamant, idipsum cœleste quoddam fuit prognosticum, ipsum ad regendam Petri navem eligendum esse in terris, in Summum & sanctissimum Pontificem. Ter sanctus quia cælum & terram certatim videbantur contendere, hæc quidem Dei sanctitatem per Philippi linguam glorificando, siquidem is paulò ante in Præfatione cantaverat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Illud verò quasi Echo quoddam formando effecit, ut ab Angelicis vocibus novelli Sacerdotis sanctitas triuâ vice certatim resonaret: Ter sanctus. At verò, dicat aliquis, quo jure Philippus triplicatæ sanctitatis encomiis celebratur à cœlo, qui adhuc in mortali corpore vivit viator existens in terra? Quando de anima aliqua certò constat, eam factam esse incolam Paradisi, tunc ei acclamandus est titulus sanctitatis: *Ne laudes virum in specie sua*, inquit Ecclesiasticus, *id est*, *Ne dicas sanctum in vita sua.* Unde Sanctus Maximus ait: *Lauda post vitam, magnifica post consummationem.* Cur igitur Angeli ab hisce Legibus discordant? Imò verò eam eandem se observantissimos demonstrant: Quia tametsi Beatus noster corpore in terra fuerit, attamen velut animatus Magnes cogitatione, & affectu in cælo continuerat, adeò ut verè ei adscribi possit, quod Sanctus Augustinus dixit: *Corde tamen fixus in cœlo est*, adeò ut cùm mundo renuntians, totum se Deo, totumque se cœlo consecravit, ac proinde factus fuerit cœlestis, jure optimo meruerit, ut sicut verè erat ter sanctus, ita Angeli sanctitatem suam in cœlo Empyreo ter facerent resonare : *Cœlestis concentus è sublimi, omnium qui aderant, auribus affluens, mirâ suavitate minuit tergeminum illud, & Spiritibus Seraphicis familiare Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

10. Porrò Magnes hanc qualitatem sibi propriam habet, quod si juxta eum ponantur margaritæ, coralli, smaragdi, topazii, amethysti, rubini, carbunculi, adamantes, vel aliæ gemmæ, eisdem nequaquam adhæreat, nec illas æstimet, sed solum alicui ferri rubigine contacti fragmento inclinetur, & naturali quodam affectu adhæreat ? unde nonnemo qui adamanti hanc epigraphen admirabundus subjecit : *Pretiosa relinquit.* Enimverò quis in toto hoc mundo honor majoris æstimationis

vita S. Philip. lib. 1. cap. 10.

1. Reg. 15. v. 21.

Lyran. ib.

Tertull. lib. 1. ad uxor. c. 2.

Apud Iosephum

de la Cerda in Iudit c. 3. v. 10. n. 20.

D. Max. hom. 59. & 2. de S. Euseb. Verc.

P. Cherub. Odal ubi sup. fol. 46

reperiri poterit tali superioritate, quâ quis caput efficitur, & Generalis alicujus illustrissimæ Religionis, quæ in omnes Christianitatis partes suam extendit authoritatem & jurisdictionem, in qua tot in prædicationibus, in Theologia & sanctitate floruerunt & etiamnum efflorescunt insignia subjecta. O quam excellens est jurisdictio, quâ quis imperium obtinet & dominium quousque se status extendit religiosus, qua quis omnia religionis negotia pro arbitrio suo dirigit &c. Et tamen Philippus (dum Generalatus Anno 1267. ob terminatum tempus Beati Manetti de Antellis vacaret) eandem superioritatem sibi oblatam in se suscipere renuit, neque ad illud Generalatus munus acceptandum induci ulla ratione potuit, idque in patria sua urbe scilicet Florentina? imò expressè declarat, ut si quis bono erga eum feratur affectu, is ab hoc consilio & conatu eum evehendi desistat, & hanc ejus rationem adduxit, quòd videlicet vir juvenis sit & inexpertus, qui vix trigesimum ætatis annum assecutus fuerit, hocque munus tale esse, quod hominem prudentem, expertum, atque maturum exposcat. Imò ad electorum pedes provolvitur, eosque suppliciter rogat, ut cogitatus suos in alium majoris meriti Patrem divertant? nihilque indoli suæ magis conforme esse dicit, quàm subditum esse, non verò superiorem, obedire, non verò præcipere. Ecce tibi verum animatumque Magnetem, utpote qui *pretiosa relinquit*. Veruntamen quando se a cœli Polari stella ad Generalatus officium acceptandum moveri sensit, utpote quæ ne vocationi divinæ repugnaret, eidem expressè hisce verbis præcepit: *Philippe cave resistas Spiritui Sancto, Ego te elegi in mundo, ut sis custos hujus gregis mei*, protinus victas manus dedit, quasi diceret: *Vnam aspicio: In te una quiesco*, id est, stella Polaris cœli, voluntatem meam movet, ut annuat ac proinde quod opponam non habeo, cœlo namque imperanti obedire debeo.

Angelus Possent. in vita ejus.

11. Verùm enimverò quid de Generalatus dignitate loquor? Audite excellentius humilitatis & modestiæ suæ indicium? Post mortem nāque Clementis IV. quæ accidit Anno 1269. Die 23. Augusti sedes vacabat, unde Cardinalibus Ottobono Protectore, & speciatim ab Octaviano Cardinali Ubaldini, imò à majori Purpuratorū Patrum parte per electionis securitatē evectus erat ad supremam Petri sedem, & dignitatem Pontificiam. Quod cùm Beatus noster intellexisset, adeò inde turbatus & afflictus fuit, ut consilium cœperit fugæ ex urbe Romana capessendæ ne Papatum acceptare cogeretur. Fugam autem hanc nocturno tempore aggressus est, eò quòd cœlum tot oculis, quod ornatum est stellis, admirandam hanc Philippi sui fugam videre & spectare voluerit. Verùm enimverò. Dic mihi sodes ô Philippe, quodnam est motivum, quod fortiter adeò tibi persuadet, ut à dignitate quadam adeò conspicua te subtrahas & subducas? Num fortassè ignoras, quòd quisquis dignitatem hanc possidet, Deo similis efficiatur: *Similes tui effecisti, quatenus fieri potest, ut homo sit similis*, inquit Chrysostomus, *quo ipse enim est in cœlo, nos in terra, & quemadmodum supernè nullus est eo superior, ita nullus in terra est huic similis.* Fortassè te officii pondus & momentum exanimat, utpote qui nosti impossibile esse ut quis onus illud sustineat, absque divinæ gratiæ particulari assistentia? De hoc minimè dubito, nam S. Gregorius nomine & reipsa Magnus idipsum expressè testificatur dicens: *Laboriosa sunt ista, & nisi divina gratia fulciat, ad custodiendum difficilia.* Tibi autem ea non deerit, cùm cœlestis potiùs sis, quàm terrenus, & Angelicus magis quàm humanus. Num fortè ei quite elegit, idem respondebis, quod Antigonus filio suo dicere solebat: *An ignoras fili regnum nostrum non esse, insi splendidam servitutem?* Imò verò si ita est, tibi profectò hoc onus istud debetur, nam acceptando illud eris servus non solùm nomine, sed & ipsomet opere, vocari enim sub hoc onere poteris: *Philippus servus servorum Dei* Sed videor mihi videre Philippum nostrum æquè constanter dignitatem hanc repudiantem, recusat enim vaticanum Romanum, quia tanquam Magnes animatus ad Cæli vaticanum aspirat. *Regnum mundi* accipere recusat, quia voluntate & affectu omnino protendet in *Regnum cæli.* Unde de suo ab urbe Romana discessu dicit poterit: *Romana pretiosa relinquit, & vertitur ad pretiosa cœlestia acquirenda, quia conversatio ejus in cœlis est.*

Chrys. in Ps. 11. v. 9.

D. Greg. apud. Vel. in Ps. 100. lib. 1. ad n. 10. n. 4.

12. Enimverò scire cuperem, quodnam fuerit meritum illud, quo aptus reddebatur & dignus ad tantam dignitatem adeundam, qualis est esse Vicarium Christi in terris, quæ suprema est inter omnes, quotquot in mundo venerationem aliquam habent? Credo Philippo accidisse quod de Aarone Scriptura sacra refert in Exodo. Cùm enim esset in conspectu Pharaonis

raonis inquit Sacer Textus : *Tulit virgam Aaron coram Pharaone.* Exod. 7. vers. 10. Hebræus loco ly *Tulit*, legit *Abjecit* ? quæ duo sibi invicem contrariari videntur, nam si tulit, quomodo abjecit ? *Et si abjecit quomodo tulit* ? Per hanc porro Aaronis virgam (quippe qui summus Sacerdos erat (Scriptores sacri baculum pastoralem Prælaturæ Episcopalis & Papalis intelligunt : Interpretes passim putant, hanc Aaronis virgam pastoralem baculum, qui sacerdotalis dignitatis insigne fuit, significare) Qui autem recusat Prælaturas, (& abjicit virgam, & baculum pastoralem,) eumque fugit, is dignitatem hanc, quæ velut honor sequitur fugientem, quam maximè meretur ? Nam (meriti prærogativa est honoris repulsa) Cum igitur Philippus noster ad honores & dignitates mundanas oculos suos clauserit, utpote qui aliud nullum desideriorum suorum objectum, quàm cælum habebat, urbi Romanæ terga obvertit, suumque vultum ad cælum dirigit ? eo ipso autem qua rapido passu primarios honores fugit, hi eum insequuntur. *Et meritum exagerat dignitatis abjectione.* Idem in Scriptura etiam Moysi accidisse refertur, qui à Deo in legatum ad Pharaonem mittendum electus, se ad id munus minime habilem censuit dicens : *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem* ? Exod. 3. vers. 11. Et iterum : *Obsecro Domine, non sum eloquens.* Exod. vers. 10. Denique : *Obsecro Domine mitte quem missurus es* ? Ibid. num. 13. Hoc autem sese ad tale munus censere ineptum & inidoneum, fuit verè habilitate sese ad idem consequendum, inquit sanctus Cyrillus in Cat. *Qua ex re (ut ita dicam) Deum contentiosum adversum se Moyses reddidit, sua videlicet imbecillitatis confessione, & honorifica legationis recusatione.* Idem pariter ab Eusebio Emisseno authenticatur, qui reluctantiam sancti Maximi celebrando, quam exhibuit, in recusanda per fugam Episcopatus Prælatura, refert, quod dum hic Sanctus sui electionem subodotasset, *suspicione perculsus, longinquum meditatur exilium.* Sed quid inde subsecutum est ? *Inter hæc ille cum vellet meritis augeri, nolebat agnosci, quia est natura justitiæ, in quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescit, & occultatio ipsi proditio est.* Multa equidem fuere motiva, per quæ Philippus se dignum reddebat, ut Vicarius Christi fieret, atque ad gubernandam Sedem Petri sederet, inter illa tamen unum è præcipuis fuit, quod se ad illam augustam dignitatem reputarit inhabilem. Sciebat enim quod verus modus ad cælum se sublimandi, sit ad terram usque sese demittere, atque ideò se demisit, non ut perveniret ad Vaticanum, sed potius ut ascenderet altius, nimirum ad cælum. Philippus erat, id est, *Philos, quod est Amor, & Iper, quod est super, quasi amator supernorum. Contempsit vitam mundi, &c.* Jac. de Vorag. in vit. SS. Phil. & Jac.

Did. Cel. in Bened. Patr. c. 12. v. 1. §. 158. n. 3.

Euseb. Emiss. in ser. de S. Max.

Euseb. ho. de S. Max.

13. Sanctus Joannes Evangelista bene observavit, quod cum viginti quatuor Seniores ante Thronum Divinæ Majestatis consisterent, non solùm astiterint venerabundi & genuflexi adorantes Altissimum : *procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.* Apocalypsis 4. verum quod majori admiratione dignum est, quilibet eorum coronam de capite suo sustulit, se ad eam portandam indignos æstimantes, eam in terram deponebant, *& mittebant coronas suas ante thronum.* Cur ita ? Nunquid in quantum Deo serviebant, Reges erant ? Servire enim Deo regnare est. Cur igitur tanquam Reges coronas in capite suo non retinebant ? Imò adoraturi Deum, majoris majestatis causa coronatos se in eo actu exhibere debuissent : *Cur ergo Deum adorantes non magis coronas accipiunt* ? Num forte ideo, quod se in conspectu Dei ad coronas portandas judicarint indignos ? vel cum Ambrosio Ansberto : *Seniores coronas suas ante thronum ponere, est de acceptis virtutibus tumorem superbiæ deponere & præsidenti sibi cuncta tribuere.* Primasius & S. Augustinus : *Mittentes coronas ante &c. Deo videlicet assignantes, quicquid virtutis, quicquid habent dignitatis.* At verò in præsenti vestigare nolo rationem cur *mittebant coronas suas &c.* Sed solum exacte ponderare volo actionem illam, quæ hoc verbo *mittebant exprimitur.* Syriaca enim legit *projiciebant* : Arabæa, *dimittebant, delinquebant.* Seniores singuli non plures quam unicam duntaxat coronam in terram demittebant, quantò ergo fuit gloriosior actio Philippi qui non unam, sed tres coronas Pontificias renuntiavit, ob quam causam eædem in thiara Pontificali quæ ad beati nostri pedes depingi solet, conspiciuntur. Illi coronas suas demittebant in terras, quia cælum possidebant, nec aliud quidquam curabant. Eodem modo Beatus noster, quia aliorsum quam ad cælum non respiciebat, ne quidem oculum suum in tres coronas Papales, etiam transeunter reflectere voluit *Philippus, id est, amator supernorum* erat, ideoque replicare videbatur id quod de Magnete dicitur

Ambr. Ansb. int. 9 n. 2. Bibl. pp. l. 3. Primas. ibid. l. 1. Bibl. pp. t. 6. p. 2. D. Aug. hom. 3. in Apoc.

citur: undequaque ad idem. Uno verbo verè fuit ille servus Dei de quo dicitur : *Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna.*

14. Verè generosa actio fuit, repudiare Papatum ? Et ad hoc ut de illius evasione securior sit, Roma per fugam declinare. Non facilè hisce nostris temporibus videbimus aliquem qui actionis illius æmulator aut imitator existat. Etenim gravissima quædam infirmitas Ezechiam Regem invaserat, quæ adeò eum divexavit, ut morti propinquus esse videretur. Deus autem, qui facilè eum exaudit, qui ipsi cum lachrymis supplicat, Isaiam Prophetam ad eum misit, ut eum consolaretur, eique ex parte omnipotentis Dei annuntiaret, quod Deus non solum eum fecisset à mortis metu securum, insuper vitæ ejus quindecim alios annos superadjecisset : *Addam diebus tuis quindecim annos* 4. Reg. 4. v. 6. Insuper ne de hujus concessione gratiæ usquequaque dubitaret, hoc ei signum dedit : *Hoc erit signum à Domino : Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus ?* Ibid. num. 9. Audite Regis responsum : *Facilè est umbram ascendere, nec hoc volo ut fiat*, sed signum difficilè peto ut scilicet umbra non ascendat, *sed ut revertatur retorsum.* Quasi dicat (inquit Abulensis ibid. q 18.) cum hoc, id est, ascendere sit facilè, non peto istud, sed contrarium, ut miraculum appareat.] Progredi & proficere ascendendo de linea in lineam, de gradu in gradum, de dignitate in dignitatem, facilè est, quia nostræ inclinationi valdè conforme & hujus quotidianæ inter nos conspiciuntur experientiæ : *Facilè est umbram ascendere* : at verò retrocedere, pervenisse ad summum Majestatis apicem, & velut ad quoddam non plus ultra, & tunc demum terga per fugam talis dignitatis vertere, *miraculum apparet.* Sunt etenim hæc miracula quæ de paucis leguntur, cujus tamen à Philippo nostro patrati miraculi memoriam apud posteros fama conservat, & porro conservabit : *Mortuo Clemente quarto Pontifice Narbonense anno Christi 1269. cum parum inter Cardinales de sufficiendo successore conveniret, à multis ex illis Pontifex est renunciatus, sed ille pro magna sua humilitate, tam magnã vitaturus dignitatem cum aliquot sociis, occultus Tunniatum Senarum fuga pervenit ?* Et meritò in talem electionem non consentit, neque in hanc dignitatem libenter condescendit, quia Papa spectare debet ad cælum & ad terram; ideoque oculum sollicitudinis suæ ad utrumque debet reflectere, conformiter ei quod Christus Petro dixit : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis : & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis ? & tibi dabo claves regni cælorum.* Matth. 16. vers. 19. Philippus autem noster ad cælum tantummodo pertinere desiderabat, nullam sibi attrahere volebat circa terram aut terrena sollicitudinem, quia tanquam amabilis magnes omnes affectus in cæli polarem stellam directos semper habebat. Unde ne spiritus & animam suam terræ cogeretur applicare, tergum Vaticano obvertit, & cum victore socio suo occulta fuga se subduxit, memor duntaxat promissionis illius à Christo factæ de cælo iis dando, qui in imò humilitatis se conservarent : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Unde, *quia contempsit vitam mundi pervenit ad cœlestia regna.*

Apud P. Cherub. Mariam Odalc. in vit. B. Phil. 2. c. 6. s. 83.

PARS SECUNDA.

15. POst multas & frequentes peregrinationes, quas per varias mundi regiones & provincias, ad majorem Dei gloriam, & in servitium religionis suæ fecerat, anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto cum esset in ætate quinquaginta duorum annorum, Todum profectus est, dumque ad portas urbis pervenisset, se ibi moriturum, eamque Civitatem cadaveri suo tumulum præbituram esse claris verbis prænuntiavit. Unde peractis Divinæ Majestati gratiis, & sublevatis in cælum oculis dixit : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Ingressus, quem in jam dictam civitatem fecit, à multis acclamatum fuit vocibus lætitia & exultatione plenis, imò cum iisdem quibus filius Dei triumphaliter portas Hierosolymorum ingrediens, fuit receptus, scilicet clamando : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, id quod cum non modica sui mortificatione percepit ? unde ne ulterius videri, aut cum tanto applausu à populo magnificari posset, se occultè subduxit, & abscondit, sciens quod *soli Deo honor & gloria* 1. Timoth. 1. debeatur. Etenim talis applausus Christo in portis Hierosolymæ exhibitus, eidem jure meritissimo debebatur, quia Civitatem illam ingrediebatur ad universum mundum redimendum : Philippo quoque (liceat id mihi cum vestra licentia dicere) ejusmodi acclamationes non incongruè petebant, utpote qui exhortationibus suis è manibus Sathanæ redemp-

Apud Angel. Possenti fol. 155. in vita B. Phil.

Idem ibid. redempturus erat duas mulieres Helenam & Floram, quæ Todi in dissolutionibus vitæ carnalis lascivè & licentiosè vixerant, quas è peccatricibus transmutavit in sanctas quæ postea factæ sunt virginum matres, & virginitatis protectrices atque custodes. Audite meum super hac re conceptum:

16. Sanctus Joannes Evangelista miraculum à Christo Salvatore in nuptiis Canæ in Galilæa patratum magna cum emphasi exagerat dicendo: *Initium signorum fecit Iesus in Cana Galilæa, & manifestavit gloriam suam.* Joan. 2. vers. 11. scilicet transmutando aquam in vinum. Veruntamen qua ratione miraculum istud primum dici potuit, si (ut Dionysius Carthusianus optimè annotavit ibid. A. 7.) antecedenter tot alia miracula patravit? Respondent sacri Expositores, miraculum istud primum dici, *non ordine, sed dignitate*, id est, fuit dignius & memorabilius inter omnia quæ hactenus fecerat? ac proinde Evangelista subjungit: *Manifestavit gloriam suam.* Euthymius Zygaborius inquit: *Potentiam & virtutem suam, magnitudinem suæ Divinitatis*, quasi diceret, adeò dignum & excellens fuit istud miraculum, ut in eo Deus suam excellentiam, virtutem, potentiam, & Divinitatem singulariter manifestarit. Quod si aquæ in vinum conversio, adeò stupendum censetur miraculum, quantò majus miraculum erit non unam sed duas peccatrices animas convertere, & in justas transformare. Aqua ad hoc ut in vinum transmutetur potentiam habet obedientialem, non tamen repugnantem, id est, ut aqua in vinum converti nolens recalcitret: at vero Helena & Flora ad lasciviam inclinatæ, & sensualitatibus deditæ, voluntatem habebant, quæ resistere poterat. Unde quantò actio in sui operatione includit difficultatem & resistentiam majorem, tantò semper admirabilior censetur. Ad propositum autem de miraculo quod Salvator noster operatus est in Cana, Beatus Pater meus Simon de Cassia dicit: *Majora nunc invisibiliter in animabus hominum fiunt quam tunc facta in corporibus agnoscamus.* Unde videtur inferre velle, miraculum conversionis harum fœminarum, quod Deus Beato Philippo mediante operatus est, majus & mirabilius esse eo, quod Christus in Cana patravit. Et revera Deus nem nem alium congruentius ad miraculum conversionis peccatricum patrandum adhibere poterat, quàm nostrum beatum, quia hic animatus quidam magnes erat, de quo lapide Scriptores asserunt, quod *summo pelago, velipsis in tenebris, ipso cælo syderibusque non conspectis, cum quo navigiorum itinera dirigenda ignoratur, lapis hic ducatum præbet.* Etenim Helena & Flora duæ naves erant, quæ in mari mundi hujus inter tenebras sine stella gratiæ divinæ, aut cæli aspectu errabant? unde inter sensualitatis scopulos velut perditæ periclitabantur. Certum est etenim, quod ad inferos usque naufragium passuræ fuissent, nisi Philippus velut Magnes per sua sancta monita infallibilem præbuisset ducatum, easque ad salutis semitam reduxisset, vel sic prospero itinere fœliciter assequerentur portam Paradisi. Nunquid igitur jure merebatur, ut universa Civitas benedictionum applausibus eum honoraret, dicendo: *Benedictus qui venit in nomine Domini!*

Simon Majol. Coll. 18.

17. Placuit tandem Deo candidum hoc lilium ex hortis mundi hujus transplantare ad viridaria paradisi, huncque pretiosum optimeque expolitum lapidem in cælum transferre, pro exornando ædificio cœlestis Hierusalem: *Complacuit Patri dare illi regnum cœleste*, quod fuit cunctarum operationum suarum perpetuum objectum. Unde post immissam sibi à Deo gravissimam infirmitatem, per sacro sanctum pientissimè sumptũ viaticum, ad absolvendum fœliciter imminentem suum ex hac in aliam vitam glorioſum transitum omni studio sese præparavit. Suis interim religionis fraternam enixè commendavit charitatem dicens eisdem: Fratres amate, fratres invicem vos diligite, ad eum fere modum quo sanctus Joannes discipulis suis identidem repetebat: *Filioli diligite alterutrum*: Quævis hora huic piæ animæ mille anni esse videbantur, donec ex hisce terrenis miseriis exsoluta ab Angelis transportaretur ad cælum tantopere semper desideratum. Unde ultimo agoni propinquior factus, omnes animi sui spiritus revocans, cum maximo affectus ardore ad Patres suos conversus, qui magna cum charitate Beato morienti assistebant, per sæpius repetitas petitiones eosdem rogavit, ut ei librum suum darent. Ubi inquit est liber meus? Porrigite mihi librum meum: quis mihi librum meum sustulit? Reddite, reddite mihi illum. O care mi liber, quænam in te manus involarunt. Juvate me, & mecum illum quærite. An non vidistis eum? Sine illo vivere non possum. Porrò Patres circumstantes, ut eum nonnihil consolarentur, librum quendam ei porrigebant, verum beatus Pater signo innuebat hunc non esse

D. Hier. in Epist. ad Gal. l. 3. c. 6

D Simon de Cassia l. 5. n. 87. col. 4.

esse librum à se tantopere desideratum. Frater autem Ubaldus Adimari, moribundi patris desiderium assecutus, apprehensum Crucifixum in manus ei consignavit. Hunc ergo reverenter excepit, & facie ad piam lætitiam composita exosculans, eum ad pectus suum velut monile & thesaurum amantissimum & pretiosissimum quem unquam possidere potuit, adstrinxit. Ergone ô Philippe tu Redemptorem tuum librum appellabis? Imò verò, quia Philippus tanquam Magnes cogitationibus suis ad polarem stellam, id est, cælum conversus erat, cælum autem à multis scriptoribus libet appellatur, ex quo in planetarum foliis, & characteribus stellarum futuri leguntur eventus. Porrò Crucifixum postulabat, sed sub nomine libri, vel etiam sub nomine cæli, nimirum lingua idipsum exprimens, quod clausum habebat in corde. Imò si cælum liber est, desiderando librum pascebat Crucifixum, qui etiam cælum quoddam est, quod loco Zodiaci Coronam spineam habet, quod item pro via lactea Crucem: pro Polo fixo clavos, vulnera pro stellis, pro luna humanitatem, loco Solis denique Divinitatem habet. Hunc librum poscebat, hoc cælum quærebat, suum in Cruce Christum suspirabat. In Crucifixo, qui *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*, velut ex libro exactè didicit veros teminos humilitatis & obedientiæ. Unde Christus liber est de quo congruè dici potest: *Liber est hic Divinitate plenus, & speculum Divinorum.*

Ad Philip. 2. v. 8.

18. Nec est quod vobis imaginemini mortem effecisse ut vacillaret in judicio aut phantasia, ideoque per errorem librum suum postulasse, dum Crucifixum petebat, siquidem Crucifixus verè liber ejus erat, è quo virtutes Theologicas atque morales didicerat. Ita Seraphicus Bonaventura rogatus à sancto Thoma de Aquino, ut suam ei Bibliothecam ostenderet, levato velo quodam Crucifixum ei ostendit dicens: *Inde se petere, quicquid egregium describebat.* Liber hic erat, qui cum ipsum docuisset benè & innocenter vivendi modum, nunc quoque benè moriendi artem eum volebat docere. Et quidem si sanctus Cyprianus librum Tertulliani in tanta veneratione habuit, ut illum Magistri loco habuerit, ideoque dicere solitus fuerit: *Da mihi Magistrum*? merito Philippus librum suum, imò Magistrum suum postulabat, ut in eo characteres sanguineos legere, & modum spiritum suum in manus Patris æterni commendandi ediscere posset: *In manus tuas commendo spiritum meum* Luc. 23. Ælius Verus Imperator tanto affectus impetu propensus erat ad legendum Ovidii librum *de arte Amandi*, ut nec in lecto sine illo quiescere posset. Philippus quoque in lecto in ipso mortis articulo sine hoc libro stare non poterat, siquidem inde verum Deum amandi methodum clarè & distinctè ediscebat. Alphonsus Aragoniæ Rex libros sibi auro gemmisque chariores esse dicere solebat. Eo ipso quo moribundus noster, nil aliud quam librum suum cogitabat, aliud nihil poscebat, signum est evidens eum sibi in majori pretio & æstimatione esse quam propriam vitam. Cum idemmet Rex Castellum Neapolitanum restituere cogeretur, Vetruvium suum de Architectura scribentem, inde sibi effetri præcepit. Sed quem librum de Architectura profundius scribentem invenies, quàm ipsummet Crucifixum, ex cujus lectione magnus hic noster Dei servus egregiè didicit, super fundamentum humilitatis, nec non super perfectionis lapides, ædificium sanctitatis & meriti erigere & fabricare. Martinus Siliceus Archiepiscopus Toletanus, quotiescunque librum aliquem sibi comparavit, eundem per semetipsum, non verò opera servi domum portare volebat, dicens: *Libri me honorarunt, quidni eos vicissim gestando honorem?* Philippus quidem librum suum non emerat, sed potius ab eodem emptus & redemptus erat, unde dum ad patriam & incolatum cœlestem revertsurus esset, librum hunc nequaquam alteri confidere voluit, sed sibimetipsi consignati fecit, & porrectum pectori suo suaviter astrinxit, ut secum deferret. Verum enimverò librum hunc Philippo relinquamus, siquidem ad illum accipiendi se adeò anxium atq; sollicitum monstravit, jamq; eundem inter amplexus suos stringens ad gloriæ æternitatem ex hac vita sit transiturus.

Spart. in Ælio ver. Am. Pan. l. 4. de vita Aph. c. 3. *Idem ib.* *Beyerl. Apopht. Christ.*

Nic. Cal. l. 4. hist. c. 34.

19. Ehem quot gratias Deus servo suo, dum adhuc in vita mortali degeret, dignatus est conferre! Complacuit olim Deo sigillum omnipotentiæ suæ, sponsæ suæ cedere, ut pro suo beneplacito cuncta faceret & destrueret, prout ei in mentem veniret, dum ait: *Pone me ut signaculum*? Cant. 8. vel cum Philone Carpathio, *ut sigillum super cor tuum, ut sigillum super brachium tuum.* Quod idem est, ac si dixisset: *Divinum meum sigillum accipe, penes te sit annulus potentiæ meæ in corde & in opere: quidquid corde cogitabis, quidquid voles, sigillo meo imprime, jube, constitue, fiet omnino, & ubicunque manum ad opus posueris, tibi omnipotentia mea præsto sit.*

Philo Carpath. Ben. Fer. in Gen. t. c. 3. sect. 17. n. 7.

Utique

Utique pie credere possumus eandem promissionem animæ Beati Philippi à Deo factam esse, dicendo eidem: Quod si in itinere constitutus cum duobus Religiosis Teutonicis de profundissimis Catholicæ fidei mysteriis Theologicè discurrere volueris, *Iube, constitue, fiet omnino.* Si volueris, ut lachrymæ, quas oculi tui effundunt, in terram procidentes, in fontem quendam transmutentur, *Iube, constitue, fiet omnino.* Si per siccitatem temporis terra exaruerit, omnesque aquarum venæ exsiccatæ fuerint, tu vero orare volueris ut ex concavitate cautis cujusdam, unda indeficiens atque chrystallina scaturiat, *Iube, constitue, fiet omnino.* Quod si te fortè desiderium aliquod incesserit videndi in monte Senario inter crudeles hyemis rigores, inter nives & glacies densas, Aquilone, quantumvis invito virescentes & floridas vites, atque è palmitibus inter pampinos suspensas seu pendulas uvas, *Iube, constitue, fiet omnino.* Quod si posthabitis septem urbis Romanæ collibus aliorsum divertens, ad supremam dignitatem à dicta urbe tibi præparatam aliis renuntiandam fugitivo pede tuo in Montammiatæ appendicibus appuleris, volueriſque ut ubicunque baculum tuum fixeris sive plantaveris, ibi fons aquæ saluberrimæ scaturire incipiat, sive ut debitos tibi reddant honores, pédes tuos tibi tanquam Pontifici osculando, sive ut aquæ illæ in balnea transformentur, quæ à te admirabilem adversus varias corporum humanorum infirmitates sanandas virtutem accipiant, ideoque ex tuo nomine Balnea appellentur sancti Philippi, *Iube, constitue, fiet omnino.* Quod si una cum tribus sociis ex regionibus ultramontanis in Italiam revertens, à semita in montibus Apenninis aberraveris, gressum sistens nunc inter declivia rupium, nunc inter aspera montium, nunc inter sylvarum labyrinthos, & per tres dies continuos errando sine ulla victus annona circuiveris, ac tum demum Deum rogaveris ut faciat Angelos tibi in forma Pastorum occurrere, ut viam tibi commonstrent, tibique de annona sufficienti provideant, ut lacte & pane pastus spiritus refocillare possis, *Iube, constitue, fiet omnino.* Quod si ad puniendum reos qui horrendis iteratisque blasphemiis cœlestem Curiam sub lusu chartarum contumeliati fuerint, monita & reprehensiones tuas inutiles atque infructuosas esse videns nubibus præceperis, ut præ furore crepantes tonitrua, fulmina, fulgura & flammas evomant eosque disperdant, ad bonos à simili blasphemia deferendos, *Iube, constitue, fiet omnino.* Quod si desideraveris ut Innocentius V. Pontifex Maximus, Religionem tuam servorum Mariæ, ut sibi proposuerat non aboleat, sed potius particulari quodam diplomate eandem confirmet, præcipiendo, ut in sua soliditate perseveret & conservetur ad veritatem Christianæ Fidei, Ecclesiæ Catholicæ honorem, nec non ad majorem Dei omniumque cælitum gloriam *Iube, constitue, fiet omnino.* Quod si ad hoc anhelaveris ut scilicet Ordo tuus in cunctis Christianitatis regionibus efflorescat, ut ab Imperatoribus aliisque Principibus Christianis ædificentur Monasteria, ut Rudolphi Cæsares, Augustæ Imperatrices, & aliæ Serenissimæ Regnorum Coronæ cum eximia devotione habitum servorum B. Mariæ induant & deferant, tanquam Tertiariæ in eo vivendo, tuamque Religionem in cunctis Dominiis, suis immunitatibus & privilegiis locupletando? *Iube, constitue, fiet omnino* Quod si Monasteria tua in magna fuerint panis aliorumque corporis necessitatum penuria & paupertate, tuique religiosi proinde magnam patiantur alimentorum inediam, tu autem volueris quod Angeli eorum necessitatibus succurrere debeant, postula, præcipe, impera, eosque obedientes tibi esse experieris, utpote qui canistra panibus ad Monasterii fores promptissimè sunt allaturi. *Iube, constitue, fiet omninò.* Quid amplius dicam? Quod si post mortem tuam, morbo caduco sive epileptico oppressos volueris liberare. Si desideres ut cæci visum recuperent, recedant à capite fastidiosi dolores, ut claudi liberè & expeditè ambulent; ut à lupis strangulati resurgant; ut Dæmones ad sepulchrum tuum exterriti ab oppressis sive obsessis corporibus fugiant? ut ad tuas preces partus dolores mitigentur? ut febres evanescant? ut membra tua quamvis invita morte ipsis sint floribus magis odorifera, majoremque Arabicis aromatibus spirent fragrantiam? ut in die translationis corporis tui, mox ut illud in publicum prodire conspicitur pluviæ prohibeantur, aër & totum cælum serenitati ac tranquillitati pristinæ restituantur? ut calcei tui ex juncis contexti, in incendia per aquam in extinguibilia conjecti ignem opprimant & suffocent, maneantque illæsi? *Iube, constitue, fiet omnino? Et ubicunque manum ad opus posuerit, tibi omnipotentia mea præsto erit.* Unde sicut licet durissimum sit & indomabile, Magneti tamen obediens flectitur & reflectitur in quamvis partem, ita Deus flecti videtur Philippi precibus & orationibus con-

descendendo. Verum enimverò ô magne Dei & Mariæ serve & cliens, libens agnosco ruditatem meam, hactenus glotiam tuam obfuscasse potius quam manifestasse ? attamen si forte temeritas mea qua tuas prærogativas celebrare præsumpsi contemptum aut reprehensionem aliquam meretur, me hac excusatione apud te excusabo dicendo ferrum nimis quam æruginosum rudis orationis meæ, commotum fuisse ad discutrendum ex virtute Magnetica sanctitatis, tuæ.

SERMO VIGESIMUS QUINTUS
IN FESTO
ASSUMPTIONIS GLORIOSÆ
Virginis MARIÆ.

Non est factum tale opus in universis regnis. 2. Paralip. cap. 19.

1. EHem quot admirandi & prodigiosi effectus videntur multis in locis, temporibus, & occurrentibus casibus in hoc amplissimo totius universi theatro ! idque non sine sæculorum præteritorum stupore. Videntur enim terra, aër, & cælum certatim inter se contendisse, utrum eorum plures reperisset modos quibus se oculis mortalium spectabilius redderet magisque prodigiosum. Post mortem Augusti Sol visus fuit radiis suis omnino excitus, stellæ in cometas crinitos sanguine rubescentes transformati fuere, cœlum denique haud secus ac combustibile, igne flammaque videbatur conflagrare: *Sol totus defecit, Calum late ardere visum, & stella crinita sanguineo colore apparuerunt.* Wittenbergæ tres simul observati fuere Soles, & in quolibet eorum cernebatur gladius sanguine tinctus. *Wittenberga visi sunt tres Soles, quibus singulis cruentus inerat gladius.* Vivente Imperatore Henrico Septimo, & Clemente Quinto Summo Pontifice *Tres Luna simul apparuerunt.* Gratiano Orientis Imperatore regnante, in Francia juxta Civitatem Atrebatensem integro die non nisi mera Lana de cœlo depluit. *Diem unum pluit Lana* Anno 1494. Carolo Octavo Franciæ Rege in Italiam proficiscente manna pluit: *In Gallia Cisalpina manna pluit* Romæ duobus diebus continuis terra ex pluvia sanguinea immaduit: *Pluit sanguine in area Concordiæ.* In monte Albano, Coloniæ, Constantinopoli, regnante Valentino Imperatore saxa de cœlo pluerunt. In Liguria caro, in Hasbania Franciæ granum & pisces, Anistetnii terra, Bizantii cinis, alibi lac, in aliis denique locis ferrum, Romæ *etiam* ut Gregorius Magnus l. 1. scribit, *corporali visu sagitta calitus venire, & singulos quosque ferire videbantur.* Aër in prodigiis suis sese non minus admirandum exhibuit. Romulus die 5. Julii, dum actualiter Diis suis sacrificaret, ex improviso in aëra raptus fuit: (Romulus est ex oculis elapsus, nec deinceps vel ipse, vel corpus est defuncti visum.) In ipso aëre velut in Campo Martio, visa sunt intempesta nocte scuta & lanceæ igne inter se acriter confligere: (Inter multa prodigia quæ comparuerunt, nunciatum visas noctu lanceas ignitas, & scuta huc illuc differri:) Postquam M. Antonius cum Cæsare prælium inire decrevisset, nocte sequente (Omnis generis organorum exaudita est symphonia, strepitusque turbæ.) Paulo antequam Henricus Septimus Imperator ex hac vita migraret, Mediolani post solis occasum, per integrum horæ spatium in aëre visus est vir quidam armatus humana statura solito altior, & postea paulatim disparuit. (Post solis occasum visus est eques armatus longe humana specie major.) Similiter in eodem loco circa tertiam horam noctis visi sunt duo equites armati, qui inter se acriter præliabantur: (Duo equites pari specie diu inter se dimicantes conspecti *evanuerunt.* Hierosolyma quoque iteratis vicibus non sine timore ingenti fatalem quendam & flammeum gladium

Plin. l. 2. c. 23.

Ioan. Ravis. in off. f. 46. fo. 2. v. Prodigia.

Io. Bapt. Fulg. l. 1. c. 4.

Sabell. 1. c. 4.

Tit. Liv. Dec. 4. l. 9

dium conſpexit, item ſuper ſe vidit per aëra diſcurrentes diverſos currus, militum quoque viſæ ſunt turbæ acti bello inter ſe confligentes. Etenim forte exiſtimabitis, Auditores, terram utpote quæ conditione inferior eſt, quoad ſimiles admirandos & prodigioſos effectus cælo & aëri cedere voluiſſe? certe toto cælo erratis. Nam Genuæ regnante in Italia Berengario ſecundo, in Germania vero imperante Henrico Patre Othonis Primi, ſedente in Sede Petri Joanne Undecimo. *Fons integrum diem ſanguine manavit.* Quando Salvator Mundi natus eſt, Romæ trans Tyberim oleum fons quidam ſcaturire cœpit: *Ex fonte in quadam privata domo oleum manavit.* Anno octavo Lotharii Imperatoris, exſurrexit ex improviſo mons quidam ad ſex paſſuum millia ſeſe extendens. Neapoli juxta montem Veſuvium cauſantibus cujuſdam terræ motus conquaſſationibus, ex quadam terræ apertura egreſſi ſunt homines gyganteam ſtaturam præ ſe ferentes. In poſſeſſionibus Vetii Marcelli, qui Neronis agens ſive Procurator erat, pratum quoddam una cum Oliveto ſitum ſuum mutarunt, adeo ut arbores & terra, prati illius poſtea in alio loco inventa fuerint. L. Mario, & S. Julio Conſulibus viſi ſunt duo montes loco ſuo dimoveri, & armis igneis inter ſe dimicare: *Duo montes fragore magnaque emiſſa flamma ſimul concurrere conſpecti ſunt.* O ſtupenda, ô inaudita prodigia! Num aliquando ſimilia uſpiam facta legiſtis? Veruntamen cuncta hæc umbra ſunt tantum in comparatione ad effectus omnipotentiæ Divinæ? quos inter, mea opinione palma & corona pulchritudini debetur Mariæ, de qua meritò dici poteſt: *Non eſt factum tale opus in univerſis Regnis. Nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem,* adeo ut Angeli dum magnum hoc Marianæ pulchritudinis miraculum Cæleſtem regiam ingredi conſpicerent, attoniti dixerint: *Quæ eſt iſta, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Etenim intellectus creatus, qui millenos & infinitos mundos imaginari ſibi poteſt, ad formandos pulchritudini Mariæ adæquatos conceptus omnino eſt inſufficiens. Unde ſanctus Valentinus Archiepiſcopus dicebat: *Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, deſcribe apud te in animo virginem quandam puriſſimam prudentiſſimam, pulcherrimam, devotiſſimam, humillimam, mitiſſimam, omnigratia plenam, omni ſanctitate pollentem, omnibus chariſmatibus decoratam: Quantum potes, tantum auge, quantum vales tantum adde, major, ſuperior, excellentior eſt hæc Virgo.*

Idem l. 9. c. 7.

Sabell. l. 9. c. 8.

Idem l. 1. c. 4.

Fulgoſ. l. 1. c. 4.

Idem ib.

S. Thom. Villan. Conc. 2. de Nat. Virg.

Dum igitur Angeli eam cum ſtupore admirantur, ego eandem cum ea qua par eſt devotione celebrabo, vos me auſcultate cum attentione pariter & ſilentio.

2. *Non eſt factum tale opus in univerſis Regnis.* Neſcio quo jure nonnulli depravati ſenſus homines moti ſint ad deteſtandam pulchritudinem tanquam culpabilem & noxa plenam, utpote quæ cum ſuperbia conjuncta & confœderata eſſe cernitur: *Superba res eſt Pulchra mulier?* Exiſtimant enim pulchritudinem nil aliud eſſe quam fucum quendam ſive pigmentum vultus è vanitate compoſitum: *Vana eſt pulchritudo.* Prov. 31. Alii eam Ætnæ monti comparant, utpote quæ in cordibus humanis, ut videre eſt in ſenibus, falſis Suſannæ calumniatoribus, incendia cauſat, hi enim *Exarſerunt in concupiſcentiam ejus.* Daniel. Alii quandam cum Sole ſimilitudinem eidem denegantes, fulguri, quod apparendo evaneſcit, eandem comparaverunt. Quid enim? Ergone deformitatem quæ toti mundo in abominatione eſt, laude dignã eſſe dicemus? Abſit. Hæc enim ipſi quoque Deo abominabilis erat. Quiſquis enim in aſpectu vel minimum habebat deformitatis aut turpitudinis veſtium, is à Deo ſactis altaribus appropinquare prohibebatur. Lege quoque humana ſancitum fuit, ut ſi plures inveniretur unius ejuſdemque delicti rei complices, is primo tortuæ ſubjiceretur, qui cæteris deformior eſſet, cum deformitas certum quaſi ſit irregulati & inordinati animi indicium, econtra vero quaſi certa Regula ſit, quod *ſicut turpis corporis habitudo declarat quem proclivem ad ſcelera, ita pulchritudo ad virtutes.* Lacedæmonii Archidamũ Regem condemnarunt, eo quod turpem quandam mulierem duxiſſet in uxorem: Ex pulchritudine autem nil niſi virtutes conjici poſſunt: *Species corporis, ſimulachrum eſt mentis, figuraq; probitatis,* inquit Ambroſius. Hoc unicum dicere ſufficiat, quod Dæmon ſemper pingatur turpis, Angeli vero beati elegantes & pulchri. Mulieribus pauperioribus pulchritudo dotis loco eſt, eademque ut Ariſtot. ait, viris litera quædam eſt commendatitia. Plato tria huic vitæ bona aſſignavit, primum locum ſanitati aſſignans, ſecundum pulchritudini, Divitiis denique tertium, ſuperbi ornamenti loco pulchritudo inſerviet: *Fulgebunt iuſti ſicut Sol.* Voluntas ipſam non amare non poteſt, utpote quæ nullam mali conjunctionem admittit; ſecus enim illud Philoſophi axioma veritati conſonum non foret, quo dicit: *Pulchrum & bonum convertuntur.* Quiſquis pulchritudinem

Bald. Fariſ. q. 25. v. 105. Bald. l. obſervare:

Diod. Siculus. contemnit, virtutem vituperat, nam si hæc *In medio extremorum* consistit, illa membrorum congruam proportionem pro Metropoli habet, & requirit ut illa sint per excessum nec nimis magna, nec nimis parva per defectum. Et quis est qui ignoret, quod *species Priami digna est imperio*? In Indiis Orientalibus & in urbe Catea in Regem eligebatur cæteris omnibus pulchrior. Porro dos hæc & prærogativa, in vultu Virginis Deiparæ plus quam in quavis alia pura creatura Majestate plena, valdeque admirabilis relucet. Unde Gregorius Nicomediensis stupefactus exclamat dicens: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum.*

Greg. Nicom. orat. de oblat. Deip.

3. Etenim non sunt mihi oculi Aquilini, qui in radios venustatis & pulchritudinis Marianæ suum immediate figere possint obturum, ideo eam observare & speculari conabor in quadam reflexione, & in obliquo, nimirum in speculo suæ sanctitatis. Sanctus Evangelista Matthæus Christi Redemptoris & successive ac consequenter omnium Regum Genealogiam describens, dum generationem & dependentiam Salomonis à Rege Davide recenset, dicit: *David autem genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ.* Matth. 1. Circa quæ verba duæ mihi occurrunt difficultates. Prima est cur Uriæ mentionem faciat, qui ad Christi stirpem nullatenus pertinere potest? Alia est, cur Matrem Salomonis & Davidis Regis conjugem proprio nomine non appellet: Cum enim in illa Genealogia ponantur propria nomina Thamar, Raab & Ruth, cur non etiam Bethsabeam proprio hoc nomine expressit? num forte præfatis mulieribus conditione inferior extitit? Minime. Imo vero cæteris nobilior fuit, atque illustrior, quia Regina erat, & coronæ cujusdam adeo glorioſæ ut Davidis fuisse noscitur, consors erat, nec non Mater filii cujusdam adeo magni, glorioſi, sapientia & potentia præcellentis, qualis Salomon erat. Mota est hæc difficultas à sancto Remigio dum ait: *Quærendum est? quare Evangelista Bethsabeæ proprio nomine non nominavit, sicut cæteras mulieres:* De prima vero difficultate alius quidam interrogat dicens: *Quare Uriam qui ad Christi Genealogiam non pertinet, specialim nominat, & Bethsabeam tacet, quæ progenitrix Christi est?* Sanctum Matthæum idipsum casualiter & omnino fortuito fecisse nequaquam credendum est, imo vero idipsum prudenter & non sine mysterio fecisse existimo. Maldonatus nonnullorum opinionem refert dicentium, *Ideo factum fuisse, quod Bethsabea notior ex marito, quam ex nomine suo esset* Huic tamen responsioni Maldonatus non subscribit, imò eandem nequaquam admittit, siquidem in Scriptura longe nominatior sit Bethsabea, quam Urias: *Quod non ita est, nam Urias in Scriptura raro, Bethsabea sæpe nominatur.* Unde si veram invenire resolutionem volumus, illa nobis aliunde inquirenda erit.

D. Remig. in Cat. D. Thom. Didac. de Cel. in Ben. Pat.

4. Abraham cum tota sua familia ex præcepcepto Dei domum deserit paternam, nec non Civitatem suam nativam, & in Ægyptum se recipit: *Descendit Abram in Ægyptum ut peregrinaretur ibi.* Genes. 12. Cumque prope regni Metropolim, quæ Pharaonis Regis residentia erat, pervenissent, dixit Abraham Saræ conjugi suæ, scio equidem pulchritudinem tuam quendam esse cordium magnetem, qui enim te conspicit, nisi lapis sit, adorare te cogitur. In Ægypto haud dubie nunquam hactenus visa fuit pulchritudo tam rara, ac tua est, & consequenter apud omnes præcipuè vero apud Regem desiderium tui non minus quam admirationem excitabis, sicque facili negotio fieri poterit, quod species tua quæ aliis serenitatem lætitiæ conciliabat, mihi in fatalem funestæ cujusdam mortis vertatur occasum: *Novi quod pulchra sis mulier, & quod cum viderint te Ægyptii dicturi sint, uxor illius est & interficiant me:* Ibid. atque ideo operæ pretium esse judico, ut ita inter nos conveniamus, ut scilicet nomen tibi vendices non conjugis, sed sororis meæ, sic enim elegantia vultus tui utrique esse poterit magnæ felicitatis occasio: *Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Ibid. Verum sistamus hic nonnihil, Auditores. Qua ratione fieri potuit, quod in vultu Saræ tanta resideret formæ venustas, si ut Abulensis in cap. 12. Genes. scribit: (Erat septuaginta annorum, in qua ætate mulier inveterata est aliqualiter?) Idemmet Tostatus respondet, quod Sara nullos hactenus peperit filios, ideoque pulchritudinem suam constantius conservarit, nam parere, nutrire, lactare, & educare liberos, magnum adfert pulchritudini fœmineæ præjudicium. *Erat in illa ætate adhuc pulchra, quia nondum conceperat, vel pepererat: concipere autem, parere, & nutrire velociter mulieres inveteratas reddit? Videbatur ergo Sara adhuc esse satis in ætate bona & pulchra.* Idem ibid. Alii vero affirmant, & quidem majori cum admiratione, eam fuisse nonagenariam, in qua ætate comæ non jam cæsariei aurum, sed cani-

Fortun. Scach. sacror. Elench. myroth. l. 1. c. 52.

canitiei argentum admittere solent, atque vultus elegantiam rugæ seniles deturpant. (Fierine potest mulierem nonagenariam sua pulchritudine ac forma cepisse ad amorem Reges potentissimos?) Cui tamen rationi scriptor quidam modernus subjungit. Id mirum non esse, siquidem Sara vultum suum unguento quodam ex myrrha confecto ungebat, quod conservandæ pulchritudini erat proportionatum valde & congruum: (Myrrhæ & unguentis in curanda cute locus erat mulieribus, quibus sane juxta sæculi illius consuetudinem, operam dedisse Saram, affirmant. *Idem ibid.*) Verum enimvero quavis alia ratione postposita, Lyranus præ cæteris difficultatis nostræ nodum doctissime videtur dissolvere, dum ait: (Potest dici de pulchritudine Saræ, & teneritudine carnis, quod conservatæ sunt à Deo propter ejus sanctitatem *Lyran ibid.*) Sanctitas enim optimum est unguentum quod sanitatem conservat. Lumen istud à Lirano subministratum, veram & solidam nobis rationem suggeret, cur Evangelista Matthæus Bethsabeæ nomen proprium Christi Genealogiæ minimæ inseruerit. Neque enim illam dignam reputabat quæ registraretur, quia in vultu larvam deferebat erubescentiæ, per quam ob suam deformitatem pulchritudinis suæ florem non solum mortificat, verum etiam obscurabat omninò: Siquidem in vultu suo delicta referebat complice Davide, contra Dei honorem, propriam existimationem & famam, cum jactura vitæ miseri Uriæ mariti sui, turpiter patrata? Quis enim hasce turpitudines & famæ fœtores non erubesceret. Aliæ autem mulieres revelata facie comparere possunt, utpote quæ tales errores non commiserunt. Unde Hugo Cardinalis ait:

Hugo Card. ib.

Nota quod predicta mulieres tres nominatæ sunt, quia ex generationibus suis laudari meruerunt? Hac autem Bethsabea non nominatur, quæ peccavit cum David, & in virum suum, quem interficit. Unde colligitur, quod à spiritus sanctitate nascatur & conservetur speciei in vultu venustas, quodque ab erroribus & criminibus commissis obscuretur & deturpetur? ac proinde à specie decoris conditio colligatur sanctitatis, quanto enim illa major est, tanto hæc quoque majora habebit incrementa. Verum enimvero, Dicite sodes, ô Auditores, quis unquam sanctitatem MARIÆ explicare poterit? Nullus omnino. Nullus igitur etiam pulchritudinem ejus poterit repræsentare. Ipsa verum quoddam fuit miraculum sanctitatis, utique igitur pulchritudinis quoque miraculum fuit. Sanctitas Virginis, unicæ duntaxat Dei sanctitati cedit: Pulchritudo MARIÆ post Deum quamvis aliam venustatem creatam longe antecellit. Dicant igitur quicunque Scriptores, sive Poëtæ, sive Historiographi quidquid libuerit? Dicant inquam Leucaten genas habuisse rosis consimiles, Palladem risu suo rapuisse hominum corda? Ceterem jactasse aureum Comæ suæ colorem, Berenicen pro gloria sua reputasse capillorum suorum longitudinem. Celebret quoque Neapolis suam Parthenopen, suam Penelopen Italia, Thessalia suam Daphnem, Scythia suam Thamiridem, suam Laidem Corinthus, Syria suam Cleopatram, Roma suam Lucretiam, frustra enim adducit harum omnium in singulis particularis in qua excellunt, elegantia, nam si etiam omnes per singulas dispersæ vultus & corporis venustates & elegantiæ in unam personam conjungerentur, minimum tamen pulchritudinis Marianæ gradum vel radium talis Pandora assequi nequaquam posset: Quia *Nec similem visa est, nec habere sequentem. Non est factum tale opus in universis regnis.* *In Nativ. Dom. Ant. 2. ad laud.*

5. Imò omnis pulchritudo per singulas Creaturas dispersa & divisa, in Maria Virgine à Deo collecta est, & velut in brevi compendio conjuncta; ad eum ferè modum, inquit Tertullianus, quo pictores ad vultum aliquem quantâ possunt elegantiâ delineandum, quicquid est in aliis speciosissimis fœminis decorum, elegans & pulchrum ingeniosâ quâdam imitatione in effigiem à suo penicillo exprimendam affabrè transferre norunt. En ipsissima Tertulliani verba: *De magnis*, inquit, *eminentiora præsumpta sunt; quomodo si aliquis pictor egregius, ex multarum pulchritudine personarum, unam aliquam vellet coaptare, & exprimere personam expluribus speciebus speciosam, diversas vultuum gratias in unam faciem colligat, & de præcipuis præcipua eligat, ut unam ex plurimis formam artificis dispositione componat.* Simili artificio, ut Plinius scribit, usus est famosissimus Zeuxes, quando à Crotonienſibus rogatus dum super tela quadam effigiaturus erat famosæ Helenæ à Græcis tantoperè celebratæ: vel ut Plinius scribit ad instantiam Agrigentinorum Deæ Junonis effigiem. Nam prothotypi loco 5. venustissimas & omnibus numeris pulcherrimas sibi puellas ex omnibus quas invenire potuit, studiosè selegit, & ex qualibet eas est partes faciei imitatus, quæ vel maximè eas spectantibus admirationi esse

Tertull. adv. Valent. c. 12.

Ioan. de Carth. lib. 2 ho. 5. fol. 145. & Cic. lib 2 de Invent.

esse poterant; hacque ratione quandam pulchritudinis quintam essentiam composuit, quæ cum suis prothotypis collata occasionem generare videbatur alicujus naturam inter & artem oborundæ invidiæ : *Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Lacinia publicè dicarent, inspexit virgines eorum, & quinque elegit, ut quod in quinque laudatissimum esset, pictura redderet.* Plin. lib. 35. c. 9. n. 20. fol. 336. in fin.

Tametsi Deus non indigeat, ut alienæ perfectionis imitationem aliunde mendicet, utpote qui vivum est omnium creaturarum prothotypum & Idæa, attamen ad hoc ut Mariæ pulchritudo summum attingeret venustatis apicem, in ea epilogare & compendiare voluit, omnium prærogativarum, perfectionum & elegantiarum creatarum supremam excellentiam, quas umquam homines in aliis quibuscunque mulieribus venustissimis admiratæ sunt & suspexerunt. In eam igitur brevi compendio simul redegit gravitatem Saræ, Rachelis honestatem, Ruth parsimoniam, modestiam Esther, Rebeccæ prudentiam. Generositatem Jahelis, Annæ continentiam, Deboræ animositatem, Agar patientiam, Innocentiam Susannæ, Noëmi humilitatem, fœcunditatem Liæ, virginitatem filiæ Jephte, Michol nobilitatem, Judithæ pulchritudinem : *Quidquid pulchritudinis & candoris in aliis extitit, omnia in semetipsa aggregas hæc virgo, & in singulis omnes superat, & in omnibus singulos;* adeò ut de ea cum Poëta dici possit: Mich. de Palatio t. 2. lib. 5. c. 35. in Isai.

Et quæ sparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

6. Nescio an aliquando cum speciali attentione incomparabiles illas observaveritis laudes atque encomia, quæ Spiritus sanctus sanctissimæ attribuit Virgini Mariæ, dicendo in Canticis: *Ecce tu pulchra es amica mea : Ecce tu pulchra es.* Cant. 1. v. 15. Etenim in hoc unico & solo encomio, ehem quot comprænhenduntur mysteria! Orditur per ly *Ecce*, quod ingentem secum infert admirationem : *Ecce vox admirantis est* Ly *Ecce* inaudita prodigia, & nunquam huctenus visas ratitates significat : *Ecce dum apponitur, inaudita, nova, maximèque admirabilia indicat.* Hugo Card. ibi Mich. Ghisl ibi. exp. 4. Bis autem ly *Ecce* repetit, quia non simplicem quandam sed duplicatam valdeque admirandam vult pulchritudinem indicare. Bis quoque hoc pronomen *Tu* exprimit, idque non alio fine, quàm. *Ad hanc singularem ostendendam pulchritudinem his quoque additur pronomen Tu.* Idem ibi. Bis quoque repetit ly *Pulchra*, ad insinuandam pulchritudinem quandam valde raram, tam externam, quàm internam: *Vt ostendat eam pulchram & interius, & exterius, in opere & intentione.* Ægid. Col. ibid. lect. 3. Nomen quoque sive titulus principalis quo eam honorat, dum eam amicam appellat, à mysterio nequaquam vacat. *Amica mea.* Græcus legit : *Proxima mea.* Quo fine Spiritus sanctus de rara Mariæ pulchritudine loquens, eam proximam & Deo vicinam appellat? Nimirum vult inferre, quòd pulchritudo Mariæ ad Dei pulchritudinem proximè accedat, & nescio quidnam divini in se contineat: : *Amica mea, Proxima mea. Enimverò si per approximationem ad Deum, fulgenti illustramur fulgore; juxta illud Psalmi : Accedite ad Deum & illuminamini, profectò qua maximè omnium ad Deum proximè accessit, maximè quoque omnium à Deo illustrata sit, opera pretium est,* idque omnibus prærogativis, maximè verò in pulchritudine de qua hîc loquitur Spiritus Sanctus. Ehem quàm doctè & appositè concludit Hugo Victorinus, dum ait : *Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe, est in te: Pulchra in corpore, pulchra in mente : In corpore pulchram te facit integritas virginitatis : in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota erga pulchra es.* Grec. apud Ghisl. ibid. Mich. Ghisl. ibi. Hugo Victor. ser 2. de Assum.

7. Beatissima Virgo non quidem ad seipsam collaudandam, sed ad Dei gloriam celebrandam hunc in modum loquens introducitur : *Ab initio & ante sæcula creata sum Ab initio*, idem est, quod *Ab æterno*, inquit Hugo Cardinalis; quasi Augustissima hæc Imperatrix dicere vellet : *Ab æterno* creata sum. Veruntamen nescio quâ ratione intelligi aut explicari possit, quòd creatura aliqua, sive ens creatum sit *Ab æterno :* siquidem hæc duo aliquam inter se contradictionē implicare videntur, nam quod creatum non viretur *ab æterno* esse posse *& è contra* Cuilibet enim enti convenit habere aliquod principium. Sola æternitas nec principium admittit, nec finem, atque ideo soli Deo, non verò aliis convenit : *Æternitas separat Deum ab omni re creata*, docent Patres Theologi. Et Gregorius Nazianz. inquit: *Temporis interstitio à Deo scindimur & dividimur: Deus enim æternus est, nos verò subdimur tempori, aque ac catera res creata.* Quomodo igitur de Maria Virgine dici poterit : *Ab initio & ante sæcula creata sum? Si ab initio, id est, ab æterno, quomodo creata? Si creata, quomodo ab æterno?* Eccl. 24. Hugo Card ibi. Corn. à Lap. ibid. p. 2. D. Greg. Nazianz. orat 5 ac Theol. P Nic. Ricc. dis. 6.

Utique

Utique id *realiter* intelligi non poterit, quia in mundum hunc producta fuit *in tali differentia temporis*, id est, quando jam triginta novem sæcula mundi, vel ter mille octingenti anni elapsi erant. Neque etiam intelligendum est. *Idea aliter*, hoc enim in specialem Mariæ prærogativam minimè redundaret, siquidem non solùm ipsa, sed & omnes creaturæ præteritæ, præsentes, & futuræ fuerunt *ab æterno objectivè*, in idæa & mente Dei. Optime idipsum notavit Archiepiscopus noster Valentinus Thomas de Villa Nova dicens: *Non videtur ad magnam Virginis laudem pertinere, hoc enim omnibus, non modò sanctis, sed omnibus creaturis commune est. Quidquid enim in tempore factum est, ab æterno in illo exemplari Verbo Divino ordinatum est. Quid ergo magnum dicitur de Virgine: Ab æterno ordinata sum?* Difficultatis hujusce intelligentiam ex sequenti poterimus historia elicere. Legitur itaque apud Gilibertum quòd antiquus quidam, sed famosus pictor qui telas colorum vivacitate velut animatas reddens, per stuporem quasi exanimabat spectantium mentes, omniumque passim ad se rapiebat applausus, quod inquam hic postquam pulcherrimæ cuidam picturæ, ultimam addidisset perfectionem, eandem alteri ejusdem professionis valde quoque celebri pictori videndam ostenderit, qui eam videns attonitus hæsit. eumque illam aliquanto tempore magno cum stupore observasset, labia restringens, contractisque superciliis dixit: Opus centum annorum. q.d. verè istud est opus eximium omnibusque numeris absolutissimum? nisi enim mihi non esset, quæ in eius opifice latet excellentissima artis peritia nota, dicerē profectò eum in picturæ hujus delineatione centum annorum spatium consumpsisse. Ecce tibi nunc satis declaratam superiùs insinuatæ difficultatis intelligentiam: *Ab initio, ab æterno, & ante sæcula creata sum.* Quasi dixisset; Deus per omnipotentiæ suæ colores, adeò me in corpore pariter & anima pulchram atque venustam effecit, ut dici possim *Opus æternitatis*, id est, opus tale in quo perficiendo videri possit adhibuisse inconsumabilem quandam æternitatem: Opus æternitatis, quia in me velut in brevi quodam epilogo recapitulavit omnem venustatem & pulchritudinem quaquaversum per totum universum dispersam *in tali circumstantia vel differentia temporis.* Ecce tibi optimè cum hac expositione correspondentem Sancti Fulgentii doctrinam dicentis: *Tanta est pulchritudo sanctitatis, & puritatis Mariæ Christi matris, ut vix æternitati commensurari queat: Nam si Deus in Virginis formatione æternitatis immensitatem consumpsisset, fateor quòd nec meliorem, nec puriorem facere potuisset.* Huic proposito aptè convenire videtur responsum illud à Seneca magno illo Philosopho Neroni Imperatori redditum, qui cùm pannum quendam holosericum ingenioso prorsus labore phrygio opere acupingi fecisset, hunc-que in finem ab Impera ore magna gemmarum, & margaritarum copia, & quidquid opulentiæ in thesauris Romanis conservabatur fuisset adhibitum, illique Phrygio operi insertum: *Nero octangulam scenam, ob sumptus magnitudinem, pulchritudinemque spectaculum admirabile confici curavit.* Cùm autem opere hoc absoluto Seneca ad suum de eo judicium ferendum ab Imperatore rogatus fuisset, ad illud dignè celebrandum alia invenire verba non potuit, quàm hæc sequentia: *Nunc te pauperem esse demonstravisti, hâc enim scenâ amissâ, similem aliam nullam adipiscēris*, quasi diceret: adeò nobile & opulentum est opus istud, ut te nunc pauperem publicè declarasse videaris? neque enim tantas possides divitias, ut aliud opus huic simile facere possis. Ehem quàm pulchrum opus Phrygium est sanctissima Dei genitrix Maria, ipsiusmet Dei manibus elaborata & absoluta, in quam tot monilia, tot gemmas & lapides pretiosos, tot insignes margaritas, id est, tot gratias, prærogativas, perfectiones, & elegantias adhibuit, ut exhausta per eam videatur Divina ejus Omnipotentia, dicique possit: *Demonstrasti*, vel *Declarasti te esse pauperem*, siquidem ex mente Sancti Fulgentii: *Nec meliorem, nec puriorem facere potuisset*, quæ etiam opinio est Tuitiensis Abbatis Ruperti, dicentis: *Nihil sapientius, nihil perfectius potuit facere Deus, quàm qua fecit in Virgine.*

10. *Item Ovidius c. 1.*

S. Thom. Villan. Conc. 3. de Nat. V. M.

Apud Gilib. lib. de Civ. Dei lect. 23.

Plut. de cohibenda im.

8. Fingunt Poëtæ quòd ad formationem Pandoræ, omnes Dii ex mandato Jovis debuerint concurrere, singuli particulare quoddam ornamentum ei communicando, unde cunctis in quovis perfectionis genere, & speciatim in pulchritudine spectabilis redderetur plurimumque admiranda: *In Poetarum figmentis*, inquit Archiepiscopus Valentinus, *legimus Panderam quandam, mirâ sui pulchritudine etiam suis factoribus stupori fuisse.* Verùm enimverò quid umbræ cum claritate commune habent, tenebræ cum luce, figmenta Poëtica & fabulosa cum

Natal. Com. L. 2. Myth. c. 6.

S. Thom. Villan. Conc. 2. de Annunt. B. V. M.

Carho-

Catholica veritate, Pandora cum Maria? ad cujus formationem omnes tres Divinas personas se applicuisse piè credo, Pater scilicet, dando ei omnipotentiam? Verbum, sapientiam? & Spiritus sanctus bonitatem & gratiam, per quas dotes terræ, cœlo, & toti universo prodigiosum quoddam redditur miraculum. *Hæc nostra Pandora* (ita prosequitur Sanctus noster Villanovanus) *Deo suo non stupori, sed amori magis fuit. Placuit virginitate, placuit puritate, placuit humilitate, placuit denique omnigena morum virtute.* Et veluti alius quidam Scriptor affirmat Tres Divinæ personæ illam adornandam, atque pulchritudine quâdam adeò heroicâ ut similis ei nulla reperiatur in toto universo, locupletandam sese veluti exinanierunt: *Deus Pater in ea posuit suam potentiam, in quantum potentiam Divinitatis receptivam illi contulit? Filius in ea posuit suam sapientiam, in quantum sigillum virginitatis integrum servavit: Spiritus sanctus in ipsa posuit gratiam suam, in quantum plenitudinem gratiæ illi dedit.*

Idem.

Bern. Bust. serm. 4. Maria navis.

9. Unde vanitas sine dubio maxima futura esset, si quis ejus pulchritudinem nostrati & terrenæ comparare vellet. Reflectamus, obsecro, mentis nostræ oculos ad pulchritudinem Angelicam, & videamus num ad minus illa eam adæquare valeat. Etenim in Genesi legitur, quòd Jacob è domo Laban soceri sui discedens, domum suam repetiverit paternam, post longum iter autem ingruentibus tenebris, defatigatum corpus suum ad quietem composuit cervicalis vice palliolo suo scitè involuto capiti suo subjecto. Vix autem somnus sensuum fores clauserat, cùm ecce sub meliori somno superveniens Angelus, qui si non fuit nuntius mortis, saltem ad minus minister erat Martis, ejusdem auribus inclamat, eumque excitatum, ut vires suas cum illius robore collatas experiretur ad luctam invitat? Jacob portò oblatum sibi certamen non recusat, sed erectus in pedes tergum suum à molestis onerosisque vestibus liberat, seque denudat, exerit brachium, omnibusque in se animi viribus excitatis intrepidus & animosus adversarii præstolatur insultum. In frontem se illi opponit Angelus, eique nunc pede, nunc manu minatur, omnem melioris insultus faciendi occasionem captat? unus eorum viribus quidem prævalet & arte, alter in ingenio & dolo confidit. Sese invicem irretortis aspiciunt oculis, sibi mutuo innuunt moventur, urgentur, ringuntur, stringuntur ab invicē, in mutuos complexus ruunt, texit unus alteri pedibus insidias, nectuntur manibus brachia, brachiis cinguntur latera, ac denique in terram, competitorem sive viribus, sive arte, sive denique dolo prosternere uterque nititur. Verum ô Auditores, si recte video, & si non fallor, Angelus colluctator cedere, se dedere, seque victum esse fateri videtur, neque aliam amissæ victoriæ causam assignare novit, præterquam autoræ comparitionem: *Dimitte me jam enim ascendit aurora.* Quidnam tes hæc portendit? Ergone aurora, quæ aureorum radiorum suorum splendoribus, ad assecutionem palmæ, & victoriam comparandam eum animare debuisset, sinister ei erit horoscopus, prænuntians ei victoriæ jacturam? Et tamen verè ita est, dicit enim: *Dimitte me*, & causam assignat: *Iam enim ascendit aurora.* Quod si Angelus quidam rebellis fuisset, cui tenebræ amicæ, lux verò inimica fuisset, dicerem ipsum aliqua rationabili fuisse causa subnixum, sese sub exurgentem autoram recipiendi in fugam; nunc autem Angelus quidam fuit è beatorum Angelorum numero minimè infimus. Quid igitur dicemus ad hæc? Existimo quod in hac lite nobis repræsentetur lis quædam & contentio quoad nobilitatem & pulchritudinem inter Jacobum & Angelum, id est, inter Naturam humanam & Angelicam. Non quidem inter se concertarunt viribus lacertorum seu brachiorum, sed utrimque adductarum rationum efficacia. Ego (dicebat Angelus) in cœlo creatus sum ante hominem, & mox in Ephebum seu aulicum à Deo adoptatus: In operationibus meis, nullam habeo me impedientem molem corporis, ab omnibus quæ affligere possunt, miseriis mundanis sum exemptus: Nullum mors *jus* in me habet, cum sim immortalis. Peccato minime sum subjectus, utpote qui in gratia fui confirmatus, ac proinde sum, fui, & ero semper Dei amicus, & fidelissimus servus. Tu autem ô Homo, in terra, de terra creatus es, & tanquam terræ incola, ad aratrum es destinatus, veluti corporeus coactus es tributa solvere humanis calamitatibus; in operando imperfectus, in iram Dei facile incidere, & moriendo Deum perdere, ac proinde ad æterna Inferni tormenta condemnari potes. Suntque hæ meæ rationes adductæ adeo manifestæ & veræ, ut nesciam quid adversus illas in contrarium adducere aut replicare possis, quapropter sile & cede. Jacobus angeli argumenta refutando in hunc modum replicabat:

Gen. 32.

Est

Est homo verus Angeli Dominus, utpote qui in hominis custodiam & servitutem à Deo est destinatus. Homo vere parvus quidam est mundus, ingens quoddam visibilium rerum miraculum, capax meriti, & quantum ad animam suam immortalis. Etenim quod homo corporeus sit, idipsum gloriæ suæ nequicquam præjudicat, imo prodest ei, eamque mirè adauget, cum ab omnipotenti manu Dei, cum stupenda quadam membrorum symmetria, & admirabili sensuum suorum ordine sit formatus. Adhæc esse corporeum connotat ens verum, pulchrum & bonum. Etenim dum hæ rationes ad invicem conferuntur, ecce progreditur aurora seque omnibus facit esse conspicuam: *Ascendit aurora*, id est, Maria, de qua dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens?* Cant. 6. v. 9. Qua comparente Angelus se victum clarè fatetur, cedit-que miræ mysticæ auroræ Mariæ pulchritudini & venustati: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Quasi dicere voluisset: Homo quidem quoad pulchritudinem cum Angelo competere aut concertare non potest, sed se ab eo hac in parte victum fateri debet, veruntamen non minus verum est, quod Angelus quoad sui pulchritudinem cum Maria concertare non possit, sed omnem illi cogatur cedere gloriæ & victoriæ palmam: *Considera quam serena vibratio* (inquit Cardinalis Damianus) *quam luminosus fulgor, circularem orbem tanti luminis superfundat, ut aliorum luminum Claritatem (id est, Angelorum) non mediocriter obfuscet: Maria est aurora, de qua nascitur Sol justitiæ Christus, solius solis claritati succumbens, & inter Angelorum Choros supereminens & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit.* D. Petr. Dom. ser. de Assumpt. Mariæ Virg. Et alius quidam hunc scripturæ passum & Jacobi luctam in eundem sensum exponens dicit: *Jam vere aurora Maria est, quam cum videret Angelus cedit Iacob, genus humanum repræsentanti, quia ex eo quod Maria nata est, natura Angelica hominibus quodammodo inferior fuit: unde dicitur de virgine, Exaltata est super choros Angelorum.* Rupertus de Lici. serm. in Nativ. M. Virg. Et quidem quia *in ore duorum vel trium stat omne verbum*, si vobis duorum doctrina non sufficiat, ecce quoque præter hos tertium Expositorem: *Cedit Angelica puritas sorori nostræ, sordent Spiritus illi beati, ad Mariæ munditiam comparati.* Andr. Pint. Ramir. Anthol. 12. §. 7. n. 837.

10. Porrò videbatur Angelo indignum esse quod pulchritudo sua, à mulieris cujusdam venustate obscuraretur, sicut sol stellarum splendores adumbrat, ac proinde quod facere solet Belli dux victus, dum cum victore novum aggredi molitur prælium, idem quoque Angelica natura fecisse videtur, captata occasione ex legatione Gabrielis ad Mariam abituri, ad tractanda cum ipsa maximi ponderis & momenti secreta, ne enim hic Angelus coram B. V. Maria comparens ab ea vinceretur in pulchritudine, omnes Angelorum Chori (uti mihi persualum habeo) ad eum exornandum ut in specie elegantissima appareret, omnem possibilem adhibuerunt industriam; Hic enim per auri flavedinem capillos colorabat, comam capitis crispabat, & hinc inde gemmis & unionibus distinguebat, alter ille in capitis ejus vertice integrum quendam hortum florum plantare videbatur, multi Liliis eum exornabant, & rosis genas ejus tingebant. Unus è cælesti gaza & opulentissimis cœli thesauris pretiosissimas capiendo gemmas & monilia supra frontem ejus rubinum quendam adaptabat, alius ad sinistram rutilantem suspendebat carbunculam, & cœlestem in pectore adamantem. Hic ex argento & auro ac margaritis vestes ejus acupingebat, ille è cœlesti viridario decerpto Lilio ejus adornabat dexteram, ut virginales puritatis secum trophæa portaret. Atque his aliisque è cœlo ac cœlitibus ei datis ornamentis expolitus, à Divinitatis Throno ea, qua par est, reverentia secedens, rapido ac pernici volatu per aëtis liquidas semitas in Civitatem Galilææ Nazarethanam advolavit, & veluti flos quidam novellus in proportionato sibi viridario nimirum terreno illo Paradiso, quem Maria inhabitabat, appulit, suasque è cæruleo aureoque colore variegatas alas denuo recolligens & componens, summa cum modestia & reverentiæ expressione eam devotissimè salutavit dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, ac demum omnium arcanorum Dei sibi commissorum eam participem reddidit; tandem Virginis responso & consensu accepto, subitò iterum & ex improviso, ut sacer textus inquit, inde se iterum recepit: *Et statim discessit Angelus ab ea.* S. Luc. c. 11. Etenim subitum hunc à Maria discessum valde admiror; Hæccine enim sunt ô Archangele complementa, & reverentiæ signa, quæ huic Virgini futuræ protinus Dei matri debentur? ubinam aulicos hosce didicisti mores & cæremonias. In ingressu tanta usus es civilitate & reverentia, & nunc à Virgine recedens adeò inurbanus eris & incivilis? Verum enimverò ô Auditores excusatum habetote Gabrielem, siquidem is domum Virginis

ginis ingressus, oculorum suorum lumina in hoc pulchritudinis theatro circumquaque circumagens, adeò mox attonitus, animoque suspensus & confusus hæsit, ut nimius stupor eum mox elinguem & mutum effecerit. Unde pulchritudinem angelicam à venustate Mariana tantopere superatam esse videns, verecundo quodam tinctus rubore, frontem suam summa cum reverentia inclinavit & recessit; siquidem ei pulchritudo sua deformitas esse videbatur in comparatione ad Mariæ speciem. Ac proinde *Statim discessit Angelus ab ea, Admirans Maria pulchritudinem*, inquit Bernardus, & S. Basiliscus Martyr: *In conspectu Majestatis nobilis Maria, disparet nobilitas Angelorum.* Vel cum S. Eusebio: *statim discessit stupens in virginea forma, & virtutis plenitudine.*

Greg. Thaum Orat. de Annunt.

D. Bern. D. Basiliscus Mart. Mart. D. Euseb. in Cat. D. Thom. in c. 1. Luc.

11. Verum enimverò, non immeritò hic aliquis dicere poterit, nihil in se eximium continet, quod pulchritudo unius duntaxat Angeli, à speciositate formæ Beatæ Virginis Mariæ superata fuerit: veruntamen hanc, quam talis, quisquis est, facit instantiam, nequaquam rejicio; imò verò ut quod excellentiam Marianæ pulchritudinis quamvis aliam superexcedentem plenius satisfaciam, Marianam venustatem, cum universa omnium Angelorum pulchritudine comparare nequaquam subterfugio. Et quidem ad eandem clarius probandam ab hodierna solemnitate haud procul statui recedere. Etenim Beatissima Virgo Maria paulò ante suam in cœlos Assumptionem, in ætate quadam consistente & perfecta constituta erat, suæ tamen senectutis pondus ferebat levius, quàm alii donum floridæ suæ juventutis: ætas natura jucundum vultus sui viridarium rugis senilibus temporis vomere sulcare non audebat. Intra viginti duorum annorum spatium Deus minime morti permisit, ut ad pulcherrima vitæ suæ stamina recidenda sese ingereret, sed nodum quo fortunata ejus anima carni suæ purissimæ & virgineæ innexa erat, per amorem dulciter solvi voluit, adeo ut mortem suam non minus suavem & jucundam experta fuerit, quam illi eandem communiter sentiunt esse amaram. Apostoli beatissimo huic corpori, quod fuit pudicitiæ & sanctitatis lycæum, cum devota pompa honoratum exhibuêre sepulchrum. Cœlum Empyreum terræ invidere videbatur, quod intra sinum suum depositum haberet inæstimabilium divitiarum thesaurum. Ac proinde solis equi suum ab oriente in occasum rapidissimum cursum vix trina vice absolverant, cum ecce gloriosissimus Mariæ Spiritus purissimo & virginali ejus corpori se denuo reunivit, ut tanto citius postea velut valoris inæstimabilis gemma in Paradisi gazam assumeretur. Argenteæ aureæque nubes ei gloriæ suæ thronum efformarunt. Aperti sunt cælestis ædificii pellucidi ac transparentes Chrystalli, unde Angeli in vestes & sinum Virginis ingentem omnigenorum florum imbrem depluerunt. Cum incredibili lætitia & jubilo de cœlo descendentes ei Chori occurrerunt Angelici ex liliis & rosis contextas ei offerentes coronas. Jucundissimæ illæ sempiterni veris lusciniæ, suavissimos illi concinuere concentus, & suavissimam simul modulantes musicam, inter læta tripudia harmonicas quoque resonare faciebant cytharas & organa. Inter quæ gaudia Maria radiis lucidissimis cincta, circumdata gloria, atque ingenti beatorum spirituum corona comitata, stellas pedibus suis calcans summa cum majestate ingressa est supremi Cælorum Monarchæ regiam aulam. Unde tanta tamque rara pulchritudine Regnum cœleste ingrediente, omnes cælestis aulæ consortes attoniti & stupefacti, tantos perfectæ pulchritudinis excessus in ea admirantes, quasi vagabundi papyliones ab elegantia speciosissimi vultus sui attracti, videbantur peregrinam hanc venustatem contemplando & celebrando satiari minimè posse, triplici quæstione replicantes: *Quæ est ista, qua ascendit innixa super dilectum suum? Quæ est ista qua prorreditur sicut aurora consurgens? Quæ est ista qua ascendit sicut virgula fumi?* Angeli igitur Matiæ vultum respicientes hærebant attoniti, & per curiosas, quas instituebant interrogationes satis significabant, se in nulla unquam creatura tantas vidisse elegantias. Porrò eorum interrogationibus hunc in modum respondet Archiepiscopus noster Valentinus: *Quis vobis, O Angeli, respondebit; Quis dicere poterit, qua est ista? Non mihi si lingua centum, si ora centum, si ferrea vox, si centum ora darentur, docere non sufficerem, qua est ista. Vos potius nobis dicite Quæ est ista, qui ejus decore & venustate, qui ejus splendore & claritate fruimini: vobis nunc melius innotescit Quæ est ista.* Nulli reperiuntur colores Rhetorici, nec humani, nec Angelici, qui eam repræsentare possint, aut adæquare.

Cant. 8. *Cant. 9.* *Cant. 3.*

S. Thom. à Villan. Conc. 2. de Assumpt. B. V.

12. Magna consideratione digna sunt illa sponsi & totius cœlestis curiæ verba, quibus virgo sponsa invitatur, ut relictis hisce terrenis miseriis in cœlum concedat gloria coronanda:

Veni

Cant. 4. v. 8. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, &c.* Etenim quod per hanc Virgini propositam invitationem dies Assumptionis intelligatur, idipsum Rupertus Abbas Tuitiensis

Rup. Abb. Corn. à Lap. ib. expresse affirmat, dicens: *Venies de Libano, quod interpretatur candidatio, id est, migrabis de corpore isto, corpore candido, corpore virgineo.* Alius quidam ait: *Beata virgo evocata est ex Lybano, Amana, Hermon, & Savir, ex hoc mundo evocata est ad Christum in cœlum, ibique coronari Regina Cœli & terræ. At vero* vocata est trina vice, per tria *Veni*, quia tres receptura erat coronas sive Laureolas, Virginitatis, Doctoratus, atque Martyrii:

Idem ib. Mich. Ghisl. Exp. 4. de tertia sponsa. *Cum triplici aureola, scilicet eminentis virginitatis, Doctoratus & Martyrii, fuit enim ipsa primiceria Virginum, Doctorum & Martyrum.* Et meritò, quia *Virgo Virginum extitit magistra evangelizantium Apostolorum, & cum Crucifixo martyrum Rege Martyr.* Vel trinies vocata est ad cœ-

Idem ib. lum, scilicet, tanquam Sponsa, tanquam Mater, & tanquam Virgo: *Veni sponsa Veni Mater, Veni Virgo.* Porrò inter cæteras Patrum opiniones, hæc præ omnibus mihi specialiter placet, quod ter vocata fuerit, ad ingens illud desiderium exprimendum, quo universa cœlestis curia expe-

Ghisl. ib. Ib. Exp. 1. ctabat, ut ingrederetur Paradisum. *Per hoc quod tribus vicibus explicatur verbum veni, vehementissimum significatur invitantis desiderium, ingensque ejus rei affectus.* Ac proinde per primum *Veni* invitatur, ut veniat ad fruitionem gloriæ essentialis, quoad animam: Per secundum *Veni* invitatur ut ascendat ad fruendum gloria essentiali, quantum ad corpus videndo Sacratissimam Christi humanitatem. Per tertium *Veni*, ut subito in cœlum veniens desiderium satiet Angelorum & Beatorum quod habent ad videndum raram & incomparabilem ejus pulchritudinem & speciei suæ decorem, ad hoc ut complete beatificarentur quoad beatitudinem & gloriam accidentalem. Idque verum esse, vel ex hoc colligitur, quod Angeli in Assumptione Virginis præ lætitia exsiliant & jubilent, Deumque glorificent & benedicant: *Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt*

D. Bern. apud Bernard. Sæt. 3. serm. 11. a. 2. c. 3. G. D. Epiph. orat. de laud. Virg. *Dominum.* Nec mirum, nam ad proprium interesse Angelorum, aliorumque Spirituum beatorum spectat, quod B. Virgo assumpta sit in cœlum, siquidem pulchritudinem & decorem ejus videndo augetur in ipsis jubilus & gloria accidentalis. *Gaudent igitur & lætantur Angeli* (inquit S. Bernardus) *cum B. Virgo anima & corpore ingreditur Empyreum cœlum, quia vident Reginam cœli hodie primo in curia Paradisi, quilibet calicus ordo lætatur, quia in B. Virgine reperit aliquid gloriæ specialis.* Denique cum S. Epiphanio concludamus, utpote à quo discimus venustatem Mariæ, multis modis quamvis aliam pulchritudinem creatam superare, ipsaque infinita Dei pulchritudine sola esse inferiorem: *Quæ sola Deo excepto cunctis superior extitit, formosior est Cherubim & Seraphim, & omni exercitu Angelorum.*

PARS SECUNDA.

13. PORRÒ ingressus matris Dei, velut alterius cujusdam Sabæorum Reginæ ante thronum mystici Salomonis, merito causat in Angelis stuporem, quia ipsis, *Salva filii Majestate* videbatur glorioſior esse Assumptio Mariæ, quam ipsamet Christi Salvatoris nostri ascensio. Neque enim inficiari poteritis, ingressum Principis alicujus in urbem Romanam, tanto esse majori Majestate decorum, quanto major est Principum, Cardinalium, & Nobilium ei occcurrentium quantitas & qualitas. Soli Salvatori nostro obviam processere Angeli, siquidem præter hos nemo alius adhuc erat in paradiso: Beatæ Virgini autem obviarunt Angeli, & alii Beati, imò Redemptor noster ipse & omnes tres personæ divinæ: *Hæc Assumptio Virginis aliquid excellentius habet ascensione filii Dei* (inquit Bernardus) *scilicet quoad triumphalem occursum; quia filio Dei soli Angeli occurrere potuerunt: Matri autem ascendenti occurrit ipse Jesus, cum tota cœlesti curia Beatorum, tam Angelorum, quam etiam justorum, solemniterque evexit eam ad beata Consistorium sessionis. Non tantum autem Dominus Jesus homo Laureatus corpore glorificato, sed & ipse Rex Deus trinus & unus dici potest Sacratissimæ Virgini triumphaliter occurrisse.* Solum mihi replicare poteritis Christi in cælos ingressum vel ex hoc capite majori fuisse majestate præclarum, quod secum omnes è Lymbo adduxerit animas. Cui respondeo, verum id quidem est; veruntamen etiam Mariam in suo præclaro comitatu habuisse omnes animas Purgatorii, è quo in ipsa assumptæ Virginis die fuerunt liberatæ, & una cum Beatissima cœlos ingressæ sunt fruituræ æterna beatitudine. Ita existimant multi scriptores, & specialiter Joannes Gerson, qui *Censuit Purgatorium fuisse evacuatum.* Quam igitur glorioſa fuerit Beatissimæ

D. Bern. apud D. Bern. Sen. ser. 11. a. 2. Et B. Pet. Dam. ser. 40.

Ioan. Ger. son. in

Virginis assumptio exprimi non potest; sicut & quantam illa Angelis & universæ curiæ cœlesti lætitiam attulerit, est ineffabile.

Magn. Tract 4. apud Andr. Gelsom. in Thesauro cælesti c. 7. & Bern. Bust. 2.

14. Plura quidem de gloriosa Beatæ V. Mariæ Assumptione vobis exponere esset animus; veruntamen sicut ferrum à magnete, & à succino palea, ita me à superius declarata Mariæ pulchritudine efficaciter trahi sentio, de qua utique dici potest: *Non est factum tale opus in universis regnis.* Etenim ex libro Exodi novimus, quòd post quam Deus cum Moyse locutus fuisset, facies ejus deinceps ita resplenduerit, ut nullus ex universo populo in ejus vultum intendere potuerit; quisquis verò vultus Mosaici contemplandi cupidus, vim sibi inferebat pupillas non dimittendo, visus ejus exinde adeo obstupefiebat, ac si ipsammet solis sphæram pertinaciter fuisset intuitus. Qua de re S. Paulus Apostolus loquens ait: *Quid multiplicatus esset splendor gloriæ vultus ejus, ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi.* Porrò Moysen cum Maria Virgine comparare, idem est quod cœlorum vastitati arenæ granum componere. Ac proinde si Moyses ex eo quod unica tantum vice, idque non multo tempore cum Deo locutus fuerit, tantum sibi acquisierit vultus splendorem, à *fortiori* colligere licebit, quantus fuerit Virgineæ facies Deiparæ decor, quæ cum Deo incarnato toties locuta fuit, quæ idipsum in suo purissimo sinu novem mensium spatio portavit, quæ triginta tres solidos annos continuos familiariter cum ipso conversata fuit. Unde S. Vincentius Ferrerius ait: *Legitur quod Moyses locutus fuerit cum Deo in monte, propter hoc radii splendoris procedebant de facie ejus in tantum, quod populus non poterat eum respicere.* Deinde verò Sanctus idem format argumentum à *fortiori* dicendo: *Fiat ergo ratio, si facies ita erat splendens in sola Dei locutione, quanto ergo magis facies Virginis Mariæ ex Filii Dei conceptione?* Et Richardus à Sancto Laurentio subjungit: *Si tam pulchra apparuit, facies Prophetæ ex consortio sermonis Dei, quid existimas de facie matris ipsius Dei?*

2. Cor. 3.

D. Vinc. Ferr. in Vig. Nativ. Dom.

Rich. à S. Laur. l. 5. de Laud. Virg.

15. Splendor vultus Mosaici intuentium potentiam visivam impediebat: Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus. Majores autem erant utique sine comparatione effectus ex pulchritudine in elegantissimo Mariæ vultu residente causati. Etenim de Clerico quodam qui magnæ Deiparenti magnoperè devotus erat, legitur, quod magno cum ardore dignus fieri desiderarit, qui vel semel ad minus conditionem & qualitatem effigiei Marianæ, quam in vivis præ se tulerat, videre & contemplari posset. Sæpe sæpius idipsum genuflexus magna cum animi anxietate à Deipara petiit; ac proinde post multas longasque preces Beatæ Virgini complacuit hunc devoto servo suo favorem concedere; Et per submissum prædicto Clerico Angelum, eidem indicari fecit, preces suas pro voto exauditas esse, ideoque se desiderato vultus Mariam aspectu reipsa potiturum esse, cum hac tamen pacta conditione, quod ab excessu splendorum è pulchritudine vultus sui prodeuntium visu oculorum suorum esset privandus; Eumque proinde monuit, ut caveret ne ex devota sua curiositate cæcus evaderet. Clericus pactum ratum habuit, & acceptavit: Cumque ab Angelo, jam jam venturam virginem ut suam ei exhiberet pulchritudinem, monitus esset, hac sibi cautela utendum esse decrevit, nam ne totaliter cæcus fieret, dextera sua unum oculorum suorum clausit, & unico duntaxat oculo desideratam speciem aspexit: *Clericus suis oculis nimis aut callide, aut timide prospiciens, oculum unum occludens, altero solo intuetur cælestem, & pene divinam Virginis Majestatem, & pulchritudinem,* & subito ex illo oculo factus est cæcus. Veruntamen gaudium & jubilus, quo se ex ea visione affectum esse sensit, adeò ingens fuit & excessivus: *in cujus conspectu moratur, rapitur, hæret, gloriatur, ac deficit,* ut se ex ea visione beatificatum fuisse existimarit; adeoque nihili faciens si cæcus quoque fieret ex oculo dextro, manum qua eum obturaverat, sustulit, dumque eum aperiret, protinus beata Virgo disparuit. Unde se utroque oculo, beatam Deiparam non vidisse vehementer dolebat, & animi amaritudine plenus affligebatur *quod altero oculo tantæ matris eminentem pulchritudinem non aspexisset.* Atque ideo vehementi hoc desiderio excitatus, magno cum fervore Deiparæ de novo supplicare cœpit, dicens: *Paratum se altero quoque privari oculo.* Quem pientissima Dei mater exaudiens, iterato se illi videndam amantissime exhibuit: *Et iterum pulchritudinem suam aperit.* Cumque servo Deiparæ juxta votum satisfactum esset, visum ei quoque perfectissimè restituit: *Ecce quam admiranda Virginis pulchritudo, proqua semel aspicienda, non dubitavit ille charissima oculorum lumina perdere.*

Io. Carth. l. 2. hom. 5.

Idem ib.

16. Casus prorsus similis à Patre Pelbarto de Themesvar recenseur; nimirum quod sanctus

ctus quidam juvenis beatæ Virgini devotus ejus miram pulchritudinem magnoperè coluerit, ideoque cum insoliti cujusdam affectus expressione illam quovis momento salutarit, dicendo: *Ave Maria.* Deipara igitur servum suum consolatura de cælo descendens in nube quadam splendidissima, innumeris Angelis comitata & circumdata splendoribus eidem apparuit dicens: *Desiderasne meam pulchritudinem videre?* Cui juvenis magna cum anxietate respondit. *O Virgo benedicta, quamvis indignus sim, toto tamen corde desidero.* Mox Maria velum à vultu suo subducens dixit ei: *Aspice decorem meum, ejusque qui decoravit me.* Dumque cælestem hunc vultum contemplaretur, se in anima interius magna consolatione affici sentiens exclamavit & dixit: *O Domina, si à tuæ pulchritudine separabor, nunquam imposterum consolari potero*; atque in hisce vocibus præ dulcedine mortuus est.

Pelb. l. 1. c. 3. art. 3.

Idem ib.

17. Verum enimverò dicere nonnemo poterit, hosce effectus in iis qui Deiparæ Virgini devoti sunt, consecutos esse, mirum non est; at verò si ostendero in infidelium animis longè excellentiores, majoriisque ponderis & momenti productos esse, quis inde non obstupescet. Audite igitur si libet. Gonzalus Sylveira Lusitanus in Indias navigaturus, quandam Beatissimæ Virginis depictam effigiem secum eo advexit; cumque in urbe Monomotapæ quæ Regni Metropolis & Regis residentia est, appulisset, Regem illum veneraturus abiit eique sacrosanctam hanc imaginem dono donavit. O ingens & stupendum negotium! Imago hæc mox ut à Rege visa fuit, tantopere placuit, ut ex incomparabili ejus pulchritudine consolatus & in Deiparæ Virginis, quam Dei matrem esse cognovit, amore raptus, ex infideli protinus factus fuerit Catholicus, imò quisquis gratiam seu beneficium aliquod ab eo poscebat, hanc ei in gratiam hujus sanctæ Imaginis denegare nolebat nec poterat. Quod si igitur tanta est pulchritudo copiatæ effigiei Deiparæ, quanta erit ipsius Originalis? si tanta efficacia umbra prædita fuit, quid de vera luce nobis imaginari debemus? Ex hisce igitur antecedentibus quilibet vestrum consequentiam deducat, atque ex hisce omnium debilissimis argumentis, quilibet nostrum concludat verissimum esse quod *Non est factum tale opus in universis Regnis.*

SERMO VIGESIMUS SEXTUS
IN FESTO
SANCTI BARTHOLOMÆI
APOSTOLI.

Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major, Sanctus Lucas cap. 22.

1. SIgna exteriora & foris apparentia non tantum indicia sunt, verum etiam magistri sunt & præceptores, qui docent & erudiunt aspicientes id quod in objectis conservatur secretum & absconditum. *Signa sunt ad alterius rei manifestationem*, inquit Angelicus Doct. *Signum est, quicquid apprehensum in intellectu, ducit nos in cognitionem alicujus rei.* Et quis est qui nesciat quod ex signis cognoscatur sarcina, ex stirpe rosa, ex fructibus arbor, ex cespite spica, leo ex ungue, ex cantu avicula, ex diluculo serenum. Quam fertilis esset terra Chanaan ex uno vitis botro Moyses cognovit: *Quem portaverunt in veste duo viri.* Attentos vos esse requiro, O Auditores, ad observandum signa illa sensibilia, quæ in sacris sanctæ Ecclesiæ scænis, seu etiam imaginibus & statuis comparentes sancti Apostoli & Martyres secum ferunt. Sanctus Petrus fert claves, signa nimirum jurisdictionem sibi à Christo tam in cœlo quam in terra datam significantia: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum*

S. Thom. in add. ad 3. p. 97 5. art. 1.

Exod. 13.

Matt. 16.

D. Aug. in Joſil. c. 22. & S. Iſid. de Pat. novi Teſtam. c. 74.

ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Calix ſerpentem inde eminentem continens, quem ſanctus Joannes Evangeliſta manu ſua tenet, potius veneno intoxicati expreſſivum eſt ſignum. Craticula Sancti Laurentii exhibet, quod ſanctus hic Martyr pro Chriſti Redemptoris ſui amore vitam inter flammas prodegerit, conſummaveritque inter ignis incendia martyrium. Lapides quos in gremio ſuo defert ſanctus Prothomartyr Stephanus mortem indicant, quem ſub lapidum imbre invicto animo ſuſtinuit. Hinc igitur devota quadam curioſitate motus, inveſtigare ſtatui, quidnam in brachio ſeu humeris ſancti Bartholomæi Apoſtoli portatum myſticum detractæ pellis ſignum ſignificet. Num fortè perſuadere mihi debebo, quod ad id alludere prætenderit, quod inimicus Sathanas cum Divina Majeſtate de Jobo invicto illo patiente loquens dixit, nimirum: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua?* Intelligendo videlicet cum Hugone Cardinale per primam pellem omne bonum externum, per ſecundam vero pellem omnia interna animi bona, qualia ſunt ipſamet ornamenta virtutum: *Pellem pro pelle, id eſt, rem minus charam ſcilicet exteriora, dabit homo pro pelle, id eſt, pro re magis chara, id eſt interiori.* Vel etiam cum ſancto Thoma exponendo per primam pellem bona fortunæ, per ſecundam verò vitam, ac proinde approbando tanquam optime & prudenter factum, ſi quis omnes facultates ſuas jacturæ periculo exponat, ut vitæ ſecuritati & ſaluti conſulatur: *Homo quicunque debet cuncta exteriora, quæ poſſidet, dare pro vita ſua conſervanda?* Aut verò defert illam ad inſinuandum, quod ex eo quod Apoſtolus Polemonem Regem cum tota ſua familia, nec non duodecim eis parentes civitates ad Chriſtum converterit, Rex Aſtyages ipſum in carcerem conjici, poſtea verò *Vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi juſſerit?*

Iob. 2.

Hugo Card. ib.

D. Tho. in Iob. ibid. lect. 1.

In ejus lect. Brev. lect. 2. 2. noct.

2. Veruntamen potius crederem, pellem hujus Apoſtoli ſignum eſſe ſignificativum non tantum eorum quæ hactenus inſinuata fuere, verum inſuper per eam denotari videtur, Sanctum Bartholomæum novum quendam ſanctæ Eccleſiæ & Chriſtianæ Religionis Herculem eſſe. Ac proinde notandum eſt, quod ut ſcribit Diodorus Siculus, in ſpelunca quadam ſolitaria ſilvæ Mycenes, juxta montem Trythonem, repertus quondam Leo quidam fuerit. Fera non minus ferox quàm formidabilis, adeoque terribilis, ut oculorum ſuorum obtutu, & tonitru rugituum ſuorum, terram formidare, integramque regionem tremere fecerit. Eratque tam vaſtæ magnitudinis, ut cujuslibet alterius ejuſdem ſpeciei leonis magnitudinem atque groſſitiem longè exceſſerit. Unde nullæ haſtæ, lanceæ, enſes, ſeu quodvis aliud ferrum quantumvis benè temperatum, adeò durum reperiri poterat, quod ad leonem illum occidendum vel profligandum ſufficeret. *Hic præter modum ingens, & qui nec ferro, nec ære, neq; lapide vulnerari poſſet.* Quod intelligens Hercules nequaquam defecit animo, quin potius generoſus & intrepidus, atque ad feritatem belluæ robore ſuo laceſſendam reſolutus eam aggreditur, proſequitur fugientem, ferocientem invadit, & in ore ſpeluncæ ſive cavernæ in qua deliteſcere ſolebat, eandem aſſequens manus in illam injicit per medium corporis circumplectitur, fortiſſime eam ſtringit & coarctatis faucibus ſuffocat, & detractam è tergo pellem, veluti ſignum trophæi & obtentæ victoriæ, ſuper humeris, aut in brachiis ſuis, quocunque ibat deportabat: *Hercules cum ad locum acceſſiſſet, fugientem in ſpeluncam ſecutus feram, altero aditus ore obturato, manibus leonem comprehenſum ſuffocavit.* Quid autem deinceps fecit? *Detractam pellem corpori tegumentum ad futura pericula circumdedit.* Bartholomæus igitur dum ſui ipſius pellem ſuper humeris ſuis defert denotare vult, eam eſſe trophæorum à ſe generoſe obtentorum ſignum, utpote qui velut quidam ſacer Hercules viciſſet & fortiter ſuperaſſet ſemetipſum. *Nulla eſt major victoria, quam ſeipſum vincere,* dicebat Seneca; id eſt paſſiones ſenſualitatis, quæ veluti feræ terribiles, & atrociter ferocientes in cordium noſtrorum antro naſcuntur & vivunt. Idque perſpicuè ſatis oſtendit, quando ab unigenito Dei Filio ad Collegium Apoſtolicum ſexto loco vocatus nequaquam ſe oppoſuit, ſed contentiſſimus acquievit, nihili faciens ſe nulli aliorum præpoſitum aut prælatum fuiſſe. Unde colligere poſſumus quod non propter ſanctum Bartholomæum Apoſtolum, *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major,* prout nonnulli exiſtimant. Dum igitur præſentem diſcurſum pelli Bartholomæi involvere nitor, vos eandem ſilentii involucro circumplectamini, & attentas mihi aures adhibete.

Diod. Siculus rer antiquar. lib. 5. c. 2.

Idem ib.

Seneca.

3. *Facta eſt contentio inter eos, &c.* Multæ etenim

nim sunt humani cordis passiones, præcipua autem, quæ omnibus aliis prævalet est desiderium, animique anxietas, qua homo, quovis alio superior esse concupiscit. *Aliis præsse.* Julius Cæsar cum pertransisset alpes, & terram quandam ex gente plebeia & vili populosam comperisset dixit: *Malle se ibi primum, quam Romæ secundum esse.* Aggrippa familiaribus suis dicere solebat: *Morem principum esse, ut nolint habere quenquam superiorem.* Sic quoque Agesilao vehementer displicuit, quod Lacedæmonii in quodam congressu ei primum locum non assignassent, seque aliis non prætulissent, unde pulchro quodam dicto dolorem suum inde conceptum expressit, dicendo: *Bene sane habet; ostendam, non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem.* Ægyptus Rex, unde illa provincia nomen suum accepit, Danaum fratrem suum è regno pepulit, & eidem se præferendo, in ejus locum subintravit: *Cum regnandi libidine agitaretur, ejecit fratrem Danaum è regno, imperavitque post fratrem.* Cum propter Principum Electorum discordiam, duo essent electi Imperatores, scilicet Ludovicus Bavarus, & Fridericus Archidux Austriæ, hi duo Principes integro octennio crudelissimo se bello mutuo infestarunt, vi armorum violenter contendendo uter eorum alteri præferretur: *Ambo octo annis inter se armis certaverunt.* Constantinus qui fuit quartus Imperator Constantinopolitanus, ut securum se redderet de duobus, quos habebat fratribus in Imperio præferendum, vultum eis deformari jussit, præcipiendo ut utrique nares amputarentur: *Ne imperium quandoque aspirarent.* Postquam Sigefridus & Amilus mortem Enningi Danorum Regis intellexissent, mox alter alteri præferri, & ad Regni possessionem subingredi prætendebat: *Cum inter se de primatu Regni convenire non possent, prælio rem dirimendam putaverunt.* Possem utique pro eodem argumento comprobando integrum exemplorum è Scriptura sacra adducere manipulum, quorum tamen omnium loco duo duntaxat in medium adducenda sufficient. Porrò Eva pomum virtutem homines Deificandi in se continere existimans, prouti serpens ei persuaserat, dicens: *Eritis sicut Dii*, in ejus degustatione prima esse voluit, quasi dicere voluisse; quod si maritus meus me in humanitate superior est, ego si prius ex eo pomo comedero, ipso prior ero in Divinitate: *Quarat aliquis cur non vocarit Adamum, ut is prior ederet? nimirum transformari ipsa prior cupiebat in Deum, virumque suum Divinitate antevertere, qui se humanitate præcesserat, quo hac ratione administrationem rerum præ illo, atque imperium obtineret; existimabat enim simul atque gustasset, è vestigio in Deam transformandam iri.* Verum enimverò Auditores sistamus hic paulisper, & casum quendam à S. Luca relatum, qui in cæna inter Christi Apostolos contigit, maturè ponderemus.

Plutar in Cæsare Xiphil. in Augusto.

Plut. in Apopht. Lacon.

In Theat. vit. hum. lib. 7.

Volater. l. 23. Antrop.

Idem ib.

In Theat. vit. hum. l. 7.

Moyses Barcepha l. 1. de Parad. in Bibl. vet. PP.

4. Filius Dei paulò antequam Passionem suam oriretur, discipulis suis se brevi moriturum esse significavit, id quod causa tumultus cujusdam fuit & contentionis inter ipsos extitit; siquidem quilibet alteri præferri, & in superioritatem seu locum Magistri sui subrogari cupiebat: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Unde S. Gregorius: *Hac contentio videtur habuisse motivum, quod cum Dominus ab omnibus transmigraret, oportebat aliquem eorum fieri aliorum Principem, quasi Domini vices gerentem.* Nonnulli hanc contentionem à S. Bartholomæo suam sumpsisse originem, existimarunt, utpote qui (ut inquiunt) *Syrus & nepos fuit Regis Syriorum ex patre, soluſque ex omnibus Apostolis secundùm carnem nobilitate decoratus. Vnde & propter ipsum in cœna Domini facta est contentio inter discipulos, quis eorum, &c.* & consequenter docent neminem aliorum Apostolorum prætendisse dignitatem aliquam vel Prælaturam inter ipsos, aut aliis præferri voluisse, præter Bartholomæum, ut qui nobilis & regia stirpe prognatus esset: (Et nullus inter eos esset, qui ad talem dignitatem aspirare putaretur nisi Bartholomæus propter nobilitatem regiam.) At verò sanctum hunc Apostolum hac sensualitate, Passione, aut vano fumo capiendi ut aliis præferretur in locum Salvatoris & Magistri sui subintrando, nunquam fuisse infestatum, imò ab eadem fuisse alienissimum, ex certis quibusdam sactæ Scripturæ casibus vobis manifestum fieri cupio.

Luc. 22. D. Greg. in cat. D. Thom. ib.

Pet. de Natal. l. 7. c. 103.

5. Rebecca Isaaci conjux duos habebat filios, Esau nimirum, qui primogenitus & major erat, & Jacob secundo genitum & minorem. Quia verò per inclinationem & benevolentiam secundo magis quam primo affecta erat, sollicita erat, ut modum aliquem excogitaret, quo Jacobum præferendo, locum primogeniti eriperet, atque primogenituram & majoratum secundo genito Jacobo impetraret. Audite quodnam pro hoc intento obtinendo adhibue-

Gen. 27. v. 15. hibuerit medium. *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & collis nuda protexit.* Vel cum Hebræo, ut S. Hieronymus scribit: *Sumpsit Rebecca vestimenta filii sui majoris.* Scite hic percuperem quo fine hæc mulier Jacobum

D. Hier. in Trad. Heb. apud Ben. Fer ib.

vestimentis fratris sui majoris vestiri voluerit? Ratio in promptu est; Nam Isaac cæcus erat: *Caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat:* Ob cæcitatem igitur videre non poterat, an vestes illæ primo, an vero secundo geniti essent. Sed quid referebat sive vestes illæ Jacobi, sive Esau

D. Greg. in Ezech. hom. 6. & in Polyanth. v. vestis in sent. Patrum.

propriæ essent. Unde & sanctus Gregorius idem interrogat dicens: *Quid est quod Iacob vestimentis induitur fratris majoris? Nemo vult pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri.* Certissimum est quod vestes signa sint & indicia, quæ nos in cognitionem venire faciunt quoad esse, statum, qualitates, & conditiones personæ alicujus; ac proinde meritò Poëta dixit.

Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis Idiota sit ille.

Et alius subjungit: Quilibet ex suo habitu justificatur, donec probetur contrarium, ideò Idiotæ benè vestiti sapientes esse videntur. Intet Scythas ii, qui aliis omnibus præeminebant, alios que gubernabant; pellibus vestiti incedebant, & dicebantur pelliti, ut scribit sanctus Hieronymus. Eodem quoque modo Bimates & Senatores Romani vestiebantur, *& dicebantur pelliti*, à pellitis vestibus quas portabant, si Propertio & Peresio credimus: *Hoc item nomine (id est pelliti) primi illi Romanæ curiæ Senatores, tantique conditores Imperii appellabantur.* Deus quoque noster ut viros à mulieribus discerneret, hanc Hebræis in Deuteronomio prohibitionem fecit: *Non induatur mulier veste virili, nec vir utetur veste faminea.* Verum ad Jacobi vestes denuo revertamur. Quæ inprimis ex pellibus factæ erant: *Pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit*, Et ut alii volunt, etiam brachia Jacob pellibus contegebantur, nam totus habitus qui eum toto corpore cooperiebat, majoris fratris sui Esau vestis erat. Hæ autem vestes majoratum & primogenituram repræsentabant. *Ista vestes erant insigne primogenitorum*, inquit Abulensis. Ecce tibi igitur hic patefactum quod latebat mysterium. Jacobi brachia, manus, & collum pellibus amicie-

D. Hier. in Epist. ad Nep. Prop. & Pere. in c. 3.

Gen. v. 21.

Deut. 22.

Abul. ib.

bantur, totumque ejus corpus veste majoris & primogeniti fratris sui Esau cooperitur, quia Esau fratri suo à Patre Isaac præferri voluit, eique præeminentiam eripere & præoccupare primogenituram. Unde S. Ambrosius: *Ideo junior frater seniorem fratrem exuit.* Quasi dicat: Jacob ob nullam aliam causam vestitus est vestibus fratris majoris, quam ut majoratum ei eriperet. Unde colligi & concludi potest, quod ex quo sanctus Bartholomæus non solum vestibus, sed & pelle sua exuitur, manifestum per hoc signum erat, se nunquam in Christi locum subrogati, nec principatum & majoratum Petro, nec præeminentiam aliis quinque eum antecedentibus eripere prætendisse. Unde sanctus Bonaventura: *Quæ fuerit hujus contentionis occasio, nescitur: Contentio tamen est signum amoris privati boni: Contentio autem de primatu signum est amoris excellentiæ & Dominii.* Non est igitur verisimile, quod à sancto Bartholomæo nata fuerit contentionis origo, quando *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Ideò namq; pellem suam brachiis vel humeris suis impositam defert, ut ostendat se velut mysticum quendam Herculem in semetipso vicisse & domuisse passionem illam, quæ nos ad prætendendam præeminentiam & majoratum aut superioritatem super alios, ferociter exstimulat. *Aliis præesse.*

D. Ambl. 2. de Iacob & vita beata c. 2.

D. Bon. in Luc. c 2.

6. Adam Prothoparens noster Divinitatem se assecuturum existimans, prout illi (licet falsò) à serpente infernali prognosticatum fuerat, facile induci se permisit ad divini præcepti prævarication em, quando de manu Evæ dilectæ consortis suæ, ne eam contristaret, aut ejus turbaret solatia, pomum quoddam ab arbore avulsum accepit & comedit? *Mulier dedit viro suo, qui comedit.* Vide hic perditam ab Adamo Dei gratiam, ecce eundem in foveam quandam miseriarum plenissimam præcipitatum. Nuditas autem ex hac transgressione consecuta, quam non multo post in se animadverterunt, verecundiæ ruborem in eorum vultu provocavit: *Timui quod nudus essem, & abscondi me.* Porrò Deus in Paradiso terrestri obambulans, hominem autem nullibi videns, eo quod hic in conspectum divinum prodire formidans tremebundus sese abscondisset, & in loca abdita sese subduxisset, elata voce clamavit: *Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es?* Tandem itaque Adam comparuit, sed tremulus & formidine plenus, non minus ob timorem supplicii,

Gen. 3. v. 6.

Ibi. v. 10.

Gen. 3. v. 22.

quam

quam propter erubescendam nuditatem suam, cui Deus mederi & prospicere volens, eidem vestem quandam adfert & porrigit, qua nuda corporis contegat, & revestiat: *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus duas tunicas pelliceas, & induit eos.* Adamus porrò eam acceptam mox induit, eum autem Deus hac veste indutum videns protinus subjungit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quasi diceret: Ecce Adamum qui esse, statum, & conditionem suam in qua erat mutavit, factusque est semetipso major, quippè Deus ex homine factus. Scio equidem varias à Patribus adduci hujusce loci expositiones, quorum tamen major pars vult Deum locutum esse *Ironicè*, quasi diceret: Ecce eum qui nuper Divinitatem prætendebat, nunc factum scopum ad sagittas, miseriarum, omniumque calamitatum sentinam. Alii Deum sine ironia locutum fuisse, & verba illa potiùs de secundo Adamo, qui Deus simul & homo futurus erat, intelligenda esse volunt. *Ille enim homo per unionem personalem naturæ humanæ cum Verbo factus est quasi unus ex divinis personis, id est, Filius Dei.* Ita etiam Tertullianus: *Ecce Adam de futura scilicet adjectione hominis in Divinitatem.* Veruntamen hic non obstantibus sunt alii, qui existimant quod debeat, vel saltem possit etiam literaliter intelligi, quod Adam factus sit Deus, loquendo de ea Divinitate, cujus Adam capax erat, ad eum modum quo Christus suos præconizabat Apostolos, quando eis dixit: *Vos autem* (id est) *qui estis Dii*, exponit sanctus Gregorius, *quem me esse dicitis?* Vel per os Davidis? *Ego dixi Dii estis.* Verùm, inquies, quomodo & à quo Adam hanc præeminentiam & dignitatem hæreditavit! Non à statu innocentiæ; Non ab eo quod dilectus Dei esset; Non ex eo quod à *gratia gratum faciente* fortificatus esset, nec à justitia originali, nec à virtutibus infusis; sed ab eo duntaxat, quod amictus fuerit veste illa, quam Deus illis attulit. Ac proinde si supposito quod Deus sine ironia iis verbis locutus fuerit, Scripturæ connexionem observaveritis, nihil erit, quod in contrarium adduci possit: *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos.* Sed quid sequitur? *Ecce.* Quid? *Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quando nudus erat, in gradu humanitatis suæ permansit: at verò pelle indutus proficit, atque ad Divinitatem usque augescit. *Nullus erat, atq; adeò à principandi dignitate explodendus. Quandonam in Deum evasit? Cùm tunicas pelliceas sibi circumdedit.* Porrò S. Bartholomæus pellem sibi derrahi permisit, & nudus remansit, ut per hoc significaret, se nunquam ad dignitates affectum aliquem vel inclinationem habuisse, multò minùs quæsiviſse aliis præferri, adeoque dimittendo pellem subindicavit, se nullam unquam prætensionem habuisse (quantumvis nobilis fuerit) subingrediendi in locum vacantem magistri sui & Redemptoris. Unde consequenter deduci potest contentionem discipulorum inter se litigantium: *Quis eorum videretur esse major*, ab eo nullatenus habuisse originem. Denique pellis suæ exuvias in brachiis suis portando significat, quod tanquam mysticus Hercules, omnem in semetipso superarârit affectum prætensionis, prælaturæ aut præeminentiæ cujuscunque.

7. Naaman Dux generalis militiæ Regis Syriæ postquam per septenam corporis sui in aquis Jordanis factam lotionem à lepra mundatus fuisset, gratitudinis ergò, Eliseo Prophetæ locupletissimi muneris loco pecunias, & vestimenta præsentavit. Quæ tamen omnia Propheta generosissimè recusavit. Dux ille inclytus denuò quidem ad eum reversus suppliciter petiit, ut munus per modum gratiæ recognitionis ei oblatum non sperneret, sed acceptaret; sed semper frustra & irrito effectu. *Cùmque vim faceret, penitus non acquievit.* Unde ab invicem discedentes abierunt singuli vias suas. Verùm Giezi discipulus ejus quid fecit? Cùm ei valdè displicuisset dona prædicta à magistro suo neglecta fuisse, sciens quod quidquid contemnitur, amittitur, Naaman Ducem Syriæ strenuè est insecutus, cumque ad eum venisset, excusationis loco mentitus est se ab Eliseo ad eum fuisse missum, ut ei insinuaret, quod ob certum quendam ex inopinato sibi obvenientem casum, mentem non acceptandi oblata sibi munera actualiter mutasset, simulque peteret ut ei valorem vel summam unius talenti dare dignaretur, una cum vestibus ei aliàs oblatis: *Rectè Dominus meus misit me ad te dicens: Da ei talentum argenti & vestes mutatorias duplices.* Ac proinde Naaman summa cum promptitudine *Ligavit duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis qui & portaverunt coram eo.* Certissimum est, quod Giezi monetam & talenta illa eo fine voluerit aucupari, ut bona stabilia & possessiones, oliveta, & pecora sibi inde comparare, famulos alere, & magnifice vivere posset, prout Pro-

Cajet. ib.

Bened. Perer. in c. 3. Gen. v. 21.

Tertull. l. 2 cont. Marc. c. 25.

D. Aug. l. 2. de Genesi cont. Manichæos c. 22.

D. Greg.

Haym. Coriì in concord. mor. in Gen.

c. 17. v. 1. Concord. 2

4 Reg. 5.

Ib. n. 22.

pheta eum reprehendens, illi dixerat: *Nunc igitur accepisti argentum, ut emas oliveta, vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas.* At verò, inquies, si ad hæc comparanda talentis opus habebat, quo igitur fine etiam vestes à Naaman exposcit? *Cur præter argenti talenta vestes deposcit? Num satis superque fuerant argenti talenta, ut pinguibus fundis & saltubus, armentis, servis, & ancillis potiretur?* Etenim Giezi eo quod sufficere poterat, minimè contentus, insatiabilem se nimisque cupidum esse monstravit; sed videamus an non possumus causam assequi, ob quam datis sibi talentis minimè contentus, insuper etiam à Naaman popposcerit vestimenta.

8. Isaias Propheta cunctas calamitates quæ urbi Hierosolymitanæ evenire debebant, prædicens, inter alias quoque venturas miserias, futurum esse vaticinatus est, ut sit sine Rege, qui cum judicio & prudentia eam gubernare possit, atque ideò cives Hierosolymitanos ne cephali remaneant, congregandos esse necessario, ut ex suorum numero aliquem ad regiam eligant & evehant dignitatem: *Apprehendit vir fratrem suum, domesticum patris sui.* Verum ad hoc ut aliquem sibi ex tota incolarum universitate eligant bono communi promovendo aptum & idoneum, meritò inquirere poterant, quibusnam qualitatibus præditus esse debeat, qui velut universalis superior ad Regni coronam esset evehendus? Audite & obstupescite Prophetam qualitatem unam loco plurium aliarum explicantem dicit enim: *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster*: Quasi diceret: ex quo tibi de vestimento provisum est, ideò à nobis in Principem eligi mereris, Itanè? Ergone possibile est tantam in regia illa civitate fuisse vestimentorum penuriam, ut eo ipso quo quis benè honestèque vestitus erat, meruerit ad regiam quoque dignitatem evehi; & tanquam superior super omnes extolli? Etenim nonnulli hoc loco per vestes divitiarum facultates intelligunt: *Quoniam vestes habes, hoc est, quoniam opes tibi sunt, esto Rex noster.* Revera enim ad Regem & quemvis superiorem requiritur, ut modum norit, quo subditis suis in cunctis eorum necessitatibus valeat subvenire. Alii autem per vestem dignitatem, vel prælaturam intelligunt: *Dignus aut idoneus existimatur regno, cui paulò honestius vestimentum habere contigerit*; Neque est hæc unius duntaxat, sed multorum opinio: *Singuli dicunt ut ad singulos ditiores, vel honestius vestitos: Tu vestimentum habes pulchrum, & splendidam togam, sis itaque Princeps noster.* Et sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Vestitum habens Princeps nobis esto; qui vix vestem habemus.* Et quidem id verum esse, ex eo quod Davidi accidit facilè O Auditores, colligetis; Hic enim dum arca Dei ex domo Obededom Gethæi in Civitatem Syon transportaretur, vestem sive chlamydem, qua amictus erat, levavit; Quod cùm Michol conjux ejus videret, adeò idipsum ei displicuit, ut Davidem Regem expletis translationis sacris cæremoniis ad palatium regium reversum acriter reprehenderit, eum veluti stultum tractando, qui omne judicium atque pudentiam perdidisset, unde & ironicè dicebat: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudaretur unus de scurris,* Quasi diceret. Ex quo te hodie sine veste decenti conspexi, visus mihi es non Rex quidam adeò, sicut es gloriosus, sed potius rabula forensis, & de fæce plebis homo vilissimus: *Censent nudasse se exterioribus duntaxat vestimentis Regiis, non verò intimis.* Porrò Lyranus & Abulensis dicunt, Davidem ob vestis decentis defectum, visum fuisse non jam amplius Regem esse, sed ex Rege vilem quandam & abjectam factum esse personam; atque ideò dicere oportebit, communis illius Proverbii regulam nunc fallere, qua dicitur, Habitus enim non facit Monachum. Atque hinc est quod juxta magni & Evangelici Prophetæ prophetiam, cives Hierosolymitani eum præ cæteris principatu & imperio dignum esse judicabunt, qui & vestimentum habuerit, adeò ut nullum ad hosce honores capescendos aliud requiratur meritum: *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster.* Ecce igitur hic tibi manifestatam causam, cur in Giezi prædominata fuerit passio aviditatis, qua non solùm talentis Naaman, sed & vestibus ejusdem cupidissimè inhiabat: *Da ei talentum, & vestes mutatorias duplices.* Videtur enim hic Giezi hunc in modum intra se discurrisse: Is solum in hoc mundo felix esse censetur, qui Dominio prævalet, & dignitate. Illud mihi per talentum, quod à Naaman sum accepturus, comparare mihi poterò, si illud impendam in agros & prata, possessiones, vineas, oliveta, variaque illius generis similia. Verùm quid proderit mihi quod dives sim, nisi etiam dignitatem, aut præeminentiam aliquam, aut illustrem titulum mihi acquisiverò? sine hisce enim quantumvis dives sim, contemptus

Isa. c. 3.

Lyran. & Abul.

D. Cyrill. Alex. ib.

2. Reg. 6. v. 20.

Hect. Pint. ib. f. 18. fac. 2.

Gasp. S. ib.

Corn. à Lap. ib.

ptus ubique ero ; Duo igitur mihi à Naaman petenda erunt , talentum & vestes. Si enim à Naaman talenti unius divitias impetravero, de bonis mihi stabilibus prospicere potero , quæ sunm secum adferunt dominium : si autem vestes insuper obtinuero , ad hoc eæ mihi inservient, ut ubique in respectu & honore mundano alteri semper sim præferendus : *Id probe tenebat , quod quemadmodum maximis reditibus comparandis congesta pecunia mirificè deserviunt : ita & fulcienda hominum dignitati vestium ornatus & decor quam maximè proficit.* Verùm enimverò vultisne tam videre similes affectus vel passiones locum nunquam habuisse in sancto Bartholomæo Apostolo ? Inprimis itaque dico eum non fuisse sectatum talenta argenti & auri, aliarumve similium divitiarum, cùm enim Polymii Regis filiam à dæmone miserè vexatam ab hoc malo & ingrato hospite liberasset, idemque Polymius ex gratitudinis affectu ex liberali dono aliquot ad eum Camelos, argento, auro , variisque gemmis pretiosissimis onustos transmisisset : *Tunc Rex Camelos auro & argento ac gemmis oneravit; Et Apostolum inquiri faciens nullatenus invenire potuit.* Tandem verò sequenti diluculo inventus Regi dixit : Quod munera illa temporalia non quærebat , sed animarum salutem desiderabat. Dico secundo affectum ejus nequaquam in honores, majoratus, dignitates, aut præeminentias quascunque fuisse propinquum , quod vel ex eo liquet , quod non solum se vestibus exuerit exterioribus , verùm etiam interna se veste denudarit, id est, propria sua pelle, qua membra conteguntur & ossa; ut vel hac ratione idem de illo à quolibet formaretur conceptus , quem Michol sibi de Davide impressérat dicens : *Quam glorioſus* (ironicè loquitur) *fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris* ; Ac proinde hoc modo pelle sua propria denudatus publicè protestari videbatur dicendo : *Nolite conſtituere me Principem populi, quia mihi non eſt veſtimentum.* Aut vērò sua se pelle denudavit, quæ vestimentum est corporis humani ad demonstrandum indolem suam , à genio Giezi non solum alienam esse , verùm etiam eidem directè & è diametro oppositam. Meritò igitur hic noster novellus Hercules pellem suam in humeris vel brachiis suis portat & circumfert , eandem sibi reservat in signum demonstrativum quo innuitur, quod animus ejus omnem in se cujusvis ambitionis affectum suppresserit , & annihilarit , & rametsi nobilis sit & regia stirpe prognatus (ut fert multorum opinio) nullam tamen unquam præeminentiam vel primatum in Collegio Apostolico pro se prætendisse; neque occasione aliqua per eum data natam esse inter Christi discipulos illam de primatu obtinendo litem & controversiam , de qua sacer Evangelista loquitur, quando innuit ; quod *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Unde Beatus Laurentius Justinianus de eo dixit : *Beatus Bartholomæus cùm temporalibus divitiis, corpus voluptatibus , ac dignitatis celsitudine posset affluere, contemsit omnia ; & ut verus Christi efficeretur diſcipulus, cæleſtia quippè terrenis, & caducis æterna præpoſuit.*

9. Pro majori hujusce veritatis evidentia observandi sunt omni cum diligentia nonnulli sacræ Scripturæ passus. Postquam miser juvenis , innocens nimirum Josephus duobus annis continuis in carcere fuit detentus ; Deus qui servos suos nunquam deserit , modum tandem invenit , quo Pharao ad libertatem ei restituendam permoveri posset , tempore somni nocturni mira quædam ei immittendo somnia , quæ primordialis origo fuerunt dignitatum illarum quæ castus Joseph præcedenter, ne semel quidem somniaverat. Cùm igitur in Regiam introducendus esset , ut cum Pharaone de habitis ejus somniis loqueretur, dicit sacer textus quod sublatis ab ejus corpore pannis seu vestibus obsoletis quibus fuerat amictus, nova quædam vestis ab eo induenda submissa illi fuerit : *Eductus eſt de carcere Joſeph, ac veſte mutata obtulerunt ei.* Dic sodes, quonam sine Josepho vestis mutata fuit ? Fortè quia ei in conspectu Regis comparituro, vestes quas habebat minimè conveniebant ? Ita equidem credo , veruntamen quot sunt infimæ fortunæ homines pauperes & viles, qui in habitu trito, lacero maleque repetiato , in conspectum Dominorum suorum prodeunt, nec tamen ideò Dominos suos offendunt ; quod si igitur Joseph quoque similibus vestibus indutus Regi præsentatus fuisset, facilè censeri excusabilis potuisset, utpote qui tanto tempore in tenebroso & squalido carcere hæserat. Quænam igitur fuit hæc cæremonia , seu ut melius dicam quodnam in hoc latuit mysterium , quod Joseph coram Rege adducendus novis indueretur vestibus ?

Haymo qui sup & ubi sup. Concor. 51. n. 19 col. 1.

Petr. de Natal l. 7. c. 103. col. 2

B. Laur. Iuſtin in feſto S. Barthol.

Gen. 41. v. 14.

Ioan. de la Haye in Gen. ibid.

Prudenter servili & paupere exuitur veste, & decenti ac digniori induitur habitu. En latens sub hac cæremonia mysterium. Deus Josephum è carcere in Regiam transferre, eumque Pharaone mediante ad maximam dignitatem, qualis est Vice Regis Ægypti, sublimare decreverat. Nunquid enim audistis decretum regium, quo talis ei honor decernitur: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperiũ cunctus populus obediet; uno tantum Regni solio te præcedam: Constituite super universam terram Ægypti* Vestis igitur ad eum loco obsoletæ vestis transmissa dispositio quædam fuit ad dignitates, & ad primatum præludia, denique indicium prævium magnæ illius præeminentiæ, qua omnibus totius regiæ Ægyptiorum curiæ nobilibus præferendus erat. Pro cujus corroboratione, ecce tibi alium quendam passum Scripturæ.

10. Magnus ille Carmeli incola & Patriarcha Elias à dilecto discipulo suo Eliseo discessurus, ut eidem quem in terris spiritus sui hæredem reliquerat, suum ab eo abitum efficeret tolerabiliorem, in omnibus quæ ab eo postulaturus erat se fore promisit benevolum atque propitium: *Postula quod vis, ut faciam tibi antequam tollar à te.* Hic autem petendi campum late sibi apertum esse conspiciebat, supplicavit, ut sibi spiritum suum concederet, sed duplicatum: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Elias autem quia videbat discipulum suum petendo nimium excessisse respondit: *Rem difficilem postulasti.* Quidnam obsecro Eliseus per duplicem hunc spiritum intelligebat? Lyranus existimat, quod spiritum prophetandi postularit: *Fiat in me duplex spiritus tuus prophetandi.* Id est, quoad gradum & conditionem crescere, & inter Prophetas in locum Eliæ subintrare, atque primatum inter omnes obtinere volebat. Veruntamen eodem modo ut supra respondit, nimirum, gratiam istam obtentu quidem valdè esse difficilem, attamen casus ferat quod eum in aëra levatum, & procul ab eo remotum videat, cuncta se impetraturum esse quæ desiderat: *Attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti, si autem non videris, non erit.* Cùm igitur magister in curru igneo à terra levatus transportaretur in cælum, Eliseus vultum suum in cælum levat, & fixis acirretortis oculis consistens alta voce extlamat. *Eliæus clamabat & videbat.* Quod Elias audiens ait: Ergonè me abeuntem O dilecte discipule & vides & doles, nolo igitur & ego promissionis tibi factæ immemor esse, sit igitur tibi concessa gratia, quam à me tam instanter rogasti, simulque hæc dicens dimisit pallium, ut Eliseus illud sibi tolleret prout & fecit: *Et levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei*, erat autem pallium istud, ut nonnulli volunt ex pelle cameli confectum. Sistamus hic nonnihil Auditores? Quod si Elias Eliseo spiritum suum duplicatum promisit, id est, substitutionem ejus in locum suum evehendo illum ad primatũ inter omnes Prophetarum filios obtinendum, cur loco hujus dignitatis pallium suum discipulo suo demittit, ex Cameli pelle consutum? Etenim sapientissime hac in re factum est, nam cùm Eliseus ad altiorem esset gradum evehendus, & tanquam Prophetarum omnium Primas & generale caput in locum Eliæ Patris sui subrogandus, decens erat, ut quoque Eliæ paludamento seu pallio indueretur; unde pellitum hoc pallium Eliseo demittere, erat eundem Prophetarum omnium primatum & Principem & Eliæ successorem declarare. Ac proinde Tostatus dicit: *Levavit pallium Eliæ quod ceciderat, ut Eliæus uteretur pallio isto, tanquam insignio Prophetali, ut sicut Eliæus succedebat in officio & dignitate prophetandi, per quod susceperat dignitatem, ita & succederet in pallio.* Uno verbo igitur dicendum quod nulla unquã dignitas reperiretur sine veste, hæc enim est illius index & ineffabile signum, qui unam ambit, ad alteram quoque censendus est anhelare. Vestiantur igitur pro suo libitu Joseph & Eliseus, quia aliis sunt tanquam Principes & Superiores anteferendi, Eliseus quidem obtinendo primatum inter Prophetas, Joseph autem assequendo majoratum & suprematum post Regem præeminentiam super omnes Ægyptii nobiles: Bartholomæus autem è contra non tantum veste, sed & pelle sua se se exuit in evidentem attestationem, quod nequaquam ad dignitatem aut ad quandam super alios Coapostolos præeminentiam aspiret. Unde sicut Elias quando supremam inter Prophetas Prælaturã non erat amplius administraturus ex pellibus cameli formatũ vestimẽtũ suũ discipulo in ejus locum subrogando renunciavit; ita quoque gloriosus noster Apostolus, ut specimen aliquod ederet, quod nullum unquam ad superioritatem super alios assequendam, affectum habuerit vel inclinationem, sine veste pellis suæ nudus remanere, atque è sexto Collegii Apostolici loco à cælesti Magistro sibi assignato nunquam abscedere voluit, ut hac ratione toti mun-

4. R 2, v. 9.

Ibid.

Nicol. de Lyran.

Ibid. v. 10.

Tost. q. 13.

mundo innotescat, se nullam unquam occasionem cæteris Apostolis dedisse unde contentio inter illos de primatu habendo nasceretur, de qua dicitur: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Neque enim de illorum numero est, de quibus Sanct. Ecclesiæ Doctor sanctus Ambrosius hisce verbis scribit: *Nec exiguo contenti, majora quærunt ambitu vestium captantes petitionis suffragium.*

D. Amb. l. 2. offic. c. 16 de sobr.

11. Uxor Zebedæi filios suos in conspectum Redemptoris adducit, ac præmissa debita reverentia & adoratione, ad pedes ejus prostrata hanc ab eo supplex gratiam exposcit: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Verum enim verò, ut verum fatear, modum loquendi hujusce mulieris non satis capio. Neque enim causam assequi possum, cur duobus hisce terminis utatur *unus & unus*, videtur enim quod potius dicere debuisset, *unus & alter*, vel *primus & secundus*. Nequaquam ita loqui oportet (ita mihi videor audire respondentem matrem) scio quid dicam, nolo ut unus filiorum *sit alter & secundus*, quia esse secundum, dicit inferioritatem respectu primi. Quia enim ambos primos fieri desidero, id est, ut unus sit primus eorum qui sunt ad dexteram, & unus sit primus sive Prælatus omnibus qui sunt ad sinistram in paradiso, ideò dico *unus & unus*. Hac eadem phrasi & modo loquendi usus quoque est Nazianzenus quando de duabus maximis mundi urbibus Roma & Constantinopoli loquens dixit: *Vos magnæ urbis cives, qui primi statim post primam estis.* Observate Auditores, quam pulchra emphasi sanctus hic Doctor hic loquatur; Neque enim Constantinopolitanos absolutè primos vocat, sic enim Romanis præjudicaret; Neque illos vult appellare secundos, sic enim eorum derogaret excellentiæ & nobilitati, sed ambobus primatus honorem attribuit. *Primi statim post primam estis.* Hæc pariter hujusce mulieris intentio erat, nemnem enim filiorum suorum secundum dici voluit, eo quod hic terminus respectu alterutrius inferioritatem designaret, sed ambobus primatum conferri desiderat, ut primi essent, & omnes alios præcederent. Unde Abulensis: *Petivit eos cæteris majores fieri quantum ad omnia.* Hanc igitur à Christo gratiam petiit, ut scilicet eos majores seu primos faceret in omni genere primatus seu præeminentiæ, quantum ad omnia.

Matth. 20.

D. Nazian. orat. 26.

12. Nunc igitur attentos vos esse volo. Etenim Verbum incarnatum postulatam iis non denegat gratiam, sed respondet eis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* ubi advertendum est, quod non dicat simpliciter *Calicem, sed calicem quem ego bibiturus sum.* Verum, inquies, de quonam igitur calice loquitur? De calice Crucis, *non solum quantum ad rem, sed etiam quantum ad modum*; Ac proinde Tostatus sic verba illa explicat: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? id est, Potestis tolerare Passionem, id est, Crucis sicut ego?* Et Lyranus: *Potestis sustinere mortem ignominiosam & crudelem, quam ego passurus sum in Cruce?* Cui interrogationi Zebedæi filii liberè respondent: *Possumus. Honoris cupido inflammaverat eos, ut sic dicerent*, inquit Tostatus. Ambo igitur ut primates fierent, & cuivis alteri præferrentur, ad bibendum calicem & sustinendum Crucis martyrium promptos se exhibent, non solum *quantum ad rem*, sed etiam *quantum ad modum sicut Christus*: At verò sanctus Bartholomæus, qui præsens aderat, & discursus prædictos audiebat, accuratè observavit, quod ad obtinendos primos honores, & præeminentiam super omnes alios, oporteat Crucis calicem exhaurire, *sicut ego*, id est, *quantum ad modum*; atque ideò intra se dicere videbatur: Magister meus in Cruce mortuus est, capite seorsum posito, pedibus verò deorsum pendentibus, ut igitur toti mundo palam fiat, quod nolim honores, ut Jacobus & Joannes, nec ambiam præeminentias aut prælaturas super alios, calicem quidem Crucis bibere nequaquam abnuo; imò desidero, sed *non sicut ipse*, sed modo prorsus contrario, nimirum Crucifigi cupio capite terram versus sive deorsum posito, & pedibus sursum in cælum erectis. Unde Josephus, qui dicitur Humilis, tradit quod dum Judæi omnia ad ejus crucifixionem necessaria pararent, sanctus Apostolus noster *rogaverit carnifices illos, ut verso in terram capite in Cruce suffigeretur, nec rectus, quem admodum ejus magister in Crucem asseretur; ita & in ipsis cruciatibus suam in magistrum reverentiam conservabat.*

Abul. ib.

Tost. ibid. q. 73.

Lyran. in Glos. ib.

Cæsar Baron. in Maytyrol.

Ioseph Humil. apud Metaph. de Trusill in fest. S Barthol.

13. Etenim S. Bartholomæus calicem martyrii in Cruce ebibit, *sed non sicut ipse Christus.* Siquidem excoriatus, & sine pelle, quæ vestis est carnis, nudus in Cruce hæsit: *Astyages Rex Apostolum in Cruce extensum vivum excoriari mandavit*; ut hac actione glorioſus noster Apostolus efficaciter, quæ hactenus de eo dicta sunt, corroboraret. Apud antiquos Romanos in more positum erat, ut si quis à senatu officium, dignitatem, seu præeminentiam aliquam prætende-

Petr. de nat. l. 7. c. 103 f. 176. col 3.

ret, is speciali quodam habitu vestitus coram eodem senatu compareret, illius vestis indicio se coram iis, qui honores dispensare poterant, tanquam prætensorem & competitorem exhibendo. Et hic candidatus appellabatur: *Rationem solam fuisse constat, deferendi candidam vestem, ut petituros insignes magistratus, ostenderet alba vestis.* Ita referunt Blondus & Alexander ab Alexandro. Apud alios scriptores pariter legitur, quod candidati hanc vestem portando apud Magistratum se declararint ad honores & dignitates obtinendas anhelos, *candidati dicebantur, qui ad alicujus Magistratus petionem aspirarent.* Porro Bartholomæus in cruce extensus, ut manifestè ostenderet, se candidatum non esse, nec dextram aut sinistram, nec ullum primatum cum Jacobo & Joanne ambire, vestibus exui, & propria pelle sua se denudari voluit. Adeò ut sicut S. Evangelista Marcus, ut se ad sacerdotium, quo se indignum reputabat, pariter inhabilem redderet, dexteræ suæ pollicem sibi ipsi amputavit: vel sicut Israelitæ ne ab Ægyptiis in instrumentis musicis ludere, vel hymnos sacros in terra prophana canere cogerentur, imò *ne possent velle pollices sibi abscinderunt*, vel sicut Anacreon Philosophus, ne violentia tormentorum, ad id revelandum, quod minimè revelari expediebat, cogi posset, linguam suam dentibus sibi ipsi præscidit: Ita pariter dicere possimus quod S. Bartholomæus pellem suam sibi summo cum perpesso dolore detrahi, caputque amputari permiserit, ne caput aliorum esse cogeretur, impossibile judicans, quod qui capitis expers est, esse possit alterius caput: *Cumque pelle nudatus adhuc vivus permansisset, & excoriatus Dominum prædicaret, & multos tantum cernentes miraculum convertisset, jussu Regis decollatus est die sequenti.*

Blond. Flav. de Roma triu. c. 2. Alex. l. 4. dier. Gen. c. 3. Ambr. Cale verb. Cand. & Isig. hisp. l. 19. c. 24.

Fr. Iob t. 1. verb. occasio prop. 4.

Petr Equil. ubi supra.

14. Cæsar semper & in quovis obvio casu paludamento imperiali indutus incedere solebat, ut ex hoc quilibet de dignitate & Majestate sua certior fieret: *Hic Imperator superba veste delectabatur adeò, ut etiam in acie, imò in ipso conflictu purpura indueretur.* Die quadam tamen dum staret in acie jam cum Ægyptiis præliaturus, purpuram exuit, ne ab aliis aguosceretur, sed gregariis connumeraretur militibus. Verum quidem est S. Bartholomæum non fuisse primum qui Apostolicæ militiæ collegium gubernarit, attamen quia facilè fieri poterat, ut ob natalium suorum sublimem nobilitatem tanquam talis crederetur & honoraretur, pellis suæ vestem sanguine suo tinctam & purpurascentem exuit: *Excoriatus est, & pelle nudatus.*

Ale. Pel. in c. 13. Matt. 10. 2. parad.

15. Postquam Rex Xerxes bellum Atheniensibus movere statuisset, propositum suum cum Artabano contulit, cumque idipsum ab hoc multis adductis in medium rationibus dissuadetetur: Respondit Rex, Deorum imperium ipsum cogere ad prosequendum dictum bellum ab iisdem sibi præceptum. Cum autem Artabanus id credere nollet, voluit Xerxes ut ipsemet Deos idipsum præcipientes auscultaret, ideoque eundem prope thronum è quo Dii sua expromere oracula solebant proximè adsistere voluit; nec tamen ullum Deorum sermonem Artabanus auribus suis insonantem percipere potuit. Tunc igitur Artaxerxes Regio paludamento se exuit, illudque ab Artabano indui, & sic regiâ veste indutum Artabanum in throno Regio considere voluit. Mira res! mox enim ut Artabanus hanc Chlamydem regiam indueret, haud secus ac si Rex fuisset, Deorum colloquio & sermone honoratus fuit, unde apparet quod vestis aliqua magnifica, quandam quoque dignitatem & superioritatem secum subinferat. Quod sciens Apostolus & veste & pelle se exuit, ut inde quilibet discere possit, se nullam ambire dignitatem aut supra alios præeminentiam. *Excoriatus est & pelle nudatus.*

Apud Petr. de Valder. serm. 3. de D. P. A.

16. Mirum quod de Solimanno Turcarum Imperatore legitur, nimirum quod Insulam Rhodiorum forti quadam obsidione cinxerit, veruntamen quia fortissima, omnique apparatu militari & victus annona instructissima, & consequenter inexpugnabilis erat, vanum quemvis insultum, & stratagema militare esse experiebatur, nihilque superesse, quam ut obsidione cum modica sui reputatione soluta ab omni conatu desisteret: Priusquam verò id faceret, prius ad superandam quamvis difficultatem, & intercipiendam sibi Insulam, quod armorum vi & impetu impossibile sibi esse videbat, per proditiones & tradimenta aggredi moliebatur. Quapropter viam sibi stravit, qua ad habendam cum Gubernatore qui munere suo hactenus strenuè & gloriosè perfunctus fuerat, secretam intelligentiam pertingere posset, quam fœliciter quoque obtinuit, ac proinde ei per litteras clam & secretissima via missas insinuabat, quod si Insulam sibi commissam, in Turcarum potestatem traderet, filiam suam ei in conjugem sit daturus, & consequenter eum non solum in suum genetum, verum insuper in supremam

post

post imperialem totius Mahometani imperii dignitatem evecturus esset. Hac igitur munifica oblatione Gubernator permotus, in voluntatem & desiderium Solymanni descendens, prædictam insuperabilem Insulam in ejus manus tradidit. Cum autem post traditam Turcis Insulam pro factæ sibi promissionis executione instanter sollicitaret, Imperator ei respondit, se ad executionem pacti & datæ regiæ fidei liberationem promptissimum esse, sciendum tamen ei esse, quod solemnis esset Turcarum Lex, ne ullus Christianæ religioni addictus ad honores aut dignitates inter Turcas obtinendas admitteretur, nisi prius veste Christiana exutus, vestem sibi Mahumetis indueret: *Pellis Mahomet est induenda. Et mox misero cutem diripi jussit.* Hæc que fuit justa perfidiæ suæ remuneratio & condignum præmium; ut enim hunc traditorem ad quemvis honorem & dignitatem inhabilem & indignum declaravit, non tantum veste Christiana, sed & propria pelle ipsum denudavit: verum enim vero Apostolo nostro Bartholomæo cutis crudelem in modum detracta fuit, non solum, quod se Domino suo fidelem servum esse probarit, Evangelium constantissimè prædicando, verum etiam Deus idipsum permisit, ut exinde veluti exteriori quodam signo toti mundo innotesceret, quod desiderium dignitatum, honorum, præeminentiarum, nullum unquam in ejus mente locum habuerit, sed sexto loco quem Dei Filius in Collegio Apostolico ei assignarat, contentissimus permanserit, nec fuisse ab eo datam litis inter Apostolos de primatu suscitatæ vel minimam occasionem, de qua dicitur: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.*

Hier. Drex.

16. Verum eheu! quod sunt, qui omninò contrarium faciunt; Quot sunt qui licet viliores, abjectiores, in virtutibus pauperiores, & consequenter ad dignitatem inhabiliores sunt, quam sit Asinus idoneus ad Lyram, sine ullo tamen rubore aut verecundia omnem lapidem movent, ut sese promoveant, & ad altiores dignitates conscendant. Et quod pejus est, adeò in iis prædominatur maledicta ambitio, ut id, ad quod per gradus meritorum non possunt pertingere, sibi per mediatores & larga munera non dubitent procurare. De hac gente Amos Propheta loquebatur, quando à Deo interrogatus: *Quid tu vides Amos?* Respondit: *uncinum pomorum*; quasi diceret: Qui ad colligendos honorum & præeminentiarum fructus, à dignitatum arbore enascentes & pendulos manu propria meriti non potest pertingere, ad eos tamen decerpendos & habendos uncinum donorum, munerum, & intercedentium Patronorum & mediatorum non erubescit adhibere. Unde ut se deinceps ab adhibitis in erogata munera & conciliandos favores immensis sumptibus, indeque contracto ære alieno possint eximere, volunt ut subditi, sub amicitiæ, vel subsidii charitativi metaphora contribuant. Unde miseri subditi tantæ potentiæ & authoritati non valentes resistere, coguntur dentibus stridere & lamentari. Prouti Deus per eundem Prophetam revelavit dicens: *Stridebunt cardines templi in die illa.* O contemptibile genus hominum, qui semper ambiunt esse primi, ideoque vivunt semper malè contenti, vel moriuntur desperati, si in secundorum numero ab æquitate maneant relicti. Optimè dixit S. Ambrosius: *Ærugo mentis est appetentia dignitatum*; nam sicut ærugo consumit ferrum, ita similes immoderati effectus qui semper *aliis præesse, & nunquam subesse* cupiunt, miserabiles & infœlice ejusmodi homines ad mentis insaniam perducunt. Dum scilicet suos conatus Cæsaris dictaturæ longè dissimiles esse vident, qui ut Suetonius scribit: *Recepit continuum consulatum, perpetuam dictaturam*, præfecturamque, stulte sibi ejuscemodi homines persuadent, cælum aliud non cogitare nec moliri, quam suam exaltationem, neque ad superioritatis sedem vel thronum, vel tribunal, vel sustinendas imperii vel regiminis habenas alios se aptiores esse aut magis idoneos; ac proinde nullam boni & ingenui nominis curam habent, dummodo titulum viri Illustris, Reverendissimi, Gratiosissimi &c. Sibi acquirant. S. Petrus in montis vertice habitare ambiebat, quando ait: *Bonum est nos hic esse*; at verò de eo dicitur: *Nesciebat quid diceret.* Cur ita? Respondet S. Proculus: *Nondum audaciam nauticam excussit.* Multi in humili loco nati sunt, & tamen ad verticem sublimitatis anhelant ascendere; viles nati sunt ut serviant, & tamen magni fieri volunt ut imperent. Optimè illorum proprietatem explicasse, eosque ad vivum depinxisse videtur, vir ille lepido ingenio præditus, qui dixit: Sellam seu Epiphippium ambiunt, & asinos se esse non animadvertunt, in bursæ vires confidentes, maximè verò alienæ. Porrò iisdem applicari posse existimo, quod eruditus quidam Scriptor ait: *Quid miraris? An mysterium ignoras? pro comperto habens, bestiam hanc magnis passi-*

Ibid. v. 3.

D. Ambr. super Luc. l. 3.

Suet.

D. Mar. 9. D. Proc. orat. de Transfig. Scrip. Gl. in scut. Arnal.

Amos 8. v. 1.

passibus in ruinam & in excidium ruere Hi tales S. Bartholomæum Apostolum pro imitando sibi exemplari sive prototypo ob oculos ponant. Hic ut nonnulli scribunt, natus fuit nobilis, Regis Syriæ nepos, Dives consequenter, & eminenter magnus, & tamen nunquam ei in mentem venit aliquam dignitatem aut præeminentiam velle prætendere, sed velut alter Hercules Christianus, per pellem brachiis suis inhærentem innuit, se sui ipsius, nec non immoderatarū passionum, quam ambitiosa humanitas nostra secum adfert, gloriosum esse victorem.

PARS SECUNDA.

17. MUltæ rationes in medium adduci possunt, cur pellis viventi Bartholomæo detracta fuerit; è quibus ego nonnullas, quas mens mea suggerit mihi, specificabo. Inprimis igitur suo respondere nomini voluit, quo erat insignitus, nam Bartholomæus, idem est, quod *filius suspendentis aquas*. Sed inquie, cùm solus Deus sit is qui aquas suspendit, num fortè Bartholomæum filium Dei fuisse dicere audebimus? Imò verò, inquit Petrus Damianus; sed quomodo id dici poterit? *Nam cum dicitur filius suspendentis aquas, dicitur procul dubio filius Dei, non quidem naturalis generationis origine, sed propensioris gratiæ dignitate.* Sicut igitur filius Dei nudus mortuus est in cruce, eo quod, cum calor amoris sui adeò ardens fuerit, vestes in corpore suo ferre non potuerit, prouti de eo scriptum legitur: *Vestes in cruce ferre non potuit, sed nudus ascendit ac si ipso facto diceret, tanto igne charitatis ardeo, quod vestes aliquas ferre non valeo.* Ita Bartholomæus ob amorem quo erga Deum ardebat, in cruce nudus extendi voluit, ut verè nomine & re Bartholomæus esset, id est, filius suspendentis aquas, quasi diceret: Tanto igne charitatis ardeo, quod vestem, id est, pellem ferre non valeo; ac proinde verè executus est quod de Jobo dictum fuit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.* Portò per eam pellem quæ dauda erit pro altera pelle, id est, vita, aliqui intelligi volunt divitias, quæ in aureis argenteisque monetis continentur: *Quidam existimant significari pecunias, quod eo tempore non alia essent apud Idumæos divitiæ; pellibus igitur pro pecuniis utebantur.* Vel per pellem illam alia intelliguntur bona fortunæ: *Pellis nomine significantur externa bona.* Quodsi autem hæc ita se habeant, qualia bona terrena non dabuntur pro vita & anima? Quilibet utique se *patietur spoliari rebus omnibus*; Imò Bartholomæus pro anima sua salvanda, propriam pellem suam non dubitat perdere: *Patitur se pelle spoliari pro anima sua.*

18. Invictus ille patiens Jobus videns, quod Deo permittente per diabolicas persecutiones igne cœlesti conflagrassent pecora, prostrata essent armenta, susque deque inversa palatia, occisi filii, omniaque fortunæ bona sibi essent erepta, mox ut funesta hæc nova ad eum fuissent delata: *Tunc surrexit Iob.* Sed quid facturus surrexit; *scidit vestimenta sua*: non per actum desperationis, sed ex opere supererogationis: Quasi diceret: Ex quo Deo ita placuit omnibus me destituere quæ possidebam, volo insuper sponte propria hac me veste privare, nudus natus sum ab utero matris meæ, volo igitur ad ventrem communis matris nostræ, id est, terræ nudus redire: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Idipsum quoque Bartholomæus replicare videbatur, etenim cœlestis Magister noster Christus, nobis quidem omnia terrena bona dimittere præcepit, *qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; de pelle autem non loquitur, siquidem contentus est ut illam geramus: veruntamen, ait Bartholomæus, ego illam exuere volo, & in ventrem nudior quam natus sim reverti volo: *In cruce extensus vivus excoriatus est.* Volebatque proinde juxta expositionem S. Augustini inferre: *Si de necessariis impletum est, quanto magis superflua contemnere convenit?* Et quidem quoniam S. Bartholomæus idipsum intellexit, non solum bona terrena, tanquam res superfluas abjecit, & deseruit, verum etiam ea quæ necessaria erant ut est pellis. Unde in adimpletione hujus præcepti, nemo tam exactus & accuratus fuit, uti S. Bartholomæus, quia ex amore Christi, *dimisit & pallium, dimisit & pellem.* In alia quadam occasione Salvator Apostolis suis dicebat: *Estote prudentes sicut serpentes.* Etenim serpentis prudentia, ut S. Hieronymus ait, in hoc consistit quod, *toto corpore occultat caput, ut illud in quo vita est, protegat.* Bartholomæus autem ob ingentem Magistri sui amorem, ne quidem ipsummet caput conservare voluit, quia *jussu Regis Astyagis decollatus est.* Porro Beda aliam quandam circa hæc verba adhibet observationem, dicens: *Solet serpens eligere strictas rimas, per quas transiens veterem pellem exuat*; ac proinde juxta hanc expositionem Bartholomæus quoque serpentis prudentiam exhibuit, quia inter

B. Petr. Dam. ser. 42. & 2. de S. Barthol.

Iac. de Vorag. ser. 2. de Pass. Dom.

Iob. 2.

Ioan. de Pine. in Iob. c. 2. v. 4.

Idem ib.

Iob. cap. 1. v. 20.

Idem ibid. v. 21.

Luc. 14. v. 33.

D. Thom. ibid.

Matth. 10. vl. 16. D. Hier. in Cat. D. Tho. ubi ubi sup. Bed. in Cat. D. Tho. ib.

Lycao-

Lycaoniam & Indiam inferiorem veluti inter duas petras pertranſiens, exuvias ſuas, id eſt, pellem dimiſit, prouti ei à Salvatore noſtro prædictum fuit, quod ſcilicet, *Pro ejus amore naturam vitæ ejusdem veſtem, hoc eſt, corporis cutem demitteret.*

Pet de Nat. in vita ejus

19. Cùm Saul in Ramatha appuliſſet, Spiritus Domini ſuper illo ſtetit, & protinus in præſentia Samuelis prophetare cæpit: *Factus eſt ſuper eum Spiritus Domini, & prophetavit* Deinde verò ſacer Textus ulterius proſequitur dicens: *Et expoliavit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & cecidit nudus tota die & nocte.* Porrò Bartholomæus verbi incarnati imitator extitit, non quidem in prophetando, ſed orando; nam ſicut Magiſter *Erat pernoctans in oratione Dei*: ita diſcipulus orando *centies in die, & totidem in nocte genu flectebat.* Saul *expoliavit ſe veſtimentis ſuis*: Bartholomæus autem *pelle nudatus eſt.* Porrò Dei Filius dixit: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum.* Circa quæ verba nonnulli *per camelum* groſſum quendam funem ex canabe contextum intelligunt, qui per foramen acus tranſire nequit, niſi ſubtrahendo omnes partes groſſiores totaliter fiat ſubtilis. Etenim Apoſtolus noſter, ut Regnum cœlorum ingredi poſſet, omnia quæ habebat, dereliquit, ſcilicet nobilitatem, divitias, ipſam quoque veſtem pupuream, qua *propter honorem dignitatis indutus utebatur.* Gloſſa dicit. *Hieroſolymis quædam porta erat quæ foramen acus dicebatur, per quam camelus niſi depoſito onere & flexis genibus tranſire non poterat.* Camelus igitur genuflexus & ſine omni onere tranſire poterat: ſic quoque Bartholomæus ut cœlorum Regnum ingredi poſſet, non ſemel tantum, *ſed centies in die & totidem in nocte genu flectebat.* Inſuper quoque onus exuviarum ſuarum ſive pellis propriæ dereliquit: *Pelle nudatus eſt.*

1. Reg. 19. v. 23. 24.

Luc. 6.

Matt. 19. v. 19.

Ep. Equilin. in vit. ejus Gloſ. in Car. D. Th. ibid. Barthol. Gavan. in Th. ſac. tuum.

20. Alexander ab Alexandro refert, Geniales Duces in more poſitum habuiſſe, quod ſi fortè pellem alicujus inimicorum ſuorum, quem in prælio ſuperarant in ſua haberent cuſtodia, illam veluti eximium quoddam donum uni chariſſimorum amicorum ſuorum dare ſeu relinquere conſueverint: *Hoſtium cutes in fortium factorum inſigne documentum ſuis relinquebant.* Idque eis erat in monumentum perpetuum generoſitatis & fortitudinis in bellis exhibitæ: Pari quoque ratione cùm Bartholomæus inimicos ſuos, id eſt, paſſiones ambitionis, proprii commodi affectus, & carnis ſuæ ſtumulos veluti generoſus athleta ſuperaſſet, moriens, exuvias victoriæ ſuæ id eſt, pellem ſuam, amicis ſuis, id eſt, Chriſti fidelibus conſignavit, ut illis exemplaris loco deſerviat, ut ſuos quoque ſupradictos inimicos patiter quoque ſuo exemplo animati vincere poſſint. *Hoſtium cutem inſigne documentum ſuis reliquit.* Truculentus ille Germanorum inimicus, & crudelis Catholici nominis perſecutor Ziſca morti vicinus militibus ſuis præcepit, ut poſt mortem ſuam cutem ſibi detraherent, eandemque in tympano quodam extenſam conſervarent, futurum enim eſſe prædixit, ut ſi Germani in actuali conflictu, ſonum ab hac Ziſcæ pelle formatum audirent, perterrefacti terga vertentes in turpem ſe fugam recipe-rent: *Ex corio meo tympanum facite? ſic Teuthones terga dabunt, Ziſcam in tympano formidantes.* Invictus prorſus & glorioſus bellator fuit noſter Bartholomæus Apoſtolus, qui adverſus Catholicæ fidei inimicos pugnavit, Regem Polymium vicit & convertit. Sæpè ſæpiùs cum Dæmonibus certavit, nunc Dæmonem Berich è templo pellendo, nunc in fugã agendo Aſtharot Idolum; nunc ad infernum deturbando eum qui opprimebat Regis Polymii filiam; nunc alium quendam cogendo, ut in forma nigerrimi Æthiopis manibus igneis, catenis vinctis compareret, eumque in deſertum quoddam velut in exilium uſque ad noviſſimum judicii diem condemnans; nunc Idolum Aſtyagis, quod Palac vocabatur, in terram proſternens, & in minutas partes diminuens atque conſtringens. Tandem verò Bartholomæus morti vicinus, poſtquam ſuum glorioſè ſuſtinuiſſet & ſuperaſſet martyrium, pellem ſuam fidelibus Chriſti poſt ſe reliquit, quaſi diceret: *Ex corio meo tympanum facite, ſic Dæmones terga dabunt, Barthomæum in tympano formidantes.* Nam ut Joſeph cognominatus Humilis ait: *Bartholomæus Idolorum inſaniam & noctem extinxit, Iure hoſtium corda vulneravit, Dæmonum per aera vagantium turmas percuſſit, Idolorum templa Solo adæquavit, & homines ipſos viventis Dei templa reddidit.* Verùm enimverò ô Sanctè & glorioſe Apoſtole, valdè heroicæ ſunt tuæ prærogativæ, atque ideò. *Te quidem laudationibus extollere vellem, ſed rerum multitudine confundor, & dictionis infirmitate opprimor. Neque quiſquam eſt, qui pro dignitate laudes tuas narrare valeat.*

Alex ab Alex. l. 4. cap. 14.

Æneas Sil. 3. com. de reb. geſt. Alphon. Reg. & de Bello Boem. lib. 40. & Fr. Bon. in triump. ſtig. S. Cathar. Senen. & Andr. Alciati emb. 170. Vincen. Belu. l. 9 c. 85.

Joſeph. Humil. apud Thr. de Truſ. in vita S. Bart. Idem ibid

SERMO VIGESIMUS SEPTIMUS
IN FESTO
GLORIOSI PATRIARCHÆ ET PATRIS
S. AUGUSTINI.

Quasi Sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei. Eccl. cap. 15.

1. MErita, prærogativæ & excellentiæ Magni Patris sancti Augustini, qui Legislator est Religiosorum, Confessorum gemma, Magister Theologorum, Doctorum Coriphæus, Norma Prælatorum, Nauclerus navis Petri, Dux militiæ Christianæ, Catholicæ veritatis Defensor, Splendor mundi, Gloria totius Africæ, & Sol universi, hujus inquam merita adeò sunt rara, heroica & eximia, ut si quis hoc sacro die eadem sermone celebrare præsumeret, comperturus esset protinus, quod sibi velut novello cuidam Tantalo de futura esset omnis ab arte perfecta sublimatio, quodque & immensitate dicendorum omnis ad laudem spectantis argumenti futurus esset plus quam mendicus. Nam velùti quidam è fulvo auro rutilans Apollo, vel tanquam immensi luminis pater aliud præter radios suos non admittit ornamentum, siquidem nulla est adeò conspicua claritas, quæ abs splendorum suorum reverberatione non obscuretur, nec aliqua reperibilis est obscuritas, quæ à fulgore ejus luminosa facta non splendescat. Et quemadmodum cœlestis firmamenti paludamentum omnem peregrinum & emendicatum ornatum penitus respuens, Solo gemmarum, id est, stellarum suarum ornatu contentum magnificè & pomposè superbit, ita excellentiæ & gloria sancti Augustini, quævis stylo artificioso accumulata laudum attributa contemnens obmutescere facit quasvis oratorum facundissimas linguas, & celeberrimæ famæ sonoras tubas raucas efficit vel taciturnas. Et sicut de Sole nonnemo dixit, quod is immensò lumine suo quodvis aliud lumen supprimit: ita gloriæ Augustini confundunt mentem, & cujusvis humani intellectus claritatem excessivo splendore suo obfuscant. Unde sicut venustissimus summeque admirabilis Planeta ille à Latinis *Sol* nominatur, eo quod *super omnia lucet*: ita quoque sanctus Augustinus ad habendam profundissimorum de sactatissima Triade conceptuum intelligentiam abundantius præ quævis alio Doctore lumen submini stravit, atque ideò manif. stata per illum reconditissimarum difficultatum & mysteriorum veritate, illi non minus quam Soli hæc debetur inscriptio: *Hinc procul umbræ.* Unde glorientur licet prætérita sæcula, & veluti præsenti memoria conservent Solis Colossum ab ingeniosissimo Lydio Lysippi discipulo Rhodis erectum, & ab universo mundo summo cum stupore celebratum, de quo proinde doctissimus Plinii calamus scriptum reliquit, quod *ante omnia in admiratione fuit Solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lydius Lysippi discipulus, cujus septuaginta erat cubitorum altitudo*: nam excellentius quid de sancto Augustino dici poterit, nulla enim reperibilis est lingua apta & idonea, ut eloquentiæ suæ stricta mensura meritorum suorum excellentiam & immensitatem adæquare possit, utpote quæ tanta est, ut ob eam noster hic Sol mysticus in stupendum quoddam evaserit prodigium. Quis igitur brevis enarrationis symmetria complecti poterit, heroicas ejus virtutes, qui quoad sanctitatem immensus quidam dici meretur gygas? Quis intra angustos artificiosæ cujusdem Rhetoricæ margines vel limites eum laudet Augustinum, ad cujus encomia celebranda, Verbum incarnatum linguam suam laxavit, divinaque labia sua aperuit, quando, ut

Philip. Picinel. in Mund. sym. l. 1. c. 5. D. Vinc. Ferer. ser. 3. Dom. 2. Adventi. Phillp. Picinel. ubi sup. Plin. l. 34. cap. 7.

Bea-

D. Hier. in vita S. Hilar.

Beatus Jordanus de Saxonia inquit, *Christum filium Salvatorem nostrum in carne videre & tangere, ac ejus pedes* Lavare meruit, & eum audire dicentem sibi: Magne Augustine, Filium *Dei in carne hodie videre meruisti*. Certè si Alexander, ut sanctus Hieronymus scribit, fortunatissimum Achillem esse censuit, eo quod Homerum operum suorum celebratorem & encomiasten habuerit: *Felicem te ô Achilles, qui magno frueris præcone meritorum.* Quidnam de Augustino dicemus, cujus gloria ab ipsomet Dei filio accepit præconia. Ac proinde ego qui Apelli minimè comparandus venio, magnum hunc Ecclesiæ Doctorem, qui Alexandro longe major est, effigiate sermonis mei penicillo minimè præsumo. Quomodo enim ego qui purgatas Aquilæ pupillas non habeo, sed instar avis cujusdam nocturnæ, vel cæcæ cujusdam talpæ admodum debiles, quomodo inquam in gloriarum suarum splendores firmos & minimè palpitantes oculorum obtutus figere potero? potiori certè jure cum Possidonio dicere potero: *Si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essem dignus aut sufficiens ad laudandum tantum Patrem & Doctorem, & tantum fidei relucentis illuminatorem.*

D. Possi. ad Marian. ap. Iordan. de Saxo. ser. 2. de S. P. Aug.

2. Unde idem mihi hodierna die eventurum esse prævideo, quod Memnonis statuæ accidisse, nescio an Poetæ fabulando confingant, an vero Historici pro certa veritate recenseant. Hæc namque licet ex invisibili quodam ac durissimo marmore fabricata fuerit, attamen quamprimum Sol lucidissimus in montanis Orientis elucescere incipiebat, ab ejus radiis collustrata, haud secus ac si spiritu quodam cœlesti animata fuisset, labia sua aperiebat, movebat linguam, spiritus ducebat, articulatas formabat voces in certum quoddam idioma deductas, edebat sonos, & verba syllabatim distinguens in admirabilem quendam prorumpebat sermocinandi rationem, adeò ut si ad illam audiendam non occurrerint saxa & lapides, saltem ad minus homines præ stupore nimio in saxa veluti conversi attoniti coram illa perstiterint. Etenim sive hoc ipsum vera sit historia, ut judicat Strabo, aut verò merum sit figmentum poeticum, ut Philostratus opinatur; ego saltem certissimam realitatem & veritatem esse experior, quod de magno Augustino locuturus, ex parte subjecti de quo nobis sermo erit, in talem rapiat præ nimio stupore mentis excessum & extasim, ut veluti

Euseb. Cas. Chr. an. Mundi 3580. apud Sim. Majol. col. 18.

Strabon. Philostr.

statua quædam immobilis sensibus saxeis, insensilibusque membris prædita obrigescere videar, nisi mysticus Sol noster, qui sanctæ Ecclesiæ hemisphærio superbe collucet, spiritus & artus meos revivificaret, voces que ac verba idonea suggereret. Sicut enim fuit qui sole occidente hanc gnomen ederet: *Langueſco Sole latente*, ita eodem denuo exoriente non immeritò subjungi posse censeo: *Vireſco sole Oriente*, quia *vita mihi denuo aderit.* Exurgat igitur & reviviscat in me spiritus meus, atque ad tanti Patris gloriam sese fauces & voces meæ promptissimè adhibeant atque dilatent, dum in procinctu sum ut demonstrem, quod sanctus hic Doctor sicut Sol refulsit in Orientis aurora per radios doctrinæ, in meridiè per charitatis fervorem: in occasu denique per humilitatis profunditatem, ut vel sic Propheticum illud verificetur vaticinium: *Quasi Sol refulgens, sic Augustinus refulsit in templo Dei* Verum enimverò sicut Persæ, ut scribit Tertullianus, *solem in linteo depicto adorabant:* ita & vos dum ego discursum promissum exordior, pulcherrimum venustissimumque solem nostrum Augustinum in discursus præsentis tela depingendum cum attentione atque silentio ut veneremini, efflagito.

Eccles. c. 50

Tertul. c. 6. apol.

3. *Quasi Sol refulgens, &c.* Laudabilis est sanctæ Ecclesiæ consuetudo; quod ad exprimendas distinctius nonnullorum Sanctorum eximias qualitates, præclarum aliquod venerando eorundem nomini attribuatur laudis epithetum, Sic Joannes Antiochenus Chrysostomus sive os aureum dicitur, Basilius appellatur Magnus, Bernardus mellifluus, Gregorius Thaumaturgus. Quæ etiam cæremonia quoad magnum Patriarcham nostrum minimè neglecta fuit; Is enim quoad usque vixit, Augustini nomen præ se tulit, post mortem verè eidem aliud longe præclarius Aurelii nomen accessit, quod Solem interpretes significare docent. Cui conforme est quod Romæ nobilis quædam fuerit familia Aurelia dicta, quæ sub hoc nomine insigni illo gaudebat privilegio, ut sola esset è qua in templo Solis sacrorum perpetuus eligeretur Antistites. Unde eo ipso quo sanctissimo Patriarchæ nostro Aurelii nomen impositum fuit, patitet perspicuè declaratur, eum in sublimi sanctæ Ecclesiæ cælo, inter tot præclarorum Doctorum stellas, fulgidissimum quendam Solem esse. *Orbis lumen* (dicitur) *& magnus mundi Sol.* Et S. Remigius; *alii Doctores* compa-

Alex ab Alex. lib. 1. c. 9.

S. Ant. Flor p. 1. Abra fer. d S Th. A. fol 139 col. 3. D. Remig. in expos. Eul.

comparantur ſtellis, Auguſtinus Soli. Unde & de eo meritò dici poteſt: *Ex te cuncta decorem.*

4. Porro Sol in plagis Orientalibus exoritur & quaſi generoſus bellator luminoſæ claritatis chalybe obarmatus, dexteram quoque ſuam tadiorum ſuorũ ardore communit, ad expugnandos & profligandos è campo aereo ingentes & vaſtos tenebrarum exercitus: *Diſſipat.* Demum verò ſplendorum ſuorum facem ad mundi hujus hemiſphærium colluſtrandum exaltans *Oriens univerſum illuſtrat*: Ita quoque ſanctæ Dei Eccleſiæ Sol myſticus Auguſtinus doctrinæ ſuæ fulgentiſſimis radiis hæreſeon tenebras diſſipat, omneſque hæreticorum horrores in turpem fugam convertit: *Spirituali lumine Eccleſiam illuſtravit, ita ut nulla ſit caligo hæreſis, nulla nebula erroris, quam ille doctrinæ ſuæ ſplendore non depulerit.* Obmuteſcunt Fortunati, Manichæi quoque & Donatiſtæ declarantur convicti, hæreſes exſtirpat, annihilat errores, Hæreticos profligat. *Obmuteſcit Fortunatus, cedunt Manes & Donatus tantæ lucis radio: Deſtruxit hæreſes, errores repulit, hæreticos proſtravit.* Qui quidem propriſſimi ſunt ſolis effectus & operationes de quo dicitur: *Obſtantia ſolvit.*

Abrah. Bzov ubi ſupra.

In ſeq. ejuſ. in Præfat. Miſſæ ejuſd. D. Proſp. & Hornand. de Iac. atalor. Zimenez p. 1. c. 5. f. 11.

15. Sanctus Proſper aliique Scriptores peregregiè obſervarunt, quod eodem prorſus tempore quo in Britannia natus eſt hæreſiarcha Pelagius, natus quoque in Africa fuerit Patriarcha Auguſtinus 13. die Novembris anno poſt Chriſtum natum 357. Idque non ſine ſpeciali Dei providentia, quia *contra malum bonum eſt, contra mortem vita eſt.* Et ut ſcribit S. Gregorius: *Sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis.* Et quis eſt adeò rerum ignarus, qui neſciat, quod *contrariis contraria curentur*? Mox ut naſcuntur ſerpentes, fraxinus quoque frondes ſuas progerminat, quarum umbra quovis illis toxico venenoſior & nocivior eſſe noſcitur: *Mira natura benignitas, priuſquã ſerpens prodeat floret fraxinus, nec ante condita folia dimittit.* Eodẽ de quo Nabuchodonoſor natus eſt, qui ſacrum Dei templum deſolaturus erat, pariter natus eſt Cyrus idipſum ſuo tempore reædificaturus. Eodem menſe, ut ſcribit Caniſius, quo formata fuit Eva, poſt multa ſæcula *Deus Mariam Virginem condidit*, ut quod illa *percuſſit, hæc ſanaret.* Unde pari quoque ratione, quando in hunc mundum natus eſt Pelagius, qui bonam illius partem hæreſum ſuarum tenebris obtenebraturus erat, natus eſt etiam

Ecclſ. 33. D. Greg. hom. 32. in Evang. Plin. l. 16. cap. 3. Vinc. Bellu. Sp. nat. l. 20. cap. 14. Sim. Majol. coll. 21. fol. 919.

Caniſ. l. de Deip. cap. 11.

Auguſtinus, ut luminoſis doctinæ ſuæ radiis eaſdem tenebras profligaret & diſſiparet; *contra malum bonum eſt.* Aſſerit idipſum S. Proſper dicens: *Eodem nimirum tempore, quo natus eſt in Britannia Pelagius hæreſiarcha ceu caligo quædam in tenebroſis illis regionibus exorta, natus eſt in Africa Aurelius Auguſtinus veluti clariſſimus Sol noctem illam erroris diſcutiens.* Et Aurelius Caſsiodorus ſubjungit: *Doctor eximius beatiſſimus Pater Auguſtinus debellator hæreticorum defenſor fidelium, decurrit tanquam fons puriſſimus, nulla face pollutus, & in integritate fidei perſeverans neſcit locum dare hæreticis.*

D. Proſp.

Aurel. Caſſiod. de Div. lect. c. 22.

6. Inter alios laudum titulos qui à S. Bernardo & univerſa Dei Eccleſia myſtico Soli noſtro Auguſtino attribuuntur, præ cæteris plura in ſe myſteria continet, quo *Malleus hæreticorum* glorioſe appellatur. Verum enimverò, cur non potius enſis vulnerans, haſta bellatrix, pungens lancea, ſcutum impenetrabile vel alterius cujuslibet armaturæ nomine appellatur, quæ militiæ conveniat? Reſponderi quidem poteſt, hoc quod malleus inſtrumentum quoddam ſit ferri duritiam vincens, illudque à rubigine liberans, & in quamlibet partem pro libitu contorquens & volvens. Unde cum hac Epigraphe nonnemo emblema formavit: *Dant ictus formam* Hæretici erant veluti ferrum in hæreſi induratum: at verò Auguſtinus doctrinæ ſuæ malleo duritiam ipſorum devicit eorumque mentes ab hæreſeos rubigine purificavit, atque ad Catholicæ fidei ſacra dogmata detorſit & inclinavit, cumque ab Evangelica lege difformes eſſent, Chriſtianorum & Catholicorum illis formam impreſsit. *Malleus hæreticorum* Affirmant nonnulli ſcriptores in Nilo flumine piſcem quendam reperiri, cui nomen hyppopotamus, cujus ſquamæ adeò ſunt duræ, ut à quovis enſe, haſta vel ferro, quantumvis acuto, impenetrabiles eſſe comperiantur, ac proinde regionum illarum Incolæ hanc inventionem excogitarunt, ut Malleo ſquamas piſcium concutiant, eiſdemque hoc inſtrumento confractis & diviſis hyppopotamus eorum poteſtati ſe dedit: *Tanta duritiæ eſt, ut nullo jaculo penetretur, ſed neceſſe eſt, ut malleis ferreis perimatur, quia vix aut nunquam moriretur. Petr. Bercor.* Porrò ad dirumpendas hæreticorum duriſsimas ſquamas, tot præclariſsimorum Doctorum eo tempore ſcribentium & prædicantium enſes, haſtæ, lanceæ, minimè ſufficiebant, ac proinde opus fuit Auguſtini malleo, *Malleus hæreticorum.* Malleus inſtrumentum quoddam eſt,

D. Bern. ſerm. 8. Cant.

est, quo omnia arma bellica fabricari solent, ac proinde sacri Doctores infidelium gregem aggressuri, si enses quæstionum, articulorum hastas, lanceas argumentorum, responsionum scuta fabricare volebant, prout fecere Thomæ Angelici, Seraphici Bonaventuræ, subtiles Scoti, Egidii, Argitinenses, Ariminenses, & alii similes Scriptores, semper malleo sive doctrina Augustini utebantur. Monoceros cum feris inimicis suis dimicaturus, hastam corni sui quod fronte gestat, ad petram quandam exacuit: Sacri Theologi disputationes, advetsus Catholicæ fidei inimicos habituri, doctrinam suam ad stabilem Augustini petram exacuerunt & elimarunt, & quidem in specie speculativa Angelici Doctoris opera nunquam sufficienter celebrata, si legeritis, invenietis quemlibet ejus articulum malleo doctrinæ Patris nostri corroboratum & authenticatum.

Pier. Valer. apud Laur. Zam in conc. S. Marci. in probe. fol. 406.

Theolog.

7. Postquam Persarum Rex Cyrus sacrum Dei Templum reædificasset, magnam instituit solemnitatem, Sacerdotes namque tubas insonando, Levitæ movendo cymbala, alii verò sacras Laudes decantando; divinam Creatoris Majestatem glorificabant: *Fundato Templo Domini, Steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Levitæ in cymbalis, ut laudarent Deum.* Sed quomodo idipsum fecerunt? *Per manus David.* At verò si Musica hæc instrumenta à Sacerdotibus & Levitis propriæ manus plectro tangebantur, quomodo Scriptura dicere potest, id factum esse *Per manus David*, & quidem cùm David antecedenter tanto tempore ex hac vita in alteram transmigrarit, quomodo fieri potuit, quod Sacerdotes & Levitæ *cum tubis & cymbalis laudarint Deum, per manus David?* Fieri id hoc modo potuit, Psalmi namque & Hymni qui cantabantur, Regia Davidis manu scripti & compositi erant, & hoc sensu dicebantur laudare Deum *per manus David.* Potrò idem encomium doctrinæ à sacris aliis Scriptoribus traditæ, dari potest, quod scilicet, tametsi ab iis scripta sit, tradita tamen fuerit *per manus Augustini*, quia quicquid scripserunt, docuerunt vel prædicarunt adversum Hæreticos, totum hoc fuit Theologia Augustini: *per manus Augustini*: Si disputarunt, si libros scripserunt, idipsum *per manus Augustini* fecerunt, ac proinde celebrent licet alii Vulcani malleum, eò quod Cupidinis sagittas, armaturam Martis & fulmina Jovis eodem malleo fabricarit; longè attamen majori jure Sancta Dei Ecclesia doctrinæ Augustinianæ malleum honorat, quo tot præclari Theologi, etsi fuerunt ut fulmina, fabricarent, quibus sternerentur & profligarentur Hæretici: *Malleus Hæreticorum, per manus Augustini*: Et quidem, ne à proposita mihi Solis metaphora procul discedam, dicam cum sancto Remigio. *Alii Doctores comparantur stellis, Augustinus Soli, nam sicut stellæ lumen à Sole recipiunt, sic omnes Doctores Sapientiæ lumen recipiunt ab Augustino.* Ut igitur doctrinam ejus addiscant, atque ab hoc Sole illuminentur, non solùm Hæretici, sed & totum universum in ejus se discipulatum recipit.

Esdræ l. 1. c. 3. v. 10.

D. Rem. in expos. P. S. apud Iord. de Saxon. ser. 2. de D. P. Aug. & in num. ser. 130. f. 108. f. 2. A.

8. *Malleus Hæreticorum:* Nemo utique ex sacræ Scripturæ Professoribus inficiari poterit, quin revelationes à sanctis Prophetis traditæ, eventus quosdam in se contineant, successu temporis seriatim verificandos, ex omnibus unam invenio ab Ezechiele Propheta descriptum, non minus mysteriis quàm stupore turgidam, attente velim eandem auscultetis: *Et ecce*, inquit sacer Textus, *Vir cujus species erat quasi species æris, & in manus ejus funiculus lineus, & calamus mensuræ, & mensus est.* Hanc autem revelationem de sancto Patriarcha nostro Augustino intelligendam esse, deprehendemus, si singula revelationis verba nonnihil examinaverimus. Dicit igitur: *Et ecce vir*; Non dicit *Et ecce homo*, quia sicut homo *dicitur ab humo*, ita *vir denominatur à virtute*: Unde Rupertus Abbas Tuitiensis ait: *Virum dicens veram cum integritate virtutis exprimit naturam hominis.* Cùm igitur Augustinus inter omnes virtute præditos homines primatum teneat, meritò ipsi hic titulus, *Vir* per antonomasiam debetur. Sequitur deinde: *Cujus aspectus erat quasi species æris*; Quasi diceret, habebat faciem æneam veluti Africanus qualis Augustinus erat, unde Propheta dum dicit, *Et ecce vir cujus erat species quasi species æris*, figurate locutus fuit, quasi clarius dixisset: *Et ecce Augustinus.* In manu sua funiculum tenebat repræsentantem sacrum Evangelium: *funiculus lineus in manu ejus.* In altera verò doctrinæ suæ ferebat calamum, *& calamus mensuræ.* At verò quid faciebat? *Mensus est.* Quid verò metiebatur? pulchram sanctæ Ecclesiæ fabricam, quæ *est congregatio fidelium*, ut videret, num fortè in parietibus aliqua se proderet *petra scandali*, vel saxum hæreticale, quod Catholicæ fidei sacra dogmata prætergradiens, eleganti huic fabricæ minaretur ruinam: inveniens autem nonnulla è saxis extra ordinem posita esse, nec con-

Ezechi. c. 40.

Rup. Abb. apud Frat. Men. in 1. Reg. c. 1. n. 1. adnot. 4 ser. 3. n. 15. B.

formia esse justæ Evangelii mensuræ, suæque doctrinæ calamo, Theologiæ suæ malleo, argumentando & disputando, vel reprimeret ut æquaret, vel frangeret, ut convinceret. Accidit idipsum minoris Pelagianorum, Donatistarum, Manichæorum, Faustorum, Fortunatorum, aliorumque similium petris & saxis, ac proinde Ecclesia idipsum reverenter recognoscens eum appellat *Firmamentum Ecclesiæ*, & *malleum Hæreticorum*. Etenim quicquid hactenus dictum fuit, speculationem refert sancti nostri Archiepiscopi Valentini Thomæ de Villa Nova dicentis. [Mensus est omnes ædificii partes, egredientes enim lapides & extrusos malleo æquabat, faciens omnium fidelium corda concordare funiculo doctrinæ Catholicæ & Evangelicæ. Augustinus gladio spiritus flamma fidei Hæreticorum monstra de medio tulit. Quis ita defendit fidem ut Augustinus? quis tot libros composuit contra Hæreticos, ut Augustinus? Quis disserendo, prædicando, scribendo, convictos ab Ecclesia Hæreticos expulit, Augustinus? Firmam Ecclesiæ columnam! O magnum fidei propugnaculum! meritò igitur ab Ecclesia malleus Hæretiorum est nuncupatus.

S. Th. à Villa in Con. D. P. Aug.

9. Omnes Doctores lux appellantur: *Vos estis lux mundi*, & meritò quidem, quia mentes ignorantiæ tenebris adumbratas illuminant, ac proinde cùm sanctus Augustinus veluti Sol quidam mysticus omnibus aliis lumen præbuerit, meritò *lux Doctorum* appellatur. Idipsum Deus Zachariæ Prophetæ Angelo mediante insinuare voluisse videtur, quando elata voce eum à somno recitans eidem dixit: *Quid tu vides?* Ipse autem accuratè observabat & videbat candelabrum quoddam aureum ex solido auro fusum. *Vidi & ecce candelabrum aureum totum & septem lucernæ ejus super illud*, visa autem in specie fuit *lampas ejus super caput ipsius*. Postea verò subdit, quod septem lucernæ *habent septem infusoria*, singulæ singula, cujus virtute accensæ erant, lumenque edebant. Nonnulli Scriptorēs per hoc candelabrum magnum Patrem nostrum repræsentare volunt, præcipuè verò sanctus Vincentius Ferrerius. Aurum etenim perfectionem ejus denotat. Lumen verò quod est super caput ejus, sapientiam suam demonstrat: *Lampas ejus scilicet sapientia super caput ejus*, exponit Ferrerius *Septem lucernæ sunt virtutes septem peccatis mortalibus expositæ*: Septem lucernæ ejus, id est septem virtutes quas habuit contra septem peccata mortalia: vel per septem lucernas aut lampades intelligi possunt omnes Doctores, quorum quilibet *habet infusorium*, id est, illuminandi virtutem recipit ex doctrina candelabri, id est sancti Augustini, vel etiam ex lampade capitis, id est ex præstantissimo ejus ingenio, & hæc *non habet infusorium*, quia illuminandi virtutem non ab alio Doctore recipit, cùm de ipso dicatur ab Ecclesia, quod *Quicquid in scientiis nullo tradente concipit*. Et sanctus Vincentius subjungit: *Cùm adhuc esset puer fuit ita subtilis & ingeniosus, quod per se sine Magistro didicit septem artes liberales*. Unde de ipso dici potest, quod de Sole nonnemo pronunciavit, *per se fulget*: Vel *non mutata luce*: & sicut Sol omnia objecta terrena de cœlo illuminat: ita Augustinus aureum cœli sanctæ Ecclesiæ candelabrum intellectus sui lampade (*lampas super caput ejus*) omnium aliorum Doctorū & Theologorum S. Ecclesiæ lampadibus doctrinæ suæ lumen distribuit, quo illis facilè redditur ut vincere & convincere eos possunt, qui veritati fidei Evangelicæ contradicentes Ecclesiam infestant: *Alii Doctores dicuntur lucernæ, nemo accendit lucernam: Augustt candelabrum, quia audeo dicere, quod omnes Doctores, qui venerunt post eum, sustentantur super ejus doctrinam sanctam, puram, Catholicam auri purissimi, sine errore falsarum opinionum*. Porrò quicquid sit de opinione Xenophontis & Arnobii, qui stellas è montibus nasci crediderunt, certissima est veritas, quod è librorum Augustinianorum montibus (de quibus S. Prosper scripsit dicens: *Libri ejus innumerabiles sunt*) tot processerint & propagati fuerint præstantissimi Doctores, de quibus dicitur & porrò deinceps dici poterit, quod *fulgebūt quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Unde reapse illā Philosophi sententiam in effectum deduxit, qua dicitur *Sol & homo generant hominem*, unus videlicet quoad esse naturale, alter verò id est Sol mysticus Augustinus quoad esse doctrinale, ut hac ratione fœlices ejus partus veræ Theologiæ suæ lumine instructi & qualificati deinceps adversus S. Ecclesiæ hostes præliari, gloriosamque de iis victoriam reportare libere possint.

In hymn. ejusd.

D. Vin. Fee ubi supar.

Idemibid.

Zach. c. 4. n. 2.

D. Vinc. Fer. ser. de D. P. Aug.

D. Prosp. l. de vita contempl.

Arist.

10. Non est nobis hoc loco prætereundum id, quod de miraculoso ejus corde Scriptores referunt. Etenim Sigisbertus Episcopus Lugdunensis in Gallia utpote S. Patriarchæ nostro vehementer devotus à Deo instanter postulavit quandam magni Patriarchæ reliquiam sibi impartiri, dumque orationi intentus esset, Angelus

gelus Domini de cœlo descendens coram ipso apparuit & Reliquiarium quoddam ex auto & chrystallo affabre confectum eidem attulit, in quo Cor. S. Patris Augustini reverenter asservabatur. His autem verbis S. Episcopum alloqui cœpit, ego sum Augustini Custos Angelus cui eo morienti universorum Dominus præcepit, ut illud ab ejus pectore exemptum inalterabile conservarem, utpote quo adeò ardenter Deum amaverat, ab omni deinceps putrefactione immune esse voluit. Cùm igitur tuas orationes perceperim, eximium hoc munus tuæ devotioni consigno, idque tam suo quàm meo nomine, ac proinde *surge & accipe*. Ehem quàta erat hujus sancti Pastoris lætitia, quando tam insigni reliquia se cælitus locupletatum esse conspexit! cujus equidem lætitiæ evidens testimonium edidit, quando mox post receptas sacratissimi hujus cordis reliquias, universum Clerũ convocavit, easdemque reliquias solemnem illum hymnum *Te Deum laudamus* decantando, in Cathedralem suam Ecclesiam processionaliter collocavit, cumque ad illa verba *Sanctus, Sanctus, Sanctus* devote decantanda pervenisset, sacratissimum Augustini cor adeò movebatur, ut haud secus ac si vivum fuisset saltando exsilierit, jubilarit, exaltarit. Enim verò magis admirandum est, quod quanto tempore sacratissima hæc reliquia in hac Basilica subsistit, Hæreticorum nullus pedem suum ei inferre præsumpserit, sin verò temerario quodam ausu quispiam in illam ingredi violenter præsumpsisset, se inde non minori cum violentia abactos atque repulsos recipere denuò debuerint. si verò demum virtuti divinæ in illos agendi perfida, quadam temeritate sese dedita opera & violento adhibitu conatu resistere ausi fuissent, invisibili quadam vi prostrati & velut mortui in terram prolapsi fuerint: *Nunquam Ecclesia, in qua erat cor sancti Patris Augustini, Hæretici hominis ingressum passa, qui autem in vestibulo non caderet, intus occumberet.* Ut proinde sanctissimum Augustini cor scutum quoddam & fortalitium fuerit, quo sancta Ecclesia non minus custodiebatur ab Hæreticis, quàm defendi potuerit olim civitas Trojana per Palladis simulachrum, fuitque simile scuto illi, quod tempore Numæ Pompilii in senatum Romanum de cœlo decidit, quod ad Martillum militem spectare dicebatur, qui ab eodem protegbatur ab inimicis suis in bello, nec non à naufragiis in mari: *Cùm premereraque Solo, cùm premereraque salo*: De corde namque Augustini dicitur. *Cor Divi Patris Augustini est eximius thesaurus, sanctissimæ Trinitatis Clenodium pretiosum & Ecclesiæ fortalitium.*

Petr. de Valder. ser. 2. d. Ob Aug. fol. 8. c. 1.

Andr. Alciat.

11. Catholicæ fidei inimicos dissipare adeò S. Augustino proprium est, ut divina disponente voluntate ejus Religio futura sit, quamdiu præsens hic duraturus est mundus, ut in novissimis diebus adversus impiissimum Antichristum ejusque sequaces prælietur & dimicet, atque veluti scutum forte omnium Hæreticorum fastum retundat, eorumq; perfidiam & falsitatem fidem Catholicam defendendo prosternat. Portò veritatem hanc oculo prophetico Joachimus Abbas diu ante prævidit, dum ait: *Surget Ordo qui videtur novus & non est: induti nigris vestibus desuper accincti zona pellicea: Hi crescent & fama eorum divulgabitur, & prædicabunt fidem quam defendent usque ad consummationem sæculi in spiritu & virtute Eliæ.* Enimverò cujus ordinis Zelosi hi Religiosi erunt? nunquid audistis *induti nigris vestibus, desuper accincti zona pellicea.* Expressius: *Hic erit Ordo Eremitarum imitantium vitam Angelorum, quorum vita erit quasi ignis ardens in amore & zelo Dei ad constituendum spinas & tribulos, hoc est ad consummandum pernitiosam vitam pravorum.* Ecce tibi primum Solis effectum scilic. quod doctrinæ suæ radiis Hæreticorum tenebras & hæresum horrores & dispellat & profliget.

Ioachim Abbas in Apoc. c. 14 f. 176. col. 1 & D. Ant. Floren apud Pet. Herez.

12. De Sole nuper excogitatum est hoc emblema, quo referebatur splendoribus suis veluti crystallum quoddam percutiens & illuminans, quod demum per reflexum suum in stupã directum, eandemqu reverberans incendebat, cui hæc subdebatur Epigraphe: *Vnius splendor, incendium alterius*: Vel *mortificat & vivificat.* Portò præterquam Augustinus Hæreticos mortificaverit, abditissima insuper & obscurissima sacræ Scripturæ loca scientiæ suæ lumine illuminavit, & vivificavit. Etenim in Exodo habemus, quod Manna ante exortum Solis collectum, commestibile minimè fuerit, neque Israelitarum gusti proportionatum. Sol autem exoriens radiis suis adeò efficaciter disponebat, ut cujuslibet gustui suave esse videretur: *Cùmque incaluisset Sol, liquefiebat.* Sacra Scriptura magnam habet cum Manna similitudinem, siquidem omnis saporis suavitatem in se continet, adeò ut in ea quilibet inveniat cibum inclinationis suæ gustui convenientem, dicíque proinde-

Scipio Bargagli

Exod. c. 16. Abul. ibid. q. 111.

Hym. D. Amb. & Aug.

Hieron. Roma in 1. Cron. c. 35.

proinde de ea possit ; quod *sit omnibus omnia*. Hæc autem priusquam mysticus Sol Augustinus nasceretur dura , id est, ad intelligendum difficilis erat, ut proinde eum audientes dicerent: *Durus est hic sermo , & quis potest eum audire?* Id est juxta Chrysostomi expositionem *difficulter susceptibilis, superexcedens eorum imbecillitatem.* Verùm enimverò postquam Sol noster Augustinus ingenii & scientiæ suæ radiis lumen veramque Scripturæ intelligentiam nobis subministravit, eadem facta est omnibus suavis clara, & intelligibilis. O quam id benè intellexit S. Valentinus Ecclesiæ Archiepiscopus , cùm ait: *Fides enim erat quodammodo adumbrata, non solùm erroribus Hæreticorum, sed etiam verbis & eloquentia Catholicorum, quibus magis cura fuit cultè & ornatè quàm distinctè loqui ; ac proinde quod in qualibet fidei materia sentiendum esset, non tam erat in aperto, sed Augustinus primus capit Catholicas veritates enucleare, & ad scholasticam formam redigere, docens , quod in quolibet fidei mysterio sentiendum, quid ad objecta respondendum esset.*

Ioan. 6. v. 16. D. Chrys. in Cat. D. Thom. ib. f. 298. col. 4.

S. Th. à. Villa in con. D. P. Aug. Pet. Blessen. t. 12. Bibl. vet. PP. f. 884. 885.

13. S. Joannes Evangelista Deum vidit in Throno gloriosæ Majestatis suæ sedentem , atque in dextera librum quendam tenentem scriptum tam intus quàm foris. *Et vidi in dextra sedentis in throno librum scriptum , intus & foris signatum sigillis septem.* Porrò per hunc librum sacri Expositores Scripturam intelligunt ; & præcipuè quidem Thomas de Villa Nova cùm ait : *Liber iste est Scriptura sacra scriptus intus propter mysticos sensus, foris propter literalem, signatus septem sigillis*, id est, septem excellentiis in Scriptura contentis, quæ sunt : *Sententiarum profunditas , sensuum multiplicitas , figurarum varietas, rerum incomprehensibilitas , mysteriorum obscuritas, Tropologiarum suavitas , infallibilis veritas.* Ecquis autem librum hunc aperire præsumet eundem declarando, verisque expositionibus illustrando? *Quis est dignus aperire librum, & solvere septem signacula ejus?* Ecce tibi in promptu responsum : *Nemo inventus est neque in cœlo, neque in terra.* Itane? ergone ne vel unum invenire possibile fuit? audite Joannem qui subdit: *Et vidi in medio seniorum Agnum stantem.* Sed quid facientem? *Accepit de dextra sedentis in Throno librum* , & apperuit, *& cùm aperuisset &c.* Hic igitur Agnus est, qui librum aperuit. O quam benè ! Seniores sunt sanctæ Ecclesiæ Theologi : In quorum medio Agnus quidam stetit , quis autem est hic Agnus? Agnus hic sanctum denotat Augustinum; hic librum aperuit, doctrinæ suæ lumine enim illustravit, eumque tot gemmis, pretiosisque monilibus, quot in eum characteres scripsit, locupletavit. Et quidem idipsum sanctus quoque Anselmus insinuare voluisse videtur , quando dixit *Hic est Augustinus quem Dominus cælitus erudivit , & in toto orbe terrarum Legis Doctorem & Legiferum Principem fecit, & dedit ei claves solvendi librum atque aperiendi.* Congruè igitur magno Patri Augustino applicari potest ingeniosum hoc Epithaphium , *qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit*, id est, *qui duo.* sci licet novum & vetus Testamentum, *septem*, id est septem artes liberales : *qui totum scibile scivit*, quia nulla unquam fuit sapientiæ aut scientiæ professio , quam non intellexerit aut docuerit, quamque tanquam profundissimus Magister facilitate & claritate sua non illustrarit : Illaque doctrina, quæ Theologiæ suæ radiis nunquam fuit illustrata dicere potest , quod solare horologium Soli, nimirum: *ni aspicit , non aspicior.* Etenim incredibile est quantum Augustini calamus scripserit, sive in favorem Catholicorum, sive in fidei defensionem , sive ad Scripturam explicandam, sive ad docendas scientias, sive ad profligendum infideles , sive denique ad Hæreticos confundendos ; quod S. Valentinus Archiepiscopus cum stupore considerans dicebat: *Est mirum de hoc Pontifice quod tantam librorum congeriem scripserit: Quando obsecro meditabatur, quod dictabat? Quando meditata dictabat ? Quando meditata dictata populo publicè proponebat? Quando recitabat , quando dormiebat, quando comedebat , quando populum super negotia judicabat, quando officia particularia exercebat?* Demum verò concludit, quod si hodie homo aliquis nasceretur, qui opera ejus sine intermissione legere inciperet, is talis legendi finem facturus non esset, quantumvis longam vitam viveret : *Vix diuturna unius hominis vita (nimirum tamen quidem est) sufficit ad eosdem legendos, & valuit ipse inter tot negotia ad eosdem scribendos.* Unde Theodolphus Taurinensis Episcopus subjungit,

Apoc. 5. Beda Euseb. Hilar. Hier. Orig. Rup. Ab. S. Th. à Villa nova. conc. de B V. M. f. 334

S. Th. à Vill. in con. D. P. Aug. S. Prosp. de vit contempl. t. 3. cap. 31.

Mentitur qui te totum legisse fatetur,
Aut quis cuncta tua lector habere potest.
Namque voluminibus mille Augustine refulget,
Testantur libri quod loquor ipse tui

Theodul. Episc. Taurinen. t. 9. Bibl. vet. P. P. f. 645. col. 1. B.

Quamvis

Quamvis multorum placeant volumina, libris
Si Augustinus adest, sufficit ipse tibi.

14. Nequeo O optimi Auditores, ulterius progredi, nisi prius subsistam ad admirandum dexteræ sanctissimi Patris nostri digitum pollicem: digitum qui tot chartas atramento rigavit, tot volumina implevit, tot libros scripsit: Digitum à Deo datum: digitum unde majora Theologiæ flumina scaturierunt, quàm è pede Equi Pelagii emanarunt, aquarum Poëticarum rivi: Digitum, qui sustentaculum est fidei, sapientiæ clavis, lingua Evangelii, verbi scripti Interpres, Secretarius denique sanctissimæ Trinitatis. Etenim si Cardinali Damiano de digito Doctoris Angelici dicere licuit *Factus est Magister Mundi*, majori utique jure de Augustini digito dicere licebit, *Factus est Magister universi*. Refert Plinius statuæ Solis pollicem machinam quandam (uti à Catete dicitur) adeo vastam fuisse, ut unius hominis brachiis difficulter potuerit circumdari: *Pauci pollicem ejus amplectuntur, majores sunt digiti, quam pleraque statuæ*. Etenim quis unquam digitus assequi poterit magnitudinem digiti sancti Augustini, si loquamur *de magnitudine, sive de quantitate virtutis?* Digiti nimirum, de quo hæretici confusi & profligati replicare possunt, quod olim dixere malefici Pharaonis, *Digitus Dei est hic*. Digiti inquam, qui immortalitatis auro deaurati merentur, plusquam capilli Paulæ, quos Nero deauratos procurabat. Scio equidem, quod si Alexander Magnus hanc nostram vixisset ætatem, in scrinio opulentissimo, quale inter Cyri spolia inveniri potuisset, collocaturus fuisset loco Iliadis Homeri præstantissimum pollicem Augustini. Ac proinde fœliciſſimam te merito pronuncio civitatem Montis Ilcini in Tuscia, cujus depositio Deus monile adeo pretiosum, imo thesaurum opulentissimum, qui in sanctæ Ecclesiæ ærario reperiri uspiam potest, consignavit, nimirum digitum sanctissimi hujus Patris, de quo loquimur. Et quidem meritissimo jure is tibi consignari debebat custodiendus, siquidem Mons Ilcinus olim à nonnullis Mons Lucinus dicebatur, quod semper ab humilitate terrena, & ignorantiæ tenebris fuerit alienus, ac proinde maxime idoneus in cujus vertice digitus hic resideret, ut Sol quotidie luminosi sui splendoris tributa penderet, contexerentque ei stellæ Coronam. Porro erectio digiti cujusdam, maximè dexteri pollicis, confirmatio est fidei inviolabilis, qua vobis O Incolæ Ilcinenses Augustinus se obstringit, futurum se in omnibus occurrentibus casibus fidelem vestrum apud DEUM protectorem. Videor itaque mihi videre Augustinum veluti novellum quendam Mercurium in vertice Montis dexteram extendentem, qua tibi veluti Deus quidam virtutis viam commonstret, non ut Athenas pervenias, sed ut ad gloriæ immortalitatem perducatis.

15. Duos præcipue Solis effectus experimur; lucem nimirum & calorem, eosque præcipue eo tempore persentiscimus, quo Sol est in meridie, unde natum est symbolum *è luce ardor*, vel, *hinc splendor & ardor*, cumque doctrinæ splendor talis fuerit, qualem hactenus à me descriptum audistis, charitatis suæ erga Deum & proximum fervor nequaquàm minor extitit. Lege divina nobis præcipitur, ut proximum nostrum sicut nosmetipsos diligamus, neque ulterius eum diligere obligamur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Veruntamen Augustini Charitas adeo fervens fuit, ut proximum suum, plusquam semetipsum dilexerit, non obstante quod sacra Theologia nos doceat, quod *homo ex charitate debet magis diligere seipsum, quam proximum*. Etenim Episcopus Hypponensis erat, quando ex publico Ecclesiæ umbone populo suo prædicans eximiæ charitatis fervore accensus, hisce eum verbis alloquebatur: *Quid volo, quid desidero, quid cupio, quare hic sedeo, quare loquor, quare vivo, nisi hac intentione, ut simul omnes in æternum vivamus? Cupiditas mea est; honor meus iste est, gaudium & possessio mea ista est*: Quasi diceret, nihil adeo in votis habeo, quam ut omnes simul salvaremur, & in Paradyso nos denuo revideremus, hæc summa est votorum, quæ à Deo exopto, quæque à vobis desidero. Advertendum tamen vobis est, quod si culpa vestra desiderium meum vanum redderetur, vos quidem animas vestras perderetis, meam autem ego salvabo: *Si me non audieritis, si tamen non tacuero, liberabo animam meam*. Verum audite quod sequitur: sed (O verba prorsus stupenda:) *Nolo esse salvus sine vobis*. Quasi diceret: O oviculæ meæ, tantus est, quo ego tanquam Pastor erga vos ferot, affectus, ut si Deus per suam gratiam salvare animam meam vellet, non vero vestram, responsurus utique ei essem, vel omnes, vel nullam salva, si enim

B. Petr. Damian. serm. 41.

Plin. l. 34. cap. 7.

Exod. 8. v. 19.

Matt. 22. n. 39.

D. Th. 22. q. 26. a. 4.

Ex S. Th. à villain conc. D. P. Aug.

Pollex dextera D. P. August. asservatur in monte Illicino Aetrur. civit. maxima cum veneratione in Templo PP. Erem. sub titulo D. Iacob. & Philipp.

si enim ovibus meis Paradysum donare renuis, eumque mihi soli dare intendis, pro hac gratia gratias tibi refero, nolo esse salvus sine vobis. Credo equidem Augustinum amore infatuatum esse, certum enim est eum per Charitatis excessum aliquod sibi adsciviſse delirium. An enim O Augustine, qui primogenius Theologiæ parens es, ignoras, quod *non debet homo propriam salutem prætermittere pro aliena?* vel quod *nemo tenetur, nec debet pro salute spirituali totius mundi, velle carere gratia & amicitia Dei?* Et du dicis, ac aperte protestatis: *Nolo esse salvus sine vobis?*

D. Th. in quodlib. q. 7. art. 1. f. 872. Idem. 1. 2. q. 26. a. 4.

16. Suspendatis velim O Auditores intentum sermonis Patris nostri, illudque certo cuidam casui, qui sancto Petro Apostolo evenit, applicate, hic enim dum in Monte Thabor quasi in quodam gloriæ Paradyso, abs Divinitatis splendoribus è Salvatoris vultu emicantibus & resplendentibus beatificatus consisteret, cælesti Magistro suo dixit: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Quasi dicere vellet, Domine ut hac præsenti gloria frui possimus, sit nobis perpetua in hoc monte commoratio. Etenim S. Marcus verba S. Petri observat, & non obstante quod is Magister ejus esset, eum imprudentiæ redarguit dicendo, *non enim sciebat quid diceret*, cui quoque opinioni S. Lucas adhæret cum ait: *nesciens quid diceret.* Verum dicat hic aliquis, quæ est hæc Evangelistarum in reprehendendo Petro temeritas? nunquid Apost. hic mundum desiderabat deserere? Domino suo adhærere? spiritualibus bonis frui? quid in his omnibus culpæ latet? respondet Abul. quod S. Petrus inter gloriæ splendores constitutus de semetipso solo sollicitus fuit, de aliis vero consodalibus nec non & Apostolis reliquis absentibus nequicquam curavit, *erravit Petrus, quia ab hac societate felicitatis excludebat reliquos discipulos; nam si in monte illo semper maneret, ipsi soli fruerentur gloria claritatis Christi & cæteri Apostoli nihil viderent, & hoc erat contra charitatem.* Idipsum quoque S. Paschasius confirmat qui S. Petrum hisce verbis alloquitur. *Bonum est nos hic esse: tane bonum existimas in gaudium Domini tui ingredi fratribus & subditis foris relictis? Nec enim aliquid cogitare de his videtur Petrus in quibus Charitas quam maxime commendabatur.* Dummodo Petrus bono illo frueretur parum curabat hujus in aliis jacturam, dummodo ille inclusus esset in gloria, parum curabat alios discipulos inde emanere exclusos, ac proinde *nesciebat quid diceret*, neque enim in iis verbis cernebatur Petri debita erga proximum dilectio, ac prinde bene de eo dicitur, quod erat *nesciens quid diceret.* Hoc igitur supposito clarè cognoscere possumus, quam fervens in S. Augustino charitas erga proximum & gregem suum exarserit, quando tanquam pastor eidem dicebat, *nolo esse salvus sine vobis*, nolebat Petri imitari imperfectionem, qui solus sine aliorum societate gloria frui voluit in monte, quia eadem gloria in Paradyso cum omnibus frui voluit, omnesque ejusdem gloriæ fieri participes desideravit, secus enim *Nolo esse salvus sine vobis.* Qua in re non multum dissimilis fuit Leoni nono, qui simul cum quibusdam suorum à Normannis incarceratus oblatam sibi libertatem recusavit, utpote aliis concaptivis denegatam: *Concesserè gratis abire Leonem, aliis vero sine pretio congruo non laxatis: sed ille suo de grege sollicitus noluit exire.* Ingentem profecto affectum demonstravit, veruntamen id quo se privabat, erat libertas quædam temporalis & corporalis, at vero Augustinus eligebat destitui vita spirituali & æterna Paradysi gloria: *Nolo esse salvus sine vobis.* O ingentes amoris excessus! O charitatem inauditam!

Matt. 17.

Abul. in Matt. ib. quæst. 73.

D. Pasch.

Leo Ostiens. l. 2. c. 8. f. 519. cap. 2.

17. Sanctus Petrus Chrysologus de Abrahæ Patriarchæ charitate, quam erga mendicum Lazarum eundem in sinu suo fovendo, exercebat, loquens inquit: *Parum se beatum credidit? si in ipsa æterna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio, & bonis frueretur divinis.* Quasi diceret: Gratum mihi esset, O Domine, si in hoc mundo diutius vivere possem, idque ex hoc unico duntaxat motivo, ut hac ratione hospitalitatis officiis operam dare possem, prout hactenus assiduè feci: Quod si autem mihi ex hac vita per mortem intervenientem migrare suoque tempore Paradysi gaudiis perfui præceperis, protestor quod mihi non videbor perfecte beatus, nisi patiter mihi concesseris, ut in actibus charitatis erga proximum tanquam pater pauperum & egenorum exercitare me possim: *Parum se beatum credidit &c.* Verum enimvero duas in hoc Chrysologi effato difficultates invenio: Primo enim non video erga quos Abraham in cælo exercere misericordiam posset, cum in cælo nullius rei sit egestas, nec ullæ locum habere possint miseriæ: *Non esurient, neque sitient amplius, neque dolor erit ultra.* Quin potius futura ibi sit omnis felicitatis abundantia. Forte erit qui respondeat Abrahamum ibi de lymbo locutum esse. Veruntamen nec hoc dici potest, quia in Lymbo nulla fruebatur beatitudine, ideoque si de Lymbo intelligendus esset, Chrysologus utique minime dicturus fuisset: *Parum se beatum credidit.*

D. Petr. Chrysol. ser. 121. fol. 425.

credidit. Secundo non video quomodo Chrysologus de Abraha dicere potuerit: *Parum se beatum credidit*. Beati namque Deum videndo, non possunt non esse summe beati, cum enim Deus sit quidam omnis boni epilogus, & objectum nostræ voluntatis, necessum est, ut Beati illum summo cum animi conatu diligant, indeque perfecta quædam beatitudo formaliter resultet, ad eum modum, quo quando potentia visiva bene est disposita, ipsumque objectum illuminatum est & visibile, illud non videre non potest. Quomodo igitur Chrysologus dicere potuit: *Parum se credidit esse beatum?* Clarius id edicam: adeo fervens erat ejus, ad præstanda egenis charitatis officia desiderium, ut si in cælo hoc suo fuisset desiderio frustratus, nequaquam se perfecte beatum censere potuisset: *Parum &c.* Et quidem observandum est, quod in casu suo ipsi subtrahenda fuisset omnis exercendæ erga proximum charitatis occasio, Abraham non fuisset recusaturus beatitudinem, sed solum se minus beatum existimasset: At vero S. Augustinus paratus fuisset ad hoc ut è Paradyso absolute & simpliciter excluderetur, privareturque totali beatitudine, ob ferventem erga proximos & gregem suum amoris dilectionem, ac proinde dicebat: *Nolo esse salvatus sine vobis*.

18. Nolo hoc loco referre quod domus ejus hospitale pauperum fuerit, quod inopes & egenos summa cum benevolentia receperit, iisdem victum subministrarit, de eorum quoque amictu sollicitus fuerit, imo nimia charitate accensus iisdem pedes sordidos lavarit; unde factum est, quod ipsiusmet Filii Dei incarnati pedes quoque abluere meruerit, qui in forma pauperis mendici stipem rogitando eum convenit, qui etiam sanctum Patrem nostrum tanto cum affectu ad pedes suos prostratum cernens, magnopere celebravit dicens: *Magne Pater Augustine hodie meruisti videre filium Dei in carne. Magne Pater.* At in quo adeo magnus extitit? In cunctis virtutibus, præcipue vero in charitate erga proximum. O igitur vere magnum Augustinum! O solem fulgidissimum! *Hinc splendor & ardor*.

19. Hugo Cardinalis circa capillos Magdalenæ quibus Redemptoris nostri pedes lachrymarum imbre humectatos absterserit, gravem quandam ponderationem instituit, dicens: *Maria Magdalena rigavit lachrymis pedes Domini, id est, compassa est pauperibus, & capillis suis tersit, hoc est, refrigerium attulit eis de suis superfluis*, Capillatura namque quædam est corporis superfluitas; quibus verbis inferre voluit, ipsam egenis atque pauperibus charitate suadente, iis succurrisse substantiis, quas sibi cognoscebat esse superfluas, at vero Augustinus ex charitatis suæ excessu mendicitati & egestati proximi sui subveniebat non adhibendo capillos, id est non impendendo illud quod sibi superfluum erat, sed utendo eo quod propriis erat usibus necessarium, suæque Episcopali mensæ debitum, tedditibus se Ecclesiasticis privando, ut Christi pauperibus subvenire posset: Unde ad tantam est egestatem redactus, ut nihil ei præter solum pauperibus aliquid ex solo Dei amore erogandi desiderium superfuerit, ac proinde vasa sacra aurea & argentea frangebat, eaque confracta particulatim erogabat pauperibus, ut eorum posset calamitatibus mederi: *Tanta benignitate fuit in pauperes, ut cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret ad eorum inopiam sustentandam*. Ad veram solis imitationem, qui veluti charitativus luminosos thesauros suos terræ necessitatibus impendit. *In festo S. P. Aug. 2. noct. lect. 2.*

20. Cum igitur tanta fuerit ejus erga proximum charitas, facile conjicere possumus longe majorem fuisse ejus erga Deum amorem. Nolo hoc loco recensere cor ejus amoris fulmine vulneratum fuisse: *Vulnerat verat charitas Christi cor ejus, & gestabat verba ejus in viscera bus, quasi sagittas acutas*. Et ut B. Jordanes de Saxonia scribit: *Quoties sancta Trinitas coram eo nominabatur, vel liber coram eo de Trinitate expandebatur, quasi vitaliter exultabat, cujus simile de nullo alio sancto dicitur*. Et insuper addit: *Singulis annis in festo Sanctissimæ Trinitatis cum Missa cantatur, & cor super altare ponitur, mox omnibus intuentibus se cor movere incipit, quasi pisces in aqua*. Verum dicat aliquis, quod si cor illud exanime Augustini vitam non habet, quomodo exercere poterit operationes vitales? Pro responsione sequens commodissime serviet historia: Etenim de Marco Antonio legitur, quod dum moribundus esset, jamque immobilis, sensibus omnibus amissis, cunctisque spiritibus vitalibus destitutus in lecto jaceret, per omnia corporis membra mortis pallore suffusus, vitaque ejus quæ in procinctu erat ad emigrandum, nihil præter solum auditum reliquum haberet, eumque mortuum potius quam vivum; attamen cum ex improviso amatum dilectæ Cleopatræ suæ nomen nominari audivisset, mox ipsi veluti in vitam denuo redeunti, pulsus & cordis arteriæ palpitare, omniaque membra denuo incalescere cæperunt, haud secus ac si nova ei vita superaccederet; unde omnes circumstantes ardentissimum quo erga Cleopatram fereba- *B. Iord. de Saxon. ser. 49. de Sanctis.* *Plut. in M. Ant. fol. c. 49.*

Hugo Card.

ferebatur amorem haud obscure conjecturabant. Unde cum similes quoque effectus in S. Augustini corde sese evidenter prodant, ex iis veluti minime obscuris argumentis conjicere possumus ardentissimum ejusdem erga Deum trium & unum charitatem.

21. Scio equidem quod Jacob amoris sui quo Rachelem deperibat, difficile & arduum specimen ediderit, quando nimirum lapidem quo puteus claudebatur levando sustulit, ad quem alias movendum omnium circumvicinorum pastorum vires conjunctæ requirebantur : *Hoc fuit propter amorem Rachelis consobrinæ suæ, cui complacere volebat*, inquit Abul. Simile quid David ex amore Michol adactus operatus fuit, quando in singulare cum Goliath gygante certamen descendit : *Pugnavit David non cupiditate honoris, sed amoris, ut eam quam amaverat in uxorem Regis filiam obtineret*. Verum enimvero licet hi ex impulsu amoris difficillimis conatibus consummandis sese accinxerint, magnus tamen Dei Propheta Moyses longe majora amoris specimina edidit, dum impossibilia tentavit, urgente eum ingenti illo quo erga populum suum ferebatur amore. Quando enim Deus commissum sibi populum propter commissam idololatriam castigare decreverat, hic vir Dei dixit: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro in quo scripsisti*. Impossibile erat ipsum è libro vitæ deinceps deleri aliquando posse, siquidem in eo spiritus erat, *simpliciter & absolute, & non secundum quid, vel ex gratia quam habebat hic & nunc, sed ex prædestinatione*. Amor enim impossibilitatem minime considerat : *Amor non recipit de impossibilitate solatium* : At vero Amor Augustini quo erga Deum ardebat, super omnem cujusvis amantis amorem triumphat. Id quod ex doctrina S. Th. clarè & perspicuè demonstratur. Quærit etenim hic S. Doctor, an quando Lucifer dixit : *Super solium Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo*, proprie desiderarit se Deum fieri posse? Et respondet, quod similem esse Deo, duobus modis considerari possit : *Vel quantum ad similitudinem, vel quantum ad æquiparantiam in entitate*. Lucifer se Deum esse desideravit primo modo, non vero secundo modo, quia hic erat impossibile : *Et contra naturale desiderium; Est enim unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam*. Unde reputatur impossibile, quod entitas aliqua *inferioris gradus & ordinis possit appetere superioris naturæ gradum*, quod utique fieret, si homo desideraret *per æquiparantiam* esse Angelus, aut Angelus cuperet esse Deus. Hac igitur doctrina fundamenti loco suppositâ, charitatis D. Augustini fabricam desuper ædificemus. Cum sanctus hic Patriarcha in Oratorio suo genuflexus coram Crucifixo subsisteret, divinam inde resonantem vocem audivit sibi dicentem : *Augustine amas me?* cui cum S. Petro confestim respondit : *Tu scis Domine, quia amo te*. Cumque Dominus iterata vice replicaret, *si amas me, quid faceres pro me?* stupendam omnino mox subintulit responsionem dicens : *Si ego forem Deus & tu Augustinus, omnino vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieres Deus*. Attendite obsecro Auditores, quidnam Augustinus facere voluerit in argumentum optimi affectus in Deum. Esse Deum est habere entitatem quandam immensam, illimitatam, & infinitam: Econtra vero esse Augustinum est habere entitatem quandam finitam & terminatam. *Nulla res*, inquit Angelicus, *quæ est in inferiori gradu naturæ, potest appetere superioris naturæ gradum*. Veruntamen Charitas S. Augustini tanta erat, ut promptum se atque paratum exhiberet ad faciendum pro Deo suo, ea quæ impossibilia erant; si quidem si fuisset *ordinis superioris & infiniti, id est, increati & Divini*, eligere volebat *sui non esse*, esseque suum Deo; si is Augustinus fuisset, dari sibi autem entitatem, *ordinis inferioris & finiti* vendicare, & ex creatore creatura fieri decreverat. Cum igitur impossibile sit, quod Angelus esse Dei appetere possit, hoc enim citra jacturam entitatis propriæ, licet finitæ fieri nequaquam posset, manifestè sequitur quod Charitas erga Deum, quæ ei sua sit relicta entitate increata & infinita, creatam & finitam sibi adscisceret, eum ad actiones quasdam adegerit, possibilitatis terminos excedentes & prorsus impossibiles: *Omnino vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieres Deus*.

22. Porrò Charitas in eo ardenter adeo fervebat, ut ne quicquam de Charitate habere sibi videretur. Unde continuo instantissime Domino, ut eam sibi concederet, & concessam adauger, supplicabat : O *Amor qui semper ferves, & nunquam tepescis, accende me, accendar inquam à te, ut totus diligam te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*. Non possum, nec debeo, nec volo aliquid præter te amare, aut certe si extra te quippiam diligam, in ordine ad te solum idipsum diligo : O *Amor qui semper ardes, & nun-*

Abul. 16.

Idem. Exod. 32. v. 31. v. 35. 27.

Apud cel. f. 297.

Apud Lanc. f. 257.

D. Thom. ubi supra.

Is. 14. v. 13.

D. Th. p. 1. q. 63. a. 3. f. 639. & 649. in corp.

In solilo. D. P. Aug. c. 19.

D. P.

D.P. Aug. in man. c. 101. *& nunquam extingueris, dulcis Christe, bone Iesu, accende me totum igne tuo, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma tuæ Charitatis vaporatus diligam te Dominum meum dulcissimum & pulcherrimum.* Etenim sicut is qui amat, in objecto amato vivere & mori vellet, ita quoque Augustinus dicere solebat, Inter Crucifixi Redemptoris mei brachia mihi vivere dulce erit, & mori suave: *Inter brachia alvatoris mei & vivere volo, & mori cupio.* At vero Auditores, natura ita nobis compararum esse scimus, ut quando Sol est in meridie, id est, in summo fervoris sui gradu, in quo Augustinum Solem mysticum jamjam constitutum esse diximus, viator sive peregrinus subsistere solet & quiescere; ideo quoque tempus nunc est, ut vos diu me auscultando defatigati, respirando quiescatis, ego vero loquendo lassatus, tacendo nonnihil subsistam, ut quod reliquum est laudum D. Augustini absolvere possim.

PARS SECUNDA.

23. Q*Vasi Sol refulgens* fuit in occasu per profunditatem humilitatis, quam eo quod adeo heroica sit valde obstupescebat Sanctus Archiepiscopus Valentinus, quia *Ardens ille suorum peccatorum historiam scripsit, quam alii solent gestorum suorum gloriosam historiam posteris in sui memoriam legendam relinquere.* An non enim inaudita humilitas fuit proprias manifestare imperfectiones, easque in libris descriptas publico omnium conspectui exponere, ut quilibet peccatorum suorum censores fiant & arbitri. Imo vero quod plus est: *Neque ambitiosus quisquam ita gloriam affectavit, sicut ille contemptum:* At vero quid Deus circa humilem hunc Dei virum disposuit? *Sed Deo disponente accidit illi, ut unde voluerat dejici, inde amplius laudaretur & verteretur in gloriam. Et quod disponebat ad sui dejectionem, & unde voluit fieri contemptibilis, fieret inde amplius admirabilis.*

& Thom. à Vill. in Con. D.P. Aug.

Idem ibid.

24. Magnus ille Pontifex Gregorius in Augustino nullam virtutem adeo admiratur, quemadmodum ejus humilitatem: *Vir iste magnus in virtutibus suis, mihi certe sublimis apparet etiam in peccatis suis. Merentur in eo qui volunt Castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis, ego non minus admiror confessionem humillimum peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum.* Porrò sæpenumero intra memetipsum causam investigavi, cur Deus hominem majorem non fecerit *secundùm quantitatem molis & virtutis*, quam ipsum etiamnum passim videmus: Nec videtur quæstio isthæc irrationabilis, siquidem certum sit, quod si illum condidisset majorem, ex hoc *fuisset major perfectio universi.* Præterea mundus qui hominis est habitaculum adeo vastus est & magnus, & incola ejus, homo videlicet adeo est parvus & pusillus, ut merito dici possit, quod *Locus non est proportionatus locato, & econtra.* Theodoretus Deum id ideo fecisse dicit, ut scil. hominis superbiam reprimeret: Cum enim in mundi exordio homines magni essent, fuissentque gyganteam proceritatem assecuti, in tantum animi fastus atque elatio in iis intumuit, ut turrim quandam ad ipsos usque cælos pertingentem fabricare conati sint, ut exinde cælum infestarent, Deumque inde expellerent. Potestne hac aliqua superbia major excogitari: *Per facile erat*, inquit Theodoretus, *ei, id est, Deo, etiam majores homines creare, sed ut superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet: non dedit hominibus maxima corpora.* Enimvero si id verum est, cur igitur Augustinum tantopere magnificavit, declarando & canonizando illum tanquam maximum inter omnes Sanctos, adeo ut illum per Antonomasiam magnum dici velit: *Magne Pater Augustine?*

D. Greg.

D. Theod. in Gen. c. 6. n. 8 f. 14. col. 1.

25. De Phidia legitur, eum ex petra quadam Jovis sculpsisse statuam, sed immensa proceritate & magnitudine constantem, nam licet eam in situatione sedentis effinxerit, adeo tamen alta & procera fuit, ut capitis vertice templi illius, in quo majoris venerationis causa collocata fuerat, fornices proxime contingeret. Vastum quidem & elegans opus istud à multis cum stupore visum fuit, nec tamen defuere qui opus illud tanquam inconcinnum carperent, & repræhenderent ob varios statuæ illius imperfectiones, tam sculpturam, quam artificem, dicentes statuam illam difformem esse ab omni proportionis symmetria, omnesque naturæ terminos, & artis limites excedere, cum enim sedens attingere possit supremam templi partem, utique si in pedes sese erexisset, totam templi machinam demolitus fuisset & invertisset. Quibus tamen id impossibile esse responsum fuit, quia cum sit statua lapidea, vel à tali situatione nunquam demovenda erat, vel potius tanquam corpus grave deorsum versus contendisset, siquidem *Omne grave tendit deorsum.* Mysticus Phidias Christus Redemptor noster,

Petr. de valde ser. 7. de Nat. S. Ioan. Bapt. fol. 243. col. 1.

noſter, magnam effecit, non jam Jovis ſtatuam, ſed Auguſtini perſonam: *Magne Pater Auguſtine*, quaſi diceret, vel ab hac poſitura magnitudinis non dimovebitur, aut vero ſi in aliquam partem ſit movenda, in humanitatis profunditatem utiq; contendet. Siquidem veriſſimum eſt quod Chryſologus aſſerit dicens: *Devotus animus infulis beneficiorum creſcit ad obſequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam proſilit, non ad ſuperbiam contumeſcit.* Unde Auguſtinus velut Sol myſticus ad humilitatis Antipodas ſemper inclinavit.

D. Petr. Chryſol. de Annun. B. V. M. ſer. 142. 488. in fine ſer.

26. Nequaquam Deus olim permittebat ut in ſacro Templo ſculptilia erigerentur, vel picturæ delinearentur Solem repræſentantes. Unde cum in templo Hieroſolymitano currus quidam eſſet in quem Solis ſtatua poſita erat, quæ in dextera ſpicarum manipulum, in ſiniſtra vero vas aqua plenum deferebat, pro quo curru trahendo Judææ Reges multos miſerant equos, de quibus Cajetanus dicit: *Fuerunt equi naturales adducti à regibus ad trahendum currum Solis.* Rex Joſias minimè ignorans quantopere Deus Solis ſimulachra in templo ſuo erecta abhorreret, currum illum una cum ſtatua & equis è templo amoveri, currumque igne comburi juſſit: *Abſtulit equos quos dederant Reges Iuda Soli in introitu Templi Domini ſubdit* Et Cajetanus ſubdit: *Currus ipſe ſubjungitur combuſtus, equi autem ablati*; ne ſcilicet Sol eo in loco, ubi verus adorari debebat Deus, venerationem aliquam haberet. Quia etiam Ægyptii Solis ſtatuam in templis ſuis conſervabant ſupra Crocodilum (qui aquæ ſymbolum refert) in navi collocatam veluti dictæ navis nauclerum, ideo Deus Nabuchodonoſori præcepit, ut ſtatuam illam in terram dejici & proſterni faceret, prouti Hieremias Propheta nobis recenſet: *Conteret ſtatuas domus Solis quæ ſunt in terra Ægypti.* Spectabatque hoc Dei mandatum eo duntaxat, ut nec Hebræi, nec Ægyptii ad Solem veluti Deum adorandum venerandumque converterentur. Id quod magis inde corroboratur, quod ſcilicet porta Templi Salomonis verſus orientem reſpexerit, idque duabus præcipuè de cauſis, primo ſcilicet ut mane in ortu ſuo templum radiis ſuis ingrediens, paulatim & pededentim altari approximaret, Deum adoraturus, eundemque verum creatorem ſuum agnituras. Secundo ut Hebræi Templum ingreſſi, & coram altari genua ſua flectentes, dorſum ſuum Soli obverterent, ad conteſtandum, quod Solem nequaquam tanquam Solem venerarentur aut recognoſcerent. Obſervandum autem eſt hoc loco Solem apud antiquos duobus modis repræſentatum fuiſſe. Ægyptii enim Solem ſupra Crocodilum quendam, qui aquæ ſymbolum eſt, & in navi mare ſulcante collocabant. Hebræi verò in curru per terram diſcurrente eundem ponere ſolebant, per hoc innuere volentes, Solem terræ matiſque Dominium obtinere. Pingebant quoque illum una manu ſpicas, altera verò vas aqua plenum portantem, ut per hoc agnoſceretur verus Deus, qui homini de omnibus proſpicit, quæ quotidianæ ejus ſuſtentationi ſunt neceſſaria. Verum enimvero nimia eſt hæc temeritas & præſumptio, inquit Deus, adſit igitur confeſtim Joſias Rex & ſuperbum hoc ſolis ſimulachrum una cum curru & equis è templo ejiciat & eliminet: *Abſtulit equos quos dederant Reges Iuda Soli in introitu Templi Domini*, Nabuchodonoſorem quoque Regem in Ægyptum ablegat, eique præcepit, ut *Conterat ſtatuas domus Solis quæ ſunt in terra Ægypti*, ut ſcilicet per hoc demonſtraret, quod Soli nullum in templo ſuo locum velit permittere: at verò ſi hæc ita ſe habeant, cur igitur deinceps permittit & vult, imo maximopere ſibi in eo complacet, quod in eodem templo inſtar veri ſolis cujuſdam myſtici comparetur Auguſtinus, imo ut idem Sanctus Patriarcha Aurelii titulo honoretur, qui idem ſignificat quod Sol, nec contradicit, ſi Solis titulo appelletur & inſigniatur: *Quaſi Sol refulgens, ſic iſte, id eſt, Auguſtinus refulſit in templo Dei.* Vere etenim Sol quidam eſt qui in dextera ſpicas, id eſt, panem, animæ ſcilicet ſuſtentationem, aquam verò doctrinæ in ſiniſtra defert: *Tu de verbis Salvatoris dulcem panem conficis*, ecce ſpicas & panem: *Et propinas potum vitæ de Pſalmorum nectare.* Ecce quoque aquam doctrinæ. Tanquam Sol Crocodilo inſidet qui ſymbolum eſt aquarum: id eſt, Lachrymarum affectuoſiſſimæ matris ſuæ Monicæ; & Naucleri Officio fungitur, dum Petri navim Eccleſiam ſcilicet doctrinæ ſuæ remo gubernat: *Tuam in hoc mari naviculam Auguſtinus providè gubernavit.* Et tamen Deus Solem hunc Auguſtinum in templo ſuo effulgeſcere permittit? Imo verò nec mirum, quia tametſi plus quam mille Soles reſplendeat, ob hoc tamen nequaquam effertur aut turgido faſtu extollitur, ut tanquam verus Sol haberi aut honorari velit. Imo uti dicimus, expreſſe proteſtatus eſt quod ſi ipſe Deus eſſet, paratus eſſet ad exuendam omnem Divinitatis excellentiam, noſtramque vilem

Cajet. 4. Reg. c. 3. v. 11.

4. Reg. 23. v. 11.

Cajet. ibid.

In Hymno ejuſdem.

In præf. Miſſa.

lem humanitatem amplectendam, ut Auguſtinus fiat. Quid igitur vobis, ô Auditores, videtur? Nunquid Auguſtinus Sol eſt ad humilitatis occaſum inclinans? *Quaſi Sol refulgens.*

27. Sol merito dicitur Auguſtinus, quia Sol apud Ægyptios ſapientiæ ſymbolum fuit. Quem proinde velut Emblema quoddam in ejus pectore depingi videmus, ſine ulla ſubnexa Epigraphe, quia Sol ſemetipſo ſatis enucleate loquitur, ſeque in vero ſapientiæ domicilio pectore ſcilicet S. Auguſtini eſſe reconditum.

SERMO VIGESIMUS OCTAVUS IN FESTO NATIVITATIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Liber Generationis Ieſu Chriſti, filii David, filii Abraham. Matth. cap. 1.

1. CErtiſſimum eſt, nec poteſt experientia cuipiam ſuggerere contrarium, quod opera ab omnipotentis dextera, ab illo inquam ſupremo artifice, qui infinita ſapientia ſua cuncta regit & gubernat, producta ſint ob inventionis raritatem ſingularia, ob artificium eximia, incomparabilia ob magnificentiã, & excellentiam glorioſa, celebria propter magiſterium, ob pulchritudinem ſumme admirabilia, quæ proinde expreſſæ ſe cauſæ cujuſdam omnipotentis, infinitæ, & immortalis veros naturales & legitimos partus eſſe conteſtantur: ac proinde mera vanitas ne dicam fatuitas futura eſſet, ſi quis illorum operũ præſtantiæ comparare vellet, vel Herculis columnas, vel Apellis lineas, vel Zeuxedis uvas, aut vela Parrhaſii, vel Androcidi tritones, aut Dædali ſtatuas, vel Dionis turres, vel Ptolomæi pyramides, aut Myrmidis quadrigas, vel denique Archimedis ſphæras. Licet enim hæc vera ſint artis miracula, mentiſque humanæ prodigioſi partus, ad naturæ invidiam elaborata, attamen ſi cum æterni & omnipotentis Factoris operibus comparentur, reſpectu vaſtiſſimæ hujus mundi machinæ totidem eſſe videntur puncta indiviſibilia, totidemque nocturnarum tenebrarum horrores, ſi illa ex oppoſito claritatis pulcherrimi Solis collocaveris. Nunquid enim quidam ſtuporis magnes, divinorumque prodigiorum miraculum eſt pulcher ille, opulentus & magnificus mundi globus, de quo S. Auguſtinus ſcribens affirmat: *Viſibilium omnium maximum eſt mundus.* In quo Cœlum & terra taliter inter ſe de pulchritudine certant, ut neſcias diſcernere, an cœlum novus quidam hortus ſit ex ſtellis floridus, an verò terra cœlum quoddam ſit ex floribus veluti ſtellis exornatum. Adhæc ſi opera ex mente docti Mirandulani tanto præclariora ſunt, quando *Conſiſtunt in eximia quadam & eleganti diverſarum partium diſpoſitione*, haud dubie inimitabiliter excellentia erant Dei opera, utpote producta *in numero, pondere, & menſura.* Conſiderate etenim ô Auditores & circumſpicite, quot elegantiæ in ampliſſima univerſi machina eluceant, quantum decorem in florido paludamento ſuo læta terra prodat, quantas divitias in humido ſinu ſuo ditiſſimus contineat oceanus, quanta bona ſive in cœleſtibus ſphætis lateant, vel in gyris ſublunaribus commorentur, quæ omnia auream regii Prophetæ eloquentiam imitando dicere videntur: *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine.* Opera inquam ſine numero, quæ per expreſſam licet mutam facundiam Divinæ magnificentiæ celebrant exceſſus: *Quia facit magna & incomprehenſibilia, & mirabilia quorũ non eſt numerus.*

D. P. *Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei c. 4. t. 5. f. 92. col. 2.* *Io. Fran. Pic. Mirand. de appet. primæ mat. l. 1. c. 3. f. 108.* *Pſal. 110. & 138.* *Ap. 15.* *Iob. c. 9. v. 16.*

2. Verum enimvero ſi verum eſt quod Philoſophi affirmant, nimirum quod *In unoquoque genere datur unum, quod eſt primũ, cauſa & menſura cæterorum*, velut inter odores balſamum, Roſa inter flores, inter arbores Cypreſſus, Leo inter

Ariſt. 10. Metaph.

inter quadrupedia, inter volucres aquila, Adamas inter gemmas, margarita inter monilia, inter metalla aurum, ignis inter elementa, inter animalia homo, Sol inter planetas, inter Cœlos Empyreum, inter Angelos Seraphim, & sic deinceps, si inquam principium illud Philosophorum verum est, existimo omninò, quod ex toto rerum creatarum numero primus locus primique honores attribuendi sint magno illi Libro, de quo Matthæus Evangelista loquitur dicens: *Liber generationis Iesu Christi.* Est enim Liber hic Liber Virginalis in quo verbi incarnati Sapientia comprehenditur, de quo Propheta affirmavit dicens: *Liber grandis scriptus stylo hominis.* Liber est de quo scripserunt Epiphanius & Gregor. Nazianz. dicentes: *Sola Virgo Maria Liber est generationis Iesu Christi.* Liber est impressus in Typographia Cœli, conservatus autem in Libraria Paradisi. Author qui illum composuit, Deus est: *Dominus possidet me in initio viarum suarum.* Scriptus autem est calamo Spiritus Sancti: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Quod in eo continetur subjectum est verbum incarnatum: *Et verbum caro factum est.* Chartæ ejus sunt septem Virginis Solemnitates, nimirum Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis. Ligatus est Liber hic filo aureo perpetuæ cujusdam & incorruptibilis Virginitatis: *Virgo ante partum, in partu, & post partum.* Contectus & coopertus est non jam ex corio sive ex pergameno, sed altissimi Dei virtute: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Quadranguli ejus sunt quatuor virtutes Cardinales, Prudentia, Justitia, Fortitudo, & temperantia. Signales in eo nodi tres sunt virtutes Theologicæ Fides, Spes, & Charitas; vel etiam tres Personæ Divinæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Juxta illud, *Pone me ut signaculum super cor tuum* Demum vero hodie Libro huic subinscribitur edendi facultas per verbum: Publicetur. Hodie enim Liber iste editur in Lucem: *Hodie nata est Beata Virgo Maria,* idque cum singulari totius mundi jubilo & applausu: *Gaudium annuntiavit universo mundo.* O Liber ob ætatis teneritudinem, & humiliatis profunditatem parvulus: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ:* maximus autem & vastissimus ob meritorum eminentiam. *Fecit mihi magna qui potens est. Grandis fuit Liber iste, tum propter magnitudinem scribentis, tum propter magnitudinem contentorum, tum propter magnitudinem voluminis continentis,* inquit P. Jordanus de Saxonia. Libet igitur ad hunc Librum pervolvendum accedant Bernardi, Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Gregorii & Hieronymi, me quod attinet in solo Frontispicii titulo, qui in Augustissimo Mariæ nomine consistit, devotè contemplando subsistam. O nomen glorioſum, ærarium mysteriorum opulentissimum, validumque Sacramentorum armamentarium: *O Nomen admirabile! O Nomen delectabile! O Nomen gravidum Sacramentis, & divinis plenum mysteriis. O Nomen gloriosum! Nomen celeberrimum! O Nomen sublime, & ante tempora universa in Dei prædestinatione compositum, & in tempore dignæ personæ secundum rem convenienter impositum.* Sunt verba exclamantis Ludolphi Carthus. Enimvero, Auditores, dum hujus Libri Titulo, id est, nomini Mariæ declarando insudo & quam dignum, utile & delectabile sit fusius declaro, vos obsecro, ut dum illud cum devotione contemplor, vos idipsum cum silentio venerari non desinatis.

Isa. 8. 1. *Epiphan. Greg. Nazianz.* *Sap. 8.* *Luc. 1.* *Ioan. 1.* *Luc. 1.* *Cant.* *B. Iord. Saxon. serm. 4. in n. 157 fol. 24. fac. 2. E.*

3. *Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abrahæ.* Libri ab illis præcipuè maximo habentur in pretio, qui eosdem comparant, sunt que humanæ mentis legitimi partus non minus dilecti & chari, quam sint Genitorum dilectissimi filii. *Libri liberis chariores sunt parentibus, quanto mentis filii præstantiores sunt, quam corporis.* Alexandriæ in Libraria Ptolomæi Philadelphi Ægypti Regis, conservabantur quadraginta Librorum millia. *Qui tamen diversis ex locis diu magno studio quæsiti, simul omnes arserunt.* Serenus quoque Sarmenicus magnæ virtutis Philosophus Septuaginta duo Librorum millia collegerat, quos postea Gordiano juniori donavit, utpotè cujus Patri magno amicitiæ vinculo confœderatus fuit: *Sereno Sarmonico, doctrina viro ingentis, duo & septuaginta millia Librorum fuisse legimus* Sybilla Cumana alias Amalthea cognominata novem Libros à se pro bono Imperii Romani regimine compositos (*In quibus erant decreta Romana conscripta*) Tiberio Prisco emendos obtulit. Cum autem Imperatori visum esset, pretium pro iis postulatum nimium exorbitare, eosdem sibi comparare renuens Sybillam abs se dimisit. Quæ mox tres è conscriptis Libris igni tradidit, sexque reliquos pro eodem quod antea postularat pretio emendos eidem Tyberio præsentavit; Qui quanto pauciores restabant, tanto magis ad illos sibi comparandos invitum se exhibuit. Ac proinde sæpe dicta Sybilla ab Imperatore

Plaſ. Ep. l. 7. *Franc. Petrar. dial. 43.* *Idem ibid.* *Vinc. Belu. in ſpec. Hiſto. lib 2. c. 102. f. 26. col. 3* *idem Aulus Gellius.*

ratore iterata vice dimissa, tres quoque alios Libros eorum qui reliqui manserant in flammas comburendos conjecit, & eum tribus ultimis, qui illi reliquis exustis remanserant, denuo Imperatorem convenit, eique illos tertia vice venum exposuit, obtestans ut non habito ullo pecuniarum respectu, idem quod pro omnibus novem popposcerat pretium incunctanter exsolveret. Unde Imperator admiratione & curiositate permotus, postulatam pro libris pecuniam numerari jussit, tantundem pro tribus solum libris persolvens, quantum pro omnibus novem solvere postulatus fuerat. Fuerunt que in magna deinceps veneratione semper habiti, & veluti gemmæ præstantissimæ in Capitolio Romano conservati. At vero virginalis hic liber, qui hodie in lucem est editus, suumque Publicetur, est assecutus, tametsi unicus duntaxat & solus sit, veluti librorum omnium hactenus editorum præstantissimus, præ omnibus qui olim sive in libraria Alexandrina Ptolomæi, sive in illa Sereni Sarmonici comprehendebantur, eminentissimè præcelluit, utpote in quo majora comprehenduntur mysteria, quam in aliis à Sybilla Amalthea compositis. Ac proinde nullum invenitur in toto mundo pretium libro huic æquivalens, siquidem omnibus potior est totius universi thesauris. Pro cujus evidentia hoc solum dixisse sufficiat, quod Mariæ glorioso titulo præfulgeat.

Glos. in sub. ff veter. in ver. Inst. gloss. in Prohem. 6. & in d. l. fact. 6. si in danda.

4. Ex nominibus facile devenimus in personarum, librorumque eorumque insignium qualitatum cogitationem. Unde leges volunt, quod qui Bonifacii nomine est insignitus, pronus quoque sit ad aliis benefaciendum: *Ex nomine Bonifacii arguitur quod homo benefaciat.* Eadem quoque causa Accurtius Glossator magnopere de hoc nomine gloriari solebat: *Dicit se habere honestum & pulchrum nomen, quod vocetur Accurtius, quia accurrit & succurrit.* O quot, & quam profunda sunt quæ in magni hujus libri titulo comprehenduntur mysteria? *Maria non unam tantum, sed multiplicem interpretationem habet*, inquit sanctus Bernardinus Senensis. Albertus Magnus opinatur, quod quia Mariæ nomen aliquam cum mari affinitatem habet, ideo quot in illo sunt stillæ & guttæ, totidem in hoc nomine lateant & conserventur gratiæ: *Locus omnium gratiarum vocatur Maria.* Sanctus Thomas inquit, quod Maria *interpretatur stella maris.* Et ratio est. *Quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.* Magnus quoque S. Ecclesiæ Doctor S. Ambros. docet, quod Maria *interpretetur Deus ex genere meo*, adeo ut hoc nomen Maria idem valeat, quod mater Dei. In lingua Syriaca *Maria* idem sonat, quod *Domina*, ut hac ratione insinuetur, quod *habeat dominium in terra, in purgatorio, & in cœlo.* Et Idiota subjungit: *Tanta virtutis & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen beatissima Virgo, quod ad invocationem ipsius cœlum videt, lætatur terra, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, infernus conturbatur.*

D. Bern. Sen. ser. 1. de M. V. Alb. M. c. 198.

D. Thom. opusc. 8. t. 17. f. 76. col. 1. B.

D. Ambr. l. de instit. virg. c. 5. f. 110. t. 1. D. Petr. Chrys. ser. 142. f. 485. Idiot. in c. 5. l. de Concept. Deip.

5. Verum enimvero instituamus majori cum industria sanctissimi hujus nominis Anatomiam. Hoc namque nomen è quinque litetis componitur, quarum quælibet mysteriorum gravida est, Quævis etenim litera hujus nominis *Maria* lapidem quendam pretiosum mihi referre videtur. Per M. significatur *Margarita*, per A. *Adamas*, per R. *Rubinus*, per I. *Iaspis*, per A. denique *Amethystus.* Unde glorioso huic nomini dici potest: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, maxime si quoad effectus consideretur, qui sunt dignissimi valdeque conspicui, ut videre est per singulas denuo hujus nominis literas, in hoc namque nomine per M. innuitur quod sit *Mediatrix*, per A. quod sit *Auxiliatrix*, per R. quod sit *Restauratrix*, per I. quod sit *Illuminatrix*, per A. denique quod sit *Advocata.* Mediatrix etenim est in offensis quæ hominem inter & Deum exoriuntur: in omnibus necessitatum nostrarum occurrentibus casibus est Adjutrix; Cunctorum etiam damnorum, quæ nobis à Dæmone inferuntur, potentissima est Restauratrix. Illuminatrix quoque est mentium, ut in virtutum divinorumque præceptorum via honeste ambulemus; denique advocata est peccatorum, speciatim eos in articulo mortis à tentationibus diabolicis, divinæque justitiæ suppliciis clementer protegendo. Præterea prima hujus nominis litera M. est, quia sicut Michol à persecutionibus Saulis Davidem prudenter salvavit: Ita Maria eidem in liberandis animabus nostris à Sathanæ technis nequicquam est dissimilis. Secunda est A. quia sicut Abigail tanta fuit Sapientia prædita, ut Regem adversus Nabal iratum perfecte noverit placare: Ita quoque Maria divini furoris flammas è peccatis nostris exortas mitigat quotidie. Tertia littera R. est, quia sicut Rachel Joseph genuit, *qui dicitur Salvator*: Ita Maria universi genuit Redemptorem. Quarta

Ezech. 28. Pet. de Aluar. Astorga in Biblio. vir. t. 1. f. 509. col. 2. ser. 31. C.

est I. quia sicut Jael tempora Sisaræ transfixit: Ita Maria serpentis infernalis caput contrivit. Denique A. quinta litera est, quia sicut Abisai omnium est venustissima atque pulcherrima, *electa super omnes filias Israel ad serviendum Regi:* ita Maria omnis pulchritudinis vera Idæa in Dei matrem felicissimè fuit electa. Unde Sanctus Valentinus Archiepiscopus Thomas de Villa Nova scribit: *In virgine collecta est omnis Ecclesiæ Sanctorumque perfectio: Quidquid enim in quolibet Sancto fuit illustre, in illa fuit.* O nomen inter omnia nomina longe dignissimum! ô glorioſum in hujus libri frontispicio collocatum titulum. O librum excellentissimum, cujus nominis dignitas talis ac tanta est, ut omnis humanæ capacitatis intelligentiam longè excedat.

S. Thom. à Vill. ser. 3. de Nat. B. M. Virg fol. 349. col. 2.

6. Certissimum quidem est, quod opus plurimum commendet magistrum: veruntamen non minus verum est, quod operi magna quoque accedat existimatio ab excellentia magistri. Unde si convenienti testimonio mihi probaretur, hanc vel illam picturam absolutam esse manu Apellis vel Titiani, Michaelis Angeli, vel Raphaelis, confestim eam valde eximiam atque præstantem esse certo censerem. Artifex qui nomen Mariæ ex quinque literis composuit, ipsamet sanctissima Trinitas fuit, Deus scilicet unus in essentia & trinus in personis. Observastisne unquam quo ordine Sancta Dei Ecclesia beatissimam Virginem invocet, ejusque laudes reverenter solemnizet? Priusquam Sanctissimum Mariæ nomen in Litaniis resonare faciat distinctè, ab eadem invocantur tres Divinæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus *Pater de cœlis Deus, Fili Redemptor mundi Deus, Spiritus sancte Deus*; postea autem Personarum Trinitas cum essentiæ unitate conjunctim adoratur dicendo: *Sancta Trinitas unus Deus.* Et tandem protinus sequitur: *Sancta Maria.* Quænam obsecro est hujus ab Ecclesia usurpati ordinis ratio? Responderi forsitan poterit, adeo dignum esse nomen istud, ut ob ejus excellentiam nos indignos æstimantes qui illud nominemus, prius invocemus Divinum trium Personarum, & unitatis essentiæ auxilium, ut hac ratione digne efficiamur nomen istud aliquatenus saltem digni pronuntiare. Huic equidem expositioni non contradico, nolo tamen intermittere, quin aliam quandam Doctissimi Idiotæ opinioni consonam in medium adducam; nimirum factum id esse, ut per hoc demonstretur, quod in compositione nominis Mariæ simul concurrerint tres personæ divinæ, simul cum unitate essentiæ: Faciamus aliquam hujus rei experientiam. Et quidem ex quo B. V. adeo sese diminuit, ut se declaraverit veram Domini ancillam *Ecce Ancilla Domini*, inter literas nomen Mariæ constituentes parvum sive diminutum in primo loco adhibeamus. Hæc litera ex tribus componitur lineis, quarum prima Patrem, secunda Filium, tertia Spiritum sanctum significat: hæ autem lineæ ex superiori parte unitæ sunt, ad indicandam essentiæ unitatem, vel quod *opera ad extra sint indivisa.* Secunda Litera est A. quæ cum sit Alphabeti principium, significat esse à Patre, qui est prima persona, *Esse principium Sanctissimæ Trinitatis.* Litera tertia R. est, quæ indicat esse verbi incarnati, cui tanquam *Regi regum* propriè convenit, sic enim per Literam R. in cruce Rex declaratus fuit in Titulo Crucis. J. N. R. J. Quarta Litera est. I. quæ in Arithmetica unitatem significat, ut per hoc indicetur, nomen hoc ab unitate essentiæ compositum esse. Quinta denique Litera est A. formata à Spiritu sancto, qui idem est quod amor, nam *Spiritus Sanctus est nexus amoris inter Patrem & filium.* Quis autem est qui nesciat digniorem Deo operatorem inveniri non posse, ac consequenter concludere oportet, inter omnia opera *ad extra* nullum esse hoc Sanctissimo Mariæ nomine dignius ex iis quæ putæ creaturæ sunt, atque adeo in hujus Libri virginalis frontispicio tanquam ejus Titulus adprimitur. Meritò igitur Idiota ait: *Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen, ut in nomine tuo, post nomen unigeniti tui, omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem.*

In Litaniis. B M. Virg.

Idiot. de contem. Deip. con. 5. & 1. 3. Bibl. vet. PP. c. 5.

7. Hæc veritas etiam à B. Petro Damiani confirmari videtur, qui postquam Sanctissimi hujus hominis dignitatem sæpius ventilasset, ait: *De thesauro Divinitatis Nomen ejus evolvitur.* Verum quisnam est hic Divinitatis thesaurus? ineffabile *Iehovah* nomen thesaurum hunc esse dixero, hoc namque, ut sacri Theologi docent, Deum unum in essentia, & in personis trinum exprimit. Unitatem quidem essentiæ, *quia est unum Nomen:* Trinitatem vero personarum per Literas nomen illud constituentes. *Iod enim idem est quod principium?* Et primam personam significat. *Heh* idem significat quod vita,

D. Pet. Damia. ser. 11. de Annun. f. 23. col. 2. D.

Vasq p. 1. disp. 107.

vita, ideoque verbum connotat incarnatum. *Et*
Act. Ap. c. *in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Vah dictio
17. n. 28. est copulativa, & Spiritui sancto correspondet, qui *est nexus amoris inter Patrem & Filium.* Huc usque omnia bene procedunt: At vero quarta litera He quid efficiet, superflua enim esse videtur, cum tres jam dictæ ad sanctissimæ Trinitatis expressionem sufficiant; Tribus namque personis tres duntaxat literæ sufficient. Ac proinde, cum quatuor sint, Nestoriani inde occasionem sumpsere falsè affirmandi quatuor personas *in divinis.* Nunquid igitur tres sufficiebant? Attenti difficultatis hujus resolutionem accipite. Quarta ergo Litera ex duabus literis componitur, scilicet
Ricciar. ex H. & F. quarum prima scilicet H. *significat al-*
Brix. apud *titudinem* atque in Phrasi græca. *Est demonstratio*
græc. *certa virginitatis.* Quæ ambæ sunt prærogativæ Mariæ propriæ, Per anthonomasiam enim *Maria dicitur Virgo.* Quod si meritorum altitudinem in ea desideretis, de ea Ecclesia dixit: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum.* Imo ipsum Mariæ nomen significat, quod *Exaltata.* Altera Litera est R. quæ significat *Purum & u-*
In Bibl. *num,* quia Maria in puritate unica est & singularis: *Nec similem visa est, nec habere sequentem.* Nunc igitur si libet duarum harum literarum significata conjungite, & dicite: *Una Pura Virgo exaltata.* Quænam autem est ista? Maria. Cum igitur quarta litera divini nominis *Iehovah* He sit, id est, Maria, optime sanctus Petrus Damianus Mariæ nomen è thesauro Divinitatis extractum
Ioseph. de esse dixit: *De thesauro Divinitatis nomen ejus e-*
Lazer. t. de *volvitur.* Doctrinam hanc eruditus & ingenio-
M. V. fol. sus quidam scriptor modernus tradit, dicens:
148. col. 2. *Forsan ideo quadriliterum in omni lingua est nomen*
C. *Dei, cum tamen tres personæ in Deitate subsistant, quoniam ad comitatum Trinitatis Maria fuit sublimata: Ideoque Litera illi per gratiam contigit in Dei nomine, extrema tamen, ut creaturam esse demonstret.*

8. In Genesi Deus Abrahæ apparens magnifi-
Gen. 17. 2. ca promittit: *Multiplicabo te vehementer nimis.* Qui tantoperè se à Deo honoratum videns reverentiæ causa ad ejus se pedes projecit, pro tantis
Ibid. gratiis gratias referendo: *Cecidit in faciem suam Abraham.* Deus autem firmam ei fidem dando,
Ibidem. cum Caput & Patrem multarum generationum futurum subjungit: *Eritque Pater multarum gentium.* Dumque istarum Abrahæ mutavit, pariter
Ibidem. nomen ejus mutari voluit, *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* Idipsum quoque Apostolorum Principi accidit, primò enim *Dedit ei potestatem curandi infirmi-* *Mar. 3. v.*
tates & ejiciendi dæmonia: Postea vero Simonis *4.*
in Petri nomen commutavit: *Et imposuit Simoni* *Abul. in c.*
nomen Petrus, Unde Abulensis ait: *Christus im-* *10.*
posuit Petro nomen novum ad significandum ex *Matth. q.*
cellentiam ejus futuram, quia Princeps Apostolo- *31. co. 2. A.*
rum factus est, & summum Pontificatum suscepit.
Hinc quoque fit, quod mox ut quis factus est Papa, nomen quoque ejus confestim immutetur, neque enim jam amplius Maphæus sed Urbanus; *Petr. de*
non Joannes Baptista, sed Innocentius: Non Fa- *Alvat. 3.*
bius sed Alexander vocatur: Ad mutationem *in Bibl.*
namque status, nominis quoque mutatio conse- *virg. f.*
quitur. (Consuevit Deus quando novum ali *490. col. 1.*
quod mysterium vult implere, & alicujus perso- *G.*
næ statum mutare, & illam in statu eminentiori constituere, ipsi nomen mutare, ut ex mutatione nominis mutatio status intelligatur.) Beatissimæ Virgini etenim Mariæ nomen impositum fuit: *Et nomen Virginis Maria.* Veruntamen eventum observate; sanctissimæ Triadi decretum erat hanc Virginem extollere, eamque ut Verbi Incarnati Genitrix esset, ad Maternitatis eminentiam sublimare: Nec tamen nomen ejus quicquam immutat, quia semper idem nomen retinens vocata est Maria. Verum inquies, si Abrahæ & Simoni ob status mutationem nomen immutatur, cur non quoque Virginis nomen mutationem patitur? Respondet S. Ambrosius nomina Abrahæ & Simonis adeo digna & perfecta minime fuisse, quin aliquod *ulterioris perfectionis & dignitatis* augmentum accipere potuerint: Dum autem Mariæ nomen in Virgine non mutatur, contrarium significat, quod scilicet *contineat in se omnimodam dignitatem & perfectionem.* Ita ut infiniti conditionem quasi participans: *Et nulla potuerit fieri additio.* Estque hæc sancti Ambrosii *D. Ambr.*
speculatio dicens: *Maria nomen adeo ab exordio grande adeoque semper perfectum, ut nec nova mirabilique dignitate adveniente, aut reformari patiatur aut augeri.*

9. Verba Ruth sapientissimæ illius Mulieris *Ruth. v.*
scilicet: *Nolite me vocare Noemi,* id est, pulchram, *20.*
sed vocate me Mara, id est, amaram, etiam *suo modo* Virgini attribuuntur. Unde sancti Bonaventura & Bernardinus Senensis tomo 3. tract. de beata Maria Virgine articulo 3. cap. 4. dicunt: *Verba ista Mariæ accommodantur.* Ac proinde Virginis nomen Mara & non Maria esse debebat, tum ut figuræ correspondaret; tum etiam ob amaritudines atque dolores quos in

passione & morte filii sui passura erat. Juxta Simonis Vaticinium dicentis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Enimvero causam scire percuperem, cur Deus Virginem non Mara sed Mariam appellare voluerit. Et quidem difficultas hæc augetur exinde, quod Deus Abrahæ præceperit unam litteram I. scilicet ex Coniugis suæ nomine adimere, illamque deinceps non Sarai, sed Saram vocari voluerit: *Dixitque quoque Deus ad Abraham Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Magnam obsecro hoc loco videte contrarietatem: I. ex Saræ nomine tollitur, & Mara adjungitur, ita ut jam non Mara, sed Maria vocetur. Vel litera I. dignitatem & perfectionem dicit, vel indignitatem & imperfectionem: *Si primum*, cur hæc litera I. Saræ nomine adimitur? *Si secundum*, cur nomini Mara adjungitur? Responderi quidem possit, literam I. idem significare, quod ambula, num I. *tu*, idem est quod vade. Cum igitur Sara domi abscondita esse, suasque ædes minime egredi debuerit, censebat Deus literam I. in ejus nomine superfluere, è contra vero cum Maria ambulare debuerit, nunc ad visitandam Elisabetham: *Abiit in Montana*, nunc ad fugiendum in Ægyptum, ut impii Herodis tyrannidem fugere, dulcissimique Jesuli sui vitam salvare posset: *Fuge in Ægyptum*, ideo non Mara dicitur, sed adjecta litera I. Maria vocatur, veruntamen Pierius Valerianus dicit, quod litera I. quæ directam posituram habet, columnam quandam, quæ stabilitatis symbolum est repræsentet. Atque ideo quia sola Maria in gratia, charitate, spe, & fide, stabilis semper fuit, Litera I. Saræ nomini adempta Mariæ attribuitur: Verum enimvero ad sublimiorem speculationem mentem nostram elevemus. Ambo hæc nomina Sarai & Mara idem significant quod *Domina*, Litera I. autem idem quod mea: Sarai igitur idem dicebat, quod Domina *mea*. Maria autem solum Domina. Tollatur itaque (ait Deus) Litera I. à Sarai, ut vocata Sara absolutè solum Domina maneat, non vero mea, id est, Dei Domina, eademque Litera I. Mara addatur, dicaturque Maria, id est, *Domina mea*, ut inde innotescat hoc nomen Mariæ adeo dignum esse, ut Virginem Sanctissimam Dei Dominam esse declaret. Ac proinde ad hoc punctum ingeniosus quidam Scriptor Estevan Mendoz. cap. 30. §. 2. fol 398. col. 3. alludens dixit: *Sara non est vocanda Domina mea, quia hic titulus Domina mea Virgini sacratissimæ debetur.*

Gen. 17. v. 15.

D. Petr. Chrys. ser. 142 f. 485

10. Gloriosa illa salutatio quam Gabriel Archangelus Virgini detulit, quando Verbi Incarnationem Dei nomine eidem annunciaturus ad eam se recepit, mysteriorum est locupletissima; dixit enim: *Ave gratia plena, &c. Ave jucunditatem non absurde pronunciat Angelus Virgini dicens Ave.* O dignissimam salutationem! Posteà verò subjungit, *gratia plena*; Et merito quidem inquit sanctus Hieronymus serm. de Assumpt. tom. 9. fol. 69. B. & Sanctus Thomas à Villa conc. 3. de Navig. Virg. Mariæ f. 347. col. 2. *Quia ceteris gratia per partes præstatur, Maria vero simul se tota infudit gratia plenitudo.* Veruntamen causam cur Angelus Virginem salutans eandem propriè nomine non appellet, ne imaginari quidem mihi possum, imperfectè enim loqui videtur, dum ait: *Ave gratia plena, nam ly Ave, supra quod cadit?* potius igitur dicere debebat; *Ave Maria gratia plena.* Num forte nomen ejus proprium ignorabat? minime indubitantur, namque mihi persuadeo nomen hoc ei à Deo revelatum fuisse. An forte nomen hoc menti ejus excidit? nec hoc est credibile, siquidem cogitationis Angelicæ objecta Angelorum memoriæ characteribus indelebilibus sunt insculpta. Hanc eandem difficultatem circa illum Isaiæ Prophetæ passum movere possumus, quo Deiparæ Virginis qualitates & conditiones describens, ait: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet.* Vel ut Rupertus Abbas Tuitiensis exponit; *Virga de radice Iesse.* Per virgam Virginem intelligens; *Virgam de radice Iesse, sanctam Virginem Mariam intelligimus.* Ubi observandum, quod neque Isaias proprium Deiparæ nomen exprimat, sed solis virgæ vel virginis nominibus perstringat. Equidem persuadere mihi nec possum, nec volo, te O sancte Propheta nomen hoc ignorasse, cum enim tibi nota fuerit substantia, non est possibile accidens tibi fuisse incognitum: Cur igitur nomen illud subtrices? Existimo equidem sanctum Prophetam observare, & executioni mandare voluisse legem illam & solemnem Hebræorum consuetudinem circa Dei nomen ineffabile *Iehova* observari solitam: Hi namque dum Biblia legendo illis nomen hoc occurrebat, idipsum non proferebant lingua, sed subticebant, capite illud venerando, & adorando corde; Nemo enim se ad illud digne nominandum dignum & ideoneum reputabat; Ac proinde dicebatur ineffabile. *Iehovah ab Hebræis scribitur, sed Ioachim non profertur*, inquit Abbas Joachim. Isaias igitur Virginem sub virgæ metaphora nominavit,

Luc. 1.

Gracus in Cat. D. Th. ib.

Isa. c. 11.

Rupert. Abbas in Isai. ibid.

Abb. in c. 1. p. Ap. tex.

pro-

proprium autem ejus nomen ſubricuit, quia adeo illud dignum judicavit, ut ſe indignum cenſuerit, qui illud digne nominare poſſet. *Angelus forſan honorificentiſſimum Mariæ nomen conſueto prætermiſit, ut ſimilem honorem ei deferret, quem Hebræi nomini Dei Iehovah deferebant, ineffabile & innominabile illud appellantes, ob eximiam reverentiam ei debitam, & indignum putabant humana lingua proferri.* Etenim hominem aliquem ſimilem de ſemetipſo conceptum formare poſſe non admiror, valde autem mirandum eſt, id fieri poſſe ab Angelo & quidem à ſpiritu Gabrielis adeo puro adeoque digno. Et tamen verum eſt, quod Deiparam Virg. ſalutans nomen ejus ſiluerit, indignum ſe reputans qui lingua idipſum exprimeret. Et hæc obſervatio S. Bern. Senenſ. qui ait, *Angelus Mariam non nominavit, quia maluit venerari ſilentio quod non potuit exprimere eloquio.* Et B. meus Simeon Caſſian. dicit *veluti indignus Mariam nominare veritus eſt.*

11. Angeli trina vice introducuntur quaſi interrogantes quodnam ejus quam ut Dominam venerantur, & veluti Reginam adorant, nomen ſit; Et quidem primo dicunt: *Quæ eſt iſta quæ progreditur ut aurora conſurgens?* Secunda autem vice repetunt: *Quæ eſt iſta quæ deſcendit de deſerto delitiis affluens?* deniq; tertia vice iterũ replicant. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi.* Et tamen de qua quærunt *Regina eſt omnium Angelorum.* Ergone nullam habent nominis illius Reginæ quam adorant, cui ſerviunt, quamque ardentiſſime amant cognitionem? Quod ſi illam diligunt, neceſſum eſt quod ejus cognitionem habeant, ſiquidẽ actus voluntatis nequit ſubſiſtere amando, niſi actus intellectus ei præſupponatur cognoſcendo. *Nihil volitum quin præcognitũ.* Ne quidem ipſimet beati in patria Deum per actum voluntatis amando formaliter beati eſſe poſſent, niſi eundem per intellectum cognoſcerent; neq; enim in objecto divino delectari, aut quieſcere poterunt, quamdiu nullam ejus habent cognitionem. Quomodo igitur Angeli objecto aliquo ipſis ſaltem quoad nomen incognito frui poſſunt? Num quid Deum vident, in quo veluti in lucido quodam cryſtallo vel ſpeculo omnia objecta relucent? Et tamen interrogant: *Quæ eſt iſta?* Etenim ô cæleſtes Angeli, quæſtioni huic ego reſpondebo, petitumque Reginæ veſtræ nomen vobis inſinuabo, dicẽdo: *Iſta eſt Maria.* Nunquid jam contenti eritis? minime gentium, quia denuo replicare incipiunt: *Quæ eſt iſta?* Neſcio igitur, an ſurdi ſitis, expreſſe enim dico vobis: *Iſta eſt Maria.* Nunquid me intellexiſtis? Imõ vero tertiam interrogationem inſtituunt dicentes: *Quæ eſt iſta?* Quis hic non dicat: Ne quid nimis? toties enim repetitam reſponſionem vel ſemel apprehendere eique aquieſcere deberent; & quidem ſi fortaſſe vox mea rauca aut nimium debilis eſt, vocem meam levabo, ut melius audire me poſſit, & dicam: Iſta eſt Maria. Verum enimvero videor mihi Angelorum mentem paulatim intelligere. Agere namq; videntur ad imitationem ſponſi illius, qui amatum dilectæ ſponſæ nomen ſibi inſonari audiens, illius charo ſono dulciter perfruens ſatiari non poteſt. Quaſi Spiritus S. per repetitas illas Angelorum interrogationes indicare nobis velit, adeo dignum eſſe Mariæ nomen, ut ſit veluti complementum beatitudinis & gloriæ cæleſtis; qua Angeli cæterique beati fruuntur in Paradiſo, ſitque gloriæ accidentalis objectum ſine cujus fruitione Angeli ſibi totaliter beati & glorioſi eſſe minime videntur. Eſt delicatus hic conceptus Rich. à S. Laur. dicentis: *Ter in canticum canticorum in perſona Angelorum quæritur: Quæ eſt iſta, non tantum quia Angeli perſonæ admirantur excellentiam, quæ nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem; ſed forſitan quia dulce nomen Mariæ, ſibi deſiderant reſponderi.*

12. Porro nominis hujus dignitati utilitas quoque ejuſdem adjungitur, adeo ut non minus utile ſit *reſpectu noſtri*, quam eſt *ſecundum ſe* dignum. Utile etenim eſt juſtis & peccatoribus imo univerſo mundo, ut proinde haud immerito doctiſſimus Ægidius columna monuerit, in cunctis nobis obviis caſibus nomen hoc una cum SS. Jeſu nomine reverenter à nobis invocandum eſſe; dicit enim: *Nomen Mariæ ſemper, cum nomine filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti nobis in ore reſonare debet; quia ſi ut de nomine filii ſui dicit Ioel: Qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, ita & de nomine hujus Virginis glorioſæ pie & rationabiliter credi debet.* Hoc loco veluti petra ſimilitudinis ſequens mihi ſcripturæ locus deſervit. Iſraelitæ in Ægypto mirum in modum multiplicabantur: Filii *Iſrael creverunt & multiplicati ſunt.* Ac proinde Ægyptii vehementer metuebant, ne à nimis multiplicata Iſraelitarum turba tumultus aut revolutio fieret, atque ut ab hoc ſe metu liberare poſſent, Rex duabus in Ægypto obſtetricibus Sophoræ nimirum & Phuæ ſerio præcepit, ut omnes ab Hebræis naſcituros maſculos protinus interficerent: *Dixit Rex Æ ypti obſtetricibus Hebræorum, quando obſtetricabitis Hebræas: ſi maſculus fuerit interficite*

11. & Io. de Cart. t. 1. l. 2. ſ. 133. & l. 5. hom. 5. fo. 389. col. 1.

D. Ber. ſen. t. 3. tract. de B. V. ſer. 1.

B. Simon Caſſ. l. 2. c. 4. f. 23. col. 3.

Cant. 6.

Cant. 8.

Ægid. in 1. ſent. diſt. 1. Prin. 2.

Rich. à S. Laur. l. 1. c. 2. de laud. vir.

Ægid. columna in Ang. ſalut. f. 9. col. 1. A.

Exod. 1.

Ib. n. 15. 16.

ficite eam. Cum vero jam dictæ mulieres simi lem committere impietatem omninò nollent, Pharao alio easdem præcepto obstrinxit, nimirum ut omnes masculos in præterlabentis fluminis aquis submergerent atque extinguerent; *Ib. v. 22.* *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite* Accidit igitur, quod infantulus quidam nasceretur, cui nomen erat Moyses, quem utpote speciosissimum in flumen præcipitem agere, exhorrescentes, trium mensium spatio tenuerunt absconditum; quia verò metuebant ne hæc ipsarum in prævaricatione præcepti regii comissa temeritas ad aures suspenderetur regias, tandem dicto regio mortem gerere decreverunt, ac proinde infantulum fiscellæ scirpeæ impositum, cælitibus commendatum, aquis exposuerunt. Imo ipsissima mater ejus: *Exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Et ecce res prorsus mira, quam flumen pietate Regem superans Moysen infantulum conservavit illæsum, atque à morte defendit. Verum inquies, qua ratione id fieri potuit? Naturaliter enim id mihi impossibile videtur, atque ideo dicere oportet salvatum eum esse miraculosè. Cuinam autem hocce attribuendum est miraculum? suspendatis velim cogitationes vestras ad respondendum, donec sequentem vobis scripturæ locum præposuero

13. Dicite obsecro, Auditores, quando Deus ob mundi peccata graviter indignatus, omnes ejus creaturas universali diluvio mulctavit omnes ne tunc viventes periisse existimatis? utique respondendum est affirmative, satis enim evidenter Deus significavit firmiter sibi decretum esse, ut omnes tam rationales quam irrationales creaturæ perirent: *Gen. 6. v. 7.* *Delebo hominem quem creavi à facie terræ ab homine usque ad animantia, à reptili usque ad volucres cæli, pœnitet enim me fecisse eos.* Unde colligi potest, nullum ex omnibus remansisse vivum qui morti traditus non fuerit. Veruntamen contrariam ego opinionem sustineo, nimirum quod non solum illæsa permanserint innumera brutorum animantium individua, verum etiam eorundem innumerabiles species: Pisces namque à morte præservati fuerunt atque exempti. Cur autem id factum fuisse existimatis? Num forte Dei vindicta nullam sibi in aquis jurisdictionem vindicavit? aut vero cæteta animantia hominis beneficio deservierant, pisces verò minime? Imo verò ipsis quoque piscibus imperatum fuerat, ut homini inservirent, homini verò absolutum in illos commissum fuerat regimen & dominium: *Dominamini piscibus maris.* Quam igitur natitantes in aquis pisces habuere bonam fortunam? Etenim simile quippiam in libro Josue legimus. Magnus quippe hic belli dux urbem obsedit Hierichuntinam, ut eam desolaret, & ne ullius quidem eam incolentis creaturæ vitæ parceret. Corruunt protinus in terram mœnia, Josuetici eam ingrediuntur milites, ac hostili furore, quicquid in ea offendunt igne conficiunt & gladio; Exceptis duntaxat illis qui intra domum mulieris cujusdam Rabab nomine se receperunt, qui in vivis relicti & salvati sunt: *Gen. 1. v. 28.* *Interfecerunt omnia quæ erant in ea à viro usquè ad mulierem, ab infante usque ad senem.* Solis domus Rabab incolis remanentibus illæsis: *Josue c. 6. 21.* *Rahab verò & domum Patris ejus, & omnia quæ habebat, fecit Josue vivere.* Verum dicite sodes, cur hi potius quam alii privilegiati fuere, & à morte exempti? Hujus causa signo cuidam adscribitur, quod milites Josue è fenestra conspexere suspensum, juxta facta utrimque pacta, cum dicerent: *Si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra, & patrem tuum ac matrem, fratresque & omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam, Innoxii eritis, &c.* O felices certe & fortunatos illos qui in domo illa tenebantur reconditi, qui ob unius duntaxat signi respectum vitam suam salvam conservavere! Unde Arnoldus Abbas ait: *In ea enim domo manebant, quæ tam celebris signo (Maria) reverentia muniebatur.* Et quis scit an non etiam in piscium habitaculo, id est, in aquis quas permeando incolunt, aliquot simile signum latuerit, in cujus virtute ab universali diluvio atque à communi divini furoris supplicio fuerint præservati? Quonam nomine aquas insignitas esse existimatis? *Congregationes aquarum appellavit Maria:* Nimirum nomen sortitæ sunt Mariæ nomini simillimum; Neque enim inter utriusque nomen alia reperitur differentia, quam unicus duntaxat accentus, *Maria* scilicet penultima correpta, & Maria penultima producta. Pisces igitur in tali domo consistebant, cujus nomen signo aliquo notabatur, quod nescio quam cum Mariæ nomine habebat correspondentiam: *Pisces habitant in aquis* (inquit Cajetanus) quæ dicebantur *Maria*, *Reliqua animantia* in aëre vel in terra. Unde cum Arnoldo Abbate dicere possumus: *In ea enim domo manebant, quæ tam celebri signo Maria muniebantur.* Atque ideo qua ratione possibile erat, Moysen

Josue 2. v. 18.

Arnol. l. Abb.

Gen. 1. 10.

Cajet. ib.

in

in fiscella scirpea periclitari? Cur à morte eximi non debebat, qui in domo vel elemento quodam erat à quadam Mariani nominis umbra mitè protecto? *Congregationes aquarum appellavit Maria. Mariæ nomen adeo saluti prævium, ut Moyses aquæ supernatet,* Quod si igitur nomen *Maria*, eo quod quædam Mariani nominis umbra esset, tanta fuit virtute præditum, tantæque utilitatis Moysi & piscibus extitit, quidnam ipsissimum verumque Mariæ nomen erit devotis suis idipsum digne & reverenter invocantibus?

Eman. Nazera in Iosue tract. Append. §. 12. f. 732. col. 2. n. 58.

14. Verum enimvero ut utilitatis in nos copiosè redundantis utilitas magis eluceſcat, evidentiusque appareat, inter hujus sancti nominis figuras & umbras nonnihil obambulemus. Et quidem imprimis perspicuum & notum est omnibus, quantum Rex Saul à spiritu infernali fuerit divexatus: *Exagitabat eum spiritus nequam.* Potrò suasum est ei ab aulicis suis; ut si malignum hunc spiritum mortificatum esse, sibique quietem conciliari cuperet, Davidem cytharædum expertissimum accerseret; futurum enim esse, ut excitata per plectrum Davidis harmonia magnum ei allaturum esset refrigerium: *Iubeat Dominus noster, ut servituti qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere cythara, ut quando arripuerit te spiritus malus, psallat manu sua, & levius feras.* Atque sacer textus, quod Davide cytharæ chordas juxta artis suæ præcepta suaviter tangente, magnam Saul senserit consolationem, spiritus autem malignus non solum ab assuetis vexationibus cessarit, verum ad cytharæ sonum minime consistere valens discesserit, & terrore atque formidine plenus in fugam se receperit: *David tollebat cytharam, & percutiebat manu sua.* Sed quinam exinde sunt consecuti effectus? *Refocillabatur Saul, & levius habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Verum dicat aliquis, qua ratione fieri potest, ut nudus aliquis cytharæ sonus tanta efficacia polleat? ergone Dæmonem adeo ignavum & debilem spiritum esse credemus, ut ad illum effugandum & profligandum solius cytharæ sonus sufficiat, qui horrendos tonitruæ strepitus, aut bombardarum terribiles fragores minime expaveſcit? Maximi armatorum exercituum tumultus ad eum repellendum non sufficiunt, & quæ à sonoræ cujusdam cytharæ chordis procedit harmoniæ suavitas, eundem in fugam convertet? *Mirares* (inquit attonitus sanctus Archiepiscopus Valentinus) *musicâ fugatur diabolus, ad cytharæ sonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia?* Verum audite quod sequitur: *Latet pro certo in Cythara illa mysterium.* Sed quodnam erit mysterium istud? Etenim Dæmon solo hoc nomine Harmonia in fugam convertitur. Si enim ex eodem Anagramma confeceris, litera, n. veluti superflua ab eodem sublata, reliquum erit. *O Maria* Adeoque non harmonia, sed quod in ipsa significatur & continetur, scilicet figuratum Mariæ nomen Sauli refrigerium, Dæmoni vero confusionem & opprobrium adscivit: *Latet pro certo in Cythara illa mysterium: figura illa erat, hæc veritas, hic complectitur, quod ibi significatur.*

1. Reg. 16. n. 14.

Ib. n. 16.

S. Th. à villa in conc. de visit. Vis. 365. c. 22.

15. Richardus à S. Laurentio Mariæ nomen oleo compatat: *Hoc nomen Mariæ oleo comparatur.* Cujus equidem analogiæ variæ adduci rationes possent, ex iis tamen unicam duntaxat in medium adducam in sacrosancto Evangelio fundatam; illum itaque hominem in memoriam vobis revocate; *Qui ab Hierosolymis digressus & in Iericho secedens, incidit in Latrones, qui eum omnibus rebus suis despoliatum, multisque vulneribus saucium semimortuum reliquerunt.* Certus quidam Samaritanus eadem via progrediens, in miserabilem hunc sibi obvium hominem incidit, & compassione motus, vulnera ejus vino diluta, & oleo sufficienter delinita fasciis vinxit & curavit: *Appropians ligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum.* Parabolam hanc ipsemet Salvator ad multas veritates probandas proposuit, præcipue vero ut nobis insinuaret, quanta in nos ex Mariæ nomine dimanet utilitas. Quod fusius exponentem attendite. Per hunc igitur viatorem Sanctus Pater Augustinus quemvis hominem peccatorem intelligit, dicens: *Descendit homo miser factus per peccatum.* Latrones eum sublata candida innocentiæ veste despoliantes sunt dæmones: *Incidit in latrones, id est, in diabolum & Angelos ejus.* Semivivum eum relinquunt: *Semivivus enim homo dicitur per peccatum, quia anima immortalis est, corpus vero mortale,* inquit Theophyl. At vero quodnam inveniri remedium poterit, ad sanandum plagas & vulnera ejus, tollendumque manifestum in quo est vitæ periculum? *Infundens oleum,* sed quodnam est illud tanta virtute præditum oleū? Non aliud, quam Mariæ nomen, prout superius dixit Richardus: *Hoc nomen Maria oleo comparatur.* Demonstrare nimirum voluit, quod sicut oleum Samaritani utile fuit ad curandum vulnera peregrini, ita quoque nomen Mariæ languido peccatori magnam adferat utilitatem, dum illud devotè & sedulò invocat, præcipue

Rich. à S. Luca l. 1. c. 2. de laud. V.

Luc. 10.

Idem ib.

D. P. Aug. in cat. D. Th. f. 112. col.

Theoph. in Cat. D. Th. ib.

capitè vero dum semimortuus est, id est, ubi ad extremum vitæ suæ redactus fuerit. *Descendet istud unguentum* [inquit Ambrosius] *in animæ præcordia, viscerumque secreta, quo non delitiarum odore sancta Maria, sed divinæ gratiæ spiramenta redolebant.*

D. Amb. l. de inst. virg. c. 13 t. 1. f. 125 & 126.

16. S. Bernardus ut quantam Mariæ nomen toti mundo adferat utilitatem, clare demonstret, miram quandam adfert comparationem. Dicit enim nomen Mariæ quoad aliqua puncta humanitati Christi persimile esse. In hac namque quinque videmus vulnera, in illo autem totidem, id est, quinque videntur grammata: Quinque illa vulnera mundum salvarunt, hæc quinque grammata peccatorem quoque salvare possunt. Quinque vulnera veluti totidem ora universalem impetrarunt remissionem, quasi Christo cum Patre suo æterno in persona peccatoris loquente, quolibet vulnus unum ex sequentibus formasset verbis; *Deus Propitius esto Mihi Peccatori.* Eodem quoque sensu quælibet Litera nominis Maria Patri æterno supplicando dicit: *Maria Auxilium Reis Impetrat Animabus.* Unde sanctus Bernardus velut in bilance quadam una ex parte quinque Christi vulnera, altera vero ex parte quinque nomen Mariæ formantia grammata reponens, eademque utrimque magna cum attentione & diligentia ponderans dixit: *Sicut Christus quinque vulneribus suis contulit plene remedia mundo: ita beatissima Virgo suo sanctissimo nomine, quod quinque literis constat, confert quotidie veniam peccatoribus.*

Luc. 18.

D. Bern. apud Pelb. in Sp. virg. & apud Andr. Gelson in Thes. Cel. c. 11. f. 104.

17. Apud priscos Romanos in more positum erat, ut refert Petrus Crinitus, quod quæ dabantur vel decidi debebant mortis sententiæ adversum quoscunque reos, unica duntaxat litera R. scilicet signarentur. *Si quis à judicibus damnatus erat, idipsum litera R. notabatur.* Hæc litera veluti infausta quædam mortem comminans stella erat: Quando vero ex aliquo motivo decreverant reis aliquam impertiri gratiam, revocando vel annullando datam sententiam, literæ R. A. literam adjungebant, *Si erat absolutus* A. apponebatur. Etenim in sanctissimo Mariæ nomine R. quoddam reperio, veluti signum, quod propter peccata nostra mortis sententiæ rei simus; *Anima quæ peccaverit, morte morietur:* at vero notandum est, quod juxta R. literam, A quoque litera in eodem nomine reperiatur, veluti indicium quoddam, quod dum hoc adeo dignum nomen à peccatoribus devote invocatur, certam quoque iisdem impetret remissionem. Imo continentur in eodem S. nomine duo AA. ut nos tanto reddamur securiores, quo Deo nomen hoc devote invocantibus condonaturus sit peccata, pœnasque remissurus. O virginalem librum qui in frontispicio suo titulum adeo dignum portat, nomen inquam adeo glorioſum, unde tantæ in nos utilitates dimanant!

Petr. Crinit. de honest. disciplic. 8.

18. Verum eheu quot sunt, qui nullum sive ad nominis hujus dignitatem qua fulget, sive ad inde in nos dimanantes tot gratiarum utilitates, habentes respectum, nomen hoc adeo excellens & pulchrum non solum lingua convellunt & dilacerant, verum etiam idipsum actionibus execrandisque operibus proboſe deturpant. Angeli ad illud exprimendum censentur indigni, & sacrilegæ alicui linguæ illud temere blasphemare licebit? Quod si verum est quod doctissimus Idiota asserit, quod scilicet dæmones Mariæ nomen resonare audientes contremiscant, totusque conturbetur infernus: *Dæmones contremiscunt, infernus conturbatur*, tales utique ipsomet inferno & dæmonibus longe erunt deteriores. Eheu quot sunt *in civitate peccatrices*, hoc nomine insignitæ mulieres, ac proinde ex nominis quidem venustate & decore pulchræ, sed quoad animas turpissimæ! Etenim quid si excellentem quandam gemmam in luto jacentem videres, quid diceres? vel si vestem aliquam Phrygio opere acupictam & exornatam in cloacam quandam projectam esse cerneres: vel denique si librariam aliquam ingressus, libro cupiam hæc verba; *Opera D Augustini*: alteri autem *moralia S. Gregorii*, inscripta notares, eosdem vero libros postea evolvens Calvini, Lutheri, vel aliorum Hæresiarchatum erroribus & falsis dogmatibus refertos & conspurcatos esse deprehenderes, nunquid in maximam esses admirationem rapiendus? Nunquid contentam libri seriem inscriptioni suæ minime respondere diceres? utique Tu igitur quæcunque talis esse noscaris mulier, Mariæ quidem nomine insigniris, sed vitam agis turpissimæ peccatricis; mutato igitur tam S. nomine Magdalena vocare. Porro magnus ille Macedonum Alexander militem quendem in suo exercitu notaverat, eodem Alexandri nomine insignitum, qui tamen veluti miles ignavus in actionibus suis nihil habebat eximium, quin potius turpem otiosamque vitam agebat. Quare Alexander huic ad se accersito militi protinus dixit: vel Alexandri nomen muta: vel vitam age Alexandro dignam. O quanta est illa deformitas, quod mulier aliqua Mariæ nomine appelletur, nomine scilicet quod sanctitatis, virginita-

Idiota.

ginitatisque spirat odorem, eaque sese constituat carnalium sensualitatum mancipium, & in turpi veneris hara vitam agat scandalosissimam. Vel igitur quæcunque talis es, Mariæ nomen depone, aut verò vitam Mariæ nomine dignam institue. Observetis velim egregium mysterium, & pulchrum S. Lucæ loquendi modum, dum ait: *Et nomen V. Maria.* Quo fine hæc duo nomina Virginis S. Mariæ simul conjungi existimatis, Nunquid sufficiebat dicere: *Et nomen ejus Maria? Et nomen matris Maria?* Demonstrare utique S. Evangelista hoc loquendi modo voluit Mariæ nomen semper cum virginitate, aut certè ad minus cum castitate conjunctum esse debere: *Bene immediatè jungitur Maria virginitati, eo quod non solum nomine præferat, sed & aliis etiam præbeat gratiam castitatis; Mariæ nomini virginitas & sanctitas inseparabiliter sunt adjunctæ.* Rich. à S. Laur. l. 1 cap. 2. Verum inquies, video illud tamen in multis fœminis summa cum inhonestate conjunctum. Verum id quidem est, attamen considerandum, quod quando idem Evangelista de Magdalena tanquam peccatrice loquitur, illam non Mariam, sed mulierem vocet: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Non dicit *Et ecce Maria*, quia Maria & peccatrix non bene conveniunt simul: *Propter hujus nominis reverentiam, non ausus fuit S. Lucas Mariam, sed mulierem nominare.* Rich. ubi supra. Illæ igitur mulieres, quæ tot sensualitatum fœdo luto sunt immersæ, adeò pulchri nominis decorem totaliter defœdant. Quamobrem resipiscant, vitamque suam emendent, vel certè vitam vel nomen commutent.

PARS SECUNDA.

19. S. Hoc & glorioſum Mariæ nomen non solum dignum & utile, verum etiam delectabile est, cordaque hominum consolatione magna atque dulcedine adimplet. E multis qui idipsum per experientiam didicerunt unus fuit S. Bern. Senen. qui proprio ore suo affirmavit, quod si Deus hanc ei gratiam facere dignaretur, concedendo ei tunc mori, quando SS. Nomen istud vel profferret labiis, vel calamo in chartam conscriberet, tunc se securum fore crederet, quod nullam habiturus esset in morte sua amaritudinem, imò videri sibi quod mors tunc suavis, delectabilis & dulcis futura esset. Audite ejus attestationem propriis verbis enuntiatam. *Testis conscientia mea est Dominus, quod si quando Domina gratia largiente exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis & ejus nomini valeo per horam occupari tanta mentis lætitia saucior, tantaque interius suavitate perfundor, ut cunctis vanitatibus & concupiscentiis conculcatis, nil aliud petam, quam cum ipso lætitiæ spiritu, si daretur, statim exsilire ad Dominum.* D. Bern. Sen. in ser. 3 de nom Vir.

20. S. Joseph divina nondum mysteria penetrans, virginemque sponsam suam gravidam esse cernens, in vasto quodam anxiatarum cogitationum mari fluctuabat, totusque attonitus hærebat & conturbatus. Unde S. Augustait: *Intelligens Joseph Maria uterum gravidari, turbatur, secumque æstimabat disputans: & dicens: quid faciam? prodo aut taceo? si prodidero, adulterio non consentio sed vitium crudelitatis incurro, quia secundùm Moysi sententiam lapidandam eam esse cognosco: si tacuero, male consentio & cum adulteris portionem meam pono.* D. P. Aug. ser. de Nat. in Cat. D. Th. Matth. cap. 1. f. 7. col. 1. Ab hisce anxiis cogitationibus, velut totidem malleis cor sancti senis concutiebatur: Ab his inquam eum graviter affligentium perturbationum machinis agitatus, inclinato in volam manus capite, somno correptus suaviter obdormivit, jamque eam secretè deserere, ab eaque discedere statuit; *Voluit occultè dimittere eam.* Matth. c. 1. Deus autem qui servos suos in similibus labyrinthis nequaquam vult perdi, Angelum quendam cælitus ad eum misit, qui pulsis ab ejus corde quibusvis turbulentiis intimè eum consolaretur: *Et ecce Angelus Domini apparuit in somno Joseph dicens: Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Ibid. Quæ verba mihi penitus consideranti videtur, superfluitatem quandam in iis committi, certum autem est, quod *non sunt multiplicanda entia sine necessitate.* Etenim dicendo: Conjugem tuam, dicebat etiam *saltem implicite Mariam.* Cur igitur consortis suæ nomē etiā explicite pronūtiare & exprimere voluit? Nimirum Angelus nullum excogitare nomen poterat, quo eum efficacius consolari, & turbati cordis sui tenebras validius dissipare posset, quam exprimendo sanctissimum nomen Mariæ: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Prout sanctissimus Joseph ipsamet experientia manifestè comprobavit, ad solam namque nominis Mariæ resonantiam subitò mens castissimi Josephi tranquillitate magna subsedit, lætificatumque est cor ejus, ac dissipatæ à pectore ipsius omnes sinistratum cogitationum procellæ, è contra verò expertus est in se magnam divinarum consolationum dulcedinem, per quam tranquillitas reddita est vultui, magnaque serenitas menti: *Non abs re Maria nomen interserit Angelus;* Aloy. Nov. in umbr. virg. l. 4. Enc. 1. 8. n. 1183.

ipsum dulci hoc nomine trepidantem, tranquillum reddere voluit ac sedatum: sola quippe istius nominis prolatio, auditio sola erigere mentem potest, & animum magnis curis pressum recreare.

21. Nomen hoc verissimum est electuarium quod adhibetur ab Angelis, ut afflictiones nostras in lætitiam, nostrasque amaritudines in suavitatem atque dulcedinem transmutent. Etenim novimus ab æterno Patre missum esse cœlestem paranymphum ad virginem, ut eam de instituenda in ejus castissimo sinu Verbi incarnatione, certiorem efficiat. Dum autem se per benedictionum voces salutari audivit: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; omnis à venustissimo vultu suo cœlestis serenitas evanuit, & conturbata est vehementer: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Nolo equidem hoc in loco curiose rationem inquirere cur turbata fuerit, quæ gaudere & lætari potius debebat, quando qui loquebatur spiritus erat cælestis, discursus autem sive colloquium nullis permixtum fuit rebus tristibus; sed meris refertum erat benedictionibus & gratiis. Imò tanto minus turbari debebat, siquidem S. Joannes Chrysost. dicit: *Qui apud Deum meretur gratiam, non habet quod timeat.* Et Græcus interpres subjungit quod Angelus (non accessit decepturus, imò deceptionis absolutionem depromere; Non venit prædaturus inviolabilem tuam virginitatem, sed conditoris puritatis & custodis contubernia referare. Non sum serpentis minister, sed perimentis serpentem legatus; consilium tractator, non insidiarum monitor.) Et tamen vehementer turbatur; id quod advertens cœlestis paranymphus, eandem consolaturus ad antidotum protinus recurrit, ut eam ad omnem mœstitiam atque timorem deponendum permoveret. Sed quale est hocce Antidotum? Nunquid audistis? *Ne timeas Maria.* Cur non dicit tantum: *Ne timeas*? vel cur non dicit: *Ne timeas virgo, ne timeas mulier*? Scivit utique cælestis hic nuntius ad timorem deponendum, eumque in gaudium & cordis jubilum transmutandum nullum esse aptius & efficacius remedium, quam si angustia pressus animus gloriosum Mariæ nomen exprimi audiat: *Ne timeas Maria.* Unde Chrysol. ait: *Fugatura metum vox Angeli mox præcessit dicens: Ne timeas Maria.* Et B. Simon Cassianus subjungit: *Qui (id est, Angelus) turbatam virginem, atque verborum novitate timentem, sic confortat, sic docte removet ejus animi passiones dicens: Ne timeas Maria.*

Luc. 1.

Ibid.

Chrysost. in Cat. D. Th. ib. c. 1. in Lucam f. 153. graces in Cat. D. Th. ib.

D. Petr. Chrysol. serm. 147. de annunt. f. 485.

B. Simon. Cassian. l. 2. de Virg. Mar. 64 f. 23 col. 2.

22. Unigenitus Dei Filius in aspero Crucis ligno hærebat, luctabatur in vasto quodam tormentorum mari, jam è mortis calice dolorum amaritudines epotabat, quando dilectissimam Genitricem suam afflictam & desolatam videns, aliquam ei consolationem suggerere statuit, illam nimirum confortando, eamque alloquendo, eique Joannem loco suo in filium consignando; unde ei dixit: *Mulier ecce filius tuus.* Hucusque omnia bene procedunt. Veruntamen causam mihi imaginari nescirem, cur virginem matrem suam vulgati mulieris nomine appellet? *Mulier.* Ipsa utique præ cunctis aliis mulieribus dignissima, sanctissima, maximisque privilegiis adornata erat, non igitur hoc nomine vili. *Mulier* illam compellare debebat. *Mulier* idem est quod inconstantia, Maria autem in fide, spe & charitate constantissima fuit, cur igitur eam appellavit mulierem? Denique si ob eorum aliquem respectum ipsam matrem suam esse manifestare nolebat, dicendo ei: *Mater ecce filius tuus*, utique illam proprio nomine suo Mariam appellare poterat. Imò verò hanc ob causam eam potissimum *mulierem* nominavit, ne cogeretur illam vocare *Mariam*; cur autem hoc nomine illam appellare cavebat? Num forte nomen hoc tale erat, ut ex eo aliquod matris vel filii reputationi nasci potuisset præjudicium? Minimè gentium. Cur igitur? Resolutionem difficultatis hujus attentè auscultate. Etenim ex historia Passionis Dominicæ scimus, quod dum lictores Dominum crucifigentes in Calvariæ montem pervenissent, quandam ex vino & myrrha mixturam composuerint, eamque Salvatori nostro ebibendum propinatint: *Dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Hunc autem sibi oblatum potum bibere recusavit: Et non accepit, cum tamen vehementi quadam siti vexaretur, adeò ut paulò post dixerit; Sitio, cumque ei potio quædam subministraretur ex aceto & hyssopo confecta; eandem quoque renuit. *Cum gustasset noluit bibere.* Verum dicat hic aliquis, cur qui siti vexabatur, potum sibi oblatum sumere abnuit? Advertendum igitur est quod potiones ex myrrha, vino, aceto & hyssopo, imò & ex melle compositæ, condemnatis & moribundis propinari consuevirint, ut membra hujus potus virtute obstupefacta tantum dolorem minime sentirent; *Constat vini meri poculum damnatis exhiberi solitum, quo vel ferent animosiores ad cruciatus & supremam necem tolerandam, vel animo ex tumulentia in stuporem acti, minimè præsentirent.* Salvator igi-

Luc. 19.

Marc. 15.

Joc. 19.

Ferdin. Quirin. de Sab inc. 32. Prov. v. 7. f. 1144 col. 1. C. Idem ib. f. 1148. col. 2. E.

tur

tur noster, utpote qui in passione nullum voluit refocillamentum, confortationem, aut refrigerium, sed acetbas sine aliquo lenitivo amaritudines, *non accepit*. Vel: *Cum gustasset noluit bibere: Oblatum ipse minimè hausit, ne dolores passionis, stupefactis membris levaret*. Tanta autem in Mariæ nomine dulcedo continetur, ut si Crucifixus & moribundus Salvator noster Matri suæ dixisset: *Maria ecce filius tuus*. in ipsa nominis Mariæ prolatione, tantam percepturus fuisset consolationem & refocillationem, ut vel illa ad dolores suos temperandos, passionisque suæ amaritudinem mitigandam & indulcorandam sufficere potuisset, ac proinde dixit *Mulier & non Maria, ne tam digna prolatione Christi dolores minuerentur*, ut affirmat S. Paschasius. D. Pass.

23. Quam excessiva fuerit quæ Magdalenæ pectus invaserat mœstitia & afflictio oculi ejus per lachrymarum characteres, & per suspiriorum expressiones labia ejus sufficientes demonstrabant, quando *stabat ad monumenta foris plorans*. Redemptor noster personati Hortulani cujusdam veste amictus ei apparens causam tanti fletus ab eadem exposcit, dicens; *Mulier quid ploras?* Ipsa autem suspiria sua pariter & lachrymas continuat, ut antea; Salvator igitur altera vice revertitur, eique suadet, ut ab omni lamento cesset, solitaque serenitate faciem suam induat, & cum lachrymis si non stabilem pacem, saltem aliquousque inducias ineat, dicitque denuo: *Mulier quid ploras?* Mulier autem magis affligebatur, adeò ut cor per oculorum meatus in lachrymarum aquas distillari videretur. Unde divinus ille hortulanus omne ad eam consolandam adhibitum remedium cassum esse & irritum videns, ad eam efficacius consolandam revertitur de novo, eamque non jam hoc nomine *Mulier*, sed Mariæ nomine compellat dicens: *Maria*, mox Magdalena resumpto Spiritu omnia sistit suspiria, lachrymas coercet, hilarique vultu sereniscque oculis foras pulsa omni mœstitia Magistrum suum recognoscit, & charitate ardens, pedibus ejus advolvitur dicens: *Rabboni*, quasi diceret: O mi dulcissimè Magister, verè tu lucidissimus Sol es, qui angustiarum meatum tenebras subitò dissipas. Eo ipso quo me dulcissimo *Maria* nomine compellasti, me ex quodam dolorum inferno extractam in cœlestem quasi Paradisum quendam transtulisti *O mutatio dextera excelsi!* (exclamat Origines) *conversus est dolor magnus in gaudiũ magnum, mutata sunt lachryma doloris in lachrymas amoris. Vbi Mariam audivit Maria præsensit in nomine quandam singularem vocationis dulcedinem, & per eam cognovit ipsum, à quo vocabatur, esse magistrum suum*. Cum igitur titulus in hujus Virginalis Libri, frontispicio positus adeò sit dignus, utilis, & delectabilis, ipsum cordi vestro insculptum semper portate. In omnibus necessitatibus vestris, præcipuè verò in mortis articulo ipsum devote invocate': Sanctus enim Bonaventura certos nos esse jubet, *quod qui illud retinet, non expavescet in puncto mortis*. Ioan. c. 20. Orig. apud Aloys Novar. in verb. virus lib excut. 118. n. 1187. D Bon. in Psal. B.M. Virg.

SERMO VIGESIMUS NONUS
IN FESTO
S. NICOLAI TOLENTINATIS.

Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. Psal. 4.

1. NUnquam me ad discurrendum de sacratis sanctæ Ecclesiæ scænis accinxi, aut linguam meam laxavi adeò mente confusus, inops conceptuum, verborumque pauper, quam in solemnis hujus diei festo, immortalitati magni servi Dei Nicolai Tolentinatis consecrato; cujus tatæ virtutes, merita & prærogativæ tales sunt ac tantæ, ut meritò dicere possim: *Inopem me copia facit*. Et revera quænam mortalis lingua reperietur, quæ non fateri cogatur, se veluti submergi, quotiescunque se committit non jam dico

sublimissimarum virtutum suarum vasto oceano, aut immenso singularissimarum excellentiarum suarum pelago, sed angustioribus vulgarium minusque spectabilium encomiorum rivulis è vita fœlicissimi Nicolai nostri emanantibus, qui in Ecclesia militante veluti cælum novellum Chlamyde fulgidissimis virtutum stellis distincta, in Ecclesia verò triumphante gloria coronatus inter beatos coruscat? A quo enim filo sermonis tela exordietur, quando in dicente omnis perditur & evanescit cogitatio? Ac proinde, per me licet, ut panegyribus copiosissimis eum alii celebrent. Extremos alii adhibeant conatus ut linguis purgatissimis, celeberrimisque encomiis glorioſas ei Corollas contexere possint, ejus extollendo humilitatem, admirando ejus abstinentias, pietati ejus acclamando, celebrando eum propter prudentiam, integerrimas denique eximiasque ejus qualitates deprædicando. Omnem alii lapidem moveant, ut egregia ejus & heroica opera, in proximorum subsidium patrata fuse recensere possint, qualiter scilic. correxerit peccatores, vitia reprehenderit, paverit pauperes, optimis consiliis prævenerit perplexos & dubios, afflictos solatio foverit, cohortatus fuerit religiosos, litigantes pacificaverit, tribulatorum denique ærumnas in veram cordis commutarit lætitiam: *Tristes consolabatur, mœstos & afflictos exhilarabat, discordes concordabat, in tribulatione positis solatio erat, & omnibus consolationem maximam exhibebat.* Alii Romanæ facundiæ divitias exhauriant declarando, quam fuerit in humilitate profundus, in fide constans, erga proximi necessitates compassivus, in refrænandis appetitibus fortis, assiduus in orationibus, in contemplationibus exstaticus, in vita exemplaris, in aliorum salute procuranda sollicitus, prudens in operando, in exhortatione efficax, Angelicus in moribus, in obedientia observans, facilis in remittendis offensis, in offendendo difficilis, promptior ad hoc ut à fide mortali recisus moriendo caderet, quam ut inter fallaces hujus mundi Syrenas incătatrices diutius viveret & inaniter gauderet. Alius, quiscunque tandem ille, ad deprædicandas Nicolai virtutes styli elevet gravitatem, describendo eum veluti à fraudulentis mundanarum voluptatum retibus semper maximè alienum, stratagematum ab infernali inimico ei millies intentatorum triumphatorem, animarum illarum, erga quas se in purgatorio gravem exhibet severa divinæ justitiæ manus pientissimum auxiliatorem, viscerosissimum necessitatum quibuscum membra sua sigillatim affligebat amicum, mortificationis gladio effræ-nem, sensualitatis dissolutionem coercentem & reprimentem, asperrimis carnem suam ciliciis domabat, ut spiritum suum iis veluti calcaribus ad viam orationum, disciplinarum & jejuniorum gyganteis passibus ineundam sollicitaret: *Vacans orationibus, vigiliis, & abstinentiis, pane tantum & aqua contentus, carnem cilicio ferrique circulo macerabat.* Ego etenim in præscripti mihi temporis brevitate, sacros regii Propheræ accentus, nimirum: *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum*, replicans, cum Genebrardo legam: *Mirificavit, id est, mirum fecit, miris affecit beneficiis, & admirabilem reddidit.* Simplicique oratione narrativa exponam, qualiter Deus *mirum fecerit sanctum suum Nicolaum in nativitate*; miris affecerit beneficiis in vita; & admirabilem reddiderit in morte. Interea dum ego in procinctu sum, ut vobis demonstrem, quod mirum fecerit Dominus Nicolaum in Nativitate, curæ vobis erit, ut è gravido benevolentiæ vestræ sinu, intra labiorum vestrorum cunas pulcher enascatur attentionis atque silentii gemellus partus: Exordiamur.

Petr. de Nat. de S. Nicol. cap. 16. f. 190. col. 1. Psal. 4. Genebr. ibid.

Thom. de Trus. in fest B. Nicol. f. 1780. n. 1.

2. Etenim nativitas Nicolai toti mundo admirabilis extitit, siquidem Genitoribus suis ab Angelo annuntiata fuit, quemadmodum factum est de præcursoris Joannis Baptistæ & Christi Domini Nativitate. Ex sinu matris sterilis & infæcundi patris sinu natus est, veluti beatissima Virgo à Joachimo & Anna; Conceptus fuit per orationes patris, & matris vota, nec non per intercessionem magni Ecclesiæ Pastoris Nicolai Barensis. In partu ejus majorem gratia quam natura partem habuit, idque meritò, quia majori cum jure cæli, quam terræ filius appellandus erat. Et ideò aptè huic infantulo à S. Ecclesia encomium illud attribuitur, quod ab eadem de Præcursore Domini, qui maximus est inter omnes filios hominum, dictum esse scimus, nimirum: *Iste puer magnus coram Domino, nam & manus ejus cum ipso est* Idque forte quia à Spiritu sancto illuminata prævidebat futurum, quod ad instar ejusdem Joannis Baptistæ in sanctitate eximia coruscaturus esset, prout ex infra scripti Anagrammatis Literis colligi potest:

Vers. 1. noct. 1. in fest. S. Nicol. & vers. 1. 2. noct. in fest. nat. S. Ioan. Bapt.

Beatus Pater Nicolaus Tolentinas,
O Lucens ut alter Ioannes Baptista.

De

De hoc sancto puero dicitur, quod Deus eum elegerit, ut deinceps luminosus & clarus emi-
Ant. 1. ad Vesp. in fest. ejusd. caret in splendoribus Sanctorum? *Elegit Nicolaum, Dominus, & in splendoribus Sanctorum suorum clarum fecit.* Etenim verò claritates istæ etiamnum valdè obscuræ sunt, suntque splendores mentem mihi admodum obfuscantes, nec mysterium sub iis latens penetrare possumus, nisi regii Prophetæ doctrinam ritè ponderaverimus;
Psal. 109. qui Patrem æternum de æterna Verbi generatione loquentem introducens dicit: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* Qualisnam est hæc phrasis, qua Pater æternus Filium in splendoribus Sanctorum genuisse dicitur? Symmachus legit: *In venustatibus.* S. Hieronymus vertit: *In montibus.* Hebræus: *In splendoribus sanctitatis* Hugo: *In vita splendida.* Porrò ad habendam hujusce difficultatis perfectam
Simon. D Hier. Hebr. Hugo Card. f. 289. col. 4. intelligentiam opus est, ut ad sacræ Theologiæ lumen recurramus; In ea namque quæritur: An Verbum divinum *procedat à Patre ex cognitione tam objecti primarii, quàm secundarii?*, id est, ex essentia divina cum attributis, omnibusq; creaturis cognitis? cui quæstioni Doctor Angelicus respondet affirmativè. Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam: Verbum igitur in mente conceptum est repræsentativum omnis ejus, quod actu intelligitur. Id
D. Th. p. 1. q. 34. art. 3. D. P. Aug. l. de Trin. c. 13. & 14. quod ante ipsum nos docuit S. Pater Augustinus dicens: *Verbum divinum est de omnibus, quæ sunt in scientia Dei, nam si aliquid minus esset in verbo, quàm in scientia, non esset verbum adæquatum.* Et ratio est. *Quia cognitio illa est infinita, perfectissima; intuitiva, quidditativa*, & tanquam talis cognoscere debet, & de facto cognoscit *omne objectum* cognoscibile. Nunc
Franc. Suar. l. 9. c. 4. in pp. autem quæro, quidnam proprie sit *verbum procedere ex cognitione objecti primarii & secundarii?* Hoc præcipuè importat, quod Pater æternus in generatione Filii. *Præ oculis habet omnem essentialem perfectionem suam, & omnia sua perfectissima & splendidissima attributa, & omnem perfectionem creaturarum, & Sanctorum, & Angelorum. Et ex hujusmodi cognitione verbum*
D. Tho. f. 478. col. 1. n. 5. *Dei procedit; igitur verbum Divinum procedere ex cognitione objecti primarii & secundarii*, idem est, ac si diceretur, quod Pater æternus generando Verbum eidem omnes perfectiones communicet, tam creatas quàm increatas; Quæ
Franc. Labata. 2. de Excel. vir propos. 5. f. 584. col. 2. Theologia a Davide Prophera per hanc loquendi phrasim exprimitur: *In splendoribus Sanctorum, ex utero ante Lucifernm genui te.* Id est,
Franc. Lab ubi supra. *Cùm Pater æternus in se omnem increatam & creatam venustatem contineret, ex illis Filium suum qui imago ejus, & figura substantiæ ipsius, generavit, meritò in Filio omnis illa venustas continetur. Quare meritò illi dicere potest Pater: In venustatibus Sanctorum, in montibus, in splendoribus genui te.* Nunc igitur ecce tibi causam, cur sancta Ecclesia de Nicolao affirmet: *Elegit Nicolaum Dominus, & in splendoribus Sanctorum suorum clarum fecit.* Per hoc enim innuitur, quod Deus Nicolaum in servum suum eligendo, omnes splendores, prærogativas, virtutes, merita, perfectiones, & gloriam aliorum Sanctorum in eo compendiarit, ut hac ratione fieret quoddam gratiæ prodigium, & verum sanctitatis miraculum. In ipso igitur invenire licebat Abelis innocentiam, Abrahæ fidem, obedientiam Isaaci, Jacobi sapientiam, Jobi constantiam, castitatem Josephi, Eliæ zelum, Moysis dignitatem. Uno verbo: *Elucebat in ejus vitæ singulare quoddam specimen omnium virtutum.* *In ejus offic.* O Nicolaum virum maximopere admirandum: *Mirum fecit Dominus sanctum suum.*

3. Judicia Dei inscrutabilia esse extra omne quidem dubium positum est; veruntamen singulari curiositate me exstimulante, causam investigare cogor, cur Deus ad hoc ut Nicolaus in hunc mundum nasceretur, tam ardentibus precibus interpellari voluerit, ut nimirum interponerentur Patris orationes, & vota matris, peregrinationes itidem & intercessiones sancti Prælati Nicolai Parensis? Quò fine Deus illum tantopere desiderare voluit, & tamen efficere, ut post contractum inter Sancti Parentes matrimonium prolem hanc benedictam multis deinceps annis expectare debuerint? *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia,* inquit S. Amb. Huc
Hierem. Drex. t. 1. f. 264. col. 1. in fine. servit, quod de Apelle refertur, nimirum eum dū die quadam civitatem, cujus incola erat, perambularet, vidisse in platea quadam à Pictore quodam elaboratas varias ac bene multas picturas, iisdem appropinquans, Pictorem, quantum tempus in illis depingendis insumpsisset interrogavit, cui Magister glorianter respondens, simi-
Petr. de Valder. in Concio. S. Nicol. f. 180. col. 1. lium picturarum inquit duas vel tres facilè in uno die conficiam. Quod audiens Appelles comiti suo dixit, vere opera Pictorem veritatem dicere confirmant. O igitur me miserabilem cui ad unam picturam delineandam integri anni spatium vix sufficit: Cui comes subjunxit: ideò penicillum vestrum opera singularia perfecta &

eximia perficit ; Hæ verò picturæ quia brevi tempore fiunt, parvi quoque æstimantur & patũ vel nihilum valent. Idem quoque in hominum nativitate accidit , qui enim in termino novem Mensium nascuntur, homines fiunt vulgares & ut plurimum parvi æstimabiles : Nicolaus autem qui post prolixum tempus plurium que annorum decursum huic mundo in lucem editus fuit, veluti elegans quædam Appellis pictura extitit, sive quadrum quoddam omnem in se naturæ & gratiæ perfectionem continens; atque ideò ut opus quoddam adeò admirandum & stupendum fieret, benè longo indigebat tempore , ut tandem absoluto opere dici posset, quod *Mirum fecit Dominus sanctum suum Nicolaum*, cùm enim certissimum sit quod, *Quæ cito oriuntur, cito intereunt*. Nicolaus autem in mentibus hominum, nec non in gloriæ æternitate immmortalis victurus erat, justum erat ut tardè & in longitudine temporis ederetur in lucem. Nimirum & Elephas tarde & post plurimi temporis decursum nascitur; Natus autem, bestia evadit inter omnia animalia maxima atque stupenda.

4. Vix etiamnum natus cùm materni sinus filius vocari nondum posset, appellari merebatur abstinentiæ pater. Priusquam didicisset proferre hanc dictionem jejunium, tanquam discipulus, veluti Magister docebat qualiter, quod hebdomodatim ter jejunandum esset, incipiens nimirum prius Deo, quàm sibi viveret ut proinde ipsi meritò applicari possit, quod de alio quodam dixit S.P. August. *Ante suscepit Divina munera, quàm humana corporis membra, ante capit vivere Deo quàm sibi* : tribus etenim diebus in septimana jejunavit, nimirum diebus Mercurii, Veneris, & Sabbathi; veruntamen dic mihi sodes ô Nicolae, quis te inter dies docuit discernere, qui ut ita dicam membra corporis distincta inter se nondum habes? à quo didicisti quod post diem Mercurii dies Jovis sequatur à sacris Canonibus à jejunio exemptus: utique hoc ipsum subindicat te habere notitiam cursus Planetarum, cœlestisque sphœræ exacta praxi præditum esse. Quis hoc non miretur, nondum natus peritus factus es Astrologus? nondum polles cognoscendi judicio, qui tam exacta excellis rerum cognitione. Porrò causa, cur præfati dies jejunio sint destinati, ex opinione Franciſci Futriani hæc est, ut sc. debita Passioni Christi illis diebus exhibeatur reverentia, siquidem die Mercurii captus , die Veneris Crucifixus , ac demum Sabbathi die sepultus fuit. *Dies isti sunt quibus sponsus ablatus est, quarta enim die cœperunt Iudæi tollere eum de media, siquidem eo die factum est cum Iuda pactum de tradendo Domino; sexto autem Crucifixus, & Sabbatho sepultus est.* Verùm enimverò dic sodes ô chare infantule, à quo hanc doctrinam accepisti, num fortè ex morali Theologia? Difficulter id credere possum, quia ne quidem homines provectæ ætatis sciunt jejunandum esse die Mercurii ob Christum eo die traditum & captũ, die Veneris Crucifixum & Sabbatho sepultum; nũ igitur tu talis Ministerii capax, imò Magister dici poteris ? haud dubiè ipsum in lactente & fasciis constricto puerulo impossibile esse videtur: veruntamen Auditores, Nicolaus admirabilis quidam sanctus extitit, utpote qui impossibilia ad possibilitatem redegit nam , *Mirum fecit Dominus sanctum suum Nicolaum*. Et veluti doctissimus Carmelita Mantuanus cecinit.

Credimus hunc nondum voces formare potentem,
Quamprimum spirare datum est, habuisse dierum
Notitiam, scivisse Deum, divinaq; Iura.

5. Cum incremento ætatis magnos quoque sibi comparabat profectus virtutis : siquidem adeò religioso imbutus animo erat , ut nullum sibi gratiorem invenire locum posset quàm Ecclesias & templa; Dum actionibus sacris præcipuè verò Missæ Sacrificio assisteret, talem præ se corporis modestiam & compassionem , nec non spiritus devotionem ferebat, ut ad verecundiam redigeret maturioris ætatis homines, & alios in perfectione magis provectos; Dum Sacerdos elevaret Sanctissimum Sacramentum, Christus se illi in propria specie parvuli infantis spectandum exhibebat, atque suavissimis verbis ei adblandiendo , dicebat : *Innocentes & recti adhæserunt mihi*. De Alexandro Magno referunt historiæ, quod à Philippo Patre suo excitatus, ut ad certamen quoddam cum aliis ineundum descenderet, eidem responderit, promptus equidem sum ad certamen cum quovis ineundum , dummodo cum pari certare liceat : Etenim Dei Filius soli Nicolao sub Innocentis puruli similitudine se spectandum exhibuit, quia nullus aliorum ei in puritate adeò similis extitit.

Apparebat ei non parvo candidus orbe
Panis ut apparet nobis , sed parvulus Infans

Aut

D. P. Aug. t. 10. ser 22 de sanct. & 3. de Nat. 10. Bap f. 266. col. 2. E.

Franciscus Turria in defin. canon. Atli. l. 1. c. 3. f. 11.

Io. Bapt. Mant de D. Nicol.

Plut. l 3. Apoph. de Alex Magno.

In vita ejus c. 3.

Aut specie puer eximia qui sancta movebat
Ora, manus, oculos, solitus mysteria quadam
Ad puerum divina loqui, qua audire prophani
Non poterant.

6. Verba prædicationis cujusdam Augustiniani differentis de vanitatum mundanarum contemptu, in cor Nicolai adeò profundè descenderunt, ibidemque eum attulere functum, de quo S. Matthæus ait: quod *Ceciderunt in terram bonam*, imò optimam. Unde dum esset annorum undecim, per prudentem resolutionem mundum relinquere, & Eremitam Augustinum induere firmiter decrevit. Ehem quantus Religioni nostræ de cœlo favor præstitus fuit, dum eandem gemma adeò pretiosa locupletare voluit! utique nobismet ipsis in hac Religione existentibus applicare possumus idipsum, quod Turbæ dixerunt: *Propheta magnus surrexit nobis, quia Deus visitavit plebem suam*, id est, *misericorditer faciens nobiscum dando nobis tam magnum virum*. Etenim quam exactus in Dei servitio fuerit nulla hominis lingua explicare sufficit, quantum in obediendo diligens, in orationibus fervidus, in disciplinis recipiendis assiduus, abstinentiarum amicus fuerit, explicare me non posse libens confiteor: specialiter verò in actibus charitatis erga proximum nullum sibi parem habuit: atque ideò *Miris à Deo afflictus est beneficiis*. Die quadam cum aliis Religiosis mensæ accumbens, veluti alter Job, qui dicebat *Antequam comedo suspiro*, priusquam appositis vesceretur ferculis, intra semetipsum singultiens in hæc ferè verba prorumpebat.

Matt. c 13

S. Luc. 7.

Dionys. Cart. ib. f. 166. fac. 2. L. D.

Iob. 3. 21.

7. O quot Christi pauperes & mendici fame pereunt! & tu inutile corpus meum hisce te cibis pascere temeratiè præsumis! Cibi hi à mea Religione inter illos solùm distribuuntur, qui in Dei servitio strenuè laborant, tu autem quam unquam operatus es actionem, quo Domino tuo placere aliqua actione possit? scito, quod in vinea Dei *Qui non laborat non manducat*. Hisque dictis appositam sibi portionem studiosè reservavit, mensaque finita cum aliis panis fragmentis ad Monasterii fores attulit, ubi eandem plures pauperes cum desiderio expectabant. Factus autem ei obvius superior, dum eum, quidnam in veste haberet recondi-

tum, sciscitaretur: ipse moniti Evangelici memor quo dicitur: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, hanc pietatis actionem Superiorem celare voluit, ideoque sciens, quod *Pater tuus qui vidit te in abscondito, reddet tibi*, respondit: Pater nonnullos Rosarum manipulos in veste defero. Irane rosas! subjunxit Superior, & quidem hoc anni tempore, quo omnia nivibus obteguntur, tu rosas absconditas in veste tua deferes? Exhibe si quas habes. Aperto igitur gremio subitò deprehensum est, cibum una cum panis fragmentis in fragrantissimas rosas conversum esse. Unde ad ejus pedes superior provolutus exclamavit: ô te Nicolae virum admirandum, ô magnum Dei servum! abi liberè, & omnes Monasterii facultates pro tuo beneplacito dispensa, sit tuis manibus omnis mea concredita authoritas: *Hilarem datorem Nicolaum sic Deus dilexit, ut illum objurgari non permiserit, quod Conventui necessarias facultates nimis pauperibus largiendo consumeret: cùm siquidem mappulam panibus ad egenos plenam deferret, Priori occurrenti & ploranti purpureis fragrantibusq; rosis media hyeme eandem refertam ostendit, data sibi ob id imposterum libertate cuncta ad libitum distribuendi.* Vel ut celebris ille doctusque Carmelitanus Poëta Mantuanus scribit:

Matt. c. 6.

Aloys. Torel. Centur. 2. c. 44. f. 170.

In vita ejus c. 18.

Occurrens igitur gremia quid ferret onusto
Postulat, ille rosas (inspiravit in ejus ora
Hæc responsa Deus) dixit inferre recentes
Et gremium solvens roseos (mirabile) flores.

Ioan. Bapt. Mant. in sacris dieb.

Porrò Nicolai panis mutatus, quia sicut rosa florum Regina est: *Rosa inter flores obtinet principatum*, ita Charitas est Regina virtutum. Ad hæc præerat in Nicolao candidum Virginitatis Lilium, atque ideò, ut inter rosam & lilium gratiosum contraheretur hymenæum, panis in rosas convertitur; dici etiam potest id factum esse, ut verificaretur dictum illud Poëtæ:

Petrus Berc. in Reduc. f. 558. col. 1. 27.

Lilia mixta rosis ——————

Virg. l. 2. Æne.

Vel etiam cum Prudentio:

intenta rosis candentia lilia miscent.

Prud. in Ptycom.

His igitur egenis, qui in miseriarum tenebris hærebant, aurora apparuit charitatis, quæ rosas spargebat, ut proinde Deus per hoc miraculum mundo demonstrare voluisse videatur, Nicolaum verè suum dilectum fuisse de

quo

Cant.c.3. 10. quo ait: *Dilectus meus candidus*, nimirum per lilium virginitatis, *& rubicundus*, ob purpureas charitatis rosas. Enimverò rosa, ut Pierius testatur, speciale eloquentiæ symbolum est, unde de facundo Oratore dici solet: *Audivimus eum rosas loquentem.* Ac proinde rosæ frontibus suis veluti totidem facundissimis linguis Nicolai celebratunt eximiam sanctitatem. Rosæ quoque omnes alios flores venustate & pulchritudine sua præcellunt: Unde de iis dicitur: *Rosa terræ ornamentum est, plantarum splendor, oculus prati rubor, flos omnium pulcherrimus:* atque ideò rosæ in gremio S. Nicolai subnatæ de eo præconizabant eum futurum esse eximium viridarii Ecclesiastici ornamentum, omnesque alios Sanctos haud secus ac rosa flores morum venustate superaturum esse. Rosæ elogii loco hæc epigraphe subjicitur *præsidio & decori*: sic quoque charitas S. Nicolai per panem pauperibus præsidio erat, per rosas verò sibimetipsi decori & ornamento. Dici denique potest, quod dum genæ ejus in superioris sciscitantis præsentia modesto tingebantur rubore, rosæ hæ è vultu ipsius in ejus ceciderint gremium. O rosas pulcherrimas, rosas odoriferas, non jam in flore hortis subnatas, vel in Hisperidum viridariis, sed in animato quodam Paradiso miraculosè progerminantes & efflorescentes.

Achill. Alex. l. 8.

8. Ab hisce igitur rosis è pane procedentibus facilè colligere licet, quod *Deus miris affecit beneficiis servum suum Nicolaum*, nobisque indicare voluerit, eum talem esse sanctum, qui id quod planè impossibile est, possibile reddere possit. Certum est apud omnes, solemnes Ecclesiæ cæremonias mysteriis refertissimas esse: Constat autem, quod Summus Pontifex Dominica 4. Quadragesimæ rosam quandam auream benedicat, eamque postea alicui magno Principi, qui erga sedem Apostolicam optimè meritus sit, dono transmittat, Prout Alexander 3. Venetiis fecit, dum solemnem in S. Marco Missam celebraret. Cupidus porrò semper fui hujusce cæremoniæ cognoscendi significatum. Neque enim immeritò videri nonnemini posset convenientius Pontificem facturum esse, si in præfata Dominica ad imitationem Christi panem, non verò rosam benediceret & multiplicaret. Lyranus rosam hoc fine à Papa benedici respondet: *Ut solius Domini ostenderet plenitudinem potestatis, qui de lapidibus panes, & de panibus rosas nobis donare potest*, unde constat panem in rosas permutare, rem esse adeò impossibilem, ut solus Deus eam possibilem reddere possit; *ut solius Dei ostenderet plenitudinem potestatis*, ac proinde idipsum præstitit Nicolaus, quando hyberno tempore panis fragmenta Eleemosynæ loco pauperibus deferens, in rosas transformavit. Verum inquies, nunquid hujusce rei impossibilitas soli reservata est Deo? quomodo igitur Nicolaus eandem ad possibilitatem redigere potuit? nolite mirari idipsum, quia Nicolaus declaratus est absolutus quidam Dei plenipotentiarius, ut quod naturâ suâ impossibile esse noscitur, possibile efficiat: *Miris affecit beneficiis Sanctum suum Nicolaum.* Porrò Pelagius Papa dicere solebat, quod beneficia divina *gradibus semper ascendunt, & quibus bona conferuntur, meliora pollicentur, semper enim incrementis ad culmen ascenditur, ubi supremus favor præstat exordium.* Rectè equidem; nam Deus servos suos favoribus cumulando non satiatur, sicut nec ipsi ei serviendo satiari possunt, cujus manifestum in S. Nicolao habemus exemplum; hic namque abstinentiis, macerationibus, & disciplinis Deo inserviendo nunquam satiebatur, 30. annos continuos jejunavit. *Pane tantum & aqua contentus*, & huic austeritati cilicia insuper, & disciplinas adjunxit, adeò ut innocens ejus corpusculum erigere se vix potuerit. Verum ô misera caro, quemnam unquam commisisti errorem, ut à tuo Nicolao tam severè & rigidè punire mereatis, num fortè in hoc erratum fuit, quod in sanguinis effusione adeò fueris prodigus? alterius profectò culpæ te arguere non possum, quàm quod rationi nimium fueris obediens. Cæterum rigores vitæ suæ adeò excessivi fuêre, ut ipsas quoque petras durissimas ad sui compassionē cōmoverit; dum enim die quadam Sanctissimo Crucifixo genu flecteret, compertum est lapidis, cui innitebatur, duritiem genibus & cubitis Nicolai cessisse, quasi hisce eum verbis lapis hic alloqui voluisset: recreare ô innocens corpusculum Crucifixi Redemptoris tui aspectu: restaurentur languores tui diris quas sancta Jesu membra sustinuerunt asperitatibus. Considera Dei Filium passione sua tuas asperitates longè superantem. Neque enim tu Cruci affixus es, nec spinis perforatum habes tuum verticem, nec pedes, nec manus clavis trāsfixas. Noli igitur quærulari, quod pane duntaxat & aqua pascaris, quia famelico Salvatori tuo in deserto cibi loco præsentati sunt lapides, ejusque ardentissimæ siti acetum submistratum fuit fellis amaritudine commixtum. Quibus

Guilel. Durand. in Rat. d. vin. offic. in dom 4. Quadr.

Nicol. de Lira.

D. Pelag. Epist. 1. ad quosdam Scalæ Epis.

con-

considerationibus afflicta membra ejus miræ refocillabantur.

9. Mira profectò res à propriis etenim necessitatibus oculos avertens Nicolaus, promptè iis succurrebat, quorum necessitates nec aure, nec oculo persenserat. Audite factum quoddam admirandum, unde vobis concludere licebit quod *Miris affecit Dominus Nicolaum beneficiis.* Nonnemo amicorum suorum, quocum familiarius agere consueverat, in una eademq; mensa accumbens, ex devotione qua erga sanctum ferebatur, aquam Nicolai præparatam bibere appetebat, mox autem ut craterem ori admovit dum bibere inciperet, servus Dei *Aquam in vinum mutavit.* Porrò ut in qualitatis miraculi hujus cognitionem pervenire possitis, sequentem ex S. Joanne desumptum Scripturæ locum velim attendite: dum Dei Filius nuptiis in Cana interesset, accidit, ut vinum deficeret. quod advertens providissima Virgo Maria, ad dilectum Filium suum conversa, eum, ut huic defectui prospicere dignaretur, rogabat: *Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum, Fili vinum non habent.* Joan c. 2. Christus autem respondit: *quid mihi & tibi mulier?* Etenim quod Christus dicat, *Quid tibi*, non adeò magnopere miror: Quod autem insuper se excuset dicendo, *quid mihi*, non vehementer admirari non possum, siquidem necessitas quæ premit urgens est & evidens, aquam autem in vinum transmutare facultas humana non valet, atque ideò nisi Christus miraculum istud efficiat, quis præstare valebit? pro hujus difficultatis intelligentia advertenda est Mariæ supplicatio & Christi responsio, ipsa dicit *Fili.* h. e eum tanquam Filium suum *præcisè* & tanquam hominem rogabat: Christus respondit: *Quid mihi?* h. e. *ut sum filius tuus, ut homo*, sic quod petis, mihi non est possibile, ut scilicet tanquam filius tuus, & ut homo miraculum hoc patrare possim, mutando aquam in vinum. Ita exponit S. Augustinus hisce verbis: *Nihil commune est mihi & tibi, cujus virtute conveniat mihi miracula facere, quia istud convenit mihi ratione divinæ naturæ quam non sumpsi ex te.* D. Cyril. Alex ib. S. Aug. apud D. Dion. Cart. in c. 2. Io. a. 7. f. 563. Et alibi idemmet Pater subjungit: quod *facturus erat miraculum secundùm Divinitatem, non secundùm humanitatem.* idem apud D. Tho in Cant. ib. Adeò expressè Christus declaravit, sibi ut Filius est Mariæ, ut homo est *præcisè* impossibile esse convertere aquam in vinum, ejusmodi enim extremis necessitatibus providere soli Deo tanquã Deo convenit: unde Angelicus Doctor ait: *Omnia sunt subjecta Divinæ providentiæ* Verũ D. Th. 1. p. q. 22. a. 2.

enimverò ô Deus meus quid hic video, miraculum istud quod Christo at homini impossibile erat, factum est possibile Nicolao. Ejus namque conviva Craterem ex devotione aqua Nicolao præparata adimplet, eam verò gustans in vinum perfectissimum conversam esse deprehendit. Et tamen Nicolaus est homo, imò homo est Christo longè inferior, & nihilominus impossibilitatem superat. Qua ratione id fieri potuit? Nolite mirari, quia sanctus hic Dei servus factus est absolutus Dei Plenipotentiarius, cujus potentia & virtus omnia illa opera, sibi, tanquam objectum vendicat, quæ naturâ suâ impossibilia esse noscuntur. *Mirus affecit eum Deus beneficiis.*

10. Mira quidem res est aquæ in vinum transmutatio, per hanc enim transmutatur una substantia in aliam: Nicolaus autem plenipotentiam suam in rebus longè impossibilioribus demonstravit, quando substantiam & elementum aquæ è nihilo velut ex mineralibus extraxit. In Tolentino enim ob totius territorii siccitatem omnes fontes exaruerant, aqua destituti erant omnes putei, adeò ut ob aquæ penuriam non solùm homines & animalia languerent, verùm etiam architecti in prosequenda Tolentinatis Ecclesiæ fabrica progredi ulterius non possent: Nicolaus igitur divini honoris zelo accensus & Religiosorum precibus permotus subitò genuflexus orationi se totum dedit, atque arundinem quandam in terram plantavit, unde haud secus ac ex canali quodam aquarum rivili ex improviso scaturire cernebantur. Enimverò ut miraculi hujus excellentia tantò evidentius eluceat, instituamus quandam inter aquam Nicolai, & aquas à Moyse è petra elicitas comparationem. Conquerebatur omnis populus Moysi subjectus, quod in deserto quodam eos siti emori sineret, nec de potu procurando sollicitus esset, ideoque dicebat: *Da nobis aquam ut bibamus.* Exodi 17. Moyses igitur adversus omnes indignatione succensus mira verborum acerbitate eos reprehendit dicens: *Quid jurgamini contra me & tentatis Deum?* quasi diceret, cur insatiabilem & inquietam hanc plebeculam continuato murmuris vestri susurro ad seditionem provocatis? unde, Davide teste, scimus quod *Irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses, quia exacerbaverunt spiritum ejus.* Isai. 63. Verumtamen mihi hanc rem penitius consideranti populum hunc non immeritò murmurasse videtur, neque enim credendum

dum est, quod siti morientes, ac summa in necessitate potum à Moyse postulantes Moysen, vel Deum irritare, aut vexare potuerunt; quod
Matt. 6. v.11. si enim nos panem nostrum quotidie postulamus dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: cur populus aquam à Moyse postulare non potuisset: Abulensis dicit: populum aquam poscendo malè fecisse, benè autem egisse Moysen, dum rigorosis verbis se exacerbatum ostendit, asseritque insuper Moysem minimè obligatum fuisse, ut populo de aqua prospiceret: *Non tenebatur ipse ad hoc.* Sed cur ita? si Moyses Dux populi erat, utique illi providere debebat de omni eo, cujus habebat necessitatem, cùm verissimum sit commune illud adagium. *Non præest, qui non prodest.* Ad hæc militi nihil intolerabilius est siti, utpote quæ malorum
Abulen. in c.17. Exod q.2. fol.245. col,1.D. pessimum in se continet. Unde in bello Germanico nimia, quam milites patiebantur, sitis causa fuit, cur universus exercitus Mario rebellarit. Atque ideò potius contra doctrinam Abulensis dicendum videtur, quod *Moyses tenebatur ad hoc*, & tamen ipse constanter dicit: quod *Non tenebatur*: & meritò quidem, quia in deserto quodam inter rupes & saxa constitutus erat, è quibus aquam elicere utpote impossibile humanam superabat virtutem, unde meritò Moyses dicere poterat, non teneor ad impossibile. En ipsissima Abulensis verba:
Abulens. ubi supra. *Hoc dato quod tota populi cura Moysi incumberet, non tamen tenebatur ipse ad hoc, quia nullus tenetur ultra possibilitatem, erat autem simpliciter impossibile quod ipse daret eis aquam de petra.* Verùm enimverò id quod Moysi impossibile erat, factum est Nicolao Tolentino, in summa aquæ penuria consistenti possibilissimum. Nam in aridam terram, & inter lapides, & rudera Nicolaus arundinem quandam plantat, & ecce (ô miraculum stupendum) unda pura & crystallina in tanta copia scaturire visa est, ut inde formatus sit puteus quidam, qui in hodiernum usque diem videtur, & conservatur, velut testis veritatis, quod Nicolaus impossibile possibile fecerit: *Quæ nulla arte inveniri poterat, unda salubris piis Nicolai lachrymis & orationibus affluxit.* Tantis autem gratus servus Dei cælitus cumulatus fuit, ut ex hoc mundo innotesceret, quod *Miris affecit Dominus beneficiis sanctum suum Nicolaum.*

In vita ejus c.17. 11. Etenim per jejunia & continuas abstinentias *adeò animam sagin.avit, ut nec pinguia, nec quidquam gustui delectabile susciperet unquam, pane solo & aqua contentus.* Rigidæ autem hæ corporis macerationes gravem quandam infirmitatem Nicolao accersiverant, in qua à Medico ipsum visitante, ut ad refocillandum corpus carnes manducaret, ordinatum fuit, id quod ipse facere omninò detrectavit, utpote in Medicum cælestem confisus, *qui solo sermone restaurat universa.* Superior autem duas ei perdices præparari, optimeque præparatas & conditas apponi fecit, simul ei *in meritum salutaris obedientiæ* præcipiendo, ut easdem comederet. Quid hic facies O Nicolae? si ad carnem manum extenderis, vim faciet abstinentiæ, si verò hanc non manducaveris, magnum inferes obedientiæ præjudicium; abstinentia & obedientia dilectissimæ & devotissimæ amicæ tuæ sunt, si uni gratificatus fueris, alteram infallibiliter offendes, si unius te sequacem ostenderis, alteram te fugere declarabis. Veruntamen præhabito cum prudentia consilio, sciens, quod *Melius est obedire quàm sacrificare*, modicum quid de perdice, quantum scilicet ad implendam obedientiam sufficiebat, accepit & benedictione perdicibus impertita (O favor singularis & prorsus eximius) utræq; perdices reviviscunt, plumis revestiuntur, noviscque additis alis explicatis liberè avolarunt; quo viso prodigio, non solùm circumstantes ob stuporis excessum veluti in lapides conversi sunt, verùm ipsemet stupor veluti lapis quidam obstupefactus immobilis hæsit. Videmus igitur, qualiter ut sanctitati Nicolai applaudatur, ipsæ quoque aves mortuæ resurgant: tum quia miracula per manum Plenipotentiarii Dei patrata, sunt veluti volantia prodigia; quæ vulgaris eloquentiæ cursus assequi non potest: Meritò igitur perdices hæ imò phœnices fortunatissimæ, quæ ab igne charitatis Nicolai revixerunt in hominum mentibus fama sæpe immortali victuræ remanebunt. *ex Conrad. de Orbisca-lia.*

12. Quid igitur hic vobis, ô Auditores videtur? nunquid in hoc opere ingens quædã elucet impossibilitas per S Nostrum ad possibilitatis terminos redacta? Etenim sicut Sol ōnes stellæ fulgores excedit, ita resurrectio quodvis miraculū, & tamen licet resurrectio opus impossibile importet, Nicolaus tamen opus quoddam resurrectione longè majus exhibens, specimen edidit, se etiam in iis, quæ impossibilibus impossibiliora sunt, pertrandis prævalere. Notum etenim est resurrectionem consistere in reunione animæ & corporis, eamq; tunc solùm locum habere, quando hæ partes etiam postquam divisæ sunt; salvæ con-

conservantur. Perdicum animæ autem jam mortuæ erant, & tanquam formæ inseparabiles *amiserãt esse*. Unde quando Nicolaus eas resuscitavit, non solùm duarum divisarum partium unionem produxit, verum etiam animæ illarum ab eo de novo productæ, atque à non esse ad esse revocatæ fuerunt. Unde si resurrectio mortuorum humanæ virtuti impossibilis est, Nicolaus perdices mortuas resuscitans, non solùm impossibilitatem superavit, verùm insuper miraculum quoddam patravit impossibilitatem longè superans. Atque ideò tametsi nullæ præsto essent aliæ actiones, hæc sola ad Nicolaum veluti Plenipotentiarium & amicum Dei, à quo *Miris affectus est beneficiis*, canonizandum sufficeret. Enimverò hoc loco reipsa comprobatum esse video, quod ex Sancto Pelagio superius diximus, nimirum: *Et quibus bona conferuntur, meliora pollicentur*, siquidem ipsamet quoque Virgo Beatissima ad hunc Domini servum favoribus demulcendum concurrere voluit, quando infirmitatis suæ tempore in splendidissima nube maximo Angelorum comitatu cincta ad eum visitandum de cœlo descendit, & verum ei antidotum, id est panem attulit, cui hodie panis ille respondet, qui etiamnum in ejus honorem benedicitur, & dispensatur. Hanc igitur cœlorum Reginam mox ut Nicolaus vidit, hisce ferè verbis est allocutus: quinam sunt hi favores O promacõda Nobilis, ô amantissima Medica? Utinam nunquam à me hæc infirmitas recedat. Quando ejus occasione tam magnifica visitatione me honoratum video; gratias igitur Virg. egit, quæ magna post se in infirmi pectore consolatione relicta protinus discessit, Nicolaus autem acceptum panem aquæ intinxit, eoq; devotissime sumpto sanitatem subitò recuperavit. Et quis sufficiet enarrare gratias quas universus Christianismus ab hoc pane recipit? è quibus tamen unum vel alterum quin recenseam omittere non possum. Accidit circa annum Domini 1477. in urbe Venetiarum, quod palatium S. Marci igne circumquaq; corriperetur, quod utique totaliter igne flammaq; conflagrasset, nisi Religiosus quidam Augustinian. benedictum quendam S. Nicolai paniculum in incendium istud conjecisset, unde ignis alias inextinguibilis protinus extinctus fuit. E felicibus quoq; pulchræ Parthenopis littoribus integer quidam solverat navium exercitus, qui mox ut in altum mare venit, à sæva tempestatum furia miserè agitatus & conquassatus una cum navigantibus submersus propè fuisset, nisi quidam è religiosis nostris maris turbulentias per mari injectum S. Nicolai panem sedasset. Quot sunt per hoc antidotum à contagio præservati? Quot infirmi à Medicis derelicti per hujus panis virtutem è mortis faucibus brevi tempore fuêre subtracti? quot mulieres steriles evasere fœcundæ? quot ex partus doloribus moribundæ hoc pane sumpto felicitet peperetunt? Etenim sicut manna ad satiandum cujuslibet gustum & appetitum omnes in se complectebatur sapores, ita panis hic cælestes homines à quovis periculo & infirmitate liberandi virtutem in se continet: ut de eo dici possit: *Omnia omnibus factus est panis D. Nicolai.* Portò si in S. Dei Ecclesia sanctus aliquis eligendus fuisset, qui inter omnes alios veluti Rex quidam emineret, ad eum ferè modum quo olim ingruente calamitoso Hierosolymis tempore accidit, omninò crederem electionẽ hanc in persona Nicolai nostri terminandã infallibiliter esse, neque enim per actum humilitatis ab hac dignitate acceptanda excusare se potuisset dicendo: *Non sum Medicus & in domo mea non est panis*, siquidem nullus est infirmus qui ad ipsum recurrens non recuperet sanitatem, imò & panis ejus quibuslibet infirmitatibus curandis opportunum adfert remedium. Quapropter O Nicolae, quia Medicus es, & panem habes. *Esto Rex noster*, Protector noster esto & Advocatus.

13. Verùm enimverò ad eam revertamur virtutem quam Deus illi, veluti plenipotentiario suo indidit, faciendo possibile quod est impossibile. Elias in curru igneo in cælum abiturus Elisæũ dilectũ discipulũ suũ hortatus est, ut aliquã ab eo gratiam poscerer, utpote infallibiliter obtinendam: *Postula quod vis ut faciam tibi antequã tollar à te*; cui ille subjunxit: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*. Equidem inter Expositores non satis convenit, qualisnam fuerit virtus aut spiritus ab Elisæo hisce verbis postulatus: Lyranus & Abulensis credunt, ipsum poposcisse virtutem prophetandi, & miracula faciẽdi facultatem, *id est, prophetandi & faciendi miracula*. At verò si ita esset, utique Elias ei non respondisset: *Rem difficilem postulasti*, siquidem non implicat quod aliquis servorum Dei prophetizet, & faciat miracula, ac proinde S. Gregorius & Rabbi Salomon dicunt, Elisæum postulasse quidem potestatem, & virtutem faciendi miracula, id tamen in hoc sensu intelligẽdo, ut ea faciat duplicata, adeò ut si Elias duo fecerit, ipse quatuor patret, si Elias quatuor, ipse octo: *Fiat in me duplex*

Idem f. 99.

Isa. 3.

4 *Reg.* 2. *v.* 9.

Ibid.

Lyran. Abul ibid. q. 16. *col.* 1. *G.*

Ibid. n. 10.

Anno Domini 1477 *apud Donatum Calv f.* 75.

plex est spiritus tuus. Hac autem expositione suppositâ, denuo mihi videtur Magistrum minimè respondere debuisse *Rem difficilem postulasti*, siquidem inveniuntur Sancti benè multi, qui majora sint operati miracula, quàm Elias patrarit, quod si enim Elias tantisper mare divisit, donec illud cum discipulo suo pertransisset, Moyses illud per tot horas divisit quot requirebantur, ut omnes exercitus sui milites illud transirent. Unde *quoad durationem* miraculum hoc plusquam duplicatum, imò centuplicatum extitit. Si Elias quadraginta diebus jejunavit, Maria Magdalena & Maria Ægyptiaca desertum quoddam 30. annos incoluerunt, nec tamen ullo imaginabili cibo fuerunt perfruitæ. Si Elias cohibuit cælum ne plueret, & Josue Solem firmavit ne iter suum prosequi posset, id quod majus est, quàm cælo interdicere pluviam. In strage Ronsisvallensi ubi mortui sunt vigesies mille Catholici & quinquagesies mille Pagani, Carolus Magnus, ut interfectos suos dignâ & Christiana sepultura honoraret, adeòque eos à Sarracenis, quibuscum permixti jacebant, divideret, cùm ad hoc opus dies unus non sufficeret, Soli, ut cursum suum usque ad completam piam hanc functionem sisteret, præcepit, effecitque, ut hic planeta cursum suum ad trium horarum spatium moraretur promptissimè: *Dum corpora sanctorum militum à Saracenis occisorum requirereret apud Ronsisvallem, & Sol ad occasum pergeret ad ejus orationem, & mandatum Sol in cælo stetit, & spatio quasi horarum trium in nullo se movet, donec sanctus Rex omnes suos interfectos recollegit.* Quod si igitur alii Sancti miracula patrarunt centies & pluries Elianis miraculis majora, cur Elias Elisæo spiritum miracula patrandi sibi duplicari petenti respondit, *Rem difficilem postulasti*; Ac si diceret: *Vellem ut peteres, sed ut possibilia peteres*, capere etenim non possum, in quonam hæc consistat impossibilitas. Ac proinde hæc mea est opinio difficultatem hujus petitionis non cadere super facere miracula in genere, sed super unum speciatim scilicet super resuscitationem mortuorũ, hæc etenim verè dici potest miraculũ miraculorum; unde Elisæus supplicans spiritum duplicatum, duplicatam quandam virtutem impetrare contendebat suscitandi bis totidem mortuos, quot ab Elia suscitati fuerant, ut si Elias unum suscitasset, Elisæus suscitaret duos; aut si Elias duos, Elisæus quatuor suscitaret. De hoc igitur Elias loquitur cum dicit: *Rem difficilem postulasti, vellem ut possibilia postulares.* Hoc igitur suppositâ hunc in modum discurramus: Suscitare duos mortuos uti desiderabat Elisæus difficile est: *Rem difficilem postulasti.* Resuscitare tres, uti Christus fecit, difficillimum est. Resuscitare quatuor impossibile: sex verò aut decem ad vitam revocare impossibilissimum. Verum ehem quot mortuos sanctus Nicolaus suscitavit? Omninò viginti quinque. O ingentem Divinæ bonitatis excessum! Si enim quatuor resuscitare impossibilitatem attingit, ipse autem tanquam Dei Plenipotentiarius ad ea patranda prævaluerit, quæ impossibilissima sunt, facilè est cuilibet judicio pollenti efformare argumentum *à fortiori*. O igitur te admirabilem O Nicolae! Actiones enim tuæ non solùm capacitatem humanam, verùm etiam impossibilitatis terminos transcenderunt! Nec mirum siquidem Deus hoc præcipuè fine eum inter alios sanctos elegerat: *Miris affecit Dominus beneficiis sanctum suum Nicolaum.*

14. Monebatur Rex Achaz, ut signum aliquod sive in cœli altitudine, sive in profundo inferni pro arbitrio suo peteret: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Isa. 7. n. 10. Verùm ipse, sive quia se idipsum non mereri cognoscebat, sive quia tale quid petendo se temerè acturum formidabat, vel minimum quid petere recusavit: *Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.* Certum equidem mihi est, Achaz Regem nihil tale postulasse, quia pro arbitrio beneficia sibi vel aliis poscere soli Nicolao nostro reservabatur. Ipse etiam miracula cælitus obtinuit, & speciatim stellam quandam, quæ ipsum non minus, quàm alia quædam stella tres Magos Orientales in Bethleem usque deduxit, ex territorio Sancti Angeli Tolentinum usque inseparabiliter est consecuta, serúque mensibus continuis mortem suam immediatè antecedentibus, quavis nocte Angeli ei apparebant, eum nunc cantuum melodia, nunc instrumentorum Musicorum harmonia demulcentes, ejusque animam, quæ vera Dei sponsa erat, ad cœlestem gloriam invitantes: *Cùm ejus vita finis appropinquaret, per sex menses ante in hora matutini Angelos magna repletus delectatione concinentes audivit.* Epist. Equilin. in vita ejus c. 8. Hæc igitur aliaque plura signa rursum de cœlo habuit: At verò quid de illis dicemus quæ ex abysso impetravit? *Pete tibi signum in profundum inferni.* Unde animæ purgatorii ejus auxilio habendo ad ardentes ejus orationes recurrebant, eique apparuerunt hisce ferè vobis eum rogantes.

Petrus de Natal. Episc. Equilin.

Sancte

Sancte Pater succurre tuis, compesce dolores,
Quos patimur tantos & nostra incendia tolle:
Namque potes, si sancta dies libamina septem
Dederis, nobis fer opem & miserere tuorum.

Verum dicet fortasse aliquis non esse specialem Nicolai favorem, per animarum liberationem signa ex purgatorio impetrare, siquidem satis credibile est, quemvis sacerdotem per sua sacrificia animas liberare nonnullas. Hinc igitur respondeo primo, tametsi id verum sit, à nullo tamen sacerdote animas in tanta multitudine liberatas esse, sicut à Nicolao. Secundò id quod maximam admirationem, imò stuporem cuivis adferre debet, est, quod ex ipsomet inferno fratris sui animam liberavit, cujus mox ut mortem inaudiit, plangendo dixit: *Heu miser quia damnatus est.* Veruntamen divinæ Majestati supplicans, gloriam ei protinus impetravit, adeò ut frater ejus in visione ei apparens eum de sua liberatione certificaverit dicens: *Frater mi, verè tuis precibus à pœnis liberatus ad cœlestem evolo patriam.* Dices fortasse, impossibile esse animas ab inferno liberari: *Quia in inferno nulla est redemptio.* Respondeo verum id esse; veruntamen Deum in divinæ justitiæ legibus in gratiam Nicolai dispensasse, quia sanctus hic Dei plenipotentiarius est, qui ipsa quoque impossibilia efficit: *Pete tibi signum in profundum inferni.* S. Thomas Doctor Angelicus in 3 parte summæ quærit, an Christus Redemptor noster aliquam earum liberarit animarum, quæ in culpæ originalis reatu mortuæ fuerant, & negativè respondet: Ratio autem est, quia *Descensus Christi ad inferos in illis solis effectum liberatum habuit, qui per fidem & charitatem passioni Christi conjungebantur, in cujus virtute descensus Christi ad inferos liberatorius erat. Pueri autem, qui cum originali discesserant, nullo modo fuerant conjuncti passioni Christi per fidem & dilectionem.* Dicere autem quod *nullo modo erant conjuncti passioni Christi*, idem est quod affirmare, quod *nullo modo poterant liberari*; id autem quod nullo modo fieri potest, impossibile est ut fiat. Veruntamen hanc impossibilitatem S. Nicolaus superavit, quasi verò Salvator noster nullam ex limbo animam liberaverit, quia hic casus, ut pote *secundùm se* impossibilis Nicolao Dei plenipotentiario reservatus erat, qui animam infantis cujusdam, qui culpæ originalis reatui obnoxius ex hoc mundo discesserat, è limbo liberavit, prout fert multorum scriptorum relatio, id quod idem est ac dicere, quod S. hic id quod impossibile erat suis orationibus possibile effecerit. *Et miris affecit eum Dominus beneficiis.*

In octava die S. Nicol. & lect. 4. secundi Noct.

D. Th. 3 p. q. 52. a. 7. f. 514.

Apud cæleſt. Brunnum Epiſc. Bojani in quod libeco f. 628 §. 6.

15. Achaz Rex nulla à Deo signa petiit, quia hæc Nicolao reservabantur, ut eadem impetraret; ac proinde ô magne serve Dei *pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si enim volueris, ut fragmenta lampadis tuæ vitreæ, à Dæmone cor tuum quod adamantinum erat, confringere non valente, totaliter collusæ & in multas partes disruptæ in unum perfectè redigantur, & lampas pristino suo statui restituatur, redeatque lychno flamma ut locum illustret, pete à Deo & obtinebis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si à Tentatore infernali infestatus crudelissimisque insultibus invasus, orationibus, & jejuniis armatus inimicum hunc adeò truculentum in fugam agere, & gloriosam ab eo victoriam repottare volueris, postula à Deo & impetrabis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si per signum Crucis sanitatem infirmis restituere, vulnera, & tumores curare, febres & mortem fugare, vitamque revocare volueris, pete à Deo & exaudieris, *pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si ex tetræ motuum concussionibus paries quidam Ecclesiæ Tolentinatis ruinam minatus fuerit, tu verò, non obstante, quod de facto versus centrum se inclinaverit, eum immobilem reddere volens ei præceperis dicendo: Ex parte Dei tibi impero, ut immobiliter persistas. Pete & obtinebis quidquid desideras: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si volueris quod adversus eos, qui in publicis justitiæ patibulis in aera suspensi sunt, mors functiones suas non exequatur, postula à Deo fietque tibi sicut vis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Quod si Ecclesia in medio maris millenarum turbulentiarum à procellosis hæresum & schismatum undis conquassatâ volueris, ut tot commotionum procellæ compescantur, & quies pacisque universalis serenitas Ecclesiæ restituatur, postula à Deo & pro voto omnia impetrabis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si præmonitum esse volueris universum Christianismum, ne ex improviso à Catholicæ fidei inimicis demetatur & extirpetur, pro signo autem sanguinem propium è brachiis elicere volueris, pete à Deo & obtinebis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Quod si nonnulli è sublimi fabricarum culmine in terram prolapsi fuerint, tu autem illos illæsos, & intactos præservare volueris: Pete à Deo subitò impetrabis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Quod si in-

Ex lib. Donati Calv. Auguſtiniani congregat. Lombar.

fantulus è situla putei cujusdam bibere volens in eundem infeliciter collapsus, & per duas horas integras citra ullum submersionis subsecutæ periculum constitutus à transeuntibus pueri cadaver extrahere volentibus reperiatur intactus & vivus, nil mirum quia Nicolaus hoc à Deo petiit, & pro voto impetravit. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Quod si ludenti cuidam infantulo ex clavo, in ejus gulam in transversum adacto, fauces cum manifesto mortis periculo intumescunt, tu verò ejus salutem à Deo poposceris, utique obtinebis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si in Bergamensi territorio in Brembana & Seriana valle flumina intumescentia, campos & agros inundantia, cunctas devastantia domos, arbores extirpantia & subvertentia, pontes coercere, eoque fine à Deo remedium volueris poscere, libentissimè quidem illud expete; teque protinus exauditum experieris: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si mari ut procellarum suarum furores mitigare præceperis, aeri ne grandine possessiones & prata devastet; fulmini ne viatoribus Macerata inter & Recanaten obertantibus nocumentum aliquod inferat, igni denique ne lectum, in quo puerulus dulciter dormiens jacebat, lambere incipiat, mandare volueris, generosè mandare ne dubita, postulatam enim à Deo gratiam subitò obtinebis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Si Christianismus in principalioribus totius mundi civitatibus Romæ videlicet, Neapoli, Genuæ, Venetiis, Bononiæ, Ferrariæ, Mediolani, Lugduni in Galliis & plurimis locis aliis à pestis contagio oppressus subsidium à te postulaverit, in vanum se id non fecisse confestim experientur, quam enim à Deo postulas gratiam, infallibiliter impetrabis. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo* Quod si in urbe Cordubensi quæ totius Hispaniarum Andalusiæ Metropolis est, pestis, manifestum Dei flagellum furores suos exserat, universæ autem civitati ad placandum divinæ justitiæ furorem, in devotam quandam processionem sese recipienti Sodalitas tua obviam processerit, vexilli loco ex una parte crucifixum, ex altera vero S Nicolai statuam deferens, protinus videbitur, quod mox ut ambæ turmæ sese proximè contigerint, statua tua ô S. Nicolae tametsi lignea ad crucifixi pedes genuflexa corruet, ipse autem Crucifixus è clavis & cruce manus suas resolvens te servum tuum dulciter amplectetur, cessabitque subitò in gratiam eadem prosus die totius urbis contagio; tu enim facillimè obtines, quidquid desideras. *Scitote igitur, quoniam mirum fecit Dominus sanctum suum, & miris affecit beneficiis.*

PARS SECUNDA.

16. *Admirabilem reddidit servum suum Deus* etiam in morte. Innumera quidem sunt motiva ex quibus Nicolaus etiam in morte verè admirandus sanctus esse declaratur, inter cætera autem præcipuè mihi considerandum occurrit, quod sex mensibus continuis, priusquam ex hac mortali vita in paradisum transiret. Deus ad eum consolandum cantibusque Angelicis demulcendum Angelos quotidie submiserit; *Sex ante obitum mensibus paulò ante nocturnas preces singulis noctibus Angelicum audivit concentum.* Veruntamen quod hunc Angelicum concentum attinet, eundem ob ipsorummet quoque Angelorum interesse institutum esse existimo, cum enim debitæ concentus sui harmoniæ formandæ per Luciferi contra altum canere volentis lapsum Bassus deesset, expresè namque declaraverat, *super solium Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo*, opus erat ut Nicolaus per humilitatis suæ Bassum Luciferi defectum suppleret, ut cœlestis Musica nullius argui dissonantiæ posset, atque ideò Angeli cum Basso humilitatis suæ concertaturi ad eum se recipiunt. Aut verò dicere etiam possum, sanctum Nicolaum cœlestis musicæ tanquam cappellæ magistrum inservire debuisse, utpote qui super innocenti corpusculo suo per rigidas disciplinas exactissimè moderari poterat, tactum sive Mensuram. *In 3. lect. 1. Noct. in ejus feste.*

17. 2. Resp. Deus Davidi per Nathan Prophetam significat, dimissum ei esse peccatum cum Bethsabea commissum, futurum tamen fore, ut filiolus ab ea natus brevi tempore moreretur. Ex quo nuntio David vehementer turbatus, Deum ut vitam ipsi continuet ardentissimè rogat, rigideque jejunat, aliisque mortificationibus super nudam humum jacendi se conficit, ut facilius impetret, quod postulabat. Interea verò totus extra se raptus nullas aulicorum consolationes, aut pro corporis restauratione cibum necessarium admittebat. Septimo autem die mortuus est infantulus: *Accidit autem die septima, ut moreretur infans.* Quod triste nuntium nullus ei communicare audebat, timebant enim ne afflicti Regis mœrori nimia adderent incrementa. Rei autem gestæ veritatem diutius dissimulare non valentes. Tandem aperte dixerunt, *2. Reg. 2. v. 18.*

Ibid. v. 2. xerunt, quod *mortuus est puer*. Hic igitur ô Auditores rem audite mirandam & obstupescite; dicit enim Sacer textus, quod percepta pueri morte experrecta, & serena fronte vultum omnibus exhibuerit hilarem, sublatusque à terra faciem suam laverit, pretiosisq; odorum suffitibus imbuerit, regiisque vestibus novis fuerit amictus. nimirum cæremoniæ hæ erant ab Hebræis in casu occurrentis jubili & lætitiæ exhiberi solitæ: Ibid. *Surrexit ergo David de terra, & lotus unctusque est, eumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini.* Et quidem David hac in re valdè prudenter se moderatus fuisse videtur, dum ex morte Filii non faciem tristem aut afflictam, sed hilarem & lætam induit. Ita enim Anaxagoras quoque dum unigeniti sui mors ei nuntiaretur, ne quicquam turbatus dixit: *Sciebam me genuisse mortalem.* Xenophon filiorum suorum quendam in prælio occisum esse audiens, expresè declaravit: *Malle se habere filium strenuum quam longævum.* Antigoni denique hoc solum in filio suo displicuit, quod tardius glorioſa morte occubuisset, prout in bello dimicantibus accedere solet, dicebat enim: *Serius ô Fili tam glorioſam mortem subiisti.* Joannes Huniades nobilissimus Hungariæ Athleta post universam familiam suam demortuam pulla se veste induit. Uladislaus autem Hungariæ Rex, hunc vestis colorem cum jucundiori mutare præcepit, insinuate volens, in morte amicorum nulla exhibenda esse mœstitiæ signa, siquidem is qui moritur vitalem mortem cum immortali vita commutat. Quæ etiam causa fuit, cur David ob filii mortem lætitiam potius quam mœstitiam præ se tulerit.

18. Verum enimverò sistamus hic nonnihil, & alium quendam funestum, & Davidi non minus ingratum casum audiamus, nam triste illi ex civitate Chusi adfertur nuntium, scilicet Absalonem filium suum à Joab duce suo in bello esse occisum, jubeturque proinde non tristari, sed lætus esse, utpote qui non tam filium quam truculentissimum quendam inimicorum suorum amisisset. Audito hoc nuntio Rex, qui præ lætitia exsilire debebat, totus turbatus est: *Contristatus itaque Rex*; inconsolabiliter plangere cœpit: 2. *Reg.* 18. v. 33. *Ascendit cœnaculum portæ & flevit*, & suspirantibus labiis totam hisce vocibus Domum implevit: Ibidem. *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut moriar pro te, Absalon fili mi, Absalon.* Hic enim David omnem ex morte primi filii intrepido animo tolerata comparatam sibi fidem & gloriam amittere videtur, dum in jactura secundi filii omninò se exhibet inconsolabiliter tristem, qui potius lætari & gaudere debuisset, utpote qui infestissimus ejus inimicus erat, utpote nihil aliud adeò molitus, quam ut eum licet Patrem suum regno, corona, sceptro, imò & vita ipsa exuere posset. Consolare igitur ô David, vel ex hac duntaxat consideratione, quod tibi mortuus sit non filius, sed homo quidam rebellis, ingratus, traditor: è contra verò conturbare, quod Deus filiolum tibi ademerit, pactum nimirum amoris quo Betsabeam deperibas, à quo aliud quam gaudia & consolationes exspectare non poteras. Verum eheu (ita mihi Davidem respondentem audire videor) de Absalonis morte vehementer contristor, quia perditissimæ vitæ juvenis erat; de filiolo autem ex Betsabea genito vehementer lætor; quia sanctus erat & innocens. Hoc itaque suppositio, quid de Nicolai nostri sanctitate dicemus? de tanti servi Dei candidissima innocentia? in utraque enim adeò admirandus extitit, ut cælum ipsum sex menses continuos ante mortem immediatè præcedentes insigni jubilo atque lætitia ei morituro applauserit; universa Curia cœlestis ei occurrit; angeli voce & plectro suavissimas ei harmonias musicas effingunt; ipsemet Dei filius, Beatissima quoque virgo Mater ejus, & sanctus Pater Augustinus è cælo se recipiunt, ut obviam ei procedant; eumque ad cœlestem gloriam invitent, dicentes: *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui.* Porrò alii sancti cœlestem gloriam ingredi ardenter desiderant, undè & Apostolus dicebat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*: at verò quando de Nicolao agitur, ab universa cœlesti curia idem desideratur, dicente: *Euge intra in gaudium Domini tui.* Unde colligere licet, quod *admirabilem reddidit Deus sanctum suum Nicolaum* in morte. *Die 17. Sept. in octav. 2. Nocturn. lect. 3.*

19. Denique ipsimet lapides hunc nostrum magnum Dei servum tanquam admirandum sanctum, qui universa impossibilia possibilia reddidit, canonizare voluerunt: Etenim in quadam Italiæ civitate quædam in Ecclesia Ordinis Eremitarum S. Augustini existens glorioſi Nicolai lapidea statua certo quodam die in totius populi conspectu à capite ad calcem usque sanguinem sudare cœpit. Ex qua novitate obstupefactus est universus populus, concurrit etiam eo summi Pontificis Legatus, qui ob rem tam admirandam attonitus dixit, pro comperto habeo; *Petrus de Valder. fer. 5. de D. Nicol. fol. 198. col. 2.*

habeo funestum quid hodie Ecclesiæ Dei accidisse. Et verè ita fuit; dum enim hæc agerentur, veredarius quidam Roma expeditus appulit, qui mortem annunciavit Eugenii Papæ Quarti, ob cujus sedem vacantem funestissima Ecclesiæ Dei mala acciderunt: Enimverò Auditores, sistamus hic nonnihil; nam quod lapis aliquis *tendat deorsum*, quod in loco ubi est collocatus firmiter persistat, hæ proprietates lapidi debentur: at verò ubi unquam auditum est lapidem sanguinem sudare? utique idipsum naturaliter impossibile est, veruntamen quia lapis hic Nicolaum referebat, non erat ei difficile, ut effectus naturæ suæ impossibiles produceret; vult namque Deus, ut ipsa quoque saxa hunc Dei servum tanquam sanctum, admirandum & electum Dei plenipotentiarium solemniter canonizent, cujus virtus impossibilitatem possibilem factam pro objecto habeat, cui proinde eximius hic titulus *sanctus stupendus* per antonomasiam jure acclamari possit: *Scitote quoniam mirum fecit Dominus sanctum suum, miris affecit beneficiis & admirabilem reddidit*, prout hactenus toto hoc sermone dictum & demonstratum fuit.

SERMO TRIGESIMUS
IN FESTO
S. MATTHÆI APOSTOLI
ET EVANGELISTÆ.

Et fundamenta Muri civitatis omni lapide pretioso ornata, fundamentum septimum Chrysolytus. Apoc. cap. 21.

Vinc. Bel. l. 8. c. 29.

1. DEum lapidibus admirabiles indidisse virtutes affirmant Philosophi, utpote rem frequenti experientia comprobatam, unde Poeta:

Nec dubium cuique debet falsumve videri
Quin sua sit virtus divinitus insita Gemmis.

Etenim de Achate lapide, qui in quodam Siciliæ flumine, à quo denominationem habet, nascitur, plurimi scribunt, eum adversus viperarum morsus præsentissimum esse antidotum. Item, quod visum conservet, & in ore portatus siti adferat remedium, denique ut Belluacensis refert *portantem roborat & fœcundat*. Memoria quoque non excidit lapis ille, quem Pyrrhus annulo inclusum portabat, in quo novem videbantur Musæ, in earumque medio Apollo cytharam tangens: *Non impressis figuris sed ingenitis*. In Aslon Trojadis lapis quidam nascitur dictus Sarcophagus, in quem imposita cadavera quadraginta dierum spatio consumuntur totaliter, illæsis solum dentibus relictis. Vestes autem quibus cadaver amicitur, in eundem transmutantur: *Sarcophagus lapis est dictus, & corpora defunctorum in eo condita infra quadraginta dies dentibus exceptis consumuntur. Sarcos enim Græcè dicitur Arca, Phagos comedere; vestes quoque & calceamenta mortuis illata lapidea fiunt*. Hugo Rex Franciæ vas quoddam habebat ex Onyche lapide elaboratum, quod socero suo Eduardo Angliæ Regi dono dedit, quod ea pollebat virtute, ut admirabiles in se futuros effectus demonstraret, videlicet messem quandam granorum abundantem, vites frondosas, denique hominum sese moventes imagines, haud secus ac si vivi & veri homines fuissent: *Vas quoddam ex Onychino misit ita celatum, ut in eo fluctuare segetes & gemmare vites, & hominum moveri imagines viderentur*. In Melavar provincia Orientali lapis quidam experitur talis virtutis, ut qui eum ore suo defert, nullam patiatur famis necessitatem, unde & pauperes continuum lapidis istius usum habent: *Indigena foliis cujusdam oleris involutum ore die tota versant, illius calida virtute simul & oleris veluti esculento saturantur*. In Acheloo flumine Græciæ lapis

Belluac. ibid. c. 37.

Vinc. Bel. in spec. hist. l. 24

Simon Majoll. coll. 18. f. 797.

lapis quidam generatur Galathites appellatus, qui mulierum parvulos nutrientium ubera lacte fœcundat: parturientes verò ubi hunc lapidem dextro brachio alligatum portaverunt, sine dolore à partu se expedite facit. Liberat quoque à dentium dolore, & contra ligaturas seu incantationes Dæmonis mire valet, oblivioni tradit omnes casus sinistros & funestos, cunctaque incendia in ejus præsentia extinguuntur: *& qui secum portaverit, si principem vel alium offensum habuerit, in oblivionem eum adducit & gratiosum reddit.* In littoribus Oceani in Persida intra Aquilarum Nidos Ethytes lapis invenitur, qui à mulieribus sterilibus ad collum suspensus easdem fœcundas efficit, gravidarum partus facilitat, abortus arcet, à morbo caduco liberat, alimonia veneno intoxicata lapis hic manifestat: *Si de veneni fraude aliquis suspectus est, hic lapis subjectus & cibo impositus ipsum deglutire prohibet.* Alectorius lapis ea virtute est præditus, ut qui ipsum ore suo defert, de inimicis suis victor evadat, si Dioscoridi fidem habemus; augetur quoque in fœminis faciei venustas, & maritis suis gratæ redduntur; Regi in prælio dimicanti, mulum quoque refert ad consecutionem victoriæ; advertit autem Belluacensis necessum esse, *Ut bona tot præstet, clausus portetur in ore.* Juxta mare Oceanum apud Trogodites quædam generatur Magnetis species, quæ sagittas ferreas intra vulnera hærentes attrahit. De eadem quoque Magnetis specie refertur, quod latrones domum aliquam secure deprædari volentes, eandem pulverisatam in ignem conjiciant, unde fit, quod domus incolis visus hebetetur videaturque iis domus tota susque deque casura, unde periculum evadere volentes, præ formidine è domo fugiunt; unde latrones plenam habent libertatem auferendi quæ volunt: *Fures intrantes domum ut pretiosa diripiant, infra quatuor angulos domus carbones ardentes ponunt, & lapidem minute præcisum supermittunt, sicque mentes & oculos eorum, qui adsunt avertunt, ut timore fugiant, putantes super se ruere domum.* Non est inferior aliis prædictis lapidibus virtus adamantis: hic enim omnes à corde suspiciones arcet, quæ hominem inquiete vivere faciunt; maleficiis & incantationibus resistit; potentissimum est adversus deliria stultitiæ pharmacum; venenis quoque evidens præber antidotum; estque vanitatibus somniorum, & phantasmatum effectibus opportunum remedium: hominem animosum reddit & fortem, ut adversus inimicos suos prævalere possit: Denique magnam cum venenis antipathiam habet, quia *si venenum adhibeatur prope, fertur sudore madere. Valet contra insaniam & vana somnia & phantasmata.* Libens hic Jaspidis, Sapphiri, Chalcedonii, Smaragdi, Sardonichis, Sardii, Beryllli, Topazii, Chrysoprasi, Hyacinthi, Amethysti, aliorumque similium lapidum virtutem prætereo, & solum de Chrysolithi virtute ratiocinari decrevi, utpote qui inter duodecim lapides Apostolicos à S. Joanne in cælestis Hierosolymæ ædificio visos septimum tenet locum, & S. Matthæum perfecte nobis repræsentat. Nam *septimo loco Matthæus numeratur inter Apostolos, & septimum fundamentum cœlestis Hierusalem descendentis de cœlo Chrysolithus est, ut Ioannes ait; & ideo hic lapis merito Matthæo tribuitur.* Videbimus igitur proprietates Chrysolithi, adeo expresse in S. Matthæo præfigurati, ut merito mysticus dici Chrysolithus possit. *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum septimum Chrysolithus.*

Vinc. Bel. l. 8. c. 37. f. 87. coll. 4. Arnold. de Sax. libro de virtut. lap. apud Belluac. ubi supra c. 23.

Dioscor. apud Vinc. Bel. l. 8. c. 43.

Dioscor. Belluac. l. 8. c. 21.

Belluac. l. 8. c. 39.

Io. Oser. in festo S. Matth. Ansel. in c. 21. Apoc. Petrus Bercor. in Redu. c. 1. c. 60. D. Isid. l. 16. c. 14.

2. Chrysolithus lapis est pretiosus, qui à toto Berchorio Pictavienſi Æthiopicus appellatur: *Est lapis Æthiopicus.* Et ratio est, ut refert sanctus Isidorus, quia in Æthiopia proprie generatur: *Hunc lapidem Æthiopia gignit.* Porro tametsi Matthæus in Æthiopia natus non sit, ibi tamen ad minus diu multumque habitavit, prædicavit, ibidemque multos gentiles ad fidem convertit, templa quoque, & sacra altaria ad honorem veri Dei ibidem fabricavit & erexit, *sors ejus fuit in Æthiopia, ubi & Evangelium composuit.* Ad hæc multi Scriptores volunt Chrysolithum coloris esse aurei, eique videri simillimum: *Aureo colore translucet*, affirmat Plinius. Boëtius ait: *Chrysolitus aureum habet colorem.* S. Anselmus: *Chrysolitus ut aurum fulget.* Denique Dionysius Carthusianus ait: *Gemma hæc tota aurei est coloris*, id quod pariter ab Haymone Episcopo Halberstadiensi confirmatur, ubi ait: *Chrysolitus quasi aurum fulget.* Et ab Hugone Cardinali dicente: *Hic auro similis est.* Aurum autem metallum est inalterabile, siquidem ex nullo prorsus accidente colorem perdit aut valorem, sive illud in ignem injicias, sive præcipites in lutum, sive cum plumbo permisceas, sive martello concutias, semper illud idem esse deprehendes: unde ex auro nonnulli Emblema efformant cum hac subnexa Epigraphe: *Semper idem*: talis autem similiter Matthæus fuit.

Plin. Bo. l. 2. de gem. c. 65. Dionys. Carthus. in c. 21. Apoc. Haymon. in c. 21. Apoc. Hugo Card. ib.

3. S. Scriptura multa nobis de certo quodam probo homine è civitate Ramatha in monte Ephraim oriundo, cui nomen Elcana erat, recenset; Et quidem, ut ejus qualitates & conditiones nobis exponat hisce utitur terminis: *Fuit vir unus de Zamathaim Sophim de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana.* 1. Reg. 1. Obsetvate obsecro hunc loquendi modum & phrasin, dum inquit: *Fuit vir unus.* Cur ly *unus* additur? Ex quo enim *vir* in singulari dicitur, sufficienter ipsum unum fuisse significatur, videtur igitur, quod *ly unus* superfluat. Quod si dixeris, *ly unus* idemmet habere significatum, ac si diceret homo (certus) quidam; replico longe elegantiorem loquendi modum futurum fuisse si dixisset: *Fuit vir quidam.* Hæc difficultas à Magno Pontifice sancto Gregorio mota fuit, dum ait: *Quærendum est cur dicatur vir unus? Nam si unitas hæc referatur ad numerum, superfluum videtur, unusquisque enim unus, & non duo est.* *D Greg. ibid.* Porro Samuelem qui historiam istam contexuit errorem quendam hoc loco commisisse absit, ut affirmemus: (Sanctus Samuel à quo ista scribuntur contra morem Scriptorum sanctæ Ecclesiæ frustra inchoasse nullatenus credendus est,) inquit idemmet Doctor. *Idem ib.* Responderi posset, quod dicere (erat vir unus, idem sit quod singularis in virtute, in excellentia & dignitate,) vel cum Cardinali Hugone: (Unus non unitate personæ tantum, sed religionis singularitate.) *Hugo ib.* Sunt quidem hæ responsiones optimæ, veruntamen ut aliam quandam habeamus proposito nostro magis accommodam, ad sponsam in sacris Canticis recurramus.

4. Hæc etenim cum inter amœnitates & delicias horti sui sederet, in quo terra floribus & virore depicta videbatur, arbores pomis onustæ à corticibus, veluti è gravido sinu suavissima stillabant aromata; sonora voce sua evocabat ventum Aquilonarem, & pariter cum illo Austrum invitabat, ut ille per impetuosorum gelidorumque rigorum suorum violentiam quamvis arborem furiose infestans frondibus, & floribus indeque nata pulchritudine exueret, & arefactos truncos in terram prosterneret: Hic verò per suavitatem Zephyri sui calidæque exhalationis omnes partus, quos terra fæcunda eorum mater produxerat revivificaret: dicebat igitur: (Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum.) *Ægid. Col ibi. lect. 9.* Sunt hi duo venti in qualitatibus sibi admodum contrarii, & consequenter diversos prorsus causant effectus: (Aquilo enim est ventus frigidus. Auster verò ventus calidus,) inquit Cardinalis Ægidius Columna, & quidem si ita est, cur igitur sponsa in singulari dicit *perfla*, velut si unum duntaxat ventum alloqueretur? potius dicere dicebat *perflata.* Forte ambos quidem evocavit, sed in uno tantum scilicet Austro sibi complacuit? later hic indubie mysterium, quod non nisi per adhibitam sancti Pauli Apostoli doctrinam penetrare poterimus.

5. Hic enim Ephesiis, quænam Incarnati verbi sint proprietates insinuare volens, ait *Qui descendit ipse est, qui ascendit.* Ad Ephes. 4. vers. 10. ac si diceret idemmet Deus, qui de cœlo in terram descendit, est ipsissimus qui de terra recedens in Cœlum ascendit. Verum enimvero cum Deus invariabilis sit, & immutabilis superflue dici videtur *ipse est*, sufficiebat enim dicere, *qui descendit ascendit.* Sanctus Anselmus respondet Apostolum Ephesiis persuadere voluisse, quod tametsi persona verbi mortalitatis nostræ habitu amicta fuerit, non tamen ob id sibi persuaderent, vel crederent eum fuisse aliam quandam personam diversam à semetipsa, sed ipsissima quæ descendit, eademmet quoque ascendit: (Ne videretur alicui, quod alia persona esset ascendens, & alia descendes, addit: Qui descendit secundum Divinitatem accipiendo humanitatem, & qui ascendit secundum humanitatem ipse est una, & eadem persona. Ita Divus Anselmus.) Eandemmet doctrinam Angelicus, quoque Doctor sanctus Thomas nobis tradit, dicens: (In quo designatur unitas personæ Dei & hominis, descendit enim Filius Dei assumendo humanam naturam, ascendit autem filius hominis secundum humanam naturam ad vitæ immortalis sublimitatem; & sic est idem Filius Dei; qui descendit, & filius hominis qui ascendit.) *D. Tho. ib. lect. 3.* Cui doctrinæ Cajetanus pariter conformatur, dum subdit: *Eandem hypostasin, & eandem personam divinam significat descendisse, & ascendisse; descendisse quidem suscipiendo carnem, ascendisse autem carnem assumptam inferendo cœlis.* *Cajet. ib. ad Eph.* Ex quibus Scriptoribus colligere licet, unam eandemque, & individuam fuisse personam, quæ descendit, & quæ ascendit. Tota autem difficultas in horum terminorum ad nostrum propositum explicando significato consistit, dum dicitur: *ipse est; id est, una & eadem persona est, quæ descendit & quæ ascendit;* quasi diceret: non minus dum ad nostras miserias descendit, nostrasque pœnalitates assumpsit, quam dum ad æternam felicitatem ascendit

fuit

fuit unus: eadem persona, & hypostasis, ita ut nec terrenæ calamitates, nec superna beatitudo efficere potuerit, ut vel minima in eo causaretur alteratio.

6. Ita hunc locum exponit Carthusianæ solitudinis Fundator Bruno Colonienſis, dum ait: *Qui descendit & qui ascendit super omnes cœlos ipse unus & idem est, & idem est individuus Christus homo Deus. Et licet alius videatur ascendens, id est homo, alius descendens id est Deus, tamen qui descendit, & qui ascendit super omnes cœlos ipse est unus & indivisa persona.* Serviat id nobis exemplaris loco ne unquam in cordibus nostris, vel minimam alterationem admittamus, sed semper & inalterabiliter iidem maneamus, & simus, tam cùm ad humilem fortunam descendimus, quàm dum ascendimus ad summum fortunæ apicem, Sponsa cœlestis se utique sponsi sui imitatricem esse declaravit, quando dixit: *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum*, per impetuosum namque Aquilonem omnes intelliguntur miseriæ & ærumnæ, ut proinde Hieremias Propheta monuerit: *Ab Aquilone pandetur omne malum*, per suavem autem & delectabilem Austrum quævis prosperitas intelligitur: unde Hugo ait: *Aquilo id est adversitas, vel tribulatio. Auster, id est, prosperitas* Sponsa autem in singulari dixit *perfla* & non *perflate*, quia sive illam aggrediantur adversitatis Aquilonares venti, sive eam foveant suaves spiritus Euri, vel Austri felicitatis, unum & idem ei erat, haud secùs, ac si Aquilo & Auster unus ventus esset, neque enim Aquilo eam contristabat, nec evanescere illam faciebat Auster, sed *semper una, semper eadem manebat.*

D. Bruno Carth. ibi fol. 356. col. 4.

Hier. 1.

Hugo ibi. fol. 114. col. 3. F.

7. Hinc igitur expressè colligere licet causam, cur Propheta Samuel de Elcana loquens hac loquendi phrasi usus fuerit: *Erat vir unus de Ramathaim Sophim*, prius tamen advertendum est, Elcanam duas habuisse conjuges, quarum una Anna, altera Phenenna vocabatur. *Hic habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen secundæ Phenenna.* Unde sterilis erat, altera fœcunda: Elcana igitur nec ob unius sterilitatem conturbabatur, nec vanè lætabatur ob alterius fœcunditatem. Non desperabat in causa Annæ, quæ filios non habebat, nec exuberabat ejus gaudium ob gravitatem Phenennæ, *sed erat unus, semper & idem: Vnus* inquit Hugo: *Non mobiliter sed constans & stabilis.* Et Origenes: *Erat vir unus: hoc pertinet ad laudem Iusti quod dicatur de eo, erat vir unus: nos qui adhuc peccatores, non possumus hunc titulum laudis acquirere, quia unusquisque nostrûm non est unus, sed multi* Verùm inquies, Cur ita? Audi quod sequitur; *Intuere alicujus vultum nunc irati, nunc iterum tristis, paulò post rursum gaudentis, & iterum turbati & rursum lenis.* Elcana *erat unus semper & idem* veluti aurum. Porrò talem quoque fuisse Sanctum Apostolum & Evangelistam Matthæum actiones suæ affatim satis manifestant: nam si ei à Christo vocato conveniebat relinquere collibistorium, libros, atque divitias, nequicquam contristabatur, cum domus ejus præsentia Filii Dei eòque tanquam conviva judicabatur digna, non se sinebat vinci à vana gloria nec per superbiam evanescere. Si Ægypti regem benevolum erga se & urbanum: Hircacum autem adversum se iniquum & truculentum experiebatur, ipse velut alter Elcana *semper unus erat.* Non rapitur ab impetuoso Aquilonis turbine, nec effertur ab suavibus austri spirationibus, adeò ut sive ad Apostolatus ascendat excellentiam, sive in Tyrannicarum persecutionum humile descendat, ipse semper *unus & idem* permaneat. Unde velut vivus & Mysticus quidam Chrysolytus *auro similis est.*

Hugo ibi. fol. 208. col. 2. D. Orig. hom. 1. Reg. 1.

Jejunc. in lib. Reg.

8. Et verè quidem Matthæus non minus quàm Chrysolithus auro similis fuit: Siquidem cuncta quæ patrabat opera prodigiosa Deo attribuebat, eique soli referebat accepta; Ad eum ferè modum quo aurum Soli totum suum valorem atque virtutem attribuit, unde nonnulli ex auro Soli opposito confingunt Emblema cum hac subnexa Epigraphe, *Tu splendorem, Tu valorem.* Id quod manifestè demonstravit, quando Idolorum Sacerdotes ei sacrificia offerre, eumque tanquam verum Deum adorare volebant, credentes, quòd quidquid miraculosè operabatur, totum à propria ejus procederet virtute: ipse autem sacrificia nec non adorationem soli Deo deberi manifestè eis est protestatus. Imò dum à Rege Ægyptii ingenti auri & argenti pondere donatus esset idipsum acceptare noluit, sed potius ad veri Dei honorem applicari suasit, ædificando Ecclesias & Altaria, protestans hunc honorem soli Creatori non verò creaturæ debitum esse: *Sacerdotes Idolorum sibi voluerunt sacrificare, sed ipse docuit soli Deo esse sacrificandum & omnia quæ attulerunt respuit & Ecclesiam ædificare præcepit.*

Leonardo Vtino in Conc. D. Matthæi.

9. Nahman Syrus adeò sæva erat lepra affectus, ut se movere nō valens ad cunctas esset humanas operationes inhabilis. Cùm autem perce-

pisset Elisæum Prophetam in quavis infirmitate curanda prodigiosum esse, pro sanitate recuperanda ad eum confugere decrevit. Post explicatas autem Prophetæ preces suas quibus se affectu non vulgari ei recommendabat, jussus est ad Jordanis flumen se recipere cum infallibili promissione impetrandi quod desiderabat: *Vade, & lavare septies in Iordane & recipiet sanitatem caro tua.* Sacri Scriptores & inter eos præcipuè Doctissimus Tostatus Episcopus Abulensis scisciatur, cur hic Princeps potiùs ad Jordanis quàm ad alterius fluminis aquas remissus fuerit, cùm tamen aqua Jordanis ob continuas inundationes turbida semper esset & lutosa: *Aqua Iordanis erat turbida & lutulenta propter alluvionem*, quæ alluvio ex nivibus montis Libani procedebat, quæ æstis calore liquefiebant, omnesque quaquaversum campos inundabant, & Jordanem reddebant turbidum. Quo igitur fine Propheta virum tantæ qualitatis ad aquas adeo lutulentas lavandum remittit, quæ potiùs nocivæ quàm proficuæ ei esse poterant.

4. *Reg.* 5.

Abul. in 4. *Reg. c.* 5. q. 6.

10. Mementote, Auditores, præcepti illius quod Deus Moysi imposuit, quando omnis ei commissus populus aquæ inops siti moriebatur. Deus ille, qui nos in calamitatibus nostris non derelinquit, quique dum nos eum nostris necessitatibus minimè succurrere velle credimus, tunc vel maximè se de iis sollicitum esse demonstrat, Moysen ducem suum advocavit, præcipiens ei ut ad petram quandam loqueretur, futurum enim infallibiliter ut è lapidei sinus sui visceribus, rivos aquæ dulcis & chrystallinæ abundanter eluerit, prouti deinceps reapse accidit: *Congrega populum tu & Aaron & loquimini ad petram.* Circa hunc locum duæ præcipuè mihi occurrunt difficultates, prima est, quod petra in semetipsa nec aquam nec ignem habeat, imo verò aptior sit, ut ignis inde quam aqua eliciatur. Secunda est, quomodo fieri possit ut aqua ex lapide solis eliciatur verbis: *Loquimini ad petram.* Me quod attinet, non minus incredibile mihi videtur efficere ut è petra aqua scaturiat, quàm ut mortuus quidam è sepulchro resurgat.

Num. 20.

11. Ac proinde haud dubiè aliquando observaveritis modum, quo Dei filius non solùm ad Magdalenæ & Marthæ consolationem sed præcipuè æterni Patris gloriam Lazarum è sepulchro in quo jam quatriduanus & fœtens erat resurgere fecit. Sacer etenim Textus dicit, quòd postquam elatâ voce dixisset *Lazare veni foras*, eum protinus resuscitaverit: *Statim prodiit qui fuerat mortuus.* Sed in qua forma? *Ligatus pedes & manus institis, & facies ejus erat sudario ligata.* At verò si oculi ejus obvelati erant, quomodo videre poterat quonam pedes suos figeret aut gressus moveret? Item si pedes ligatos habuit, quâ ratione ambulare potuit? Denique si manus habebat fasciis vinctas, quomodo sibi auxiliari poterat, ut è funesto sarcophago suo egrederetur? *Qui dat esse, dat etiam ea quæ consequuntur ad esse.* Ut Lazarus resuscitaretur atque è sepulchro suo foras prodiret, requirebatur omnino ut oculos haberet revelatos, solutos pedes & manus libertas. Nequaquam ita fieri oportet, inquit Christus, volo enim ut ejus resurrectio divinæ virtuti & non Lazaro attribuatur: *Hoc Evangelista præscripsit*, exponit Rupertus Abbas Tuitiensis: *qui cùm esset ligatus pedes & manus institis, nec pedibus nec manibus prorepere potuit.* Unde sequitur ejus resurrectionem soli Deo non verò aliis attribuendam esse. Aquarum rivos è petra quadam elicere non aliâ quàm solorum verborum virtute naturaliter est impossibile. Ut igitur omnis populus Moysi subjectus qui præsens erat, scaturientem hanc è petra aquam soli divinæ virtuti attribueret, voluit Deus, ut ad petram illam accederet, non cum alio quàm solius sermonis instrumento, tametsi ad talem effectum omnino improportionato: Unde Abulensis *satis*, inquit, *apparebat illas (id est, aquas) non naturaliter; sed jussu Dei prodiisse* Sic quoque Elisæus voluit, ut Naaman sanitatis suæ authorem Deum, non verò Jordanem; vel ipsummet Prophetam recognosceret; atque ideo ipsum ad aquas illas Jordanis turbidas & lutulentas, sanitatique restituendæ omnino improportionatas lavandum remisit. Fuit hæc Abulensis opinio dicentis: *Quòd miserit eum ad flumen Iordanis potiùs quàm ad aliam aquam, fecit hoc, quia minus verisimile erat de aqua Iordanis quòd sanare posset, quàm de alia aqua, eò quòd erat turbida & lutulenta propter alluvionem.* Verum enimverò ô quàm punctualis, ô quàm exactus fuit aureus noster Chrysolithus hujusce circumstantiæ observator! in omnibus namque operibus mirabulosis quæ patrabat, gloriam & honorem inde provenientem soli Deo mystico soli acceptum referebat, omnem reverentiæ cultum, qui ei à gentibus idololatricis exhibebatur, ei cedendo, docens & prædicans quòd debeatur *soli Deo honor & gloria* Unde sicut Elisæus Naaman Principem ad corpus suum à lepra liberandum ad aquas turbidas & lutulentas remisit, ut vel sic cognosceret liberationem

Abul. 4. *Reg.* q. 6.

1. *Tim.* 1.

suam

suam ei immediatè à Deo provenisse : Et sicut Moyses aquam à petra solis verbis elicuit, ut hac ratione populus moveretur ad gratias nulli præter Deum referendas; ac denique sicut Lazarus è sepulchro resurrexit, & egressus est obvelatis oculis, manibus quoque ac pedibus ligatis, ut circumstantes id videntes soli Deo gloriam darent: ita Chrysolithus noster, qui *fuit similis auro*, patrando miracula, & gratias ad beneficium gentium præstando, semper se solum & merum mystici Solis instrumentum esse, à quo velut ab agenti principali reciperet virtutem, protestabatur: *Honorem Dei sui sibi noluit usurpare, nec sacrificium quod sibi impendere volebant, acceptare, quia licèt multos converteret, non tamen hoc sibi adscribebat.*

Leonard. Vrino in Conc. ejusdem.

12. Præterea Matthæi Chrysolithus auro similis est, quia sicut metallum istud ex abjectis, obscurisque terræ viscenibus extractum postea verò sublimatum, in Regum & Magnatum capitibus pomposè residet; & à toto mundo in veneratione habetur: ita pariter Matthæus à Christi voce & obtutibus è vilissimi telonii abjectâ humilitate, ubi pro Cæsare gabellas exigebat: *Numisma signatum imagine Cæsaris exigebat pro Cæsare*, inquit B. Simon de Cassia, exercebatque usuras, veluti vapor quidam terrenus Solaribus radiis in sublime elevatus & sublimatus, non super Regum capita, sed in frontispicio S. Ecclesiæ ad Apostolicæ dignitatis gloriosam excellentiam evectus est: *De telonio quippe cumulanda pecunia*, inquit B. Petrus Cardinalis Damianus, *in cathedram transfertur Ecclesiæ, & qui prius exigendi vectigalia fungebatur officio, constitutus est fidei divitiarumque cœlestium ministrare thesauros.*

B. Simon Cassi. lib. 9. c. 17. fol. 273.

B. Petr. Dam. ser. 49. & de S. Matth. fol. 116. col. 2. B.

13. Adhæc Chrysolithus Matthæi auro similis extitit quia sicut metallum istud licèt naturâ suâ durum sit & frigidum, in ignem tamen conjectum, relictâ duritie teneritudinem & mollitiem quandam induit, imò ab igne candescens paulatim omnino colliquescit, cujus rei quotidianam experientiam veracissimam testem habeo. Ita hanc quoque qualitatem in Chrysolitho nostro eluxisse perspicuum est. Hic namque antea in usuris induratus erat, siquidem in telonio non stabat veluti in pedes erectus, *quasi per modum transeuntis*, sed Christus eum vidisse dicitur *sedentem in telonio*, id est, *per modum permanentis*: Frigidus erat, quia Divini amoris calorem in se non habebat: à Salvatore autem vocatus hisce verbis: *Sequere me*, quasi ab igne cælesti calefactus & colliquescens, liquidi auri in se qualitates suscipit; quod *non terminatur termino proprio, sed alieno*, ut docet Philosophus, nam velut metallum quoddam liquefactum protinus secutus est vocem Redemptoris vocantis: *Et statim secutus est eum.* Conceptus hic à Magno Pontifice Sancto Gregorio hisce verbis ingeniosè corroboratur: *Matthæus durus erat in se, in igne amoris Christi liquefactus est: Cor ejus durum & frigidum, divini amoris igne tactum succenditur, & à terrena quam prius tenuit actione reparatur, & ad sequendam vitam desideriorum æstu roboratur: ut sicut prius durus fuerat in amore sæculi, ita postmodum se fortem exhiberet in amore Dei, & quod antea renuebat audire, jam credere incepit & prædicare.* Ecce tibi aurum, sed liquefactum. Ecce tibi Chrysolithum, sed auri similitudine minimè destitutum. *Aureus Chrysolythus.*

D. Greg. in præf. ante Evang. Matth. fol. 2 col. 3.

14. Insuper Matthæi Chrysolithus auro similis fuit. Aurum enim veluti Rex quidam metallorum, symbolum est charitatis, quæ est regina virtutum: *Major autem horum est Charitas*, inquit Sanctus Paulus Apostolus. Et quidem si verum est, quòd *Charitas ad alterum tendit, & non quærit quæ sua sunt.* Quis unquam à Sancto Matthæo productos charitatis effectus dinumerare poterit? In Æthiopiæ civitate Natoober duo Magi Zaroè & Arphaxad regionis illius incolas pro libitu suo infestant & vexant, eisdemque ingentem corpore & anima tenus pernitiem afferunt, hæc tamen damna universa Matthæi charitas perfectè resarcivit: *Ita Magorum præstigia detegebat, ut quicquid faciebant hominibus in pernitiem, ipse converteret in salutem.* Multi quotidie ante ipsum ferebantur infirmi, ipse autem charitate permotus desperatam omnibus restituebat salutem: *Omnes quoque infirmos ad se delatos, à quacunque infirmitate curabat.* Duo erant in regione illa ferocissimi Dracones, qui sibilo & flatu obvios cunctos enecabant & dilaniabant, quibus Apostolus Crucis signo armatus obviam processit, eisque præcepit, ut nullam deinceps incolis, partium illarum stragem inferentes, à finibus illis quantocius se protiperent: *Et continò sine cujusquam læsione per portam urbis egressi sunt.* Eupheniss. Reginam ob mortem Euphronii filii sui desolatam Apostolus videns charitate motus, *Oratione fusâ juvenem protinus suscitavit.* Tot insuper in Ægypto & Æthiopia animas Dæmonis tyrannidi subjectas cernens, charitate adactus Evangelium iisdem prædicavit. *Et plusquam septua-*

Petr. de Natal. lib. 8. c. 100. fol. 202. col. 12.

Idem ibi.

Idem ibi.

Idem ibi.

septuaginta millia hominum ad Christum convertit, totamque Ægyptum & Æthiopiam ad Fidem Christi perduxit; dum ab Æthiopiæ populis locupletissimis argenti & auri donaretur muneribus, mottice charitate iisdem persuasit, ut *non quærant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi*, voluitque omnia hæc munera ad magnam Dei gloriam adhiberi. *Populus autem de auro & argento Apostolo oblato ipso jubente, Ecclesiam fabricavit* Denique cùm ab Hyrtaco Tyranno molestaretur Ephigeniæ virginitas; charitas Matthæum obstrinxit, ut eandem sanguine pariter & vitâ defenderet: *Post Missarum sollemnia Rex speculatorem misit, qui à tergo misso gladio interfecit eum, & Martyrem Domino consecravit.* Quid igitur, ô Auditores, ad hæc dicetis? Nunquid Matthæus Chrysolithus quidam fuit auro similimus? Sanctum Hieronymum hac in re sciscitemini dicentem: *Meritò Apostolus Matthæus Chrysolithus appellatur, quoniam auro charitatis rutilat, ardentes divini amoris scintillas ex se in omnes immittit.*

Idem ibi.

D. H. in cor. sup. Danielem c. 10.

15. Chrysolithus auro, quod inter metalla præstantissimum est, persimilis esse perhibetur: vos utique existimabitis me exinde inferre velle, Matthæum inter omnes Evangelistas præcipuum & eximium esse, qui proinde ab Ecclesia Dei primo inter alios loco collocatus reperitur *non solùm ordine sed dignitate:* in hanc tamen comparationem descendere nolo, tantùm quid Sanctus Petrus Damianus hac in re sentiat, vobis edicam, qui quatuor Evangelistas quatuor è terrestri Paradyso originem suam ducentibus fluminibus comparat, vultque per Phison repræsentari Sanctum Matthæum: *Matthæus assimilatur flumini Phison.* Audite rationem: Num fortè quia aqua illius Sapientiæ Symbolum est? aut verò quia præ cæteris velociùs currit, aut quia sinus ejus gemmis auroque abundat, aut verò quia aqua ejus salubertima est, & ubi inundat campos fertilissimos efficit: Vel denique quia nunquam turbidatur, sed claritatem & limpiditatem suam semper conservat? Quoad hoc idemmet Scriptor pro me respondeat, qui ait: *Sicut Physon primus est fluviorum de Paradysi fonte procedentium, ita Matthæus inter reliquos Evangelistas primum obtinet locum. Satis ergo conveniens est & intima rationi aptissimè congruit, ut sicut apud Phison optimum repræsentatur aurum, sic & apud hunc Beatissimum Evangelistam Ordinis primicerium intelligamus thesauri cœlestis incomprehensibile Sacramentum.*

D. Petrus Dam ser. 2. de S. Matth. fol 129. col. 1. D.

16. Hic Matthæi supra alios Evangelistas, sicuti auri supra quævis metalla, primatus & excellentia, ab aliis singulari quadam ponderatione hunc in modum observatur: Sancto Matthæo etenim supra Sanctum Marcum & Sanctum Lucam gradus quidam debetur superior, quia licèt ii Evangelistæ quoque fuerint, non tamen Apostoli: Joannes Apostolus quidem & Evangelista pariter fuit, per Martyrium tamen aut Carnificis manum enecatus, nusquam in Scripturis reperitur. Unde sicut aurum quodvis metallum valore suo præcellit, ita Sanctus Matthæus quemvis alium Evangelistam in jam dictis prærogativis excedit: *Socios antecellit; Marcum quidem & Lucam, quia Apostolorum dignitatem non sunt sortiti: Ioannem verò quia Martyrii palmam non accipit*, quoad effectum scilicet.

Io. Lop. Epis. Menepol. in Eccle S. Matthæi. fol. 170. col. 1.

17. Alii Scriptores aliam quandam Chrysolithi proprietatem in medium adducunt, videlicet quòd scintillas vibret atque resplendeat. Unde Doctor Angelicus ait: *Chrysolithus veras scintillas quasi ardentes emittit.* Dionysius Carthusianus dicit: *Ardentes videtur scintillas diffundere.* Haymon Episcopus Halberstadiensis inquit: *Videtur emittere ex se quasdam arentes scintillas.* Et S. Anselmus pariter ait: Quòd *scintillas emittat ardentes.* Alexander de Ales affirmat Chrysolithum, qui in fundamento nobilis & sumptuosi ædificii cœlestis Hierosolymæ septimus lapis erat, specialiter repræsentativum fuisse Apostoli & Evangelistæ Matthæi: *septima gemma Chrysolithus, quia sicut hic lapis emittit scintillas ardentes & fulgentes, sic Evangelista doctrinam devotè audientes, recipientes, & implentes, reddit charitate ardentes & suas in eos flammas immittit.* Ecce tibi rationem: Cum enim non minus agentia naturalia, quàm libera propter finem operentur, Matthæus quoque scintillas emisit, *non ut ardeat, sed ut luceat.* Tribus etenim modis lux mystici Chrysolithi nostri resplenduit & scintillas evibravit, scilicet fidem Christi prædicando: scribendo Evangelicam veritatem: nec non ad majorem Dei gloriam, totiusque Æthiopiæ & Ægypti universale beneficium, miracula patrando: *Fulsit & scintillas misit ardentes tam ore docendo, quàm scribendo Evangelium, & miraculis coruscando.* Tanquam Chrysolithus scintillando resplenduit, dum in

D. Thom. in c. 21. Apoc. fol. 73. Dion. Carth ib. fol. 140. fac 2. F. Haym. Abb c. 21. D. Ans. ib. c 21. fol. 620. col. 1. A. Alex. de Hal in c. 21. Apoc. fol. 462.

Io. Lop. Episc. Megnop. ubi sup. B.

principio

principio Evangelii sui de Incarnatione & Nativitate filii Dei, in medio de ejusdem prædicatione & stupendis ab eo patratis miraculis, in fine verò de Passione, Morte & Resurrectione luculenter tractavit: *Fulsit conspersus ardentibus scintillis mysteriorum Christi, de cujus Incarnatione & Nativitate in principio; de prædicatione & miraculis in medio; de Passione, Morte & Resurrectione in fine pertractat.* Et quidem quid ejus Evangelium tanta cum sollicitudine & curâ conscriptum aliud est, præterquam lux quædam, quæ scintillis atque splendoribus veritatis tam fidelium, quàm infidelium mentem illuminat, omnibusque sacris Doctoribus & Patribus Theologis, imò toti Ecclesiæ cunctisque totius universi partibus lumen affundit. Unde scriptor quidam modernus hæc de eo verba scribere non dubitavit: *Scripsit præ cæteris Evangelistis fusè & exactè Christi Evangelium, quo quasi ignea fax noctem hujus sæculi & Ecclesiæ illuminavit*; ac proinde mirum non est, quòd Nicolaus V. Summus Pontifex pro Evangelio S. Matthæi Hebraicâ linguâ conscripto promptè obtulerit quinque scutorum aureorum millia. Denique Evangelium Matthæi in Ecclesia Dei scintillat & resplendet, siquidem ut à multis observatum est, quia in ea tria præ cæteris frequentantur: scilicet ex Testamento veteri Psalmi Davidici; ex novo Epistolæ S. Pauli: Denique ex Evangeliis illud præcipuè quod Sanctus Matthæus conscripsit: *In Ecclesia frequentantur tria: Psalmi David, Epistola D. Pauli, & Evangelium Matthæi.*

Io. Haye in c. 21. Apoc. fol. 494. col. 2. n. 372.

Corn. à Lap. in c. 21. Apoc. fol. 327. col. 2. A.

Idem in 4. Evang. Com in Matth. fol. 64. col. 1.

Iac. de Vorag. in Festo S. Matt. col. 3.

18. Ex quo Sanctus hic Chrysolithus has è se vibravit scintillas, Sanctorum Marci, Lucæ, & Joannis intellectum adeò illuminavit, ut sua quoque hi molirentur conscribere Evangelia; nisi enim Matthæus primus scripsisset, nulla fortsitan in Ecclesia Evangelia reperirentur, cùm tamen ea sint Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, Columna fidei, & Christianæ religionis lumen in se contineant: *Ad sanctum Evangelium scribendum primus Matthæus properavit, scribendi cæteris Evangelistis viam præceptor aperuit, & tanquam Dux vexillum sequentibus pratulit, suoque eos exemplo ut describerent invitavit.* Jacebat in ignorantiæ & gentilitatis tenebris Æthiopia, eratque anima quàm corpore & vultu nigrior atque deformior, ut de ea dici potuerit: *Facies ejus sicut nigredo olla*, vel *denigrata est facies ejus super carbones.* Appulit verò in Æthiopiam Matthæus, & Evangelicæ doctrinæ lumine scintillans ab eadem ignorantiæ depulit tenebras, eandemque ab errorum obscuritate extrahens claritate veritatis ad semitas reduxit salutis, & rametsi à vultu Æthiopum nigredinem non sustulerit, undâ tamen Baptismali animæ deformitatem ad minus purificavit. Ut proinde gens Æthiopiæ meritò cum Sponsa gloriari possit dicens: *Nigra sum*, nimirum in vultu: *sed formosa* scilicet in anima. *Nigra sum*, ex proprietate naturæ, *sed formosa* ex Matthæi prædicatione. Unde Venerab. Beda ait: *Qualis Matthæus factus sit, docet ipsa gens Æthiopum, quam de ultimis terræ finibus ad Ecclesiæ Sanctæ societatem prædicando convertit, ablutamque fonte formosam reddidit, & nigredine vitiorum illam exuit, & ornatu virtutum decoravit.* Unde quod si alii Dei servi in alias Provincias & Insulas, in Malamucam scilicet & Japoniam, ab infidelitatis tenebris obscuratas Fidei & veritatis Evangelicæ lumen intuletunt, idipsum post Dei gratiam meritò tribuatur Matthæo: *Quia ad S. Evangelium scribendum Matthæus primus prorupit: scribendi cæteris Evangelistis viam præcessor aperuit* (ut asserit S. Petrus Damianus) *Et tanquam Dux vexillum sequentibus pratulit, suoque eos Exemplo ut scriberent incitavit.* Unde progressus qui per Evangelium hominum mentes illuminando, gentilesque & infideles ad Jesu Christi fidem convertendo quotidie fieri cernuntur, post Deum Chrysolitho S. Matthæi in acceptis referri debent, utpote qui è suo sacto Evangelio *veras scintillas veritatis emittit.* Unde Sanctus jam nominatus Cardinalis prosequitur: *Illi ergo debemus Evangelium, quia Evangelica narrationis constat intulisse principium, & quem cæteris novimus primum, non ambigimus inter eos cujusdam privilegii tenere primatum.*

Trem. 4. 8

D. Petrus Dam ser. 49. fol. 116. C.

Idem ibi.

19. Sanctus Apostolus & Evangelista noster à multis Scriptoribus Moysi Prophetæ assimilatur, S. enim Petrus Damianus ait: *Matthæus fuit alter Moyses*; Secundus quidem quoad ordinem, primus tamen quoad dignitatem & sanctitatem: Hujus autem similitudinis ratio fuit: vel quia sicut unus à Deo ad Pharaonem missus est: ita quoque nomen alterius à Sancto Athanasio Antiocheno *Mandatum altissimi* interpretatur: vel, sicut ille per virgam operatus est prodigia; ita hujus miracula patrata sunt à penna. Moyses Dei manus fuit, Matthæus quoque idem quod *manus Dei* innuit; Moyses erat mitissimus; *Vir in terra mitissimus*, Matthæus

Io. Lop. Episc. Mon. in Festo S. Matth. fol. 170. col. 1. in princ.

Naham. 3. 10.

Lib. 8. Exam.

Iacob. de Vorag. in vita ejus.

S. Greg.

thæus ex mente S. Germani idem est quòd *mel, id est, savis est* & mansuetus sicut favus mellis. Moyses indignum se reputavit qui Deus fieret Pharaonis: Matthæus se veluti Deum in Æthiopia adorari non permisit. Moysis primus Libet quem composuit appellatus est *Liber Geneseos*: Matthæi Evangelium intitulatur *Liber generationis*. Moyses nobis lucem quandam à Deo creatam describit: Matthæus Deum Creatorem lucis nobis repræsentavit. Moyses agit de primo Adamo in anima vivente: Matthæus loquitur de secundo Adamo in spiritu vivificante. Porrò quis est qui ignorat, quin opera creationis de facto sub oblivionis vel etiam ignorantiæ obscuritate suppressa jacerent, nisi à Moysis calamo coram toto Mundo in lucem edita fuissent? Ita igitur Matthæus pariter velut mysticus Chrysolithus qui *scintillat & ardet ut luceat*, lumen dedit, atque in totius universi lucem, omnia Dei Incarnati nostræque Redemptionis opera prouti expresè in ejus sacrosancto Evangelio recensentur, adduxit. De quo modernus quidam ita scribit: *Hic est Liber continens optimum & latissimum nuntium Adventus Christi, sive Messiæ Patriarchis promissi, puta Incarnationis, Nativitatis, Vitæ, Prædicationis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, ac Redemptionis, Salutis, Gratiæ, & Gloriæ ab eo partæ, & toti orbi allatæ, cujus scriptor fuit S. Matthæus, dictator Spiritus Sanctus.* Moyses primus Scriptor fuit qui naturæ operibus lumen addidit: Matthæus primus fuit qui calamo suo mysteriis gratiæ lucem ministravit. Unde sicut Moyses super omnes Testamenti veteris Scriptores sublimari meruit; ita Matthæus omnibus novi Testamenti Scriptoribus meruit præferri. Id quod per doctum S. Petri Damiani calamum aptè confirmatur scribentem: *Beatus Matthæus fuit alter Moyses: sicut Moyses Prophetis non absurdè præponitur, & omnibus qui scripserunt aliquid in veteri Testamento: Ita Beatus Evangelista Matthæus jure præcellit, qui scripsisse reperiuntur in novo: sicut enim nascentis mundi texit originem, sic iste tanquam spiritualis cujusdam mundi orientem scribit Ecclesiæ nativitatem.*

de reb. Eccles.

Corn. à Lap. in 4. Evang. in Argum. in D. Matt. fol. 43.

D. Petrus Dam. ser. 3. de S. Matth. fol. 122. col. 1. B.

20. Porrò dum cogitationes animi mei in pretiosam hanc gemmam accuratiùs defigo, novæ in ea proprietates jure merito considerandæ se mihi præsentare videntur: Hunc namque pretiosum lapidem adversus pusillanimitatem plurimum valere, iisque qui ob occurrentes sinistros fortunæ eventus, abjecto nimis timore animo despondent, Chrysolithum animum, & generositatis robur aliquod addere, competio: *Chrysolithus valet adversus pusillanimitates, & contra motus melancholicos.* Id quod Dionysius Carthusianus quoque confirmat, dum ait: *Chrysolithus timores expellit nocturnos.* Scio equidem invictam & insuperabilem in Matthæo cordis arcem, nunquam obsidione cinctam, nec aliquo pusillanimitatis, vel timoris infestatam fuisse insultus, utpote quæ sævitiei tyrannorum, carnificum crudelitati, impiisque inferni insultibus intrepide obviavit, nihili curans sive sanguinis effusionem, sive vitæ jacturam. Præcipuè verò quando in favorem virginitatis Iphigeniæ tanquam velatæ & consecratæ Dei Sponsæ, nec non adversus effrænem Hirtaci Regis libidinem in templo prædicabat, animos & ausus generosos sacræ huic virgini, quæ unà cum aliis virgineis consodalibus suis, ob Regis furorem & excandescentiam formidolosæ, ad Apostoli se pedes prostraverat, zelosissimè suggerens: *Quod audiens Rex admodum prætra insaniens, furibundus abscessit: Apostolus autem omnes ad patientiam & constantiam confortavit, & Iphigeniam coram se timore prostratam, cum cæteris virginibus benedixit.*

Lud. Alcasar. in c. 21. Apoc. fol. 745. col. 1. B.

B. Dion. Carth. ibid. fol. 140. fac. 2. F.

Petr. Epist. Equilin. lib. 8. c. 100. fol. 102. col. 2.

21. Multi referunt Chrysolithum adversus multas infirmitates, & præcipuè ad Dæmonem fugandum speciali quâdam virtute præditum esse: *Valet contra Dæmones, proficit contra melancholiam, per quam & tentare homines solent Spiritus maligni*, scribit Abul. & Ans. Boëtius. Idemmet pariter Petr. Berchor. confirmat, dum ait: *Dæmones ipsum (id est, Chrysolithum) fugiunt, atque timent.* Idem quoque Dioscorides fatetur, & Isidorus Hispalensis: *In auro*, inquit, *gestatus contra Dæmonem valet.* Hanc autem hujus gemmæ virtutem & proprietatem in Matthæo quoque reperiri fidem faciunt varii Scriptores, inter quos Simeon Metaphrastes dicit, quod *Eos qui languoribus & morbis vel Dæmonum malitia oppressi de vita periclitabantur, verbo, & manus attactu ab omnibus molestiis statim liberabat.* Imo S. Barnabas cuncta miracula sua per solum Evangeliorum librum calamo & manu sancti Evangelistæ nostri conscriptum patrabat. Unde ad eum modum quo Pygmæi ex solis Leonis ab Herculis humeris suspensis exuviis perterriti fugiebant, Dæmones ad solum foliorum Evangelicorum à S. Matthæo conscriptorum aspectum perterriti & confusi in Infernum præcipites agebantur:

Anselm. Boet. Abul in Exo. c. 28. Berch. lib. 10. c. 6. Dioscor. S. Isid. Ethim. c. 16.

Simon. Metaphr. apud Th. de Trus. in festo S. Matth.

Apud Leonard. de uti.

(Beatus

ſer. 52. de S. Matth. (Beatus Barnabas iſtud Evangelium in magna reverentia habuit, quia ipſum ſecum portavit ut à Dæmonibus protegeretur; ſuper infirmos poſuit, ut ſanarentur, ſecum in ſepulchro poni juſſit, ut ſecutiùs moreretur.)

22. Adhæc referunt Chryſolitum diurno tempore auri ſpeciem referre, nocturno vero igni ſimillimum eſſe. Unde S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis ait: *De die videtur aureus, de nocte igneus.* Et Abulenſis inquit: *Chryſolitus colorem per diem aureum præſert, ſed nocte igneus apparet.* Enimvero ut hæc de natura Chryſoliti, ad perſonam & qualitatem Matthæi transferre valeamus, inveſtigare oportebit, quid in Scriptura ſacra per diem & noctem; quid item per aurum & ignem ſignificetur. Certum itaque eſt quod juxta S. Pauli Apoſtoli doctrinam per noctem peccatores, per diem vero juſti repræſententur. Unde Corinthios ſic alloquitur: *Quæ ſocietas luci ad tenebras, id eſt juſti ad peccatores?* 2. Cor. 6. 14. Id quod ad Epheſios ſcribens denuo confirmat, dum ait: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.* Epheſ 5. 8. Ad Theſſalonicenſes iterum ait: *Omnes vos filii lucis eſtis, & filii diei, non ſumus noctis, neque tenebrarum.* 1. Theſſ. 5. 8. Juſti etenim in diei ſerena luce ambulant? peccatores autem in tenebris noctis. Ac proinde Drogo Epiſcopus Oſtienſis ſerm. de Paſſ. Dom. ait: (Per diem juſti ſignificantur, & per noctem peccatores. Secundò per aurum charitatis virtus exprimitur, unde ſicut aurum inter flammas, ita charitas inter adverſitatum carbones indies magis magiſque putificatur: *Tanquam aurum in fornace probavit illos*, inquit Sapiens cap. 3. 6. Ut hoc aurum charitatis Laodiceæ Epiſcopus ſibi compararet, ex Dei commiſſione eundem ſerio commonuit Joannes Apoſtolus, dum ait: *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum.* Apoc. 3. 18. Denique quod per ignem furoritæ Dei, ejuſque ſupplicia deſignentur, hujus pleni ſunt ſacri textus. Conſtat enim ex Levitico, quod quando Deus Nadab & Abiu punire voluit, *Egreſſus fuerit ignis à Domino, devoravit eos, & mortui ſunt.* Levit. 10. 2. Quando ſuccenſuit murmuratoribus, *Accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam caſtrorum partem*; Num. 11. 1. Verum ehem quam bene apteque hæ Chryſoliti conditiones in S. Matthæo referuntur! *De die videtur aureus*, id eſt, erga bonos & Jeſu Chriſto fideles mera charitate accenſus & ignitus, prouti ſeſe probavit erga Reginæ Candacis Eunuchum, item verſus Ægypti Regem & Eupheniſſam Reginam, eorum que extinctum filium Euphronem per eum ad vitam revocatum: Denique verſus Principiſſam & virginem Iphigeniam, ejuſque ſodales ducentas virgines. *Sed de nocte igneus apparuit*; id eſt, totus in furorem converſus erga illos, qui in nocte peccatorum & infidelitatis tenebris Lethargicè obdormiſcentes jacebant, quales erant duo illi magi Zaroè & Arphaxad, Sacerdotes quoque idolorum, ac demum Hircacus ejuſque ſequaces; quorum palatium igne conſumptum fuit: (Erumpens flamma Regis Palatium invaſit, & cuncta conſumpſit. Rex autem turpis leproſus effectus, cum non poſſet curari, ſe manu propria interemit.) Vides igitur hic clarè atque perſpicuè verificatum, quod veluti Chryſolitus, (De die videatur aureus, ſed de nocte igneus appareat.)

Abul. in c. 28. Exod. c. 2.

Item Vinc. Bell. l. 8. c. 61.

Petrus de Natal. in vita S. Iphigeniæ l. 8. c. 101.

23. Verum enimvero operæ pretium eſſe judico, ut tandem primam hujuſce Sermonis partem per prædictæ ſæpius gemmæ duritiem, conſtantiæ à S. Matthæo in omnibus neceſſitatibus occurrentibus, præcipue vero quando vitæ ſuæ curſum per Martyrium terminaturus erat exhibitæ, correſpondentem claudamus. Conſtat igitur ex relatione Plinii, quod Chryſolitus. *Perdurus eſt, ac tanta duritiei, ut Saphiro parum, aut nihil cedat.* Et quidem ut hac in re ab aliorum ordiamur exemplis, certum eſt, quod veluti infractus Chryſolitus conſtantiſſimus fuerit Anaxarchus, cui dum à Nicocreonte Cypriorum Tyranno omnia confracta eſſent membra & oſſa, intrepido invictoque animo eidem dixit: Potes quidem, ô Tyranne corpus meum trucidare & internecioni tradere, meam tamen vincere conſtantiam minimè valebis: (Philoſophus animo infractus: Tunde, tunde, inquit, Anaxarchi vaſculum, Anaxarchi conſtantiam non teris.) Veluti Chryſolitum ſe conſtantem eſſe demonſtravit C. Mevius Auguſti Centurio, quando in Antonii conſpectum adductus, atque ab eodem, (Quid de ſe ſtatui juberet?) interrogatus reſpondit: liberum ei eſſe, ut ſibi pro libitu vitam eriperet, neque enim ſe mortem timere, ſcireque futurum, quod à ſignis Cæſareis nunquam alienandus, nec Antonii militiæ unquam jungendus eſſet: (Jugulari me jube, quia non ſalutis beneficio, nec mortis ſupplicio adduci poſſum, ut aut Cæſaris miles eſſe deſinam, aut tuus eſſe incipiam.) Athenarum milites, qui immortalem ſibi fa-

Plin. ap. Hieron. Card. de lapid. l. 7.

Bruſ. l. 2. c. 2. ex Plutar.

Bruſ. l. 2. c. 1. ex hiſt. nom. Valerius Max. l. 3.

mam comparatunt, in prælio Maraconensi adeo se exhibuerunt intrepidos, ut telis transfixi moti non fuerint, sed ad ultimum usque prælii momentum velut immobiles statuæ constantissime persteterint. De Mutio quoque Scævolâ legitur, quod ex quo sagitta quam ex arcu suo in pectus Porsenæ Regis Tusciæ vibrare constituerat, à proposito ei scopo multum aberrasset, manum suam, quæ eam emiserat, errorem hunc gravi supplicio luere voluerit, nam eam igni impositam eousque constanter firmavit, donec totaliter concremata fuisset. Firma quoque memoria etiamnum conservatur fama generosæ animositatis & fortitudinis C. Marii, qui dum à carnifice per medium secandus erat, ligari se non permisit, sed in mediis doloribus constanter & immobiliter subsistens, ne minimum quidem impatientiæ signum edidit, nec vultus ejus imperterritus in pallorem degeneravit. Fatendum est equidem, magnam fuisse virorum jam recensitorum magnanimitatem, veruntamen hæc nequaquam comparari meretur cum invicta & insuperabili mystici Chrysoliti nostri Matthæi constantia, qui dum sacro altari Missam celebraturus assisteret, jussu Tyranni *Dum sacra perageret, lancea confossus, spiritum Deo reddidit.* Unde si Socrates affirmare solitus erat, hominem constantem haud secus ac statuam in basi sua esse debere immobilem : *Vt statua in sua basi virum virtutis studiosum, bono proposito innixum immobilem esse debere,* verè id Matthæus Chrysolitus noster præstitit, quando in altari sacrificans *Lancea confossus, spiritum Deo reddidit.* Atque ideo sive prædicet, sive officii sui functiones exerceat, sive vivat, sive moriatur, *semper unus, semper iste, semper constans* permansit.

Stob. ser. 1.

PARS SECUNDA.

24. CHrysolitus lapis pretiosus, si multis id referentibus adhibenda sit fides, marinum quoque in se colorem continet : *Habet cum marino colore similitudinem*, inquit Isidorus Episcopus Hispalensis lib. 16. c. 14. Alius: *Habet quandam marini coloris similitudinem.* Item alius scribit : *In colore mari similis est.* Matthæus autem non soli colori, verum ipsimet mari similem se esset probavit. Prætereo hic mille analogias quas inter utrumque adducere possem, & unam duntaxat hoc loco proponam : scimus etenim & quotidie videmus, quod omnia flumina mare ingrediantur, eoque velut ad proprium centrum decurrant, unde Ecclesiastes inquit : *Omnia flumina intrant in mare.* 1. Cor. 7. 1. Pari quoque ratione omnes spectabiliores prærogativæ aliorum hominum in Matthæo velut in propria Metropoli residunt. Non sum equidem ignarus, Deum gratias suas inter homines ita dispertitum fuisse, ut singulis particulatem aliquam gratiam donaverit, unde Apostolus ad Corinthios ait : *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo :* quibus alio in loco iterum subjungit : *Alii quidem datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum &c.* 1. Cor. 12. 8. Quando vero de Matthæo sermo est, credendum est, quod *omnia flumina intrant in mare :* est etenim simul Apostolus, Evangelista, Doctor, Martyr, Episcopus, & Prædicator. Loquebatur ut Sapiens, ut scientificus docebat, instruebat tanquam fidelis, omnia callebat linguarum genera, operabatur virtuosè, futura prophetabat, sanabat infirmos, pellebat Dæmones; adeo ut Deus omnia virtutum dona in eum accumulasse visus fuerit. *Omnia flumina intrant in mare.*

Blas. Vieg. in c 21. Apoc. Berc. in

Redu. l. 10. c. 60.

25. Est quidem præter mortem positum, quod cœlum in unico tantum subjecto tot simul epilogare soleat prærogativas : nam ut notat Theophrastus, Deus & natura gratias suas parcè admodum dispensare consueverunt : Experientia namque comprobatum est, arbores illas vel fructus, qui dulces sunt, non esse odoriferos: quibus vero dulcedo deficit, odoris indita est fragrantia: qui vero fragrantia carent, dulcedine abundant: *Ex dulcibus nullus fere bene olet: Verum odor & foliorum & ramorum est, in quibus aliquid acredinis inest.* Et hæc quidem ordinis dispositio non solum à Deo in arboribus, verum etiam in creaturis ratione præditis observatur. Hem quàm pulchra & speciosa Rachel erat, quam quotquot respiciebant, linguis suis laudibus celebrare cogebantur : at vero quia infæcunda erat, à marito posthabebatur, eratque contemptui omnibus. Econtra verò soror ejus Lia, quia vultum habebat turpem & deformem, nullus eam sine ruga aspicere poterat : Deus autem, qui *miscet amara jucundis*, hanc ejus infecilitatem compensare voluit, dum eam sex filiorum, id est, Ruben, Simonis, Levi, Judæ, Isacchar, Zabulonis, & unius filiæ, quæ Dina vocabatur fœcundam genitricem effecit : quamobrem à Jacob ma-

Theophr. de causis plant. l. 6. c. 22.

rito suo admodum amabatur, summoque in pretio habita erat. Hæret hic Tostatus, divinarumque ordinationum modum hisce verbis acutè ponderat: *Ecce quanta divina sapientia in rebus ordinatio: Rachel quæ ante sibi ipsi felix habebatur, ut sororem despiceret, per sterilitatem depressa est, ut se miseram cognosceret: Et Lia, quæ omnibus contemptibilis videbatur, fœcunditatis abundantia sibi postea felix visa est.* Tost. in c. 30. Gen.

26. Veritatem istam per alium quendam Scripturæ locum confirmemus. Omnibus etenim notum est, quam fuerit Goliath Gygas, Philisthæorum Dux generalis superbia tumidus, & temerarius, Israelitis vero formidabilis, utpote qui minis & exprobrationibus suis non timere tantum, sed & tremere & obstupescere faciebat quemvis validissimum Israelitici exercitus athletam, Saulem vero Regem præcipue: *Audiens autem Saul & omnes Israelitæ sermones Philisthæi stupebant, & mirabantur nimis.* 1. Reg. 27. Alia quoque vice dum in conspectu populi Israelitici fortitudinis suæ ederet specimina, inquit sacer textus: *Cum vidissent virum fugerunt à facie ejus, timentibus eum valde.* Ergone possibile est nullum ex omnibus reperiri qui ei resistere, aut armis & fortitudinis suæ robore cum eo decretare possit? ubi est Princeps Jonathas generoso adeo animo præditus, qui *Percussit stationem Philistinorum quæ erat in Gabaa?* 1. Reg. 13. 3. Nunquid hic est Jonathas ille adeo validus & in præliis exercitatus, ut non alio præterquam armigero suo comitatus inimicas Philistinorum copias aggredi, & generoso invictoque ausu bonam illorum partem occidere, reliquos vero, ut terga verterent, atque ad salvandam vitam fuga sibi consulerent, cogere non dubitarit? *Et ecce multitudo prostrata & huc illucque diffugiens.* 1. Reg. 14. 16. Quod si igitur Jonathas adeo expertus atque in accumulandis victoriis fortunatus erat, cur hunc Gygantis intolerabilem fastum non mortificat, aut cur ejus elatam superbiam non retundit & reprimit? Ergone qui hactenus integros adoriri exercitus non formidavit, nunc ignavus & pusillanimis cum uno solo congredi timebit? Nequaquam dubito quin Jonathas à Gygante ad solitarium certamen & duellum provocatus idipsum generoso animo & ausu acceptaturus fuisset, nisi, ut Abulensis scribit, Deus ipsum specialiter retardasset & impedivisset: (Forte Jonathas aggressus fuisset Goliath singulari pugna, nisi quia Dominus eum compressit, scilicet reprimens ejus animositatem.) Hoc autem suppositorationem ejus investigare maxime sum cupidus: num enim Deus hoc forte fecit suspicans Jonathan in duello isto superandum esse? aut vero non conveniebat forte ut filius Regis alicujus tanto vitam suam exponeret periculo? Idemmet præfatus Doctor dicit, Deum noluisse permittere, ut Jonathas duabus fieret victoriis gloriosus, ideoque hanc de Gygante instantem victoriam Davidi reservasse, ut exaltationis & magnificentiæ suæ fieret origo: *Ut exaltaret David, contulit ei istum triumphum.* Neque enim uni soli impertiri victorias voluit. Abul. in 1. Reg. 18. q. 3.

27. In hisce autem Divinis legibus æternisque Decretis infinita Dei omnipotentia, quo ad Matthæum dispensabat, dum non unam solum prærogativam ei concessit, sed voluit ut pariter adhiberet linguam, exerceret & calamum, in eo potius quam in arboribus simul conjunxit sanctitatis odorem atque fragrantiam, & in attrahendis ad Catholicam fidem gentilibus miram dulcedinem. Deus in eo non sicut in Lia & in Rachele pulchritudinem à fœcunditate sequestravit, sed per gratiosum quoddam hymenæum sibi desponsavit, & pulchritudinem spiritus per culpam minime deformis, & fœcunditatem paternitatis, utpote qui tot masculinos partus per fidem genuit, id est, omnes Æthiopiæ gentiles, nec jam unam duntaxat filiam Dinam sed Ephigeniam spiritualem filiam suam una cum ducentis aliis virginibus sodalibus Christo peperit. Non unicam duntaxat, sed innumeras retulit victorias, dum jam velut alter Jonathas de multis inimicorum mundi, scilicet dæmonis, carnis, magorum exercitibus triumphavit, nunc velut alter David Gygantem quendam qualis Hyrtacus Æthiopiæ Rex erat cæcidit. Unde S. Petrus Damianus ait: *Inter omnes plane sanctos, qui de Cælesti gloria, de triumphato mundo victoria titulos intulerunt, beatus Matthæus mihi videtur insignis atque conspicuus, & quendam inter eos dignitatis obtinere primatum.* Ipse namque Catholici Prædicatoris honorem habuit; sanctæ quippe Ecclesiæ fortis propugnator extitit, cujus videlicet lingua quasi acutissimi gladii Evangelii administratione Dominus infidelium corda tranfixit, inquit Magnus Pontifex sanctus Gregorius. Gloriam item habuit Evangelici Scriptoris; nam *Scripsit præ cæteris Evangelistis fusè & exactè Christi Evangelium, quo* D. Greg. in præf. Evang. Ser. 49. f. 116. C.

Matt. f 2. col 3.

quasi signea fax noctem hujus sæculi & Ecclesiæ illuminat. O glorioſum Chryſolithum S. Matthæum Apoſtolum! Hic me cogit, ô inclyta Salerni civitas, ut fortunis tuis dum eum devotionis auro tibi alligatum & in ſinu tuo requieſcentem feliciſſime contines ſancte invideam. Verumtamen jubila ſatis & exulta de hoc tam pretioſo theſauro, quem utpote gemmam inæſtimabilem venerabunde poſſides. Nec dubita quin

Corn. à Lap in c. 21. Apoc. f. 327. col 1. A.

præſtantiſſimus hic Chryſolithus continuas è ſe in Cives tuos evibrabit favorum & gratiarum ſcintillas. A mutis tuis, nec non à mari quod argentea tibi pendet tributa terreni pariter & infernales inimici, procul ſtabunt, nam *Chryſolithum Dæmones fugiunt, atque timent.* Fiet itaque, ut vel pacis in te viteſcat oliva, vel victoriæ palma ſemper frondeſcat. Nunquam te aër turbato reſpiciet ſupercilio, nec diſtrictus tui fines tenebratum involvet obſcuritati; quin potius inalterabilis conſervabitur, & ab hoc pretioſo Chryſolito cæli tui ſerenitas. Chryſolito enim proprium eſt *ſcintillas ardentes emittere non ut ardeat ſed ut luceat.* Famem, quæ annonæ penuria nutritur, ſæculum iſtud nunquam videbit, nec ei permittetur, ut ad te infeſtandum portas tuas pede ſuo pulſet, ſiquidem monile quoddam in ſinu tuo claudis, quod auri ſplendoribus eam continuo flagellabit: nam *Chryſolitus quaſi aurum fulgens videtur emittere exſe quaſdam ardentes ſcintillas,* inquit Epiſcopus Halberſtadienſis. Nos interea ſancto huic Apoſtolo humillime ſupplicemus, ut Divinæ gratiæ aurum nobis impetrare dignetur, ut animæ noſtræ hic in terris merito, ac demum poſt hanc vitam gloria locupletentur in cœlis.

Haym. Halbeſt. in c. 21. Apoc. l. 7.

SERMO TRIGESIMUS PRIMUS.

IN FESTO

S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Sancte Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

I. NUlla eſt creatura in mundo, quæ tot habeat adverſum ſe conſpirantes inimicos, ac Homo, ut proinde homo jure merito dicere poſſit: *Angustiæ mihi ſunt undique.* Dan. 13. 22. Integri namque miſeriarum exercitus, ex fortiſſimis ærumnarum fortalitiis ipſum obſidione cingunt, & per extrematum neceſſitatum inſultus in totalem pernitiem eum redigere moliuntur: *Semper malum aliquod viget, alterum verò præterit, & quod novum ſucceſſurum eſt deinceps, nondum apparet;* inquit Euripides. Nulla eſt in Orbe fera, quæ ſuos ad eum dilaniandum non expandat & applicet uncipedes, vel ungues ſuos ad vitam ei eripiendam non exacuat. Imo (ô impietas inaudita!) ipſimet homines mutuas ſibi inter ſe ſtruunt inſidias & ſtratagemata. Unde vetus illud enatum eſt proverbium: *Homo homini lupus.* Adhæc quos ab inimico infernali quotidiè recipit inſultus, adeo ſunt horribiles, & niſi à Divina gratia nova acciperet virium ſufficientium ſubſidia, cogeretur ſuccumbere. *Accedit ad hoc* (inquit ſanctus Valentinorum Archiepiſcopus) *Dæmonum inſidiantium innumera multitudo, quorum omne ſtudium eſt laqueos parare, ſuffodere foveam, offendiculum ponere, ut homines illaqueentur & ruant, capiantur demum & internecioni dedantur.* Unde Deus ſe vitricum potius homini exhibuiſſe videtur, quam patrem, cum ad ſe defendendum nulla ei prorſus arma ſubminiſtrarit. Canem etenim unguibus armavit, fortitudine Leonem, Urſum uncipedibus, aſtutia vulpem, leporem curſu, alis avem, unguibus aquilam,

S. Th. à Villan. conc. 2. de S. Mich. Arch.

aquilam, pisces squamis, veneno serpentem, Ericum spinis cornuum semicirculis in fronte taurum, apem aculeo, solus & unicus Homo armis omnibus tam defensivis quam offensivis destitutus manet. Id quod prudenter monuit Chrysostomus, dum ait: *Omnem Creaturam sensibilem Deus armatam & munitam creavit; alias veloci pedum cursu, alias ungulis, alias pennis, alias cornibus, alias denique dentibus.* Verum enimvero quod Deus hominem inermem omnisque armaturæ expertem reliquerit, variæ hujus rationes adduci possunt. Vel enim hoc factum est, quod Deus ipse hominis protector esse velit: *Hominem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse Deus,* inquit S. Chrysostomus. Vel quia linguam habet ad exposcendum propriarum necessitatum subsidium, valde accommodatam. Atis enim illam laxando Crœsum Regem ab eo, qui stricto ense jamjam vitam ei erepturus erat, tutatus est. Eadem armatura Marcus Artonius ab hostili militum à Marco & Cinna subornatorum furore salvatus fuit. Licet fatendum sit hoc armorum genere fœminas potius quam viros communiter prævalere. Aut vero dici potest, quod armorum loco intellectu præditus sit & voluntate, potentiis nimirum adeo nobilibus, ut iis omnia sibi pro libitu comparare possit. Vel quod pro armis manum habeat, quæ *Est organum organorum,* quæ opportunum ubique subsidium confert, dummodo oculus occurrentem ei pandat necessitatem. Vel denique quia expeditos promptosque in sui defensionem habeat Angelos, siquidem *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psalm. 70. Hi namque prompti ad auxiliandum fuisse reperiuntur in calamitatibus Agar & Ismaelis, in occurrentibus quoque necessitatibus Abrahæ & Loth, Gedeonis, Judithæ, Eliæ, Danielis, Moysis, Jacob, Zachariæ, Josephi, Petri, Cornelii & infinitorum aliorum similium. De quibus proinde attestatur Apostolus, quod *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Ad Hebr. 1. 14. Ex omnibus tamen sanctorum Angelorum agminibus sanctus Michael Archangelus nobis in omnibus adversus mundi & Inferni inimicos nostros instituendis certaminibus & præliis, addictissimum se defensorem & Archimandritam esse probavit. Unde S. Panthaleon Diaconus de illo asserit: (Michael fidelium populorum Ecclesias exhilarat, Romanorum custodit Remp. Christi Imperatorem armat: adversus Barbaros Christianos reddit victores, hostes inimicos persequitur, ab eorum qui persequuntur molestiis pios liberat; ab ingentibus maris fluctibus, eos qui ipsum invocant, eripit; Dæmonis impetus propulsat.) Hic igitur protectionis nostræ scutum est à Deo nobis submi[illegible]stratum. Unde Alexander de Ales de hoc defensionis præsidio securos nos reddens dicit: (Ipse assistit laborantibus ad operandum, ne à Diacone impediantur: orationibus ad impetrandum, ne repellantur: vacillantibus ad confirmandum, ne à Dæmone seducantur; pugnantibus ad triumphandum, ne à Dracone subigantur.) Atque ideo eum tam sollicite hisce verbis invocat S. Mater Ecclesia: *S. Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* Quæ de re ad hujus sancti Archangeli gloriam & honorem fusius dicturus sum. Tu interim, ô Archangele gloriole! tuam mihi de tuis laudibus dicturo impertire bilancem, nec non & ensem: hunc quidem ut præsentium Auditorum corda vulnerare possim: illam vero ut præsentem discursum justo unius horæ spatio valeam metiri.

D. Ioan. Chrys. in Matth. c. 7.

D. Panth. Diac. in festo S. Mich. Arch.

Alex de Ales in Apoc. c. 12.

2. Quam hodierna die sancta Ecclesia celebrat solemnitas, in Angelorum omnium gloriam & honorem redundat, ac proinde S. Vincentius Ferrerius dicit: Hodie fit festum & solemnitas omnium Angelorum: eadem tamen à solo S. Michaele Archangelo denominationem suam accipit, eò quod hic inter omnes qui ad præsidium nostrum à Deo missi sunt primus sit & præcipuus; cujus proinde nos assistentiam habentes in omnibus quæ contra inimicos nostros adoriemur præliis & conflictibus de obtinenda victoria securi esse possumus: (solemnitas & festum hodiernum habet nomen & titulum specialem, & habet officium gloriæ quia dicitur S. Michaelis; ratio est quia inter omnes sanctos Angelos Cæli, qui descendunt in hunc mundum ad procurandum nostrum bonum & salvationem maximus est Michael;) qui dum ad nostram defensionem evigilat, securi dormire possumus. Unde mysterio non vacat, quod idem sanctissimus Archangelus hastam in dextera & scutum in sinistra gestans, velut actu præliaturus à sancta Dei Ecclesia repræsentetur: cujus si rationem edisc[illegible] volumus, ad id quod historiæ referunt recurramus; Epaminondas cum exercitu quadraginta millium Spartianorum in certamen descensurus, cùm illis quo ad militum numerum longe inferior esset, ingenioso isthoc usus est stra-

D. Vinc. Ferr. ser. de sancto Mich. Arch.

Idem. ib.

ſtratagemate: in templo quodam Deæ Palladis ſtatua erecta erat, quæ dextera lanceam tenebat, pedibus autem adjectum habebat ſcutum: ſecretè igitur Epaminondas ſculptorem quendam introducens eidem præcepit, ut ſcutum Deæ pedibus adjectum è terra levaret, idemque ejuſdem Deæ ſiniſtro brachio aptè inſereret. Dictum factum, mane ſequenti templi portas aperiri præcepit, ibidemque omnes exercitus ſui milites priuſquam manus conſererent adeſſe, omniumque nomine debita immolati ſacrificia voluit: qui hanc Deam bellatricem ſcutum è terra, & à pedibus ſuis levatum ſiniſtra manu apprehendiſſe videntes, ſtupefacti, prorſus & attoniti ſteterunt: credentes id cæleſte quoddam monitum eſſe, Deam Palladem eis futuram propitiam dimicando pro ipſis, non obſtante longe inferiori militum ſuorum numero, ſibique inde victoriæ triumphum infallibiliter obtinendum eſſe augurabantur.

3. Liceat mihi ex hac profana hiſtoria concludere, quod dum ſancta Mater Eccleſia ſanctum Michaelem Archangelum una manu lanceam, altero vero brachio ſcutum ferentem exhibet, ſignum nobis prognoſticum erat, hunc ſanctum Archangelum in omnibus neceſſitatibus occurrentibuſque caſibus defenſorem futurum eſſe, longè potentiorem faventioremque quam Pallas Thebanis eſſe potuerit. Idipſum etenim experientia in pluribus Scripturæ locis liquidè demonſtrabit, ut ex ſequentibus manifeſtè apparebit; imprimis enim Abraham in Geneſi cum Iſaac filio ſuo è domo ſua diſcedens verſus montem Maria ſe recipit, ut cum Domino in ſacrificium offerat, prouti eidem dum intempeſta nocte ſomnum inter & vigiliam requieſceret à Deo mandatum fuerat; dicente: *Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offer illum mihi in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi.* Gen. 22. 2. Porrò in montis verticem cum perveniſſet, ſuper erecto altari cæſa accommodat ligna, filium quoque poſtquam ei manus ligaſſet & obvelaſſet oculos, ſuper eadem lignorum ſtrue genuflexum ſedere jubet, ac tandem enſi manum admovet, dumque majorem haberet voluntatis Dei quam paterni affectus reſpectum, abſque ulla cordis palpitatione aut vacillatione manus enſem ad feriendum ſtringit; cum ecce ſubito Angelus quidam ſupervenit: *Et ecce Angelus de Cælo*, qui manum ſuſpendens hiſce vocibus ſtrictum intercipit enſem: *Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam ſuper puerum* Verum enimvero quænam eſt hæc tam improviſa mutatio? Deus ſacrificium præcipit, & Angelus quidam idipſum prohibebit? Ergone Angelus ſeſe juſſis opponet cælitus datis? quomodo igitur Angelus Dei eſſe poterit, ſi divinæ voluntatis executionem impedire contendit? Siſtatis hic nonnihil Auditores. Quiſnam eſt hic Angelus Iſaaci vitam tam ſollicite ſalvans, eumque ex manibus mortis adeo acerbæ, qualis eſt proprii patris manu enecari, tam ſtrenuè liberans? Qualis eſt hic Angelus, qui opportune adeſt, ut enſem impediat, ne uno eodemque tempore ſimul cor patris & filii cervicem tranſadigat? Credendum eſt, citra ullam dubietatis aleam hunc non alium fuiſſe, quam S. Michaelem Archangelum, qui uno eodemque momento Abraham pariter & Iſaac à morte eripuit, quorum uni cervix jamjam enſe reſcindenda, alterius vero ex compaſſionis dolore cor transfigendum erat. *Inter præclara Michaelis geſta eſt, quod Abraham comitatus eſt cum è terra ſua egrederetur, qui manu tenuit gladium, ne Iſaac interficeretur*; affirmat S. Panthaleon Diaconus. D. Panth. apud Lopez. in feſto S. Mich.

4. Sennacherib Rex congregato formidabili quodam Aſſyriorum militum exercitu, urbem Hieroſolymitanam, quæ eo tempore ſub felici Ezechiæ Regis ſceptro quieſcebat, obſidione cinxerat: inimici quidem vires adeo validæ erant, adeoque copioſus exercitus, ut nullum ſeſe defendendi eoſque ſuperandi præſto eſſet remedium, unde prudenter ad divinum auxilium ſuum habuit refugium, cui Deus per Iſaiam Prophetam ſuum omnem deponere formidinem juſſit, futurum enim ut Sennacherib adhibitæ vires caſſæ eſſent & irritæ, utque ſui impos deſideni reverti cogeretur: Nec civitatem intercipiendam, nec temerandam Ezechiæ Regis coronam, ſed Majeſtatem ejus ſartam tectamque conſervandam eſſe: *Quam ob rem hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum; Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.* 4. Reg. 6. 19. 32. Porro Rex Aſſyrius in procinctu jam erat, ut in aciem bellicam ſuas diſtribueret copias, rauca jam reſonabant tympana, fluctuabant per æra vexilla, & intempeſta nocte exercitus caſtrametabantur, ducebanturque circumvallationis circa civitatem inſtituendæ lineæ, cum ecce bellator Cæleſtis in totius exercitus medium ſeſe ingerens ferro fulminabat, enſemque ex omni parte libere vibrans ejuſcemodi ſtragem excitavit, ut diluculo ſequenti in profundo quo-

Ib. v. 12.

dam

dam maris sanguine natare viderentur supra centum octuaginta quinque cadaverum millia. *Factum est igitur, nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia: scilicet* (ut exponit Lyranus) *omnes robustos bellatores, & principales exercitus.* E qua strage Dux generalis confusus terga civitati vertens solus fuga se recepit in Ninive: *Et recedens abiit & reversus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive.* Scite hoc loco percuperem, quis & qualis Angelus ille fuerit, qui civitatis illius tutamen sibi vendicavit, quique exercitum adeo numerosum & ingentem in ore gladii interfecit. Scriptura quidem Angelum fuisse dicit: *Venit Angelus Domini.* Hoc autem nomen generale est, & convenit multis. Porrò si ibidem curandus fuisset aliquis infirmus, vel aliquis illuminandus cæcus, Raphaelem fuisse affirmarem: Item si deferenda fuissent maximi ponderis & momenti nuncia, universale quoddam totius mundi beneficium concernentia, crederem fuisse Gabrielem: at vero cum de factione bellica, de armis, obsidionibus, præliis sermo sit, alius præter S. Michaelem, qui *princeps* est *militiæ Cælestis* esse non potuit; cum hoc sit officium nulli alteri præterquam ipsi conveniens *Hic, id est Michael Archangelus, fuit, qui potentissimum exercitum Sennacherib Assyriorum Regis interemit.* Affirmavit olim idemmet Panthaleon Diaconus.

4. Reg. 19. 35. Nic. de Lyra ib.

4. Reg. 19. 36.

S. Thom. à Villan. de D. Mich. Arch. conc. 1.

5. Deus noster Opt. Maximus, miseriis quibus dilectus populus suus in Ægypto per Pharaonis tyrannidem angariebatur, tandem finem imponere ex mera pietate sua decrevit. Vias quidem populus inire debuit dum ex Ægypto egrederetur laboriosas, incognitas, & difficiles, id est per desertum ducentes, mariscque rubri, aquis corte spondentes, ut igitur iter illud lenius faciliusque redderet, suumque populum ab exercitus Pharaonici persecutione faceret esse securum, inquit Sacer textus, ipsummet Deum ei præbuisse ducatum, de die eum in columna nubis, nocte verò in alia quadam columna ignis speciem referente præcedendo: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Etenim Lyranus non Deum sed Angelum quendam illos in nube realiter præcessisse existimat: (Dominus autem præcedebat eos scilicet per Angelum, qui præcedebat exercitum Hebræorum.) Cui consentit Abulensis dicens: *Angelus gerebat vicem nubis.* Hic autem Angelus alius quàm S. Michael non erat, utpote qui tunc protector erat Synagogæ Hebræorum totiusque Israelitici populi defensor: id quod S. Valentinorum Archiepiscopus noster S. Thom. de Villa Nova affirmat. Unde perspicuè colligitur, quod ex quo gentem Moysi commissam eo in itinere ducebat, eum quoque eadem in via ab omni quod illi imminere poterat periculo præcipuè verò ab hostili Pharaonici exercitus furore defenderit, feceritque esse securum. Hactenus hæc bene dicuntur; verumtamen ad unam duntaxat à doctissimo Tostato insinuatam circumstantiam reflectionem facio, hic namque affirmat, quod *Columna erat tenebrosa, & illuminans noctem.* Cum enim hic de una tantum columna loquatur, quomodo hæc simul tenebrosa esse, & illuminare poterat? hæc enim duo contradictionem involvere videntur: si enim obscura erat, qua ratione poterat illuminare? si autem illuminabat, igitur obscura & tenebrosa non erat. Veruntamen optime dicit, nec ullam includit contradictionem, si nubem consideremus *respectu diversorum.* Nubes enim *secundum se* erat luminosa, sed post Israelitarum tergum & in Ægyptiorum facie consistebat, adeoque illis lumen ministrabat absque aliqua oculorum offensa, Ægyptios autem obfuscabat hebetabatque eorum oculos ne videre possent, ideoque velut inter tenebras illuminati manebant, id quod merum opus erat S. Michaelis Archangeli in Hebræorum defensionem egressi: (*Angelus, id est Michael, qui erat in priori parte exercitus cum nube, transtulit nubem ad posteriorem partem, ut illuminaret Hebræos, & obscuraret Ægyptios: sic enim dicitur quod columna erat tenebrosa, & illuminans noctem.* Hoc etenim præcipuum erat S. Michaelis officium, quia ut S. Thomas docet: *Præerat Synagogæ.*

Exod. 13. v. 11.

Lyra. ib. in fine C.

Abul. in cap. 4. Deut. q 8.

Abul. ubi sup.

6. Duo Scripturæ loca invenio præsenti proposito plurimum inservientia. Nemini ignotum est, integritatem à malevolis velut signum ad sagittam calumniis impetitam fuisse, maxime in Regum & Principum aulis, in quibus homines studiosi & probi continuas ab invidis pariuntur insidias. Unde cuilibet in Historiis à Scriptura relatis nonnihil perito manifestum est & certum, in Persarum Regis aula Danielem quendam fuisse, egregiis imo divinis qualitatibus præditum, quem etiam Darius Rex veluti hominem perfectum & sanctum magnumque veri Dei servum prædicabat: Veruntamen aulici ejus eum persecutionibus infestare, milleque calumniis vitæ ejus insidiari cæperunt, arguendo eundem veluti decretorum ab eodem Dario, ut inviolabiliter à quo-

D. Tho. in 4. dist. 41. q. 3. n. 3. ad 3.

quolibet conditorum transgressorem. Etenim tametsi Rex falsis hisce calumniis aurem nequaquam præberet, importunis tamen malignantium istorum eumque ad mortem exposcentium instantiis adactus, eo se permoveri permisit, ut ipsum in quandam famelicis truculentisque Leonibus refertam speluncam seu foveam includi fecerit, ut ab iisdem subito dilaniaretur & devoraretur: hæ autem indomitæ belluæ feritate ac truculentia in mansuetudinem commutata, illum nequaquam uncis & unguibus læserunt, sed potius deliniverunt blanditiis, linguaque sua ejus lambendo pedes osculari videbantur. Fuitque omni cum fidelitate ab ipsis ea nocte custoditus, ita ut nullus vel minimum ei adferre nocumentum ausus fuerit. Verum, inquies, qua id ratione fieri potuit? hi enim truculenti Leones carnis humanæ adeo avidi & insatiabiles erant, ut ipsa quoque ossa comminuerent & devorarent; Adeo ut & ipse Rex velut per Cæremoniam summo diluculo iverit, ut si viveret videre posset, imo oculis præ lachrymis stagnantibus mortem ejus deplorans eum in leonum ventre jam sepultum esse credebat: *Tunc Rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquansque lacui, Danielem voce lachrymabili inclamavit & affatus est eum: Daniel serve Dei viventis.* Daniel autem audita voce Regia subito respondit: Rex in æternum vive. Ad quas Danielis voces quantum Darius attonitus hæserit nullis possum verbis sufficienter exprimere. Nihilominus vestras quo ad hoc factum cogitationes velim suspendatis, priusquam enim hunc locum expediam, alium quendam non minori admiratione dignum in medium adferre decrevi.

Dan. 6. v. 19. 20.

7. In eodem libro Danielis legitur Nabuchodonosori vice quadam tale incidisse mentis delirium, ut se veluti Deum adorari præceperit: Mandat enim statuam erigi auream, sexaginta cubitis altam, sex verò latam, idque in loco quodam particulari, qui vocabatur: Dura, vel ut Symmachus legit: Doraum: quod ut S. Hieronymus scribit: *Vivarium vel conclusum locum dicere possumus.* Ibidemque omnes Regni Satrapas atque Primates congregari fecit, ut mox ad instrumentorum Musicalium, Tubarum, Cythararum, & psalteriorum primum sonum reverenter quilibet genuflecteret, in terraque genuflexus statuam auream pro vero Deo adoraret. Ex altera verò parte fornacem quandam fabricare, eamque igne & flammis adimplere jussit, ut si quis statuam adorare detrectaret: *Eadem hora mitteretur in fornacem ignis ardentis.* Dan. cap. 3. 6. Unde nonnulli ex fornacis timore, alii ut Regis genio satisfacerent jussis Regiis obtemperarunt, nullus autem erat qui indebitum illi adorationis honorem denegare præsumeret; præterquam tres adolescentes Hebræi, Sidrach scilicet, Misach, & Abdenago, qui soli vero Deo talem adorationem deberi non ignorantes, neque fornacis timore quidquam perterriti statuæ terga vertetunt, & Nabuchodonosori in faciem protestati sunt, se ipsam haudquaquam adorare velle: *Statuam auream quam erexisti non adoramus.* Unde Rex indignatus *Præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat,* eosque ligatis pedibus & manibus in fornacem præcipites egit. Qui in eadem non solum non fuere in cineres redacti; verum etiam inter flammas haud secus ac inter auras suaves, & jucundas velut in amœnissimo quodam viridario delitiabantur: *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum & benedicentes Domino.* Verum inquies qua ratione fieri poterat, ut ignis eos non offenderet, sed consolationem potius & refrigerium adferret? Quis impediebat flammas? Ardores quis temperabat? Mirum non esset, si hæc audienti ipsamet quoque veritas redderetur incredibilis. Audite igitur quid sacra Scriptura quo ad hoc subjungat. Dicit igitur: Nabuchodonosorem abivisse, ut videret fornacem, & in ea non tantum invenisse juvenes illos lætos, hilares & jubilantes, verum etiam quatuor ab eo in fornace visos esse: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est.* Unde attonitus hæsit, quomodo prætet tres in fornacem injectos, quartus quoque videri posset: *Obstupuit & dixit: Nonne tres viros misimus:* Hic autem quartus erat is, qui activitatem ignis, & flammarum voracitatem impediebat: *Ita ut capillus capitis eorum non esset adustus.* Unde sanctus Hieronymus, Septuaginta, & Interlinearis dicunt per quartum *Angelum debemus accipere*, non tamen qualis is Angelus fuerit declarant: veruntamen S. Panthaleon Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, Angelum hunc S. Michaelem fuisse, asserit, qui illos à flammis, & Nabuchodonosoris tyrannide liberarit. Tu verò, ô Daniel, qua ratione à leonibus ne dilaniareris illæsum te conservasti? Ejus audite responsum: *Deus meus concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi.* Dan. 6. 22. Unde Glossa ordinaria ait: *Non mutata*

Dan. c. 3. 18.

Ib. v. 21.

Ib. v. 24.

Ib. v. 92.

Ib. v. 92.

Symm. D. Hier. ibi.

Gloss. ord. ibid.

tata est feritas aut rabies Leonum, sed ab Angelo concluſa. At nunquid proprium hujus Angeli nomen ſciri poterit ? Supra citatus Diaconus Angelum hunc tam in fornace Babylonica, quam in Leonum ſpelunca eundemmet S. Michaëlem fuiſſe affirmat : (Species quarti qui in fornace Babylonica comitatus eſt pueros, ne læderentur, Michaël fuit, qui etiam concluſit ora Leonum, ne Danielem contingerent,) Quantùm verò ad tres alios pueros idem ſubjungit : (Michaël ipſe tres illos adoleſcentes in fornacem Babylonicam conjectos conſervavit, in medio flammarum iis aſtare viſus eſt.) Hic igitur Dux & Capitaneus noſter eſt, qui in omnibus occurrentibus neceſſitatibus noſtris, in quibus vires noſtræ prævalere non poſſunt ad nos defendendos, nobis aſtitit. Unde meritò ipſum tanquam defenſorem invocare debemus dicentes : *Sancte Michael Archangele, defende nos in prælio.*

D. Pant. apud Lopez in conc. S. Mich.

Petrus Beſſ in conc. S. Mich.

8. Jacob Patriarcha una cum Rachele conjuge univerſaque familia ſua in via erat, ut ad domum reverteretur paternam : at verò quia fratrem ſuum Eſau, quem ira erga ſe etiamnum accenſum eſſe ſuſpicabatur, magnopere formidabat, ut eum placaret, ſibique benevolum ac propitium redderet, varia eaque præſtantia ad eum tranſmiſit munera, eò vel maximè, quod ſubodoratus eſſet, eum, ad vindicandam receptam à ſe in ſurreptione benedictionis, ſibi tanquam primigenito debitæ, injuriam, cum quadringentis militibus obviam ei procederet; credebat enim melius, ad ejus furorem compeſcendum, inveniri non poſſe temperamentum, quàm quod per munera fieret; ideoque intra ſe dixit : *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & poſtea videbo illum, forſitan propitiabitur mihi.* Geneſ. 30. v. 20. Dumque timore & formidine plenis paſſibus iter ſuum proſequeretur, Angelus quidam coram eo ſe ſiſtit : hunc autem Scriptores Michaelem fuiſſe dicunt, qui ut illum in terram proſterneret, cum eo luctaturus eum amplexatur : Jacob autem generoſos ſibimet animos ſuggerens, ad imminens facinus felicius abſolvendum, vires in ſe recolligit, & cominus cum Angelo certare, luctari, ringere, & quovis adhibito ingenio & viribus adverſarium ſubigere contulit : *Et ecce vir, id eſt, Angelus, luctabatur cum eo uſque mane.* Ibid. v. 24. Curioſus ſum hoc loco ſciendi, quo fine Angelus tantam habuerit in dimicando, & luctando cum Jacob complacentiam : Cum Jacob, inquam, miſero, & ex longinquo itinere defatigato, & laſſo, omnibuſque viribus deſtituto peregrino, cùm quoq; ne quidem per jocum, nedum ſerio, luctari opportunum erat ; unde Michael Archangelus, per hanc, cum Jacob defatigato, initam luctam, indiſcreti Angeli nomen ſeu labem ſib facilè conciliaſſet. Nequaquam hoc timendum erat, ſiquidem non intendebat Archangelus Jacobo moleſtus eſſe, ſed potiùs ad fortiter & generosè Eſau fratri ſuo obviandum, animare, videns enim Michaël Archangelus Jacobi, ex nota ſibi fratris ſui ferocitate, conceptum timorem, luctari cum illo voluit, ut vires ſuas, etiam ab Angelo quodam inſuperabiles eſſe cognoſcens, reſumpto animo foras è pectore pelleret timorem, ſibique perſuaderet, quod in caſu, quo ſibi cum Eſau congrediendum eſſet, obtenturus infallibiliter eſſet victoriam ; unde dicebat ei : *Si contra Deum fortis fuiſti, &c.* Geneſ. 32. v. 28. Lyranus addit ; [id eſt contra Angelum, hoc enim nomen, Deus, hic accipitur participativè, vel repræſentativè, quantò magis contra homines prævalebis, id eſt, contra Eſau, & filios ejus?] Et S. Panthaleon Diaconus ait : [Michaël tota nocte luctatus eſt cum Jacobo, ſed quo fine? Ut eum animatum redderet in cauſa fratris quem timebat.]

Nic. de Lyra ibid.

D Pant. apud Lopez ibi ſup. t. 4.

9. Imò verò idem Archangelus nonnunquam, ubi opus eſt, arma nobis adverſantia impugnare, & pro nobis præliari non dedignatur. Davidis etenim Paſtorculi invictam generoſitatem non tam admiror in eo, quod tanta cum reſolutione, & libertate animi abiverit ad duellum cum Gygante ineundum, quem non ſolùm imperterriti Duces, verùm integri quoque exercitus, tum ob vultus terribilitatem, tum ob proceritatem ſtaturæ, tum denique ob invictum dexteræ, & totius corporis robur, timebant. Quantùm ob ſtuporem attonitus hæreo, conſiderando, quod lapidem ex funda in Gygantis frontem jaciendo eundem proſtraverit, & glorioſam ab eo retulerit victoriam : primo enim quomodo fieri potuit, quod tam parvulus lapillus tam ingentem ictum faceret ? Et ſi à capite ad calcem uſque armis ferreis munitus erat, nunquid magnum ejus erat infortunium, quod lapis hic dirigeretur in frontem, quæ ſola ex omnibus membris una erat, & inermis ? & tamen verum eſt, quod *Tulit unum lapidem, & funda jacet, & percuſſit Philiſthæum in fronte,*

& infixus est lapis in fronte ejus. 1. Reg. 17. num. 45. Certè si frontis duritiei proportionaliter æqualis fuerit duritiei aliorum ossium corporis sui, nescio qua ratione lapillus iste tantam habere vim potuerit, ut tam duram frontem frangere, eamque penetrare potuerit : *Infixus est Lapis in fronte ejus.* Ibid. Demum verò dum lapsum ejus considero, nova, nec minor mihi difficultas, subnascitur, dicitur enim : *Et cecidit in faciem suam super terram*, ibid. pronus itaque non supinus in terram cecidit, cùm tamen contrarium fieri debuisset, cùm enim lapis hic tantam ei vim intulerit, ut duram ejus frontem confractam perruperit, & penetrarit, necessum erat, ut ex jacti lapidis violentia supinus in terram caderet, non autem pronus in faciem. Atque ideò haud dubiè Goliath mortem sancto Michaeli Archangelo potius, qui *erat Princeps & Dux militiæ Iudæorum*, quam Davidi attribuendam esse existimo, ita ut David quidem lapidem è funda jecerit, Michael autem incredibilem ei vim impresserit, eumque ut frontem ejus justè vulneraret, perfectè dixerit; effeceritque, ut mox ad receptum ex lapide vulnus vehemens adeò dorso ejus impactus fuerit impetus, qui eũ in faciem cadere coëgerit, utpote indignum, qui in puncto mortis cœlum respiceret. Unde supra dictus Diaconus Constantinopolitanus dicit : *Hic est Princeps militiæ Michael Archangelus ; à quo Goliath est jugulatus quando fundâ à David fuit percussus.* Et Philo Hæbreus Davidem hisce verbis cum Goliath loquentem introducit : *Aperi oculos tuos & vide interfectorem tuum.* Quem Gygas, priusquam moreretur, aspiciens, cognovit mortem sibi non à Davide, sed ab eo, qui impetum fecerat, unde ab eodem Philone ita fingitur loquens : *Non tu me interfeciſti, sed hic qui tecum est.* Sed quis est ille ? *Hic est Princeps militiæ Michael Archangelus* O invictum athletam & ducem, non tam Hebræi exercitus, sed militiæ Christianæ! *Defende nos in prælio.*

D. Pant. ubi supr.

Philon Heb de antiq. Bibl.

10. Verum enimverò ô Auditores compendiosius rem absolvam : Dicite sodes, quis est, qui de liberatione populi Dei à Pharaonis tyrannide cum Moyse tractaturus in rubo ardenti eidem apparuit, si non S. Michael Archangelus ? Quis mare rubrum aperuit & invisit ? Quis totum exercitum siccis pedibus transire feliciter fecit ? Quis Pharaonem cum omnibus cataphractis militibus suis submersit, si non Sanctus Michaël Archangelus ? Quis Moysi victoriam adversus Amorrhæos contulit, si non Sanctus Michael Archangelus ? Quis etiam qui Angelo apud Regem Persarum commoranti opportunè succurrit, ut liberè & sine impedimento futuri Messiæ mysteria Danieli revelaturus abire posset, si non S. Michael Archangelus ? Quis Josue confortavit ? Quis consolatus est Gedeonem ? Quis Eliam in curru igneo in cœlum perduxit ? Quis Loth à flammarum incendiis extraxit ? Quis piscinæ aquas movebat ? Quis Anti-Christum occidet si non S. Michael Archangelus ? Quis generosos Machabæos tam eximias fecit reportare victorias, si non S. Michael Archangelus, ac proinde sicut Romani & Sabini quatuor in insigniis suis literas deferebant, scil. S. P. Q. R. ita quoque Machabæi quatuor hosce in suis vexillis scribebant characteres : *M. C. B. I. quæ literæ idem valent quod Ma, Cha, Be, I. idemq; significant quod Michael, aut quis ut Deus ?* Demonstrare volentes, quòd omnes victorias suas virtuti S. Michaelis Archangeli tribuerent eis patrocinantes, eos defendentis & pugnantis pro illis. *Machabæi pauciſſimi maximas crebraſque obtinuerunt victorias, præclara geſſerunt facinora, inimicos debellarunt, Provincias ſuo ſubjugarunt imperio, Patriam reſtituerunt, Vrbeſque & caſtra munitiſſima expugnarunt virtute inſigniorum, quæ in ſuis exarata geſtabant vexillis.*

3. Tho, & villa de D. Mich. Conc. 1, fol 408. col. 2.

Abul. in 3. Ioſ. 9. 71. f. 169 col. 2. C.

Sixt. Senen. in Bibl ſancta apud Didac de la Vega, in Feſto SS. Ang. Cuſt. fol. 8.

Didac. qui ſup. ibid.

11. Verùm enimverò quid nobis prodesset ab inimicis terrenis non defendere, nisi lateti quoque nostro assisteret, ut in insultibus, & tentationibus infernalis adversarii nostri nos adjuvaret ? Certissimum est Dæmonem truculentissimum esse hostem, quem unquam genus habuit humanum, qui sine ullis indultis induciis nobis assiduè insidiatur, quantòque, quas nobis struit insidias, sibi juxta vota melius procedunt, tantò magis temerarius efficitur & velut insatiabilis ad texendas novas technarum machinas subitò revertitur, quantò plus victor evadit, tantò in prosequendis & promovendis victoriis suis ambitiosiorem sese exhibet. Et tamen, quòd valdè mirandum est, ex Scriptura sacra manifestè colligo, quod postquam Prothoparentes nostros in terrestri Paradiso, per tentationum machinas invasit & supetavit, eosdem deinceps sæpiùs infestando nunquam reversus fuerit. Valdè, inquam, idipsum mirandum est, quod vel hac ratione ostendo : Quando Adamus per justitiam originalem armatus erat, eundem infestare & tentationi-

bus

bus aggredi nequaquam dubitavit, postquam verò per culpam inermis factus omnibus fuit viribus exutus, & consequenter facilius superabilis, in pace & quiete eum vivere permisit. Profectò si in primo tentationis congressu hominem expertus fuisset intrepidum, generosum, & fortem, adeò ut eum superare minimè potuisset, mirum non esset, si ad iteratos congressus tentandos adeò esset ignavus & pusillanimis, magnæ enim imprudentiæ argumentum esset, si ad certamen quis eum eum provocet, in quo tantam expertus est resistentiam & animi robur & generositatem. Cùm igitur tanto cum studio, cum maximo præjudicio nostro, sua adaugere lucra contendat, quid est quod deinceps Adamum molestare penitus desinat? Respondet Sanctus Panthaleon, quod ex quo primus Dæmonis cum homine initus congressus cum exigua hominis reputatione terminatus fuerit, S. Michael Archangelus ultrò citròque se obtuleris, promiseritque se deinceps in quibusvis necessitatibus occurrentibus futurum ejus intrepidum auxiliatorem; Indeque humiliatum esse adversarii infernalis fastum, magnamque ei incussam formidinem, ut deinceps arma tentationum suarum adversus Adamum levare aut movere minimè præsumpserit: sæpenumero enim expertus fuerit, quòd quotiescunque cum S. Michaele Archangelo præliatus fuisset, tam esset certa sua jactura, quàm desperata erat ejus victoria: *Porrò Archangeli Michaelis suasionibus & monitis instructus Adam non fuit amplius se ductus à Diabolo, nec passus est aliam ab ipso commotionem.*

D Pant. ubi supr.

12. Prophera Balaam à Balach Regis Legatis, ut populo Dei malediceret, per multas honoris & benevolentiæ significationes, variorumque munerum oblationes invitatus fuit, imò summa cum precum instantia rogatus. Ita enim Regis Moabitarum nomine eum sunt allocuti: *Ne cunctèris venire ad me, paratus sum honorare te.* Et tametsi in principio in Legatorum preces condescendere noluerit, sed dixerit:

Num. 22. v. 17.

Ibid. v. 18. *Si dederit mihi Balac plenam domum suum argenti & auri, non potero immutare Verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar*; Veruntamen diluculo sequenti ad iter se accinxit, & discessit, ut exequeretur Coronæ regiæ desiderium: *Surrexit Balaam manè, & strata asina profecta est cum eis.* Civitatem autem egressus, obvium se ei offert S. Michael Archangelus: *Michael fuit qui pergentem Balam, ut malediceret Israel, perterrefecit ense evaginato, dicens, perversa est vita tua, mihique contraria.* Et subdit Lyranus: *Dicunt aliqui, & probabiliter; quòd hic erat Angelus, qui præerat exercitui Israel, id est, S. Michael*: Qui stricto gladio commminabatur jumento, ne ulterius procederet. Verùm dicat hic aliquis, cur Angelus Balamo in itinere perficiendo obstacula ponit, quando Deus ei binâ vice abire præcepit dicens: *Surge, & vade cum eis.* Ergone Michael Dei se voluntati opponere præsumet? Lyranus vult, quòd ly: *Surge & vade, fuit dictum ironicè, sed Balaam accepit seriosè.* Glossa dicit: *Cedit Deus cupiditati, & dimittit eum in desiderium cordis sui.* Hugo Cardinalis ait: *Surge & vade, permissio est non imperium*: Idemmet autem Expositor aliam quandam adfert responsionem, proposito nostro magis accommodam, scilicet, quòd is qui dicebat: *Surge & vade*, Dæmon fuerit, quo cum Balaam, utpote Magus, familiarissimè notus erat, & sæpenumero loquebatur, quem proinde Deum ac Dominum suum appellare solebat. Unde & Legatis dixit: *Dixit mihi Dominus; fortè Dæmonem qui sibi loquebatur, vocavit Dominum.* Quod igitur Balaam ad maledicendum populo, qui Deo adeò charus erat, abierit, merum erat Dæmonis stratagema. Ideòque S. Michael, qui *præerat exercitui Israel*, stricto gladio in ejus se protectionem offert & exhibet, comminando jumento, Balaam impediendo, technisque Diabolicis totaliter se opponendo, adeò ut in Israelitarum præjudicium nullum potuerit malum redundare. *Michael fuit, qui ut bono provideret Synagogæ, coram asina Balaam evaginato fletit gladio: ut mentem Prophetæ mutaret in melius.* Et alius subjungit: *Venit Angelus non vocatus à Balaam, sed ut virtute divinâ Dæmonem arceret à dando responsum ipsi Balaam, & ad imponendum ei legem & frænum, ne aliquid faceret vel diceret contra Israel.* Ac proinde libertimè, si audet, veniat inimicus infernalis, ut damna nobis inferat, nequicquam enim timemus, quia in quavis occurrente necessitate per cœlestis militiæ Principem strenuè semper defendemur. Obarmet licèt advetsum nos universas abyssi phalanges, ab hujus namque invicti bellatoris assistentia protecti, non est quòd quicquam formidemus, securi enim esse

Ibid. v. 21.

Io. Osor. in Conc. 1. in Apparit. S Mich. fol. 479. col. 1. B.

Hugo Card. ibid. fol. 142. col. 3. C.

Io. Lop t. 4. in Fest S. Mich. fol. 176. col. 2.

Sebast. Barrad. ibid. lib. 9. c. 1. v 5. fol. 649. col. 1. D. & 2. A.

possumus quòd deinceps semper Dæmone superiores gloriosè de ipso triumphaturi simus, cùm jam mortificatus nimium & depressus sit temerarius Sathanæ ausus. Maximè si in gratia Dei nos conservaverimus, si operibus meritoriis dediti fuerimus, si divina observaverimus præcepta, si à peccatis abstinuerimus, si ad hujus glorioſi Archangeli majorem gloriam Confessionis & sacræ Communionis Sacramenta frequentaverimus; quòd si verò omninò fecerimus contrarium, ensem quo nos offendat, Dæmonis manibus inseremus; eumque adversum nos teddemus fortiorem, ut deinceps ausu majori nos infestare præsumat. Adhæreamus igitur huic invicto cœlestium exercituum Duci, nullam committamus actionem, quæ virtute regulata non sit, ut sub gloroſis vexillis suis dignè militare valeamus.

PARS SECUNDA.

13. TOta quidem Sacra Apocalypsis divinis est referta mysteriis; præcæteris autem visio illa S. Joanni Evangelistæ revelata, quæ Luciferi depressionem spectat, non vulgari ponderatione digna esse videtur, quare attenti eandem auscultate: *Et vidi*, inquit Joannes, *Angelum descendentem de Cœlo habentem clavem abyssi & catenam magnam in manu sua*, sed quid præstitit? *Apprehendit draconem serpentem antiquum qui est Diabolus & Sathanas, & ligavit eum per annos mille.* Hunc Angelum S. Michaelem fuisse multi Scriptores affirmant: *Multi probabiliter existimant Michaelem eum Angelum fuisse, quem vidit Ioannes descendentem de Cœlo.* Catena autem magna, quam de Cœlo secum ad Draconem infernalem ligandum adfert, ut vult S. Augustinus, *potestas est Dei in manu sua*, quâ eum in abyssi profundo strictissimè alligavit? *hoc est, sub potentiæ & imperii catena devictum in inferni carcere detrusit*, inquit Pererius. At verò quantò tempore hoc modo vinctus manebit? mille annis, id est, quamdiu præsens duraturus est mundus, inquit Andreas Archiepiscopus Cæsareæ in Cappadocia: *Mille igitur annis (ut credibile sit) complectuntur totum illud tempus, quod interfuit inter Christi Incarnationem & Antichristi Adventum.* Unde expressè colligitur, quod ne Dæmon ullum nobis nocumentum adferre possit, simusque ab ejus persecutionibus secuti. S. Michael Archangelus speciali Divinæ voluntatis dispositione manus ejus vinculis astrinxerit, temerarium ejus mortificaverit ausum, fastum depresserit, viresque debilitaverit in profundum inferni eum præcipitando, ubi quoad mundus duraturus est, perpetuò permanebit.

Apoc. c. 2. v. 1. 2.

Io. Lop. ubi suprà.

D. Aug. ib. hom. 17. f. 148. col. 4. L. Bened. Perer ibi. fol. 796. com. 1. sect 2. col. n. 1. Andr. Episc. Cap. Cæs. in Bibl PP. t. 4. f. 534. c. 59 ser. 21 col. 2. G.

14. Verùm enimverò replicare nonnemo hic poterit, quod tametsi Sathanas ab Archangelo mortificatus, depressus, & vinctus sit, suos tamen nihilominus sequaces habeat, qui militiâ obarmati per indirectas nobisque ignotas vias infestare nos possunt, & porrò vehementer infestant. Inficiari idipsum non possum, imò credo quòd pejus quàm dici possit faciat; nihilominus omnem abjicere debemus formidinem, nec quicquam de defensione & protectione Archangeli nostri desperare. In Epistola Judæ legitur, quòd mortuo Moyse, viro nimirum in quovis perfectionum & virtutum genere præstantissimo, magna oborta fuerit inter S. Michaëlem Archangelum & Dæmonem contentio quoad locum in quo sepeliendus erat: *Cùm Michael Archangelus altercaretur de corpore Moysi &c.* Etenim scire percuperem, quidnam utriusque interfuerit, ubi Moyses sepeliendus esset, quidnam ad illos attinebat curam habere corporis, quod nullus valet? si de anima litigassent, non mirarer, quia hæc æterna est, & immortalis, & valoris inæstimabilis, Lyranus, Dionysius Carthusianus & Cajetanus respondent, Dæmonem voluisse eum sepeliri in loco omnibus noto atque visibili, Michaëlem autem omninò contrarium contendisse, siquidem eum ab omnium oculis volebat esse absconditum, ne ullus scire posset in qua terræ parte cadaver ejus reperiretur. At verò ignoscat mihi hìc S. Michaël, videtur enim Dæmonis prætensionem non adeò esse irrationabilem, imò longè laudabiliorem, utpote quæ in Moysis magni illius servi Dei honorem maximoperè redundat. Ex alia verò parte quomodo fieri potest, ut Dæmon qui gloriæ nostræ inimicus est illud occultum esse nolit, ne honore tali Heroi debito privetur? Verùm nequaquam dubitandum est, S. Michaelem, velut bellatorem in præliis expertum, Dæmonis penetrasse stratagema, quod tale erat ac si intra semetipsum diceret: si corpus Moysis in loco Hebræis cognito sepultum fuerit, eum utique adeò venerabuntur, ut cùm sint ad Idololatriam maximè proni ac proclives, eum veluti verum Deum sint adoraturi, quo facto populus Hebræus utpote Idololatra magnam

Judæ Epist. v. 9.

gnam sibi Dei indignationem conciliabit, atque ideò, quia Michael *erat Princeps populi Israel*, ut ait Cajetanus, opportunè præsto esse, damnisque, quæ populo suo poterant accidere, medelam adhibere voluit, & ne Dæmon suum assequeretur intentum, in speciale cum ipso prælium descendit, & gloriosam, ad favorem gentis suæ, pro cujus defensione pugnabat, reportabat victoriam. *Volebat enim Diabolus revelare corpus Moysi Iudæis* (inquit Lyranus) *ad idololatriam pronis, ut eum adorarent tanquam Deum. Michael autem tunc Princeps Synagogæ hoc volebat impedire*, quàm eandem opinionem Dionysius quoque Carthusianus approbat dicens: *Quoniam tanquam Princeps Synagogæ voluit corpus illud manere absconditum, ne plebs sibi commissa peccaret, Diabolus verò voluit illud manifestare Iudæis, quatenus superstitiosè ipsum venerarentur, seu adorarent.*

Cajet. ib. fol 457. fac. 2.

Lyran. ib.

Dionys. Carth. ib.

15. Docet nos sancta Mater Ecclesia, ut in agonia mortis constituti sanctum hunc Archangelum in auxilium nostrum invocemus, dicentes: *Sancte Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio*: Siquidem mortis hora tempus est adeò periculosum, utpote in quo, vel de adeunda cœlesti inexplicabili gloria, vel de gustandis æternis inferni supplicijs, agitur: Sanctus Lucas Evangelista recenset, quòd dum Christus in horto Gethsemani orationem ad æternum Patrem effunderet, constitutus in immenso quodam dolorum pelago, interque mortis agonias, Angelus quidam cœlitus ad eum descenderit, ut eum consolaretur & confortaret: *Apparuit ei Angelus de cælo confortans eum*. Hunc autem Angelum Michaelem fuisse Dionysius Carthusianus expressè affirmat dicens: *Probabile est Angelum istum fuisse Michaelem tunc Principem Synagogæ*. Scio equidem Christum tanquam Deum confortatione non indiguisse, tanquam hominem autem à divinitate & supposito divino potuisse confortari: Et tamen æternus Pater voluit, ut sanctus Michael Archangelus officium istud filium suum inter agoniæ angustias confortandi exerceret, ad insinuandum, quod eo tempore quo homines in afflictionibus & amaritudinibus mortis fuerint constituti, atque à Diabolicis tentationibus diræ infestati, ab hoc Archangelo infallibiliter sint protegendi, qui sicut Dæmonem in cælo gloriosè superavit, ita quoque eundem in mortis hora vincet, id quod maximum erit, quod moribundi recipere poterunt, solatium: *Defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio*: Unde Ludolphus Carthusianus hoc ab Angelo Salvatori allatum solatium considerans dicit: *Quidam ajunt Michaelem astitisse oranti & dixisse se Patri orationis tenorem retulisse: Post hæc confortavit eum, vel de sui præsentia, ut amicus confortat amicum unde confortavit, id est, ei assistendo, vel fortè aliqua verba consolatoria dicendo*: Notate in quo præcipuè solatium hoc consistat, *quòd scilicet hic vincitur Lucifer, sicut victus est in cælo & quòd magnanimum magna sustinere deceat.*

Dionys. Carth. ib. fol. 371.

Ludolph. Carth. p. 2. c. 59. fol. 275. col. 3. K.

16. Verùm enimverò discursum hunc ô Auditores per historiam quandam in Chronico Ordinis Minorum terminemus: In iis namque refertur duos Religiosos veros Dei servos à certò quodam nobili viro hospitio exceptos fuisse, qui fortè in tota vita sua aliud præterquam istud opus bonum & meritorium non fecerat, quod nunc audituri estis, siquidem ob vitam dissolutam & perditam quam ducebat, animam suam sacramentali confessione diu non expiarat. Fœnum igitur & paleam lecti loco in quo requiem habituri erant, iisdem propriis manibus accommodabat, ut suavius dormirent: *Stipulas manibus suis detulit quibus lectulus conficeretur, in quo servi Dei nocte illâ requiescerent.* Nocte verò illâ malo quodam subitò correptus, repentinâ morte extinctus fuit; dumque agonizaret, ejusque anima jam jam à corpore separanda esset, Dæmon ad animam ejus possidendam importunè sollicitabat, eò quòd ad mortem usque perditè vixisset. Erant rationes ejus efficacissimæ valdeque ad persuadendum urgentes. Cùm autem se jam animæ illius possessorem factum esse credens, ad æterna eam deportare supplicia contenderet, coram eo confestim apparuit sanctus Michael Archangelus dicens ei: quid ô temerarie Spiritus quoad hanc animam prætendis? Præsto sum hic, ut eandem pro viribus tueat atque defendam, nullis enim niteris rationum sufficientibus momentis, quare ad infernum te iterum confestim recipe, voluntas enim absoluta Dei est, ut anima hæc consors fiat æterni Paradisi. Adducatur hic protinus fœnum & palea, quas moribundus hic pauperculis Dei servis lectum præparaturus propriis suis manibus accommodavit, eaque in blancè mea ponderentur, positis ex adversa parte peccatis suis, quorum nunc contritionem habet, quæque hesterno crepusculo religiosis istis hospitibus suis confiteri statuerat. Erectâque bilancè sanctus Michael Dæmoni

In Chron. Ord. Min. 2. p. lib. 4.

Didac. Diez in Conc. 1. in Festo Dedic. S. Mich fol. 718. n. 38.

evidenter ad oculum ostendit, quòd [Graviùs appenderunt paleæ, quàm universa scelera, quæ in tota vita sua commiserat. Sicque anima illa à Diabolis liberata fuit, & à sancto Angelo in salvationis locum deducta.] Id quod eadem met nocte duobus illis Dei servis cælitus revelatum fuit. Quòd si igitur modica palea, ad obsequium inopum ex charitatis motivo accommodata, Archangelum nostrum obstrinxit, ut animam illam, ne periret, defenderet & tueretur, atque è Diabolicis manibus & ore Inferni liberaret, licèt gravissimis hactenus fuisset peccatis onusta: quantò magis, si nos in Dei gratia constanter vixerimus, multaque meritoria opera exercuerimus, animas nostras à Sathanicis tentationibus erepturus, easque in salvationis locum perducturus, morti nostræ præsens aderit? *Curate ergo fratres charissimi diligentissimè piis vos operibus exercere, ut illa hora vos sanctus Michael, cum magno pondere inveniat, ineffabilique hilaritate, æterna præmia percipiatis.* Amen.

SERMO TRIGESIMUS SECUNDUS
IN FESTO
SERAPHICI PATRIS, ET PATRIARCHÆ
S. FRANCISCI.

Dilectus meus candidus & rubicundus. Cant. cap. 5.

1. S. Basilius modum, quo pictores effigiem alicujus delineaturi naturæ vivacitati proximiùs accedunt, accuratè observans ait: *Pictores cùm imaginem aliquam ad alterius exemplum exprimere volunt, identidem exemplar ipsum spectantes, illius lineamenta & colores ad vivum referre conantur.* Portò non minus immortalis quam celebris, atque in posterorum mentibus characteribus indelebilibus insculpta remanebit ingeniosissimi Xeuxis gloriosa fama, qui cùm ad exprimendum in tela quadam elegantissimum Helenæ vultum, quem nulla Græcarum puellarum pulchritudine & decore suo assequi poterat, se compararet, quicquid venustatis aut excellentiæ in aliarum virginum faciebus dispersum erat, cum singulari quodam magisterii & artis suæ specimine in ejus depicta effigiè simul contraxit: Supremus pictor magnum & Seraphicum Franciscum æternæ sapientiæ coloribus in humanitatis nostræ tela delineando exprimere volens, in eo velut in epitome quadam simul omnes illas prærogativas in unum collegit, quas in dignioribus creaturis præstantioribusque servis suis diffusè dispersit. Unde si Adam Evam in conjugem suam habuit, ideoque esse debuerunt *duo in carne una*, Franciscus paupertatem in sociam & sponsam suam sibi elegit adeoque cum illa se confœderavit, ut dum ei tres cœlestes puellæ cœlitus missæ obviarent, hisce eam vocibus salutarit: *Bene veniat Domina paupertas.* Si Abraham divinæ voluntati obtemperaturus cùm audiret hæc verba: *Egredere de terra tua & de cognatione tua & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, protinus obedivit; Franciscus mox ut audivit hoc Evangelii monitum, *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, non solùm hæreditarias facultates, verùm etiam paternam domum posthabendo dereliquit, & *nudus coram Episcopo civitatis omnibus paternis bonis renuncians ad Dominum convolavit.* Unde & meruit ut Deus seraphicam suam familiam velut stellas cæli multiplicaret. Si Isaac promptissimè obedivit quando in monte paterno gladio collum subjecit, Franciscus ut se in obedientiæ actibus exercendi occasionem haberet, subditos suos rogabat, ut eum præceptis suis continuò subjicerent. Si David tantus fuit humilitatis amator, ut se vilissimum terræ censuerit vermiculum, dicens: *Ego sum vermis & non homo.* Humillimus quoque semper Franciscus fuit, siquidem inter omnes religionum Fundatores

D. Basil. apud Th. de Trin. in Festo SS. Apost. Sim. & Judæ fol. 1880. n. 20.

Apud Vinc 61. lib. de Civit. Dei ect. 13. fol. 185. col. 2. n. 16.

Genes. 2.

Petr. de Natal. l. 9. cap. 8. Gen. 12.

Matth. 10

Natal. lib.

Gen. 22.

Psal. 21.

datores minor dici voluit. Si Noe vineam plantavit, eamque vitibus aliisque arboribus implevit, quæ postea ad instar fœcundæ genetricis poma tulerunt aurea, uvarumque botros: Franciscus suam fundavit & instituit religionem, in qua sublimitate videntur quatuor Cypressi, id est, summi Pontifices, Cedri viginti duæ, id est, Reges, Malogranata itidem purpurea quadraginta duorum Cardinalium, Vites quoque plurimæ, id est, plus quam quadringenti Episcopi & Archiepiscopi, totidem quoque rubescentes rosæ id est, glorioforum Martyrum numerus sine numero. Si Moyses legem genti suæ dedit, ut per semitas ambularent virtutis: Franciscus ea in Regula sua stabilivit præcepta, quæ à suis deinceps Religiosis observari debebant. Si Jacob velut fœcunda quædam arbor, quod cum filiorum suorum propaginibus, gratam circum se coronam facientibus, circumdatum vidit, Franciscum velut patrem sectati & & reveriti fuêre duodecim Coadjutores, qui in Catholicæ religionis obsequiis, ad majorem Dei gloriam operam dabant. Si Elias in curru igneo translatus fuit in cælum: Franciscus similiter in flammivomo curru, ad stellas usque translatus esse noscitur. Si Joseph tanquam Vice-Rex Ægypti, à Pharaone totius regni obtinuit superintendentiam, cujus prudentiæ, totius terræ regimen inniteretur, eique ab eodem regium plenariæ potestatis sigillum consignatum fuit: Francisco commissa fuit ruinam minitans Ecclesia Lateranensis, eique in Alverniæ monte quinque vulnera redemptionis nostræ sigilla impressa fuêre, adeò ut quidam Christi vices gerens declaratus esse videatur. O pulcherrimam picturam! ô perfectam imaginem! ô vivam effigiem, in qua maximorum Patriarcharum perfectiones, veluti in epitomen quandam contractæ videntur! Veruntamen nullius alterius Patriarchæ virtutes, in eo adeò vivaciter & naturaliter exprimuntur, sicuti Abelis, adeò, ut, velut mysticus Novi Testamenti & legis Evangelicæ Abel, præconizari possit, non solùm, quia fuit Guardianus Religiosorum, sicut ille pastor fuit ovium: *Fuit Abel pastor ovium:* Verùm etiam, quia ille viva Christi figura fuit, & hic ejusdem viva effigies, unus illorum velut innocens canonizatur, alterius innocentiæ candor intactus conservatur, Abel fuit Martyr, Franciscus quoque in voluntate martyrium sustinuit. Et quidem hæc tria encomia, ex suo nomine *Franciscus* eliciuntur: *F, R, A, Figuram, Redemptionis, Accepit.* Ecce tibi Franciscum Crucifixo Redemptori similem: *N, C, I, Nullâ, Carens, Integritate:* Ecce tibi Franciscum, velut hermineum Abelis innocentiâ vestitum; *S. C. V. S. Seraphici Crucifixi, Vulneribus, Signatus:* Ecce tibi Franciscum in membris suis reali martyrio affectum. Unde de eo dici potest, *Dilectus candidus & rubicundus.* Velim igitur, Auditores, in hoc discursu meo mysticum hunc Abelem respicere, velut Christi effigiem, veneremini tanquam innocentem, & observate tanquam Martyrem.

Eccl. in Festo ejusd.

Gen. 4.

Tert. in Sco. adv. Gnost. c. 6.

2. Et quidem imprimis, priusquam discursum hunc exordiar, respondendum mihi videtur tacitæ cuidam objectioni, quam nonnemo haud immeritò facere possit, scilicet, quod cùm Christus Deus sit, nemo illi in similitudine comparari possit. Dicit enim David: *Non est similis tui in Diis Domine.* Et alibi: *Non est qui similis sit tibi.* Nec mirum, quia, ut Philosophus ait: *Similia dicuntur, quæ conveniunt in forma.* Huic igitur aptè respondebit Doctor Angelicus dicens: *Quod creaturæ sunt similes Deo, non secundùm eandem rationem specificam, aut genericum, sed secundùm aliqualem analogiam.* Et licet mihi ad id vobis persuadendum, alia non suppeteret ratio, vel authoritas, sufficeret nihilominus testimonium Moysis, imò trium divinarum personarum dicentium: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen. 1. cui consonat illud Joannis Evangelistæ dicentis: *Cùm apparuerit similes ei erimus.* Joan. c. 3. Veruntamen inter omnes creaturas nulla unquam fuit, quæ Dei incarnati similitudinem adeò in semetipsa ad vivum expresserit, sicut Seraphicus noster Patriarcha.

Psal 85. Psal 39.

D. Tho. 1. q. 4. a. 3. & cajet. ib.

3. Id quod mihi ex hoc præcipuè persuadetur, quod corpus ejus in loco quodam abscondito reconditum sit, ubi à nemine videri possit. Dicet etenim fortasse aliquis, ad majorem fidelium consolationem, majorem item sancti honorem, imò etiam ad majorem Dei gloriam, futurum fuisse, si corpus ejus in Ecclesia in conspectu omnium staret expositum, vel ad minus semel in anno, in solemni festivitatis suæ die exhiberetur. Cui proinde ut respondeamus, statui rationem hujus investigare per quendam à S. Matthæo allatum Scripturæ locum; scitis etenim tres discipulos simul cum Christo, Elia & Moyse in monte Thabor commoratos esse; dumq; diversos inter se sermones miscerent, derepente nubes quædam pulchertima, lucida & resplen-

resplendens, in aere visa est, è qua vox paterna audita est emanare dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, ad horum autem verborum prolationem varia acciderunt, Apostoli enim ceciderunt prostrati in terram; præcipuè vero Moyses & Elias subitò se subduxerunt & disparuerunt, nec à discipulis amplius
Matt c.17. v.76. fuere visi, unde sequitur in sacro textu, *Levantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum*. Nolo hoc loco ad id me reflectere, cur Apostoli audita hac voce fuerint consternati, sed tantum cur duo Prophetæ se absconderint, ita ut deinceps amplius non fuerint visi? Quod si enim in monte, maximi ponderis negotia cum filio Dei tractaturi, comparuerunt, quo fine paterna
Ib n.8. voce resonante *Hic est filius meus dilectus* absconduntur, nec se videri amplius permittunt. Doctè profectò respondet sanctus Joannes Chrysostomus, vocem quidem Patris æterni, *Hic est filius meus dilectus*, auditam fuisse, non potuisse tamen videri, supra quem caderet, & de quo Petrus, Jacobus, & Joannes illam intelligere debuissent. Unde ne fortè eam de duobus illis Prophetis, aut alterutro illorum intelligendam esse suspicarentur, se protinus è conspectu subduxerunt, nec se amplius videri permiserunt, ut vel sic Apostolis perspicuum esset, Christum, non vero Eliam, aut Moysen, verum esse Dei
D. Ioan. Chrys. t 2. hom. 57. In c.17. Matth. filium: *Vt autem*, inquit Chrysostomus, *nulla dubitatio emergeret, de quonam vox emitteretur, utque de Christo solum dictum esse intelligerent, illis jam duobus, Moyse scilicet & Elia, remotis, vox fertur: Hic est filius meus dilectus*. Id quod à sancto Ambrosio pariter confirmatur dicente: *Hic*
D. Ambr. t.1.l.1.de fide.c.5. *est filius meus, non Moyses filius, non Elias filius sed hic filius Recesserunt enim servi ut solus Dominus, qui solus designabatur, filius videretur*. Et S.
D.Hier.l 5 c.17. Matt. Hieronymus addit: *Rationabiliter, postquam surrexerunt non viderunt nisi solum Iesum: ne si Moyses & Elias perseverassent cum Domino, Patris vox videretur incerta cui potissimum daret testimonium.*

4. Quod si, sicut Christus, Elias & Moyses, simul erant in monte Thabor, ita quoque Franciscus in omnium conspectu in una parte Ecclesiæ stetisset, & Christus in altera, futurum utique fuisset, quod ob magnam, quæ inter utrumque erat, similitudinem, simplices ad minus suspensi, ambigui & ancipites fuissent, nec potuissēt cognoscere aut se resolvere, utri è duobus deberentur primi adorationis honores & uter verus censendus esset Dei filius. Unde Franciscus, ut huic inconvenientiæ, quæ tandem aliquando accidere potuisset, obviaret, haud secus ac Elias & Moyses se subduxit, nec corpus ejus in Ecclesia amplius comparet, aut videri se sinit, ut vel sic simplices agnoscant, quod, *hic id est, Christus, est filius Dei, ut solus Dominus, qui solus designabatur filius videretur, & non Franciscus*. Totum igitur magnæ, quæ inter utrumque intercedit, similitudini attribuendum est. Unde S. Bonav. exclamavit dicens: *O verè Christianissimum virum, qui & vivens Christo viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari.* *D. Bonav. c. 14. de S. Franc. apud Su.*

5. A veritate haud alienum esse existimaverim, si talem quandam similitudinem à Davide Rege oculo prophetico insinuatam esse dixero. Hic enim, dum eam universo mundo notificaturus esset, omnes cujuscunque status & conditionis homines advocavit, ut attentè & cum silentio sermonem suum auscultarent, dicens: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem*. Demum verò postquam multas circumstantias edocuisset, tandem circa mundi redemptionem suo tempore futuram subjungit. Certum omnibus esse debere, quod *Frater non redimit, redimet homo*. Portò tametsi nonnulli verba hæc modo interrogativo legant, *redimet homo?* nihilominus alii eadem scribunt in phrasi & sensu determinato & resoluto, *redimet homo*. Certum etenim est sacros expositores per *ly homo*, nihil aliud intelligere, quam Christum Redemptorem nostrum, ita Arnobius ait: *Hos sciatis quod nullus vos ab interitu redimet, non pater, non mater, nisi homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro omnibus*. S. Bruno quoque addit: *Redimet homo, id est Christus*. Idipsum quoque à duobus S. Ecclesiæ Doctoribus Hieron. & Ambr. confirmatur, dum ajunt: *Ipse est solus, qui redimet hominem, id est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus per hominem Dominum Iesum intelligamus, qui suscepit hominis conditionem*. Portò quid demum Psalmista Regius per ly frater intelligi velit, hæc mea est opinio, eum nequaquam locutum esse de fratre secundùm carnem, benè tamen secundùm spiritum, unde cum dicit: Cavete, quia *Frater non redimet*, *Psal.48.* *Ibid.v.8.* *Arnob. in Bibl. PP. p. 3. sec. 5.* *D. Brun. in Bibl. PP. t.1.* *Hier. t.7. in Ps. 48.* *Et Divus Ambr. t. 4 ibid.* *Lorin. ib.*
id est, non ille qui religiosus est & frater, est redemptor: *Non is qui frater est*, inquit Lorinus, ac proinde existimo sermoni prophetico hanc posse interpretationem attribui, ac si diceret, duo in mundo suo tempore comparituri sunt homines, quo-

quorum unus appellabitur frater, alter verò homo, de quo scribitur. *Et homo factus est*: inter utrumque autem quo ad externam apparentiam tanta erit similitudo, ut mirum non esset, si frater, id est Franciscus, velut homo, Redemptor universi adoraretur, proinde advertant bene, *Frater non redimet*, sed Deus ille qui factus est homo: *Et homo factus est*; hic redimet, hic Redemptor noster erit. Cum igitur necessum fuerit, ut David veluti digito ostenderet, uter ex ambobus futurus esset Redemptor, ambos adeò inter se similes fuisse manifestè sequitur, ut ab invicem dignosci difficulter potuerint. Huic conformiter quidam S. & Seraphico P. valdè devotus quondam scripsit: *Corpus & caro B Francisci, est figura Iesu Christi depicta & figurata, ut videndo B. Franciscum videatur Christus.* Unde nonnullorum fuit opinio, quod si Christus habitu inindueretur Francisci, Franciscus verò vestes indueret Christi, quilibet Christum pro Francisco, Franciscum verò pro Christo haberet & adoraret: Unde ingeniosus quidam Poeta scripsit:

Barth. de Pisis confor. l. 3. fract. 3. p. 2.

Franc. Bene. P. Rup. declam. 2. 4.

Ecce Franciscum tunicâ laceroque cucullo,
Qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.
Francisci exuviis, si qua licet, indue Christum,
Iam Franciscus erit, qui modo Christus erat.

Ecce igitur tibi Franciscum velut alterum quendam Abelem, & veram quandam vivamque Redemptoris effigiem.

6. Quod si verò deinde de similitudine Francisci cum Christo quoad operationes loquamur, in multis se Franciscus Incarnato Dei filio similem esse probavit. Nativitas etenim Christi Mariæ annunciata est ab Angelo: *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Mariam.* Simili modo Nativitas Francisci ab Angelo in forma peregrini præindicata est Matri. Christus quantumvis sit Dominus, factus est servus: *Formam servi accipiens*: similiter Franciscus *Cum in veritate speculum esset, & splendore omnimodæ sanctitatis, peccator vocari voluit.* Christus adeò pauper nascitur, quod *non erat ei locus in diversorio*: Franciscus similiter ne vestimenta quidem possidere voluit: *Paupertatem adeò diligebat quod Dominam suam semper eam vocabat.* Christus confœderatam sibi habuit humilitatem: *Humiliavit semetipsum.* Franciscus similiter in actionibus suis *verè documentum extitit humilitatis perfectæ.* Christus in nuptiis Canæ aquam in vinum commutavit: Franciscus etiam *signo Crucis edito benedixit aquam, mox vinum efficitur optimum.* Christus quadraginta diebus jejunavit: *Iejunavit quadraginta diebus*: Franciscus quoque *quadraginta diebus in honorem S. Michaelis jejunavit.* Christus vanam gloriam enixè fugit: *Ego gloriam meam non quæro*: Franciscus quoque docuit *transitoriæ laudis præconium debere contemnere, & mentis quoque jactantia comprimere fastum.* Christus se, tanquam bonum, celebranti respondit, *quid me dicis bonum*? Franciscus quoque aliquos, qui ipsum velut sanctum canonizabant, repræhendit dicens *Nolite me laudare ut securum, nemo laudandus cujus incertus est exitus* Christus erga peccatores benignus fuit *Non veni vocare justos, sed peccatores* Luc. 15. Franciscus etiam humanus fuit erga peccatores. Christus paradisum desideranti dixit: *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Matth. 19. 11. Franciscus similiter cuidam Deo servire volenti respondit: [Si vis Christi pauperibus jungi, pauperibus tua distribue.] Christus infructuosæ cuidam arbori maledixit: *Maledixit ficulneam & arefacta est*: Ib. c. 7. Franciscus quoque animal quoddam immundum, quod agnellum occiderat, maledicto subjecit, dicens: (Maledicta sit impia quæ te interfecit, nullus, de ea comedat bonus, & illa periit.) Christus passus est injuriam in verbis & factis: *Dæmonium habes Tulerunt lapides, ut jacerent in eum*: Joa 8. S. Franciscum etiam luto platearum & lapidibus petebant. Christus Apostolos suos orationem instituendi modum edocuit: *Sic orabitis Pater noster &c.* Matth 6 Franciscus quoque modum orandi religiosis suis præscripsit: [Cum orabitis, dicite Pater noster.] Christus turbis panes providit & multiplicavit: *Accepit panem & distribuit discumbentibus*: Joan. 6. Franciscus etiam cum omnis via deesset, qua possent sibi de victu necessaria providere, subitò apparuit homo afferens panem in manu. Christus Dæmonem è filia Chananææ expulit: *Et sanata est filia ejus ex illa hora*: Matth. 13. Franciscus pariter pellit à fœmina Dæmonem. Christus desertum quoddam inhabitavit. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu*: Matth. 4. Franciscus solitaria loca quærebat, amica mœroribus. Christus solebat dicere: *Regnum meum non est de hoc mundo*: Joa. 18. 36. Franciscus sæpè protestabatur, quod (nihil erat sibi commune cum hoc mundo.) Christus mundavit leprosos, infirmos curavit, cæcis restituit visum, sanitatem hydropicis, surdis auditum, sermonem mutis: *Surdos fecit audire, & mutos*

Luc. 1.

Ad Philip. 2.

Petus de Natal. l. 9. c. 18.

Ib c. 6.

Ioan. 1.

Matth. 4.

Ioan. 8.

D. Bonavent. ibid.

Marc. 19. v. 18.

D. Bonavent. ibid. c. 15.

mutos loqui: Matth. 7. Franciſco quoque mediante cæcis & ſurdis, mutis & claudis, hydropicis, paralyticis, dæmoniacis & leproſis, naufragis & captivis, remedia conferuntur. Chriſtus captus ab Hebræis & ligatus fuit: Luc. 13. Franciſcus capitur à Saracenis & malè tractatur. Chriſtus in Cruce nudus eſt mortuus: *Diviſerunt veſtimenta ejus*: Franciſcus ſimiliter ſuper nuda terra nudus moritur: [Super nudam humum ſe totum nudatum proſtravit.] Chriſtus improperia paſſus eſt à latronibus: *Improperabant ei*: Matth. 27. 44. Franciſcus à latronibus in quandam niveam vallem præcipitatus, his ſe verbis contemni audire debuit: (Jace ruſtice præco Dei) Chriſtus in humanitate ſua quinque vulnera habuit: *Foderunt manus meas & pedes meos*: Pſal. 21. Franciſcus, ſimiliter: (Aliqui ſtigmata manuum viderunt & pedum.) Chriſtus reſuſcitatus diſcipulis in cœnaculo pacem attulit: *Stetit in medio & dixit eis*: *Pax vobis*. Luc. 24. Franciſcus civitati Aretinæ pacem reddidit urbemque ſalvavit. Chriſtus Thomæ vulnera oſtendit dicens ei: *Mitte manum tuam in latus meum*: *infer digitum tuum huc* Luc. 24. Franciſco etiam dum infirmus eſſet, ut de vulneribus ejus haberetur certitudo, digiti immiſſi ſunt in vulnerum ſuorum cicatrices: (Vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu quam tactu vulneris quantitatem agnovit.) Denique ut Seraphicus P. Bonaventura inquit: *Voluit certe Franciſcus per omnia Chriſto crucifixo eſſe conformis, qui pauper & dolens nudus in Cruce pependit.*

D. Bonavent. ubi ſup. c. 14.

7. Enimvero Auditores duas præcipuè actiones in Chriſto & Franciſco video, magna conſideratione dignas. Salvator enim noſter religionem ſuam Apoſtolicam jam inſtituerat, at verò ſicut ab undis maritimis navis ſemper fluctuat, ita quoque hæc ex multis malevolorum perſecutionibus eam abolere volentibus periclitabatur. Inter cæteros autem Eccleſiæ infeſtos hoſtes quinque erant infenſiſſimi ſcilicet Annas, Caiphas, Pilatus, Herodes, & Dæmon, qui poſtremus omnium erat præcipuus, ac proinde Chriſtus Religioſos diſcipulos ſuos monuit dicens: *Ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos ſicut triticum*. Luc. 22. 31. Finis autem quatuor priorum perſecutorum admodum fuit funeſtus & miſerabilis, tam quoad corpus, quam quoad animam, prouti fuſius legi poteſt apud Scriptores hac de re tractantes: Exiis enim unus illatis ſibi violentis manibus deſperatus interiit, alius à lepra devoratus mortuus eſt, alius denique conſumptus à vermibus: præcipuus autem; Dæmon ſcilicet, tametſi mortuus non fuerit, ejus tamen faſtus fuit mortificatus, ipſe verò in abyſſi carcere catenis vinctus, & alligatus; Unde de Chriſto Redemptore noſtro benè dicitur, quod armis Crucis ſuæ *ſubvertit potentias Diaboli*, vel ut Joannes ſcribit: *Angelus habens clavem abyſſi, & catenam magnam apprehendit Draconem ſerpentem antiquum; qui eſt Diabolus & Sathanas, & ligavit eum per annos mille*. Apocalyp. 20. 1. 2. Nunc videamus qualiter ſimile facinus à ſancto Franciſco patratum fuerit.

8. In Hibernia quæ nunc Irlandia appellatur, quinque præcipui magnæque authoritatis viri ingentem adverſus Seraphicam ſancti Franciſci Religionem ſeditionem excitarunt, eandem omnibus viribus ſupprimere contendentes: Inter quos unus qui caput cæterorum erat, alios ſumma cum perfidia ad conceptum ſcelus exequendum excitat; verum horrendum rei velim audiatis exitum, in eadem Eccleſia, in qua pro concluſione rei faciendum erat conciliabulum, erat in majori ejus porta ex una quidem parte imago ſancti Pauli gladium tenentis, ex altera verò imago ſancti Franciſci habentis in dextera Crucifixum. Sequenti diluculo dum ſacriſtanus quaſi ante diem ad aperiendas Eccleſiæ fores ſe reciperet, audivit ſanctum Paulum hiſce verbis Franciſcum alloquentem. (Quid agis Franciſce? cur tuam non defendis familiam? Cui ille reſpondebat: Quid faciam? nihil habeo præter Crucem, & hæc ipſa me docet de patientia ſervanda.) Subjunxit confeſtim, Apoſtolus cede mihi hanc Crucem; illius enim loco hunc tibi enſem conſignabo. Audiens id ſacriſtanus attonitus diſceſſit, paulò poſt autem rediens vidit Franciſcum gladium ex ſanguine rubricatum manu ſua tenere. Rei igitur ſucceſſum religioſus populo inſinuaturus egreſſus eſt Eccleſiam, & ſubitò vocem quandam audiit elatam; qua ſignificabatur præcipuum religionis inimicum, qui eam ſubvertere nitebatur in lecto ſuo detruncato à buſto capite mortuum repertum eſſe. Quid hic dicetis Auditores? Nunquid Franciſcus in hac actione Chriſto ſe ſimilem eſſe probavit? Verum tamen ſcire percuperem, quonam malevoli iſti ad perſequendam ſancti Franciſci religionem ducti fuerint motivo? Num forte idcò quod nonnulli in ea diſcoli viverent? Minimè, nam & in Collegio Apoſtolico unus Judas erat, nec conveniebat

Plat. l. de bono ſtat. relig. c. 33. & Balth. in conc. D. Franc.

unius delinquentis corrigendi causa religionem universam funditus subvertere. Servi illi de quibus in Evangelio sermo est, Zizania quidem eradicare volebant dicentes: *Vis imus & colligimus ea?* Non tamen id illis permissum fuit vel ob id solum: *Ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis & triticum* Matth. 13. Nam contra omne fas & æquitatem est, si granum bonorum ob perversorum zizania pati cogatur. Sinatis igitur crescere granum, veniet enim tempus, quo zizania collecta dabuntur *ad comburendum*. Cur igitur Hiberniæ Primates religioni huic machinabantur præcipitium? Num fortè sanctæ Ecclesiæ dedecori erat? Nunquid religiones columnæ sunt stabiles quæ doctrinarum suarum petris sacrum ejusdem sustentant ædificium, etenim existimo, quod sanctus Joannes Chrysostomus adversus illos, qui vel suo tempore, vel paulò ante statum, & vitam monasticam aspernati fuerant, nobilem illum adversus vituperatores vitæ Monasticæ conscripserit tractatum. Divus Joannes Chrysostomus tom. 5. advers. vituperatores vitæ monil. l. 1.

9. Porrò inter alias Abelis prærogativas una & quidem præcipua fuit, quod esset innocens: *Dilectus meus candidus* ac proinde sanctus Chrysostomus t. 3. serm. de Mart. de eo dixit: Solus *Abel sanctissimus purus atque integer perseverat, fit enim Abel innocens*: & Beatus Laurentius Justinianus subjungit, quod *innocentiam custodivit Abel*. Quoad hunc punctum Seraphicus Franciscus Abeli simillimus fuit, innocentiam etenim non minus, imò forsitan cum majori puritate & merito, quam Abel incontaminatam conservavit; adeò ut etiam Franciscus innocens dici possit, scio equidem ô Auditores vos huic opinioni meæ non futuros contrarios, dummodo veritatis hujus probationes attente auscultaveritis. Obstupesco equidem considerans magnam familiaritatem, quam Franciscus cum animalibus brutis habebat, promptamque eorundem brutorum erga ipsum obedientiam. Prædicat volatilibus, quæ mox ut ipsum auscultent immobiles persistunt: Manum suam erga illas extendit, nec fugiunt, aut avolant, donec data sit iiis à Francisco abeundi licentia: (Prædicat avibus, auditur ab eis, tanguntur ab ipso, nec nisi licentientur recedunt.) Arundinibus cantando & garriendo nimium importunis & stridulis auresque molestantibus ut taceant, imperat, & cum summi observantia silentii mox ei obtemperant obsequiosasque se ei exhibent. *Hirundines dum eo prædicante garriunt, ipso imperante protinus conticescunt.* Alias quoque dum per mare Venetias versus iter ageret, inter paludes illas constituto canoræ aves in magna multitudine appropinquant, quibus dulciter cantillantibus Franciscum cum socio suo in earundem medio se posuit, & horas Canonicas decantare cæpit: *Quibus intrantibus aves motæ non sunt.* Integro cuidam avium gregi congregato præcepit, ut Deum singulæ laudarent, & gratias agerent, qui vestium loco de plumis eis prospexisset, ad volandum quoque alas addidisset, ac demum possessores terræ & aeris dominatrices effecisset; ad quas voces omnes illæ aviculæ velut exsilientes mox obtemperarunt, milleque garritibus & cantillationibus aera impleverunt, advolarunt quoque in humeros ejus, quas ille id minimè abeuntes aut formidantes manibus apprehendit: *Et per medium earum transiens pertingebat easdem.* Imò parvula quædam cicada, cum à viro sancto hisce verbis vocata fuisset: *Soror mea cicada veni ad me*, ut nutibus ejus promptissimè obediret, relicta arbore, cui insederat, in manus ejus advolavit: *Quæ statim obediens super ejus manum ascendit*; Verum dicat hic aliquis, qua ratione fieri potuit, ut animalcula ista adeò promptè mansuescerent & obedirent ei, eumque non modò non fugerent, sed ultro citroque in ejus manus advolarent? Nunquid Seraphicus Franciscus homo est, cur igitur ei non æquè ac aliis hominibus aves hæ rebelles existunt? aut cur ei potius quam aliis hominibus se reconciliatas, & per tam manifestos benevolentiæ & amnistiæ perpetuæ actus se ei confœderatas demonstrarunt? Respondeo cum S. Thoma, inobedientia avium aliorumque brutorum & ferarum erga hominem pœnam esse peccati ab homine commissi, & præcipuè oriri ex amissa per peccatum innocentia: *Inobedientia ad hominem, eorum, quæ ei debent esse subjecta, subsecuta est in pœnam ejus, eo quod ipse fuit inobediens Deo. Et ideò in statu innocentiæ, antè inobedientiam prædictam nihil ei repugnabat, quod naturaliter deberet ei esse subjectum.* Unde quod aves & alia animantia adeò fuerint Francisco familiaria, quod ab eo non fugerint, sed ejus consortium avide quæsierint, verbisque ejus promptissimè paruerint, omnia hæc manifesta erant argumenta, innocentiæ statum perfectissimè ab eo conservatum esse. Unde Dionysius Carthusianus de eo affirmat, quod (ad conformitatem status Innocentiæ, quem

B. Laur. Iust. opus. de cont. mundi c. 9.

Iac. de Vorag in vita S. Franc.

Iaem ibid.

Laurent. Sur. in vita S. Fr. t. 5.

Petr de Natal l. 9. cap. 18.

D. Bonav. ap. Laur. Sur.

D. Th. 1. p. 96. a. 1.

Dionys. Carth. de S. Franc. serm. 1.

quem habuit primus homo in paradiso eminenter pervenit.]

10. In vita S. Francisci legitur, quod Dæmon, qui putitati non minus adversatur, quam tenebræ luci, aut malitia bonitati, sensualitatis turpem spiritum in fœminæ cujusdam pectus immiserit, ut ea ignis loco uti posset, ut in sancto Francisco escam cordis ejus concupiscentiæ ardore accendere posset. Unde summa cum industria, quovis usa est artificio, ut adhibitis colorum pigmentis, & fucis emendicatam & apparentem quandam sibi adsciscceret vultus elegantiam & venustatem, tandemque servum Dei inveniens fallacibus blandisque verborum & gesticulationum lenociniis castas ejus contaminare cogitationes contendebat. Vehementer utique fuerunt lubricæ hujus mulieris infestationes, & consilia periculosa. Et ideò quid hic facies Francisce? Qua ratione humanum pectus, quod vitro fragilius est, ictibus qui cor quantumvis æneum frangere possent resistere poterit? Audite ô Auditores, qualiter dira Venetis, imò circis & magicæ incantatricis hujus certamina superarit. Per totum loci illius pavimentum, in quo erant, magnam ardentium carbonum quantitatem stravit, omnibusque se vestibus exuens, super iisdem nudum corpus suum conjecit, impudicæ huic mulieri dicens, ut si concubitum suum ambiret, super ignitis illis carbonibus eundem attentaret. Unde pessima mulier pudoris rubore suffusa auffugit, & Franciscum ardentibus prunis incumbentem deseruit, cujus membra haud secus ac si ænea fuissent prorsus intacta & illæsa manserunt, adeò ut nullum inde dolorem persenserit. Adhæc in Syriam navigavit, ubi mox ut in Sultani conspectum venit, ut veritati verbi Dei crederet, cognosceretque quamvis aliam fidem vanam esse, & solam Christi fidem, quam annuntiabat, perfectam esse atque salvificam, luculentum fecit ignem accendi, eumque ingressus est (*ut hic cognosceret qua fides certior & sanctior tenenda esset*) qui ignis, haud secus ac si activitatem suam totaliter amisisset, eum nequicquam offendit, corpus namque ejus veluti si inalterabilis cujusdam temperamenti fuisset, flammis restitit, nec quicquam ambustum fuit. Idem ei pariter in aula Friderici Secundi Imperatoris constituto accidit, ubi etiam *Prunas ardentes nudo corpori suo subjecit.* Imò aliam historiam hoc loco referam longè admirabiliorem: Cum enim aliquis religiosorum suorum actum quendam commisisset obedientiæ adversantem, alia ipsum pœnitentia mortificare noluit, quàm ut eum caputio suo exueret, illudque ei ablatum igni injiceret: Sed quid accidit? (Extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium.) Nec mirum, nam si conjux Putipharis Josephi pallium apprehendens, idipsum contactu suo contaminare potuit, ut proinde castus juvenis illud nequaquam resumere, sed in ejus manibus relinquere voluerit, credere nobis pariter licebit Francisci manum vesti illi manus suæ contactu præservativam quendam impressisse virtutem, qua à flammis maneret illæsa & immunis. Verum enimverò ut difficultatis hujus punctum melius assequi valeamus, eandem Angelicæ doctrinæ lumine magis penetrare conemur. Docet igitur sanctus Thomas, quod esse passibile (*loquendo de passione proprie*) & sentire dolorem, homini in peccati pœnam acidat. Unde Deus Evæ dixit: *In dolore paries filios tuos.* Genes. 2. (Quia in partu sunt vehementes angustiæ; talia autem non fuissent in statu innocentiæ & peperissent mulieres sine dolore,) inquit Lyranus. Status autem innocentiæ exemptus, atque ab omni dolore & passione *propriè sumpta* liber erat. Ita quando Adam in innocentiæ statu adhuc constitutus erat, Deusque mulierem formaturus costam è latere ejus adimebat, nulla in eum exinde redundavit passio, aut dolor aliquis: Separatio illius costæ non fuit cum passione, quæ removet hominem à naturali dispositione,) inquit Angelicus. Et Cajetanus subjungit, quod (Passione propriè homo erat impassibilis & anima & corpore, quia virtute animæ prohibebat passionem, sicut & mortem.) Cum igitur Franciscus, nunc se super carbones accensos prosternat, ut sensualitatis carnis superare tentationem posset, nunc in Sultani conspectu in medium luculenti ignis ingrediatur, in eoque diu hæreat, & semper impassibilis perseveret, taleque manuum suarum contactu inobedientis cujusdam religiosi caputium igni injectum reddat, opus est dicere, eum Innocentiæ impassibilitate imbutum, eamque eum in quovis casu obvio intactum & illæsum conservasse. Unde sanctus Bonaventura affirmat, quod membra corporis sui *quibusdam videbantur signis Innocentiæ decorata.* Quia erat *dilectus candidus.*

Marcell. de Pisc. c. 2.
Idem ibid. cap. 6.
Nic. de Lyr. ibid.
Thom. 1. p. q. 97. a. 2. in resp. ad 3. arg.
Cajet. ibid. n. 485.
Laur. Sto. in vita S. Franc. c. 9.

11. Homo dum contumeliosis verbis, & factis injuriosis oneratur, nullum quo se coercere possit frænum habet: imò furore succensus & instigatus per vindictæ acerbitatem vivacem

cem doloris sensum manifestè testatur. Unde in Proverbiis dicitur: *Zelus & furor viri, non parcet in die vindicta, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Proverb. 6. 34. Syracusani a Calippo Atheniensi graviter offensi vitam se ei pariter & filiis abrepturos esse jurarunt: [Ægrè adeò tulerunt, ut in ejus ultionem, quando eum in potestate habere non poterant, filios interfecerint.] Wenceslaus Bohemiæ Rex fratet Sigismundi, & filius Caroli Quarti per verbum Aulici cujusdam commotus [Adeò iracundia insanuit, ut è mensa consurgens arrepto pugione amicum interfecerit.] Irene Augusta Constantinopolitana à Constantino Sexto filio suo injuria quadam affecta ablata sibi opportuna vindictæ occasione oculos ei erui fecit: [Marer effodi oculos jussit, & præ dolore is haud supervixit.] Integrum adferre possem similium exemplorum catalogum, sed hæc præ innumeris aliis sufficiant. At verò Franciscus in propria patria, Assisii videlicet contumelias passus est, non solùm verbis, verùm etiam factis ipsis delusus est, velut fabula vulgi & peripsema plebis, adeò ut ab ipsis quoque pueris exsibilaretur: [Pueri etiam per vicos eum subsannabant, & natu etiam grandiores idipsum desiderabant,] affirmat Seraphicus Bonaventura: Et quod maximè considerabile est (Multa pertulit opprobria, non solùm ab extraneis, verùm etiam à propriis parentibus.) Et tamen ipse semper silebat sine ullo impatientiæ vel displicentiæ signo exhibito. *Ipse verò nihil respondit.* Dicat igitur, quo ad usque libet, Salomon: *Zelus & furor viri non parcet in die vindicta*, nam id saltem in Francisco veritatem non habuit, qui os suum non apperuit, multò minus verbum aliquod in sui defensionem adduxit. Et quidem indubitatum esse credo ipsum hoc admirabili silentio toti mundo manifestare voluisse verè innocentem esse. Cur ita? observandus est pro meliori hujus intelligentia sequens Scripturæ locus.

Plut. in Dione.

Æne. Syl. l. 1. com. de reb gest. Alphonsi.

Fulg. l. 5. c. 8.

D. Bonavent. ap. Thom. de Trus in festo S. Franc.

12 Injuriæ, quas Dei Filius in passione sua ab Hebræis recepit, incredibiles fuerunt & innumeræ, præcipuè verò quas in Pilati conspectu & præsentia perpessus est, ubi adversus eum conqueri variisque injuriis onerare & offendere non cessarunt tam verbis quàm factis, adeò ut nullus esset qui eum non derideret, aut lingua ei molestus esset. Ipse autem omninò obmutescens subticuit. Pilatus quidem Hebræorum perfidiam qua honori & vitæ ejus insidiabantur, ei exponere non intermittebat, dicens: *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?* Nec tamen ullum ab ipso verbum exprimere potuit, nam ut Matthæus refert: *Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer* Matth. cap. 27. num. 13. & 14. Et sanctus Marcus, qui etiam hanc actionem recenset dicit: Marc. c. 15. c. 14. Quod cùm Dei Filius à Summis Sacerdotibus calumniaretur, os suum non apperuerit sed perpetuum semper servavit silentium: *Et accusabant eum Summi Sacerdotes in multis.* Adeò ut Pilatus admirans dixerit: *Non non respondes quicquam. Vide in quantis te accusant.* Matth. 22. Verùm ô Domine dic sodes, quonam constans illud spectat silentium? Qui tacet consentire videtur. Qui calumniatus non respondet, de calumniæ teatu se accusat. Qui nullum quo se defendat argumentum adducit, transgressorem se esse arguit. Sicut loqui quando tacendum est contemptui ducitur, ita tacere quando loquendum est gravis error esse noscitur. Notum est, quod is, qui in nuptiis *obmutuit* velut gravis delicti reus præceps actus fuerit *in tenebras exteriores*: Et quidem quod Herodi non responderis omni reprehensione caret, siquidem is per illatam Præcursori tuo Joanni injustam necem, utpote per ademptam tibi vocem loquelam pariter tibi ademit: At verò hic de honore & reputatione tua agitur, & tu sides & obmutescis? Sanctus Ambrosius respondet Dei Filium non debuisse loqui, ideoque benè fecisse tacendo, quia innocens erat, innocentia autem, nec verbis eget, nec responsis eam tutantibus, utpote quæ semetipsa statim defenditur: *Accusatur Dominus & tacet: Et bene tacet quia defensione non indiget, ambigant defendi, qui timent vinci: non ergò accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.* Unde Pilatus ex taciturnitate Christi velut ex antecedenti quodam innocentiam ejus tanquam conclusionem adduxit dicendo: *Ego nullam invenio in eo causam.* Quapropter ô Auditores dicite sodes, nunquid Franciscus noster dum mille improperiis impeteretur, *Ipse verò nihil respondit*, evidens quoddam argumentum protulit, unde innocentiæ suæ candor manifestè possit concludi? *Bene tacet quia defensione non indiget.* Ecce igitur tibi mysticum Abelem, de quo dici potest: *Dilectus meus candidus, id est innocens.*

D. Amb. l. 10. in Luc. c. 23. f. 159.

13. Candidus & innocens. Inter horridas Alverni montis solitudines in quibus crudelissi-

mæ hyberni frigoris asperitates verno tempore ingressum prohibent, in quibus quavis anni parte montes & rupes ex nivibus albescere cernuntur, in quibus frigidus Aquilo per glaciei impedimenta rivorum cursum impedit, adeò ut congelati & immobiles inter inaccensas rupes magnæ molis instar hæreant, imò in quibus ipsæmet sylvestres feræ ob nimiam Cœli inclementiam habitare dedignantur : solus tamen Franciscus ob majorem corporis sui mortificandi Deoque inserviendi commoditatem eo se recepit. Ubi postquam quadraginta diebus jejunasset, supra saxum quoddam genuflexus cum ingenti spiritus fervore in oratione absorptus in forma alati cujusdam Seraphim crucifixum Redemptorem nostrum sibi apparere vidit, à quo ei in manibus latere & pedibus quinque fuerunt impressa vulnera, adeò ut stigmata illa cum excessivo semper dolore portarit : [Statim namque in manibus & pedibus ejus apparere cœperunt signa clavorum; dexterum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat.] Enimverò sermonis mei cursum obstupefactus sic sistere cogor, cupidus duntaxat causam sciendi cur crucifixus Salvator noster Francisco potius quàm alteri servo suo Redemptionis nostræ signa participare, suæque vulneratæ humanitatis effigiem in ejus corpore imprimere, & exprimere voluerit. Cùm enim hæc vulnera rubini fuerint inæstimabiles pretiosissimæ gemmæ, & thesauri opulentissimi tantis laboribus, tamque pretiosi sanguinis effusione comparati, iisdem (opinione mea) honorandus erat sanctus quidam majoris dignitatis videlicet sanctus aliquis Episcopus, Cardinalis, Papa, vel Apostolus, quam Franciscus vir humilis, pauper, privatus, nullaque dignitate, vel prælatura Ecclesiastica insignis. Ad hæc cùm eadem vulnera humanitati suæ Deificata impressa fuerint? operæ pretium esse videbatur, ut eadem alteri imprimere & conferre volens virum aliquem eligeret in dignitate, & gradu maximè qualificatum : Franciscus autem simplex quidam Religiosus erat & inter hoc quidem se Minorem esse censebat & appellari volebat. Ecquis autem est, qui ignoret ô Auditores, gemmas auro, quod metallorum Rex quidam est, communiter inseri ! opportunè mihi hoc loco alia quædam difficultas in mentem incidit à præcedente non multum diversa. Scire etenim causam desiderarem, ob quam Verbum Incarnatum in Cœna ultima sub specie Panis Sacramentari & consecrati voluerit? Cur enim non elegit substantiam aliquam pane digniorem, ut Sacramentum quoddam esset inter omnia Sacramenta sublimissimum ? utpote quod vocatur *Sacramentum omnium Sacramentorum* : de quo etiam sanctus Thomas una cum sancto Dionysio dicit : *Hoc Sacramentum Eucharistiæ est potissimum omnium aliorum*, pro quo proinde conficiendo eligenda erat substantia quædam, quæ in toto mundo reperiri poterat pretiosissima, difficultati huic doctus Algerus ingeniosè respondet, scilicet quod (In Sactamentalibus speciebus Christus non quæsivevit dignitatem, sed aptitudinem) atque ideò, quia nobis per modum, ubi dari volebat substantiam aliquam, præ pane magis proportionatam invenire non potuit. Unde sanctus Thomas nos docet, quod *Panis, quo communius homines reficiuntur assumitur in hoc Sacramento ad ipsum spiritualis manducationis*, quod prorsus conforme est illi, quod Algerus dicit, scilicet Christum non respexisse ad dignitatem sed ad convenientiam & aptitudinem. Huc quoque Crucifixus Seraphim Francisco vulnera imprimens respexisse videtur, quia quando cicatrices suas homini alicui imprimere voluit, non quæsivit eum qui in honoribus & dignitatibus excellentior, sed qui aptior, convenientior, magisque proportionatus esset, easque in se conditiones exprimeret, quas Christi humanitas cui primitus impressa fuerant, reprimebat. Princeps aliquis qui monetas suas in argento & auro excudere consuevit, magnum dignitatis & excellentiæ suæ præjudicium, & vilipendium esse censeret, si easdem in alio metallo minus pretioso, plumbo videlicet, vel ferro imprimeret. Christi humanitas subjectum fuit ad recipienda quinque clavorum, & lanceæ vulnera apprime conveniens, aptum, & proportionatum ob respectum puritatis & candoris innocentiæ : atque ideò cum illa Francisco impresserit, dicere oportet, quod idemmet innocens fuerit, & quod *Christus non quæsivit dignitatem sed aptitudinem*, quæ in innocentia consistit, ac demum, quod Deus dilectum suum candidum honorare & extollere voluerit : *Dilectus meus candidus & signatus signis redemptionis nostræ.*

D. Bona. & legen. S. Franc.

D.Th. 3. p. q. 65 a. 3. Dion. c. 3. de Eccl. hierarch.

Algerus l. 3. c. 4.

D.Th. 3. p. q. 74 a. 1.

14. Hæc sacra stigmata in Francisci corpore literæ Hieroglyphicæ & ora fuerunt : literæ in quibus legebatur puritas, Hieroglyphica can-

candorem exprimentia, & ora prædicantia Seraphici viri innocentiam. Sed qua id ratione intelligendum erit ? Notandum est Deum nostrum Incarnatum semper in omnibus locis ubi moratus fuit, aliquam consuevisse relinquere sui ipsius memoriam & signum ; videlicet in
apud Thil. corpore suo Divinitatem, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit* ; in sudario Veronicæ vultus sui effigiem : In sindone in qua à Nicodemo & Josepho ab Arimathia de Cruce sublatus fuit extrema externarum corporis sui partium lineamenta : In sepulchro in quod collocatus post mortem mox ut resuscitatus fuit pannos reliquit lineos, quibus fuerat involutus, & sudarium quod fuerat super caput ejus. Unde Petrus una cum Joanne ad sepulchrum cùm venisset, *Vidit linteamina posita & sudarium quod fuerat super caput ejus.* Joann. cap. 2. num. 7. Porrò Christum in Francisco fuisse, utpote quem ardentissimè dilexerat, res est certissima, nam *Amans magis est ubi amat, quàm ubi animat.* Unde Franciscus cum Apostolo dicere poterat: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ad Gal. 2. 20. Sed quid est quod in eo reliquit ? stigmata in manibus pedibus & latere, quæ sunt signa redemptionis nostræ: [Signasti Domine servum tuum Franciscum signis redemptionis nostræ.] Hoc loco tamen advertendum est, sepulchrum in quo positus fuit Dominus, novum fuisse, nec ullum in eo antea fuisse sepulchrum : *In sepulchro novo in quo nunquam quisquam positus fuerat.* Joan. 19. num. 41. In sindone nulla prorsus macula deprehendi potuit : nam *Joseph involvit illud in sindone munda.* Matth. 27. 59. Sudarium quo Veronica Salvatoris faciem abstersit ex candidissimo lino erat confectum, sanctissima Christi à Verbo Deificata humanitas tali fuit puritate & innocentia prædita, ut ne qu dem culpæ originalis labe fuerit maculata. Ex quibus omnibus infero, quod si Christus semetipsum in Francisco dignatus fuit imprimere, nemo inficiari ausit, quin adeò exacta in eo puritas fuerit, ut haud secus ac alter Abel per antonomasiam innocens dici potuerit. *Dilectus candidus.*

15. Ad extollendam magis hujus Abelis innocentiam causam obsecro investigemus, cur Seraphim Crucifixus vulnera Francisco imprimens, non pariter in capite ejus coronam collocaverit spineam : neque enim credendum est id casualiter omissum, sed ex speciali divinæ providentiæ dispositione, & cum particularis significatione mysterii, quod ei Crucem non dederit non multum admitor, quia eandem in corde suo exsculptam semper ferebat ; Et ut sanctus Bonaventura dicit : *Mortificationi carnis invigilabat attentus, ut Christi Crucem quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore.* Quæ ut Origenes in cap. 6. ad Romanos refert, ea est virtute prædita, [Ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continuò ad ejus præsentiam totius ille peccati & carnis fugetur exercitus ;] sola igitur antea de corona spinea mota difficultas, cur scilicet illam Francisco non dederit nobis reliqua manet. Num fortè id fuerit, eo quod illa soli Christo Redemptori nostro, velut supremo Martyrum Regi deberetur.

D. Bon. apud Sur. de Franc. c. 1.

16. Celsus Venetiarum Dux monetas cudi fecit, in quarum una parte cornu erat Ducale, quod Venetorum Princeps in capite portare consuevit, supra illud autem sculptus erat Crucifixus cum hac per monetæ circulum ducta inscriptione : *Non mihi sed Christo.* Credo equidem, quod quotiescunque Crucifixus Seraphicus Regium spinei serti diadema imponere voluit, Franciscus semper replicavit : *Non mihi sed Christo.* Ac proinde dicere possumus, sibi Christum retinuisse coronam, ut etiam in externa corporis specie apparens aliquod signum esset, quo à Francisco differret. Sic Alcibiades invictissimus totius Græciæ debellator, ut scutum suum ab aliorum scutis dignosceret, in eo nudam cupidinem veluti actualiter dextera fulmen quoddam vibrantem sculpi fecit : *Clypeum suum sic ab aliis distinxit.* Et quidem quo ad Franciscum Christo simillimum vel maximè opus erat, ut corona non donaretur, ut hæc deinceps differentiæ signum esset, unde dignosceretur uter Christus aut Franciscus esset. Verùm enimverò si resolutionem sublimiorem habere desideratis, ne vobis displiceat velim si aliam quandam à Moyse in sacra Genesi registratam difficultatem adduxero.

Petr. Iust. in hist. Venet. in Celso Duce.

Plut. in vita Alcib.

17. Dicite obsecro si nostis ô Auditores, quandonam spinæ è terra productæ fuerint : Respondebitis utique in principio mundi, at verò dicite ulterius ? cur tunc & ex quali occasione fuerint productæ ? Certum est quod propter Adæ peccatum : *Spinas & tribulos germinabit*

mabit tibi. Unde Magnus Abulensis ait:] Si
Aebul. in 3. Gen. q. 20. non peccasset Adam, illa terra non germinasset tribulos, spinas, neque aliquid nocivum. [Et S.
D Aug. t. 4. in Gen. ad lit. l. 3. Augustinus subjungit: *Hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest.* Et quidem revera ita est, scilicet fuisse in pœnam peccati productas, proinde David dicebat: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, quæ aliud quàm peccatum non repræsentat, ut sanctus Theodoretus scribit, dicens: [Spinam enim peccatum
Theod. D. Th. ib. t. 13. nominavit tanquam inutile germen & ad pungendum natum.] Angelicus Doctor S. Thomas pariter dicit: *Spina, id est peccatum.* Spinæ igitur effectus sunt & pœna peccati: atque ideò Christus Redemptor noster coronam è spinis contextam in Cruce habuit, quia pro peccatis nostris patiebatur, & personam seu statum peccatoris referebat. Hinc igitur colligitur, quod status innocentiæ spinas, utpote pœnam culpæ non admittat, ac proinde Franciscus tanquam innocens easdem in capite suo portare non debebat, neque enim conveniens erat, ut puncturas sentiret, qui innocentiæ remedium in pectore portabat, veluti Francis. *Dilectus meus.*

18. Undenam provenire existimatis, quod magni ac Seraphici Patris nostri corpus non velut alia sanctorum corpora supinum in terra jaceat, sed haud secus ac si vivere in pedes erectum absque ullo sustentaculo consistat, & conservetur? Id quod de nullo Sanctorum uspiam legitur. Quod si pro responsione ad miraculū recurreritis, dicendo, quod *Deus ita disposuit*: in contrarium ego replicabo, quod *Miracula non sunt multiplicanda sine necessitate*, qualis hic nulla intercurrit. Dici forsitan posset, corpus illud beatum ignis sive flammarum natura in se præditum esse, flamma enim semper *tendit sursum*, ad propriam suam sphæram, id est, cœlum? Quæ quidem responsio nullatenus est incongrua, nihilominus aliam, si placet, audite, præsenti proposito nostro magis accommodam, & in quadam à sancta Ecclesia tradita, & ab omnibus ac singulis fidelibus universaliter observata cæremonia fundatam. Mos namque solemnis obtinuit, quod Christiani in diebus Paschalibus Resurrectionis universaliter se in terram nequaquam prosternant, sed in pedes erecti semper consistant. Quando Antiphona: *Regina cœli, &c.* dicitur vel cantatur. Imò Ecclesia genuflexiones aut prostrationes, in omnibus Dominicis per annum, utpote Dominicæ Resurrectionis inter alias magis præcipuæ subordinatis fieri prohibet, sive dicatur *Salve Regina*, sive *Alma Redemptoris mater*, sive *Ave Regina cœlorum.* Vultque ut sub omnibus hisce orationibus in pedes erecti consistant. Quodnam est hoc mysterium? vel quid per sacrum hunc ritum insinuare nobis vult sancta mater Ecclesia? Devota hæc curiosaque quæstio olim mota fuit à sancto Justino Martyre & Episcopo Lugdunensi hisce verbis: [Cur Dominicis diebus & à Pascha usque ad Pentecosten genu non flectunt ii qui precantur? Unde etiam talis consuetudo in Ecclesiam perducta est?] Respondet autem, quod ritus inclinandi aut se prosternendi in terram, lapsum in peccatum, vel innocentiæ jacturam significet: [Genuflexio casum nostrum in peccatum significet.] Unde in Proverbiis dicitur: *Septies in die cadit justus.* Proverb. 44. 16. In pedes autem & erecto corpore stare, gratiæ & innocentiæ statum nobis moraliter denotat. Unde sanctus Paulus Apostolus de lapsu in peccatum, & consistentia in gratia, & innocentia, loquens ad Catholicos ita scribit: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10: 12. Quod igitur Paschali tempore & omnibus diebus Dominicis in pedes erecti stemus, per hoc moraliter insinuamus, quod per merita passionem & mortem Jesu Christi, in pedibus, id est, in gratia Dei persistamus, jamque culpa totaliter abolita in innocentiæ statu resurrexerimus: [Non flectere autem genu in Dominico die resurrectionis nostræ, est significatio, qua Christi benignitate, & a peccatis, & à morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus, inquit idemmet sanctus Justinus.] Id quod sanctus Germanus Episcopus Constantinopolitanus pariter confirmat, dicens: [Genu non flectere sancto Dominico die Resurrectionis, significat lapsuum nostrorum erectionem, factam per triduanam Christi resurrectionem.] Cùm igitur corpus sancti Francisci non jaceat in terra, sed erectum ac elevatum sit in pedes, probabiliter valdè inde deducitur, ipsum nulla unquam culpa fuisse coinquinatum, aut à peccato in terram prostratum, sed semper erectum stetisse, id est, innocentiæ suæ statum integrum intemeratumque conservasse: *Ideò stat, quia non cecidit.* Ecce igitur eum tibi velut innocentem quēdam Abelem demonstratum: *Dilectus meus candidus.* Quod si verò eum insuper per martyrū rubicundum videre desideretis: *Candidus & rubicundus*, indulgeatis mihi prius, vos obsecro, ut brevisculo tempore, nonnihil respirem, mox enim in secunda hujus sermonis parte, & vestro

D. Iust. mart. in quæst. ca. 1 Gen. q. 115.

D. Iust. mart. sup. c. 1, Ioac. Perien.

D. Cor. t. 8. Bibl. PP.

vestro desiderio, & meæ satisfaciam promissioni.

PARS SECUNDA.

19. *Dilectus meus candidus* per innocentiam, & rubicundus per Martyrium, talis namque & Abel fuit, ut Abulensis asserit dicens: (Abel non solum fuit sanctus, sed & Martyr imo & Martyrum primus.) Verum in contrarium forte, quis mihi opponat Angelicam sancti Thomæ doctrinam docentis: neminem censendum esse Martyrem, nisi qui sanguinem effundit, & moritur ex Martyrio; nam, *Mors est de ratione Martyrii*. Veruntamen tametsi hoc inficiari non possim, scio tamen idipsum intelligendum esse de Martyrio effectivo & *in re, non autem in desiderio*, de hoc enim sanctus Gregorius affirmat dicens: *Et si persecutio desit exterius, Martyrii meritum in occulto est, cum virtus ad passionem prompta flagrat in animo*. Et hoc sensu B. Laurentius Justinianus loquebatur cum ait: (Sine ferro & flamma Martyres esse possumus, sed quâ ratione id fiet? Expresse idipsum exponit Sanctus Pater Augustinus dicens: *Nemo dicat fratres charissimi quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possunt: Habet enim pax nostra martyres suos; nam sicut frequenter suggessimus iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrii est*. Et idemmet Sanctus Augustinus alibi subjungit: *Non martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum; pervenitur non solùm occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam; de mundo triumphasse pars magna martyrii est*.

Abul. in c. 25. Matth. q. 737.

D. Greg. t. 1. l. 3. c. 26. A & B Iust. de Patient. c. 2.

D. Aug. serm. 10. ser. 250. delib. serm. 2.

D. Aug. lib. 10. serm. 46. de sanct. serm. 2.

20. Porrò Sanctum Franciscum omnes hasce conditiones & circumstantias perfectè & completè exequutum esse testantur actiones, quæ in vitæ suæ cursu per ipsum patratæ leguntur, in iis namque perspicuè liquet, quàm promptus fuerit ad partem irascibilem mitigandam, refrænandum sensualitatem? ad actus justitiæ observandos? ad contemnendam avaritiam, calcandam superbiam, omnibusque mundi dignitatibus renunciandum, adeò ut ei non possit denegari laureola martyrii.

21. Etenim Martyrem esse specialiter consistit in faciendo omni eo quod ex parte nostra debemus & possumus, habendo semper desiderium aliquod fervens, & ad illud consequendum omne possibile medium adhibendo. Quod si tunc demùm ob accidens aliquod extrinsecum impediatur effectus: *Sine ferro & flamma martyres esse possumus*. Et hoc sensu Sanctum quoque, Franciscũ Martyrem fuisse actiones ejus manifestant; nam affirmat Sanctus Bonaventura, quòd omnem adhibuerit imaginabilem industriam & diligentiã, ut iret in Syriam, ibidemque fidem Evangelicam prædicando effunderet sanguinem & Martyrio succumberet, nam navem conscendens mari se commisit, licet per furentium ventorum ei adversantium turbines à cœpto proposito passus fuerit repulsam: *Ferventi charitatis incendio gloriosum sanctorum Martyrum æmulabatur triumphum* (inquit Seraphicus Bonaventura) *Sexto namque conversionis suæ anno desiderio Martyrii flagrans ad prædicandam fidem Sarracenis & aliis infidelibus ad partes Syriæ transfretare disposuit*. Sed quid tandem accidit: Deus cœptam ejus navigationem impedivit? *Verùntamen Deus aliter de Sancto Viro ordinaverat & impedivit navigationem suam*. Nec tamen propter hoc sistit, aut in sancto proposito confrigescit, sed iteratâ vice ad Sarracenos aliosque multos infideles iter instituit; cùm ecce Dominus, qui eum ad alia valde quoque præstantia facinora reservarat per gravem quandam ei immissam infirmitatem, & hoc quoque iter impedivit: *Mox etiam cùm vellet per terram ad idem institutum prædicandi infidelibus proficisci, gravi quâdam infirmitate correptus est*. Ergone autem Martyrii laureola ei deneganda erit? Nequaquam, imò Sanctus Bonaventura eum tanquam verè Martyrem canonizat dicens: *O verè beatum virum, cujus caro, etsi tyrannico ferro non percutitur, occisi tamen agni similitudine non privatur: O inquam verè beatum, cujus animam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit*. Id quod optimè quoque ab Evangelista meo Patavino ponderatum fuit, qui proinde gloriosam illi Martyrii coronam deberi similiter opinatur dicens. *Beatus Franciscus in voto habuit Martyrium, si ita Deo placuisset, atque nisi aliter disposuisset, Deus autem voluntatem ejus benignè acceptavit, & movendo voluntatem ejus ad optatum Martyrium, voluit id propter quod in eo ardorem Martyrii impressit*.

D. Bona. apud Th. de Trus. in Fest. S. Franc.

Idem ibi.

Evang. Patav. Theor. 2. de primo reg. diff.

22. Pro majori jam dictorum evidentia, responsum illud ponderemus, Auditores, quod

Dei filius Discipulis suis Jacobo & Joanni dedit, quando eorundem mater hanc illis gratiam fieri postulavit, ut in cœlestibus sedibus, unus dexteram ejus, alter verò sinistram occuparet: *Dic ut sedeant &c.* Hic namque petitioni hunc in modum respondit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Dum se ad id promptos obtulissent, dicentes: *Possumus*, mox subjungit: *Calicem quidem meum bibetis.* q. d. Certus quidem sum, vos calicem meum bibituros esse. Ubi quoque advertendum est, quòd non dicat simpliciter *Calicem, id est, Martyrii bibetis*, sed *Calicem meum*, qui Crux ejus fuit. Atque ideo nescio profectò quâ ratione promissionem suam verificare potuerit: nam tametsi Jacobus Martyrii calicem bibetit, non tamen è Christi calice potavit, siquidem ab Herode decollatus, non verò crucifixus fuit: Joannes autem non solùm non fuit crucifixus, sed neque martyrii dolores sustinuit, sed naturali morte extinctus fuit. Quâ igitur ratione verificari poterit, quod dixit: *Calicem meum bibetis*? Ego etenim existimo quòd ly *bibetis* ad ambo, ly verò *meum* ad Joannem duntaxat referatur. Sed dicis: Ergone hic crucifixus fuit? Imò verò, & quidem in ipsissima Cruce Christi. Sed quomodo? Inprimis quidem respondere possem in Verbo Incarnato & passioni subjecto duas fuisse animas, propriam scilicet, quæ beata erat, nam *secundùm essentiam* (ut docet S. Thomas:) *tota anima Christi fruebatur, in quantum est subjectum superioris partis animæ, cujus est frui divinitate.* Et huic beatitudini Passio nullum prorsus impedimentum conciliat, nam *superior pars animæ perfectè fruebatur Christo patiente.* Altera autem anima erat anima Joannis, quæ in amato Crucifixo residebat: unde sequitur, quòd Joanne juxta Crucem Jesu stante, anima Joannis simul cum Crucifixo & prædilecto Redemptore suo crucifixa fuerit: cum hac tamen differentia, quòd Christus in corpore, Joannes verò in anima sua crucifixus fuerit; Christus *per passionem*; Joannes autem *per compassionem*; Christus *quantum ad effectum*, Joannes *quantum ad affectum* Et hoc sensu adimpleta fuit filii Dei filius Zebedæi facta promissio; In Jacobo *quantum ad martyrium*, quia decapitatus fuit: In Joanne *quantum ad modum rei*: Jacobus *Bibit calicem Martyris*; Joannes *Bibit calicem Christi*: *Calicem quidem meum bibetis.* Hunc quoque calicem Franciscus bibisse videtur, tunc præcipuè, quando in monte Alverniæ crucifixus Redemptor noster eidem apparuit: *Dum sequestratus oraret & præ nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Jesus, veluti Cruci confixus* In anima namque crucifixus fuit *per compassionem*, veluti Joannes. *Quia crucis affixio compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat*, inquit Sanctus Bonaventura: *Per passionem*, ut Christus quia *statim in manibus & pedibus ejus cœperunt apparere loca clavorum.* Et ne minus (ne dicam amplius) Joanne martyr esset, Calix quoque Crucis ei nequaquam defuit: *Christi Crucem quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferebat in corpore.*

Matt. 10.

D. Thom. 3. p. q. 46. a. 8.

Idem ibi.

Laur. Sur. in vita S. Franc. c. 1.

D. Bona. apud Sur. ubi sup.

23 Pro majore hactenus dictorum evidentia optimè mihi hoc loco subserviet quædam ab Æthiopiæ Regibus usitata cæremonia Quotquot enim Reges in hujus Regni imperium successivè subingrediebantur, aulicum quendam eligere solebant, quem præ cæteris charum & dilectum amicum suum esse declarabant, cum hisce tamen expressè pactis conditionibus, quòd scilicet omnis boni vel mali, lætitiæ & mœroris, fortunatum & adversitatum, quæ Regi aliquando humanitùs accidere possent, aulicus ille per omnia redderetur particeps; adeò videlicet, ut si Rex fortuitò sive in latere, sive in pectore, sive in manu, sive denique in vultu vulnus acciperet, talis quoque aulicus obstrictus fuerit in eodem corporis loco vulnus aliquod sibi infligi permittere, imò & eadem præcisè die quo Rex moriebatur, morti pariter succumbere: *Æthiopiæ Regum familiares ita Regis ad specimen se aptabant, ut ejus quæque plagas in propria carne sibi infligerent, & eadem morte vitam concluderent, in perenne sui amoris integri momentum.* Potrò Franciscum cœlestis Regis charum dilectumque familiarem fuisse quem maximo prosequebatur affectu, adeò certum est, ut illud alterius probare superfluum esse censeam; Hoc solùm dicere sufficiat, quòd si *amicus est alter ego*, Franciscus, ut dictum est, ad minus apparenter alter quidam Christus esse videatur, atque ideo cùm Christus Rex sit Martyrum, Franciscus veluti dilectum suum de suo martyrio maximè participem esse voluit; hoc enim amoris proprium est, ut innuit Alphonsus Cardinalis Palleotus dum ait: *Incredibilis virtus amoris est ut in amato vivat amans, & eadem qua is, qui diligitur, passione afficiatur* Christus ab Hebræis clavis & lancea in pedibus, manibus, & latere in cruce vulneratus fuit: atque ideo Franciscus tanquam fidelis & charus Christi amicus

Diodor. lib. 4. c. 1. & Paul. Aresi in Symb. 12. n. 20.

De Christi corp. c. 3. n. 22.

amicus in Monte Alverniæ ab eodem clavis & lancea in manibus, pedibus, & latere, quinque fuit vulneribus sauciatus. Et quodnam potest esse illo dignius Martyrium? Quisnam reperiri poterit Francisco glorioſior Martyr? *Digne ſummi Regis clementia ſuis amatoribus ultra omnem æſtimationem hominum condeſcendens, ſua Crucis vexillum ipſius corpori deferendum impreſſit, ut qui mirando fuerat Crucis amore præventus, mirando etiam fieret Crucis honore mirificus* Liquet igitur Franciſcum non minus ac Joannem Paſſionis Jeſu Chriſti calicem ebibiſſe.

Sur. lib. 3. in vita ejus de virt. ſa. cror. Stig.

24. Extravagantem quandam propoſitionem hoc loco in medium adducere decrevi : vos illam, ſi placet, pio *& ſano modo* intelligatis. Quando aliquem veluti magnum quendam Philoſophũ aut Theologum laudare volumus, dicere ſolemus : ſi Philoſophia vel etiam Theologia amiſſa eſſet, eandem in tali vel tali v. g. in Auguſtino & Thoma Aquin. reinventuri eſſemus : & hoc ſenſu in præſenti hoc loquendi modo mihi liceat uti : ſi per impoſſibile Chriſti paſſio amitteretur, adeò ut ab omnium hominum memoria evaneſceret, in nemine præterquam in Sancto Franciſco reinveniri poſſet. Pro hujus autem propoſitionis fundamento ſequens Sacræ Scripturæ hiſtoria, opportunè deſerviet. Scyphus quem Joſeph Vice-Rex Ægypti amiſſum eſſe finxit, in ſacco Benjamin poſtea ab ejus diſpenſatore reinventus fuit : *Invenit ſcyphum in ſacco Benjamin.* Cur ſcyphus & non aliud quidpiam potiùs invenitur? Cur in ſacco Benjamin, non verò Ruben, Simeonis, Judæ vel aliorum? Sanctus Ambroſius dicit, quòd in hac actione *Refulgent myſteria divina*, ac proinde videamus, obſecro, an ad hæc myſteria penetranda prævalere poſſimus. Etenim per ſcyphum vel calicem paſſiones, dolores & Martyrii tormenta intelligi ſuperiùs inſinuavimus: ſic enim Chriſtus dicit, *-poteſtis bibere calicem?* Et alibi iterum : *Tranſeat à me calix iſte.* Unde Rupertus Abbas Tuitienſis ait : *Nomine Calicis paſſionem voluit ſignificare Martyrii, qua & ipſum & illos decebat conſummari.* At verò quo fine hic calix vel ſcyphus paſſionis & Martyrii in ſolius Benjamini ſacco deprehenditur? Ecce tibi nunc myſterium à Sancto Ambroſio inſinuatum? Benjamin inter omnes Fratres minor erat, ut innuit Abulenſis dicens : *Benjamin erat frater minor.* Unde cùm dicit Spiritus ſanctus: *Invenit ſcyphum in ſacco Benjamin*, idem eſt, ac ſi dixiſſet : *in ſacco fratris minoris.* Ecquis autem eſt hic frater minor rudi & repetiato ſacco veſtitus, ſi non Franciſcus? Inſpicite ſaccum hunc, indubiè enim ibidem deprehendetis ſcyphum & calicem paſſionis Chriſti, ſcilicet vulnera manuum, pedum, & lateris; ut proinde hic applicari illud poſſit, quod Seraphicus Bonaventura hiſce verbis ſcripſit : *Novus homo Franciſcus novo & ſtupendo miraculo claruit, cum ſingulari privilegio retroactis ſæculis non conceſſo inſignitus apparuit, ſacris videlicet ſtigmatibus decoratus & configuratus in corpore mortis hujus corpori crucifixi.*

Gen. 44. 12.

D. Amb. lib. 4 de Joſeph. Patriarc. c. 11.

D. Bonav. apud Sur. ubi ſup.

25. Tandem tempus à nobis poſtulat, ut præſenti Diſcurſui finale punctum imprimamus, idque per quinque puncta, id eſt, ſacra ſtigmata clavis, & lancea Seraphico impreſſa. Beatus Laurentius Juſtinianus ait : *Sicut glorioſum eſt militi ferre arma Regis, ſic eſt & Chriſtiano portare ſtigmata Chriſti.* Qualis igitur magno noſtro Patriarchæ gloria fuit, quòd in ſuo corpore Crucifixi cicatrices, clavos & lanceam, velut inſtrumenta, vulnera autem tanquam effectus martyrii ſui portaverit : Atque ideo quamobrem adeò ſollicitè corpus ejus abſconditur, nec ab ullo unquam videri permittitur? Verùm quidem eſt, theſauros ſemper ſtudioſiſſime recludi, nec ſæpè nec omnibus exhiberi, verùm tamen ſi in caſu raro & à perſonis eximiis videri poſtulentur, idipſum minimè negatur, atque ideo quòd corpus Seraphici Franciſci, utpote theſaurus permaximus omniumque opulentiſſimus nunquam videri, ne quidem ab ipſiſmet potentiſſimis Magnatibus permittatur, res magna & mira haud immeritò videtur. Nec credendum eſt id caſualiter fieri, ſed cum certi myſterii intentione & ordinatione divinæ providentiæ, cujus equidem cauſam indicare me poſſe ſpero : ubi hiſtoriam quandam non quidem à me lectam, ſed ab aliis recenſentibus auditam adhibuero. Audivi igitur, quòd dùm Princeps quidam filius Regis unà cum quodam belli Duce magno ſibi familiaritatis & amicitiæ fœdere aſtricto, nec minus magnanimo, cum victorioſo exercitu ſuo è bello reverſus eſſet, atque Regis juſſu utrique, unà cum cunctis militibus coram Rege comparandum eſſet, ut ſinguli à Rege juxta cujuslibet qualitatem & receptorum vulnerum quantitatem & numerum juſto præmio donarentur : Princeps Regis filius, dum videret prædictum belli Ducem utpote vulnera non tantùm plura, ſed etiam majoris con-

B. Laur. Iuſt. de patient.

siderationis in corpore suo habentem, excellentiori, præstantioriq́ue præ se à Rege Patra afficiendum esse præmio, eundem enixè ut se à cæterorum militum numero subduceret, in eorumq́ue lustro non compareret, rogavit; inconveniens esse existimans, subditum aliquem majoribus præ Principe afficiendum esse honoribus, cui Dux ille libenter acquiescens mox se subduxit, nec coram Rege apparuit, ut hac ratione Princeps, ut justum erat, præ quovis alio, maximè honoraretur.

26. Ecce tibi cœlestem Principem Christum Redemptorem nostrum ejusque familiarissimum amicum Franciscum, ambo præliantur & dimicant, unus in Monte Calvariæ, alter verò in Monte Alverno, ille à clavis & lancea vulneratur in manibus, pedibus & latere, hic quoque ab iisdem armis in iisdemq́ue locis cruentas recipit cicatrices. Dicite igitur sodes ô Auditores; præscindendo à merito, utrius ex ambobus vulnera digniora & spectabiliora existimatis? num Christi an verò Francisci? haud dubiè vulnera illa filii Dei *Fuerunt infiniti valoris*, non item Seraphici Francisci: Veruntamen videor mihi in vulneribus S. Francisci videre nescio quid majoris præstantiæ, nam vulnera Christi commixta fuerunt ex bono & malo, ex amore & odio: ex amore quidem *ex parte recipientis*, qui Christus fuit: Ex odio autem, *ex parte facientis*, qui fuit populus Hebræus. Vulnera autem Seraphici Francisci talem ex bono & malo, amore & odio commixtionem minimè habuerunt, sed mera amoris vulnera fuerunt, *tam ex parte passi*, qui fuit ipsemet magnus Pater, *quàm ex parte agentis*, qui fuit Christus in forma Seraphini. Id quod expressè confirmatur per doctrinam quandam allatam ab Ægidio Columna in Quæstione, quâ

Ægid. Col. in Quodl. quolib. 2. q. 15. sciscitatur: *Vtrùm Ecclesia, in qua esset occisus Martyr, sicut fuit occisus Beatus Thomas, propter talem sanguinis effusionem esset reconcilianda?* Et respondet: *Quòd in effusione sanguinis duo sunt, scilicet actio & passio Martyris.* Et tametsi passio Martyris grata Deo sit & accepta, actio tamen agentis odiosa est & displicet Deo. Imò quod

Idem ibi. *magis videtur esse per se, quòd actio persecutoris displiceat, quàm quòd passio Martyris placeat.* Et ratio est: *Quia actio persecutoris est displicens formaliter, quia est formaliter mala, passio Martyris est placens materialiter, in quantum Martyr bene utitur malo.* Hæc porrò doctrina etiam ad differentiam inter vulnera Christi & D. Francisci demonstrandam servire mihi posse videtur. Vulnera etenim Salvatoris *respectu passi* amorosa fuerunt, quia ob nostri amorem illa recepit: odiosa autem fuerunt *respectu agentis*, utpote quæ ab Hebræorum odio suam habuerunt originem. Francisci autem vulnera ex omni parte & respectu cujuscumque fuerunt amorosa, sine ulla admixtione odii; Agens enim, qui Christus, ex mero amore ei illa impressit, passum autem, id est, Franciscus ex amore quoque eadem recepit. Unde vulnera nostri Seraphici Martyris in hoc sensu tantùm nescio quid majoris præstantiæ in se habere videntur, quàm vulnera crucifixi Salvatoris: Atque ideo ad instar suprà adducti principis dixisse videtur: Tametsi tua vulnera ô mi dilectissime Francisce non sint infiniti valoris, sicuti mea esse noscuntur, attamen juxta mundi apparentiam præstantiora esse videbuntur præmiis, quia dignitatem quandam in se continent tam respectu actionis, quàm passionis, & ideo forsitan per adorationem in majori reverentia, & per venetationem in majori honore haberi poterunt, quàm mea infinities dignificata: proinde acquiescas velim ô Francisce, & in Ecclesia corpus tuum nequaquam in oculis hominum compareat, ut ii mea duntaxat vulnera videntes, debitum mihi divinæ adorationis præmium mihi soli cedant & deferant. Cùm igitur Christus gloriosum Regis Martyrum titulum per vulnera sibi compararit, credi pariter debebit Seraphicum Patrem sactis Stigmatibus suis laureolam obtinuisse Martyrii. Hic finis esto, cùm enim corpus hujus Patriarchæ absconditum sit, ne ab hominum oculis unquam videatur, conveniat utique ut & lingua mea ab ulteriori sermone se subducat, quiescat, nec jam deinceps audiri se permittat.

* * *

SERMO

SERMO TRIGESIMUS TERTIUS
IN FESTO
Sanctorum Apostolorum
SIMONIS & JUDÆ.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Ambr. Cal. verb. Ptol.

Plut. in exil. apud Honop. Manesc. ferm. SS. Sim. & Jud.

1. PTolomæus Ægypti Rex regiorumque Diadematum, *à quo Ægyptii Reges Ptolemæi appellati sunt*, cujus nomen volante famâ ab Oriente in Occasum delatum fuit, quique in capite suo diadema quoddam, non minus prærogativis & encomiis, quam gemmis, lapidibusque pretiosis opulentum sustinere meruit, hic inquam mane quodam septem Legatos, qui in ea Regni Metropoli pro maximi ponderis & momenti negotiis tractandis residebant, ad mensam suam invitavit, erant autem Legati sequentes, scilicet Romanus, Carthaginensis, Siculus, Rhodiorum, Athenarum, Lacedæmonum, & Sicimiorum. Ptolomæus autem plus mentem quæstionum politicarum curiositate quàm ventrem exquisitis epulis pascendi cupidus curiosè inquisivit, quænam essent meliores bonoque communi convenientiores & utiliores Leges quæ in Rebus publicis eorum inviolabiliter observarentur. Et quidem Romanorum Legatus asserebat, quòd in urbe Romana cuivis civi districtè præciperetur inviolabilis sacrorum Templorum veneratio: Deinde verò cuncti Superioribus suis cum non minori promptitudine, quam punctualitate obediendo parerent, transgressores autem & rebelles severè & sine ullius respectu castigarentur. Carthaginensium Legato autem videbatur ad regiminis alicujus integerrimi rectitudinem inferiores non esse eas, quæ à suis convicibus infallibiliter velut inalterabiles conservabantur, videlicet, ne nobilibus ullâ ratione liceret mercatorum negotiationibus sese ingerere; in plebe nihil otio detestabilius esset; sapientes Philosophiæ professores in instruenda & docenda juventute nequaquam negligentes essent. Adhæc Siculorum Legatus laudabiliter quoque esse censuit Siculorum Legum rectissimos ordines, quibus seriò cavebatur, ne ibidem proprii commodi interesse Justitiæ rectitudini ullâ ratione prævaleret; Veritas quoque ubique dominaretur absque ulla cujuscunque subditi illam perturbantis contradictione, cùmque partialitas à toto utriusque Siciliæ districtu proscripta sit, nullam in Legibus suis remissionem impetrari unquam posse. Postea verò Rhodiorum Legatus ex iis quæ Ptolomæo pro occasione referebat, certò sibi persuadebat, incorruptis Insulæ suæ moribus universalem ab omnibus applausum negari non posse, affirmabat enim quòd in vultu juventutis hujus Insulæ, honestatis & modestiæ rubor summa cum majestate resideret, sexusque fœmineus singulari quodam fœdere pudicitiam sibi haberet adstrictam. Deinde Athenarum Legatus cujusvis se genio complacuisse non dubitavit, exponendo qualiter in Athenensium Republica avaritia prohiberetur in divitibus, in pauperibus otium, & ignorantia in Senatoribus. Post hujus orationem absolutam cuncti magno cum desiderio audire cupiebant, quibus Legibus inter Lacedæmones viveretur, quando eorum Legatus, ad quem ordo devenerat loquendi, gloriatus est, quòd nulla inter suos regnaret invidia, eò quòd omnes in cunctis essent æquales; nec avaritia in iis locum habere posset, utpote quibus omnia fortunæ bona essent communia. Nec posse quempiam suorum per negligentiam, socordiam, vel otium torpescere, quando quilibet sine ulla ullius exceptione se in professione

sua continuè studiosèque exercebat. Tandem igitur Sicimiorum Legatus ultimo loco hasce inter suos inviolabiliter observari Leges affirmavit, scilicet, ut nullæ in congressibus suis gentes admitterentur extraneæ novitatum amatrices: ut non foveantur aut sustineantur Medici, utpote vitæ humanæ destructores potius quam conservatores, quippe qui infirmorum nullam curam habent, & sanos pariter enecant; nec Jurisconsultis locum cedant vel Advocatis, utpote litigiorum fomentatoribus potiùs, quàm defensoribus. Rex igitur Ptolomæus omnibus per ordinem summaque cum attentione auscultatis quænam Leges meliores, aut quæ Respublicæ majori laude dignæ essent nequaquam determinavit, sed cuilibet præsentium Legatorum rerum publicarum suarum nomine applausum non vulgariter exhiberi fecit.

2. Verùm utinam in horum Legatorum numero unus fuisset Catholica fide imbutus & præfato Regi Ptolomæo proposuisset in Republica Christiana, nec Legem digniorem, nec præceptum nobilius reperiri, quàm quod charitatem & amorem spectat, utique illi acclamatum ab omnibus universim fuisset, utpote Legi non à Numa, nec à Lycurgo, vel Solone, sed ab ipsomet Dei Filio promulgatæ dum ait: *Hæc mando ut diligatis invicem* O Legem sanctam! ô præceptum conservationi Christianæ Religionis & Ecclesiæ Catholicæ summè necessarium! Unde Titelmannus ait: *Hoc est præceptum meum præcipuum & summarium, quod ego vobis studiosissimè committo observandum, ut proximos vestros propter me ex animo diligatis, nec linguâ tantùm aut fictâ simulatione, sed opere & veritate.* Et S. Augustinus subdit dicens: *Meritò Magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.* Porrò Lex isthæc à Republica Apostolica, præcipuè verò à duobus glorioſis Apostolis Simone & Juda punctualissimè observata; nunquam verò per prævaricationem neglecta fuit, utpotè qui in quovis obvio casu ob oculos sibi positum habuêre sincerum erga proximum amorem; is enim omnium actionum & operationum suarum primum mobile erat, prouti ex præsenti discursu cuilibet liquidè colligere licebit. Priusquam autem eundem exordiamur, in memoriam revocate veterum laudabilem morem, quo amorem nunc taciturnum, mox verò eloquentem repræsentabant, unde ab iisdem depingebatur, veluti digito labia premens in signum silentii, manu vero rosam quandam deferens, veluti facundiæ symbolum, juxta illud: *Audivimus rosas loquentes*, Amorem igitur imitemur, ego rosas loquendo, vos digito tacendo & feliciter exordiamur.

Io an. 15.

Titelm. in c. 15.

D. P. Aug. in Bibl. hom. t. 4. in Festo SS. Sim. Iuda. Item Beda ibi. verb. iisdem.

2. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Deus Optimus Maximus qui humanitatem pectoribus nostris inseruit, eidem veluti sodalem & comitem inseparabilem charitatem adjunctam esse voluit, ut per illam nos mutuò amando ad invicem nobis corresponderemus: *Dedit Deus pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, & foveat*, inquit Lactantius Firmianus, insinuans charitatem non in solo benevolentiæ affectu, qui proximum nostrum respicit consistere, sed præcipuè in actuali auxilio, quod actionibus & operibus nostris illi exhibetur, & ideo dicit: *Diligat & foveat*, quasi diceret: qui proximum amando illum non juvat, vel non amat, vel homo non est, sed potiùs hominis nomine indignus: *Qui homini non prodest, se hominis appellatione dispoliat* (subjungit idem Firmianus) *quia humanitatis officium est, necessitati hominis ac periculo subvenire.* Amare enim à juvando præscindi non debet, ut inquit Angelicus Doctor hisce verbis: *Nos ergo proximum diligere debemus sanctè ad bonum & efficaciter, videlicet ut dilectionem opere ostendamus.* Ex operibus igitur à duobus hisce Apostolis patratis, charitatis erga proximum fervorem conjicere haud difficulter possumus.

lib. 6. Inst. c. 10.

Idem ibi.

D. Thom. in Ioan. c. 15. lect. 2. t. 13.

4. Nati sunt hi glorioſi discipuli Christi in Chana Provinciæ Galileæ inferioris in Palestina, ideoque Chananæi appellati fuere. Qui propriam deserentes patriam in regiones remotas exteraſque provincias se receperunt; Judas quidem in Mesopotamiam, Arabiam, Pontum, & Idumæam; Simon vero peregrinatus est in Ægyptum, Africam & Britanniam: ubi postquam cum ingenti animarum lucro Evangelium prædicassent, in Perſidem ambo convenerunt: (Judas primo in Mesopotamia & Ponto prædicavit, Simon vero in Ægypto: deinde ambo in Perſidem venerunt. Petr. de Natal. l. 9. cap. 115.) Verum ô magni servi Dei dicite sodes, quis vobis tam longinqua & difficilia itinera adoriri persuasit? quam ob causam proprium tectum contemnitis? cur patriæ commoda negligentes tot ærumnis & laboribus, fructibus videlicet nimium acerbis, qui ex itinerum asperitatibus nasci

Carol. Gi. angol. dis. 3. c. 48.

Niceph. Col. l. 2. c. 4.

nasci solent, vos exponitis? state firmiter & in Chana immobiliter manete, ut inter amicos & parentes quiete vestra frui valeatis: *dulcis amor patriæ, dulce videre suos.* Scio equidem, quod Ulysses (ut Homerus scribit Odiss. lib. 1. v. 13. lib. 5. v. 13. & cap. 12. in fine) tametsi à Nympha Calypso in Insula Ogigeæ miris benevolentiæ excessibus tractatus fuerit, amarè tamen ploraverit, utpotè lætiori vultu fumum caminorum Itacæ pariter suæ videre gestiens; Et tamen hi duo quidvis quod in Chana eos felicitare poterat prætereuntes prælegerunt, tot se subjicere molestiis & fastidiis, quæ in itineribus tam maritimis quam terrestribus iis occurrere poterant. Scire percuperem quodnam fuerit horum vagantium, non vero errantium cælorum primum mobile.

5. Pro hujus intelligentia annotanda est difficultas quædam circa tres personas divinas a Maldonato doctissimè mota, videlicet quod Pater & Filius in cœlis metaphoricè sedere dicantur, dicit enim Psalmista David de Patre æterno, *Deus sedens super sedem sanctam suam.* Psalm. 41. Et alibi: *Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim, Benjamin & Manasse.* Psalm 79. Et Isaias dicit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Isaiæ cap. 6. Quod vero sedere filii attinet, idipsum quoque ex multis Scripturæ locis manifestatur; de ipso intelligitur quod David ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis;* Psalm. 109. & sanctus Marcus testatur, quod post suum in cœlos ascensum: *Sedet à dextris Dei.* Matth. 16. Et Joannes Evangelista Paradisum apertum contemplans, duas dumtaxat sedes præparatas in eo vidit, unam Patri, alteram Filio: *Sedes Dei & Agni in illa erunt; Dei, id est, Patris, Agni, nempe filii.* Apoc. 22. Dicit igitur hic Maldonatus in cap. 16. D. Matth. fol 827 col. 1. C. quod Spiritum sanctum nunquam in Scriptura sedentem inveniat (Animadverto in literis sacris nusquam Spiritum sanctum, sed solum Patrem, & Filium dici sedere.) Cujus à scriptoribus variæ in medium adducuntur rationes. Ego vero priusquam aliquam meo proposito accommodam assignem, fundamenti loco velut certissimum suppono, quod sicut Patri æterno omnipotentia attribuitur, & sapientia Verbo, ita amor attribuatur Spiritui sancto, *cum sit nexus amoris inter Patrem & Filium.* Quod igitur Spiritus sanctus nusquam repertatur sedens, per hoc nobis innuitur, quod amor nunquam quiescat, nunquam consistat, sed semper in commodum nostrum operetur, & qui amans est proximi, non possit non ambulare, discurrere & occupari semper *in actu secundo*, ut beneficium proximo afferat. (Spiritus sanctus qui amor infinitus est, meritò nunquam dicitur sedere, magnus enim amor otia sessionis nescit, semper actuosus & negotiosus est, nunquam otiosus.) Charitas quæ in Simonis & Judæ cordibus dominabatur, eos in civitate sua Cana sedere non permisit, sed sine ullo difficultatum, molestiarum, laborum aliorumque ærumnarum respectu in provincias procul remotas Ponti, Mesopotamiæ, Ægypti, Persidis, aliarumque plurium excurrere coëgit, idque ad beneficium proximi, & legis Evangelicæ adimpletionem quæ à Salvatore nostro in republica Christiana promulgata fuit dicente: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem,* asserit enim Chrysostomi os aureum. Quod *omnia facile ferunt, qui charitate colligati sunt.*

Did. de Cel. in Bened. PP. Ben. 4. s. 225. in fine n. 4.

D. Ioan. Chryſ. hom. 9. ad Eph. c. 4. v. 4.

6. Sacer Evangelista Joannes de amore quo quilibet erga proximum suum ferri debet loquens dicit: ejus puritatem & perfectionem meliori experientia comprobari non posse, quam efficax ei in suis necessitatibus adferendo subsidium: (Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? quibus verbis dicere volebat, ut exponit Cajetanus ibidem, (Quod non sufficit dilectio interna, sed oportet dilationem opere comprobare.) Charitas igitur demonstrationibus exterius manifestatur, egenorum videlicet necessitatibus succurrendo. *Ut compatiatur miseria illius,* inquit Glossa interlinealis: Qui vero aliter se habet, id est, *qui claudit viscera sua ab eo, subventionem ei denegando* (ut exponit Lyranus in Gloss. ord.) quomodo is charitatem in corde suo residere, & dominari sanctè gloriari poterit? *Quomodo charitas Dei erit in illo?* id est, declarat expressè Cardinalis Hugo ib. Non manet in eo charitas. Porrò Judam Thadæum charitate erga proximum plenum fuisse, eamque operibus ipsis eidem demonstrasse expressè deduci potest ex eo, quod Abagero Edessæ Regi accidit, qui Salvatori nostro scribendo literas, & responsa ab eodem recipiendo familiaris fuit. Hic enim gravi infirmitate correptus, & in specie lepra infectus cum esset, Thadæus compassione motus, misericordiæ opus, eum visitando exhibiturus ad eum abiit, eumque in manus suæ

Petrus de Natal. l. 9. c. 115.

contactu priſtinæ ſanitati reſtituit: (Cum leproſus eſſet Thadæus eum tetigit, & mox plenam mundationem accepit, & baptiſmum ſuſcepit.) Curavit igitur corpus quidem à lepra, à peccato vero pariter & animam. Nunquid hic perfectæ cujuſdam charitatis actus fuit? Celebrent igitur Hiſtorici pro libitu Alceſtis amorem, utpote quæ pro Admeto Rege Theſſalio & marito ſuo mori parata fuit, dummodo is, ut oraculum promiſerat deſideratam ſanitatem recuperaſſet, referant item de Regina Angliæ, quod Henrico Rege ſponſo ſuo per ferrum veneno imbutum vulnerato non horruerit venenum è vulnere exſugendo mortem ſubire, dummodo conjugis ſui vitam extra dubietatis aleam conſtitueret: referant quoque, quod dum apud Thebanos Capanei exequiæ ſolemniter celebrarentur, Evarnes uxor ejus in rogum ſe ſponte propria præcipitem agens in cineres ſe redegerit, vel quod Emilius juvenis poſtquam conjugem ſuam, quam poſt dumetum ſtantem feram eſſe crediderat, & telo percuſſerat, infeliciter occidiſſet, ſibimetipſi nimio poſtea dolore confectus violenta manu vitam ademerit; quiſquis enim prædictorum amorem tandem penitius conſideraverit, eum à proprio intereſſe originem traxiſſe, & motum eſſe reperiet, quia videlicet dulci ejus, cum qua duo in una carne erant conſortio ſe deſtitutos, atque eo auxilio, quod conjugatorum unus ab altero ſperat ſe privatos eſſe videbant: at vero Thadæi erga infirmum Abagarum charitas, quamvis aliam multis modis excedit, utpote quæ non per conſanguinitatis alterius proprii intereſſe affectum motus, ut ſanitatem reſtitueret, eumque è mortis manibus eriperet, itineri ſe accinxit, ſed ex obligatione ſola charitatis illius ſibi à magiſtro ſuo tam ſerio præceptæ, dum ait: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Unde liceat mihi ex ſancti Joannis Evangeliſtæ doctrina de ſancto Juda Thadæo affirmare, quod *vidit fratrem ſuum neceſſitatem habere, aperuit viſcera ſua & dilectionem opere comprobavit, ergo charitas Dei manſit in illo.*

7. Veruntamen ad myſticas atque heroicas tam Thadæi, quam Simonis actiones conjunctim ponderandas obſecro revertamur. Præcipuè vero ſeſe oculis meis objicit invictus ille & generoſus animus, quem eo ipſo quo adeo intrepido & magnanimo corde ad prædicandam inter infideles Jeſu Chriſti fidem ſeſe receperunt, dilucidè monſtrarunt. Certò etenim futurum eſſe ſciebat, maxima ſe reperturos eſſe à Tyrannis objecta ſanctorum conatuum ſuorum obſtacula, per carnificum manus ſe tranſituros, & trucidandos, terram ipſam effundendi proprii ſanguinis purpura tingendam, ſeque tandem crudeli morte dilaniatos vitæ ſuæ curſum miſere terminaturos eſſe, hæc inquam certo ſibi inſtare ſciebant, nec tamen expaveſcunt, aut perterriti pedum ſuorum retrorſum convertunt veſtigia, ſed potius cœptum iter inter pericula animoſe proſequuntur, tot imminentes funeſtos eventus minimè formidantes. Hujus conſiderationis occaſione oportune mihi hoc loco incidit, ô Auditores, quod de certo quodam adoleſcente Jonathæ armigero ſacra Regum narrat hiſtoria; Huic namque Jonathas Dominus ejus dixerat, ut eum ſtrenuè & inceſſanter conſectaretur, donec eum eſſent locum aſſecuti, ubi adverſantium Philiſthæorum caſtrametabantur exercitus: *Dixit Ionathas ad adoleſcentem armigerum ſuum, veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum.* 1. Regum 14. Porro via per quam illis tranſeundum erat, difficilis admodum erat, & propter ſcopulos, rupes, præcipitia & continua montana longe aſperrima: *Erant inter aſcenſus per quos niteabatur Ionathas tranſire ad ſtationem Philiſthinorum eminentes petræ ex utraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde præruptι.* Ibid. adeo ut evidentibus ſe præcipitiorum & imminentis mortis periculis expoſuerint. Quodnam autem armigerum hunc Jonathæ principis ſui ſibi intimato juſſui reſponſum ſubintuliſſe exiſtimatis? Num forte operis ſive moliminis concepti difficultatem Domino ſuo ob oculos poſuit? aut evidenter vitæ jacturam ei clare exponendo à ſuo eum propoſito divertere ſtuduit? vel fortaſſe duos ſolos integro Philiſthæorum exercitui obviam procedere, nihil aliud, quam cœlum & fortunam tentare, & conſequenter magnæ temeritatis & imprudentiæ actum eſſe dixit? Nihil horum fecit, quinimo promptum ſe imperterritus obtulit, ad eum, quocunque iturus eſſet conſectandum, laterique ejus conſtantiſſime adhærendum etiam cum vitæ ſuæ manifeſto periculo & jactura: *Fac omnia quæ placent animo tuo, perge quo cupis, & ero tecum, ubicunque volueris.* Quærit hoc loco Abulenſis, undenam juveni huic hic adeo intrepidus & generoſus ſubnatus fuerit animus? Reſpondetque eundem ab amore minimè vulgari, quo Jonathan Dominum ſuum proſequebatur, ſuam traxiſſe originem: (Animoſus *Abul ib.*

mosus juvenis erat iste, quia non formidabat totam aciem Philisthinorum; ex amore tamen nimio faciebat; Diligebat enim Jonatham sicut animam suam, ideo gratissimum erat sibi eum quocunque euntem comitari, etiam in morte certissima.) O ardentissime amantem juvenem! O amorem eximium, qui sequaces suos quibusvis gravissimis ærumnis obviam ire, nullaque mortis pericula formidare cogit. Veruntamen amor hic armigeri hujus erga Jonatham, umbra quædam tantum erat respectu ejus amoris quo ardebant Apostoli, quod enim itinerum laboriosissimorum difficultates nequaquam respexerint, Infidelium minas penitus contempserint, quod à carnificibus præparata illis tormenta non formidaverint, sed ultro citroque verticem suum Martyrii atrocitati subjecerint; id totum alio non spectabat, quam ut Divinam amoris legem perfectissimè adimplerent: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.* Et certè, subdit B. Laurentius Justinianus in festo SS. Sim. & Jud. (Nunquam labores peregrinationis, judicum minas, tormenta carnificum, martyrii superassent agonem, si non charitatis jugo interioris hominis colla stravissent, Defecissent absque dubio in itineris medio, & ingruentibus, contra se persecutionum turbinibus, naufragium pertulissent, nisi tranquillitatis animi flante charitatis vento ingressi fuissent portum.

8. Quod Apostoli nullum timori locum dederint, quamdiu ab infidelibus Barbaris procul aberant, nullam mihi admirationem adfert, longa enim ab inimico distantia & absentia, securum præstat ad declinandas injurias vel offensas asylum. At vero ultro iisdem obviam procedere, eorum furori & insaniæ se objicere, iracundum, ferocem eorundem vultum aspicere, minas quas dictante vindicta evomunt, audire & experiri, prouti Simon & Judas fecerunt, quoad Pontificis Idololatras, qui omnem movebant lapidem, ut eos è medio tollere possent, nec tamen timorem quicquam in iisdem operari, hujus rei causam me ignorare omnino mihi fatendum & agnoscendum esset, nisi Scriptura sacra ob oculos mihi poneret casus illius eventum, qui inter Abelem justum & Cain fratrem ejus seu potius fratricidam accidit. Quia enim Deus unius illorum sacrificium sibi gratum & acceptum esse, alterius vero non item, manifestè significarat, Cain qui idipsum clare satis viderat, in furorem & iracundiam actus, ut conceptum furoris venenum in fratrem suum evomere posset, eundem ut animi causa secum foras in campos egrederetur, perhumaniter invitavit, dicens: *Egrediamur foras.* Bonus Abel nihil mali suspicatus, in ejus preces seu jussum libens descendit, eumque animo prorsus quieto, menteque tranquilla, omnis adversi formidine procul posita comiter est comitatus. Sed pessimo subsecuto eventu, qualem nimirum nunquam somniarat, nam *Cum essent in agro consurrexit Cain adversus fratrem suum.* Genes. 4 O juvenem omni compassione dignissimum! Ita evenire solet iis, qui nimiam aliis fidem præstant. Dic etenim mihi ô innocens juvenis, nunquid fratris tui malitia probe tibi cognita erat? Nunquid atram in eo bilem prædominari dicebas? An non videbas quod vel te in faciem rectè non aspiceret, aut certè id non nisi torvo oculo faceret? nunquid facinus istud tum ex vultus sui truculentia, aut ab inclementia cordis ejus ominari antea poteras? Ecquænam alia mali animi, & quo te prosequebatur infensissimi, mortemque tibi machinantis odii testimonia desiderare poteras? Nunquid fronti ejus infaustissimis characteribus, cordis sui iniquitatem inscriptam alias sæpe legeras, indeque fatalem & funestum mortis tuæ casum prævenire facile erat? Imo verò. Cur igitur ab ejus te societate maturè satis non subduxisti? aut cur simplicitatem tuam perfidiæ suæ manibus commisisti? Verum enimverò Auditores, videor mihi in vobis notare, mentem vestram quoad Abelem sinistra quadam opinione imbutam esse, quasi verò Abel velut incautus aut imprudens culpandus sit & reprehendendus, ac proinde eum per adductum quendam scripturæ locum omni laude d gnum, nequaquam verò culpandum esse demonstrare decrevi.

9. Matthæus Evangelista de custodibus ad sepulchrum Christi Jesu adhibitis loquens, eos panico quodam timore ex improviso correptos fuisse dicit, adeo ut attoniti prorsus & quasi mortui omnes illi milites in terram fuerint prolapsi. *Pra timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Matth. cap. 28. Tandem verò Angelum introducit, qui cum Mariis sepulchrum visitandi, & corpus Salvatoris ungendi causa in eodem loco præsentibus loquens, liberè iisdem dixit, ut omni posito metu nihil sinistri formidarent: *Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere.* Idem ib. Causam hic scire aveo, cur Angelus non etiam custodibus, ut metum omnem deponerent suaserit, cum tamen hic in illis omninò maxi-

mus fuerit, in tantum, ut *Facti sint velut mortui*, cujus contrarium in mulieribus erat: *Nolite timere*. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus respondet, impossibile fuisse metum hunc à militum cordibus eximere, eò quod Deum nec quicquam amaverint. Ubi autem amor non est, timor ibi adsit necesse est. Matiæ autem, quæ Dominum diligebant, & proinde ardenti charitate plenæ erant, nullum habebant timoris motivum, vel si aliquod ejus vestigium iis inerat, illud ab ipsis propulsare duo duntaxat ab Angelo prolata verba efficacissimè poterant, nempe: *Nolite timere*. Et tamen fœminæ erant, quæ semper alicui pusillanimitati solent esse obnoxiæ, utpotè in quibus timor potius quam in vitis locum habere consuevit. Licet harum sanctarum mulierum corda penetrare non potuerit, utpote quæ munitæ erant præservativa charitatis, inquit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. (Infirmum quidem muliebre corpus, virilis autem prudentia. Aqua multa non extinxit dilectionem, neque flumina demerserunt. Et Angelus ad ipsas dixit: Ne timeatis vos; non dico militibus, ne timeatis, sed vobis: Illi timeant: vos autem non est necesse timere. Ecce tibi ingenuam rationem. Perfecta enim charitas foras mittit timorem.) Ob hanc eandemmet causam Abel in fratris sui societatem se junxit, sine ulla iniquitatis illius suspicione, aut formidine; amabat enim illum, amor autem & charitas ipsum nec vultus fraterni truculentiam, nec cordis perfidiam timere permisit: (Erat Cain frater, & eum Abel vehementer amabat, unde nihil sibi potuit timere ab illo. Nescit enim amans timere ab amato suo, quia nunquam amor locum timori præbet.) Ex iis quæ circa hunc Scripturæ locum dicta sunt, facile nobis erit arguere, ut logicus ait: *A posteriori*, quod ex quo duo illi Apostoli animo adeo intrepido morti occurrunt, posthabitis minarum atrocitatibus, & barbara rabie qua Tyranni, carnifices, & idolorum Pontifices adversus ipsos furere non desinebant, facile sit deducere per liquidam consequentiam, quantum proximum suum dilexerint, ejus ad Deum conversionem studiose procurando, eumque liberando ab inimici infernalis illusionibus; haeque ratione manifestarunt omnes actiones suas ab amore regulatas esse, ipsosque charitatem loco primi mobilis habere, utpote à magistro suo eis hisce verbis præceptam: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*.

Did de Baez de Chr. fig. t. 4. l. 8. c. 13. §. 16.

10. Inter alia monita quæ sanctus Paulus Apostolus Romanis transscripsit, unum fuit humanæ inclinationis adeo contrarium; ut scilicet in danda eruditoribus suis satisfactione negligentes, aut morosi non essent, singulis debita sua reddendo: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum; cui vectigal vectigal; cui timorem timorem, cui honorem honorem*: Ad Romanos cap. 13. 8. Inter omnia tamen debita unum duntaxat erat, quod nunquam ad finem usque persolvi & expediri volebat, sed potius ab iis requirebat, ut quo plus de tali debito satisfacerent, tanto plus satisfaciendum & solvendum semper superesset; illudque debitum charitatis debitum erat: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*, Ibid. quasi diceret, quantumvis multum quo ad hoc debitum satisfeceritis, semper tamen vos illius debitores censere debetis: Unde sanctus Augustinus Epist. 62. ad Cæle. tom. 2. ait: *Semper debeo charitatem, qua sola etiam reddita semper detinet debitorem*. Et postea subjungit: *Mutuam charitatem libens reddo, gaudensque recipio, quam recipio adhuc repeto, quam reddo adhuc debeo*. Id namque singulariter postulat debitum charitatis, quæ nos obligat ad faciendum quidvis possibile pro conservatione vitæ & honoris, tam proprii quam alieni, atque ideo pessimè faciunt, qui vitam alterius periclitari videntes, deturbari proximi honorem & existimationem, animasque miserarum creaturarum in extremam agi perniciem, omnem negligunt charitatis actum dicentes, ut eruditus ille nostri temporis scribit: (Quid mea interest aliorum curare salutem? qui perit pereat, qui servatur, servetur; nihil horum pertinet ad me.) O homines omnis prorsus charitatis expertes & Paulini moniti, nec non legis Christi prævaricatores? Quantum ab hisce à charitate non regulatis affectibus procul remoti & alieni fuerint sancti Apostoli Simon & Judas, ex unica duntaxat actione, in qua tres perfectæ charitatis actus præclarè relucent, manifestè colligitur. Erat namque certi cujusdam Principis exteræ nationis filia, quæ errorem quendam notabilem, sibique, & soli familiæ suæ valde probrosum commiserat, nam ex fornicatione concepit, parentes autem eum qui stuprum intulerat, & peccati complex erat ignorantes, omnem suspicionem Diacono cuidam, viro virtuoso Deumque timenti, qui horum Apostolorum Discipulus erat imposuerunt, adeo ut illum commissæ fornicationis certum existimarent authorem, erat autem ei nomen Euphrosinus: Unde magnam ex hoc rumore

Franc. Lab. in apar. conc. de amore proximi propo. 1.

more passus est honoris & famæ suæ jacturam: Imo ipsamet juvencula eundem talis reatus accusavit, nimirum: (Quod ipse eam virginem violaverat, & ex ipso puella conceperat,) ideoque miser, licet innocens Diaconus præterquam famæ jacturam fecisset, in magno quoque erat vitæ amittendæ periculo: quod utique non evasisset, nisi per Apostolorum charitatem inventum fuisset opportunum hujus periculi arcendi remedium, efficiendo ut hujus inculpati Discipuli innocentia manifestè appareret: sed qua id ratione factum est? compareat (ajunt Apostoli, in conspectu nostro filius paulò ante hoc eodem die natus, cui mox ut adductus est coram omnibus spectantibus & Euphrosino præsente in nomine Christi Jesu præceperunt, ut revelaret expressis verbis, an Diaconus præfatus aliquam in hoc delicto communionem haberet: (Adjurantque puerum in Christi nomine, ut si Diaconus ille eum genuisset, coram cunctis debeat propalare.) Tunc infantulus contra naturæ motem & facultatem labia aperiens & articulatè promptèque pronuncians Diaconum innocentem esse respondit: (Infans verò directè respondit, & Diaconum justum & sanctum asseruit, quia nunquam carnem suam coinquinavit.) In qua historia tres potissimum charitatis actus considero. Primus est, quod ad justificationem Euphrosini veritatem manifestam reddiderint, qui actus licet dici debeat *opus justitiæ*, ad charitatem tamen reducitur, utpotè ex cujus imperio originem suam traxit. Secundus est, quod infantulum à paucis horis natum loquendi impotentem sceleris hujus judicem constituerint, id quod ex charitate versus Euphrosinum profectum est, hæc enim eos induxit ut hoc à Deo miraculum impetrarent. Tertius actus fuit, quod cum à parentibus juvenculæ rogati fuissent, ut infantulum transgressorem revelare cogerent, in eorum preces nullo modo condescendere voluerint dicendo: (Se innocentes absolvere debere, non autem nocentes prodere.) Dissuadente idipsis Christiana charitate, de qua Apostolus scribit, quod *charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. cap. 4. 8. Hac igitur ratione se à quovis alio debito exemptos, solo charitatis debito in perpetuum obstrictos & obligatos esse demonstrarunt, juxta monitum Pauli dicentis: *Nemini quidquam debeatis nisi invicem diligatis:* Ad Rom. cap. 13. 8. quod illi præcepto magistri ipsorum consonat: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.*

Petrus de Natal. l. 5. c. 115.

Idem ibi.

Idem ibi.

11. Porro ut huic charitatis debito pro ut par est corresponderent, alios adinvenerunt modos, quibus se charitativos proximique amantes esse probarent. Barradach Xerxis Babylonæ Dux generalis ingentem quendam exercitum conscripserat, ut Indos infestaret. Quia vero imminentis prælii exitum sciendi admodum cupidus erat, Sacerdotes convenit, & Idolorum requisivit Oracula, ut ab iis num vincendus aut victor futurus esset edisceret. A quibus hoc retulit responsum, instituendum esse prælium, tametsi id non sine copiosa sanguinis effusione magnaque militum utriusque partis terminandum esset. *Tunc Phanatici bellum dixerunt futurum, & multum hinc inde populum ruiturum.* Apostoli autem hoc oraculi responsum exsibilantes Duci dixerunt, nequaquam futurum prælium, imo brevi post tempore adfuturos pro pace tractanda Indorum Legatos, eamque subito conclusum iri, prouti die sequenti realiter determinatum fuit: *Evenit die sequenti sicut Apostoli prædixerant*: Unde ambo Apostoli cælestes se horoscopos demonstrarunt esse pacem prognosticantes. Verum dicite obsecro auditores, nunquid generosius magisque heroice fecissent Apostoli, si generalem belli Ducem Baradach meliori responso animassent, eumque fecissent sub suis auspiciis gloriosam reportare victoriam? minime gentium, neque enim discedere voluerunt à divinæ Legis charitatem præcipientis obligatione: *Hoc mando vobis ut diligatis invicem:* Ex hac namque suam pax originem trahit. Pro cujus veritatis majori evidentia sequens mihi scripturæ locus opportunè deserviet.

12. Universus quippe mundus diluvii universalis aquis inundatus, & submersus erat: Quando Noë tam gravis & diuturni supplicii finem sciendi cupidus ex omnibus volatilibus candidam quandam columbam elegit, eamque foras extra arcam evolare permisit: *Dimisit columbam ex Arca*, quæ ad crepusculum usque foris commorata, tandem reversa est rostro suo virentis olivæ ramum deferens: *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis.* Cur obsecro olivæ & non potius alterius arboris ramum ei detulit? Certum quippe erat, quod cujuscumque tandem arboris ramum attulisset, Noë inde facili negotio aquarum diminutionem aut decrementum colligere potuisse. Verum enimvero ex quo columba *Gen. 8.*

erat, alium quàm olivæ ramum adferre non poterat, utpotè quæ pacis signum est, dicente S. Euchetio: *In ore columbæ tanquam in osculo pacis*, nec olivæ ramus pacis expressivus ab alio animali quam à columba portari debebat. Hæc enim Spiritum sanctum nobis repræsentat, qui, cui *cum sit nexus amoris inter Patrem & Filium*: charitas & amor attribuitur, & ideò benè ait Glossa ordinaria, quod *Columba spiritum sanctum significat*. Dicere igitur quod columba olivæ ramum deferat, idem est quod affirmare, quod charitas sit genitrix pacis, & hæc vicissim partus charitatis. *Dilectio semper in ore fructum pacis habet*, inquit Arator. Ubi enim fructus sunt pacis, arbor charitatis eos producens ut præcedat necesse est. Unde doctus quidam scriptor modernus ingeniosè notavit, quod *nesciat filialis charitas alios prius parturire fructus quàm pacis: Neque pax ab alio prius nascitur, quam ab ore charitatis filialis: Semper enim charitatis in ore fructus est pacis*. Porrò Simonem & Thadæum duas fuisse amabilissimas columbas charitate per omnia imbutas, ex hoc præcipuè colligi potest, quod olivæ pacis ramum Baradach exercituum Babylonicorum duci in ore suo deportarint; nam ut Petrus de Natalibus ait: *Apostoli verba illorum deridentes* (id est Sacerdotum & idolorum qui cruentum bellum prædixerant) *Ducem hortati sunt dicentes: Se pacem secum adduxisse, & die sequenti hora tertia legatos Indorum ad eum venturos esse, suaque se potestati cum pace velle subjicere*. Qua in re exactissimos se observatores esse probarunt hujus in Republica Apostolica vigentis præcepti Evangelici: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*.

D. Euch. ep. Lug. l. 1. in Gen. in Bibl. PP. t. 5.

Glos. ord. in c. 8. Gen.

Arator. l. 2. in Act. Ap.

Didac. de Baez. in Evang. p. 2. l. 14. c. 3. §. 16.

Petr. de Natal. ubi supra.

13. Nulla mentem ejus invadebat cogitatio, nullum promebatur verbum, nec ulla fiebat actio, quæ motrice charitate suam non haberet originem. Etenim Baradach de falsitate & fraudibus, quibus maledicti idolorum Sacerdotes cunctorum hominum mentibus illudebant, certior factus, statuerat omnes igne flammaque consumere; sed Apostoli idipsum non permiserunt, dicentes: *Quod missi erant non viventes occidere, sed mortuos vivificare*. Nunquid hic eximius charitatis actus fuit? Zaroe & Arphaxao Advocatos quosdam incantationibus suis elingues fecerunt; adeoque impotentes, ut ne signis quidem vel nutibus, cordis exprimere cogitationes potuerint, jam enim illos prorsus reddebant immobiles, mox visus beneficio destituebant efficiebantque cæcos. Quando igitur Apostoli Advocatos illos ab hisce incantationibus liberarunt, simul illis motum, loquelam, & visum restituendo, nunquid egregium illis charitatis opus exhibuerunt? Supradicti magi arte & astu diabolico ingentem quandam serpentum multitudinem è terræ viscetibus erumpere fecerunt, ad inferenda creaturis maxima damna, at vero iidem serpentes in eosdem incantatores Zaroem & Arphaxat conversi eosdem momorderunt, ita ut ubicumque dentes infigerent, venenum pariter infunderent, qui proinde sine ullo prorsus remedio mortui fuissent, nisi Apostoli suam veneno operationem prohibuissent. Ecquis autem hoc charitatis opus fuisse dubitabit? Per tres dies continuos Magi ab atrocissimis doloribus viscera eorum penetrantibus vexati fuere, adeo ut nec requiem reperire possent, nec medelam, ab Apostolis autem ab eodem malo sine ulla læsione facti fuere liberi: *Apostoli eos sanos fecerunt*, omnemque eis dederunt quocumque collíberet ambulandi libertatem: *Et libere quo vellent abire permiserunt*. Utique magnum hoc charitatis opus fuit. Duæ crudelissimæ Tygrides è silvis egressæ civitatem penetrarunt dilaniantes & devorantes, quotquot habebant obvios: Apostoli autem ad instar domesticarum ovium feras illas adeo reddidere mansuetas & cicures, ut toto die cum hominibus & inter homines agerent, nocte vero appropinquante ad suas se speluncas reciperent, quis hoc non dicat excellens fuisse opus charitatis? Apostoli anno integro & tribus mensibus in Babylonia commorati fuerunt, suaque prædicatione & bono exemplo plusquam septuaginta mille homines absque parvulis & mulieribus converterunt, easdem ab infidelitate ad fidem, à manibus dæmonum ad sanctæ Ecclesiæ gremium, denique ab inferno ad Paradisum perduxerunt; utique magno charitatis suæ testimonio. Præcipientibus ipsis dæmonibus, ut ab idolis sese propriperent, visum est eos in forma horribili & atra protinus egredi, idque ut Gentiles illi, se illusos & in perditionis statu constitutos esse cognoscerent, charitatem suam in proximos eo ipso manifestè demonstrantes. Nec mirum, siquidem nec poterant, nec aliter procedere volebant obstante expresso Magistri sui mandato: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*.

Idem ibi.

14. Verum inquies videre proximum ad extremam quandam necessitatem & miseriam redactum, nec tamen ullum ei porrigere subsidiũ,

canum

canum potius proprietas, quàm charitas est. Cum igitur Apostoli duos illos Magos tribus diebus sine cibo & potu famem & sitim sustinentes sine somno languere permiserint: *Tribus diebus sine cibo, & potu, & somno manserunt*; nescio qua ratione charitas ipsorum magnopere deprædicari possit, cum famelicis & sitibundis subvenire potius sit misericordiæ, & consequenter charitatis opus, hoc autem negligere evidentissimè crudelitatis calumniam importat. Veruntamen priusquam quis sinistrum hoc de Apostolis concipiat judicium, rationes, quæ ipsos ad id faciendum permoverunt, velim auscultate. In Genesi legitur Saram absolute voluisse Ismaelem una cum matre sua Achar foras è domo ejici, hancque suæ voluntatis adimpletionem sine ulla contradictione minime differri: *Ejice ancillam hanc & filium ejus*, nec aliam ei viatici annonam per viam consignarunt, præterquam *frustum panis & vas aquæ*: adeo ut dum in deserto quodam sterili, omnisque fructus experti essent, ambo annonæ defectu fame, & siti emori fere debuerint. Nolo hic inquirere quodnam commiserint peccatum, ob quod indigni censebantur, qui ulteriorem in domo Abrahæ moram traherent: siquidem Scriptura sacra manifestè dicit, quod Sara Ismaelem cum Isaac ludentem viderit: *Cum vidisset Sara filium Achar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam & filium ejus*, nec curæ mihi est ut investigem, quosnam inter se hi pueri ludos vel jocos transegerint, siquidem Interlinearis jocos illos tales fuisse dicit, qui reprehensionem merebantur & castigationem: *Lubricum & lascivum esse docebat, sicut ipse erat*. Alii volunt Ismaelem docuisse Isaac idololatrare: *Sub Hoc ludo aliqui latere idololatriam notant*. In Hebræo quoque dictio *Ludentem* exprimitur per hebraicam dictionem *Merachec*, quæ dictio æquivoca, *Quia significat ludentem, idololatrantem, occidentem, & coeuntem, sive lascivientem*. Quin potius hoc solum hic considerandum esse existimo, quomodo sanctus Patriarcha natura sua adeo benignus, benevolus & beneficus, adeo se erga pauperem hanc mulierem Achar, ejusque filium Ismaelem, qui partus quoque & pars viscerum suorum erat, durus fuerit atque crudelis, omnisque charitatis expers, ut ne tantum panis & aquæ per viam dederit, quantum iisdem unico die sufficere potuisset? Ubi pietas tua mansit ô Abraham? Scio etenim te viscerosa erga inopes charitate semper fuisse insignem; quomodo igitur erga hos tam proximo sanguine tibi conjunctos adeo te omnis pietatis expertem exhibes, ut eos fame & siti emori permittas? *Cur erga filium tantam severitatem exerces? An amorem benevolentiamque qua illum prosequebaris oblitus es?* Minime gentium, imo verò hanc eis mortificationem inferre, egregius charitatis actus fuit, ut scilicet deinceps resipiscerent, neque ad committendas Idololatriæ vel cujus libet alterius peccati, quod Isaac ab Ismael docebatur, absurditates reverterentur: *Tunc se pueri amatorem ostendit, cum in illum exercet severitatem*. Adeoque *non fuit res odii, sed res amoris & benevolentiæ: Nunquam non amoris est, illas severitates in amato exercere*, inquit Doctor quidam modernus: Idem quoque S. Theodoretus confirmat dicens: *Et hæc, (id est fecit) benevolentia quadam ductus erga Ismaelem*. Quis igitur dubitabit, quin Apostoli dum Magos illos Zaroen & Arphaxad languere permiserunt *tribus diebus sine cibo & potu, & resipiscerent*, suamque pravitatem desererent, charitativos sese proximique amantes esse demonstrarint? unde oportunè hic applicare possumus, quod magnus ille Pontifex S. Gregorius de Ægypti Vice-Rege scripsit, quando is quoad exteriorem faciem erga fratres suos omnino austerus & durus existens, vel potius talem se esse simulans, carcerem iisdem est comminatus: *Vos autem eritis in vinculis donec probentur quæ dixistis: Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus*, cum tamen interiori cordis sinu amore æstuaret & charitate: *O tormenta misericordiæ! Cruciat & amat*. Sed inquies, qua ratione id fieri poterit? *Permanebat in ostensione asperitas, ut fratres noxii purgarentur*. Pari quoque ratione Discipuli Christi permiserunt, ut Magi à Xerxis generali Duce in obscurum quendam detruderentur carcerem, hoc duntaxat fine, ut familiaritatem & commercium, quod cum dæmonibus habebant, dimitterent, & ad Deum converterentur, unde alium nullum finem ob oculos positum habebant, quam animarum illorum salutem: *Permanebat in ostensione asperitas, ut noxii purgarentur*. Unde mirum non est, si hanc illorum charitatem admiratus cum sancto Gregorio exclamans dixero: *O tormenta misericordiæ! cruciant & amant*. Ecquid igitur amplius facere poterant pro hujus præcepti Christi observantia quo dicebatur: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*.

15. Hic Apostolicæ charitatis excessus magis elucebit, si cum malitia & odio, quo Magi illos

Gen. 21.

Gen. 21.

Interl. ib.

Aloys. Nov. ib.

Apud eund. ib.

Didac. de Baeza de Cr. fig. t. 2. l. 5. c. 30. §. 8.

Theod. in Gen. q. 21.

Gen. 22.

D. Greg. hom. 21. in Ezech.

illos prosequebantur, comparetur, quid enim hi impii arte diabolica mediante non fecerunt, ut omnibus sanctorum Apostolorum actionibus se opponerent? Quas non machinati sunt illis insidias? Quas cavillationes non adinvenerunt? Quales iniquitates ipsis non suggessit propria ipsorum perfidia? dum nunc subordinabant populos, qui seditionem contra illos excitarent, nunc è terræ visceribus evocabant serpentes, nunc ex idolis loqui faciebant dæmones, nunc illos velut fraudulentos deceptores & novatores calumniabantur, nunc adversum eos totam concitabant Persidem, nunc septuaginta idolorum Babyloniæ sacerdotes subordinabant, qui adversum Apostolos concitati iis se opponerent, eosque ad venerandum ipsorum Deos adstringerent, vel renitentes protinus trucidarent: Quibus tamen illi summa cum benevolentia & charitatis affectu occurrerunt, omnem movendo lapidem ut animarum suarum securam redderent salutem. Enimverò si causam hujus scire desideratis, sequentem scripturæ locum attendere vobis non displiceat. Nemini etenim ignotum est quam obstreperum, insolentem & ingratum patri suo se exhibuerit protervus Absolon, cor namque ejus veneno plenum erat, illudque per ambitiosa & iniqua consilia sua adversus proprium genitorem evomere decreverat. Hoc igitur fine ingentem quendam congregavit exercitum, cum eoque recta in occursum patris processit, ut corona pariter & vita eum exueret: nec cessabat ad seditionem concitare subditos, ipsosque milites ad inferenda damna sollicitare; Unde ad gratiam aliquam ab Absolone obtinendam, sufficiebat aliquid reputationi & vitæ Regis Davidis adversum dicere vel facere, quod advertens Architophel, ut ejus malo genio se accommodaret, protinus se obtulit ad exhibendum duodecim millia militum expertissimorum, & cum hac armata manu nocturno tempore Davidem Regem ex improviso aggrediendum, ut quo ad possibile foret, extremum illi conciliaret exterminium: *Dixit Architophel ad Absolon, eligam mihi duodecim millia virorum & consurgens persequar David hac nocte, & irruens super eum percutiam eum.* Hic igitur O Auditores dicite sodes, inventusne est unquam filius aliquis in Patrem suum adeo perversus & impius, ut Absolon erat? Et tamen audite obsecro quibus præceptis ejus Pater & Rex David duces suos Joab, Abisai & Ethai oneraverit: hoc enim modo locutus est ad eos: In hoc bello cavebitis ne filio meo Absoloni ulla inferatur injuria vel molestia, quapropter circumspecti estote, ne vulneretur aut occidatur: *Servate mihi puerum Absalon.* Id quod scriptor quidam sacer modernus vehementer admiratus, hunc cum prædicto Rege sermonem instituit: *Quid ais Rex; impium filium qui te à regno & vita deturbare conatur, servare jubes? Qui mille mortibus dignus est in bello, qui te occidere intendit, indemnis abibit? Ex illius morte tua vita cum pendeat, à morte servandum cupis & mandas?* Veruntamen nolite id mirari, amor enim quo erga Absolonem ferebatur, ad hos illum charitatis & pietatis effectus adigebat: *Valde eum diligebat, & charitatis innatæ est sollicitudo hæc.* Et S. Bernardus ait: *Respicit enim charitas rationem proximi, non odii causam contemplatur.* Davidi Regi Simon & Thadæus nequidquam fuere dissimiles, siquidem non obstante, quod Zaroen & Arphaxad jurati ipsorum hostes essent, atque in vitam ipsorum conspirantes mortem eis machinarentur, ipsi tamen charitate pleni, mox ut audierunt, ipsos à Baradach igne comburendos esse, omni conatu idipsum impedire studuerunt: *Prohibuerunt Apostoli ne hoc fieret, quia missi erant non viventes occidere sed mortuos vivificare.* Imo dicere ausim, præstantiorem esse Apostolorum charitatem illa à Davide Rege exhibita; hic enim charitativus erga filium fuit, Apostoli autem erga duos truculentos & feroces suos, fidei Evangelicæ & Dei hostes; charitas igitur operabatur, ut ad odium inimicorum suorum non respicerent, sed ad divinum Magistri sui præceptum: *Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Respiciebat enim charitas rationem proximi, non odii causam contemplabatur.*

2. Reg. c. 17.

2. Reg. c. 18. v. 5.

Franc. Lab. in appar. conc. de amore proximi prop. 1 f. 61. co. 1. D.

D. Bern. Epist 12. apud Ant. de Escob. t. 3. l. 10. c. 22. sect. 1. obser. 6. f. 437. n. 60.

16. Quapropter Auditores hujusce Apostolicæ charitatis occasione exhortatos vos volo, ne ab hac sancta Lege & divino charitatis erga proximum præcepto vel latum unguem decedatis, ut gloriosorum Apostolorum nostrorum imitatores esse possitis; si enim præceptum istud minimè prævaricati fueritis, alia quoque facillime observabitis, in hoc namque velut in brevi epitome omnia alia epilogata comprehenduntur: Unde S. Joannes Evangelista adimpletionem hujus digni & venerabilis præcepti discipulis suis identidem repetebat dicens: *Filioli diligite alterutrum,* qui dum curiose ab eo peterent, cur adeo frequenter unum idemque præceptum replicaret dicentes: *Magister quare hoc semper loqueris?* Mox ut scribit Hiero-

1. Ioan. 3. 11. 12. 18.

D. Hier. in epist. ad Galat. l. 3. c. 6. f. 216. col. 1. F.

Hieronymus, *Respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat sufficit.* Possem equidem opportune satis hoc charitatis præceptum fructui illi simile dicere, quem arbor quædam, cui nomen Cicata in provincia Malabaica parturire solet; Hæc enim arbor non nisi unicum dumtaxat fructum, quovis anno producit, eumque adeo grandem, ut trecentos alios intra sinum suum contineat. Ecquis enim major fructus esse potest præcepto charitatis? quod omnia alia virtutum præcepta compendiata in se continet, unde Joannes dicit: *Si solum fiat sufficit:* Vel ut Apostolus ad Romanos scribens affirmat: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et iterum: *Plenitudo legis est dilectio.* Proximum igitur vestrum impense amate; *Non lingua sed opere.* Inter quæ unum & quidem excellens esse censeo iis, qui in extrema sunt necessitate constituti aliquot Eleemosynæ conferre subsidium.

Io. Bapt. Ramus. p. 1. f. 342. fac. 2. E. Ad Rom. 13. 10. Ib. n. 8. & D. Thom. in c. 15. Io. lect. 2. f. 85. col. 1.

PARS SECUNDA.

17. PRæcipiunt nobis charitatis leges, ut in administratione charitatis nullum hactenus habeamus proprii commodi respectum, sed solam proximi utilitatem intendamus & beneficium: Ita enim monuit S. Paulus Philippenses, dum ait: *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.* Quæ verba, tametsi perspicua fuit, omniumque intelligentiæ evidentia, hoc tamen sensu à Remigio Remensi declarantur: *Nemo solùm sua commoda & suam utilitatem debet quærere, sed aliorum; Vtilitas enim multorum multis prodest; unius vero tamen uni prodest: sed ea quæ aliorum, ad multorum utilitatem pertinent.* In hoc etenim præcipuè consistit veræ & perfectæ charitatis debitum: *Hoc maxime spectat ad fructum sinceræ charitatis, ut quæ aliorum sunt quisque consideret, aliorum saluti consulens, atque prospiciens, & non sibi soli.* Certissimum namque est, ut idemmet Apostolus Corinthiis significavit, quod *Charitas non quærit quæ sua sunt.*

Ad Phil. c. 2. 4. Remig. Remen. in Epist. D. Pauli ad Phil. in Bibl. PP. p. 3 f. 976. col. 2. F. Anton. Scayno ibid. in ad. not. f. 140. col. 4. B. 1. Cor. 13. 5.

18. In historia Gallorum legitur, quod dum nobilis quidam militem quendam videret Sclopeto explodendo in pectus Henrici Caroli noni Regis Franciæ fratris germani collimare eo tempore quo Rupellam obsidione cinxerat, globo jaciendo semetipsum objecerit, & duos in pectore globos recipiens, vitam suam pro vita Henrici Domini sui salvanda morti exposuerit: *Nam pectore aperto strenuus ille miles excepit duos illos globos.* Henricus quoque Tertius Imperator, strages in dominio suo, ex contagione adeo invalescere videns, ut integræ civitates hominibus mortuis desertæ viderentur, ex subditis suis cæco huic flagello subjectis, tanto fuit dolore correptus, eorumque calamitates adeo vivaciter sensit, ut graviter infirmatus Deum rogaverit, ut divini sui furoris supplicia in se solum converteret, mortem ei immittendo, dummodo placari vellet, miserosillos subditos, qui ad eum usque diem fatale crudelissimæ pestis venenum evitaverant, à contagio liberando & conservando in vivis. Negari equidem minime potest, quin hujus Principis & supradicti nobilis amor ingens admodum fuerit. Similis quoque fuit erga Jacob filium amor Rebeccæ, quæ eidem filio persuasit, ut paternam benedictionem, quam Isaac Esau primogenito dare decreverat, per dolum præoccuparet, cui cum is replicaret, timere se vehementer, ne benedictionis loco maledictionem sibi accerseret: Mater animos ei addidit offerendo se, quod quidquid inde maledictionis sequeretur, ipsam afficeret. Quasi diceret, dummodo te benedictum, & paternarum divitiarum hæredem videre possim, contenta sum memetipsam exponere paternæ maledictionis fulmini. *In me sit ista maledictio fili mi.* Amor hic Rebeccæ minime vulgaris fuit, siquidem, dummodo Jacob filio bene esset, ipsa cuivis malo subjacere minime curabat. *Rebecca* (inquit Isidorus Peluſiota) *animi magnitudine prædita imprecationem suscipere non dubitavit, ut ipsius filius benedictionem consequeretur, mala ipsa sola suscipere parata erat dicens: In me sit ista maledictio fili mi:* Veruntamen amor hic, si bene consideremus, non erga personam quandam incognitam, extraneam, vel peregrinam, sed erga filium ferebatur. Atque ideo amor & charitas Simonis & Thadæi, cui comparari possit, nullam habet. Siquidem dum Angelus quidam eis apparens optionem dedisset, an templum idolorum præcipitari, omnesque in eo infideles occidi vellent, an verò ipsimet martyrium subire eligerent: *Angelus Domini eis apparuit, & ut alterum ex duobus eligerent, illos monuit, aut omnium in templo existentium repentinum interitum, aut suum martyrium.* Utrum igitur ex his duobus O glorioſi Apostoli præeligetis. Ego etenim vos ut vitæ vestræ cõsuleretis exhortarer, si enim infideles malo pertinaciter adhærere velint, malũ quoq; habeãt, & in malam abeant crucem, neq; enim, sive ex parentela

Hist. Imperial. sub anno 1054. Gen. 27. Isid. Pelus. l. 2. Ep. 58. Petr. de Natal. in eorum vita, ubi supra.

rentela sive per amicitiam, vos quidquam contingunt: ac proinde suaderem, ut permitteretis cælestem vindictam in capita inimicorum vestrorum cadere, vitamque vestram salvare: Veruntamen non ita censebant Apostoli, nam ad debitum charitatis erga proximum respicientes: *Non quæ sua sunt considerant, sed ea quæ aliorum*, ideoque semetipsis mortem, illis verò vitam elegerunt: *Martyrium elegerunt, ut populum ad pœnitentiam reducere possent.*

1). Duorum præcipue eximiorum servorum Dei charitas, tam à sacra Scriptura, quam à sanctis Patribus præclarè celebratur, quorum unus ad vetus testamentum, ad novum verò alter spectabat, id est, Pauli & Moysis. Hic, nisi Deus populo suo quod commiserant idololatriæ peccatum condonaret, semetipsum quoque æterno supplicio addici non curavit, hoc usus dilemmate: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Sanctus Paulus quoque amore erga proximum stimulatus dixit: *Optabam ego ipse Anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Sacri expositores varias huic termino *Anathema* adhibent expositiones. Origenes, S. Hieron. & alii, per illum intelligunt *occisionem & martyrium ac mortem corporis pro Iudæis subire*, ac proinde & Syriaca loco *Anathema* legit *Cherma*, ut Apostolus alludere videatur ad Hebræum verbum Cherem, quod apud nos idem est quod *Anathema*, quod in Hebræo *significat occisionem.*

Exod. 32.

Ad Rom. 9 v. 3. Origines. D. Hier. Alcassa q. 9. apud Corn. à Lap. in Epist. ad Rom. c. 9. v. 3. f. 125. col. 2. B. D. Ioan. Chrys. Theoph. Theod. Ansel.

Tanta igitur Pauli charitas erat, ut sibi desideraret mortem, *ut Iudæi salvarentur.* S. Joannes Chrysostomus autem, & Theophylactus, per *Anathema intelligunt æternam separationem, non à charitate, sed à beatitudine, & gloria futura.* Alii ut Theodoretus & Anselmus dicunt: *Optat in æternum perire, æterniisque addici pœnis,* (Veruntamen in gratia Dei constitutus) *pro salute ipsorum Iudæorum.* Optarem autem hoc loco scire, utet ex duobus majorem exhibuisset charitatem, an Moyses erga populum suum dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, &c.* Aut verò Paulus erga Hebræos cum ait: *Optabam Anathema esse, &c.* Isidorus Pelusiota Paulo palmam decernit: quia Moyses puoni volebat, simul cum omni populo suo eligens deleri de libro vitæ; Paulus autem solus mori volebat, ad hoc ut proximus suus viveret. *Majus est quod Apostolus fecit: Namille, id est, Moyses simul perire cupiebat; hic autem scilicet Paulus perire, ut alii salutem consequerentur.* Similis Paulinæ Charitati fuit Glorioforum Apostolorum nostrorum Charitas, utpote qui sibi Martyrii mortem elegerunt, adversarius verò vitam felicem. Ac proinde nihil superest addendum ad celebrandam, quam toti mundo probarunt, Apostolicam ipsorum Charitatem: vos interim eandem melius devotiusque ponderate, illiusque estote ferventes imitatores, & abite in pace.

SERMO TRIGESIMUS QUARTUS, IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.
Matth. cap. 5.

1. TAmetsi adire Corinthum, aut clavam extorquere Herculi, vel fulmen Jovi inter difficillima quæ ab homine fieri possint, reputatum fuerit, unde dictum est: *Non omnibus datum est adire Corinthum, clavam Herculi extorquere, & Iovi fulmen difficile:* veruntamen nulla est in mundo difficultas, quæ tempore, labore, & industria non facilitetur, aut superari non possit. Lisander Lacedæmon se ab inimicis intra angustum Athenarum portum recluſum cernens, ingenio usus est, ut vi rotarum naves suas extra omne periculum subduceret, suoque exercitui juxta Munichiam de securitate consuleret. Quid difficilius excogitari potest, quam viam extra mundum

Iulius Fontinus l. c. 5. fol. 16.

Idem ib. mundum positam adinvenire? & tamen Columbus desiderii & ingenii sui plumis, temporis alis conjunctis, mediantibus laboribus omnem difficultatem superans, novo mundo inveniendo se ingessit. Pericles Athenienſis à Peloponenſibus intra magnas loci cujuſdam anguſtias redactus fuit, in quo una ex parte præcipitiorum minæ ei intentabantur, ex altera verò se ab adverſariorum turmis velut obſidione cinctum videbat, adeò ut periculum evadere impoſſibile, nedum difficilè, cenſeri potuiſſet, niſi cogitationibus ad ſingularem induſtriam tentandam adhibitis. Hannibal per Fabii hinc inde clam collocatas inſidias in anguſtias redactus, ut evaderet, hoc eſt ſtratagemate uſus, in intempeſtæ nocta tenebris ingentem congregavit beſtiarum multitud nem, ſingularumque capitibus faſces alligavit ardentes & flammigeras, eaſque ſic inſtructas paſſim per campos currere fecit, unde Romani formidine & ſuſpicionibus adacti ſe ſubduxerunt, relicto interea Carthaginenſibus, pericula, in quæ per inadvertentiam ſuam redacti fuerant, effugiendi aperto campo: unde ipſamet experientia teſte verum eſſe comprobatur, quod, *nihil eſt tam arduum tamque difficile, quod tempore, labore & induſtria ſuperari non poſſit.*

Idem ib. fol. 18.

2. Et tamen verum eſt, ô Auditores, multos qui fortunatas & delitioſas terreſtris Paradiſi ſemitas invenire tentarunt, diverſa navigaſſe maria, eoque progreſſos eſſe quo vix pertingere poteſt cogitatus humanus, ſed caſſo prorſus irritoque conatu; Nam Scriptores aſſirmant, *ante paradiſum eſſe celſiſſimos & maximè præruptos, atque inſuperabiles montes: deinde interpoſitas eſſe horridas atque invias, & ferociſſimis & maximè venenatis animalibus refertas ſolitudines* Aliaque varia impedimenta, quibus pervius eis prohibetur acceſſus. Unde facili negotio colligitur, quod ad evincendam hanc difficultatem eamque ad optatum uſque finem aſſecutum producendam, nec temporis longitudo, nec laboris exantlati aſperitas, aut ingenii adhibita induſtria quicquam juvet. Quæ cum ita ſe habeant, longè utique & incomparabiliter difficilius ne dicam impoſſibilius mihi hoc mane meritò videri debet, me meditationis & diſcurſus paſſibus innixum ingredi poſſe Paradiſum cœleſtem, ubi beati vera gaudent atque fruuntur beatitudine. De qua magnus Pontifex ſanctus Gregorius ita ſcribit: *Qua lingua dicere: vel quis intellectus capere ſufficit illa ſuperna civitatis quanta ſint gaudia? Angelorum Choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloria conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetua munere latari?* Etenim ut verum fatear, Auditores, nec medium, nec inventionem invenio, qua non ſolum aliquam eo pertingendi ſemitam aperire, ſed nec voce quidem aliquod illius aſſequendæ veſtigium exprimere poſſim, præcipuè cum Apoſtolus, quando ne umbram quidem illius tantum participaverat, aut primis beatitudinem illam labiis, ut ajunt, deguſtaverat, proteſtetur apertè, quod de ea *non liceat homini loqui.* Adhæc ſi Alexander Theſſaliæ conſtitutus, & è regione ſtatuæ Homeri conſiſtens eandem digito labia comprimentem, ſudare cœpiſſe advertit, quaſi ſignificaret: *Tot tantaque fuiſſe excellentiſſima geſta Alexandri, ut ad ea conſcribenda & pro dignitate laudanda, nec foret nec Homerus alter aptus & ſufficiens*; quomodo ego non potius ſudore madebo? Imò verò cur non penitus digito labia comprimo, ut ſileam? Aut ſi ſilere durum videtur, cur non difficilè mihi videatur, de illa cœleſti gloria agere, de qua Salvator noſter cum diſcipulis ſuis loquens dixit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis!* Operis igitur hujus difficultate deterritus me quidem ipſum ſubducam, meæque linguæ conatum hunc commendatum relinquam, quoad fieri poterit fusè & perſpicuè vobis Beatorum gloriam copioſam eſſe demonſtret, quia ut ait Apoſtolus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit* Id eſt, ut exponit S. Bernardus: *Non vidit oculus lucem inacceſſibilem, non audivit auris pacem incomprehenſibilem; nec in cor hominis aſcendit, quia fons eſt, & aſcenſum neſcit* Vos interea, dum ego ſudoribus madeſcere incipio, labiis veſtris in alti ſilentii ſignum digitum ſuperimponite, taciturnitatis perfectæ daturi initium.

Cor. 12. 4.

Franc. Lab. t. 2. *de S. Ioan. Bapt. propo.* 2. *fol.* 339 *col.* 1.

Matth. 5.

Bened. Perer in Gen l. 3. *q.* 4. *f.* 302. B.

D. Bern. ſer. 4. *in Vigilia Nativit. t.* 1. *f.* 16. C. D.

3. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Cæleſtis beatitudinis, quam beati poſſident proprium & inſeparabile prædicatum eſt, quod ſit copioſa, qui tamen terminus apud ſacros Expoſitores varias patitur expoſitiones. Cardinalis Petrus Damianus vult ideò copioſam dici, quia *ibi pax ſumma eſt, requies voluptuoſa, vita perpetua, ſapientia mentis, agilitas corporis, cordis illuminatio*: Haymon Epiſcopus Halberſtadienſis, copioſam appellari exiſtimat, quia meritorum noſtrorum menſuram incomparabiliter magis excedit.

D. Greg. hom. 37. *in Evan* 1. 2. *f* 338. *col* 2. C.

B. Petr. Dam. in feſto om. SS in Bibl. ho. t. 4. *col.* 904 *f.* 2.

cedit, quàm cœlum, stellam, aut mare stillam; *Merces vestra copiosa est in cœlis. Quia quo plura certamina pro nominis mei amore pertuleritis, eò copiosioribus à me coronis post finitos istos labores donabimini.* Sanctus Augustinus opinatur Christum ideò cœlestem beatitudinem appellasse magnam & copiosam, quod capacitatis nostræ angustam sphæram, plurimum transcendat: *Consideremus ergò inclytam urbis illius felicitatem, in quantum possibile est: ut enim verè est, comprahendere nullus sermo sufficiet.* Præcipuè verò viatorum oculis copiosa existit, unde dicitur: *Nec oculus vidit*, addendum autem est; sed nec videri unquam poterit; cùm oculus, quoad visionem beatificam longè inferioris sit activitatis, quàm sit talpæ alicujus oculus, si is exponatur ad sphæram Solis. Id quod per varia Scripturæ loca in in medium adducenda evidens fiet & manifestum.

Haym. Halbest. in Bibl. hom. t. 4. f. 900. col.
D. Aug. de em. SS ser 1. & 37. t. 10. f. 172. col. 1. C.

4. Isaias Propheta refert in suis revelationibus, quod eodem anno quo subsecuta est mors Oziæ Regis, cœlum planè apertum viderit, & singulari quodam Dei favore altissimorum Paradisi cœlestis mysteriorum factus fuerit particeps. Observavit igitur inprimis Deum in sublimi quodam Majestatis suæ throno consedisse. Omnia quoque regiæ cœlestis conclavia pretiosissimis adornata fuisse gloriæ auleis: In Angelorum vultibus nil nisi jubilum legi potuisse. Per totum supremæ illius residentiæ circuitum venerabundos adstitisse alatos ignitosq; Seraphinos. Cantuum melodias atque à supremis spiritibus cœlesti prorsus artificio efformatas concertationes musicas, cùm sphærarum cœlestium harmonia dulcissimè concertasse, adeò ut universalis quidam inde ortus sit totius Empyrei jubilus. Ad majorem autem altissimi Dei gloriam per tres circumquaque choros resonare audiebatur magnificentia & sanctitas Creatoris, totum namque cœlum hisce personabat Angelicis vocibus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* O te felicem Isaiam, qui visionem adeò dignam contemplari meruisti. Veruntamen dic sodes, vidistine aliud quoddam objectum, quod hactenus enarrata in sui gloria, magnificentia & Majestate superarit? Observastine qualisnam fuerit gloria qua Deus Angelos beatificat? Num fortè exponere mihi valebis, quam ingens futurum sit præmium illud quod Deus eorum animabus beatificandis reservavit, qui nunc fideliter eidem in terra serviunt? Hujus etenim informationem aliquam habere desidero, ut animos iis addere possim, qui hoc in loco præsentes me avidè auscultant; hoc namque calcaris loco illis deservire posset, quo excitati majori cum fervore iis seactionibus meritoriis adhibere possent, quæ opportunum sint ad æternam beatitudinem comparandam pretium. Audite igitur ô Auditores Isaiam Prophetam mihi respondentem. Dicit enim: *Domus repleta est fumo*, quasi diceret: Aliud nihil videre poteram, quia universa illa regia fumo repleta erat. Itane fumo? obstupescere me facis ô Isaia, quomodo enim fieri potest ut Paradisus fumo plenus sit? est etenim infestus oculorum tyrannus, quos postquam offendit, lachrymarum quoque tributum solvere cogit, lachrymæ autem è cœlis sunt procul eliminatæ: *Non erit amplius neque clamor.* Fumus certus quidem est prodromus ignis; in cœlesti autem illa habitatione non erit ignis, igitur nec fumus erit. Adhæc fumus vitales suffocando Spiritus, funestam accelerare mortem solet, prout jussu Alexandri Severi Vetronio Turno Zoë uxore Nicostrati Martyris tempore Diocletiani accidit, quævis igitur alia supra enarrata in Paradiso esse facilè mihi imaginari possem, solo fumo excepto; gloriosa cœlestis visio beatifica appellatur, quomodo autem talis esse poterit, si fumus oculos offendens visumque impediens ibidem reperiatur? *Fumus noxius est oculis*, inquit S. Hieronymus, quod licet nullus testaretur, ipsa sufficienter quotidiana monstrat experientia.

Ibid. v. 4.
Apoc.
Pontan. l. 1. c. ult. de magnâ. Volater. l. 17
D. Hier. in c. 6. Is. fol. 30. col. 2. H.

5. Hujusce difficultatis intelligentiam penetrare aut ignorantiæ fumum, qui mentem nostram obfuscatam tenet abigere non poterimus, nisi ad aliqua sacræ historiæ loca recurramus. Ille igitur Deus Optimus Maximus, qui author est lucis & splendorum fons indeficiens & consequenter tenebrarum destructor, adeò caligine, nubibus, fumo, & tenebris delectari videtur, ut illas veluti opulentissima & superbissima aulæa adhiberi velit, quibus se obvelet & vestiat, quando charissimis amicis suis se videndum exhibere decrevit. Audite obsecro, David Deo in acceptis refert, quod inimicorum suorum præcipuè verò Saulis truculenti & ferocissimi persecutoris sui manus effugerit, eum namque in suum favorem armatum, adversus adversarios suos autem ira exardescentem describit, armatū autem non aliis armis vel insignibus, quàm caligine & tenebris, dicit enim: *Inclinavit cœlos & descendit & caligo subpedibus ejus. Posuit tenebras*

2. Reg. 22

bras latibulum suum. Sed dices, ergone in Deo sunt nubes? In Deo caligines? In Deo sumus? In Deo tenebræ? quomodo igitur Joannes Evangelista ait: Quod *tenebræ in eo non sunt ullæ?* Etenim inter hasce difficultates constitutus vix resolutionem aliquam invenire possem, nisi Abulensis & S. Eucherius Episcopus Lugdunensis mentem meam illuminarent. Scitis utique (ô Auditores) Deum objectum esse beatificum, quod beatos glorificat; & Deum videre nihil esse aliud, quam gloria frui & formaliter beatum esse. Hæc autem gloria & beatitudo adeò est ingens & copiosa, ut oculi nostri, qui in unico momento tot stellas vident, quarum singulæ pluries ipsa terra majores sunt, quique cælos contemplantur incomparabiliter omnes stellas excedentes, ut inquam hi postea talpæ reddantur ad contemplationem vel minimi cœlestis gloriæ radii, qui è visione Dei & ab essentia Divina naradii, qui è visione Dei & ab essentia Divina naradii, scitur, inhabiles, ac proinde Abulensis ait: *Istud ponitur, id est, caligo sub pedibus ejus, ad significandum modum apparendi Dei, nam ut non videatur, ponit nubem caliginosam sub pedibus.* Et S. Eucherius ait: *Posuit tenebras latibulum suum, ne à nobis modo in æterna & infinita claritate videatur.* Quod si igitur verum est lucem à tenebris nasci, experiti mihi videor, mentem meam ab hisce obscuris caliginibus illuminari ad intelligentiam fumi, quo Isaias Propheta Paradisum plenum esse vidit, dum ait: *Et domus impleta est fumo.* Vult etenim dicere: Quod oculi nostri inter obscuritates obtenebrentur & noctescant, haud secus ac si obnubilati & obfuscati fumo essent, dum ad contemplationem gloriæ cœlestis & beatitudinis Paradisi se applicant; Id quod conforme est illi, quod Apostolus affirmat dum ait: *Nec oculus vidit. Quia comprehensio Majestatis Dei vultus, Angelos fugit, etiam illos beatissimos, ne dum homines* Vel ut alius quidam expositor subjungit: *Nec mirum quod nebula, seu caligine aut fumo Deus præsentiam suam nobis solet quandoque ostendere, seu præmonstrare, quia ipse habitat lucem inaccessibilem, sicque nullo pacto in mentem ejus Majestatem capere possemus; propterea quicumque voluerint ex seipsis gloriam intueri, tenebris involvantur necesse est.*

1. Io. c. 1. v. 5.

Abul. in 1. Reg c. 22. f. 248. col. 2. K.

S. Euch. Lugd. l. 3. f. 869. col. 1. B. tom. Bibliot pp. vit.

Micha. de Palatio in cap. 6. Isa. Lil. 2. l. 1. f. 106. col. 4.

Thad. Perus. in c. 5. Is. fol. 155. col. 2.

6 Deus cum Moyse facie ad faciem loquebatur, & quia quidquid ab eo petebat, totum pro voto impetrare consueverat, favorem quendam non vulgarem ab eo exposcere audacter præsumpsit, nimirum, ut Divinam faciem suam vel semel dumtaxat à se videri permitteret: *Si inveni gratiam,* inquit, *in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Verum inquies, si sacer textus de Moyse dicit, quod *loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Ergo faciem Dei jam vidit; si autem faciem Dei vidit, quomodo illam videre desiderat? quomodo pro gratia aliqua impetranda supplicat, cujus jam antè factus est possessor? Idipsum quoque S. Gregorius Papa miratur dicens: *Quid est, quod Moyses facie ad faciem cum Domino loquitur, & tamen Dominum obsecrat, ut faciem suam ostendat?* Quod desideratur, effectivè non possidetur, nam *desiderium est de bono non adepto ut ait* Angelicus; unde si illam vidit, quando *loquebatur facie ad faciem,* quomodo illam videre desiderat? Fortè id dicitur, quia *Deum videns, Deum semper videre desiderat?* Porro Abulensis existimat: Moysen per Ly faciem intellexisse gloriam beatam, quæ in Divinæ essentiæ visione consistit: *Per faciem notatur clara cognitio Dei: sive cognoscere Deum in se.* Imò ipsusmet Moyses idipsum expresse declaravit subjungendo: *Ostende mihi gloriam tuam.* Nunc igitur Dei responsum auscultate, dicit etenim: *Ostendam tibi omne bonum,* quod idem est, ac si diceret: Satiabo te per visionem gloriæ: veruntamen si rectè considero, Deus postea sibi contradicere videtur, & negare quod promiserat dicendo: *Non poteris videre faciem meam.* Quomodo nunc hanc difficultatem conciliabimus? Observare igitur oportet petitionem unius & concessionem alterius discordare tantum quo ad tempus: Moyses enim faciem Divinam, id est, gloriam beatificam videre cupiebat *de præsenti,* dicendo, *Ostende,* Deus autem hanc ei petitionem concedit *quantum ad rem*, ea verò illi negat quoad tempus *de præsenti*, promittit autem *in futurum, Ostendam.* Quasi diceret, tu quidem nunc videre velles, ne tamen id cogites, cum sit impossibile: *Non poteris videre faciem meam id est; gloriam meam*: In hac vita *non videbit me homo & vivet*: In altera verò vita firmiter me te consolaturum esse promitto, *Ostendam tibi omne bonum.* Sed replicabis fortasse, Deus non mensuratur tempore, nec ejus operationes aliquam à tempore dependentiam habent, sed omni tempore superior existens, nulli tempori subjicitur, ideoque apud eum idem est tempus futurum quod præsens; Quo igitur fine visionem beatam & Divinitatis suæ gloriam in tempus futurum alterius

Exod. 33. 13.

D. Greg. t. 2. in 1. Reg c. 10. f. 1005. G.

D. Thom. q. 26. art

Abul in cap. 33. Exod. q. 13. f. 263. col. 2. B.

vitæ differre ſtatuit? Ut proinde Toſtatus dicat: *Oſtendam tibi omne bonum, id eſt, Ego oſtendam tibi vitam beatam, licet non modo, ſed poſt mortem, in qua eſt totum bonum meum, ſcilicet quod do viris bonis, quia ibi efficio eos felices, alibi autem nequaquam.*

Abul in cap 33. Exod. f. 274. col. 2 I.

7. Difficultas hæc valdè ſublimis eſt & alta, unde ut illam aſſequamur, non oportet in vulgarium ſpeculationum humilitate ſubſiſtere, ac proinde ſuper montium vertices nos erigamus, ubi utique conceptus magis peregrinos inveſtigare poterimus. O quam eximius ille favor fuit, quem incarnatum Verbum in monte Thabor Petro, Jacobo, & Joanni exhibuit, de quo Matthæus ait: *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit eos in montem excelſum.* Voluit inſuper, ut humanitatis ſuæ ſplendores viderent: *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol.* Et hanc iis conſolationem conceſſit. *Vt præmuniret diſcipulos ne caderent animo, cum ipſum viſuri eſſent in monte Calvariæ cruci affixum.* Verum enimverò audite caſum valdè peregrinum. Pauperculi diſcipuli eximproviſo tantò timore & horribili trepidatione correpti fuerunt, ut Scriptura dicat: *Timuerunt timore magno, & ceciderunt in faciem ſuam.* Adeò ut remanſerint *exanimes, & ſeminamines*, ut ſcribit Maldonatus. Ut verum fatear hujus miri caſus cauſam vix perſuadere mihi poſſum, ſi enim in Chriſti Societate erant, quidnam timere poterant? Si in medio jubilo conſiſtebant, quam habebant trepidandi occaſionem? Fortè ſuſpicati ſunt nubem, quæ apparebat fulgure & fulminum ſagittis plenam fu ſſe, ſicut olim equus Trojanus armis & militibus gravidus erat? Num fortè terrentur audiendo reſonantem vocem paternam: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*? Ad eum fere modum quo Cardinalis Pelvæus Henrico urbem Pariſienſem ingrediente Lituum tubæ ſonum audiens ex turbatione infirmatus, & brevi tempore mortuus eſt? Nequaquam, quia vox Patris conſolationis erat, non verò afflictionis. Celtiberorum Legati ab Alexandro ad convivium invitati, atque ab eodem Heroe interrogati, quidnam reſpublica illorum quam maximè timeret, cum is eos ſe Alexandri generoſitatem præcipuè formidare reſponſuros eſſe crederet; illi è contra ſe ſemper metuere reſponderunt; ne cælum corruens eos opprimeret: *Ne cælum ruat.* Non credo quidem eandem cogitationem Apoſtolorum corda timore pariter & terrore imbuiſſe; quinpotius eos præ formidine in terram cecidiſſe credo, ut proinde Dei filius manu eos erigere, & voce animos addere debuerit dicendo: *Surgite & nolite timere*, quia nimirum ipſorum oculi gloriæ radios in Chriſti vultu reſidentes ſufferre minimè potuerunt. Adfert hanc opinionem S. Hieronymus dicens: *Humana fragilitas conſpectum majoris gloriæ ferre non ſuſtinet, & toto animo ac corpore contremiſcens ad terram cadit.* At verò quænam eſt hæc in vultu Chriſti apparens gloria, quæ ſimiles in Apoſtolis effectus cauſavit? utique non illa per quam ſancti in cælis beatificantur: *Non enim oſtendit ſuam Divinitatem, ſicut oſtendit ſanctis in cælo, atque eos beat*: ſed potius externa corporis gloria fuit, quæ Divinitatis ſuæ umbra ſolum erat: Ita volunt Tertullianus, S. Chryſoſtomus, S. Leo, & S. Damaſcenus: *Dicunt Chriſtum Apoſtolis oſtendiſſe gloriam externam corporis, quæ Divinitatis erat index, ut per eam quaſi per rimam, ſed corpore velatam aliquo modo gloriam & majeſtatem Deitatis aſpicerent.* Id quod ſancta Eccleſia in hymno feſti Transfigurationis confirmat, dum ſplendorem illum vultus Chriſti vocat: *Signum perennis gloriæ.* Et Maldonatus ait: *Non igitur Chriſtus Divinitatem ſuam, quæ corporeis oculis videri non potuit, ſed Divinitatis ſpeciem & corporis gloriam oſtendit.* Quod ſi igitur Apoſtoli ſolam gloriæ umbram & beatitudinis dumtaxat ſignum in facie Chriſti videndo adeò fuerunt perterriti, ut quaſi exanimes in terram ceciderint, facili negotio conſiderari poteſt, impoſſibile fuiſſe Moyſen tunc *de præſenti* ejuſdem faciei vel Divinitatis gloriam potuiſſe videre, cum dixit: *Oſtende mihi faciem tuam id eſt Divinitatem tuam*: atque ideo Deus illi reſpondit: *Oſtendam tibi omne bonum*, in altera vita & in futura, quia in hac præſenti eſt impoſſibile: *Non enim videbit me homo & vivet*, quantumvis etiam perſpicaci & purificato oculo ſit præditus, quia *nec oculus vidit.* Unde Abulenſis concludit: *Bonum, quod erat eſſentia, non fuit tunc revelatum, ſed poſt.* Hæc autem gloria quam Deus Moyſi promittit, quæque omnem in ſe bonum continet, eſt ea demmet, de qua ſuis diſcipulis loquitur, dum illam velut copioſam deprædicat dicens: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

Matth. 17.

Marcel. de Piſis. t. 2 ſerm. 2. Dom. 1 p. 1 hom. f. 58. col. 1.

Strabo. l. 7.

D. Hier. ibi t. 5. l. 3. in cap. 17. Matth. f. 48 col. 1. A.

Tertull. Chryſ. Leo. Dam. apud Corn à Lap ibid.

Ioan. Mald. ibi f. 359 col. 1. 8.

Abul in cap. 33. Exod. f. 174. col. 2. I.

8. Verum enimverò in vanum me laboraſſe experior, neque enim novi aliquid in medium adduxi, cùm apud omnes doctos certiſſimum ſit, quod oculus viatoris, utpote potentia corporea, *non poteſt ferri in objectum ſpirituale*, utpo-

Matth. 17.

Corn. à Lap. in c. 17.

Matth. v. 3. f 326. col. 1,

Matth. 17. Io. Maldon. ibid. f. 362. col. 2. C.

te sibi improportionatum. Quapropter elevemus nos nonnihil ad oculum beatorum & comprehensorum, qui est ipsorum intellectus, qui lumine gloriæ elevatus & confortatus, oculus est beatitudini quodammodo proportionatus. Propheta Regius considerans, quod in hujus miserabilis vallis profunditate nullum reperire bonum possit, quod verum sit & stabile, nec quietem aliquam quæ mille in se perturbationes non contineat, vultum suum in altitudinem cœli elevavit, rogando Dominum, ut sibi revelare dignaretur, quisnam adeò futurus esset fortunatus, ut intra sempiternas supremæ Jerusalem delicias habitare posset; dicens: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ad quæ verba Hugo Cardinalis dicit: *In patria erit habitatio & requies: in via autem est habitatio & non requies;* Et S. Remigius Antisidorensis ait: *Quis habitabit in excelso habitaculo, ut in illo Palatio cælestis Ierusalem, ubi magna est celsitudo, ubi nullus inimicus includitur; nullus amicus excluditur:* Dum hunc Psalmum nonnihil considero, duæ mihi circa eundem difficultates occurrunt. Prima est, quod S. Augustinus, nec non & S. Hieronymus loco *Ly habitabit* transferant *peregrinabitur.* Secunda, quod cælestis patria & gloriosa beatitudo tabernaculum appelletur. Quomodo enim beati in cælis velut peregrini esse dicuntur? Qui in aliquo loco peregrinus est, ibidem *per modum transeuntis* tantum subsistit: Beati autem in cœlis sunt *per modum permanentis.* Peregrinus pro brevi tempore in aliquo loco moratur, beati autem in cælis permanebunt in æternum. Peregrini extra patriam suam degunt, Beati autem in Paradiso, velut in propria patria morãtur: Præterea etiam obstupesco, quod David beatitudinem æternam Tabernaculum appellet: *Quis habitabit, peregrinabitur in Tabernaculo tuo?* Terminus hic mihi valdè improprius esse videtur; Nam S. Hieronymus dicit: quod *Tabernaculum non est firma domus: Tabernaculum non habet fundamentum, sed huc illuc mutatur; Et Tabernaculum est domus incerta.* Cœlum autem firma domus est: stabile habet fundamentum, quod Deus ipse est, nullis subjectum est variationibus: ipsi quoque beati in cœlo degentes certi sunt se nunquam illud amissuros, sed futuros esse illius possessores in æternum. Quo igitur jure Propheta Regius gloriam peregrinationem, beatos peregrinos, cælestem denique beatitudinem & gloriam Tabernaculum appellat? Responderi quidem poterit per illud Apellis cuidam discipulorum suorum pronunciatum effatum, qui postquam Helenam multis pretiosis ornamentis, auto nimirum, gemmis, & monilibus decoram, depinxisset, dixit ei: Quia nesciebas pingere pulchram, pinxisti divitem: *Apelles cùm vidisset quendam ex suis discipulo pinxisse Helenam multo auro ornatam, O Adolescens (dixit) cùm non posses pingere pulchram, fecisti divitem,* ut refert Clemens Alexandrinus: ita David cùm non auderet beatos, velut permanentes cœli cives describere, eosdem in habitu peregrini delineavit & beatitudinem ipsorum, non velut ædificium stabile, sed sicut Tabernaculum sine fundamento & stabilitate depinxit, ut de ipso quoq; dici possit: *Cùm non posset pingere cives, fecit peregrinos.* Veruntamen propinquius ad veram intelligentiam me accessurum existimo dicendo: Quod qui peregrinando incedit, novas semper semiats ingrediatur, diversas inveniat vias, regiones, civitates & Provincias nunquam hactenus visas perlustret, pari quoque modo intellectus beatorum, tametsi lumine gloriæ sublevatus capax sit, Divinam dividendi essentiam, & creaturas tam per cognitionem matutinam, *id est in verbo*, quam per vespertinam, *id est in seipsis*, non tamen potest uno eodemque temporis puncto *& simul, & successivè* (ut multorum Patrum Theologorum fert opinio) omne quod in ea relucet penetrare, sed omninò novarum revelationum recipiunt argumenta, dum scilicet semper infinita objecta cognoscenda & intelligenda supersunt. *Non necessario simul omnia à Beatis cernuntur, quæcunque vident in Verbo in principiis suæ beatitudinis, sed plura quotidie de novo absque ulla eorum visionis mutatione reali intuentur.* Ita multi docent Theologi. Verùm quænam est ratio, quod oculus sive intellectus Beati per cognitionem matutinam, aut *in Verbo* non videat, nec cognoscat *omnia simul, sed successivè per novas revelationes?* multæ equidem hujusce rationes in medium adduci possent, mihi tamen hæc unica sufficere videtur, quod nimirum merces gloriæ adeò sit copiosa, ut intellectus illius simul & semel recipiendæ sit capax: ideòque semper progreditur peregrinando de objecto in nova objecta, & de beatitudine in alia successivè beatitudinis motiva; dicitur quoque eadem gloria metaphoricè Tabernaculum: *Quia se habet ad modum tabernaculi.* Nam sicut Tabernaculum semper est in motu, & successione de loco

Pſ. 14. v. 5 *Hugo Card. ibid. f. 27. col. 2.* *Rèmig. Antiſſiod. in Bibl. PP. ſæculi 9. p. 2. f. 65 3. in Pſ. 14.* *D. Aug. ib. f. 18. col. 2. D.* *D. Hieron. apud Lorin. t. 1. in Pſal. f. 234. col. 1. B.* *D. Hieron. ib. f. 22. col. 1. F.* *Clemens Alex. l. 2. Stron.* *Ægid. Luſit. & Ægid. Rom. in 2 ſent. p. 1. diſt. 9. q. 1. a. 5. f. 425. col. 1. C. D.* *D. Thom. à Vill. in conc. 2. de D. Ildephonſo. f. 523. col.*

in locum! Ita cælestis gloria respectu intellectus Beatorum in continuo argumento consistit, dum scilicet à Deo in essentia Divina, frequentia revelationum novorum objectorum multiplicatur, idque nascitur, tum ab excellentia & magnitudine gloriæ, tum ab insufficientia intellectus beati, nam ut Apostolus ait: Gloria hæc tam ingens est & copiosa, ut eam *Nec oculus vidit.* Unde ut Scriptor quidam modernus ait: *Cælestis patria æterna beatitudo, hac de causa sub nomine tabernaculi & peregrinationis designatur.*

Did ac. de Cel. in Hesth c. 15 v. 16. §. 309. n. 5 f. 617. col. 1

9. Portò insufficientiæ oculi & intellectus, auris quoque inhabilitas subnectitur ab Apostolo, dum ait: *Nec auris audivit.* Cùm tamen majorem activitatem auris in audiendo habeat, quam oculus in videndo, hic enim non percipit alia objecta, quàm quæ præsentia sunt, auris verò & præsentia & præterita & futura, imò infinitos mundos, si Deus illos produceret: Et tamen S. Paulus autem quoque absolutè impotentem declarat, ut percipere possit magnitudinem gloriæ, quàm quia *copiosa est in cælis: nec auris audivit.* Joannes Baptista Dei Filium videns dexteram suam extendit, & indice manus eum duobus discipulorum suorum in sua secum societate stantium demonstravit, dicens eis: *Ecce Agnus Dei.* Qui subitò permoti obviam ei processerunt, eumque audientes sermocinantem, mira cor suum suavitate & dulcedine adimpleri censuerunt: Unde parati ad eum quocumque iret consectandum de loco habitationis suæ eum interrogarunt dicentes: *Rabbi ubi habitas?* quasi dicerent; desideramus ut habitationis tuæ locum manifestè nobis aperias. Multi equidem Scriptores existimant, desiderium suorum discipulorum non in eo stetisse, ut scirent locum habitationis præsentis, sed futuræ: Ita Zacharias Episcopus Chrysopolitanus, dum ait: *Vt habitationem æternæ mansionis nobis dignetur ostendere;* cujus quoque opinionis est Doctor Angelicus S. Thomas, dicens: *Quærunt ubi Christus habitet, quia ad hoc deberemus Christum sequi, ut per eum duceremur ad cælos, id est, ad gloriam cælestem.* Verbum autem Incarnatum devotam ipsorum curiositatem audiens, aliud iis responsum non dedit quam hoc: *Venite & videte*, quasi diceret, sequimini me dignas, virtuosas, & meritorias operationes faciendo, suo namque tempore idipsum scietis. Ita Origines, & Dionysius Carthusianus dum ajunt: *Venite bene agendo, ut de virtute in virtutem proficiendo, & videte Deum suaviter contemplando.*

Io. 1. 37

Zachar. Episc. Chrys. in Bibl. PP. t. 12. l. 1. f. 35. col. 1. A

D. Th. in c. 1. Ioan. lect. 15. f. 14. c. 2. A.

Orig. apud Dion. Cart. ib. f. 33. B.

Verùm O Redemptor meus, cur tu, qui sapientia es infinita, conformiter ad interrogationem ab ipsis factam non iis respondes? cur locum & qualitates habitationis tuæ illis non manifestas? Cur de magnitudine, de positura situs & aliis similibus domum tuam attinentibus circumstentiis coram eis non dicis? fortè siles de illis, eo quod sciri non mereantur?

10. Priusquam ad id respondeam, alium quendam præsenti proposito non incongruum ab eodem Joanne Evangelista pariter relatum casum auscultate. Post varios namque discursus quos Verbum incarnatum cum discipulis suis miscuit, tandem plura alia profunda mysteria iis revelanda habere concluſit: *Multa habeo vobis dicere*, multa profectò ea tamen sub silentio præterit & tacet: Unde dicit: Sed, sed, sed; At quid? *Non potestis portare modò.* Ubi advertendum, quod non dicat, Non possum vobis omnia explicare, sed vos non potestis capere: adeò ut insufficientia & inhabilitas *se teneat ex parte discipulorum.* Et rationem reddit Franciscus Titilmannus dicens: Factum id esse *ob rerum divinarum magnitudinem*, quasi diceret, manifestare vobis debeo arcana Paradisi, & cælestis gloriæ magnitudinem vos docere; tanquam Deus illam quidem patefacere possum, at verò certus sum aures vestras ad illam percipiendam insufficientes esse, adeò est ingens, superexcedens & copiosa. Ac proinde. *Non potestis portare modo, quasi dicat* (explicat Hugo Cardinalis) *Non quia insufficiens Doctor sim, sed non potestis portare modò, id est, non estis adhuc capaces.* Ecce igitur tibi plenam difficultatis superioris insinuatæ intelligentiam: Christus enim ut Deus poterat quidem discipulis Joannis referre habitationis suæ, id est, gloriæ beatæ circumstantias, at verò quia sciebat illas aurium suarum facultatem excedere conformiter sententiæ Apostolicæ. *Nec auris audivit*, ideò id facere prætermisit. Unde Beda & Alcuinus: *Ideò non dixit Christus ubi habitaret, sed illos ut venirent, & viderent invitavit, quia habitatio, id est, gloria Christi videri quidem potest, verbis explicari non potest* Non quidem respectu Christi ut Dei, sed respectu discipulorum Joannis, quorum aures incapaces erant: *Nec auris audivit.*

Io. c. 16.

Ibid.

Franc. Titilm. ib f. 250.

Hugo. Card. ib. f. 381. col. 3

Beda

Alcuin. apud Maldon. ib. fol. 1295. col. 1. n. 1. 14. C.

11. Glorientur proinde alii quantum libet de superbissima habitatione, quam magnus Cham in civitate Cobalu possidet, scilicet illam quadrangulari muro cinctam fuisse, cujus singulæ

gulæ quatuor partes se extenderint ad octo milliaria in longitudinem, adeoq; magna fuerit, quanta est civitas Romana in circuitu. Penitius ingredienti autem alia quædam occurrat habitatio sex milliaria per circuitum continens, in cujus medio palatium quoddam ab octo aliis minoribus palatiis circumdatum, in quibus conservantur arma & munitiones bellicæ Plus ultra procedenti occurrit alius districtus quatuor muris inclusus, quorum singuli ad quatuor milliaria se exsendunt, in quo præter palatium majus alia quinque alia palatia minora per circuitum ædificata videntur, in quibus maxima cum diligentia magni Cham custodiuntur vestimenta. Intra spatia verò omnium recensitorum morum arbores semper virescunt fructiferæ, sub quibus inter flores cervi & hinnuli, aliaque animalia muscum & zibettum olentia ludere vidē-tur. Aula Regia viginti quatuor aureis sustinetur columnis, variisque sculpturis famosissimis & historiis bellicis opulenta conspicitur. Nec desunt horti deliciosissimi, nec piscibus refertissimæ piscinæ. Ærarium denique in vasis, aliaq; ex auro & argento conflata suppellectile constit. Asserant quoque alii adeò vastum & ingens esse Regis Chinæ palatium, ut septuaginta novem contineat conclavia, adeò tamen spatiosa, ut iis videndiis integer dies non sufficiat, è quibus quatuor præ cæteris minimè stupenda sunt, eò quod primum ex mero ære, secundum ex argento & auro, tertium ex lapidibus pretiosissimis omnigeni coloris, quod nos Mosaicum diceremus, ultimum verò ex parietibus ex gemmis & margaritis compositis fabricatum sit. Celebretur quoque Magni Domini Zipanguensis Insulæ Orientalis præclara habitatio, utpote præ omnibus aliorum Principum totius mundi palatiis sumptuosissima & opulentissima, utpote quæ ex puro auro passim per omnia loca contecta est, sicut altiora ædificia apud nos plumbo cooperiuntur, item quod tabulata superiora aularum vestita sint lapidibus aureis, pavimenta quoque ex puro auro sint strata; nihil enim hæc omnia quantumvis pretiosa sint, ad Dei nostri habitationem conferunt, quia minima pars habitationis Dei nostri omnes Monarcharum Regias, Principumque terrenorum palatia incredibiliter excedit. Quodvis pretiosum metallum & gemmæ præstantissimæ in comparatione ad aurum gloriæ, plumbo vilius apparet, & margaritæ luto abjectiores: Uno verbo cum Doctore Angelico dicere sufficiat: quod *Habitatio Dei sive gloria agnosci non potest, nec verbis explicari.* Et cum S. Paulo Apostolo: *Nec oculus vidit, nec auris audivit.* Idque ab ineffabili ejus magnitudine procedit: *Merces vestra copiosa est in cœlis.*

Marcus Polus l. 2. c. 6. f. 14. fac. 1. & 2.

Anton. Pigafel. de rebus fin. l. 3. c. 2.

Marcus Polus l. 3. cap. 2.

D. Th. in c. 1. Ioan. lect. 15. f. 14. col. 2. A.

12. Verùm enimverò ex quo jam sufficienter perceperimus intellectus oculos, beatitudinem æternam non posse comprehendere, nec aures ad eam capiendam sufficere, videamus saltem an beatorum linguæ illam nobis possint repræsentare & exprimere. Sed nunquid auditis Alcuinum, Bedam, & S. Thomam dicentes, *verbis explicari non potest?* Respondebitis fortassè id de viatorum, non verò de comprehensorum linguis intelligendum esse. Ego autem replico, beatitudinem æternam omnibus linguis creatis penitus esse inexplicabilem. Dicite enim sodes ô Beati, num hunc nobis favorem præstare poteritis, ut de gloria, quam possidetis, aliquam nobis relationem faciatis: Scio etenim vos amicos nostros esse, qui omnibus casibus & petitionibus nos consolari non dedignemini. Alios namque invenire non possumus præter vos, qui beatitudinis possessores estis, neque fruimini, ut devoræ curiositati nostræ satisfaciamus; Agedum igitur respondete nobis: magno cum desiderio expectamus, ut aliquid saltem voce hac de re à vobis intelligere possimus. Tacetis ne? Num fortè occupati estis, & linguam divinis laudibus adhibetis? Si felices estis, ad minus inciviles non eritis. Unicum dumtaxat verbum magni vobis constare non potest. Et vos tacetis? Ergò preces nostræ, ne quidem ad unam responsiunculam à vobis impetrandam sufficiunt? Longè urbaniores vos credidissem, ac de facto experior, nec imaginari mihi possum hujus vestræ taciturnitatis causam: neque enim vos muros esse credo. Num fortè vetitum vobis à Deo est, nos vel verbulo alloqui. Nolo igitur deinceps ad eos loqui, qui respondere mihi nolunt. Nos igitur ô Auditores ad invicem conveniamus investigando pertinacis hujus silentii rationem. Scio etenim gloriam cælestem in Scriptura facta sub metaphora aquæ & vini repræsentari: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos; fluminis impetus lætificat civitatem Dei: Inebriamini charissimi,* adeò ut beati bibentium instar gloriâ fruantur. Cùm autem in cœlo nequaquam bibatur, improportionatæ hæ metaphoræ mihi esse videntur.

Alcui. Beda. D. Tho.

Psal 16. Cant. 5.

Argue

Atque ideò ut verum fatear, non satis penetro mysterium. Attenti autem estote; ex sequenti enim historia aliquam ejus expositionem nos habere posse videmur. Non quidem legi, sed ab aliis id referentibus intellexi : Pictorem quendam famosissimum, peregrinum viatorem sub ardentissimo caniculæ æstu iter facientem vivacissimis coloribus in tela delineasse : Quem ardenti siti, tum ex caniculæ fervore, tum ex itineris prolixitate vexatum depinxit, veluti ad limpidum quendam fontem consistentem, positisque super marginem manibus atida labra undis infigentem, avideque bibentem, idque tanta cum cimmetria & proportione, ut ars naturæ palmam præripere velle videretur. Multi pictoriam artem profitentes pictutam viderunt, omittere non valentes, quin illam velut opus admirabile & dignum summis laudibus celebrarent. Et tametsi eadem curiosissimè, summaque cum attentione observata fuisset, nullus tamen fuit, qui vel minimum nævum aut capillum in ea carpere, aut reprehendere potuisset. Unus portò fuit qui cùm illam ad satietatem videre non posset, dixit : Adeò opus naturaliter factum est, ut præter solum sermonem illi opinione mea nihil desit. Mox inventor operis respondit, an non vides quod bibant? bibentes autem loqui non possunt, sine igitur illos abunde satis sitim suam extinguere, & mox illos audies respondentes. Beati in Paradiso ex inexhausto gloriæ flumine perenniter bibunt, & quasi bibendo suavissimo beatitudinis vino fruuntur : *Inebriabantur ab ubertate domus tuæ, & torente voluptatis tuæ potabis eos.* Cùm igitur actualiter bibentes loqui non possint, quid mirum si non respondeant? Perenni enim divinæ essentiæ fonti immersi sunt, atque ideò, ne verbum quidem formare possunt. Unde Patres Theologi docent, quod *Beati videntes Deum non formant verbum.* Atque ideò David dixit: *Exultationes Dei in gutture eorum, Quia vox laudis & exultationis primo formatur in gutture*, inquit Carmelitanus incognitus. Sinamus igitur eos quietè bibere, nam ubi saturati fuerint, nos uriq; aliquo responso consolabuntur. Saturati fuerint? Nolite credere illos saturandos esse, nunquam enim bibendo & fruendo satiantur; nam ut ait Ecclesiasticus : *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Adeoque postquam biberunt, adhuc sitiunt, dumque ad sitim restinguendam bibunt, eandemmet longè magis adaugent. Unde dicere : *Qui bibunt, adhuc sitiunt*, idem est, ac si diceretur : Beati quidem gloria fruuntur, sitis autem desiderii nunquam in ipsis extinguitur, sed semper sine nausea plus bibere cupiunt, nec bibere desinunt, quamdiu ad divinæ essentiæ fontem pretiosis cælestis beatitudinis liquoribus frui possunt. *Qui bibunt, adhuc sitiunt*, id est, inquit Eusebius Emyssenus, hom. 3 de Epiph. in Bibl. PP. f. 549 col. 2. B *Beatitudo est bibere ipsam bonorum cælestium sitim.* Unde Beatus: *Impleri scit, nescit expleri, ut quantum captivitate augetur, tantum aviditate deficiat*

13. Unde nullam prorsus spem concipere possumus, quasi futurum sit, ut Beati aliquam nobis beatitudinis notitiam ministrare possint. Adeò enim hæc est copiosa, quod : *Nec oculus vidit, nec auris audivit*, Imò quod *Nec lingua valet dicere, nec litera exprimere.* Transcendit namque omnem oculorum, intellectus, auriumque potentiam & omnis linguæ activitatem.

14. Et tamen non obstante quod homo optimè sciat, quam ingens, copiosa, inexplicabilis & ineffabilis sit illa gloria, nihilominus idem homo eandem gloriam pro nihilo perdere minimè curat. O stultum quendam conceptum, ob momentaneam voluptatem, ob effrænem quendam libidinem bonum amittitur infinitum. Dic autem mihi ô homo quisquis es, unde depravatus adeò gustus, quo cælestem illam beatitudinem ita nauseas, enascitur? Num fortè illam talem esse non credis, qualis ab Ecclesia, Evangelistis, Sanctis & ipsomet Dei Filio describitur? Talem in te infidelitatem latere mihi persuadere non possum. *Vnde hoc*? Interrogat sanctus Thomas a Villa nova : *Nunquid ex incredulitate : Non utique. Et credimus, & scimus, & nulla de hoc est nobis ambiguitas.* Unde igitur fit, quod cùm illam pro nihilo consequi possimus, illam tamen haud secus ac pugillum terræ, vel luti nihili faciamus aut æstimemus? *Vnde ergo tam miserabilis contemptus terræ desiderabilis*? Dicam id tibi, ait idemmet Archiepiscopus Valentinus : Gloria illa spiritualis est & cælestis, tu verò corporeus, atque ideò bona terrena appetendo, contemnis cælestia : *Quia Regnum illud spirituale est, & tu carnalis & venundatus sub peccato* Certus es, quod ad consequendam supernam illam beatitudinem opus sit, ut odium deponas, usuras & quodvis illicitum lucrum dimittas, malam quoque & suspectam societatem, cui tot annis cum exiguo tuo honore, maxima Dei offensa

D. Th. 1. p. q 12. a 2. f. 33. col. 1. Ægid. in quod lib. 5. q. 9 f. 65. Ps. 148. Mich.

Alguani. ib f. 1084. col 2. C.

Eccl. 24. v. 9.

S. Th. à Vill u Dom. Quinq. f. 93. col. 1

Idem ibid.

fensa & incredibili animæ detrimento assueviſti, deseras; *Et ideo in corde carnali non fit impressio, neque sigillatio illius boni, præpediente duritia peccatorum.* Legitur in historiis, quod Anastasio Imperatori in carnali dissolutione admodum licentioso, homo quidam dormienti apparuerit, librum & pennam quandam in manu tenens dicens ei: *Ob peccata tua deleo quatuordecim annos vitæ tuæ*: deterius autem tibi continget, nam propter peccata tua gloriæ æternitatem amittes. Unde si una cum Beatis in Paradiso gaudere desideras, *declina à malo*, ut monet Propheta Regius, desere peccata, vitam muta & Christianam vitam agere contende. Quid præterea? *Fac bonum*, operare benè, operibus meritorijs vaca, præcipuè verò operam dato charitati, erga pauperes faciendo Eleemosynam, huic enim virtuti præmium regni cælorum, & æternæ beatitudinis propriè spondetur, nam *Beati misericordes.* Alfredus quondam Rex Angliæ, cùm ab æmulis suis mortem ei machinantibus regno exutus esset, ut vitæ consuleret, repentinam ingressus est fugam, adeò ut pro [illegible] suæ sustentatione præter unicum panem aliud nihil secum in viâ sumere potuerit. Cumque in itinere pauperem pro amore Dei Eleemosynam poscentem obvium haberet Alfredus, mendici illius miseriæ compatiens, atque ad proprias necessitates oculos claudens panem illum, in quo spem diei illius pro vitæ suæ conservatione positam habebat, benignè ei donavit. Quid accidit? Intempesta nocte ei dormienti sanctus Cuthbertus Episcopus Lindispharnensis apparuit, ei dicens: Quod Deus ob erogatam pauperi eleemosynam subditorum suorum animos, ut eum denuò in Regem susciperent disposuisset, ac proinde secure reverteretur, futurũ enim, ut tanquam talis reciperetur cum plausu & acclamatione ab omnibus, pro uti reipsa accidit: *Alfredus enim inde ad regnum meritò revocatus.* Pro uno itaque pane integrum accepit regnum. Quod si igitur Regnum cœleste acquirere contenditis, prout haud vos dubiè facturos esse credo, pauperibus eleemosynam erogate. *Et vestrum erit Regnum cælorum.*

Idem ib. Marcel. de pisc. t. 4. in indice hist. A. col. 1

Marcell. de Pise t. 4. in indice hist. lit. A col. 2.

Andr. Chesneus in hist. Angl. sub anno 88. f. 191. col. 2.

PARS SECUNDA.

15. INcredibile est quàm ampla & vasta sit cordis nostris capacitas: Ac proinde Scriptor quidam modernus ait: *Cogitatio in cælum ascendit, in infernum descendit, purgatorium visitat, gehennam penetrat, ad terram regreditur, montes pertransit, maria navigat, per septem mundi regiones vagatur, errat per aeris sphæram, nubes transcendit, elementa pertingit, mundi egreditur limites, & mille mundos fabricat.* Et tamen ad gloriam Beatorum capiendam vasculum est nimis angustum, haud secus ac concha quædam respectu totius amplitudinis vasti Oceani: vel sicut granum Milii in comparatione spatiosarum & immensarum sphæratum cœli: Unde modernus quidam scripsit: *Tam magna est cælestis felicitas, ut sensus corporis, & animæ potentias transcendat*, quod consonat cum illo Apostoli: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Sistamus igitur nonnihil, ut cordis nostræ incapacitatem melius considerare possimus.

Ioan de Cartag. t. 1. l. 8. hom. 7. f. 578.

Ant de Escob t. 6. l. 12. c. 5. in Matth. sect. 1. f. 23. v. 47.

16. De oleo in Scriptura sacra bis mentionem fieri invenio, veruntamen magna cum differentia & disparitate: semel in testamento veteri & vicissim in novo. Elisæus Propheta paupertis illius viduæ miseriæ, quæ ei ob debita, & mortem mariti acciderat, compatiens, motus est, ut ad ejus se domum recipiens, quodlibet ab ea postulatum subsidium libenter se laturum obtulerit dicens: *Quid vis ut faciam tibi?* Interea verò ipsi de oleo abundanter prospicere decrevit, ac proinde dixit, ut vicinas suas conveniens plurima sibi ab iis vasa mutuaret: *Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca.* Postquam autem secretius & remotius domus suæ conclave ingressi fuissent, Elisæus Propheta à Deo impetravit, ut non solùm omnia adimplerentur, verum etiam supereffluerent. Ecce omnia vasa abundantissimè repleta, *cumque plena fuissent vasa, &c.* Nunc oleum consideremus, de quo in novo Testamento sermo est, & utriusque observemus differentiam. Quinque Virgines quæ dicebantur stultæ è domibus suis se recipientes, locum quendam adierunt, in quo magna cum festivitate & splendore sponsi cujusdã celebrabantur nuptiæ. Quia verò nocturno id tempore fiebat, lampades suas habebant, quæ tamen, postquam non multum progressæ essent, ob olei defectum fuêre extinctæ. Unde alias quinque virgines interpellarunt, ut ipsas abundantis olei sui redderent participes dicentes: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur.* Illæ autem petitum oleum negarunt sese excusantes, dicendo: Quod vix quantum quod sibi ipsis sufficeret olei haberent, adeò ut si de hoc aliis distribuerent,

4. Reg 4. v. 2.

Ibid. v. 3.

Ibid. v. 6.

Matt 25.

indubitatè & ipsæmet defectum passuræ essent: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* Unde stultis defuit oleum, ipsarumque lampades ab omni oleo exinanitæ remanserunt, sapientes autem ejusdem olei tam exiguam habuere quantitatem, ut meritò metuere potuerint, ne idipsum quoque illis eveniret. Hoc suppositò attentè utriusque olei disparitatem & oppositionem ponderate. Oleum virgineum adeò modicũ fuit, ut ad implendas ipsarum lampades non sufficerit, ac proinde fatuis vacuæ, aliis verò quasi vacuæ remanserint: Tales sunt terrenæ felicitates & beatitudo mundana; Non enim hæc sufficit ad implendam lampadem nostram, id est, corda nostra, quæ semper remanent vacua: Oleum autem Elisæi superabundavit, & è vasibus supereffluxit, adeò ut illius capiendi incapacia fuerint: per quod significare voluit nobis Spiritus Sanctus, oleum cælestis beatitudinis adeò esse superabundans & copiosum: *Merces vestra copiosa est in cælis*, ut corda nostra nimium sint angusta, quam ut illud capere & continere possint: *Nec in cor hominis ascendit.* Ehem quam benè punctum istud Hugo Victorinus tetigit, cum ait: *Habet oleum Deus, habet oleum mundus, ad oleum Dei vasa deficiunt, oleum mundi in vasis deficit. Oleum Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præsentium; illa sufficit, ista deficit.*

Hugo Vict. in 1 mis cell. cap. 5.

17. Anna sanctimæ vitæ mulier & uxor Elcanæ sterilis existens, in continua vivebat mentis amaritudine, eò quod nullum è cœlo filium impetrare posset: *Dominus concluserat vulvam ejus*, eratque tam ingens ejus afflictio, ut à planctu nunquam cessarit, neque ad sumendum cibum induci potuerit; *Flebat & non capiebat cibum.* Tandem verò Deus pietate erga ejus miseriam commotus filium ei concedere disposuit, qui vocatus est Samuel, factusque est Propheta eximius & magnus Dei servus. Unde & ipsa debitæ gratitudinis non immemor maximas divinæ Majestati gratias persolvit, canticum suum componendo quod incipit: *Exultavit cor meum in Domino: Et exultatum est cor meum in Deo meo.* Non dubito quidem lætitiam & exultationem sanctæ hujus mulieris suam à data sibi filii masculi consolatione habuisse originem; veruntamen lætitia illa de cœlo quoque & à Deo ei concessa fuit, ac proinde dicit: *Exultavit cor meum in Domino.* Unde Angelonius ait: *Cor enim non in rebus transitoriis exultat, quia potest quis gaudere de carnalibus, non gloriatur ex jucunditate terrenarum rerum, sed in Domino.* Notandum autem quod septuaginta Interpreres loco ly *exultatum est*, legatur *confortatum est*, qui terminus quidam est activè lumini gloriæ conveniens; passivè autem intellectui Beatorum, *Quia intellectus Beatorum confortatur per lumen gloriæ.* Unde licet gaudium è fœcunditate & filio dato conceptum ingens fuerit, attamen cum beatitudine cœlesti & Beatorum gloria comparari nequit. Et tamen oportuit ut Deus prius illius cor confortaret, sicut per lumen gloriæ intellectum Beati confortat ad hoc, ut cor ejus consolationis illius capax esset; nam nisi prius cor ejus confortasset, *sed exultatio cordis confortationem anteverteret, præ lætitiæ amplitudine penè defecisset.* Nunc igitur argumentum a fortiori faciamus, quod si cor Annæ incapax erat jubili cujusdam adeò vulgaris, qualis erat, qui ex fœcunditate & concesso filio nasci poterat, nisi Deus primo illud confortasset: *Confortatum est cor meum*; Quomodo igitur immensitatis gloriæ, quæ *copiosa est in cælis* capax esse poterit? Unde ad hoc propositum Philo sapienter concludit dicens: *Non enim sicut Deus ad benefaciendum natura propensus est, ita creatura ad capienda beneficia. Illius enim potentia longè superat, at hujus infirmitas impar est eorum magnitudini, succumberetque nisi Deus pro cujusvis portione moderaretur suam gratiam.* Quam igitur manifestè vera apparet S. Pauli Apostoli doctrina docentis: Cor nostrum vas esse nimis angustum, quàm ut cælestis felicitatis oleum capere possit. *Nec in cor hominis ascendit.*

t. 9 f. 906. col. 2. E. Septuag. interp.

Did. de Cela. in Esth. c. 15. v. 16. §. 308. f. 615. col. 2. v. 9.

Philo de mundi ædificio.

1. Reg. 2. v. 5.

Ibid. v. 7.

2. Reg. c. 2.

Angelonius tb. in Bibl. PP.

18. O igitur nos felices, si à divina benignitate nobis permissum fuerit, ad minus drachmam vel stillam, vel radium quendam cælestis beatitudinis participare? Spero autem firmiter adimplendum esse desiderium nostrum, dummodò pro ejus consecutione ex parte nostra fecerimus quod oportet. Veruntamen quid est, quod hoc fine faciendum nobis incumbit? Nunquid id auditis? *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Paupertas igitus spiritus in cœlo recreatur. Zeno magnus ille Philosophus prius Mercator quidam erat opulentissimus, qui cùm omnes divitias & merces suas majoris lucri causa in exteras nationes perducendas, magnæ cuidam navi imposuisset, expansis velis per mare discurrens, in scopulum quendam impegit, adeò ut naufragium patiens, cunctas merces & divitias suas amitteret, fieretque ex opulentissimo pauperri-

Matth. c. 5

mus

mus mendicus; sed fortè illum non nemo desperasse existimabit? Nequaquam, imò fortunæ gratias egit dicens: Benè sibi factum esse, ac proinde se Deæ fortunæ plurimum obligatum esse, eò quod à mercatura se ad Philosophiam avocasset: *Benè facis fortuna, quæ me ad Philosophiam vocas.* Longè excellentiorem in nobis effectum paupertas spiritus operatur, nam amittere divitias & spiritu ad minus pauperem esse, est se habilitare non ad studium Philosophiæ, sed ad consecutionem cælestis gloriæ. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quod si tamen medium istud tibi arduum nimis, nimis & difficilè videretur, hoc alio uti poteris, scilicet: *Beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Meminisse namque debemus cælum fortalitium quoddam esse, pro quo possidendo dimicandum nobis & certandum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Referunt historiæ, quod Rege Lusitaniæ sine hæredibus mortuo, multi Principes Regnum ejus habere prætenderint, singulis sibi jus competere præsumentibus. Philippus autem Hispaniarum Rex cum ingenti & numeroso quodam exercitu in Lusitaniam profectus regni illius possessionem cœpit. Postea verò monetas cum hisce effigiebus cudi fecit, nimirum ex una parte repræsentabatur vir quidam, vel miles armatus, in cujus hasta, quam dextra tenebat, corona quædam erat, quæ Lusitaniæ Regnum repræsentabat cum hac in Periphiria inscriptione: *Qui volet*: Quasi diceret, quisquis ad hanc coronam & Lusitaniæ regnum aspirat, ad bellum se præparet: *Si quis cupidus est regni, de pugna cogitet.* Et tu cum divitiis malè acquisitis, cum vitæ commoditatibus, cum deliciis terrenis regnum cœlorum acquirere & beatitudinem æternam possidere temerè præsumis. Num fortè ad illius beatæ gloriæ possessionem perventurum te credis, per dissolutiones gulæ, per absurditates crapulæ, per luxus mensuram ex omnibus epulis, quas humana desiderare potest ingluvies, lautissimè præparatarum? Fames tibi & sitis patienda est, prout fecerunt Apostoli: *Beati qui esuriunt & sitiunt.* Si secus feceris, idem tibi præsagio, quod Leonides Dux Græcorum militibus suis prædixit, nam paulò antequam cum copia trecentorum armatorum innumerabilem Xerxis aggrederetur exercitum, lautum illis præparavit convivium dicens: *Prandete hic commilitiones in inferno cænaturi.* Vos ipsi historiam hanc applicate & abite in pace.

Paulus Aresi de tribul. lect. 11. f. 174. v. 32.

Matth. 11. v. 12.

Matth. 11. v. 12.

Marcell. de pisc. t. 1. in festo

Assumpt. sect 2 f. 547. co. 1.

Apud Corn. à Lap.

SERMO TRIGESIMUS QUINTUS.

IN FESTO

PRÆSENTATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.
Lucæ cap. 11.

Paul. Orosius in t. 5. Bibl. PP. l. 4. c. 5. f. 357 col. 2. H. Vine.

1. IN diversis mundi partibus multi reperiuntur admirandis virtutibus prædili fontes, qui effectus quoque non minus extravagantes parturiunt: Horum unus in Lotaringia scaturiebat tempore Benedicti Papæ septimi, qui sanguinis rivos evomebat. Alius quidam huic non absimilis Genuæ scatuisse legitur sedente Joanne duodecimo. Patitet in Britannia tempore schismatis Clementis cum Gregorio septimo visi sunt è fontis cujusdam sinu sanguinis scaturigines enasci. Tholosæ quoque alius quidam inventus, qui inte-

Belua. hist. l. 24. c. 66.

Bapt. Fulg l. 1 c. 4, de prod.

Vinc. Belluac. hist. l. 20. c. 54. Amb. Berez. Anno Dom. 1555 Sax. Gram. præfat. Dam. hist.

integro quodam die vice aquæ Anno 460. sanguine manavit. In mundo novo in Bajæ civitate quæ vocatur sancti Salvatoris, dum prosumptuosæ cujusdam fabricæ ædificio fundamenta effoderentur, & arborem quandam immensæ magnitudinis evellerent, fons quidam aquarum non solùm dulcium, sed etiam copiosarum & salutiferarum ex improviso apparuit. In Insula Hiberniæ non minus sterili, quàm frigida fons quidam est semper fumigans, & quidquid ab hac exhalatione contingitur in lapidem protinus transformatur. In territorio Carrinensi in Hispaniis duo fontes erumpunt, quorum unus ejicit, alter verò absorbet quidquid in eum injicitur. Apud Garamantas fons quidam est, cujus aquæ de die adeò frigidæ sunt, ut potari non possint, de nocte verò adeò ebulliunt, ut intractabiles evadant. Juxta Senas fons quidam repertitur sanctæ Petronillæ appellatus, qui aquarum edendarum valdè parcus est, sunt autem aquæ fontis illius admodum salutiferæ, & magna cum devotione potantur, eò quod non nisi semel in anno emanare videantur, id est, à primis vesperis prædictæ Sanctæ, & conservantur usque ad secundas; postea verò fons exsiccatus manet usque ad Annum sequentem. In civitate Novocomensi fons quidam originem suam trahit, qui per saxa ex alto descendens Larium fluvium ingreditur, & in continuo est incremento & decremento, dum successivè nunc crescit, mox verò decrescit, semperque à semetipso varius demonstratur. Nunquid admodum peregrina cuilibet videbitur fontis Cambaiæ in Indiis Orientalibus natura, cujus aquæ decrescente Luna crescunt, eadem verò crescente, decrescunt. In radicibus montis illius, qui littori maritimo correspondet, ubi Timanus submersus est, fontes aliqui videntur, cujus aquæ cœlo sereno se subducunt & abscondunt, & vix videri se sinunt, cœlo verò nubilo & turbido in tanta copia scaturiunt, ut superabundantes per omnia circumque loca diffundantur.

Plin. l. 2. c. 103. Bart. Cassan. Cat glor. in p 12. cons. 18 f. 257 co. 3.

Pli. Iun. Epist. apud Surram t. 4.

Ludov. Barth. de rebus Ind. l. 1. c. 1. Simon Majol. colloq. 13. f. 612.

2. In mystico sanctæ Ecclesiæ horto sic appellato per Spiritum sanctum hisce verbis: *Hortus conclusus* (in quo Sancti Dei sunt arbores & flores, qui eum adornant, eumque gratum & jucundum efficiunt: *floribus ejus nec rosæ, nec lilia desunt*, inquit Venerabilis Beda serm. 18. de de Sanctis.) Cypressi sunt Apostoli, Prophetæ Cedri, olivæ Patriarchæ, Martyres rosæ, Narcissi Confessores, Anachoretæ Hiacinthi, Liliа virgines, &c. in quorum medio fons quidam situatus est, qui tum ob limpiditatem, tum ob copiam aquarum omnium spectantium attrahit applausus, de quo Spiritus Sanctus: *Fons hortorum, Puteus aquarum.* Et hic quidem fons beatissimæ Virginis, maximæque Dei Matris mysticum est symbolum: *In medio hortorum Beata Virgo Maria, ut fons maximè insignis voluptatem singularem sui præstat aspectu.* Vel cum Ruperto Abbate apud Gh. ib. fol. 712. col. 1. *D. Fons hortorum dicta est Beata Virgo Maria, quia ex ipsa ortus est Christus, fluvius ille quo irrigatur universa terra*: Fons hic est divinarum aquarum copiosus, quæ à sancto Hieronymo serm. de Assumpt. Beatæ Virginis Mariæ t. 9. fol. 71.) appellantur *Aquæ Divinæ gratiæ, cujus plenitudini nullus aliorum fontium totius mundi comparari potest.* Fons hic plenus est gratia sapientiæ increatæ, de qua mulier hæc Evangelica exclamavit: *Beatus venter qui te portavit.* Ad hunc fontem Verbum Incarnatum purum pretiosi lactis Virginei argentum epotavit: *Beata ubera quæ suxisti.* O fontem, O Mariam! O fontem, sed aquis plenum! O Mariam, sed gratia cumulata, *Maria gratia plena.* Joan. Bapt. Fulg. lib. 1. cap. 6. de mirabil. De fonte quodam Basilicatæ legitur, eum tantum esse silentii amicum, ut solis tacentibus aquas suas offerat. Vos quoque ô Auditores, si de fonte labiorum meorum Evangelicæ doctrinæ aquam desideratis, dicentem me cum attentione & silentio auscultetis.

Cant. 4. 15. Mich. Ghisl. in c. 4. Cant. v. 15 fol. 710. col. 2. E.

3. *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Certus sum quod Esdræ nequaquam adeò difficilè & arduum esse visum fuerit, ponderare flammas, metiri ventos, vel efficere ut dies præteritus redeat (quæ ei quondam ab Uriel Angelo proposita fuerant, quando ei hisce verbis præcepit: *Pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem quæ præteriit.*) Quantùm mihi difficilè erit & arduum fontis hujus profunditatem, & aquarum, quas continet quantitatem posse mensurare. Aliqua saltem ratione adhuc contentus & quietus in animo essem, si promittere mihi auderem, quod vel unicam aquæ illius stillam perfectè vobis repræsentare possem; ut ex ea quantitatem & magnitudinem reliquæ aquæ arguere, vobis non esset difficilè. Interea tamen hac difficultate non obstante, de ea meliori quo possumus modo discurramus, quantùm videlicet talenti mei mihi permiserit utilitas. Gratia igitur duobus modis considerari potest, vel tan-

Luc. 11.

Esdra l. 4. v. 5.

quam

quam causa finalis, ob cujus respectum multæ operationes fiunt; & hoc quidem sensu dicere solemus: *Bene mihi est propter te*, prouti Abraham conjugi suæ dixit, *id est, ob gratiam tui.* Vel ut Genes. 12. 13. Patres Theologi docent, pro dono quodam supernaturali accipitur, cujus virtute creatura intellectualis vel rationalis Deo placere dicitur. Hæc autem gratia varia est & multiplex, scilicet increata, quæ est ipsemet Deus; & creata. Et hæc vel est gratia sanctificans, quæ Deo nos gratos efficit: vel est gratia quæ *gratis data* vocatur, cujusmodi sunt dona Spiritus sancti, respectu quorum is qui ea possidet, opera supernaturalia patrandi facultatem habet, id est, prophetandi, aut faciendi miracula. Quodlibet autem genus gratiæ ex jam recensitis in Maria invenitur, habetque tantam omnium illarum gratiarum plenitudinem, quantam imaginari nobis possumus. In ipsa namque in primis gratia illa fuit, quæ à gratia finali neutiquam differt; siquidem Deus in gratiam Mariæ peccatoribus nunc peccata condonat, nunc justè promerita hujus vitæ flagella suspendit, nonnunquam etiam eadem suspendit in altera, dum eos quos condemnaturus erat ad æterna supplicia, clementer salvat & Paradiso donat. In ipsa quoque gratia fuit, in quantum illa tanquam donum supernaturale consideratur, per hanc enim Deo ipsam eligere, & præ quavis alia pura creatura amare, & gratam habere complacuit. Ac proinde Archangelus ei dixit: *Ave gratia plena.* Circa quæ verba sanctus Hieronymus dicit: *Bene ait plena, quia cæteris per partes præstatur gratia; Mariæ verò se tota infundit plenitudo gratiæ.* Denique nec gratia increata destituta fuit, id est, ipsomet Deo, teste Gabriele Archangelo dicente: *Dominus tecum.* Tametsi enim Deus in ipsa non fuerit *per unionem Hypostaticam*, in ipsa tamen fuit, quando *per unionem hypostaticam naturam assumpsit humanam.* Et hoc sensu sanctum Anselmum locutum esse existimo, quando ait: *Bene sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore.* Et sanctus Chrysippus Hierosolymitanus serm. de sanctâ Maria. *Gratia plena, quia tecum est universæ gratiæ thesaurus.* Postremo gratiam habuit, in quantum hæc Spiritus sancti dona connotat, prouti ei à Paranympho cœlesti clarè fuit insinuatum, dum ait: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Unde sanctus Athanasius serm. de Deipara: *Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus; Atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod impletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret.* Hunc igitur fontem, non solum gratia plenum, verum ipsius quoque gratiæ authorem in virginali utero suo comprehendentem, mulier hodierna Evangelica celebravit, exclamando: *Beatus venter qui te portavit Synedochoe est*, (inquit Maldonatus) ibid. fol. 1047. num. 16. col. 1. *quia pars pro toto ponitur, ita ut quod mulier effata est de utero, intellexerit de Virgine Maria.* Unde affirmare possumus: *Fuit hic venter (id est Maria) Templum, Thalamus, Calum, Thronus gloriæ filii Dei. Cogita ergo quantis gratiæ donis fuerit exornatus venter, ut dignus fieret Deo.* Corn. à Lap. ibid. f. 135. co. 1.

4. Excellens est sancti Thomæ dogma; quod quantò anima aliqua Deo vicinior est, aut conjunctior, tantò majores gratiæ gradus ab eo participet, idque docet in hoc se axiomate fundando: *Quantò aliquid magis approximat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii.* Et hoc sensu sanctus quoque Dionysius Areopagita de cœlesti Hierarch. cap. 4. docuit: *Quod Angeli quo sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines.* Unde quæcunque inter omnes creaturas Christo vicinior est atque conjunctior (qui *est principium gratiæ secundùm divinitatem authoritative, secundum humanitatem verò instrumentaliter*) eadem quoque super quaslibet alias creaturas de gratia magis participabit. Hanc autem Mariam fuisse certissimum esse deprehendemus, si per gradus unionis cum Deo gradatim discurrere incipiamus. Horum autem graduum præcipuè sex sunt, scilicet *Creationis*, quo sensu creatura conjuncta est suo Creatori, sicut effectum cum sua causa. *Cognitionis*, qui consistit in actu intelligendi & cognoscendi Deum, sicut objectum à nobis quamdiu viatores sumus per lumen fidei intelligibile. Item *Dilectionis* mediante amore, qui cum sit virtus unitiva, nos cum Deo unit, velut amorum cum amante. Deinde *Glorificationis*, qui à visione beatifica nascitur, quæ animas beatorum unit cum objecto beatifico in patria clarè viso. Præterea *Maternalis Conceptionis*, qui in sola Maria reperitur, quia ut ait Arnoldus Carnotensis: *Caro Christi est caro Mariæ.* Denique sextus gradus est *personalis unionis.* Et hæc unica tantum est, suppositi nimirum divini cum humanitate Christi. Cum igitur intensio graduum gratiæ arguatur ex ipsa unione cum Deo, ut docet Doctor Angelicus, sequitur manifestè quod cum Virg. Mar. præ D. Th. 3. p. q. 27. f. 247. co. 8. n. 40.

Bern. Buss. p. 12. de Coron. Mariæ f. 300. col. 1.

D. Hier. ser. de assump. 9. f. 69. B. & 70. C.

D. Ansel. in Luc. l. 2. c. 2.

Eut. c. 1.

quavis alia creatura cum Deo conjuncta sit incomparabiliter secundùm primos quatuor gradus, & insuper per quintum gradum, utpote nulli alteri Creaturæ convenientem, dici quoque debeat ipsum fontem quendam fuisse, continentem copiosiorem aquam gratiæ, quàm quivis alius fons vivens post Christum Redemptorem: Estque hæc doctrina sancti Thomæ dicentis: *Beata Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: Et ideò præcæteris majorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.*

D Th. ubi supra.

5. David de certo quodam flumine sibi optimè noto loquens affirmat, quod impetus ejus ingentem civitati Dei lætitiam adferat: *Fluminis impetus*, ait, *lætificat civitatem Dei.* Ac proinde distinctius scire desidero, de quonam flumine Propheta loquatur: Fortè de flumine quodam Lydiæ, quod Hermus appellatur, quod variorum parens & genitor est metallorum? Aut forsitan de Arimaspo, qui arenas continet aureas? De Idaspe qui gemmas producit? Vel de Tago, aut Partolo? Aut vero eritne unus è quatuor fluviis, qui è terrestri paradiso suam ducunt scaturiginem? quales sunt Phison, Geon, Tigris, vel Euphrates? vel fortasse Odera Pomeraniæ fluvius erit, qui pro varietate & qualitate ventorum, nunc in dulcem transmutatur, nunc in salsum, moxque salsedinem deserens amissam recuperat dulcedinem: Vel erit fluvius Sabbathius, qui per Palestinæ campos discurrit, & dilatatur, & solo sabbathi die, veluti diem illum sanctificare volens, cursum suum sistens, in terræ viscera sese abdit, de quo proinde Plinius affirmat, dicens: *In Judæa rivus sabbathis omnibus siccatur*? Non credo etiam flumen illud de quo Psalmista loquitur, simile fuisse illi, quod Narvia appellatum totam cingit Lithuaniam, quod non solum hoc sibi proprium vendicat, quod venenosos serpentes in sinu suo non admittat, verum etiam à suo illos districtu procul arcet. Ac proinde cujusvis alterius prodigiosi fluminis proprietates præteriens, dicendum existimo, Davidem de cœlesti quodam flumine fuisse locutum, quod scilicet suam à Spiritu sancto trahit originem. Unde sanctus Augustinus in Psalm. 45. fol. 92. col. 3. H. dicit: *Qui sunt isti impetus fluminis, nisi inundatio illa Spiritus sancti?* Aqua enim qua copiosissimè est referta, non est alia, ut affirmat Remigius Episcopus Antisiodorensis, in Bibl. PP. p. 2. læc. 9. fol. 952. col. 1. C. quam *abundans gratia Spiritus sancti.* Civitas autem Dei unde hæc aqua gratiæ scaturit & inundat, Maria est; juxta Carthusiani expositionem dicentis. *Civitas Dei latificata est Maria*; Omnes autem hæ expositiones ab Hugone de sancto Charo simul combinatæ reperiuntur, dum ait: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, potest hoc exponi de beata Virgine sic: Fluminis impetus id est obumbratio Spiritus sancti, latificat civitatem Dei, id est, beatam Virginem in qua habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter.* Notandum autem hoc loco est, qua ratione aqua gratiæ in Mariam descendat; Dicitur enim: *Fluminis impetus* id est, *ad modum non rivuli, sed fluminis.* Et cum impetu, ad eum modum, quo flumen impetuosè decurrens, significat, magnam in se contineri aquarum plenitudinem. Propheta igitur regius inferre voluisse videtur, quod flumen Spiritus sancti in civitatem Dei Mariam cum summa gratiæ plenitudine decurrat; adeò ut cum alii sancti illam stillatim participent, *in Mariam tota se infuderit gratiæ plenitudo.* Estque hæc ponderatio sancti Vincentii Ferrerii, qui ita scribit: *Fluminis impetus, quia totum flumen divinarum gratiarum effusum est super eam. In sanctificatione aliorum sanctorum infunditur una gutta, quia unus sanctus habuit unam guttam gratiæ, alius aliam? At in Virgine Maria fluminis impetus.* Unde mulier hæc Evangelica sive hæc Martha, fuerit, sive Marcella, Virgineum Mariæ uterum considerans veluti fontem è flumine Spiritus sancti, aqua gratiæ refertissimum, eundem celebravit exclamando: *Beatus venter qui te portavit.*

Psal. 45. Io. Rau. in off. verbo Fluv. f. 418.

Carth. apud Io. Lorin. in Psal. 45. v. 5. f. 932. col. 1. E. Hugo f. 120. col. 4.

D Vinc. Fer ser. 1. in Nativ. Dei ante med.

Luc. 1.

6. Verum dicat fortasse aliquis, quod beata Virgo Maria fons quidam gratia plenus esse dicatur, *Gratia plena*, non videtur talis esse prærogativa, quæ in solam Mariæ gloriam redundet, cum multos quoque alios sanctos habeamus, qui in Scriptura sacra gratia pleni fuisse dicuntur; sic enim de Zachariæ conjuge dicitur: *Elisabeth repleta est Spiritu sancto.* Similiter de Joanne præcursore dicitur: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* De Stephano quoque Prothomartyre: *Stephanus plenus Spiritu sancto.* De Apostolis item: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Et de multis aliis, prout in Scripturis expresse apparet: adeò ut plenitudo gratiæ non sit sola Mariæ proprietas; Ex bono nãq; loco scimus, quod id *quod est proprium alicujus non potest aliis convenire.* Pro hujus itaque difficultatis intelligentia advertendum est hoc simile.

Luc. 1.

Act. 6.

Ibid. A.

Ibid. 4.

simile. Ponamus enim duo vasa, quorum unum Parvum, alterū verò supra modum vastum sit & magnum, maximæque capacitatis; utrumque impleatur ad summum usque aqua, ita ut utrumque sit plenum, in tali casu vas maximum præ alio minori incomparabiliter majorem aquæ copiam continebit. Et hæc quoque est disparitas plenitudinis gratiæ, quæ in aliis SS reperitur & in Maria: *Pleni Stephanus Paulus, & reliqui Apostoli, sed tanquam rivuli, qui in comparatione fontis quasi nihil aquæ continere videntur.* Et Ægidius Romanus: *Mariæ data est gratia secundùm totius subjecti capacitatem, non autem ad mensuram, ut datur cæteris ab ea.* Atque ideò de ea affirmare possumus, quod scilicet dicatur *Gratia plena per anthonomasiam.* Sicut Tullius Orator; Virgilius Poeta; Aristoteles Philosophus. S. Thomas Angelicus, Gregorius Magnus, Augustinus Theologus &c. Pari namque ratione plenitudo gratiæ est prædicatum quoddam sive titulus, vel honor qui post Dei filium B. Virgini Mariæ per antonomasiam id est, eminenter & per excellentiam convenit. (Sic igitur in ratione gratiæ ita excelluit reliquos Sanctos beata Virgo Maria, ut appellationem ipsam plenitudine gratiæ vendicet sibi. Præterea responderi quoque potest cum Maldonato, alios Sanctos Spiritu sancto plenos fuisse, id est, aliqua cœlestis Spiritus gratia, vel dono particulari, nimirum fortitudine, sapientia, prophetia, aut patrandi miracula, &c. (Qui Spiritu sancto impleti dicuntur, non ipso Spiritu, sed dono aliquo Spiritus, quod sese foris in faciendis signis, aut alia re quapiam mirabilis ostendat, dicanturque impleri:) beata Virgo autem non unum duntaxat donum vel plura habuit, sed plenitudinem omnium & singulorum. (Ita Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatus divini adsunt, imbuens eam gratia, ut in omnibus gratiosa esset atque idcircò gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus sancti omnibusque gratiis abundaret.

7. Opinione mea inter omnes Isaiæ Prophetæ à Deo concessas revelationes præclarissima fuit illa, quam de monte quodam altissimo, qui domus Dei appellabatur, habuit, qui in cæterorum montium vertice situatus erat, mons enim ille longe est quoad mysteria opulentior, quam fuerit mons ille Arabiæ felicis, in quo magnus Sultanus suos conservat thesauros: *Et erit*, inquit, *præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Atque ideò de monte hoc affirmari potest: quod *in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, scientiæ & omnipotentiæ Dei.* Verum inquies, de quonām monte Propheta eo loco loquitur? Quis est mons iste tot cælitus favoribus cumulatus? ad hoc ut tanto evidentius qualisnam mons iste sit, intelligere valeatis, brevem quandam instituam præcipuorum magisque admirandorum montium enarrationem. Mons Peruate vastissimus & maximus est, continens in longitudine circiter mille millaria, à Chito ad Cuzo usque se extendit, ac tandem in interiori sinu suo viam quandam Lapideo pavimento stratam, & viginti quinque pedes latam continet. Mons Atho hanc in se proprietatem habet, quod vitam conserver, & usque in annos 150. feliciter prolongat, qua prærogativa aliorum montium incolæ & habitatores minimè gaudent. In sinu montis cujusdam à mari centum cubitis distantis anno 1460 navis quædam integra, omnibus necessariis instrumentis affatim instructa inventa est, quadraginta in se continens hominum cadavera, seu cadaverum ossa. In regno Balastiæ mons quidam est adeò altus, ut integer dies ad eum conscendendum minimè sufficiat, in vertice autem ejus campi sunt amæniissimi, delitiosa prata, herbæ, flores, fructus, arbores, feræ Sylvestres, aquæ limpidissimæ, ac tandem quovis totius anni tempore ver est perpetuum in eo & continuum. In Polonia majori prope Sueno mons quidam est vasa generans quibusvis necessitatibus commoda, haud secus ac si arte facta fuissent: *Olla, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vasa fictilia sponte nascuntur.* Tres sunt in Perside situati montes, quorum unus ab altero haud procul dissitus est. Transeundo primum montem, confusarum vocum audiuntur tumultus, haud secus ac si aliquod hominum millia acriter inter se dimicarent. Propius autem ad secundum accedendo, eædem voces augeri & incendi audiuntur, sed distinctius: Denique tertium transeundo, audiuntur in eo suaviter & per choros inter se concinentes. Verum enimvero nullus horum est mons ille de quo Isaias loquitur: quia *nullus est mons in orbe ita conspicuus, ut sit in vertice omnium montium.* Et tametsi nonnulli inter sacros Expositores velint per montem hunc mystice nobis repræsentari Christum Dominum nostrum; alii vero Ecclesiam: Nihilominus sanctus Gregorius Propheram de beata Virg ne locutum fuisse dicit: *Potest autem hujus montis nomine beatissima*

Io. Cart. l. 5 hom. 3 l. 1. f. 388. Ægid. Colum. in Sal. In f. 11. col. 3. in pri.

Pet. Hisp. p. 5. c. 25. Plin l. 7. c. 48.

Pet. Hisp. p. 2 c. 11. Marcus Polus. l. 1. c. 25.

Cromer. Polon. de ser. l. 1.

Clemens Alex. l. 6. strom.

Mic. de Pal. ib f. 56. col. 4. D. Greg. l. 1. c. 3.

Io. Mald. ib. f. 867. n. 95. c. 1.

D. Auth. serm. de Deipara.

Ludovic. Barl. in reb. Arsel l. 2. c. 8. Is. c. 2. 2.

Reg.t.2. f.840. Idem in Ezech.l. 1.t.2.ho. 13.f.131. G Gloss. ibid. f.co.1.B.

tissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari. Per alios autem montes quibus hic mons innititur alii sancti intelliguntur: *Sancti vir i montes jure vocantur, quia per vitæ meritum ad cœlestia propinquaverunt*, inquit sanctus Gregorius. Quod consonat cum hisce verbis Glossæ: *Angeli, Prophetæ, Patriarchæ, Apostoli, Martyres, & alii qui miraculis effulserunt.* At verò ut revelatio montis hujus nostro fiat proposito accommoda, scire percuperem quidnam Propheta per hunc montem super alios montes positum velit esse intelligendū. Num fortè innuere vult Mariam omnes alios transcendere sanctos? Nemo est qui idipsum inficiari ausit. Nec tamen etiam necessum erat, ut Isaias idipsum notificaret, utpote quod omnibus notum est atque perspectum; Ideoque ad speculationem quandam magis raram & peregrinam mentem nostram erigamus.

Psal.86.

8. Magnus Israelis Rex David de fabrica quadam valdè digna, magnifica & sumptosa scribens: Fundamenta ejus præcipuè laudibus celebrat: dicens: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Quibus in verbis hæc solum reperitur difficultas, quonam videlicet hæc particula *ejus* referatur? Certum etenim est, quod in illo psalmo de nullo alio locutus esse reperiatur. Unde sanctus Augustinus ib. f 208. col. c. D. meritò quærit, dum ait: *Quomodo dicitur ejus, de quo nihil est dictum.* Et sanctus Hieronymus ib. f. 146 F. *Non prædixit cujus, & dicit fundamenta ejus.*

Hugo ib. f.225.co.1.

Cardinalis Hugo Chatensis de gloriosa Virgine particulam illam exponit, dicens: *Fundamenta ejus, id est beatæ Virginis.* Loquitur enim de gratia quam habet, quæ fundamentum est ædificii spiritualis. Fundamentum autem appellat, quia verba illa de eo quod in primo gradu gratiæ humillimum & minimum est, intelligit: Quod licet cum aliis gradibus gratiæ quos habet, comparatum, humillimum sit & minimum, comparatum tamen ad gradus gratiæ ab aliis sanctis habitæ, licet supremi illi sint, omnibus illis majus est. Adeoque infimus gradus Mariæ altissimos, supremos, & sublimissimos aliorum montium, id est sanctorum gradus longè excedit: *Per montes sanctitatis, altitudines virtutum omnium intellige*, inquit Cajetanus ib. f 144 fac. 2. Et Felix Pratensis ibid. cum Cajetano legit: *In montibus sanctitatis*, sanctitatis nimirum *in abstracto*, quæ nullam imperfectionis umbram quantumvis minimam includit: Insinuare nobis volens, quod humillimus & infimus gradus gratiæ Mariæ major est maximis, generosiorque maximè heroicis quos sanctitas in suo habet ærario. *Fundamenta ejus, id est beatæ Virginis*, inquit Hugo ubi supra, *in montibus sanctis, id est in Patriarchis, & Prophetis, & Regibus, ex quibus originem traxit sicut patet in Genealogia ejus.* Et alius quidam Scriptor hunc sanctitatis, quæ filia est gratiæ passum exponens, subjungit: (Quid est hoc quod ait: Fundamenta ejus in montibus sanctis? Certè non aliud si rectè intelligere & explicare velimus, nisi quod infimum est Mariæ, aliorum supremum fuit, atque adeò vertex & apex, mimirum suprema aliorum sanctitas, initium quoddam sanctitatis & gradus infimus in Maria.) Eenimvèrò hactenus in sententia illorum fui, qui, dicunt: *Quod non datur unicus intellectus.* id tamen nunc retractandum censeo, siquidem adverto Prophetam Isaiam ne minimum quidem ab intelligentia Davidis discrepasse, quando nobis se montem quendam in altitudinem aliorum montium in spiritu prævidisse refert. Unde hujus montis, qui est Maria, pars infima, id est infimus gradus gratiæ situatus est *non quidem loco vel situ sed dignitate & sanctitate* supra maximæ aliorum sanctorum gratiæ florem, & apicem; facilè est conjicere & consequentiam deducere de omnibus aliis gradibus quos acquisivit, quique ei per totum vitæ suæ cursum à Deo fuerunt concessi. *Et erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Ubi sanctus Gregorius Papa ait: *Potest autem hujus montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari: mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ altitudine transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis evexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis diebus præparatus, &c. Mons quippe in vertice montium fuit quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit.* Et quidem quod de sanctitate dicitur, de gratia quoque affirmatur, quia ab illa hæc præsupponitur.

Plac. Nigidius opusc. 4 ser. 4 f. 329.

D. Greg. t 1. l. 1. m 1. Reg. c. 1. f 840. F.

9. Eliezer Abrahæ servus abiens ad eligendam Rebeccam Isaaco adolescenti in sponsam, multa secum munera & dona, ex auro, gemmis, & margaritis ei donanda attulit: *Prolatisque vasis argenteis & aureis, ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere.* Quasi dixisset Rebeccæ: in signum affectus illius quo à Domino meo amatis, & in sponsam ejus eligeris, hæc tibi mulierum pulchertimæ Dominus meus mittit, obtestor itaque

Gen. 24. v. 53.

que te, ut ea grataner & reverenter accipere dig-
neris: *Optima & electa, hoc est, res pretiosæ, jocalia*
Lippom. *aurea, & lapides pretiosi,* inquit Lippomannus.
Cum igitur Beatissima Virgo sponsa fieri debue-
rit Spiritus sancti & mater verbi incarnati, quot
qualesque gemmas, margaritas, aliasque divitias
Angelicus Eliezer Sanctissimæ Trinitatis no-
mine ei adferre debuit? utique plenitudinem
quandam gemmarum, lapidumque pretiosorum
id est gratiæ & gratiarum. *Ave gratia plena,* in-
D. Chry- quit Chrisippus, *quia secum est universus gratiæ*
sippus *Hie. ser. de* *thesaurus.* Et Venerabilis Beda, *Soli Mariæ hæc sa-*
B. V. Beda *lutatio servabatur: Bene enim sola plena gratia di-*
in conc. *citur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat,*
Luc. *consecuta est.* Præterea quis est, qui nesciat, quot
gratiarum donis domus probi illius viri Obede-
dom appellati à Deo repleta fuerit, ex eo duntaxat capite, quia tribus tantum mensibus Arcam
Testamenti hospitio suscepit? *Et habitavit arca*
2. Reg. 6. *Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensi-*
bus; & benedixit Dominus Obededom & omnem
domum ejus. Atque ideo cum Maria domus futu-
ra fuerit, in qua non arca, sed ipsemet Dei Filius,
non tribus tantū, sed novem mensibus commo
raturus erat, conveniens utique erat, ut omnibus
à Deo repleretur gratiæ thesaurus, fieretque *Gra-*
tia plena. Cui proinde meritò cum pientissima
illa muliere Evangelica acclamare possimus, di-
August. *Hieron.* *Emiss.* *Dam.* cendo: *Beatus venter qui te portavit* Unde Sancti
Bern. apud *Mald. c. 1.* Patres Augustinus, Hieronymus, Emissenus, Pe-
Luc. f. trus Damianus, & Bernardus dicunt: *Quia mox*
867. col. *Conceptura Christum erat, gratia plena vocatur,* ô
1. c. fontem Chrystallinarum aquarum copiosissi-
mum! ô Mariam gratia plenissimam! ô ventrem
cœlestibus benedictionibus cumulatum!

Matth. 1. 10. Postquam castissimus Joseph Beatissimam
sibi virginem desponsasset, eamque uterum ferre
& gravidam esse conspexisset, secretè se ab illa
subducere decrevit: *voluit occultè dimittere eam,*
inquit sacer textus, unde cum cor sanctissimi Se-
necionis non vulgari quodam timore oppres-
sum esset, Deus Angelum quendam cælitus mit-
tere debuit, qui eum consolaretur, omnemque ab
eo timorem abigeret. Qui proinde ad eum ve-
Ibid. niens dixit: *Noli timere accipere Mariam conju-*
gem tuam, quasi diceret. Dic Sodes ô Joseph, quid
est quid times? Te etenim virum justum imò
integerrimum esse probe novi, qui nullum de
tua conjuge concepturus sis sinistrum judicium,
utpotè quam eximia sanctitate præditam esse
certo credis, ac proinde persuadere mihi nequa-
quam possum, aliquam tibi unquam cogitatio-
nem incidisse, qua ipsam ex lapsu quodam con-
taminatam fuisse existimaveris: *Absit hæc suspi-* *Ioann.*
cio à viro tam probo de Virgine tam sancta Un e *Mald ib f.*
igitur ingens hic metus & pavor nascitur? Timor *58. col. 2.*
Est metus mali impendentis. A Maria autem nil *v. 19.*
præter bonum in te derivari potest, aut potuit.
Vel ut cum Aristotele loquamur: *Timor est ex-* *Cic. l. 4.*
pectatio mali. Tu autem à sponsa tua nil nisi con- *Tusc. 4.*
solationes expectare poteris. Qua igitur ratione *Arist. l 2.*
timor aliquis pectus tuum invadere potuit? Ti- *Eth c. 4.*
meat Saul Regni jacturam, Philisthæi stragem, *Io. Rav. in*
Holofernes mortem. Timeat Dionysius, Ty- *off. Timor.*
rannus Syracusanus, ne aliena manus aut ferrum
vultui suo nimium appropinquet. Heliogaba-
lus ex tumultibus militaribus totus pavidus, se
abscondere cogatur in immundissimis cloacis.
Nerva quoque ob suspicionem quandam Do- *In Polian.*
mitiani jam mortui perterritus in vultu impal *Th. Timor.*
lescat, & vox faucibus hæreat, imò periclitetur
vita ipsius, donec ejus securitati à Parthenio
consulatur. Midas denique ex somnio exterre- *Paul.*
factus violentis sibi manibus mortem accersat. *Arcs. de*
Tu autem ô Joseph quid times, cujus quietam *Tribul.*
mentem nullum ex prædictis motivis aliquos *lect. 42. f.*
adsciscere turbines valet? Omnino existimo, *690. n.*
ô Auditores, nec me falli credo, hunc Josephi *40.*
timorem suam ex summa qua Virgineam con-
sortem suam prosequebatur, reverentia habuis- *Orig. & D.*
se originem: *Eodem prorsus modo* (ut putant *Bern. apud*
Origines & Bernardus) *quo Petrus dixit Chri* *Mald in*
sto: Exi à me Domine, qui homo peccator sum; *c. 1. Matt.*
Et Centurio ille: Domine non sum dignus ut in *f 38. col. 1.*
tres sub tectum meum. Hi namque veræ luci *C.*
proximè assistentes, sibi tenebræ esse videntur,
in conspectu sanctitatis Christi constituti ma-
ximos se peccatores esse censebant. Ac proinde
similes quoque esse videbantur discursus Jose-
phi, ac si dixisset: Plane Virgineam hanc spon-
sam meam fontem quendam gratia plenum es-
se animadverto, ideoque me ejus societate in-
dignum esse declaro: Gratiæ suæ gradus adeo
magnos & heroicos esse cognosco, ut memetip-
sum per comparationem ad eam considerans,
me omnis gratiæ expertem esse judicem; ac pro-
inde indignum me reputo, qui ejus deinceps sim
contubernalis, eique inserviam, tutius mihi futu-
rum judicans, si bona cum resolutione ab ea me
subduxero. *Voluit occultè dimittere eam. Joseph ju* *Orig. in*
stus erat (inquit Origines) *& virgo immaculata,* *c. 1. Matt.*
sed ideo illam dimittere volebat, quoniam virtutem in Vigilia
mysterii, ac Sacramentum quoddam magnificum *Nativit.*
eadem cognoscebat, cui approximare sese indignum *Domini f.*

118. col. 1. existimabat. Ejusdem quoque opinionis B. Bernardus fuit, dum ait: *Indignum & peccatorem se reputavis, dicebat intra se, à tali & à tanta non deberi sibi ultra familiare præstari contubernium, cujus supra se mirabilem expavescebat dignitatem.*

D. Bern. c. 1. hom. 2. super missus est f. 30. A.

11. Punctum istud à Psalmista regio ingeniose admodum confirmari videtur, quando dicit: *Thronus ejus sicut dies cœli.* Nulla quidem est difficultas aut ambiguitas, quin per hunc thronum incarnati Dei Matet intelligatur, in qua velut in throno novem menses continuos resedit. Veruntamen circa hoc duæ mihi difficultates occurrunt. Prima est, cur Thronus iste virginis diei cæli comparetur: Secunda, cur non diei terræ similis esse dicatur. Ambas igitur examinemus, scio etenim quod pulchrum in iis deprehendemus mysterium. *Sicut dies cœli.* Cum bona igitur Psalmistæ licentia liberè dicam quod sentio. Videtur itaque mihi nullam prorsus esse inter thronum & diem proportionem, ac proinde Psalmistam congruentius locutum fuisse, si Thronum regium auro, argento, vel gemmis, aut alteri cuidam materiæ diviti, & pretiosæ dixisset esse similem. Sicut enim argentum verum quoddam puritatis est symbolum, ita quoque purissima fuit Virgo Maria. Item sicut aurum Charitatem nobis repræsentat, ita quoque ferventissima fuit Virgo Maria. Sicut Fides, Spes, & Charitas B. Virginis nunquam in vita extincta fuit, itaque quoque Thronus hic Virgineus sub lapidis Asbesti metaphora exprimi debuisset, hic namque semel accensus nunquam extinguitur. Adhæc cùm Beata Virgo tot stellis adornata fuerit, quot erat decorata virtutibus, aut verò quot illam Joannes Evangelista in capite redimitam & coronatam esse vidit, longe aptius videri posset assimilari potuisse lapidi Sirtiti, utpotè cujus sinus quoddam esse videtur stellarum æratium. Insuper ex quo B. Virgo verbum incarnatum absque ulla accedente viri opera peperit, ideoque ante partum, in partu, & post partum Virgo permansit, cur illam non sub metaphora lapidis Gasidani repræsentat, siquidem is in Media nascitur, & sine ullo aliorum lapidum commercio quovis trimestri multos parit alios lapides. Præterea cum aliorum Sanctorum in se merita contineat, mirum est, quod hunc thronum Psalmista repræsentaturus, illum non potius per figuram lapidis qui Esse contalytus appellatur, exprimit, utpotè qui sexaginta gemmarum colores in se continet. Secundò cur in hoc mystico & animato Throno repræsentando, potius illum diei cœli, quam diei terræ similem esse dicit? Forte quia dies cœli sunt æterni, dies verò terræ transitorii? Ita quidem opinatus est S. Augustinus, dum ait: *Alii sunt dies cœli, alii sunt dies terræ. Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentes excluduntur, nec qui succedunt manent, sed veniunt, ut eant, & pene antequam veniant, eunt: Dies autem Cœli nec initium habent, nec terminum, nec ullus dies ibi augustatur inter hesternum & crastinum: Nemo ibi expectat futurum, nemo ibi perdit præteritum, sed dies cœli semper præsentes sunt, ubi erit Thronus ejus in æternum.* Hanc quidem magni Patris mei doctrinam simul & admitto & veneror: vobis tamen non ingratum futurum confido, si sub aliorum scriptorum ducatu, aliam quandam ponderationem, ad hujus, quam tractamus, materiæ propositum magis accommodam in medium adduxero. Invenio igitur in Sacra Genesi Moysen magnam statuere differentiam dum de diebus cœli, & terræ diebus sermonem instituit. Dies namque terræ ex Luce & tenebris permixti esse noscuntur, ita ut in his incipiant, in illa verò terminentur: *Et factum est vespere & mane dies unus, &c.* Dies verò cœli tenebris carent, nam in Luce incipiunt, cum Luce progrediuntur, ac demum in Luce terminant (fere illos nunquam terminandos esse dixissem, cum sint æterni:) *Dies Cæli splendent, Lucent, & fulgent,* inquit quidam Modernus, & Remigius Antisiodorensis, dum ait: *Sicut dies cæli, id est, in claritate permanent, detersa omni noctis caligine.* Porro alii Sancti tanquam dies terræ vespere quoddam habuerunt & mane, id est, gratiæ quidem habuere Lucem, simul tamen etiam tenebras habuere, quæ quædam sunt Lucis privatio, ut S. Augustinus docet dicens: *Et revera qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nil aliud invenit, quam Lucis absentiam: ita igitur dictum est: Tenebræ erant super abyssum.* Et quidem tametsi nonnulli fuerint, qui in vitæ suæ decursu hasce tenebras vel gratiæ privationem non habuerunt, illas tamen in instanti Conceptionis nequaquam potuerint effugere, ut videre est in S. Joanne Baptista, & aliis. Lucem autem sine ullis omnino tenebris habere, id est, gratiam sine ulla privatione, etiam pro instanti Conceptionis, solius Mariæ privilegium fuit, atque ideo cœli, non vero terræ dies fuit. *Tronus ejus sicut dies Cæli.* Ita enim constanter gratiam habuit & retinuit, ut ne quidem pro unico duntaxat instanti ejus privatione obnoxia fuerit: *Alii sanctli dies terræ dici*

Ibid. l. 14. c. 4.

Sol. c. 7.

Plin. l. 37. c. 10.

Sol. c. 34.

D. Aug. in Psal. 88. f. 208. col. 3.

Gen. 1.

Lor. ibi. f. 856. col. 1.

Remig. Antiss. Episc. in Bibl. PP. tom. 9. p. 2. f. 791. col. 1. B.

D. Aug. in Gen. ad lit. f. 109. col. 3. 1.

D. Ambr.

D. Aug. apud Silv. t. 1. l. 1. c. 3. q. 2. n. 21.

dici possunt, qui incipiunt in vespere & caligine originalis peccati, terminantur vero in Luce & die gratiæ: At Thronus Dei beatissima Virgo, dies est cæli, semper in gratia micat & fulget, nulla peccati obscuritate nec initio, nec fine obfuscata est, ajunt magni Sanctæ Ecclesiæ Doctores Ambrosius & Augustinus.

Guiliel. Durand. in rat. div. off. l. 7. c. 23. f. 131. col. 4. A.

12. Veruntamen ad magis particularia nonnihil, si placet, descendamus, computum sive calculum quendam gratiæ instituendo, quam Maria habuit, quando & quoties de Sanctissimo altaris Sacramento communicavit. Etenim Beatissima Virgo post Christi in cœlos ascensum, annis viginti quatuor in hoc mundo vixit, id est, ab anno 48. usque ad 72. vel ut alii volunt usque ad annum 73. Veruntamen persistamus in opinione eorum, qui illam usque ad annum 72. vixisse affirmant. Hi autem supra dicti 24. anni continent 8866. dies, atque in his, ut multi Scriptores affirmant, quovis die matutino tempore Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum infallibiliter in communione accepit. Cum igitur in qualibet communione tantam obtinuerit gratiam, quanta correspondebat activitati actuum amoris erga Deum, qui tales in ipsa erant, ut omnem habuerint intensionem & excellentiam, quæ ad superlativum quendam perfectionis gradum requiritur, hinc est, quod non solum credibile, verum etiam certissimum, quod in prima communione, ipsa sola majori arserit amore & devotione, quam universa Ecclesia simul conjuncta; juxta cujus amoris & devotionis mensuram, gratiam quoque proportionaliter acquirebat, siquidem ut Patres Theologi docent, & speciatim tradit Beatus Laurentius Justinianus: *Gratia correspondet amori.* In secunda autem communione diei sequentis augendo Charitatem, effecit ut in se quoque duplicata fuerit gratia Divina; Et sic consequenter quovis die successive faciebat, quotiescunque pane se reficiebat Eucharistico, nam sicut secundo die crescentibus actibus Charitatis in duplum præ actibus primi, gratia quoque in duplum multiplicabatur, præ gratia primi diei: ita quoque actus tertii diei in duplum augebantur præ secundo, & gratia similiter; Et actus quarti diei vicissim in duplum multiplicabantur præ actibus diei tertii, & cum illis certatim quoque tantundem crescebat & gratia. Et sic consequenter discurrere vobis liceat, usque ad complementum dierum octies millium, octingentorum, sexaginta sex.

B. Laur. Iust. ap. Suares. ut infra.

13. Porrò tametsi impossibile sit speciatim scire, quot habuerit gradus Charitatis & devotionis prima die quo pane Sacramentato pasta fuit, illos tamen imaginari nobis haud difficulter poterimus: Et quidem ne per auxesim loqui videar, ad minimum gradum Charitatem primi diei revocabo, ut graduum computum instituere volenti facilior evadat calculus. Supponamus igitur quod in prima Communione, unicum tantum amoris & gratiæ habuerit, licet ipsam innumeros gradus habuisse non dubitem. Sequitur inde quod in secunda Communione multiplicaverit duos gradus amoris, atque ideo Deus duos quoque illi dederit gratiæ gradus: In tertia autem ipsa auxerit quatuor gradus Charitatis, & Deus quatuor gradus gratiæ: In quarta octo: In quinta sedecim: In sexta triginta duas: In septima sexaginta quatuor: & sic deinceps numerare pergite de die in diem usque ad complementum dierum 8866. ac tum demum per Arithmeticam vestram mihi dicite; si potestis, quot gradus gratiæ sibi in 24. annorum spatio per solam sanctam Communionem comparavit. His autem insuper adjungite tot alias actiones heroicas, quarum virtute nova denuo accepit gratiæ incrementa, veluti quando in utero materno fuit concepta, quando perpetuæ virginitatis voto ex electione propriæ voluntatis fuit obstricta; quando in Templo præsentata, Deo fuit dedicata, quando illum profundissimæ humilitatis actum fecit, dicens: *Ecce ancilla Domini;* Luc. 1. quando in matrem Dei fuit electa; quando fuit Josepho desponsata, quando corporalem verbi incarnati præsentiam novem mensium spatio in visceribus suis habuit; quando Deum & hominem peperit, *& per modum raptus*, ad Divinam essentiam videndam elevata fuit; quando Legi purificationis obedivit; quando tot actus amoris erga Christum elicuit; quando passionis dolores animo adeo intrepido sustinuit: quando juxta Crucem stetit; quando de Resurrectione filii sui gavisa fuit; quando ejusdem filii sui ex hoc mundo in cœlos discessum æquanimiter toleravit; quando in die Penthecostes ipsa sola plus gratiæ recepit, quam omnes Apostoli & alii qui præsentes erant, simul conjuncti; quando denique ex hac vita migratura erat, quo tempore Deus utique ad concedendum ei omne maximũ quod puro homini dari debebat gratiæ incrementum, omnes in eam gratiæ thesauros abunde effudit. Ac proinde quis erit intellectus ille sive humanus sive Angelicus, qui gratiæ Marianæ magnitu-

dinè exprimere aut exponere sufficienter possit?

14. Et quidem tametsi hæc ita se habeant, non tamen vos pigeat, ô Auditores, si aliam instituero comparationem gratiæ Marianæ cum computu gratiæ, quam altissimæ Hierarchiæ supremi Angeli possident. Indubitatum est etenim, omnes illos beatos Spiritus gratiam habere *juxta quantitatem & dignitatem suæ Naturæ*; quisquis enim natura perfectior est, majores quoque gratiæ gradus habet & incrementa tam intensive, quam extensive; atque ideo quilibet Angelus ad minus tot habet gratiæ gradus, quot sunt Angeli ipso inferiores, & plures; suppono enim quod superiori Angelo pro quovis Angelo inferiori ad minus saltem unus gratiæ gradus accrescat, conformiter ad perfectionem naturæ Angelorum superiorum. Certum autem est, quod inferiorum Angelorum incomparabiliter plures sint, quam sint omnes homines qui fuerunt, sunt, aut futuri erant usque ad novissimum diem judicii. Id quod vel ex hoc unico fundamento facile potest evinci, quod videlicet quilibet homo, excepto Christo Domino nostro, unum habeat à Deo sibi, mox ut natus est, assignatum Angelum custodem, ex his autem is qui unum hominem jam mortuum custodivit, non denuo ad alium hominem custodiendum à Deo deputatur, sicut una anima, postquam è corpore quod informaverat semel emigravit, alteri corpori informando à Deo nunquam immittitur; Imo numerus Angelorum, omnium hominum qui fuerunt, sunt & erunt, numerum adeo notabiliter superat, ut Deus uni eidemque homini custodiendo deputare potuisset decem Angelos. Cum igitur, ut multi scribunt, in uno sæculo nascuntur ad minus 500. Milliones hominum; Et à creatione mundi, usque ad Christi adventum transierint anni 5199. id est, sæcula 52. A nativitate Christi autem usque ad præsentem diem elapsi sint anni 1658. id est sæcula sedecim & dimidium cum octo annis, quæ sæcula superioribus conjuncta faciunt sæcula sexaginta octo & medium: sæcula autem futura, quæ ad usque judicii diem subsequentur, tametsi determinatè sciri nequeant, ex multorum tamen opinione futura sint sexaginta, quæ faciunt 6000. annos, facile est computando 500. milliones hominum pro quolibet sæculo (Licet haud dubiè longe major hominum in sæculo uno natorum sit numerus) calculum deducere, & videre ad quem usque numerum multitudo hominum ascendat tam eorum, qui fuerunt, & sunt, quam qui probabiliter ad finem usque mundi futuri sunt, ascendat. Jam autem major utique est numerus Angelorum infimi Chori, è quibus ad cujuslibet creaturæ rationalis custodiam eliguntur tutelares, licet hi iterum pauciores sint Angelis ipsis immediatè superioribus. Hi enim multiplicantur per decuplum supra inferiores successivè ascendendo usque ad supremum Seraphinum: Quanto autem Angeli plus multiplicantur, tanto quoque magis in gratiæ gradibus adaugentur *juxta perfectionem & dignitatem Naturæ* Unde deducitur gradus gratiæ supremi Seraphini tantos esse, ut milliones millionum & millionum transcendant, imo ut ne quidem per milliones millionum valeant computari.

15. Hisce itaque præsuppositis fundamentis magnam gratiæ Marianæ fabricam ædificare incipiamus. Dicunt igitur Patres Theologi, Beatissimam Virginem in primo Conceptionis suæ instanti in gratiæ gradibus supremum Seraphinum longè superasse: *Pium & verisimile est credere, gratiam Virginis in prima Sanctificatione intensiorem fuisse, quam supremam gratiam, in qua consummantur Angeli & homines. Dicendum primum gratiam B. Virginis fuisse intensiorem, quia ex vi ejus si cum illa sola transiret ad patriam, majorem quam ullus Angelorum, gloriam fuisset habitura.* Hæc autem gratia in ipsa nunquam otiosa fuit, sed à primo Conceptionis suæ instanti, quo usu rationis prædita fuit, multiplicata fuit, idque dicere auderem factum fuisse in quovis momento, quia tamen id fortasse cuipiam minus devoto ut mium videretur, ad minus factum fuisse dicam qualibet hora vitæ suæ, etiam quando dormiebat; Ipsa namque dicere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat:* Augebatur in ea gratia ad quoslibet passus quos faciebat: *ut non tam vestigium pedis tolleret* (inquit Ambrosius) *Quam gradum virtutis attolleret.* Agedum igitur ô Auditores, nunc Arithmeticam vestram in Concilium advocate, ab eaque edisce (si tamen & ipsa id dicere norit) quantitatem gratiæ Marianæ, faciendo computum semper per republicationem in omnibus horis totius vitæ suæ, quæ ad 72. annos usque se extendit; ego enim de calculo hoc sine errore absolvendo penitus despero. Hoc solum addam, quod à sublimi quodam ingenio scribitur, nimirum quod licet Beata Virgo in primo instanti Conceptionis, unicum tantum gratiæ gradum habuisset, & non amplius (notate quod dicat unicum duntaxat gratiæ gradum) & hunc multiplicasset, duplicando illū solum

Franc. Suar 3 p. t. 2. q. 27. dis. 4. sect. 1. f. 51. col. 2. A & in fine. sect. f. 52. col. 1. B. Sua. t. 3 p. 3. disp. 4. sect. 7. ap. Ioan. Mariam Zamaro Vtinen. l. 2. 6. 33. f. 250 n. 1. D. Ambr. de Virg. Ant. Guiliel. disc. 25. f. 220. col. 1. & 221. col. 1.

ſum quovis ſexto menſe ſemel (notate iterum quod non dicat omni momento, vel quavis hora) adeo ut gradus ille bis tantum quovis anno adauctus fuiſſet, in fine tamen vitæ ſuæ coadunatura fuiſſet plures gradus gratiæ, quam requirerentur grana arenæ, ad adimplendos mille & viginti quatuor mundos paris cum præſenti mundo magnitudinis, ſi totidem Deus creaſſet, accipiendo cujuslibet magnitudinem à ſuperiori parte convexa primi cœli uſque ad alteram partem inferiorem & convexam cœli ejuſdem, ita ut trahendo lineam ab illa altitudine, deſcendendo per centrum terræ, & tranſeundo uſque ad alteram partem convexam dicant eſſe duo millia millionum milliarium; & nihilominus tot grana arenæ, quæ mille viginti quatuor mundos replerent, gradus Marianæ gratiæ adæquatura non eſſent, tametſi etiam unicum tantum gratiæ gradum in conceptione habuiſſe ſupponeretur, qui modo ſupradicto proportionaliter reduplicando multiplicatus fuiſſet. Diſcurſum hunc hic claudendum eſſe cenſeo, eò quod mihi ultra mihi dicendũ ſuperſit, ac demum ne in oceano quodam adeo vaſto naufragari incipiam. Solummodo me ad conceptum hujus mulieris Evangelicæ remittam, ut illa Mariæ uterum velut gratiæ ærarium celebrando, dicat: *Beatus venter qui te portavit*, interea nonnihil conquieſcamus.

PARS SECUNDA.

16. Gratia mater eſt ſanctitatis, non ſolum *Quantum ad intenſionem*, ſed etiam *Quantum ad extenſionem & gradus*: quia hæc dependet à pondere illius. Unde juxta incrementum gratiæ, ſanctitas quoque adaugetur, & ex unius incremento alterius quoque profectus colligitur. Metiri ſanctitatem, eſt quoddam ponderare gratiam, cum una ſit cauſa alterius licet in diverſo genere: adeoque ab effectu qui eſt ſanctitas *tanquam à poſteriori* inferre & concludere poſſumus, quantitatem gratiæ habitualis & ſanctificantis, qua prædita fuit Maria. Etenim ſanctitas hujus Virginis matris adeo magna & heroica fuit, ut probabiliter dici poſſit, ipſam uno eodemque tempore viatricem ſimul & comprehenſorem fuiſſe, privilegio nimirum nemini aliorum ſanctorum unquam conceſſo vel collato. Certiſſimum eſt enim apud omnes Philoſophos, quod *ubi dantur proprietates ſpeciei, ibi datur ſpecies ipſa*, ſicut exempli gratia: *Vbi datur proprietas quarto modo ſumpta ſpeciei humanæ, id eſt, riſibilitas, ibi datur ſpecies humana*, loquor autem de reſibilitate propria, non analogica. Similiter igitur ubi reperiuntur proprietates comprehenſionis, quæ ad Sanctos cælites pertinet, ibi pariter in bona conſequentia aſſignare oportet eſſe comprehenſoris: haſce autem proprietates in Dei matre extitiſſe ex doctrina Hugonis Victorini evidenter probatur. Dicit enim hic Doctor duas eſſe præcipue comprehenſorum proprietates, una quæ ab ipſis ad objectum beatificum directa eſt, eſtque reverentia verſus ipſum: altera vero eſt lætitia & jubilus, qui ex objecto, quo fruuntur in ipſos redundat. *Reverentia erga Deum & gaudium de eodem.* Ambas autem haſce proprietates in Maria reſidiſſe ex eo ſermone mihi perſuadeo, quem Maria cum Elizabetha Zachariæ conjuge miſcuit, quando Dei filio gravida ad ipſam viſitandam ſe recepit: omnes namque prærogativas & excellentias ſuas Deo veluti Authori acceptas referens dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Unde Jacobus de Valentia ib. 441. col. 3. in fine ait: (Propter beneficia quæ ſpecialiter ipſa recepit à Deo agendo gratias, laudat & magnificat Deum pro beneficiis, quæ ipſa ſingulariter à Deo recepit ſuper omnes creaturas.) Magnificare etenim devotam quandam erga perſonam magnificatam includit reverentiam, unde Maria magnificando Dominum, quando dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, perfectiſſimum quendam actum reverentialem expreſſit: *Et ſic eſt dicendum* (ſcribit idemmet Valencia) *quod reveretur Deum.* Ecce igitur in Maria primam proprietatem. Vultiſne etiam ſecundam, quæ eſt lætitia & jubilus? Nunquid ipſam auditis mox ſubjungentem: *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Hic etenim eſt jubilus ſpiritus, & fruitio formalis & completiva in voluntate præcedens expreſſionem externam vocis: (Exultatio ſpiritus & magnificatio ſpiritualis interior præceſſit vocem & magnificationem vocalem.) Cum igitur vera ſit ſuperius adducta Philoſophorum doctrina, ſint quoque evidentes præmiſſæ, quis conſequentiam negare audebit? (Ad hanc igitur contemplationis lucem Maria ſublevata eſt, quæ cœleſtis patriæ dulcedine in verbis ſuis tam mirabiliter expreſſit, quam ineffabiliter comprehendit. Nam cum ſe Dominum magnificare perhibuit, venerandam illam, reverendamque univerſi æterni Numinis Majeſtatem contueri ſe manifeſtè declaravit: Cùm verò in ſuo ſalutari ſe exultare

Hugo Victorin.

Luc. 1.

Idem ibi.

Idem ib. f. 441. col. 2.

Hugo Victorin.

ultare asseruit, gustum internæ dulcedinis se percepisse ostendit. Ita concludit Hugo de sancto Victore. Ex hoc igitur comprehensionis favore *adhuc in via* habito, animæ sanctitatem & gratiæ suæ plenitudinem securè inferre licebit. Sinamus igitur Evangelicam mulierem ipsam cordialiter celebrare dicendo: *Beatus venter qui te portavit, id est, beata Maria gratia plena.*

17. Sponsus cælestis, aut si mavis dicere Spiritus sanctus pulchritudinem sponsæ Mariæ celebrando satiari non potuisse videtur, dum his eam sacris encomiis depingit: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* O quot mysteria in hoc à Spiritu cælesti in laudem & gloriam Mariæ, composito brevi Panegyrico continentur! Non dubito equidem, quin à Spiritu S. hisce verbis gratia & sanctitas animæ potius, quàm pulchritudo vultus celebretur: ideo enim eam vocat *amicam*, aut verò cum Hebræo & Septuaginta *proximam*. Cur amicam & pulchram? *propter gratiam prævenientem.* Et cur proximam? *propter ingentem sanctitatis perfectionem.* Adeo ut sponsus in hisce verbis aliò non respexerit, quàm ut gratiam & sanctitatem Virginis sponsæ suæ collaudaret. Sed quo fine hac utitur reduplicatione pulchritudinis, id est, gratiæ & sanctitatis? *Pulchra es amica mea, pulchra es proxima mea:* Huc enim omnes Expositores particulariter reflectunt: Sanctus Thomas cum ait: *Bis eam repetit esse pulchram.* Theodoretus. *Pulchritudinis laudes ingeminat.* Ægidius Columna: *Bis dicit: Ecce tu pulchra es.* Nunquid id semel dixisse sufficiebat? Sanctus Thomas id factum esse respondet *propter perfectionem operis, & mundiciem cogitationis.* Ægidius *ut ostendat eam pulchram, & interius & exterius* Petrus Galatinus: *Duplicat sermonem, ut ostendat eam dupliciter pulchram, & in conceptione sine originali, & in vita sine actuali.* Porrò tametsi omnes hæ responsiones veneratione dignæ sunt, attamen aliam quandam audire vobis non displiceat, quæ quidem respectu laudatoris, id est Spiritus sancti dici potest per modum exaggerationis se habere, in ordine tamen ad personam laudatam veritas est. Adeo enim magna est pulchritudo gratiæ & sanctitas Mariæ, ut certo quodam modo & piè loquendo videatur, quod Spiritus sanctus quasi terminos invenire non valens, quibus eam *intensive* repræsentare posset, usus fuerit hoc modo Oratorio & Rhetorico, *extensive* replicando verba & periodos dicendo: (Pulchra es amica mea, pulchra es.) Sponsus cum verba invenire minimè potuerit, quibus id quod intendebat exprimeret, per geminatam eorundem verborum exclamationem, pro viribus saltem se id significare enititur.

18. Verum enim verò nos quidem virtutes & perfectiones Mariæ admiramur & celebramus, nostras tamen imperfectiones, nostrosque defectus nec respicimus, nec detestamur. Illa pulchra fuit in anima, plena gratia, sancta, amica, & proxima Deo, nos autem animam habemus turpitudine peccati pessime deformatam: sceleribus pleni sumus, divortium cum sanctitate fecimus, in continua sumus inimicitia cum Deo, & ab eodem magis procul quam cælum à terra distamus. Cum igitur culpæ nostræ nos in profundum iræ Dei præcipitarint, ad eam, quæ gratia plena est, recurramus, ut nobis succurratur nosque sublevet. Quod si hactenus Divina prævaricando præcepta, vitamque licentiosam & dissolutam agendo à virtutum semitis procul discessimus, ad Mariam recurramus, ut ea gratiam nobis impetret ad vitam mutandam, ut Deo servire possimus *in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris.* Quod si peccata nostra à Dei consortio & amicitia nos excludant genu flexi Virgini supplicemus, ut ipsa sit mediatrix nostra, qua mediante in pristinam benevolentiam & confœderationem cum eodem Deo reverti possimus. Ipsa utique, quæ plena est gratia, hanc nobis facere gratiam dignabitur, ut preces nostras auscultet; nostrasque supplicationes exaudiat, si erga eam fuerimus devoti. Abite, benedicti à Deo & Maria.

* * *

SERMO

Cant. 1. 17

Mich. Ghisle ib. f. 212. col. 1. & 2. C.

D. Tho. ib. f. 71. co. 1. I.

Ægid. co. ib. lect. 3. f. 5. co. 3. B.

Petr. Galat. l. 3. c. 5.

Mich. Ghisleri ib. v. 15. sensu 1. f. 210. col. 1. C.

Luc. 1. in Cant. Zach.

SERMO ENCOMIASTICUS.

In laudem Beatæ Virginis

MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS CARMELITANÆ.

Authore Admodum Reverendo

P. BARTHOLOMÆO BELVEDERE.

è Societate Jesu.

1. INgeniosa profectò doctrina est, quam libro 4. sui Hexameron docuit S. Ambrosius, cum Solem ne ad unius quidem palmi spatium adhuc se movisse, nullumque in cælorum orbibus gressum etiamnum fecisse ait, quando jam Deus terram in proprio suo pondere immobiliter consistentem stabiliverat. Nondum Sol è lucis fasciis solutus in lucem prodierat, quando jam Heliotropium è terra progenitum in suo consistens ordine ad solem contemplandum, & indefatigabilis amoris passibus consectandum promptum erat atque expeditum: Sol è cunis orientis velut infantulus prospicere nondum cœperat, cum ecce in altum excrescentes arbores, complosis ad invicem frondibus veluti manuum plausibus se ante Solem productas esse gloriabantur; unde licet Sol omnes terræ plantas, herbasque incomparabilis præcedat gloria splendoris, attamen vilissimum etiam in pratis subnascens fœnum, ipsum longe antecellit privilegio tituloque antiquitatis. Ante Solem extitit rubus, qui prius spinis erat circumdatus, quàm Sol redimitus esset radiis lucis; unde si Sol se luminoso magis diademate caput cinxisse gloriatur, gloriari econtra potest rubus, coronam qua frons ejus cingitur magis esse antiquam. Prius terra herbis vestiebatur & floribus; prius è terræ sinu arbores progerminabant fructibus onustæ, actum demum Sol auro vestitus, flammisque coronatus cernebatur in cœli vertice; ut vel inde homo terram sine Sole fœcundam esse posse ad eamque fœcundandam sufficere intelligeret solam virtutem Creatoris, utpote qui ejus gloriæ, quam ex tam glorioso opere sibi comparaturus erat, cupidissimus esset zelotes. *Cum vides Solem* (inquit S. Ambrosius) *attende terram, quæ ante fœcundata est, attende herbam fœni, quæ præstat ordinis privilegio, attende ligna quæ plaudunt, quod priora luminaribus cæli esse cœperunt: anterior rubus quam Sol; ut cognoscerent omnem terram sine Sole posse esse fœcundam.* Lib. 4. Hexam. cap. 1.

2. Ab hac doctrina Ambrosiana eximiatum laudum gloriosæ Virginis Magdalenæ Pazziæ ordiar principium. Hæc enim priusquam ab aliquo perito spiritualis vitæ Magistro sacris irrigata & fœcundata esset doctrinis, Christianis jam imbuta amictaque erat virtutibus, pectusque ejus cœlestibus exardescebat cogitationibus, jamque erat divinorum opetum fructibus refertissima. Jam adhuc erat infantula, cum recipiendorum ad bene expediteque faciendam orationem suam documentorum incapax esset & inepta, ecce remotiores obscurioresque domus suæ exquirit angulos, ut in iisdem sine strepitu & turbine attente posset orationi vacare; novitque cum Deo expedite loqui quæ non nisi balbutiendo sciebat loqui cum matre. Priusquam aliquis cum ipsa de disciplinis subigendo corpore sermo institui posset, ipsa severissima manu infantilia corpusculi sui membra acerrimis disciplinis conficiebat. Nullum sibi uspiam fuerat exhibitum cilicium, cum ecce aspertimis spinosisque

Dumeti

dumeti ramis decerptis suas iisdem infasciare delicatas carnes incipiebat. Ob ætatis suæ teneritudinem nondum ei permissum fuerat, ut in Schola Christi ejus discipula fieret, cùm domi suæ quâdam veluti Academiâ erectâ docta hæc spiritus magistra egregiam suas docebat famulas pietatem. Nullos adhuc de charitate sermocinantes audierat, quando animi deliquia & divini amoris ingentes patiebatur excessus. Denique priusquam ab ullo hominum esset instructa, beatissima hæc infantula magna erat sanctitate prædita. Quis illam hanc sanctitatem edocuit, præterquam Deus, qui ex divina hac infantula nascituram gloriam soli sibi reservarat, totique mundo volebat esse manifestum, se solum tam doctæ discipulæ esse magistrum, quam omnibus fere horis per extases adeo sublimes atque frequentes in Paradysi scholam advocabat. Se solum denique, absque ulla alterius hominis interveniente opera aut industria, cœlestem illum esse agricolam, qui suas illam gratiis locupletissimis fœcundarat, suisque manibus virginei sui corporis terram cultivarat, ut tantarum in ea virtutum germen erumpere posset: *Vt cognoscerent omnes terram sine Sole posse esse fœcundam.* Minimè conveniebat, Auditores, ipsam hic in terris ab aliquo Magistro eruditi, quæ priusquam ab hac terra discederet, vitam agendo prorsus cœlestem, terrenam hanc vitam omnino deseruerat; nec ab aliquo homine quantumvis erudito instrui debebat, quæ ab ipso suæ Nativitatis exordio, divinas, humanaque conditione longe superiores commotiones in corde suo senserat, de qua proinde sanctus Greg. Nazianzenus orat. de sancto Basilio, secure dicere poterat: *Sublimiora quam pro hominis conditione sentiens: atque hinc priusquam vita excederet jam digressa.* Veruntamen ne ingentem hunc thesaurum terræ totaliter subtraham, & ejusdem gloriam inter terram & cœlum æqua servata proportione dispertiar, cum Clemente Alexandrino dicam, quod cum terra ad capiendas innumeras, immensasque Magdalenæ virtutes incapax & inidonea esset, Spiritus ejus quandam in cœlo fecerit coloniam, ut proinde huic nostræ beatæ, utpote terræ hujus civi & incolæ, concessum sit laborandi, se fatigandi, & patiendi privilegium, & simul ex privilegio indigenatus cælestis, quo perenniter gaudebat, fruendi cælestibus prærogativis, tum ad zelandum cum Angelis, tum ad intimam atque continuam cum Christo habendam familiaritatem atque commercium. *Hinc tibi concessit Christus.* O Magdalena dicere ei Clemens Alexandrinus poterit, *in cælos mittere coloniam.* Etenim hanc Clementis sententiam tantisper examinemus, & num cum veritate consonet dispiciamus. *Exhort. ad gentes.*

3. Nescio Auditores, num aliquando animadverteritis, quod ex omnibus arboribus quæ suis semper cernuntur frondibus esse vestitæ, nonnullæ scilicet oliva & pinus, tametsi nunquam foliis suis adeo spolientur, ut totaliter nudæ appareant, suam tamen vestem persæpe commutent; ita ut postquam prima earum vestis, nimia vetustate deperiit, aut ex ardentibus solis radiis exaruit, aut ex nivibus seu pruinis decocta fuit, aut ex nimia pluvia languescere aut collabescere cœpit, adeo tenue, detritum & lacerum pallium deferre verecundatæ, illud ipsum in terra abscondant, & novella progerminando folia amictum suum antiquum, solius naturæ sumptu, cum vestitu novo, longeque elegantiori ambitiosè renovent & alternent, servata nihilominus eorum, qui nova veste induuntur, non contemnenda consuetudine, dum ad instar illorum naturæ, id est viatori sudoribus madido, seu defatigatis ex pastu armentis bibalis, ut vocant, seu honorarii loco delitiosissimam maximeque secutam umbram vicissim rependunt. Sola palma semper viridis esse perpetim perseverat, idque non tam folia sua alternatim commutando, quam summa cum naturæ industria eadem conservando. Quas semel progerminavit frondes, nunquam languescere finit, sed novas integras & vigorosas ad ultimum usque vitæ suæ spiritum perpetuo conservat, nec unquam communem omnium nostrum matrem Naturam, ut novis frondibus aut foliis ab ea vestiatur, sollicitat, frondes enim, quas ab ipsa in suæ nativitatis veluti exordio accepit, nunquam inveteraſcunt; eaque vestis quam crescendo & vegetando à Natura sibi comparavit, pro ratione incrementi, staturæ & vitæ suæ, suis quoque in frondibus adaugetur & crescit. *Servat indumentum suum semper olea vel pinus inquit S. Ambrosius, sed tamen folia sua sæpe commutant: nec ea quasi diuturna, sed quasi succedanea prætendunt suæ arboris pulchritudini: perpetui integritate vestitus vice muneris obumbrantes. Palma autem virens semper manet, conservatione & diuturnitate, non comminutatione filiorum: nam quæ primo germinaverit folia, ea sine ulla substitutionis successione conservat.* Animæ ad altissimũ Christianæ perfectionis gradum pertingere cupiens, palmam ut imitetur necesse *Lib. 3. Hexam. cap. 17.*

cesse est; illum namque gratiæ virorem pariter & vigorem quem in baptismate accepit, illamque puram virgineamque innocentiam, quam præ se ferre in primis infantiæ annis solebat, integram illibatamque toto vitæ suæ tempore conservare, nec unquam, ut heroicarum illarum virtutum frondes, quibus semel à Deo vestita fuit, marcescant, permittere debet, quin potius curandum ei est, ut majoribus semper incrementis crescendo proficiant, donec tandem gloriæ fructum sibi paturire concedatur. *Imitare ergo eam*, subjungit idem S. Ambros. *ut dicatur & tibi, statura tuâ similis facta est palma, serva viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti, & folium tuum non defluat.* Quonam hæc omnia respiciant, vos, ô Auditores, jam satis superque perspexisse existimo. Vera palma fuit. B. nostra Magdalena Pazzia; gratiam namque quam à sacro fonte renascens accepit, intemeratam semper conservavit, virtutesque sibi à Deo in infantia sua prodige communicatas nunquam perdidit, sed in iisdem ad mortem usque semper crescendo, pulcherrimam, primisque foliis suis semper vestitam palmam se esse toti mundo palam fecit.

Ibid. cap. 17.

4. Dum adhuc infans esset, tanta fuit erga pauperes & egenos prædita pietate, ut dum à parentibus ad puellarum scholam amandaretur, industriè & data opera carceres transire solita fuerit, eorumque cancellis appropinquans, merendam suam è canistrello suo apprehendens, manu sua propria inter miseros inibi vinctos distribuerit, misericordiæ exercitia velut docta magistra tunc nos edocens, quando nendi, filandi, texendi artem edocenda, scholam adibat discipula: sese fame excruciari nihili æstimans, dummodo ab Angelo suo Custode, prandiolo suo vinctos illos miseros tenebricoso lacui inclusos refocillatura, veluti tenellus Abacuc deportaretur. Et hæc pietatis viscera ab ejus pientissimo pectore nunquam emarcuerunt; Imo quoties ei, dum jam religiosa esset, ad refectionem corporis aliqua dabatur collatio, toties magnam ejus partem portariæ conventus deferre solebat, eandem rogando, ut illam famelicis ad portam mendicantibus erogaret. Qua in re imitabatur pullorum altricem quandam aviculam, quæ propriæ famis oblita, pullorumque suorum famem propriam reputans, mira quadam cum continentia, quæ à sola pignorum suorum amantissima genetrice practicari potest, granulum quoddam ore suo minimè deglutiens solliciteque defert, sibique adimens, ad tenellæ prolis suæ sustentationem, ori ejus anxiè ingerit, idque tanto cum affectu, ut ad ipsam quoque vitam sibi eripiendam, pullisque communicandam prompta esse videatur, si vitam suam nutrimento commixtam patulo dilectorum pullorum suorum ori ingerere posset, tuncque se pientissima voluctis saturam esse existimat, quando dilectissima pignora & viscera sua satiata & bene nutrita esse conspicit. *Iustus autem miseretur & tribuit*, dicebat David. Et sanctus Ambrosius subdit. *Siquidem aves pullos suos cibo satiant suo.* Quid igitur mirum est, si Magdalena panem ori proprio subtraxerit, ut pauperculos mēdicos cibo suo sustentaret? in eo etenim actu Beata nostra corvi potius quam Eliæ filia & hæres esse eligebat, dum panem famelico adferre potius quam ab alio recipere voluit.

Psal. 36. *lib. 3 offic. cap. 3.* *3. Reg. 17. v. 6.*

5. Vix septimum ætatis annum attigerat, quando disciplinarum asperitatibus minimè contenta, caput lumbosque suos pungentissimis spinis cingebat, sive ut densa hac spinosaque sepe illum delitiarum hortum, quem Deus in corporis sui terra plantaverat, firmiter occluderet: sive quod terra timens, ne opulentissimus hic thesaurus in ea latens, sibi à cœlo per immissas ei frequentes extases & raptus eriperetur, inter aspera multiplicium spinosorumque ramusculorum brachia sinum ejus zelotypa constringeret. Hoc saltem verissimum est, ideo rigoribus asperitatibusque addictissimam infantulam spinis corpus suum eluxisse, ut in lecto jacens spinis obvoluta, totam noctem excessivis innocentis carnis suæ doloribus transigeret; rigidissimi nimirum Eliæ dignissima proles, nam si sub spinosa pungentis Juniperi umbra dormivit Pater, inter acutissimas carnemque crudeliter transfigentes spinas, dormire quoque solebat filia, imo generosa filia vitæ suæ rigore & asperitate patrem suum tantum superabat, quantum ipsamet spina umbra sua est dolorosior, quantumque vulnus præ umbra plus affligit & torquet. Porrò ingens hic ad exercenda pœnitentiæ opera affectus, simul cum ætatis incremento adeo succrevit, ut continuas supra nudam humum cubationes, ad cruorem usque flagellationes, aspera continuo portata cilicia, per totum annum in pane & aqua protracta jejunia absynthii masticationes, integis noctibus absque unius momenti somno perpessas vigilias, non jam corporis macerationes, sed delitias esse arbitraretur; unde in ætate paulo adultiori non jam spinis se accingebat, prouti in ætate tenera

3. Reg. 19.

facere assueverat; sed largo quodam cingulo clavis ferreis præacutis horribiliter intexto corpusculum suum semimortuum solebat succingere. Merito igitur sanctus Ambrosius eam ex sui ipsius odio & Christi amoris clavis ferreis indefatigabiliter transfixam cernens, dicere poterit, *Habet clavum suum charitas.* *In ps 118.*

6. Virgineam puritatem ab ipsis pueritiæ crepundiis tantopere dilexit, ut eandem in decimo ætatis suæ Anno Christo ultro citroque consecrarit, eandemque quadraginta duobus annis, quibus nobis cum in terris vixit ea ratione sartam tectam conservarit, ut non solum eandem nullo prorsus nævo, quantumvis minimo commacularit, prouti in mortis agone de semetipsa publicè fuit testificata, se lætissimam ex hac vita discedere inquiens, eò quod hinc emigraret, ignorans quidnam impuritatis spurcities importaret: verum etiam suavissimo virginei corporis sui odore profumaverit, & imbuerit omne id quod corpus ejus attigisset. Unde mirum non est, quod qui pascitur & recreatur inter lilia, cum adeo candido & odorifero fragrantique lilio per tot tamque diuturnas extases adeo frequentes conversari gavisus fuerit. Nimirum immaculata virguncula nostra, ob ingentem puritatem, qua prædita erat, omnino metebatur omnibus horis supra stellas evehi, ut tanto strictius & conjunctius cum Christo in Paradyso conversaretur, ad eum prorsus modum, quo Joseph Patriarcha, ut S. Aldelmus inquit in præmium floridissimæ virginitatis suæ, Solem, Lunam, & stellas, pedibus suis advolutas videre meruit. *Formosiori fretus virginitate, non immeritò à limpidissimis Solis & Lunæ luminaribus ac stellarum sideribus adorari videtur,* scilicet in terris vivens fœmina, instar ardentissimi & purissimi Seraph vixit in cœlis. Altissimo quodam virgineæ puritatis gradu, magnus ille orientis Apostolus S. Franciscus Xaverius à Deo donatus esse perspicuè agnoscebatur, quando nocte quadam profundo licet somno sepultus, nihilominus ex habito impudico quodam somnio adeo vehementer inhorruit, eique tanto cum conatu restitit; ut simul cum ingenti quodam sanguinis fluvio, qui per os emanabat latens in somno venenum, quod sathanas pudico ejus pectori instillarat, evomuerit, gaudens purissimus hic virgo se omnes venas suo exinaniviſſe sanguine, dummodo ab omni impuritate immunis esset in suo corde. Etenim Beata nostra Magdalena, licet jam mortua, & in Ecclesia, super expositio publicè feretro, quendam mortis somnum profunde obdormiens, attamen lascivum quendam juvenem ad ejus funus appropinquantem adeo vehementer exhorruit, ut ei, ne sorditiem videret, oculos se habere clausos minimè suffecerit, quin insuper in adversam partem faciem verterit, ne persentisceret puteolentiam. Unde cum S. Zenone illam vivum cadaver appellare potero, sive quia mundi sensualitatibus totaliter mortua, conformiter omnino vivebat legibus Paradysi: sive quia post mortem etiam cadaver ejus Angelicæ cujusdam virginitatis vitam traduxit: *vivum Cadaver.* *Lib. de virgin. cap. 27.* *Serm. de S. Arcadio.*

7. Et quidem ut totum hoc unico duntaxat verbo exprimam, B. nostra Christianorum virtutum frondes, quas in infantia sua progerminavit, nunquam amisit, sed hæ potius cum incremento ætatis eo usque processerunt, ut eam vertice suo stellas ipsas attingere fecerint, suorumque immortalium operum elegantissimam comam inseruerint cœlo, cum fragilis vitæ suæ radices plantatas haberet in terra, civis nimirum terrena simul & cœlestis. Liberè igitur ei dicat Clemens Alexandrinus: *Hinc tibi concessit Christus in cœlis mittere Coloniam.* Et S. Ambrosius subjungat: *Statura tua similis facta est palmæ.*

8. Quod si palmæ folia pungentium spinarum speciem referant; quid mirum est, si innocens nostra Magdalena tantis se pœnitentiæ austeritatibus confecit, ut nesciam an majorem subierit Magdalena peccatrix? Veruntamen quas ultro subivit austeritates, altiorem utique sui causam habent, quam ut per illam puniantur & expientur culpæ suæ propriæ. Ipsa namque cum magno tenerrimorum pedum suorum tormento per medias quoque nives discalceata incedebat, quæ ne unum quidem pedem extra viam posuit salutis: unica duntaxat tunica adeo antiqua & trita delicatum corpus suum vestiebat; ut hyberno tempore sæpe toto corpore visa sit tremere, quæ nullam unquam culpam commisit, ob quam Dei iram cogeretur formidare? acutissimis horridorum clavorum calcaribus latera sua pungens ad velocius incedendum se stimulabat, quæ ad Evangelicæ perfectionis metam & terminos cucurrerat, imo volarat: unius integræ horæ spatio catena ferrea se flagellabat quotidie, quæ nullum unquam vitæ suæ momentum alio fine, quam ad solam Christi gloriam adhibuerat: innocentem sanguinem suum veluti seditiosum & inquietum, per centena vulnera latissima copiosè effudit, quæ sanguinem suum in venatum vasis contra

divinam

divinam legem tumultuantem nunquam perſenſerat: manibus ſe propriis flagellando defatigata, ſe veluti publicam furem & peccatricem converſarum ſororum manibus flagellari & fuſtigari petiit, quæ nullum aliud furtum unquam commiſerat, quàm quod à Converſis labores per obedientiam impoſitos ſibi vendicarit: carnem ſibi lacerabat, quæ nullum unquam commiſerat læſæ majeſtatis delictum, aut vel minima cogitatione contra divinæ voluntatis beneplacitum rebellis extiterat. Tota contrita & pœnitens cor ſuum in amariſſimos planctus effundebat, quæ nunquam peccaverat; & tamen omnino exiſtimo, quod ſi Deus in unum hominem omnia omnium hominum peccata collegiſſet & coadunaſſet, quæ committuntur in rebus, ad eadem expianda copioſiores lachrymas aut rigidiores auſteritates & pœnitentias minime fuiſſet ordinaturus. Quonam igitur tendunt tantæ aſperitates, aut pœnitentiæ in Magdalena rigores? Huc videlicet: omnium hominum peccata piis Magdalenæ humeris veluti impoſuit, ut zeloſiſſima ſponſa ſua pro omnibus intercedens, à divina vindicta cunctos liberaret, id quod evidenter inſinuavit, quando eidem non ſemel ſed repetitis vicibus dixit: *Pro mundi peccatis O Magdalena patere & torquere.* Congruè igitur Beata noſtra uti potuiſſet illis ſponſæ verbis: *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim; quia decoloravit me Sol*, Id eſt, tametſi me aſperrimis macerem pœnitentiis, oculoſque meos in quoddam amariſſimi planctus mare reſolvam, cavete tamen, ne ob id inſtar veræ alicujus peccatricis me arbitremini nigram ſive deformem, me enim non propter memetipſam, ſed pro peccatis proximi mei caſtigo & affligo, illaque deploro: Aliena peccata, non vero mea me movent, ut tantis pœnitentiæ rigoribus me conficiam, eaque me decoloratam & nigram videri faciunt. *Decoloravit me Sol. Decolorari à Sole*, inquit S. Bernardus, *eſt igneſcere charitate fraterna, flere cum flentibus, infirmari cum infirmantibus, uri ad ſcandala ſingulorum.* O incomparabilis Magdalenæ Pazziæ charitas Plorabat eò quod graviſſimis culpis obnoxius peccator, peccata ſua deflere minime curabat: intolerabilibus fere immoriebatur rigoribus, frequentibuſque animi deliquiis deficiebat, propter eos, qui millenis ſcelerum venenis intoxicati ad Sacramentorum antidotum recurrere negligebant: cor ſuum in vivo quodam afflictionis & derelictionis inferno ardere perſentiſcebat pro iis, quos ob enormem vitam, qua mundum ſcandalizabant, de facto ad infernum condemnatos eſſe conſpiciebat: *Decoloravit me Sol.* Cæterum ipſa, quæ velut nobiliſſima paſtorcula ſub ardente ferventiſſimæ charitatis ſuæ æſtu poſt errantia perditi gregis ſuæ veſtigia, eundem ad ſalutis ovile reductura oberrabat, quantò magis à pœnitentiæ, rigorum & aſperitatum radiis decolorabatur, tanto velut Æthopiſſa gentilis caſtiſſimo ſponſo ſuo pulchrior atque venuſtior eſſe videbatur; dum enim velut terræ hujus civis & incola pœnitentiis ſe hic macerabat in terra, & velut inquilina & civis cœleſtis cum cœleſtibus Seraphinis ardebat in cœlis. *Hinc tibi conceſſit Chriſtus in cœlos mittere coloniam.*

9. Verum enimvero ſicut charitas erga proximum ſuum, haud ſecus ac Sol in Leone conſtitutus, Magdalenam denigravit, & fuſcam reddidit, ita ardens erga Chriſtum amor in ejus pectore ardentem quandam fornacem accendit.

16. Amor ut plurimum, ô Auditores, omni prorſus caret judicio, à ratione gubernari neſcit, neque in operibus ſuis modum aut in actionibus menſuram aut regulam tenere novit. Si amor rem deſideratam pro voto non obtineat, non ideo ardens ejus deſiderium refrigeſcit, quod difficile eſſe conſpiciat quod concupiſcit, neque quod in re volita impoſſibilitatem experiatur, ab aſſequendi conatu conſolatus deſinit: Imo vero amor rem deſideratam non aſſecutus in eum furorem adigitur, ut ſanctas hoſpitii leges violans pectus in quod divertit, dentibus quaſi diſcerpat, ſuoque hoſpiti pro mercede exhibitæ urbanitatis mortem crudeliter adſciſcit: Amor id in quod fertur non libere proſequitur, ſed potius in id quo à paſſione ſua inclinatur, violenter trahitur, & tametſi cœcus ſit, veloque obductos habeat oculos, ſuum tamen amatum objectum ſemper & inceſſanter aſpicere non deſinit. *Amor ignorat judicium*, inquit ſanctus Petrus Chryſologus, *ratione caret, modum neſcit, amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium. Amor niſi ad deſiderata pervaſerit, necat amantem, & ideo vadit quo ducitur, non quo debeat; & quid plura? Amor quod amat, non poteſt non videre.* Pro confirmanda veritate ejus, quod ſanctus Petrus hiſce verbis edixit, ſola noſtra Magdalena, ni fallor, ſufficiet; Hæc namque beata noſtra, amore, quam nomine ſtultior, ad campanas Monaſterii ſæpius advolavit, ut, veluti dicebat, earum ſono omnes gentes ad Dominum ſuum præ-

Cant. c. 1.

Serm. 28. in Cant.

Serm. 147.

fervidè amandum advocaret; neque enim ad tantam pulchritudinem, satis pro dignitate & merito suo amandã, omnium angelorum corda ei videbantur sufficere. Ab hoc amore ebria velut insaniens, quidquid ei dabatur in manus convellebat & lacerabat, tot se modis præter omnem mensuram & rationem movens & agitans, ut delirare videretur. Totum Deum suum intra pectoris sui angustias contendebat concludere, & tametsi id ei videretur esse impossibile; attamen à desiderii sui vehementia allecta & agitata, ut eum tanto posset facilius capere, ad dilatandum magis vestes suas, pannos quibus induta erat, lacerabat. Ab hoc amore violentata, nescia quò iret, per totam domum quaquaversum discurrebat, obviasque sanctimoniales per manus apprehendens, easque post se trahens dicebat: *Venite mecum O Sorores ad Deum amandum.* Amor illius id quod volebat minimè inveniens, adeo crudeliter in ejus pectore furere cœpit, ut veluti ruptis præ amoris vehementia visceribus, cordeque quasi lacerato, si non inferebat mortem, saltem adeo truculenter torquebat, ut jam jam emoritura esse videretur. Cum cæteris sanctimonialibus in choro orans, dum vehementissimos amoris pateretur excessus, sæpius nullis, præterquam tenerrimi affectus sui alis instructa, in supremum chori mira cum rapiditate, non sine evidenti gravis lapsus, indeque secuturæ mortis periculo, evolavit fastigium, ut consistentem ibi Crucifixi statuam dulciter amplecteretur. Et tametsi dilectissimus sponsus, & Salvator ejus in cælo; Magdalena vero procul inde absens in terra consisteret, ipsa tamen vel ab aliis associata, vel sola illum semper videbat præsentem, dulciaque cum ipso miscebat colloquia: *Amor quod amat non potest non videre.* Et verò quidnam Christus tam frequentes extases ei impertiendo, aut submittendo ad illam nunc humillimum Patriarcham meum S. Ignatium, qui de sublimi Christianæ humilitatis virtute cum ipsa sermocinaretur, nunc sanctum Albertum Carmelitanum, qui cum illa de Evangelica sacræ Religionis suæ paupertate discurreret, nunc magnum Patrem sanctum Augustinum ad illam ablegando, ut ipsi in divini officii recitatione assisteret, nunc cælestes Angelos ad revelanda ei secreta cælestia ad illam destinando, quid inquam Christus aliud per hæc omnia facere intendebat, quam ut lethiferis ejus doloribus & angustiis velut pientissimus medicus mederetur & subveniret, quos ex ea tantum, quod se à tam vehementer amato bono suo adeo procul positam esse conspiceret, patiebatur?

11. Sacratissima Christi Sponsa ex ardentissima quadam charitatis febri prorsus languida, flores poscebat & poma, quæ delitiosissima quam spargunt fragrantia sua laboriosis profundisque, quæ cor ejus ignitorum affectuum ponderi subjectum edebat, suspiriis mederentur, odorosisque suis exhalationibus, vel temperarent excessivum cordis ardorem, vel spiritum sive anhelitum, qui una cum vita, præ amore agnonizans expirabat, eidem restitueret. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ne magna Dei amatrix Magdalena Pazzia, ob charitatis vehementiam infirma & languida totaliter deficeret, atque ex ardentis amoris sui violento impetu extincta succumberet, opus omnino erat, ut Angeli ea, quæ in cœlo agebantur minutim ei revelando, & quavis hora amorosissima ad eam destinata charissimi sponsi sui nuncia deferendo, veluti pulcherrimis pomis odoriferisque in beatis Paradysi hortis decerptis floribus insupportabiles illos mitigarent dolores, quos ex tam ærumnoso exilio, & lethaliter languescente, indiesque ruinam minitante vita concipiebat. Unde securus existens futurum fore, ut magna Dei Mater una mecum ad hanc ancillam & filiam suam honorandam concurrens, hoc vesperi mihi illud mutuatura sit elogium, quod de ipsa Sanctus Thomas de Villa Nova enuntiavit, audacter de Magdalena dicere potero: *Non immerito crediderim, hoc toto exilii sui tempore ad sustinendos extaticos illos amoris impetus, odoriferis eam Paradysi floribus, & purpurantibus malis, id est ludicissimis è cœlo revelationibus & dulcissimis suavitatibus ab Angelis fuisse fulcitam, ut deficeret præ amore.* Quasi terræ hujus Civis Beata nostra infirmatur præ doloribus amoris, at vero tanquam cœli indigena cœlestibus curatur remediis.

Cant. 2.

Conc. 4. de Assumpt. B. M. Virg.

12. Nil nisi Christum cogitabat, de solo item Christo semper miscebat sermones, adeo nimirum ardens Christi amor cor ejus & linguam deprædatus fuerat, eam ex desiderio in desiderium tanta cum vehementia præcipitans, ut sæpius in volucrem transmutari desiderarit, ut passim per aëra volando altissima & ad ipsos quoque inferos personante voce clamare posset: *Venite animæ ad amandum amorem meum; venite omnes quotquot estis ad amandum Deum vestrum.* Tantum enim amoris ignem in corde suo flagrantem persentiscebat, ut is ne per situlas gelida aqua plenas, supra ejus pectus hyberno tempore effusas

effusas potuerit mitigari. *O amor præceps & vehemens! omne quod cogitat ista, & quod loquitur te sonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi ipsius & cor vendicasti & linguam.* Addo, cum bona tamen S. Bern. serm. 79. in Cant. sancti Bernardi licentia, *& aures:* neque enim suavior auribus ejus insonare poterat harmonia, quàm dum aliquis de Christo institueretur sermo. Unde Christus eam aliquando recreare & confortare volens, non ad illam sicut olim ad sanctum Franciscum Assisinatem, Angelum aliquem submisit, qui cytharæ plectro eam erigeret, sed potius illi tribuit, ut tametsi è longinquo, perfecte tamen Patrem Rectorem Societatis Jesu eo tempore in suo Collegio coram Patribus & Fratribus suis in conclavi quodam simul congregatis devotissimè & ferventissimè perorantem audire & intelligere posset, de quo beata nostra ulterius affirmabat, se apertè Spiritum S. eo tempore linguam dicti Oratoris tangentem, ejusque oti non tantum conceptus, sed & singula sermonis illius verba suggerentem vidisse, adeo ne ipsemet quidem Deus omnipotenti manu sua linguam carneam tangere & cytharædi officium subire non fuit dedignatus, ut dilectam sponsam nonnihil erigeret & recrearet. Dicat igitur nunc S. Bernardus & porro melius: *Ita tibi ipsius & eor & linguam vendicasti & aures.* Totam ipsam quanta est, Christus sibi rapuerat; ideoque nec manum movere, nec linguam solvere potuit, nisi vel ob bonum proximi, aut pro gloria Dei.

13. Dixit quondam sanctus Augustinus, in gloria Paradysi totidem esse Deos omnipotentes, quot ibidem sunt sancti, ideoque quidquid Deus facere potest per se ipsum, idipsum quoque facere posse beatos per ipsum Deum, *Quotquot ibi sunt, Dii sunt, nam sicut poterit Deus, quod volet, per se ipsam: ita potuerunt ipsi quod volunt, per illum.* Deus enim muneris loco beatis omnem suam potentiam donat, quia totam voluntatis ipsorum servitio & obsequio addicit & consecrat. Unde beatus Divinâ potentiâ velut arbitrii sui promptâ ministrâ, fidelique ancilla utitur, adeo ut Deus per totam æternitatem indesinenter voluntatem beati respiciat & consideret, ut beneplacita illius executioni subito mandet; atque ideo Dei omnipotentia, omnipotentia quoque erit beati, siquidem tota Dei omnipotentia huc unice spectat ut beato complaceat & inserviat. *Quotquot ibi sunt, Dii sunt.* Ingens hoc & ineffabile Beatorum privilegium, Deus Magdalenæ nostræ quoque communicavit, illam etiamnum in terris viventem haud secus tractando ac civem cœlestem cum expressa promissione qua se obligavit ad dandum seu concedendum ei, quidquid petierit, idque verbis hisce gratissimis, omnisque amoris plenissimis: *Sponsa unigeniti verbi mei quidquid vis à me pete.* Quæ certe nequaquam fuere inania; quotquot enim infirmis ipsa sanitatem restitutam esse voluit, subito sanati fuere, idque nullo alio adhibito remedio, præterquam solius orationis, aut desuper formati signi Crucis, adeo ut meritò dubitare potuerit mundus, anne B. nostra linguâ, an vero manu esset valentior. Solo Crucis signo super vas vino plenum formato, vinum inibi contentum omnino corruptum, in optimum commutavit, de quo miraculoso vino soror Maria Angela acuta febre obnoxia, ter tantum sorbendo, subito convaluit. Neque sola à Magdalena patrata miracula, verum etiam miraculorum suorum filii, sive effectus, sanitatem impertiendi potestatem habebant, prouti liquidè patet in vino ab eo miraculosè restituto, quod sanitatis beneficium contulit pauperculæ suæ sorori infirmæ. Ad hæc veluti blandus catellus Sororis Barbaræ Bassi lepram lingua sua lambens munditiei corporali confestim restituit, adeo ut lepra à sororis jam dictæ membris perlibenter recessisse videatur, eò quod M. Magdalena illam tanta cum civilitate impresso eidem blando oris sui osculo ad abeundum licentare noverit: ô si hisce nostris temporibus adhuc vixisset S. Gregorius Nazianzenus, utique pietatem hanc, adeo nobilem summè admiratus, atque de tam generosa actione, qualis erat os & labia horridæ cujusdam infirmæ ulcerosis putidisque membris infigere, prorsus obstupefactus de Magdalena nostra dicturus fuisset; *Quocirca ne labia quidem virgo generosa ægrotis admovere gravabatur.* Simili modo os suum putrido cuidam & vermibus scaturienti apostemati, quo sororis Magdalenæ tibia erat obnoxia, os suum applicuit, idemque in eodem momento evanuit. Nec mirum, neque enim tam fœdi ulceris sordes subsistere potuerunt ad eorum labiorum sanctissimorum contactum, quæ toties ab accenso divinæ Eucharistiæ carbone mundata fuerant. Fuitque proinde Beata nostra in sua circa divinam potentiam dispositione, præ Josue longe potentior, utpotè quæ jussis suis planetas ad inferendam mortem non firmavit, sed potius blanditiis & osculis suis ad conciliandam vitam & sanitatem, vulnera & plagas in fugam abegit. *Quidquid vis, à me pete.* Animæ item duorum reorum, qui veluti traditores & homicidæ prope Monaste-

Seneca l. 3. de beneficiis: Ingratus est qui non reddit.

Orat. 20. qua est de S. Basilio.

Lib. de Spiritu & Anima tom. 1.

Josue cap. 10. v. 13.

rium ſuum extremo erant ſupplicio afficiendi, ut æterna ſalute donarentur, confidenter à Chriſto poſtulat, quibus mox in gratiam Magdalenæ Chriſtus cœleſtem Paradyſum indulget, tantum nimirum beatis hiſce delinquentibus reis (Sic mihi hoc veſperi illos appellare liceat) prope Magdalenæ Monaſterium mori profuit, quantum fortunatum latronem juxta Crucem Verbi æterni incarnati mortuum fuiſſe juvit. Pro pluribus quoque Sacerdotibus peſſimam ſcandaloſamque vitam agentibus, ut ad Deum per veram pœnitentiam converterentur rogavit, quos Deus mox eidem verè & efficaciter converſos eſſe monſtravit; imò nunquam magno cuipiam peccatori ſalutem popoſcit, quem in breviſſimo temporis ſpatio ad veram pœnitentiam reductum eſſe non viderit; adeo ut B. noſtra modicis lachrymis, & per unicum duntaxat: *Converte illum O mi Ieſu*, majores & nobiliores converſiones operata fuerit, quàm alii conſecuti fuerint prolixarum concionum ſuarum largis ſudoribus.

14. Apes, uti omnibus conſtat, omnes ſunt virgines, ſuntque pariter omnes fœcundæ, nulla ipſarum marem novit, & tamen parturiunt omnes in concipiendo, nulla ab iis delectatio percipitur, neque in partu ullo dolore afficiuntur, omnes ſine conjunctione corporum & abſque copula matres evadunt, & ſimul una vice, abſque ulla virginalis integritatis ſuæ offenſa, integrum innumerabilium volantium filiorum examen in lucem edere cernuntur, cujus ratio eſt, quia apes fœtus ſuos non in viſceribus ſuis, ſed in ore effingunt & formant, neque eoſdem ex gremio ſed ex ore ſuo ex herbis & frondibus colligendo parturiunt. Quod ſi id vobis paradoxum & ænigma quoddam eſſe videatur, audite obſecro ſanctum Ambroſium hac de re diſcurrentem ſequentibus verbis: *Communis omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis & partus, quoniam neque ullo concubitu miſcentur, nec libidine reſolvuntur, nec partus quatiuntur doloribus, & ſubito maximum filiorum examen emittunt, è foliis & verbis prolem ſuam legentes.* Beata noſtra Magdalena prouti verè apis fuit, ita quoque virgo pariter & mater extitit: Virgo quidem, quia virginitatem ſuam intra quadraginta duos annos nunquam amiſit, illamque fidem qua ſe in tenella ætate Chriſto deſponſatam eidem obſtrinxit, nunquam fefellit aut rupit: Mater vero, quia pro peccatorum ſalute orans, innumeros Chriſto filios progenuit; ipſoſque peccatores ferventiſſimis orationibus ſuis ab inconſtantibus delitiarum voluptatumque humanarum viridantibus foliis divellens ore veluti & lingua pulcherrimos fœtus ſuos ab herbis & frondibus legens produxit. *Quidquid vis à me pete.*

Lib. Hexam. c. 21.

Porro pro ſe à Deo nihil aliud popoſcit, quàm ut unde ſine aliquo admixto ſolatio pati adverſa poſſet, purus enim amor, prouti S. Bernardus ingeniosè notavit, neſcit mercedem: *Purus amor non eſt mercenarius.* Hæcque ſibi à Deo poſtulata gratia ipſi adeo perfectè à Deo fuit conceſſa, ut quinque annis continuis graviter afflicta fuerit febre corporis, quæ continuam in anima patiebatur febrim amoris, cui adnexa erat tuſſis quædam adeo violenta, ut ejus vehementia ruptis non una tantum, ſed pluribus in pectore venis, largos evomere ſæpe debuerit ſanguinis torrentes, atque ex hoc capite in B. Lutgarda quæ parem quoque patiebatur contiguum ſanguinis vomitum, à Chriſto viva Martyr agnita fuerit & declarata. Per immaniſſimum dentium dolorem, ob cujus vehementiam ei omnes ferè excidierent dentes, veluti nova quædam Apollonia martyrizabatur in dentibus: nonnunquam cum B. Bartholomæo Apoſtolo veluti limatiſſima novacula ſentiebat ſibi vivæ quaſi excoriari pectus: alias cum S. Jacobo Apoſtolo fullonibus atque martellis ſibi caput contundi videbatur: Item cum S. Jacobo interciſo omnia ſibi membra ab invicem divelli credebat, in hoc ſolo omnibus aliis martyribus erat diſſimilis, quod hi teſte S. Thoma Aquinate Doctore Angelico, Paſſionis ſuæ tempore tantis erant conſolationibus cœleſtibus cumulati, ut veluti tormenta ſua minimè ſentire viderentur; Magdalena vero econtra, prouti à Deo poſtularat, inter tormenta ſua omnis erat ſolatii Spiritualis expers. O Generoſiſſimus & invictiſſimus Magdalenæ amor, utpotè qui inter tot tormenta & accumulatos omni ex parte dolores, nulla prorſus indigebat conſolatione, aut ullo ex re aliqua ſperata vigore, tametſi id ipſum ei debitæ mercedis loco millies deberetur, neque ex tanta Spiritus ariditate per diffidentiam vacillans unquam lapſum minabatur aut ruinam; nempe *purus amor* (inquit S. Bernardus) *de ſpe vires non ſumit, nec tamen diffidentiæ damna ſentit.* Solus Magdalenæ amor ei amori, quem nobis in cruce Chriſtus exhibuit ſimilis eſſe cognoſcitur.

Serm. 83. in Cant.

S. Thom. q. 13. de verit. art. 3. ad 9.

Serm. 83. in Cant.

15. Neſcio ecquidnam innuere voluerit S. Paulus Apoſtolus, quando dicebat: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Veruntamen

Ad Coloſſ. 1. 36.

men sufficit mihi nosse me, Beatam nostram Magdalenam perfectè & complete suppleville, quidquid dilectissimi Domini sui acerbissimæ passioni deerat, cum enim Christus, ut notavit S. Bernardus, minimè contentus se dolorosissima crucis suæ tormenta passum esse, eadem millies de novo pati desiderarit, prouti per verbum illud *sitio*, evidenter indicat, quasi manifestius diceret: *Adhuc plura & majora sitio subire tormenta*, Magdalena vero supplevit, quod huic Christi desiderio defuit, siquidem ad sonitum horæ sextæ matutinæ cujuslibet diei veneris, omnes illos patiebatur dolores, quos Salvator passus fuerat in cruce, nimirum dolores quos dilectissimus sponsus sua in carne replicare non poterat, amantissima ejus Sponsa suo in corpore replicabat, idque tanta cum doloris vivacitate, ut meritò sorores monasterii dubitaverint, num Magdalena in Christum, an vero Christus transmutatus fuisset in Magdalenam. *Quidquid vis à me pete.*

16. Quin imo pro peccatorum salute plus patiendi cupidissima, à Christo, ut inferni dolores pati posse sibi concederetur, obnixè petiit & impetravit; Christus enim ipsam per aliud quinquennium cuidam lacui immisit, non leonum, sed dæmonum, qui ipsam veluti devoraturi, omni hora in speciebus longè horrendissimis, exectandas blasphemias evomentes & ululantes occurrebant, nec tamen ipsa tam terrebatur, videndo tot dæmones ad ipsam torquendam infernum egredi, quam cernendo tot miseras animas in infernum præcipitari; plus dolebant lethales ictus, quos peccatores à tot commissis sceleribus suo patiebantur in corde, quam truculentæ fustigationes, quas ipsa à malignis illis spiritibus sua recipiebat in carne: plus torquebatur videndo animam quandam in terram prostratam & raptatam, ex uno peccato devolvi in alterum, quàm quando corpus ejus ex altissimis scalis præcipitatum totam raptabatur per domum. *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*; hæ autem horribiles quadrigæ, è quarum conspectu Sponsa adeo turbabatur, nihil aliud quàm animas peccatrices invuebant, quæ quadrigæ Sathanæ factæ ipsum veluti Dominum in corde suo deferunt, & Sathanæ imperio obedientes ab eodem per turpissimorum scelerum iras ad infernum se deduci permittunt. *Qui scilicet*, inquit Theodoretus, *parent imperio diaboli, & tanquam currus illius fiunt, atque ab eo gubernantur.* O incomparabilis Magdalenæ Pazziæ Charitas! quæ duntaxat cogitando animam quandam tam copioso nec non pretioso Christi sanguine redemptam infernalis Sathanæ factam esse mancipium, non jam dico turbabatur, sed ardenti adeò zelo conflagrabat, ut veluti per omnia membra in cineres redacta ex continuis deliquiis deficeret, nimirum veluti civis terrena, pro peccatis alienis atroces patiebatur dolores, & veluti indigena cœlestis omnia impetrabat, quæ peteret. *Hinc tibi concessit Christus in cœlos mittere coloniam.*

Cant. 6.

In hunc locum.

17. Porro quod præ omnibus in Magdalena admiror; est ejus inter tot prærogativas, divinosque favores, tanta tamque incomparabilis humilitas, videtis nonnunquam fluviolum quendam ad mare velocissimè currentem, qui in via sive per jucundum herbarum virorem, sive per eximiam florum, quibus ripæ vestitæ aut margines coronati cernuntur, fragrantiam se impediri aut sustineri minimè sinit, sed veluti nobilis quidam peregrinus sive viator, qui post longa emensa itinera in patriam revertens solam paternæ domus amplitudinem, ut sensim & paulatim bonis aspirantibus favoniis assequatur suspirans, atque ad mitigandos longi itineris molestias dulci quodam murmure sub lingua cantans, cæterum mutus in silentio iter suum prosequitur. At verò si titulus iste, dum adeò sollicitè & rapidè progreditur, fortè fortuito in magnum quoddam saxum, unde cursus ejus fistitur, incidat, cum quanta spuma justissimum furorem suum candide aperit, & cum quam elata voce vel se à Viatoribus, per injectum in sinum ejus lapidem, iter suum impedientibus, despectum existimans acerbè dolet; vel supplicabundus pias sibi & auxiliatrices manus, quibus cursus sui obex è medio tollatur porrigi postulat, ut vel sic in sinum & brachia maris recipiendus expeditè currere possit, ut semetipsum in eodem totaliter perdat & amittat, unde totum suum esse quod habet receperat. Gloriosa nostra Virgo Magdalena Pazza quæ à materno sinu velut chrystallinus rivulus vix scaturierat, cum ecce per pietatis opera virtutesque Christianas cursu adeo rapidè atque veloci ad cœlum properabat, ut illam nec ingentes, quibus paterna domus abundabat, divitiæ, nec faciei venustas, aut elegantia corporis, nec clarissimus familiæ suæ splendor, neque altissima certatim ei oblata sponsalitia, eam unquam vel ad unicum duntaxat momentum impedire aut morari potuerint, quin charitate prorsus liquefacta in Deum velut vastū maris abyssum expeditè curreret. Nunc serpēdo supra se ipsam reflectens,

nihi-

nihilum suum clarè cognoscebat : nunc maximam se peccatricem existimans in humillimas profundissimi inferni valles se recondebat, mox denique per inauditas frequentesque extases in altissimum se Paradysi verticem efferebat, ad instar aquæ tantundem per gratias sublimesque favores ascendens, quantum per sui ipsius notitiam veramque humilitatem se demiserat. *Descende ut ascendas* dicebat Sanctus Augustinus *quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso.* Etenim Sathanas jucundissimo huic fluviolo felicissimum ejus cursum invidens, eundem per eosdem lapides speravit sistendum esse, quibus se Christo opposuerit. Ipsam namque tentavit per gulam, quæ præter jejunium alium cibum minimè appetebat. Tentata fuit per superbiam, quæ tanta fuit humilitate prædita, ut ante refectorii fores prona in terram prostrata, propriatum novitiarum suarum pedibus se conculcari voluerit. De habitu religioso dimittendo & repetendo sæculo tentata fuit, quæ statum sæcularem vivum æstimare solebat infernum. Tentata fuit de violentis sibi manibus inferendis ut semetipsam occideret, quæ mille sibi vitas exoptavit, ut Christum mille cordibus charitate accensis amare posset. Per duos annos continuos de impuritate incessanter tentata fuit, quæ ne quidem ex nomine nedum ex facie impuritatem agnoscebat. Cumque Magdalenæ videretur cursum amorosorum affectuum, quibus ad Deum volabat, à tot Diabolicatum tentationum importunis lapidibus omnino impediri, dicere aut imaginari sibi nemo potest, quantis cor ejus crepuerit doloribus, quot amaras lachrymas per oculos stillarit, cum adeo flebili murmure continuo clamando: Vos ô Cœlum, ô terra invito, adjuvate me, ut vel ipsas quoque petras & saxa planctus hic movere potuisset. Veruntamen conceptum meum adæquatè nondum explicando sum assecutus.

Serm. 11. de temp. qui est primus de timore Dei & vera humilitate.

18. Aqua semper deorsum labitur, unde si fortasse de longè aperturam quandam sibi patulam esse animadvertat, nec herbarum lectum sibi sternentium mollitudo, nec florum ad illam contemplandam se erigentium adulantiumque odorum vocibus ei applaudentium multitudo, nec centeni solis radii, quibus aquæ congenitus color argenteus expolitur & illustratur, efficere possunt, ne in cavernas suas se velocissimè recipiat, seque ut incognita semper degere possit, subtus terram sepeliat; Simili modo prorsus humilis sancto Dei timore semper plenus, infernum demeritis suis proportionatum locum esse existimans, suas in Paradysum erigere cogitationes nescit, quin potius mente semper pavida & meticulosa deorsum se præcipitando in locis horrore terroreque plenis semper degit. *Nec illud dissonat*, inquit S. Bernardus, *quod aqua semper ima petit, & timor ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus immoratur atque loca horrenda pavida mente colluſtrat, juxta illud: vadam ad portas inferi.* Hoc totum de nostra B. Magdalena intelligendum esse ex duobus sufficienter demonstrari poterit, primò quia cum in legitimo quodam examine se benedictam Aloysii mei animam tanta gloria, qua nulla major esse posse videretur, in cœlo coronatam vidisse, cogeretur deponere, dolor quem ex hoc, quod vilissimum nomen suum (ita ei videbatur) in chartam conjiciendum, & coram Illustrissimis Dominis magnæ Rotæ Romanæ auditoribus publice legendum esse, concepit, tam fuit vehemens, ut per plures dies in lachrymas & suspiria totaliter resoluta, nullam potuerit consolationem admittere; adeo ardenter toti mundo prorsus incognita semper vivere desiderabat. Secundo contigit, quod eundo per domum, vultus ejus ex attenta prætensorum demeritorum & imperfectionum suarum consideratione totaliter raptæ, mortis pallore ex improviso suffusus fuerit, ipsaque præ nimio horrore obrigescens firmiter steterit: à sororibus autem quid ei accidisset interrogata, ex nimio terrore toto corpore tremula, videri sibi, iis respondit, futurum, ut terra ad omnem gressum suum se aperiret & dehiscetet, atque ad infernum viam sterneret, utpotè quæ peccatorum suorum nimium pondus portare aut sustinere nullatenus posset. *Aqua semper ima petit, & timor ad ima cogitationem deducit.* Nihil eximium facit, qui cum Christianarum virtutum favorumque cœlestium inops sit, sibimetipsi velut Paradyso indignus vilescit: hæc autem fortunatissima anima, quæ simul cum immensis sanctitatis & gratiarum thesauris, amplas quoque humilitatis possidebat divitias, ex mente S. Bernardi se quandam in terris Phœnicem securè æstimare potuit. *Rara avis in terris aut Sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimoniâ non excludi* Verè Beata nostra Magdalena talis Phœnix dici potuit, *qui humilitatem innocentiæ copulavit.* Ob miram namque ejus innocentiam Deo adeo grata semper fuit, ut suis à Deo precibus cuivis maximo peccatori gratiam & amicitiam Divinam impetrare facillime posset, & tamen haud secus ac si totius

Serm. 1. in Dom. 1. post oct. Epiph. Isai. c. 38.

Serm. 43. in Cant.

mundi

mundi fuisset maxima peccatrix, sorores suas humillimè rogabat, ut Dei misericordiam & peccatorum suorum remissionē sibi precibus suis à Deo exposcerent, idq; vel quia adeò de propria salute sollicita, suis meritis minimè confidens anxiè auxilium & suffragium mendicabat alienum: vel quia se adeò imperfectam esse existimabat, ut in meritis alienis non verò in suis spem & fiduciam sibi collocandam esse crederet; utrūque haud dubiè ei ad humilitatem tantam stimulos addidit, inquit Abbas Gilibertus: *Anxia vota suis esse contenta meritis nesciunt, ideò aliena precis mendicant suffragia. Perfecta humilitas de meritis semper alienis præsumit.* Serm. 45. in Cant. Verùm enimverò, ut quid me aliis argumentis inquirendis fatigo? *Super quem requiescam nisi super humilem & quietum?* Isai. 66. sic legit Guarricus Abbas ser. 3. de Assumpt B.V. Quod si enim humilis mollis ille lectulus est, in quo Deus suaviter requiescit, profectò Magdalena de Pazzi humillimam creaturā dicere oportet, quæ eo tempore uspiam inveniri in terris poterit, siquidem Christus familiariter cum illo loquens unicam requiem suam ipsam appellavit. Unde mirum non est, Spiritum Sanctum in die Pentecostes non semel prouti super Sanctos Apostolos, sed septimam diversis vicibus super illam descendisse & quievisse in ea.

19. Vultisne Auditores, ut amplius & excellentius quid dicam?

Salomon cuidam amicorum suorum prudenter suasit, ne se personarum illustrium circulo ingereret, aut magnatibus se jungeret, ne ab ipsorum gloria obfuscatus, aut à magnificentia ipsorum plurimum diminutus obscurus quidam inter illos esse videretur pigmæus, *in loco magnorum ne steteris.* Prov. c. 25. Salomonem namq; hisce verbis ipsissimam enuntiasse veritatem, vel ipsamet Luna testabitur. Divinus Moyses Solem & Lunam duo luminaria & ambo magna appellavit: *Fecitque Deus duo Luminaria magna.* Gen. 1. Mox autem Lunam appellat luminare minus, *luminare minus ut præesset nocti.* Equidem nulli dubitare licet, quin Luna verè luminare sit valdè magnum, veruntamen ubi cœperit cum Sole habere consortium, seq; cum eodem in comparationem admittere, ab hujus regii planetæ magnifica luce adeò imminuitur, ut parva quædam, modica & debilis oculis nostris videatur esse lucerna: *Locata fuit Luna in gradu & loco magnorum,* inquit Rupertus Abbas *& quæ de se luminare magnum erat, comparatione ad alterutrum facta luminare minus evadit.* In hunc locum l. 1. cap 24. Ut igitur sanctitatis hujus nostræ Beatæ excellentiam & magnitudinem tantò evidentius ostendam, statui hoc vesperi Magdalenæ Pazziæ humilitati aliquam inferre violentiam, eamque in circulum quendam honoratissimum, & in quoddam glorioſissimorum Heroum Illustrissimum Collegium extrahere, securus enim sum, quod ipsa inter omnes hosce tum morum sanctitate, tum servitiis ad gloriam Dei præstitis, tum præmiis à Domino suo reportatis, inter totius regni Dei Illustrissimos sanctos constituta, nec ab ipsorum splendore aut gloria, nec ab eorumdem ineffabili magnificentia, vel minimum imminuenda sit aut obscuranda.

20. Et primò quidem fatendum est, heroicā prorsus fuisse illam incomparabilis Patriarchæ S. Benedicti actionem, quando à carnis lascivia tentatus, se totaliter denudatum in rubum quendam præacutis sentibus & spinis obsitum generosè conjecit: attamen nihil minus Beata nostra Magdalena præstitit, quæ in simili carnis insultu constituta, cùm ad campos dumetum quæsitura egredi non posset, ex eo loco ubi ligna asservari solebant, spinosas quasdam apprehendit fasces, earumque spinis tantò magis penetrantibus, quantò ficciores erant mille in carne sua fonticulos aperiens, indeque effluentibus sanguinis sui rivulis infernalem ardorem istum in unico momento suppressit.

21. S. Thomæ de Aquino renes post gloriosè superatum, quod ei impudica & lasciva quædam muliercula intentarat, bellum, Angelorum manibus succincti fuēre cingulo castitatis. Beata nostra Magdalena certamine feliciter terminato, longè puri oribus Dei Genitricis eidem gloriosè apparentis manibus candidissimo puritatis velo opulentissimè vestita fuit. Salvator noster S. Catharinam V. & Matt. sibi desponsavit, & quidem in evidentis illius Sponsalitii signum annulum digito ejus pronubum inseruit; Magdalena quoque Salvatori nostro desponsata fuit, verum factum id est longè meliori gemma mediante, quàm Sponsus in opulentissima sua Gaza asservarat; digitum namq; ejus pulchertimo annulo cinxit, quem ex pretiosissimo vulnerati pectoris sui scrinio deprompsit, ex insigni utique amantissimi cordis sui particula fabricatum.

22. Catharina item Senensis spinea quadam corona, quam Christus manu sua tenebat, coronata fuit, Magdalena autem nostra etiam quidē spineam à Christo coronam accepit, veruntamē longè nobiliorem altera, eandemmet nimirum, qua Christi caput redimitum fuit, quæ proinde pretiosissimo magni Dei nostri sanguine veluti

inæstimabilibus monilibus distincta erat. Libēter enim ad tempus pretiosissimo hoc diademate in capite catere voluit, dummodo eodem dilectissimæ Sponsæ suæ frontem exornare posset. Et quidem ab omnibus Scriptoribus fortunatissimus semper æstimatus est mons Carmelus, eò quod in felici ejus territorio nulla pungentium nascatur spinarum, incomparabiliter æstimandus nunc est fortunatior, postquam Christus, Magdalenâ jam spinis suis coronatâ Sanctissimas capitis sui spinas Carmelo inseruit.

23. Postquam invictissimus Christi Martyr Sanctus Ignatius à leonibus & ursis dilaniatus fuit, dulcissimū Jesu nomen in Sancto ejus corde scriptum invenerunt Lictores. Unde mirum non est, quod adeò ardenter pro Christo dilaniari desideratit, qui intus in pectore suo nomen quoddam à Salvatore circumciso sanguinis & vulnerum pretio comparatum portavit. Nostræ autem Beatæ Magdalenæ è cœlo submissus est sublimis omnium Theologorum vertex & augustissimus omniū Doctorum Princeps Sanctus Augustinus, ut in corde ejus virgineo aureis sanguineisque litteris *Verbum caro factum est* exararet, relicto intellectu ejus, quoad hoc mysteriū adeò sublimiter illustrato, ut de eo discurrens haud secus ac si Cherubinus quidam esset, loqui soleret.

24. In corpore S. Francisci Assisinatis Seraphinus ille incarnatus veluti vivum quoddam sigillum, unà cum vulneribus Salvatoris nostri Crucifixi impressus fuit. Id quod etiam Beatæ nostræ modo quodam eminentiori accidit, ipsa namque in anima sua iisdem vulneribus pariter signata fuit, adeò tamen in corpore ejus collucentibus, ut lucidiores esse non possint radii Solis, sive id aciderit, ut nobilissima illa monilia, in longè nobiliori asservaret scrinio, sive ut pretiosum illum Thesaurum, à rapacibus latronum, id est, laudatorum oculis carnis suæ velo coopertum custodiret.

25. Denique quòd si Christus in tenera infantis cujusdam specie Sancto Antonio Paduano apparuit, ut sub hac forma constitutus absque divinæ Majestatis suæ robore Sancti hujus brachiis sese inferere posset: Nostræ Beatæ Magdalenæ non in una, sed in centenis speciebus variis apparuisse dignoscitur, scilicet nunc velut infantulus, qualis erat, dum in Ægyto advena erat? nunc in ea forma, qua in templo inter Doctores inventus fuerat; nunc in specie viri, ad puteum Sichar sedentis, & cum muliere Samaritana sermocinantis; Et quidem hæc species sibi inter omnes quas conspexerat, ob ingentem zelum, quem in animæ istius salute procuranda referebat, visa semper est pulchrior, ut proinde petierit, ut sibi deinceps in hac eadem forma appareret. Meritò igitur dubitare Mundus poterit, utrùm major fuerit magisque intrinseca Magdalenæ cum Christo familiaritas, à quo tot tantosque extravagantes postulare favores non dubitabat; an verò major fuerit Christi erga Magdalenam teneritudo, utpote qui in centenas se figuras transformabat, centenisq; se speciebus induebat, ut dilectæ Sponsæ suæ oculis magis magisq; placere posset. Cesset igitur deinceps Salomon Magdalenæ dicere. *In loco magnorum non steteris.* Quia cum quovis Sancto quantumvis magno collata, nequicquā de gloria ejus obfuscatur aut perditur, cùm ipsa sola in se referat, & repræsentet elegantissimas, quæ in cūctis Ecclesiæ ditissimis viridariis unquā plantatæ fuerunt, virtutes, ut vel hac ratione tantò elegātiùs perficeret Beati Carmeli sui peristromata.

26. Verùm enimverò, Auditores, tempus me video deficere, cùm tamen in veritate agnoscere debeam me delicatissima hujus venustissimæ animæ lineamenta adeò rudi minervâ depinxisse, ut vitæ ejus telam, prout à me delineata fuit, coram oculis vestris me exposuisse, meritò erubescere debeam. Vos vivam hujus sanctæ Virginis effigiem in vita & moribus religiosorū Fratrum suorum, quos his coram oculis vestris præsentes esse videtis, contemplari poteritis. Illa namque in vultu & oculis relucens modestia, in vestitu emicans paupertas, observantiæ rigor, fraterna concordiâ, devotus & punctualissimus psallendi modus, ardentissimus ille salutis proximi procurandæ zelus, illa propriæ perfectionis suæ sollicita cura, totidem sunt magistrali arte moderati penicilli, quibus Deus Beatam nostram in Fratrum suorum moribus & vita ad vivum delineavit. Et quænam est virtus illa, Auditores, quam & vos ipsi in illa invenire non possitis, dum illam vobis imitandam volueritis proponere. Eccur enim qui se senectutis annis gravatum, caputque suum canis conspersum esse conspicit, totum se virtutum studio non consecrabit, dum Beatam nostram ab ipsis teneræ infantiæ annis adeò devotam, rebusque spiritualibus addictam fuisse audit? Quis est quantumvis nimiâ negotiorum multitudine occupatissimus, qui se tempus cum Deo conversandi invenire non posse dicere ausit, quando

Magdalenam inter manualia opera in ecstasin raptam devotè orasse legit: Quis est qui se Deū graviter offendisse intelligens debitam de carne sua per cilicia, per disciplinas, per jejunia, vindictam non sumat, si Magdalenam adeò innocentem, omnisq; peccati expertem asperas adeò pœnitentias facere videat? Quisnam ex vobis sibi, se pro regni cœlorum assecutione, nimium laborasse persuadere poterit; videns Beatam nostram tantis à Christo favoribus cumulatam, adeò vehementer, ne damnaretur, metuisse? Quis familiam suam in divina Lege erudire & docere fastidiet, si viderit Magdalenam nostram æstivo tempore in villam ruralem à parentibus deductam, nullas alias sibi quæsiviſſe delicias, aut recreationes, quàm ut rudes pueros puellasq; paganas, sive rusticanas divina fidei nostræ mysteria edocere posset. Quis deniq; deinceps tepidus aut negligens erit in procuranda salute sua propria, cū Beatam nostram Magdalenam adeò fervidam & diligentem esse videat, in procuranda salute aliena. Per hanc igitur viam ô Christiani, ambulemus, fietq; sine dubio, ut nobis concedatur æternum Paradisi regnum assequi, Deoque Opt. Max. cum Magdalena æternaliter frui, Amen.

SERMO PANEGYRICUS

In laudem

B. M. MAGDALENÆ DE PAZZI.

Habitus ab Admodum Reverendo P. M.P. LAURENTIO BRANCCACCIO CARMELITANO, Regente studi Theologici in Conventu S. MARIÆ de vita Urbis Neapolitanæ In die festo ejusdem Beatæ Virginis, ANNO 1640.

Veni Sponsa mea, requies & stimulus Spiritus mei.

In vita B. M. Magdalena 1. p. cap. 14.

1. PAter æternus B. Mariam Magdalenam nostram ad hoc sanctitatis prodigium sublimaturus, ut illam ostenderet perpetuum quoddam esse divinarum excellentiarum theatrum, stupendissimum divinæ gratiæ miraculum, æternam quandam summè admirandorum dexteræ Dei operum præconē: Denique ut multa paucis eloquar, prodigiosum Omnipotentis brachii Spiritus sancti opus, hisce eam verbis in hujus solemnitatis vigilia est allocutus: *Veni Sponsa mea, requies & stimulus cordis mei.* Et quidem non est necessum, ut causas, cur illam præclaris hisce titulis exornare voluerit, ex aliis capitibus emendicemus, cùm sola & simplex adducti thematis expositio eas abundè satis exponat. Sanctissima igitur hæc virgo ab ipsomet Deo appellatur *Requies & stimulus Spiritus sancti.* Esse ipsiusmet Dei *requiem* dicit indicibilem meritorum excellentiam: Esse increati amoris *calcar & stimulum*, ineffabilem insinuat sanctitatem. Date Deo requiem, evehit supra omne id, quod humanum est, & cœlum sapit; Deū autem exstimulare divinum est. Res divina esse debet in qua infinitum quiescit, plusquā divinum autem dicendū est illud, quod inquietissimo amori stimulum addit & calcaria. Et quidem si verum est, (est autem verissimum) quòd nova hæc Sybilla in prodigioso quodam octo dierum raptu corpore in terra, quoad animā verò velut civis cœlestis in cœlo constituta edixit: Si verum est, inquam, quòd beatissima hæc anima in limpidissimo Verbi speculo, per altissimā contemplationem legendo, & videndo potiùs, quàm ore, vel linguâ mortali proferendo, de hoc inceeato amore dixit, nimirum *quòd simul nobilissimus sit & immobilis, omnibusq; in immobili nobilitate infundatur.* Item *quòd semper quietus sit, semperq; operans; Quòd passibus semper firmæ stabilitatis nunquam firmetur. Similiter, quòd ubicunq; immobilis passus sui pedem semel figit, omnia firmet atque conservet, & tamen omnia destruat*; Denique *quòd nunquam quiescendo quiescat & in metu semper consistens, semper sit stabilissimus.* Si inquam hoc totum, utpote vera, altissimaq; ab ipsomet Cœli cathedratico, Verbo scilicet æterno, huic sanctæ virgini tradita Theologia veritati consonet, Beata nostra Magdalena certè est fælicissima, quæ requies fuit Spiritus sancti, ac proinde spiritum hunc mobilissimum quietavit; nisi enim quievisset, nihil unquam in illa operari potuisset; id quod faciendo quiescit;

Tandem verò sanctissima hæc anima cælestibus visitationibus recipiendis se quovis momento capaciorem, aptioremq; reddens infinitum amorem iterum exstimulat, ut immobilis & mobilissimæ bonitatis suæ passibus animam ejus in bonis semper stabiliēdo, efficiat, ut sicut in principio dicebam, eandem reddat & constituat ingens quoddam sanctitatis miraculū, breve quoddam perfectionis compendium, magnum gratiæ prodigium, ac denique prodigiosum opus Omnipotentis brachii Spiritus sancti, prouti vobis perspicuè sum demonstraturus, si patulas mihi mutuare aures animosque benevolos dignati fueritis.

Veni Sponsa mea, requies & stimulus spiritus mei.

2. Mirabilis admodum est hæc Spiritus sancti requies, Auditores optimi, ejusq; divinæ excellentiæ valdè proportionata: Tūc enim Spiritus sanctus requiescere dicitur, quando gratias suas absq; remora, aut impedimento aliquo diffundit, aut quando ineffabilis communicativæ bonitatis suæ impetus nulla experitur aggerum obstacula, quin potiùs effusa in nos gratiarum suarum, suorumq; divinorum thesaurorum diluvia pleniſſimè & liberrimè currere & dimanare sinuntur. Unde fit quòd in sacris Literis, vaticinante Isaiâ Proph. cap. 11. Divin. hic Spiritus in Christo Salvatore nostro specialiter quiescere dicatur (*Requiescet super eum spiritus Domini*) eò quòd totus infiniti hujus Oceani impetus in cū se absq; ullo impedimēto adæquatè exonerare potuerit, illumq; infinitis gratiis cumulârit, adeò, ut hæ in Christo nec crescere potuerint, aut minus, prouti super hunc passum Doctorum Angelus Angelicè scribit (*Quia non fuit in Christo gratia augmentata, nec interrupta per culpam, nec perturbata per pugnam carnis*) Addit Rupertus Abbas, in solo Verbo incarnato requievisse Spiritum sanctum, eò quòd in ipso solo nequaquam laboret, cùm tamen in aliis creaturis sive homines illæ sint, sive Angeli, Omnipotentis brachii valorem adhibere debeat per operosam gratiam, in illis prius fabricando hospitium quā elargiatur donum, cùm enim naturâ defectuosi sint, nisi per Spiritus sancti gratiam stabiliantur, eleventur, & purificentur, adeò divino hospiti proportionatum dare nequeunt hospitiū, multò minus requiem (*In istis quidem*, inquit Rup. *inhabitat Deus, sed oportet ut prius sibimet in illis mansionem paret, & in brachio suæ fortitudinis operetur, & gratiam construat, in qua ad requiescendum nominis sui gloria dignè collocetur*) At verò quia Verbum Incarnatum, verus Deus erat, ac proinde impeccabile, nullum unquam divino Spiritui attulit, nec adferre potuit laborem, sed æternam potiùs & infinitam requiem. In Angelis quidem Deus quiescit, sed, inquit Rupertus (post laborem & per operosam gratiam) Verbū autem Incarnatum, in quantum Deus, essentiali bonitate bonum existens, nulla actione operosa qua ei bonitas communicaretur, opus habuit: in quantum verò homo est, Deo etiam personaliter, seu hypostaticè unitus, nullum etiam Spiritui sancto infinitis donis & gratiis eum cumulare volenti impedimentum attulit, aut adferre potuit, atque ideò perfectam in ipso solo requiē habuit. Ita concludit mecum Rupertus (*In isto solo nihihil unquam fuit, quod resisteret ei, igitur hic unus est in quo Deus requievit.*) Verùm quidem est, quòd divinus hic hospes in animabus etiam justis hospitetur & quiescat per gratiam, idque tantò facilius, quantò Christo conformantur perfectius, Unde quisquis divinarum gratiarum impetum copiosius intra animæ suæ sinum currere sinit, minusque maris hujus cursū impedit, majorem perfectionemque divinæ huic bonitati summè communicativæ donat requiē. Universam hanc Theologiam Divina Sybilla, Beata, inquam Magdalena in cœlis didicit, eandemque in admirabili illo per octo dies solidos continuato raptu retulit, quando sublimissimè dicit: *Spiritus hic in quadam Verbi communicatione & unione firmatur per naturam. Est quidem in Angelis quoque firmus, aut hospes, non tamen per naturam, sed per gratiam. 2. Divinus hic Spiritus nunquam se alicui creaturæ adeò copiosè cōmunicat, quin semper ad præstandam ei communicationem copiosiorem sit promptus, dum eam in creatura deprehenderet dispositionem, quæ ad ejusmodi communicationem in tali creatura requiritur.* Etenim cùm felicissima Soror nostra Magdalena ipsomet æterni Patris ore, non solum requies, sed etiam stimulus appelletur Spiritus Sancti, igitur divini hujus Spiritus operosæ gratiæ nullam unquam fecit resistentiam, & cōsequenter infinitum illud gratiarum mare nullo obstaculi aggere impeditum pleno impetu in ejus animam potuit manare, & hoc quidem modicum est, cùm etiam velut calcar, & stimulus infatigabilis brachii Omnipotentis pro majoribus gratiarum incrementis recipiendis ampliorem lectum, per quem æternum cœlestium donorum flumen liberè curreret, incessanter parârit, idque propriè est requiem, & stimulum esse Spiritus sancti. Hoc sensu S. Cyprianus hujus increati

In cap. 2. Gen.

increati amoris naturam & inclinationem depingens dixit (*Non enim qui beneficiorum terrestrium mos est in capessendo munere cœlesti mensura, vel modus est*) neque enim ad immensam bonitatem capiendam aliqua debet adhiberi mensura, neque donator immensus capi potest in strictis mensurabilis alicujus pectoris confinibus: imò verò velut impetuosum flumen quoddam, quod pluvio tempore insolitâ aquarum copiâ intumescens proprium lectum immoderatè deserit, se quaquaversum exonerat, vicinos agros inundat, rumpit aggeres, fortia demolitur murorum obstacula, profundissimis radicibus fundatas evellit arbores, superbissima susque deq; evertit ædificia, nec valles duntaxat adimplet, æquasque planities, verùm etiam ipsosmet nonnunquam devorare montes comminari videtur: ita (licet adhuc comparatio nimit sit humilis) *profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia franatur, manat jugiter, exuberat affluenter,* *Epist. ad Dom.*

3. Et quidem in hac sanctissima Virgine hæc omnia, si unquam in alia, perspicuè videntur, cui non uno duntaxat modo divinus hic communicatus est spiritus, verùm uni & soli omnes illas adhibuit species & formas, quibus divisim operando in aliis usus est unquam. Septem namque diversis vicibus, diversisque continuis diebus mane sub decantatas Tertias, variis scilicet ignis, flammis, columbæ, nubeculæ, venti, igneorumque linguarum formis indutus, in ipsius animam illapsus est Spiritus sanctus, digito velut demonstrans, ipsam solam omnes supefluenter recepisse gratias, quas alii Sancti recepe e divisim. Et hoc quidem modicum est, siquidem divinum Patris oraculum, quo Maria Magdalena Spiritus sancti requies vocatur, & stimulus, de cunctis verificatur donis cœlestibus. Unde requies & stimulus est Spiritus sancti non solùm in quantum ignis, verum etiam ejusdem in quàtum flumen, nubes, columba, columna, ventus, aut lingua ignea &c. stimulus esse verè deprædicatur. O prorsus ineffabilis Magdalenæ excellentia!

4. Verùm e imverò, ecquænam esse potest ignis requies, nisi ardere, flagrare, comburere, accendere, denique omne id in se convertere, dummodò flammarum suarum capax sit, quicquid ei objicitur (*Deus noster ignis consumens est. Fons vivus ignis charitas*) canit Ecclesia. Ignis inquam est, quia amor est; & sicut ignis, ita quoque amor, ut inquit Dionysios, mobilis est, incessabilis, acutus, penetrativus, fervidus, insatiabilis, inquietus. Et quomodo igitur, ô optime Deus, æterna hæc flamma in Magdalena amorosorum incendiorum Spiritus sancti esca perpetua, inquietissimâ amante, insatiabili amatrice, adeò in amore fervente, ut à pectoris sui incendiis ejus frequenter exarserit vultus amore, ignis ardorem imitante, utpote qui eam à vertice capitis usque ad plantam pedis adeò vehementer accendit, ut in rigidissimis hybernorum mensiũ frigoribus ad temperanda amantissimi cordis sui incendia opus habuerit gelidissimis ad ardentis pectoris sui regionem copiosè effusis aquis, nec non ex vestibus & velis efformatis ventilabris aeris æstum mitigantibus. Existimo Spiritum sanctum eam in Magdalena habuisse requiem, quam Levit c. 6. desiderat, quando longè altiori & sublimiori consilio, quã capere posset stolidus & rudis Hebræus, ignem in altari suo semper ardere præcepit. (*Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna per singulos dies*) Circa quem locum Gregorius Magnus dicit; Altare illud de quo Deus loquitur, nihil esse aliud quam cor nostrum, amorem autẽ esse ignem, quem in hoc altari semper ardere desiderat (*Altare Dei cor nostrum est, in quo jubetur semper ardere quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam semper ascendere.*) Ecquando autem ab hujus Incarnati Seraphici cordis altari amorosæ flammæ ascendere desierunt, cùm miraculi loco habeatur ipsam tot inter incendia constitutam, non fuisse extinctam? cùm item ipsam et se ingentes divini amoris flammas amplius sustinere non posse viridico suo ore testata fuit. *De cœlesti Hierarch.* 25. *Mor. cap.* 7.

5. Certè amoris requies amare est; tunc enim requiescit charitas, cùm illi ignitis divini amoris alis ad centrum suum evolare licet. Ideò Isaias cap 6. Seraphinos cælestes simul firmiter stare simulque volare conspexit, (*Seraphim stabant super illud*) & mox subjungit (*Duabus volabant*) Ubi S. Bernardus: Nolite mirari, inquit, nec repugnantia videantur, quæ in amore valdè sunt usitata. Quonam enim Seraphinos illos evolasse existimatis? In aëra forsitan? Nequaquam, sed in objectum à se amatum. Igitur quoadusque flamma volat, volando quiescit, & quiescendo volat, nam requiescere illi idem est quod volare, & volare idem, quod requiescere. (*Quo enim Seraphim volant, nisi in eum cujus ardent amore? vide flammam quasi volantem,* *Ser. 4. de verb. Isaiæ.*

pqua corporis noſtri membra vivificantur, ac proinde primus, humanæque naturæ author demmet in media pectoris regione collocavit, ut omnibus aliis membris abinde vitam, eſſe, & calorem influeret. Ab hoc vitæ fonte, ſpirituum vitalium officina, & caloris naturalis theſaurario non ſolum derivatur oculorum vivacitas, vernans in genis coloris venuſtas, motus gratioſitas; neque ſolum ipſi, tanquam Regi omnes ſenſus, & potentiæ præſtant ſervitutis homagium, utpote qui per oculos videt, ſentit per tactum, audit per auditum, per guſtum ſapores diſcernit, & deguſtat, olfacit per nares, ore ridet, loquitur lingua, manibus donat, pedibus ambulat, ac demum in omnes motus ipſum movetur, non ſolum inquam hoc quoad ipſum reperitur, verum etiam ipſum cor veluti ſupremum Monarcham & primum mobile omnes affectus humani reſpiciunt, cunctaque ad ejus motum ſervata proportione moventur. Dum cor dilatatur atque expanditur, mox toto corpore ingens jubilus ſe prodit atque lætitia: ſi reſtringatur, triſtitia naſcitur & melancholia: ſi refrigeretur, timorem parit, ſi accendatur, furorem gignit: Denique quia cor propria eſt ſedes amoris, ſi illud illis amoris flammis immoretur, mox ab hoc igne interno ſtigmata inuruntur amoris omnibus verbis, operibus, & cogitationibus. Cum igitur B. Magdalena ignem divinum in ſe contineat loco cordis, quid mirũ ſi verba ejus ignea fuerint, ipſa de divino amore ſemper loquente, ſi igneæ fuerint cogitationes ipſius de divino ſempera more cogitantis: ſi ejus etiam actiones igneæ fuerint, quas ſeraphicè ſemper eliciebat: denique ſi ignea fuerint omnia corporis membra, pectus, ſinus, vultus, manus, & totum corpus, quod proinde ad immenſi amoris ſui flammas mitigandas aquis frigidiſſimis ſæpè immergebat? Idem prorſus (ut ſanctus Gregorius Nyſſenus in cap. 8. Cant. dicit) eveniat neceſſum eſt, quando in pectore & corde flammæ ardent divini amoris: (Omnia ſigillatim vitæ ſtudia, tanquam alicujus corporis membra fervent ſpiritu, qui ex corde permeat, nulla iniquitate, nulloque membro corporis refrigerante charitatem.) Etenim cogitationes, verba, & opera ſunt veluti membra animæ, atque ideò omnia hæc in Magdalena ardent, quia ipſummet amoris divini ardorem cordis loco habet. Verum enim verò tametſi hactenus dicta ſublimiſſima in ſe contineant Magdalenæ elogia, attamen, ô res ineffabilis, beatæ Magdalenæ ſe gratiſſimam eſſe increati amoris requiem minimè ſufficit, niſi inſuper velut calcar & ſtimulus eundem urgeat, & exſtimulet ad majora incendia ardoris; neque enim fruſtra ab æterno Patre *ſpiritus* ſui *requies* appellatur & *ſtimulus*. Altiores in ſublime flammas vibrare, ne ipſi quidem Seraphini poterant. Aliquod hujus experiamur ſpecimen & probam. Beata quondam in ſublimi quodam mentis exceſſu dilecto ſuo dicebat: (Quod ſi, ô amor, locum in quo requieſcere poſſis nullibi invenias, totũ te in me recipe, quæ ad hoc omninò connitar, ut totum in me poſſim recipere) O ardoris æſtus, imò auſus pluſquam Seraphicus. Ergone immenſus ille amoris Oceanus, qui omnia Beatorum corda inundando adimplet, & tamen in ſuâ immenſitate manet incomprehenſus in arctum Magdalenæ pectuſculum ſe exonerabit? Illeque ignis infinitus, qui totam cœli curiam æternaliter inflammat, in anguſto beatæ cujuſdam virgunculæ ſinu recludetur? Porrò Magdalena, utpote illuminatiſſima, optimè quidem noverat, quod infinti amoris incendium nonniſi finito modo capax eſſe poſſet, attamen, quia cor Chriſti in pectore ſuo ferebat, cor illud nobiliſſimum auſus adeò generoſos & nobiles; adeoque ſublimes pectori ſuo ſuggerebat ſpiritus, & cogitationes, ut vel inde cognoſci poſſit verum eſſe, quod inquit Chryſologus: *Amor non recipit de impoſſibilitate ſolatium.* Magdalena igitur ex poſſeſſione cordis Chriſti jam quaſi Divina reddita ſponſo ſuo audacter dicat, & generosè: Quod ſi, ô increate amor, in Angelis aut Seraphinis nullam invenias perfectam requiem, mihi, ut exiſtimo, pectus eſt, mihi cor eſt ad te recipiendum capax ſatis & ſufficiens. Sagittæ tuæ in me vibratæ non ejaculabuntur fruſtra, nec vacuæ redibunt. Nec ſanè vana erant ejus deſideria, utpote quæ inauditæ octo diebus integris continuatæ vaſis, octavo die Spiritum ſanctum vidit immenſis præter morem divitiis onuſtum, qui mutatis ab Angelicis hierarchiis monilibus pretioſiſſimis, acceptiſque ab aliis duabus perſonis divinis ſublimiſſimis donis, in Magdalena non fabuloſam ſed veram formaturus Pandoram, deſuper illam ſemetipſo modo quodam ineffabili adimplevit, unde dicere minimè dubitavit (*Spiritus ille cor meum ingreſſus cum omni donorum ſuorum plenitudine advenit*) O vaſtiſſimum cor? quod certè aliud, quàm cor Chriſti eſſe non potuit. Hunc amorem, hunc ignem Gilibertus Abbas deſcripſit, quando dixit, quod amor non capiat ſeipſum,

Nyſſen. in cap. 8. Cant.

P. 3. vitæ, Die 8.

Serm 19. in Cant.

pqua corporis noſtri membra vivificantur, ac proinde primus, humanæque naturæ author demmet in media pectoris regione collocavit, ut omnibus aliis membris abinde vitam, eſſe, & calorem influeret. Ab hoc vitæ fonte, ſpirituum vitalium officina, & caloris naturalis theſaurario non ſolum derivatur oculorum vivacitas, vernans in genis coloris venuſtas, motus gratioſitas; neque ſolum ipſi, tanquam Regi omnes ſenſus, & potentiæ præſtant ſervitutis homagium, utpote qui per oculos videt, ſentit per tactum, audit per auditum, per guſtum ſapores diſcernit, & deguſtat, olfacit per nares, ore ridet, loquitur lingua, manibus donat, pedibus ambulat, ac demum in omnes motus ipſum movetur, non ſolum inquam hoc quoad ipſum reperitur, verum etiam ipſum cor veluti ſupremum Monarcham & primum mobile omnes affectus humani reſpiciunt, cunctaque ad ejus motum ſervata proportione movebtur. Dum cor dilatatur atque expanditur, mox toto corpore ingens jubilus ſe prodit atque lætitia: ſi reſtringatur, triſtitia naſcitur & melancholia: ſi refrigeretur, timorem parit, ſi accendatur, furorem gignit: Denique quia cor propria eſt ſedes amoris, ſi illud illis amoris flammis immoretur, mox ab hoc igne interno ſtigmata inuruntur amoris omnibus verbis, operibus, & cogitationibus. Cum igitur B. Magdalena ignem divinum in ſe contineat loco cordis, quid mirũ ſi verba ejus ignea fuerint, ipſa de divino amore ſemper loquente, ſi igneæ fuerint cogitationes ipſius de divino ſemper amore cogitantis: ſi ejus etiam actiones igneæ fuerint, quas ſeraphicè ſemper eliciebat: denique ſi ignea fuerint omnia corporis membra, pectus, ſinus, vultus, manus, & totum corpus, quod proinde ad immenſi amoris ſui flammas mitigandas aquis frigidiſſimis ſæpè immergebat? Idem prorſus (ut ſanctus Gregorius Nyſſenus in cap. 8. Cant. dicit) eveniat neceſſum eſt, quando in pectore & corde flammæ ardent divini amoris: (Omnia ſigillatim vitæ ſtudia, tanquam alicujus corporis membra fervent ſpiritu, qui ex corde permeat, nulla iniquitate, nulloque membro corporis refrigerante charitatem.) Etenim cogitationes, verba, & opera ſunt veluti membra animæ, atque ideò omnia hæc in Magdalena ardent, quia ipſummet amoris divini ardorem cordis loco habet. Verum enim verò tametſi hactenus dicta ſublimiſſima in ſe contineant Magdalenæ elogia, attamen, ô res ineffabilis, beatæ Magdalenæ ſe gratiſſimam eſſe increati amoris requiem minimè ſufficit, niſi inſuper velut calcar & ſtimulus eundem urgeat, & exſtimulet ad majora incendia ardoris; neque enim fruſtra ab æterno Patre *ſpiritus* ſui *requies* appellatur & *ſtimulus*. Altiores in ſublime flammas vibrare, ne ipſi quidem Seraphini poterant. Aliquod hujus experiamur ſpecimen & probam. Beata quondam in ſublimi quodam mentis exceſſu dilecto ſuo dicebat: (Quod ſi, ô amor, locum in quo requieſcere poſſis nullibi invenias, totũ te in me recipe, quæ ad hoc omninò connitar, ut totum in me poſſim recipere) O ardoris æſtus, imò auſus pluſquam Seraphicus. Ergone immenſus ille amoris Oceanus, qui omnia Beatorum corda inundando adimplet, & tamen in ſuâ immenſitate manet incomprehenſus in arctum Magdalenæ pectuſculum ſe exonerabit? Illeque ignis infinitus, qui totam cœli curiam æternaliter inflammat, in anguſto beatæ cujuſdam virgunculæ ſinu recludetur? Porrò Magdalena, utpote illuminatiſſima, optimè quidem noverat, quod infinti amoris incendium nonniſi finito modo capax eſſe poſſet, attamen, quia cor Chriſti in pectore ſuo ferebat, cor illud nobiliſſimum auſus adeò generoſos & nobiles; adeoque ſublimes pectori ſuo ſuggerebat ſpiritus, & cogitationes, ut vel inde cognoſci poſſit verum eſſe, quod inquit Chryſologus: *Amor non recipit de impoſſibilitate ſolatium.* Magdalena igitur ex poſſeſſione cordis Chriſti jam quaſi Divina reddita ſponſo ſuo audacter dicat, & generosè: Quod ſi, ô increate amor, in Angelis aut Seraphinis nullam invenias perfectam requiem, mihi, ut exiſtimo, pectus eſt, mihi cor eſt ad te recipiendum capax ſatis & ſufficiens. Sagittæ tuæ in me vibratæ non ejaculabuntur fruſtra, nec vacuæ redibunt. Nec ſanè vana erant ejus deſideria, utpote quæ inauditæ octo diebus integris continuatæ vaſis, octavo die Spiritum ſanctum vidit immenſis præter morem divitiis onuſtum, qui mutatis ab Angelicis hierarchiis monilibus pretioſiſſimis, acceptiſque ab aliis duabus perſonis divinis ſublimiſſimis donis, in Magdalena non fabuloſam ſed veram formaturus Pandoram, deſuper illlam ſemetipſo modo quodam ineffabili adimplevit, unde dicere minimè dubitavit (*Spiritus ille cor meum ingreſſus cum omni donorum ſuorum plenitudine advenit*) O vaſtiſſimum cor? quod certè aliud, quàm cor Chriſti eſſe non potuit. Hunc amorem, hunc ignem Gilibertus Abbas deſcripſit, quando dixit, quod amor non capiat ſe-ipſum,

Nyſſen. in cap. 8. Cant.

P. 3. vitæ, Die 8.

Serm 19. in Cant.

ipsum semetipsum superexcedat, dumque omnem transcendit ordinem, atque mensuram, adeò est insatiabilis, ut immensitatis cupidus, ipsummet immensum esse, imitari & æmulari affectet: *Amor exæstuat, seipsum non capit, superfluit sibi, immensitatem æmulatur, dum metam nescit affectui ponere.* Immensas B. Magdalenæ flammas melius describere non poterat, ejus, inquam; Magdalenæ, quæ increati amoris, qui ipsissimus est ignis, requies est & stimulus.

9. Verum enim verò gloriosa nostra Magdalena Spiritus S. requies nunquam futura fuisset, si solum Deum dilexisset, suumque plusquam Seraphicum amorem etiam non extendisset versus proximum, siquidem potentissima hæc virtutum omnium Regina (charitas inquam) utrumque objectum respiciat, sitque amor proximi propter Deum dilecti ab amore Dei adeò inseparabilis, ut dilectus Christi discipulus proinde pleno ore mendacem esse dixerit eum, qui se Deum amare gloriatur, nec tamen non quidem æqualiter sed proportione servata suum dilexerit proximum. Ac proinde valdè notandum est, quod non in sola ignis specie; verum etiam sub forma linguarum igne arum. B. nostræ Magdalenæ communicatus sit Spiritus S. ut per hoc clarè insinuaretur, quod sicut Divinus ille spiritus Apostolis in hac specie apparens eosdem in animarum salute promovenda Dei cooperatores fecit & consecravit; *apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis*, ita quoque daeus esset idem divinus spiritus B. Mariæ Magd lenæ, utpote quæ etiam requies est, & stimulus Spiritus S. in amore fraterno. Tota B. Magdalenæ vita ferventissimis fraternæ charitatis actibus mirè est adornata; ita namque ipsam hæc charitas proximi devorarat, ut eandem veridico ore suo sæpè vocarit limam cordis sui consummatricem. Hanc ejus charitatem adeò formidavit ipsemet Infernus, ut cum pessimi Dæmones sanctam hanc animam aliquanto tempore horrendis contra fidem tentationibus fortiter infestassent, nec tamen eos multis licet industriis adhibitis, coercere valerent, tandem quodam ferventissimæ charitatis actu erga omnes credentium animas elicito eosdem prorsus dissiparit, & in Infernum secedere compulerit, attamen hoc veluti nihil est. Sancta namque Magdalena in hujus virtutis exercitio consuetos sanctitatis terminos longè superexcessit, ardores Apostolicos, non tantum imitata, sed potiùs plurimum supergressa. An non veluti Herculea amoris Apostolici columna in Paulo fuit, propriam vitam pro proximorum salute impendendi generosum igneúmque desiderium? *Desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed & animas nostras.* 1. Thessal. 2. At verò hic actus unus erat ex iis, quos Magdalena ordinariè solebat edere; atque ideò ipsa plus ultra contendens, sæpenumero à Deo postulabat, ut sibi soli irrogarentur omnes pœnæ, dolores, atque tormenta peccatoribus debita, ut hac ratione eis condonarentur sua peccata. Nunquid prodigiosæ in Apostolo fuerunt vehementissimæ illæ charitatis flammæ, quibus super ipsos se extulit Seraphicos spiritus, quando pro aliquanto tempore se à Christo divelli minimè curabat, dummodo exinde proximorum suorum aliquis suam nanciscì salutem posset: *Cupiebam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Rom. 9. Verum ô plusquam seraphicam Magdalenam nostram, quæ in hisce flammis semper vixit, & incessanter exarsit. Etenim in quodam mentis excessu pro unius duntaxat animæ salute comparanda ipsummet sibi Infernum eligere non dubitavit, dummodo is ei cum hac concederetur pacta conditione, ut in eo non odisset Deum, sed potius ardenter diligeret, quando autem idipsum pro voto suo subitò non impetrabat, pia sui ipsius carnifex facta carnem suam molestis adurebat urticis, ardentis ceræ stillantibus guttulis perpluebat, macerabat aspertimis ciliciis, crudelibus flagris integris se noctibus lacerabat, ferreis se accingebat catenis, claviſque præacutis fodicabat, ferreis denique forcipibus innocens suum convellebat, scindebatque corpusculum, non quidem ut per hæc tormenta pro propriis satisfaceret culpis, quales nunquam, ne leviſſimas quidem commiserat; sed ut coram Deo pro peccatis lueret alienis. Quoties importuna oratrix facta animarum salutem tali tantoque cum ardore à Deo poscebat, ut statueret firmiter ab orationis loco donec postulata impetrasset, nequaquam recedere, semper peccatorum animas cum infinito cordis sui jubilo ad Deum conversas, veluti certissimum præfervidarum precum suarum fructum sibi datum esse læta conspiciebat. Verùm & hoc parum est; hæ namque divinæ flammæ in ipsa eousque se extulerunt, ut incomparabilis zeli illius partem habere meruerit, quocum unigenitus Dei Filius animarum salutem zelosissime prosequens semetipsum, divinamque vitam suam pro eisdem in sacratissimo crucis ligno exposuit. Id quod de semetipsa testata fuit, quando in admi-

Act. 2.

randa

randa quadam extasi dixit: *Collocavit me verbum in desiderio, quod ipse habuit in humanitate sua.* O res ineffabilis. Ecce enim hoc Christi zelo amicta, ejusmet verba sæpè usurpans, & ob amoris fraterni excessum animarum salutem vehementer anhelans dicebat: *Desiderium animarum tuarum comedit me.* Nunquid hoc verè est requiem dare? Deo? Utique. Etenim nunc verum esse perspicuè cognoscetis, quod S. inquit Ambrosius, nimirum, Deum creato homine requievisse, eò quod jam creaturam aliquam sibi haberet præsentem, cui peccata sua sæpius posset dimittere. *Requiescit habens cui peccata dimitteret.* Cum igitur B. Magdalena tantæ peccatorum multitudini per ignitas orationes, prodigiosasque pœnitentias suas efficax fuerit æternæ salutis instrumentum, torque ad Christum adduxerit animas, meritò ipsiusmet Dei appellari requies debebit. Verum enimvero tametsi hæc longe sint excellentissima, nondum tamen in supremo culmine sumus; Ipsa enim non solum *requies*, sed *& stimulus* fuit Spiritus sancti, quando in raptu quodam posita dilecto sponso suo dixit, se gloriam in cælis sibi præparatam nequaquam velle, nisi simul etiam multas animas pro quibus ferventissimè orabat, sibi concederet, utpote quæ parata promptaque esset ad mortem totidem vicibus appetendam, quot per ipsam animæ æternæ essent salute donandæ. Cui quidem petitioni Deus à tam ardenti sponsæ suæ zelo stimulatus acquievit, plurimas ex quovis hominum statu animas ei indulgendo, dum ipsa interea ad sustinendas molestissimæ ariditatis spiritualis infernales pœnas parata, sæpius exclamare coacta fuit: *Dolores inferni circumdederunt me.* Etienm jam dudum quidem legeram, charitatem stimulatricem esse, id enim sanctus fatetur Apostolus, dicens: *Charitas Christi urget nos*: quod autem in Magdalena cum stupore videmus, est quod charitate sua ipsummet Deum exstimulet, & urgeat, utpote increati amoris perfecta requies, & stimulus. 2. Cor 5

10. Adhæc datus quoque est Magdalenæ Spiritus sanctus sub symbolo fluminis, sub qua etiam specie illum Ecclesiæ promiserat Christus dicens: *Flumina de ventre ejus fluent aqua viva, hoc autem dicebat de spiritu.* Joan. 7. Etenim divinus hic spiritus tametsi ignis sit, flumen tamen pariter & aqua appellatur, propter effectum mundandi & purgandi quem causat, & quia tali cordis munditie & puritate madiante pectus, & animam ad eum fere modum in cælum attollit, quo aqua eo sublimius ascendit & erigitur, quantò altior fons est, unde derivatur. Unde Christus dicit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Id quod glorioſus noster Ecclesiæ Doctor Cyrillus explicans dicit: *Ad solum Deum mentem humanam anhelo spiritu sitientem reddit.* Cor mundum, ut inquit S. Marcus Eremita, est, quod se ab omnibus creaturarum speciebus exinaniens ad recipiendas sublimes Spiritus sancti impressiones proraptum semper se exhibet: (Cor mundum est, quod exhibet Deo memoriam omni specie vacuam, paratum insigniri solis ipsius typis.) Cor tale ipsomet haud dubiè cælo sublimius, non solum est, ut ait Macharius, Spiritus sancti domus, & requies, verum insuper superbissimus ipsiusmet Dei thronus & regia, imò vastum quoddam regnum. (Rex Christus, inquit Macharius, venit illuc, ut ibi requiescat, habitet, inambulet, regnumque suum collocet.) Imò sanctus Marcus citatus insuper addit, quod cor mundum æstimari debeat verus Dei mundus, utpote quod illo cujus mundus solum nomen obtinet, incomparabiliter dignior, atque divinior. *Efficitur Dei mundus.* Porrò divinus hic spiritus hujus venustatis & nitoris adeò est cupidus, ut ipsi minimè sufficiat ejusmodi cor veluti sedem, thronum, palatium, thalamum, & mundum sibi vendicasse, nisi etiam ejuscemodi animam strictori quodam vinculo sibi copulans adoptet in sponsam. Unde S. Anastasius Sinaita ait: *Omne cor mundum unitum Deo verbo jam sunt duo in una carne.* Etenim Auditores, quod cordis puritatem aliasque prodigiosas virtutes attinet, de iis nunquam tantum sancti Doctores potuerunt scribere, quantum Magdalenæ in facto ipso & vera praxi concessum est experiri. Modicum de ejus puritate dixeris, si illam ab omnibus speciebus creatis vacuam esse pronuntiaveris, nisi illam cœlestium impressionum adeò plenam fuisse affirmaris, ut in ipsa veluti limpidissimo, immoto, & imperturbato fonte ipsissima effigiata fuerit puritas divina Ne minimum quidem verbum effata est alio, quam solius divini amoris motivo, prolatum. O puritas ineffabilis! Nulli unquam creaturæ vel levissima affectione adhæsit. O puritas humanæ virtutis terminos longe exdedens, Angelicæ autem puritatis proxima æmula! Nullum unquam in se vel minimo temporis spatio gaudium, delectationem, aut complacentiam, præterquam in solo Deo sensit. O Divinæ puritatis miraculum. Ac proinde cum cor mundum verus quidam Dei thronus, thalamus, palatium, regnum, imò mundus aliquis esse censeatur, quis beatam Magdalenam cujus sanctissimum cor divina fuit puritate præditum, requiem fuisse negabit

In c. 7. Ioan.

Marc. Erem. 36. vet. PP. To. 5. Mach. Sea. ho. 15. To. 2 Bibl. vet. PP.

1. Tom. B ib

Ioan. 4.

gabit Spiritus sancti? Imò beatæ Magdalenæ puritas quidam fuit increatæ puritatis stimulus, utpote, quæ ejus mirâ pulchritudine capta eandem sibi annulo quodam aureo desponsavit, casto huic, felicissimoque sponsalitio assistentibus ardentissimis cælorum Seraphinis, sancto videlicet Augustino & Catharina Senensi. Enimverò ad quem heroicum gradum in B. Magdalena hæc cordis puritas se extulerit, non solùm ex cœlesti illa visione evidenter cognosci potest, in qua præsente serenissima Angelorum Regina Virgine Maria ab ipsomet verbo incarnato candidissimâ veste visa est amiciri, verum longè clarius in rigoroso illo examine videtur, quod in quodam mentis excessu, coram ipsamet puritate increata, in cujus oculis ne ipsi quidem mundi sunt cæli, constituta de omnibus cogitationibus & operibus suis exactissimè instituit. In hoc namque examine ipsi quoque solum imaginati defectus cum ejus operibus puritissimis de puritate contendebant. In eodem se veluti de enormi quadam culpa commissa accusabat, eo quod se ad Divinas laudes decantandas recipiens, voces suas cum cœlestis Paradisi Cantoribus non conjunxisset. In eodem denique examine velut scelus ingens deplangebat, quod ad confessionem sacramentalem accedens potiori cura ad animæ suæ quietem, quam ad debitam Deo pro tali beneficio gratiarum actionem persolvendam anhelaret. O nix quovis Angelico candore candidior! ô cor purissimum! ô ineffabilis puritas! etenim quod si verum est quod in Philosophia edocemur, scilicet eum, qui in pectore hominis latet, cordis calorem suam causam esse, cur homo erecto in cælos capite incedat, mirum nequaquam erit, quod B. Magdalena, quæ in pectore suo ipsummet cor Christi fere bat, in sanctissimi cordis sui puritate ad sublimes adeò gradus evecta fuerit. Porro Davidi Prophetæ hæc nondum gratia obtigerat, ut cor Dei possideret, sed hoc solum ipsi elogium, quod vir esset secundùm cor Dei, attribuebatur, & tamen quia sanctus, & justus existens, Deum consequenter in corde suo ferebat, ex hoc solum veluti graves defectus in se accusabat, qui revera defectus non erant. Modicam ex regia Saulis veste præciderat laciniam, idque non ut ei noceret, sed potius ut evidens quoddam proni in ipsum animi synceritissimique affectus quo irreconciliabilem inimicum suum prosequebatur, ederet testimonium, & tamen ecce subitò cor ei palpitat. Unde ubi nostra Vulgata legit: *Percussit cor suum David*, Septuaginta majori cum energiâ vertunt: *Pecussit cor eum*, & ex Hebræo: *Percussit cor David eum*. Ubi notandum est, quod cor Davidem pecussisse, non verò cor à Davide percussum esse dicatur, ut insinuetur, quod ei, qui Deum in corde suo habet, omnis actio, quæ in se non continet aliquod heroicæ sanctitatis vestigium, defectibus scatere videatur. Quid igitur de eo, qui ipsomet Dei corde verè donatus est, dicendum esse censebimus? Neutiquam ergo B. Magdalenam divini fluminis Spiritus sancti requiem & stimulum fuisse, dubitare licet.

2. Reg. 24.

11. Idem quoque Divinus spiritus beatæ nostræ sub specie venti, sub qua etiam hisce diebus sanctissimo Apostolorum collegio apparuit, infusus fuit. Quod si autem à S. Augustino causam, cur divinus ille spiritus super discipulos in qualitate venti venerit, exquisieritis, ipse id factum esse respondebit, ut per hoc insinuaret, quod imperfectionum, & peccatorum palea, velut furiosus quidam ventus, ab Apostolicis pectoribus abacturus esset: *Acarnali palea corda mundabat*; siquidem divinus hic hospes semetipso teste in corde peccatis affecto minimè habitat, aut requiescit: *Non habitabit in corpore subdito peccatis.* Imò quantò majori cum abundantiâ alicui communicatur Spiritus S. tantò vehementius à corde hominis minimus quisque pel[illegible] tur defectus, prout testatur mellifluus Bernardus cum dicit: *Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit.* Justi sunt veluti tersissima quædam Divinæ Majestatis specula. Unde in Epist. 2. ad Corinth. cap. 3. ubi nos legimus: *Nos autem gloriam Domini speculantes.* In Græco legitur: *Nos speculi vicem gerimus.* Speculum autem, uti nostis, solo anhelitu maculatur, ac proinde mirum non est, quod cor nostrum quivis nævus commaculet. Unde S. Bernardus dicebat: *Sit purum cor, ut nihil morari intra se patiatur mali, nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputet.* Verum hoc beatæ nostræ Magdalenæ nimis modicum & humile visum est esse, ideoque longè altius ascendit, utpote quæ non solum baptismalem suam innocentiam integram atque intactam conservavit; verum etiam peccatum, quod animam inquinat, adeò abhorruit, ut quotiescunque peccatum nominari audivit, tantò mox fuerit horrore correpta, ut continere se minimè potuerit, quin veluti ad terribilis cujusdam monstri aspectum altum exclamaret; tantum erat in ea peccati odium! Verè igitur in beatissima Magdalenæ anima requievit Spiritus sanctus, utpote qui sicut à solo peccato infestatur & turbatur, ita in innocentia cordis suaviter quiescit, & delitiatur. Unde S. Cyrillus optimè ad propo-

Sap. 1.

Bern. de inter. domo.

propositum nostrum loquitur, cum dicit, quod homine peccante Deus suam, qua in homine gaudebat, amittat requiem: *Non invenit in hominibus requiem Spiritus S.* econtra verò postquam Christus Salvator noster perditam à nobis Dei gratiam, nobis denuò promeruit & restituit, spiritus quoque sanctus pristinæ suæ quieti denuo restitutus fuit: *Fecit ut deinceps in nobis requiesceret, ac in credentium mentibus cum voluptate habitaret.* O quàm jucunda & delectabilis Spiritus S. requies fuit Magdalena nostra gloriosissimâ, quæ solum peccati nomen inaudiens linquebatur animo. Verum hoc parum est, siquidem ipsa quoque Divini amoris, in quantum ventus est, urgentissimus stimulus fuit; Purissimus etenim hujus sanctæ obtutus in obduratum aliquem peccatorem directus, eum post se effectum relinquebat, ut is primo quidem in semetipso confusus, demum verò compunctus, culpasque propri[illegible]ordiali dolore detestans divinum spiritum, ut corda illa, quæ antea inimici infernalis miserabile erant hospitium, in divinum sibi habitaculum consecraret, efficaciter exstimularit. Etenim hoc est Spiritum S. non tantum in corde & pectore, sed & in oculis habere, & circumferre, eundemque ut delitiosum sibi creaturarum suarum cordibus faciat triclinium exstimulare. Unde cœlestis sponsus sponsæ suæ venustatem & pulchritudinem dilaudans, dixit: *Oculi tui columbarum*, Cant 1. id est, ut Gregor. Nyssenus exponit: *Quoniam sponsum habet in oculis*, q.d. Sponsum suum in columbæ specie symbolizatum in oculis suis deferebat. Eximia profecto S. Magdalenæ nostræ laus est, quod hominum impiorum corda solis purissimis oculorum suorum obtutibus Deo consecrare potuerit. Meritò igitur hoc sibi vendicat prænomium, quod *requies & stimulus* sit Spiritus sancti.

Isa. c. 11.

Nyssen. hom. 4.

12. Adhæc Spiritus S. quinta vice se huic sanctiss. Virgini communicaturus, super eam in vera nubis specie comparuit, quæ ob levitatem suam, sublimemque quem obtinet locum Angelicæ virginitatis usitatissimum est symbolum. Unde Isaias de ineffabili Incarnationis mysterio loquens, inquit: *Ascendet Dominus super nubem levem*: ubi S. Hieronymus per nubem levem sanctissimam intelligit virginem, *nullo pondere gravatam conjugii*. Etenim quod castitas, & virginitas quies, & triclinium sit Spiritus S. in sactis literis clarum est, & perspicuum. Sicut enim Deus universum humanum genus horrenda carnalitatis spurcitie defædatum esse videns dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, ita S. Zeno de delitiosissimo Dei paradiso dulcissimaque ejus requie loquens, dicit: *Requiescit libens florentissimo in domicilio castitatis*; ac proinde dum divinus ille spiritus sacratum virginum corpora menteque sanctificat, illas ejusdem secum æternitatis participes reddere contendit, efficiens, ut sicut caro humana per castitatem à corporea corruptione procul removetur, ita quoque vitæ immortalis æmulatrix constituatur. Dudum idipsum docuit Tertull. dum ait: *Inhabitator corporibus nostris data est sanctitatis effector, id agens in nobis, ut ad æternitatem & resurrectionem immortalitatis corpora nostra perducat; dum illa in se adsuefacit, cum cœlesti virtute misceri, & cum Spiritus S. divina æternitate sociari.* Imò ob eandem causam S. Hieron. virginitatem nunquam emori docuit, id quod ex communi illo totius Apostolici collegii conceptu egregiè colligit, quo Apostoli unanimiter S. Joan. utpote purissimum virginem nunquam morituram exstimabant, tametsi Christus nihil tale de S. Joanne pronuntiarit: *Ex hoc ostenditur*, inquit Hieron. *virginitatem non mori, sed manere cum Christo.* Verè non tantum requies, sed & paradisus quidam Spiritus S. fuit B. Magdalena, cujus puritas, & virginitas ipsam quoque angelicarum mentium nivem candore suo longè transcendit, & divinum quippiam præ se tulit.

Gen. 6.

Lib. de Trin.

13. Sub silentio hoc in loco pertranseo, quod decimo ætatis suæ anno voto se obstrinxerit virginitatis; quod claustralibus monasterii sui muris, utpote cœlestis hujus monilis fidissimis custodibus multoties repetita sæpè infixerit oscula: quod in fatali sua infirmitate solum corporis sui contactum, quem à monialibus eam in lecto in alteram partem versantibus pati necessariò debebat, veluti ineffabili puritati suæ minus consentaneum formidaverit; Denique quod omnia miracula superexcedit, quod duobus annis continuis Deo ita permittente lubricis cogitationibus tentata, & impuris phantasmatibus à Dæmonibus atrocissimè infestata, demum dixerit, se prorsus nescire quidnam sit actio aliqua honestati contraria; tametsi enim primum insultus satanici impulsum benè senserit, attamen quidnam inimicus per eum prætenderet, ignorare se dixit. Profectò si Spiritus S. in virginea castitate dulciter quiescit: *Requiescit libenter*; utique in hoc B. Magdalenæ nostræ corde dulcissimè requievit, utpote cujus virginitas heroica planè, imò divina extitit, quippe quæ eidem non solum ab inclyta virginum Regina Maria sub candidissimi veli cælitus allati symbolo communicata fuit, verum etiam omnem inordinatum carnis sensum penitus adeò extinxit, ut post reportatum singularem ab impuro spiritu superato triumphum, ne

primus quidem motus virginitati contrarios deinceps unquam persenserit. Id quod omninò sufficeret, ut delitiosus quidam Spiritus sancti paradisus, nedum requies censeri posset. At verò fuit insuper efficacissimus quidam Spiritus divini stimulus, siquidem caro ejus fragrantissimum quendam suavissimumque spirabat odorem, quem sanctimoniales puritatis odorem appellare solebant, atque ex oculis cœlestis candoris purissimos radios vibrans, quas intuebatur personas ad puritatis desideria accendebat, causabatque cogitationes puras, & castas in iis, quos aspiciebat; quod est genus quoddam puritatis Angelicum, imò divinum. O immortalis Magdalenæ virginitas! Dum mortuæ beatæ nostræ cadaver in Ecclesia super feretro quodam publicè esset expositum, universa eò civitas Florentina turmatim confluxit, ut sacro sanctum corpus illud, quod templum quoddam fuerat Spiritus sancti, debita veneratione prosequerentur. Huic autem turbæ se quoque inter reliquos impurus quidam, & lascivius immiscuit juvenis. O miraculum inauditum! hunc purissima virgo aversata, faciem suam in adversam partem convertit, ne ab impuris posset oculis conspici; quo stupendo miraculo juvenis ille perterritus, intra semet ipsum confusus est intimeque compunctus, quantumque hactenus virgineæ puritatis hostis fuerat & insidiator, tantò deinceps ejusdem Angelicæ virtutis factus est amator & cultor ardentior. Vivit igitur etiamnum in dudum defuncto corpore divina B. Magdalenæ honestas, factaque est prodigiosa ejus virginitas efficacissima stimulatrix Spiritus S. utpote qui mediante eo qui ex membris jam mortuus etiamnum spirabat vivo & miraculoso puritatis sensu cor illud incolere cæpit, quod antea impurissimorum spirituum horrenda mansio erat. 14. Porrò ob adeò miraculosam corporis, mentis, & cordis puritatem, Spiritus S. sexta quoque vice illam sub similitudine columbæ invisit, usitatissimo nimirum Spiritus S. symbolo, qui in eadem quoque specie super ipsummet Christum descendit. In qua apparitione nobis aliud quoddam stupendum insinuatur miraculum, nimirum sanctæ hujus perpetua oratio, & contemplatio, quam miraculum appello, eò quod Beata nostra nullum in hoc sancto exercitii genere parem habuerit. Columbinum hunc spiritum Regius Propheta desiderabat, quando Psal. 54 dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.* Ubi Theodoretus acutè observat, Prophetam non aquilæ, sed columbæ pennas petiisse, quia dari sibi cupiebat Spiritum S. ut is mentem suam in cælum usque extolleret. *Manifestum est ipsum Spiritus sancti gratiam desiderare, qui columbæ specie volavit.* Etenim oratio, & contemplatio meritò requies cordis humani pariter & requies Dei dicitur: Nostri quidem cordis requies est, quia mediante oratione, centro suo, quod Deus est, suavitet unitur & adstringitur: Dei quoque requies esse censetur, quia anima orans per orationem, domus, templum, & jucunda, delitiosaque habitatio fit Spiritus sancti. Unde S. Joannes Chrysostomus notat Divinam Majestatem hujus quietis cupidam thronum suum, & cælum pariter in terram submisisse, ne homo dubitare possit, quin oratio sua ascendat in cælum; ac proinde circa illa verba Jobi cap. 40. *Respondens Dominus Iob de turbine dixit*, idem Chrysostomus repetit: *Cæli symbolum & nota est nubes, quando igitur cælum ipsum vult Iobi vertici imminere, ferme solium suum prope Iobum admovet.* O quàm est anima orans delitiosa requies ipsimet Deo, qui quasi cælum sedis [illegible] hujus longè delitiosioris paradisi percupidus cælos inclinat, ut in hoc novo cælo Empyreo dulciter quiescere & commorari possit. Sic idemmet aureum Chrysostomi flumen dicit. S. Paulum omni in loco orando, feciisse Deo ex quovis loco mansiones cœlestes: *Flecto genua mea ad Patrem Dominum nostri Iesu Christi, ut per fidem in cordibus nostris Christus inhabitet.* Ephes. 3. Circa quæ verba Chrysostomus hanc glossam adjungit: *Videsne quantum virium habeat precatio. Templa Christi homines efficit, quem non capiunt cœlestes orbes, is animo, qui in precatione vitam ducit, continetur.* Porrò orationem requiem singularem esse Spiritus sancti, multò evidentius ex eo cognoscitur, quod Isaiæ cap 7. dicitur, ubi cum Deus impio Regi Achaz liberrimam quidvis pro libitu petendi optionem, & facultatem tribuens, videret, quod impius hic Princeps hanc Deo gloriam dare renueret, graviter inde indignatus dixit: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Ubi Septuaginta vertunt: *Cur defatigatis Dominum?* q. d. Cur vos crudeles spiritum Dei contristatis & affligitis, qui adeò infinitè bonus est, ut tunc se suaviter quiescere, & delitiari existimet, quando nos gratiarum suarum donis adauget. Audacter igitur B. Magdalena ex hoc capite suavis Spiritus S. requies esse dicatur, utpote cujus oratio adeò continua fuit, ut prodigio videretur esse simillima; quod si enim vitæ suæ momenta minutim consideraverimus, ipsam majorem vitæ suæ partem in oratione consummasse deprehendemus, quod illi Deus promiserat, cum dixit, quod tametsi non semper per raptus, & extases Divinitati immer-

ingi,nergenda foret , curaturus tamen esset , ut mentem semper in cœlos defixam, & elevatam haberet. Unde vita ejus perpetua quædam oratio fuit: laborando orabat,neq; oratio ejus quantùm elevatissima ejus impediebat actionem: neq? externa opera obicem aliquem ponere poterunt fervidissimæ suæ orationi. Contigit ut dum panem pinseret, subitò in spiritu elevata massam panis manibus suis ferens divino pani communicatura appropinquarit. Manus quoq; nonnunqùam ut cibum sumeret elevabat,cùm ecce mente in Deum subitò elevata, manus quoq;sursum ad os firmiter tenebat elevatas. O stupor! O prodigium ingens! quis unquam vidit aut legit extases quatuor,sex,quadraginta horis,aut quatuor octove diebus&noctibus,imò quadraginta diebus integris continuatas. Nudumne,an verò carne indutum spiritum , Angelum corporeum, an verò corpus Angelicum illam fuisse dicemus ? Quod Samuel Prophera in templo frequens esset, ibidemq; continuò viveret, ideò de illo Philo Hebræus dicebat: [Nihil corporeæ molis gestabat,sed totus erat mens.] Quid igitur de B. Magdalena dicetur? num illam meram mentem merumque spiritum fuisse pronunciabimus, neq; enim idipsum Christi stuporis epithetum erit, quam si dicamus illam, cùm esset spiritus carne amictus, nullum tamen in se sensisse carnis pondus. Benè illam depinxit Chrysostomus licet nescius: *Spiritum habentiũ caro una, cum ipsa anima est volatilis effecta*, q. d. Caro est quæ pennis Angelicis instructa volat. Vel potiùs est Angelus, quem carnis quâ circumdatur, pondus à volatu minimè impedit. Drogo Ostiensis S. Petrum Apostolum excusat,quod ne una quidẽ hora cum Christo vigilare minimè potuerit. Excusationem meretur,inquit Episc. Hostiens. quia in ipsomet cœlo,non nisi per mediam horam silentiũ esse aut servari noscitur. *Factum est silentium in cœlo quasi media hora. Quis est Domine*, repetit Drogo, *quis est, qui tecum una hora vigilet? etiam in cœlo non est factum silentium, nisi media hora, quantò minus in terra, una hora vigilabimus tecum?* At verò de Magdalena quid dicetur,quæ etiamnũm in terra consistens omnem vitam suam orando transegit? utiq; per continuam orationem delitiosa Spiritus S. requies fuit. Imò in eadem oratione cum fervent ibus suspiriis,calidisq; lachrimis per genas diffluẽtibus obstinatè perseverans, Spiritui S. ut pro salute proximi, prodigiosisq; peccatorum conversionibus,cælestia sibi dona elargiretur, stimulos persæpe addidit. Nihil etenim novi est, quod hæc Divina Columba , quæ juxta limpidos chrystallinarum aquarum rivulos perlibenter consistit: *Super rivulos aquarum*, inquit sponsa, ab hisce ex oculis pariter & corde dimanantibus cælestibus lachrimarum aquis,trahi,aut stimulari se permittat. Unde non immeritò Guerricus Abbas dicit : *Nescio si Spiritui S. qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit.* O quoties Divina hæc columba à stillantibus ex oculis & corde Magdalenæ utpote quietis, & stimuli Spiritus S. cælestibus oculis dulciter attracta,allecta,& invitata fuit?

Philo l. de Temulentia.

15. Verùm enimverò tandem aliquando ad plusquam Herculeas columnas solemni hac Epigraphe *plus ultra* notatas appulimus ,ad fortitudinem, inquam,& patientiam Magdalenæ,quæ fortitudinis miraculum, patientiæ prodigium,& novum quoddam extitit stuporis theatrum. Monstrosa namq; ejus fortitudo, & patientia significatur per columbam, sub cujus specie Spiritus S. Beatissimæ hujus Virginis animæ ultimo loco tandem infusus fuit. Etenim fortitudo Spiritui S. adeò appropriatur, ut hoc nomine absolutè non solùm Isaiæ 11. *Spiritus fortitudinis* appelletur : verùm etiam sub eodem nomine ab ipsomet Christo Salvatore nostro Luc. 24. fuerit Collegio Apostolico promissus: *Vos autẽ sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Quod si equidem Spiritus S. unquam summè admirandum in creaturis suis produxit effectum, is utiq; ille fuit , quem idem ille divinus Spiritus in Sanctis causavit Apostolis, qui primo quidem tormentorum metu consternati, coram facie Tyrannorum,& persecutorum comparere formidantes in cœnaculo Hierosolymitano veluti in carcere recluси latebant: postea verò haud secus ac leones è cavernis suis erumpentes incredibili cum generositate,& fortitudine Tyrannis sese opposuerunt, deriserunt tormenta quantumvis immania,imò ipsummet infernum provocando lacessentes, vitam quoque propriam nihili duxerunt. Quis unquam Petro aliquid vidit infirmius, aut debilius,qui sola vilissimæ ancillæ voce perculsus , non solùm in mille quasi partes fuit confractus, verùm insuper in ipsũ quoq; infidelitatis barathrum fuit præcipitatus? *Vna mulieris voce perculsus*, inquit Gregorius Magnus, *dum mori timuit, vitam negavit.* Veruntamẽ pavidi hi Christi discipuli,non jam amplius iidẽ, qui ante fuerant post Spiritus S. adventum permanserunt, quin potius veluti petræ durissimæ scilicet indomabiles, & immobiles rupes non solùm verborum asperitatibus, verùm etiam minarum turbinibus, persecutionum tempestatibus, denique ipsiusmet quoque mortis tonitribus constantissimè restiterunt. Sed quid Sanctos hoc loco memoro Apostolos? aliud longè magis insolitum & peregrinum obstupescite spectaculum ; Debilis namq; vir-

virguncula omnium infernalium ſagittarum conſtituitur ſcopus adverſus delicatam puellulam univerſus effunditur, & congregatur infernus, innumerabilis tartareorum gygantiũ exercitus implacabili furore, robore invictiſſimo, cum infirma quadam filiola ipſorum poteſtati non jam ad unius diei, aut menſis, ſed quinque continuorum annorum ſpatium divina permiſſione expoſita horribiliter congreditur & luctatur. Ex officinis infernalibus omnes ad horrorem conflictæ machinæ cumulantur in illam ut eam offendant. Dæmonum alii veluti exitiales viperæ motſus illi intentant. Alii veluti horribiles illam dilaniaturi leones ei occurrunt, alii ut eam crudeliter occidant, è ſublimi præcipitant, alli ipſam continuò, per quinque horas integras crudeliſſimis flagris nonnunquam cædunt, verùm, ô pectus invictiſſimum! cum his omnibus confligit, & dimicat, omnibus reſiſtit, vincit & ſuperat omnes. Truculentiſſimæ adverſus ipſam inſurgunt tempeſtates, crudeliſſimi inferuntur inſultus. Ei, quæ antea ſummo cum cordis jubilo ipſa frequenter conſpiciebat cœli ſpectacula, ei, inquã, nunc ob oculos horrendiſſimæ, & abominandiſſimæ ſtatuuntur larvatum infernalium ſpecies, atq; figuræ, adeò ut quovis loco & tempore dici potuerit, fuiſſe cum incredibili tremore, & pœna ipſiuſmet inferni ſpectatrix. Alii horrendis execrandarũ blaſphemiarum ſibilis torquebant auditum. Alii in ipſo ſacræ communionis actu illam modis indicibilibus panico terrore defatigare contendebãt. Sed ô verè æneum hujus beatæ Virginis pectus; nunquã enim ipſa cecidit, imò nunquam ceſſit. Non frangitur timore, nec impatientia rumpitur, haud ſecùs, ac ſi hæc omnia vel non ſentiret, vel cõtẽnens nihil æſtimaret, cùm tamen omnes ſibi intẽtatos truculentos ictus, atq; vivaciſſimè perſentiret quidem, ſed eoſdem ne nocere poſſint, in invictiſſimæ patientiæ ſcuto confringit & collidit. Verũ hucuſq; módico dixi, Infernus namq; furore plenus, cunctas vires ſuas recolligens, omnes ſuas in eam evacuat pharetras, acuitq; ſagittas, nec eſt in toto rebellium ſpirituum exercitu, qui non pectus ſuum priùs implacabili furore, ac demum manus quoque ſuas novis infernalium armaturarum generibus inſtruat & muniat. Unde ſereniſſimum illud mentis hujus Virg. cœlum quod ante quiete & tranquillitate fruebatur Paradiſi, adeò vehementer turbatur, ut pes ſolidorum annorum ſpatiũ ne vel minimũ ſenſerit ſerenitatis veſtigium. Hinc vehementiſſimarum tentationũ in eã inſurgebant tempeſtates, illinc verò ſubtiles diabolicarum illuſionũ inſidiæ urgebant. Una ex parte illam obſidebat, & premebat deſperatio, ex altera verò illam ſuperbia infeſtabat, inſupportabiles in ea conſurgebant contra fidem motus interiores, reddebaturq; tædioſus in ipſa omnis illi obveniens guſtus aut ſenſus ſpiritualis, demùm viliſſimam à gula luctã patitur, adeòq; ab impuriſſimis inverecundæ carnalitatis cogitationibus torquetur, ut per duos annos continuos nullam ab iis habuerit requiem, cõtinua cõ ejus affligebat & ludificabat falſa imaginatio, quâ ſe damnatam, ſeque veluti gravibus peccatis obnoxiam, in ira Dei conſtitutam eſſe ſibi firmiter perſuadebat, donec tandem perſpicue intelligeret, & cognoſceret, nullum in inferno tentationis genus ſupereſſe, cujus fuiſſet immunitate gaviſa. Et tamen generoſum, invictiſſimũq; hoc pectus nequicquã movetur, aut ab animi ſui validitate dejicitur, ad omnes, quos patitur, horribiles inſultus inconcuſſa, fortis, intrepida ſemper manet, & conſtantiſſima. Imò, quod ſtuporem [illegible] ſcerè ſcercere cunctis poteſt, illud eſt, quòd ſcilicet poſt tot, tamque continuas, horribiles, & importunas infeſtationes fortior ſemper evaſerit, longeque inſuperabilior, exanimatos, penituſque pertertitos laceſſit, & provocat Dæmones, & exprobratâ iiſdem ſuâ debilitate, eoſdem veluti imbelles prorſus, & ignavos deſpicit atq; contemnit, univerſumque tandem infernum eò adegit, ut ſibi licet delicatulæ puellæ, & virgini cedant victoriam, ſeque à muliere victos, & ſuperatos eſſe ſine diſſimulatione aliqua fateantur. O ſummè admirabilem fortitudinem! ô generoſum invictumque pectus, prorſuſque divinum! Aureum illud os D. Joan. Chryſoſt. invictam Jobi patientiam valdè admiratur, videnſq; quòd nec per rerum ſuarum jacturam, nec per improviſam filiorum ſuorum mortem, nec per propria vulnera, aut propriorum amicorum ſuorum, imò & ipſiuſmet conjugis ſuæ improperia atq; inſultus ab obſtinata patientia ſua unquam potuerit dimoveri, dicit inimicos ejus exinanitis, fractiſq; jam pharetris, veluti inermes factos, unde illum deinceps expugnent, armaturâ carere. *Cunctas ab eo ſagittas excipiens, pharetram exinanivit univerſam.* Verùm enimverò majori cum veritatis evidentia dici id poterit de Beata noſtra Magdalena, ſiquidem cùm nullum fuerit tentationis genus, nec ulla, quantumvis truculenta, & diabolica inferni machina excogitari potuerit, quanum per quinque annos continuos non adimicarit, ipſa tamen ipſomet quoque obſtupeſcente cœlo dunctorum malorum glorioſa victrix & triumphatrix evaſit.

16. Verùm enimverò nondum aſſecuti ſumus invictæ quâ Beata noſtro reſplenduit patientiæ culmen.